Universidad de Deusto
Biblioteca

BELARM
DE AMISS. GRA.
ET ST. PEC.

T 3

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPVTATIONVM

ROBERTI BELLARMINI

POLITIANI,
SOCIETATIS IESV,

DE CONTROVERSIIS

CHRISTIANAE FIDEI,
aduersus huius temporis Hæreticos.

Tomus tertius.

AD S. D. N. CLEMENTEM
VIII. PONTIF. MAX.

25328

LVGDVNI.
Apud Ioan. Pillehotte, sub signo nominis IESV.

M. D. XCIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IHS.

BEATISSIMO SANCTISSIMOQVE PATRI CLEMENTI VIII. PONTIF. MAX.

ROBERTVS BELLARMINVS.

ARDVVM opus & arduum, Pater beatissime, quod aduersus omnes huius temporis hæreses iamdudum molior; non semel nec breui tempore interruptum & impeditũ; nunc demum Dei benignitate perfectum, sub tuo sanctissimo nomine prodit in lucem. Quãquam haud scio, si mihi data fuisset optio; an opportunius tempus eligere potuissem, quo postrema hæc mea cum Hæreticis concertatio lucem aspiceret, quàm initium Pontificatus tui.

Video enim ad bellum hoc spirituale conficiendum, & Remp. Christianam, extinctis hæresibus, aliquando pacificandam, multa & magna in Sanctitatem Tuam præsidia diuinitus esse collata: Nam vt studium hæresum profligandarum, catholicæque religionis propagandæ nulli Pontificum Maximorum defuerit, illud certè negari non potest, quibusdam ætatem propè iam exactam, aliis valetudinem nimis infirmam magno ad res præclarè gerendas impedimento fuisse.

Tu verò Sanctissime Pater, ea primum ætate ad Apostolatum vocatus es, quæ & matura sit ad consilium, & non impar ad labores; vt senis prudentiam habeat cum patientia iuuenis. Deinde corporis firmitatem diuino munere nactus es, qualem ea mens requirebat, quæ præter instantia quotidiana tum Romani Episcopatus amplissimi, tum nobilissimi Ecclesiastici Principatus, Omnium, quæ vsquam sunt Ecclesiarum solicitudinem gerit. Adhæc, non vt alij, vastitatem atque exitium, quod multis prouinciis hæresis attulit, per literas & nuncios cognouisti; sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipſe coram aſpexiſti atque tractaſti: quippe qui totum ferme Occidentem, & Septentrionem ob negocia Chriſtianæ Reipub. peragraſti.

Sed illud longè maximum cùm ad hæreſes tam varias reprimendas, tum ad collapſam morum diſciplinam reſtituendam videtur: quod ea vitæ innocentia, ea morum ſanctitate, ea doctrina, prudentia, vigilantia, eo denique Zelo diuini honoris præditum eſſe te, ac ſemper fuiſſe, Orbis Chriſtianus intelligit; vt nec tibi poteſtas, aut voluntas conſtituendę Chriſtianæ Reipub. deeſſe poſſit: nec improbi homines exemplo vitæ tuæ perditos mores ſuos vlla ratione tegere, vel excuſare queant: Hæreticorum verò calumniæ, atque mendacia in Apoſtolicam ſedem, eodem vitæ tuæ exemplo, nobis etiam tacentibus, refellantur. Tantò igitur nunc alacriùs atque ardentiùs cum hoſtibus fidei congredi audebimus, quantò certiorem fore victoriam, te cœleſtis huius militiæ Duce atque Imperatore confidimus.

Quod autem ad me, attinet, ſi libri qui nomini tuo inſcripti apparent, ſapientiſſimo, acerrimóque iudicio Sanctitatis Tuæ non improbati fuerint, facilè ſperare potero, non ſolùm Eccleſiæ Catholicæ, cui regendæ præſides, ſed ipſi etiam Chriſto, cuius vices in terris geris, non ingratum fore qualecunque hoc meæ tenuitatis, atque humilitatis obſequium. Te verò, Pater optimè, munuſculum hoc meum, quamuis nulla ex parte tanta Maieſtate dignum, non aſpernaturum; eximia illa, quæ tibi non ſine cauſa nomen dedit benignitas, & clementia pollicetur.

ORATIO IN SCHOLIS HABITA.

ANNVM iam decimum cum Lutheranis in hac palæstra depugno. Nec mihi tamen vnquam venit in mentem, vt antequam nouum certamen ingrediar, quale tandem sit animal, Lutheranus, aperiam, cùm presertim apud eos agatur, quorum non pauci fortasse nunquam eiusmodi monstra viderunt. Sed hoc anno rei, de qua agitur, magnitudo admonuit, vt quoniam concertatio grauissima, non cum vno, vel altero grege Lutheranorum, sed cum omnibus omnino, quamuis inter se non minus, quàm à nobis dissidentibus, futura est, non ante in hanc arenam pugnaturus ingrediar, quàm breuiter exposuero, quid sit quod vulgo dicitur Lutheranus.

Ac vt nemo dubitet, orationi meæ fidem habere, nihil ipse fingam, nihil adferam meum, sed eum virum auctorem, ac testem producam, cuius vel solum nomen ad fidem faciendam sufficiat. Is erit Apostolus, & Euangelista Joannes, qui in illa sua diuinissima Apocalypsi, posteaquam de prioribus seculis multa longè prospiciendo perscripserat, vbi ad hoc seculum venit, Lutherum per stellam de cœlo cadentem; Lutheranam doctrinam per fumum de tartaro ascendentem; ipsos autem Lutheranos per exercitum innumerabilium, atque horribilium locustarum, ita suis coloribus, ita ad viuum, ita luculenter expresit, vt nihil dici potuisse videatur apertius. Quamobrem si quæ Joannes de stella, de fumo, & de locustis in Apocalypsi scripsit, paulò diligentius pro temporis breuitate exposuerimus, nemo erit, qui non intelligat, quod genus bestiarum sit, cum quo, Deo benè iuuante, pugnare aggredimur.

Igitur de Stella, quæ primo loco inspicienda est, ita loquitur nonum caput Apocalypseos. Et quintus Angelus tuba cecinit, & vidi ſtellam de cœlo cecidiſſe in terram, & data eſt ei clauis putei abyſſi. Et aperuit puteum abyſſi. *Septem Angelos Joannes inducit, qui toti orbi terrarum septem ingentes calamitates, septem tubarum clangore pronunciant. De primis Quatuor cum aduersarijs conuenimus, quatuor principales hæreses, quæ Catholicam Ecclesiam suis temporibus afflixerunt, tubis illis mysticis indicari. De Sexta & Septima*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tuba nulla dubitatio esse potest. Satis enim apertè sexta tuba postremam, eamq; grauissimam Antichristi persecutionem. Septima verò mundi totius interitum, & (vt Scriptura loquitur) consummationem significant.

De vaticinio Quintæ tubæ nonnulla controuersia est, dum illud in nos quadrare Lutherani clamant, Nos in illos aptissimè conuenire non solùm dicimus, sed etiam apertissimè comprobamus. Illi enim vaticinium quintæ tubæ in Catholicos retorquere nullo modo queunt, nisi quintam, ac sextam tubam ita confundant, vt vnam efficiant ex duabus, & sacrum, ac mysticum tubarum numerum penitus destruant. Neque enim Catholicæ nostræ Ecclesiæ vllam certam hæreseos notam inurunt, sed eam in Antichristi regnum degenerasse, degeneres ipsi, & verè adulterini filij mentiuntur. Regnum autem, & tempora Antichristi ad sextam tubam, non ad quintam pertinere, & res ipsa loquitur, & interpretes eius loci summa consensione testantur.

Multò igitur verius, ac probabilius est, vt quatuor primis tubis quatuor principales hæreses designantur, ita etiam quinta tuba hæresim quandam multiplicem, & deterrimam significari, quæ Antichristi persecutionem proximè præcurrat, eique viam patefaciat, atque sternat: quam hæresim Lutheranam esse, non ego solus, vel primus, sed plurimi ante me ex coniecturis non leuibus docuerunt. Sed quicquid sit de proprio, ac germano sensu verborum Ioannis, neque enim audeo de vaticinio obscurissimo quidquam temerè pronunciare. Illud affirmo, quæ Ioannes hoc loco de stella, de fumo, de locustis loquitur, in Lutherum, & Lutheranos mirificè conuenire.

Quid enim aliud (vt à stella cadente exordiar) vobis esse videtur, stellam de cælo cadere, nisi hominem cælesti vitæ addictum à terra longissimo interuallo remotum, sacri cælibatus, ac monasticæ professionis splendore, & puritate micantem, subito ad terrenas delicias, atque ad negocia huius mundi delabi; mortali coniugio implicari, in carne & sanguine volutari? Lutherum autem quis tandem ignorat, cum aliquando monasticam vitam, perfectam, pauperem, continentem, cælestem planè, ac diuinam in clarissimo quodam ordine profiteretur, repentino atque horribili casu ex sacerdote laicum, ex paupere diuitem, ex continente maritum, ex monacho politicum factum? monasterium in palatium, pannosam vestem in sericam, victum sobrium ac tenuem, in opiparas cœnas, & prandia commutasse? Denique qui propter Christum vxorem, liberos, agros, nummósque contempserat, iterum propter vxorem & liberos, propter agros, & nummos Christum reliquisse?

Quia verò Lutherus præcipuum studium suum in Apostolica sede oppugnanda positurus erat, séque Christi Vicario Antagonistam singularem professurus, pulchrè Ioannes dicit, stellæ de cælo cadenti clauem abyssi datam. Ita nimirum oportebat, vt sicut Christus Apostolo Petro, eiúsque successoribus claues regni cælorum attribuit, ita etiam Satanas cum Apostolo suo primario clauem abyssi communicaret: & sicut Petrus cælesti claue diuina oracula reserabat, ac populis creditis doctrinam salutarem de cælo adferebat: sic Lutherus abyssi claue infernalem puteum aperiret, ac tetros inde errores, antiquarum hæresum colluuiem, dogmata perniciosa, tartareáque deduceret.

Atque hoc est, quod sequitur in Apocalypsi: Et aperuit puteum abyssi; & ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est Sol, & aër de fumo putei. Fumum istum, qui Lutheri casum consecutus est, planè est cæcus, & stupidus, qui non sentit. Antequam enim stella ista laberetur è cælo, totus fermè Occidens, vel potius Latina Ecclesia vniuersa, vno Boëmiæ angulo excepto, eiusdem fidei, & religionis erat, & quocunque aliquis iret, fratres suos continuò agnoscebat. Siquidem omnes versabantur in lumine. Vna erat omnium fides, eadem prædicatio, iidem ritus Sacramentorum, eadem ieiuniorum, festorúmque obseruatio: non erat altare contra altare, nec domus contra domum, sed vbique ad vnum atque idem sacrificium à sacerdotum Principe colligebamur, atque in vnum ouile ab vno pastore congregabamur; & ad vbera eiusdem matris Catholicæ Ecclesiæ nutriebamur. At posteaquàm stellæ huius fulgor in tenebras est plangenda conuersione mutatus, & abyssi claue puteum tenebrarum aperuit: tantus est fumus hæresum, schismatum, sectarum exortus, vt iam nec in eadem prouincia, nec in eadem ciuitate, vel domo, vnus alium internoscat. En quanto miraculo separauit Deus Israëlem ab Ægyptijs. Nos enim ad quos Dei beneficio, fumus ille tartareus non peruenit, non solùm in Italia, Hispania, Gallia, sed in ipsa etiam Germania, & Britannia, & in vltimis orbis terræ partibus fratres nostros videmus; cùm Ægyptij Boreales, quorum terram operuere tenebræ Ægyptijs densiores, & quorum populos caligo feralis inuoluit; in eadem (vt dixi) domo inter se non agnoscant.

Obscurauit quoque hic fumus (vt in Apocalypsi dicitur) Solem & aërem. Nam per Solem, Christum accipiendum esse, qui de se ipse dicit: Ego sum lux mundi; per aërem; scripturas, per quas in huius vitæ laboribus quodammodo respiramus, & nostri, & aduersarij, hoc est, & Catholici, & Hæretici libenter admittunt. Et Christum quidem, quàm vehementer fumus iste teterrimus obscurauerit, testis est Transyluania, & finitimæ regiones, vbi à nouis Ebionitis, Samosatenis, & Arrianis, qui omnes è Lutheri gymnasio prodierant. Christi diuinitas palàm, ac sine vllis ambagibus abnegatur. Testis Morauia, Hollandia, & nescio quot aliæ nationes, vbi Anabaptistæ, qui & ipsi Luthero, si non parente, certè auo, & maiore gloriantur, Christo veram carnem, atque animam suis erroribus adimunt. Testis etiam ipsa Germania, vbi qui veri, ac rigidi Lutherani dici volunt, per nouum nescio quod figmentum vbiquitatis humanam Christi naturam cum diuina confundunt.

Non defuerunt olim Hæretici veteres, qui Christum iustitiæ Solem variis errorum nebulis obscurare tentarunt: sed nulli vnquam liberiùs, nulli impudentiùs, nulli horribiliùs, quàm ij, quos mundo Lutheri schola produxit. Quis enim in antiquis Hæreticis legit, Christum non modò non esse Deum, sed neque adorandum, aut inuocandum; eundem etiam de salute desperasse, atque esse damnatum. Vt omittam Cerberos tricipites, & tricorpores Geriones,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deum ficti tium, imaginarium, phantasticum, aliáque id genus nomina blasphemiæ, quæ piissimi scilicet isti Theologi vsurpant, cùm sacrosanctæ Trinitatis arcana explicare, vel potius temerare nituntur. Horror est audire, vel legere quanta temeritate hoc tempore de Christi mysteriis disputetur; vt iam dubitari non possit, quin isti sibi non leuibus nebulis, sed fumo teterrimo, atque tractabili Christum Solem obduxerint.

Porrò scripturas, quæ (vt dixi) per aërem significantur, incredibile dictu est, quàm densis tenebris hic fumus inuoluerit. Tot enim iam extant interpretationes contrariæ, tot commentaria inter se pugnantia, tot lites, & contentiones de intelligentia verbi Dei, vt ea quæ olim clarissima omnibus erant, nunc obscurissima, ac veluti ænigmata quædam esse videantur.

Joannis Euangelium quis nescit aduersus Cherintum, & Ebionem præcipuè scriptum fuisse, qui Christum sempiternum, ac Deum esse negabant? Et quid illis verbis clarius pro Christi diuinitate, atque æternitate dici potest: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum? *Et tamen hodie Transsyluani locum istum ita suis commentariis peruerterunt, ac deprauarunt, vt ex isto ipso loco argumentum ducant, quo probent Christum neque esse Deum, neque ante Matrem Virginem extitisse. Quid in re sacramentaria? Dicine potest aliquid planius illis verbis:* Hoc est corpus meum? *At hoc tempore pauca ista verba tam altè in cimmerias tenebras demersa à Lutheranis, & Zuinglianis sunt, vt nuper quidam ducentas collegerit horum verborum vel apertas deprauationes, vel inter se dissidentes interpretationes. Exempla generis eiusdem propè innumerabilia possem adferre; nisi me locustæ iamdudum ad se inspiciendas inuitarent.*

De fumo igitur putei prodiisse Ioannes vidit agmina quædam admirabilium, & furentium locustarum, quæ paulò post etiam equorum, & scorpionum, & leonum, & currusum volitantium, & hominum armatorum speciem præ se ferrent. Primùm locusta sordidum, atque vt ita dicam, ventrosum est animal, totum siquidem eius corpus nihil ferè est, nisi venter. Quocirca nec incedere, nec volare rectè potest, sed saltitando erigit se in sublime quasi volatura, & mox nimio ventris pondere ad terram depressa turpiter cadit. Tales omnino sunt Hæretici Lutherani, homines ventri addicti, hostes ieiuniorum, continentiæ inimici; & ea de causa nec possunt rectè viuendo per viam mandatorum incedere; neque pennis contemplationis, sese ad res cœlestes, ac diuinas intuendas erigere. Nituntur quidem interdum sese attollere, & mores emendare, sed more locustarum continuò iterum cadunt, ac deprimuntur ad terram.

Testis esse potest Saxonica visitatio. Nam cum Lutherus animaduerteret aliquando ob euangelicam libertatem à se tot annis prædicatam, omnésque leges Ecclesiasticas abrogatas, & ipsum decretum publicè in foro exustum, populos Germaniæ iam sine vllo fræno in vitia ruere; quandam instituit visitationem, atque admonuit verbi Ministros, vt prædicarent pœnitentiam, timorem Dei, obedientiam, opera bona. Sed saltus fuit locustæ. Nam nec ipse mores emendauit, suos,

suos, nec populi pastorum admonitionibus paruerunt. Nec sanè immeritò. Quorsum enim bonis operibus studeant, quibus sufficit vna fides?

Pari ratione conantur plerique eorum per contemplationem volare, & scribunt iam passim libros de tribus personis, de duabus naturis, de vera Christi diuinitate, déque aliis summis fidei nostræ mysteriis, sed interim ita cadunt; vt non tibias tantum, sed etiam caput ad terram allidant. Rari enim admodum sunt apud Lutheranos, qui in libris de Christo editis vel Ebionem, vel Arrium, vel Nestorium, vel Eutychetem non sapiant.

Habent deinde locustæ illud etiam proprium, quod cùm Rege careant; tamen turmatim incedunt. Sic enim legimus in Prouerbijs Salomonis: Regem locusta non habet, & egreditur vniuersa per turmas suas. *Sic etiam Regem Lutherani non habent. Nullum enim esse volunt, qui toti Ecclesiæ cum potestate præsit; neque aliud magis in catholicis reprehendunt, quàm quòd vni omnes obediant, quódque vnum agnoscant Christi in terris Vicarium, Petri Apostoli successorem, Ecclesiæ vniuersæ patrem, & pastorem. Sed licet Rege careant nouæ istæ locustæ breui tamen ita propagatæ, atque auctæ sunt, vt turmatim ingenti agmine progrediantur. Quod quidem nonnulli non mediocriter admirantur. Qui fieri potest (inquiunt) vt doctrina ista noua non sit à Deo, & tamen tot populos, tot prouincias, tot regna tam breui tempore occupauerit? Sed si ita liceat philosophari, magis adhuc mirabimur, cur Mahumeti Alcoranum in magna parte orbis terræ tam facilè obtinuerit.*

Sed nulla est, mihi credite, causa admirationis, cùm & Alcoranum Mahumeti, & Euangelium Lutheri, carni, ac sensibus commodissime accidant. Christi Euangelium, quod res difficillimas ad credendum, & laboriosissimas ad operandum imperat, quódque carni, & sanguini penitus aduersatur, piscatorum opera tam felici progressu in toto orbe terrarum breuissimo tempore disseminatum, receptúmque fuisse. Verè est admirandum, certissimumque diuinæ potentiæ argumentum. At Mahumeti Lutherique doctrinam nihil est mirum, & facilè & in multis locum reperisse. multa enim eáque difficillima fidei nostræ mysteria sustulit, & simul fræna libidinibus laxauit, & omnibus scelestis hominibus aditum patefecit.

Aspicite enim qui sint qui ad Lutheranos plerumque deficiunt. Gulæ addicti ad eos accurrunt; quòd non sint apud eos stata ieiunia: incontinentes; quod apud eos etiam Monachis, & Monialibus matrimonia concedantur, desertores monasteriorum; quod omnia apud eos vota laxentur, omnia claustra referentur, continentia cum coniugio, cum diuitijs paupertas, obedientia cum licentia commutetur. Homines auari, & ambitiosi, quod eis Lutherani non solum opes Ecclesia, sed etiam personas, & ipsam fidem ac religionem inaudita adulatione subiiciant: Itémque otiosi quod Lutheri religio sola fide contenta, opera non requirat. Denique improbi, & scelerati omnes, quod nec peccata sacerdotibus confiteri, nec vlli hominum vitæ suæ rationem reddere teneantur.

Et miramur adhuc si crescat numerus locustarum. Homines enim ita comparati

à natura sunt, vt id facile, & libenter credant, quod cupiunt, quod placet, quod delectat. Non est difficile voluptarijs, & carnalibus hominibus persuadere, Sacerdotes & Monachos coniugio alligari oportere, continentiam esse rem supra vires, ieiunia superuacanea, delectum ciborum superstitiosum. Non est difficile apud auaros excusare vsuras, apud ambitiosos simoniam, apud lasciuos fornicationem.

Legite Euangelium: Audiebant (*inquit S. Lucas*) omnia hæc Pharisæi, qui erant auari deridebant eũ. *Non credebant Pharisæi differenti Domino, ac dicenti:* Non potestis Deo seruire, & Mammonæ. *Quare? quia erant auari, neque à Mammona auelli se patiebantur. Et alio loco ad ambitiosos Dominus:* Quomodo (*inquit*) vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis? *Non miror (inquit) vos non credere, mirarer si credideretis, quando superbia atque ambitio ita oculos vestros excæcauit, vt humilem Christum, & gloriæ cõtemptorem agnoscere non possitis. Accepissent sane Pharisæi libenter Christum, si non crucem, non egestatem, non humilitatem prædicasset, sed primos accubitus in cœnis, primas cathedras in Synagogis, salutationes in foro, denique magnas opes, & clarissimos honores hîc in terris suis sectatoribus attulisset.*

Quæ cum ita sint, nihil est cur quisquam miretur, si tam multi, & tam facile Mahumeto, ac Luthero carnis libertatem prædicantibus manus dederunt. Erant enim vtroque tempore, vt ex historicis cognosci potest, mores hominum Christianorum magna ex parte corruptissimi, sacramenta, religiones, disciplina Ecclesiastica, contemnebantur, conculcabantur, iacebant: florebant verò, ac vigebant, vel potiùs dominabantur, ac regnabant omnia genera vitiorum, vt iam homines sic affecti sanam doctrinam non sustinerent, sed quærerent sibi magistros prurientes auribus. Non fiebant hæretici, quòd nemo esset, qui hæreses prædicaret. Sed iam erant ipsi ad hæresim suscipiendam præparati. Ligna erant arida, atque ad flammam concipiendam idonea. Expectabatur solum qui ignem excitaret, atque subiiceret. Non defuit Satanas muneri suo, ac per Mahumetum in Oriente, per Lutherum in Occidente tantum incendium excitauit, quantum multis annis, & magno labore restingui non poterit. Habemus igitur, cur Locustæ tam subito propagentur, vt per turmas plenis agminibus gradiantur. Videamus nunc, si placet, quibus verbis à Spiritu describantur.

Ait igitur beatus Ioannes, vidisse se in locustis faciem humanam, capillos muliebres, caudam scorpionum, dentes Leonum, caput corona quasi aurea insigne, pectus lorica ferrea communitum: *Atque addit,* Fuisse eas quasi equos paratos ad prælium, & sonitum alarum ipsarum, quasi currus equorum properantium ad certamen; & habuisse Regem suprà se Angelum abyssi, qui dicitur Hebraicè Abaddon, Græcè Apollyon, Latinè Exterminator. *Percurramus breuiter singula.*

Facies humana, blanda, muliebris *designat initium hæreticæ prædicationis. Nihil enim se docturos affirmant, nisi simplicem veritatem, ac purissimum Dei verbum; nolle se aliquid immutare, vel innouare, sed repurgare tantùm nescio quos abusus, ac breuiter doctrinam fidei, & religionem Christianam ad purissimos fontes Euangelij reuocare. Ita nimirum simpliciores alliciunt, sibique audientiam parant.*

Cauda Scorpionis *significat exitum lethiferum, ac venenatum. Nam posteaquam Dei verbum Lutheranus Minister proposuit, continuò illud peruersa interpretatione deprauat, atque ad varios detorquet errores; & eo modo quasi retorta cauda aculeum infigens in audientium mentes lethiferum virus infundit.* Scriptũm est (*inquit*) Bibite ex hoc omnes, perperam igitur, & contra Euangelium faciunt, qui calicem Domini non omnibus præbent. *Agnosco Dei verbum, ac veneror:* Bibite ex hoc omnes. *At bone vir, quo tandem verbo Dei probabis, vocabulum* (omnes) *ad omnes omnino homines, & non ad omnes certi alicuius generis pertinere? Alioqui si ita videtur, demus etiam Turcis, Judæis, Ethnicis, infantibus, morionibus sacrum calicem. Nam & isti inter homines numerantur.* Scriptum est, (*inquit*) Honorabile connubium in omnibus. Ergo in Apostolum peccant, qui connubium in laicis venerantur, in Sacerdotibus, & Monachis reprehendunt. *Sed si ita est, & in omnibus hominibus connubium honorare oportet, honoremus connubium parentis cum filia, fratris cum sorore, aui cum nepte. Quid quod connubium dixit Apostolus, non sacrilegium? Coniugia verò post solennia vota, non connubia, sed sacrilegia à sanctis Patribus nominantur.*

Sed pergamus ad cætera. Dentes Leonum *detractiones sunt, quibus assiduè & literis, & sermonibus Lutherani famam lacerant Monachorum, Sacerdotum, Pontificum, ipsorum etiam sanctorum, qui cum Deo feliciter regnant. Et sanè detractionibus ita delectantur Lutherani, vt eis nutriri, sustentari, ac viuere videantur. Et tam multa dicunt, & scribunt, quæ nec sunt, ne fuerunt, fortasse etiam nunquam erunt, vt videantur omnem penitus sensum pudoris, atque omnem conscientiam exuisse. Certè si ex eorum disputationibus, & concionibus, ex commentarijs, & libris, detractiones detraherentur: sic ab eis tota substantia, & succus omnis abscederet, vt ingentia illa volumina, quibus bibliothecas nunc replent, in pauca folia contrahi possent.*

Corona in capite *locustarum superbia atque arrogantia est. Qua sese Lutherani super omnes efferunt. Extat liber Lutheri ad Ducem Georgium; in eo sic ait:* A tempore Apostolorum nullus Doctor aut Scriptor, nullus Theologus, aut Iurisconsultus tam insigniter, & clarè conscientias secularium statuum confirmauit, instruxit, & consolatus est, sicut ego feci. Per singularem Dei gratiam hoc certò scio, quoniam neque Augustinus, neque Ambrosius, qui tamen in hac re optimi sunt, mihi in hoc æquales sunt. *Et rursus in serm. de euersione Hierusalem:* Tam copiosè (*inquit*) prædicatum est à nobis Euangelium, vt ne Apostolorum quidem tempore tam clarum fuerit. *Quid quod in libro contra Bullam Leonis X. summi*

ſummi Pontificis, audet homo priuatus Pontificem Maximum, cum vniuerſa quæ illi paret Eccleſia excommunicare? Quis vnquam legit, vel audiuit, Epiſcopum à præſbytero, ne dicam ſummum Pontificem à Monacho excommunicari potuiſſe? Exhorruit quondam Chalcedonenſe Concilium Dioſcori audaciam, qui Concilio Epheſino ſecundo, præſidens Leonem primum Pontificem excommunicare præſumpſerat. At quæ comparatio eſſe poteſt inter Dioſcorum Patriarcham ſecundæ ſedis generali Conſilio præſidentem; & Lutherum priuatum Monachum in ſuo cubiculo delirantem? Quid quod non modò Lutherus, & Caluinus nihili faciunt mille Cyprianos, & mille Auguſtinos, ſed etiam quiuis eorum miniſter pro aſinis, & ſtipitibus ducit omnes catholicos?

Erant autem coronæ illæ quaſi aureæ, *id eſt, aureæ videbantur, ſed non erant; ſimulant enim ſe Dei zelo ad ea quæ dicunt incitari, cùm tamen nihil minus, quàm Zelum Dei nouerint. Vel ideò coronæ dicuntur quaſi aureæ, quia magnis ſe nominibus ornant, cùm ſe Prophetas, Euangeliſtas, Helias tertios, Repurgatores doctrinæ, Inſtauratores fidei, ac religionis, appellant: cæterùm ſolo fulgore, ac ſonitu inſignium vocabulorum, cum in re nihil ſubſit, inaniter gloriantur.*

Pectus lorica ferrea armatum *obſtinationem deſignat. Lutherani ſiquidem, ſed magis adhuc Caluiniſtæ, & maxime omnium Anabaptiſtæ ita animum obdurant, atque obfirmant, ita pectus obſtinatione, & pertinacia muniunt, vt quamuis apertiſſimè conuincantur, malint tamen millies mori, quàm ab errore recedere.*

Iam verò ſimilitudo equorum, qui parati videbantur ad bellum, *ſignum eſt audaciæ, ac temeritatis. Si quis Lutherum audiat, putabit omnino ſe Goliath Philiſtæum, vel Thraſonem quempiam audire:* Adeſte (*inquit in aſſertione articulo vigeſimo quinto*) adeſte huc omnes Papiſtæ in vnum: conflate ſtudia veſtra omnia in vnum, ſi fortè poſſitis hoc vinculum diſſoluere. *Et ibidem:* Hanc ratiunculam, *inquit*, neque ſoluunt, neque ſoluent vnquam omnes Papiſtæ in vnum chaos confuſi. *Sed quam temerè glorioſus miles iſta effutierit, Epiſcopus Roffenſis beatiſſimus Martyr oſtendit, qui vincula illa Lutheri iudicio indiſſolubilia, tanquam fila aranearum momento diſſoluit.*

Porrò volantes currus *miram indicant velocitatem, qua noua iſta ſecta inſtar peſtiferæ tabis ſeſe per varias regiones effudit. Nam non contenta Occiduis, & Aquilonaribus regnis, ad Orientem quoque, & Meridiem, ad Græcos, ad Indos, ad ipſum nouum orbem nauigare auſa eſt; quanquam & à Græcis cum ignominia repulſa fuit, & apud Indos non permiſit Dominus, vt veſtigium figere poſſet. Neque enim tam horribile flagellum innocens illa, ac tenera Chriſti Eccleſia merebatur.*

Ad extremum: Regem ſupra ſe locuſtæ habere dicuntur Angelum Abyſſi. *Nam etſi Regem aſpectabilem, & corporalem Locuſtæ non habent, vt ſuprà*

ſupra ex Salomone docuimus; inuiſibili tamen Rege velint nolint, carere non poſſunt. Ipſa eſt enim (*vt ait S. Job*) Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ: *in filijs autem ſuperbiæ principem locum Hæretici tenent.*

Porrò exterminator *dicitur Rex locuſtarum, quòd per nullam vnquam hæreſim, aut perſecutionem Satanas Eccleſiam ita vaſtare, atque ad vltimum exterminium vocare conatus ſit, vt hoc tempore fecit per Lutheranos. Cæteræ hæreſes caput aliquod religionis petebant, ſed ordinem, ac diſciplinam, aliáque vel munimenta, vel ornamenta Eccleſiæ pro viribus conſeruabant. Hæreſis Lutherana partim per ſe, partim per ſuas proles, Confeſſioniſtas, Zuinglianos, Anabaptiſtas, Libertinos, Samoſatenos, Arrianos, Vbiquiſtas, omnia omnino Eccleſiæ bona in ijs locis, vbi graſſari potuit, inſtar ſæuæ grandinis proſtrauit, diſſipauit, perdidit, exterminauit.*

Percurrite mecum cœlum, terras, purgatorium, gehennam. Quid eſt in cœlo? Deus, Chriſtus, Angeli, Beati. Quid in his intactum reliquerunt? planè nihil. Deum ſpoliârunt Trinitate, Chriſtum Deitate, & humanitate; ſanctos homines beatitudine, eoſdem cum Angelis omni cultu, & veneratione.

Ab Eccleſia quæ eſt in terris, quid non abſtulit Lutherana tempeſtas? magnam partem Scripturæ, omnia penè Sacramenta, omnes traditiones, ſacerdotium, ſacrificium, vota, ieiunia, feſtos dies, templa, altaria, reliquias, cruces, imagines, vno verbo monimenta omnia pietatis; leges Eccleſiaſticas, diſciplinam, atque ordinem vniuerſum, populorum erga principes obedientiam, principum erga inferiores poteſtatem, denique omnem modeſtiam, omnem virtutem domus Dei decorem, ac pulchritudinem exterminauit.

Quid iam de Purgatorio dicam? vbi non modò pias illas mentes, viuorum ſuffragiis priuauit, ſed ipſum totum Purgatorium funditus euertere, extinguere, exterminare conata eſt. Sed fortè inferis pepercit? ne ſuo Regi Angelo Abyſſi iniuriam facere videretur. Non ita eſt. Nam etiam inferos veros, & locales multi Lutheranorum negant, & imaginarios neſcio quos inferos ex capite ſuo fingunt. Vera igitur exterminatrix hæreſis hæc dici poteſt, & eo Rege digna, qui Hebraicè Abaddon, Græcè Apollyon, Latinè Exterminator appellatur. Et mirum ſanè eſſet, ſi non etiam Lutherani ipſi hoc exterminium mirarentur, niſi à fumo illo putei planè obcæcati fuiſſent.

Sed vna in tot malis conſolatio eſt. Quod vt Ioannes in eodem loco ſcribit: Locuſtæ iſtæ herbas virides, florentéſque arbores non lædunt: ſed ligna ſolùm arida, atque ad incendium præparata. *Lutherana etenim ſecta cùm tota carnalis ſit, facilè viros bonos, & in quorum animis viret, ac floret religio, & pietas fallere poteſt, & rarò aut nunquam fortaſſè contigit, vt Eccleſiâ Catholica deſerta ad Lutheranos transfugerit, qui non antea corruptè, & perditè inter Catholicos vixerit.*

Cùm areæ ventilari incipiunt, non frumenta, ſed paleæ vento abripiente ſeparantur ab area. Ita prorſus cùm Eccleſia per Ethnicorum perſecutiones, vel

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hæreticorum deceptiones, Deo permittente, cribratur, aut ventilatur à Satana: non viri sancti, & graues, sed improbi, leues, curiosi, lasciui, ab Ecclesia auolantes ad Ethnicos, Hæreticósue transfugiunt, nec fere solet accidere, vt antè circa fidem aliquis naufraget, quàm naufragare cœperit circa mores. Quare vt hoc tempore improba vita gradus quidam est ad hæresim Lutheranam, sic etiam contra pestem eandem antidotum præsentissimum, atque optimum erit innocentia vitæ, & studium operum bonorum.

* * *

* *

PRÆFATIO AD LECTOREM.

NON me fugit, optime lector, non paucos esse, qui mirentur, cur editio huius tertij tomi tam longo tempore dilata fuerit. Sed ij mirari desinent, si causas, quę omnino veræ & multis notæ sunt, huius dilationis attenderint. Nam & opuscula quædam ob varias occasiones non sine magno labore cõficere hoc ipso tempore me oportuit: & aduersa valetudine non semel tentatus, studia remittere, vel etiam penitus intermittere aliquando coactus sum. Nec defuerunt in Vrbe occupationes plurimæ tum publicæ, tum priuatæ, quæ sæpe menses, interdum annos, huic à me instituto operi eripuerunt.

Accessit postremo Gallicana peregrinatio, non minus diuturna, quam periculosa, siquidem in eorum numerum, qui Sixti V. iussu Legatum Apostolicum comitabantur, adscitus, annum integrum & eo amplius, partim in variis itineribus conficiendis, partim in tolerandis obsidionis Parisiensis incommodis ita consumpsi, vt in tanto armorum strepitu vix aliquid commentationi, aut scriptioni operæ & laboris impenderim.

Et quoniam in mentionem huius legationis incidimus, & ego insignium virtutũ Henrici Caëtani Cardinalis & Legati spectator & testis fui, iniuriam posteritati facere me arbitrarer, nisi hoc loco testatum relinquerem, Legatum Caëtanum primariæ nobilitatis virum ea pietatis, sapientiæ, fortitudinis, liberalitatis, comitatis, doctrinæ etiam & ingenij laude toto legationis tempore floruisse, vt vna esset omnium vox, ad ea negocia tot periculis obnoxia, totque difficultatibus implicata, nullũ ab Apostolica sede mitti potuisse hominem aptiorem. Eius certè incredibili animi magnitudini, in summa rerum omnium desperatione, salutem suam debere se Galliarum metropolis Lutetia libenter agnoscit, & prædicat.

Ego vero cùm itinerum laboribus, bellorumque periculis essem aliquando liberatus, retuli me ad opus iampridem institutum: sed non ita pristinas occupationes effugere potui, quin mihi rursus annus alius quasi de manibus elaberetur. Itaque hieme superiore, vt omnino ab occupa-

tionibus cæteris me ſubducerem, ſeceſſi in Tuſculanum, atque in eaſolitudine paucis menſibus tandem perfeci, quod alioqui multis annis perficere non potueram. Tertius igitur hic tomus, quo totum opus concluditur, & abſoluitur, ante quadriennium inchoatus, nunc demum Deo iuuante prodit in lucem.

Quamuis autem controuerſias omnes temporis noſtri complecti, certaque methodo in vnum quaſi corpus conferre voluerim: tamen controuerſiam de Indulgentiis, quæ cæteris omnibus occaſionem dedit, video nondum eſſe tractatam. Nam cum in libris de Pœnitentia ea diſputatio locum habere debuiſſet; & ego rebus aliis impeditus ante nundinas autumnales manum illi extremam imponere nō potuiſſem; malui ſine hac diſputatione tomum illum ſecundum tunc emittere, quàm cum Typographi diſpendio propter vnius libri additionem, vernales nundinas expectare.

Cæterùm ſi Deus vitam mihi paulò longiorem donare dignabitur, & aliquid ocij nactus fuero: in alia totius operis editione non ſolùm librum de Indulgentiis, ſed etiam alia quædam, quæ nonnullis deſiderari videntur, adiungam. Interim his meis laboribus, quales quales ſunt, vnius diuinæ gloriæ, & vtilitatis tuæ cauſa ſuſceptis, pie Lector, vtere, meque apud Deum precibus tuis iuua.

***

APPRO

APPROBATIO.

CVM Tomus hic tertius de fidei Chriſtianæ Controuerſiis, autore R. P. Roberto Bellarmino, Societatis Ieſu, duobus eiuſdem tomis iam anteà optimo conſilio, maximóque cum fructu editis pulcherrimè reſpondeat atque cohæreat, adeóque veram & ſalutarem Catholicæ Eccleſiæ doctrinam aduerſus malè ſanos & peſtiferos veterum ac recentium Sectariorum errores, non minùs eruditè ſolidéque, quàm Tomi illi duo, defendat, confirmet, explicet; non minùs profectò ipſe, quàm illi, lucem & laudem mereri, & adeò dignus eſſe videtur, qui ad Communem Reipub. Chriſtianæ vtilitatem typis vulgetur, & ab omnibus veritatis ſtudioſis perquàm ſtudioſè legatur.

Sic cenſeo ego ALBERTVS HVNGERVS, *S. Theolog. D. Profeſſor, & Procancellarius, atque Theologici Collegij pro tempore Decanus, in Academia Ingolſtadiana.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPVTATIO-
NVM DE CONTRO-
VERSIIS CHRISTIANAE
FIDEI, ADVERSVS NOSTRI
TEMPORIS HÆRETICOS,

Tomus tertius.

CONTROVERSIA
PRIMA GENE-
RALIS.

DE GRATIA GENERI HVMANO
in primo parente collata.

VNICO LIBRO EXPLICATA.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX LIBRORVM TOMI TERTII

Tomus tertius tres habet controuersias generales, Vnam de gratia generi humano in primo parente collata. Alteram de amissione gratiæ, & statu peccati. Tertiam de reparatione gratiæ, per Iesum Christum Dominum nostrum.

Prima Controuersia generalis.

De gratia primi hominis liber vnus.

Secunda Controuersia generalis.

De amissione gratiæ, & statu peccati, libri sex.

Liber I. De definitione, & partitione peccati, vbi etiam de peccato mortali, & veniali.
II. De causa peccati; ac præsertim, an Deus sit causa peccati.
III. De peccato primi hominis.
IV. De propagatione primi peccati.
V. De natura, & ratione peccati originalis.
VI. De pœna, & effectibus eiusdem peccati.

Tertia Controuersia generalis.

De Reparatione gratiæ tres sunt controuersiæ principales: Vna de gratia, & libero arbitrio. Altera de Iustificatione impij. Tertia de bonis operibus, & fructibus iustificatorum.

Prima Controuersia principalis.

De gratia, & libero arbitrio, libri sex.

Liber I. De gratia in genere; id est, de nomine, definitione, & partitione gratiæ.
II. De communicatione gratiæ, & de prædestinatione.
III. De natura liberi arbitrij, actu, subiecto, obiecto, &c.
IV. De viribus liberi arbitrij, & gratiæ necessitate in operibus naturalibus.

V. De

Universidad de Deusto
Biblioteca

V. De viribus liberi arbitrij, & gratiæ neceſsitate in operibus moralibus.
VI. De viribus liberi arbitrij, & gratiæ neceſsitate in operibus ſupernaturalibus.

Secunda Controuerſia principalis.

De Juſtificatione impij libri quinque.

Liber I. De Fide iuſtificante, ſiue de præparatione ad iuſtificationem.
II. De iuſtitia inhærente habituali.
III. De incertitudine, inæqualitate, mutabilitate iuſtitiæ.
IV. De neceſſitate, & veritate iuſtitiæ actualis.
V. De meritis operum bonorum.

Tertia Controuerſia principalis.

De operibus bonis in particulari libri tres.

Liber I. De Oratione.
II. De Ieiunio.
III. De Eleemoſyna.

INDEX
CAPITVM PRIMÆ CONTROVERSIAE,
VNICO LIBRO
EXPLICATÆ.

DE GRATIA PRIMI HOMINIS,

LIBER VNVS.

Cap. I. *Proponitur controuerſia, fuerit nec ne primus homo cum dono aliquo ſupernaturali conditus.*
II. *Hominem non eſſe initio conditum, qualis nunc naſcitur, ſed multò feliciorem.*
III. *Primum hominem gratiam gratum facientem in creatione accepiſſe.*
IV. *Non eguiſſe primum hominem in ſtatu innocentiæ auxilio ſpeciali, quo excitaretur ad bene operandum, vel ad vitanda peccata.*
V. *Supernaturale donum fuiſſe rectitudinem, quam primus homo in creatione accepit.*
VI. *Probatur veritas quartæ propoſitionis.*
VII. *Refelluntur argumenta contra ſuperiorem ſententiam.*
VIII. *Adamum eiuſque poſteros nequaquam mori potuiſſe, niſi peccaſſent.*
IX. *Immortalitatem primi hominis ſupernaturalem fuiſſe, non naturalem.*
X. *Paradiſum, terreſtrem corporalemque fuiſſe, in quo Adam in ſtatu innocentiæ habitauit.*
XI. *Soluuntur obiectiones.*
XII. *Locum terreſtris paradiſi à cognitione humana remotiſſimum eſſe.*
XIII. *Soluuntur obiectiones.*
XIV. *Paradiſum adhuc ſupereſſe.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX CAPITVM PRIMÆ CONTROVERSIÆ.

XV. *In Paradiso non solum homines in statu innocentiæ, sed etiam animantia rationis expertia habitatura fuisse.*

XVI. *Cherubim custodientia Paradisum, non spectra aliqua, sed veros sanctósque Angelos fuisse.*

XVII. *Cur diceretur lignum quoddam, arbor scientiæ boni & mali.*

XVIII. *Lignum vitæ perfectam immortalitatem adferre potuisse.*

XIX. *Soluuntur obiectiones.*

DE GRATIA PRIMI HOMINIS,

LIBER VNVS.

CAPVT PRIMVM.

Proponitur controuersia fuerit nec ne primus homo cum dono aliquo supernaturali conditus.

CVM in hac postrema nostri operis parte de gratia humano generi in primo nostro parente collata: deque eius gratiæ per peccatum eiusdē primi hominis amissione: ac demum de gratiæ per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum reparatione propositum nobis sit (Deo benè iuuante) disserere: ratio ordinis postulat, vt ab eo quod primo loco positum est, disputandi principium faciamus. A

Igitur de gratia primi hominis disputaturus, ac de gratia triplici, videlicet de gratia ANIMÆ, quæ dicitur iustitia originalis: de gratia CORPORIS, id est, de corporis immortalitate: & de gratia LOCI, hoc est, de Paradiso: ab ea quæstione ducemus exordium, quæ naturæ ordine cæteras antecedit. Est autem ea quæstio, Vtrum primus homo cum dono aliquo supernaturali cōditus fuerit. In qua quæstione, ex vno eodémque principio Pelagiani, ac Lutherani in contrarias, pugnantésque sententias abierunt. B

PELAGIANI enim, cum in primo homine nullum supernaturale donum, sed naturales tantùm facultates agnoscerent, & simul animaduerterent, nihil in homine nunc desiderari, quod ad naturam humanam cōstituendam requiratur: in eam sententiam venerunt, vt existimarent per Adami peccatum nihil omninò homines per didisse, talémque nunc quoque humanam esse naturam, qualem initiò primus homo de manu conditoris acceperat. C

Contra LVTHERANI cùm pro comperto habeant, hominem per lapsum primi parentis factum esse deteriorem, & cùm nulla supernaturalia dona (in quo cum Pelagianis conueniunt) in primo homine fuisse contendant, eò venire compulsi sunt, vt dicant aliquid naturale quale in primis est liberum arbitrium, naturæ hominis nunc deesse. D

Porrò CATHOLICI Doctores, qui multis supernaturalibus donis primum nostrum parentem initio creationis ornatum fuisse non dubitant, duos illos errores sine vlla difficultate declinant. Docent enim per Adę peccatum totum hominem verè deteriorem esse factum: & tamen nec liberum arbitrium, neque alia naturalia dona, sed solùm supernaturalia perdidisse.

Erroris Pelagianorum testis est S. Augustinus, qui tum in lib. de hæres. cap. 88. tum apertius in epist. 106. ad Paulinum scribit, sensisse Pelagianos talem omninò cōditum fuisse primum hominem, quales nunc cæteros homines nasci videmus. nasci autem nunc homines sine vllis supernaturalibus donis extra controuersiam est.

In eodem principio cum Pelagianis conuenire Lutheranos, cæterósque huius temporis hæreticos facilè demonstrabimus. Ioannes enim Caluinus in primo lib. Instit. cap. 15. §. 8. describens primi hominis conditionem, nullam mentionem facit supernaturalium donorum, in eóque ponit discrimen inter naturam humanam, qualis initio fuit, & qualis nūc est, quod initiò habuerit liberum arbitriū, nunc eo careat. *Ergo*, inquit, *animam hominis Deus mente instruxit, qua bonum à malo, iustum ab iniusto discerneret: ac quid sequendum, vel fugiendum sit, præeunte rationis luce videret. Huic adiunxit voluntatem, penes quam est electio. His præclaris dotibus excelluit prima hominis conditio.* Et paulò pòst: *In hac integritate libero arbitrio pollebat homo, quo, si vellet, adipisci posset vitam æternam.*

Hanc autem integritatem fuisse primo homini naturalem, declarat idem Caluinus in verbis sequentibus, vbi describit eiusdem primi hominis lapsum: *Hinc tanta*, inquit, *Philosophis obiecta caligo, quod in ruina ædificium, & in dissipatione aptas iunctiuras quærebat. Principium illud tenebant, non fore hominem rationale animal, nisi inesset libera boni & mali electio. Veniebat etiam illis in mentē, alioqui tolli discrimen inter virtutes, & vitia: nisi proprio consilio vitam homo institueret. Probè quidem hactenus, si nulla fuisset in homine mutatio, quæ dum ipsos latuit, nihil mirum si cœlum terræ misceant, qui vero Christi se discipuli esse professi, in homine perdito, & in spirituale exitium demerso, liberum arbitrium adhuc quærunt, inter Philosophorum placita, & cœlestem doctrinam partiendo planè desipiunt, vt nec cœlum nec terram attingant.* Quibus verbis dum fatetur Caluinus rectè à Philosophis indicatum esse non fore hominem rationale animal, nisi inesset libera boni & mali electio: satis apertè significat, ad naturam hominis pertinere, vt insit in eo libertas arbitrij quemadmodum ad naturam eiusdem hominis pertinet, vt sit animal rationale. Quare cùm mutationem, quæ per peccatum facta est, Caluinus in liberi arbitrij amissione constituat, efficitur vt integritatem illam, in qua pri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus homo conditus fuit, omninò naturalem fuisse Calvinus affirmet.

Sed multò adhuc apertiùs Martinus Lutherus rē eandem asseruit in commētario ad tertium caput Geneseos. Differens enim de originali iustitia primi hominis, ita concludit: *Quare statuamus institiam non fuisse quoddam donum, quod ab extra accederet, separatum a natura hominis, sed fuisse veré naturalem, vt natura Adæ esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum, hæc tam naturalia fuêre in Adamo, quam naturale est, quod oculi lumen recipiunt.* Et infrà: *Porrò*, inquit, *hæc probant, originalem iustitiam esse de natura hominis, ea autem per peccatum amissa, non manssisse integra naturalia, vt Scholastici deliránt.*

Neque opus erit in aliorum hæreticorum sentētiis referēdis laborare, tum quod Lutherum, vel Caluinum penè omnes pro summis doctoribus habeant, tum etiam quoniam quotquot sunt ab Ecclesia Catholica ob Lutheri dogmata separati, luctam illam carnis ac spiritus, quā omnes experimur, verè propriéq; peccatum esse definiunt, quamuis homo sit iustus, & concupiscentiæ motibus strenuè repugnet. Ex eo verò id sequitur, vt non potuerit homo ex eorum sententia talis initiò cōdi, qualis nunc nascitur: quia videlicet semper ac necessariò ex ipsa sui institutione peccaret, ac per hoc eius peccata in auctorem naturę Deum refunderentur. Originalis igitur iustitia, quæ rebellionē illam carnis coërcebat ex aduersariorum sententia, ad naturalē hominis constitutionem, non ad dona supernaturalia pertinebat. Huc etiam referri debent articuli quidam ante paucos annos à duobus summis Pontificibus damnati, Pio V. & Gregorio XIII. Sic enim habet articulus 21. *Humana naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium diuinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis: ac proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis.* Et articulus 26. ita se habet: *Integritas primæ conditionis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis eius conditio.*

CAPVT SECVNDVM.

Hominem non esse initiò conditum, qualis nunc nascitur, sed multò feliciorem.

NVNC aduersus contrarios illos errores, quatuor propositiones adferre, ac probare decreuimus.

PRIMA propositio, Homo non fuit creatus qualis nunc nascitur, pronus ad malum infirmus, ignorans: sed rectus, iustus, sapiens, sine concupiscentia, & difficultate, quam ipsi in nobis assiduè experimur.

SECVNDA. Primus homo non quamlibet animi rectitudinem, sed ipsam etiam gratiam gratum facientem in creatione accepit.

TERTIA. Primus homo iustitia originali, & habitu gratiæ gratum facientis ornatus non eguit auxilio illo speciali, quo excitaretur ad benè operandum, vel ad vitanda peccata.

QVARTA. Integritas illa cum qua primus homo conditus fuit, & sine qua post eius lapsum homines omnes nascuntur, non fuit naturalis eius conditio, sed supernaturalis, euectio.

PRIMA igitur propositio, quæ aduersus Pelagianorū errorem pugnat, ex diuinis literis satis apertè colligitur. Nam quod legimus in primo capite Geneseos, *Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam*, communis expositio Patrum, ita accipiendum esse docet, vt imago ad naturam intelligentiæ, & voluntatis, similitudo ad sapientiam, & iustitiam referatur. Ex quo sequitur vt primus homo non solam naturā in creatione acceperit, cum qua nunc etiam homines nasci videmus, sed etiam ornamenta quædam sapientiæ, & iustitiæ, quibus sine dubitatione caremus. Sed Patrum sententias audiamus.

S. IRENÆVS lib. 5. aduersus hæreses, cap. 6. *Si defuerit*, inquit, *animæ spiritus, animalis est vere, qui est talis, & carnalis derelictus imperfectus erit, imaginem habens in plasmate, similitudinem verò non assumens per Spiritum.*

S. CYPRIANVS in sermone de bono patientiæ, nō procul ab initio: *Sic*, inquit, *perfectos dixit fieri filios Dei, sic consummari ostendit, & docuit cœlesti natiuitate reparatos. si patientia Dei Patris maneat in nobis, si similitudo diuina, quam peccato Adam perdiderat, manifestetur, & luceat in actibus nostris.*

S. AMBROSIVS in libro de dignitate conditionis humanæ, capite secundo, docet, imaginem Dei sitam esse in natura trium facultatum animæ rationalis, memoriæ, intelligentiæ, voluntatis. Deinde capite tertio docet, similitudinem in iustitia, & probitate consistere: *Quæ virtutes*, inquit, *quanto plus quisque in se ipse habet, tanto propius est Deo, & maiorem sui conditoris similitudinem gerit.*

S. BASILIVS homilia decima Examer. quærit, cur Moses, cùm dixit, Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: adiungat continuò, & creauit Deus hominem ad imaginem suam, & nihil dicat de similitudine. Respondet, huius rei caussam esse, Quoniam imago, quæ est ipsa natura mentis, & voluntatis à solo Deo fieri potuit: Similitudo autem, quæ in virtute, & probitate consistit, à nobis quoque, Deo iuuante, perficitur. Ac inter alia de differentia imaginis, & similitudinis ita loquitur: *Per imaginem animæ impressam meæ, obtinui rationis vsum: verum Christianus effectus, vtique similis efficior Deo.*

S. HIERONYMVS in Commentario ad cap. 28. Ezechielis, explicans illud, Tu signaculum similitudinis: *Et notandum* inquit, *quod imago tunc facta sit tantum, similitudo in Baptismate compleatur.* Quæ verba non sic accipienda sunt, quasi in ipsa creatione non acceperimus in primo nostro parente similitudinem Dei. Id enim contrarium esset Scripturæ, quæ dicit, *ad similitudinem Dei creauit illum*, Geneseos quinto, & ipsius etiam Hieronymi sententiæ repugnaret, qui paulò superius dixerat hominem per CHRISTVM recipere similitudinem, quam vitio suo antè perdiderat. Itaque in verbis citatis significare voluit, nos ex prima creatione imaginem solùm habere, quæ vt ipse idem docet in epistola ad Damasum de filio prodigo, in natura liberi arbitrij potissimùm sita est, similitudinem autem non ex prima creatione, sed ex Baptismi regeneratione percipere. Nam tametsi Adam initiò illam habuerat, tamen peccando, & sibi, & nobis amiserat.

S. IOANNES CHRYSOSTOMVS homilia nona in Genesin: *Sicut*, inquit, *imaginem dixit ob principatus rationem, ita & similitudinem, vt pro viribus humanis similes fiamus Deo, mansuetudine, inquam, & lenitate, & virtutibus Deo similes efficiamur, quod & Christus dicit, Similes estote Patri vestro, qui in cœlis est.*

S. AVGVSTINVS in lib. contra Adimantum, capite quinto: *Filij* inquit, *Dei sunt homines renouati ad eius imaginem, & similes facti vsque ad dilectionem inimici.* Quo loco sanctus Augustinus similitudinem in virtute ponit. Dicit verò hominem renouari ad imaginem, non quod imago perierit, sed quia deformata per peccatum, & obscurata fuerat amissa perfectione, quæ illi ex virtutibus accedebat: quam perfectionem imaginis, similitudinem appellamus.

EVCHERIVS libro primo in Genesim. *Inter similitudinem*, inquit, *& imaginem hoc interest. Imago Dei, omnium: similitudo paucorum. Hic namque imago ab excellentia diuinæ similitudinis distat, quod imago Dei anima peccatrix esse non desinit: ad Dei autem similitudinem nisi anima sancta fuerit, non peruenit, quia illa anima creata est per naturam, hæc dabitur conformari per gratiam.*

S. IOA

S. IOANNES DAMASCENVS lib. 2. de fide ortho doxa, cap. 12. *His* inquit, *verbis, ad imaginem, vis intelligendi, arbitrij, & libertas significatur: his autem ad similitudinem, virtutis quoad eius fieri potest, expressa similitudo.*

S. BERNARDVS serm. 1. de Annunciatione, *Ad imaginem* inquit, *& similitudinem Dei factus est homo, in imagine, arbitrij libertatem, virtutes, habens in similitudine. Et similitudo quidem periit, verum tamen in imagine pertransit homo. Imago siquidem in gehenna vri potest, non exuri: ardere, sed non deleri. Similitudo non sic. Sed aut manet in bono, aut si peccauerit anima, mutatur miserabiliter iumentis insipientibus similata.* Similia habet idem auctor in tractatu de gratia, & libero arbitrio. Ex his igitur tot Patrum testimoniis cogimur admittere non esse omninò idem imaginem, & similitudinem, sed imaginem ad naturam, similitudinem ad virtutes pertinere: proinde Adamum peccando non imaginem Dei, sed similitudinem perdidisse, & quia nunc homines nascuntur Adamo similes in eo quod erat cùm filios gigneret post peccatum, nō in eo quod fuerat ante peccatum: propterea rectè concludimus, non fuisse primum hominem creatum quales nunc homines nascuntur, sed conditionis longè melioris, & felicioris.

Deinde Genes. 2. legimus de primis nostris parētibus: *Erant autem ambo nudi, & non erubescebant.* Huius rei caussam Patres assignant, quod primi nostri parentes ante peccatum carerent pudēda illa rebellione membrorum, ob quam nunc erubescimus, si nudi conspiciamur.

S. AVGVSTINVS lib. 14. de ciu. Dei, ca. 17. *Sicut* inquit, *scriptum est, nudi erant, & non confundebantur: non quod eis sua nuditas esset incognita, sed turpis nuditas nondum erat, quia nondum libido membra illa præter arbitrium commouebat: nondum ad hominis inobedientium redarguendam suā inobedientia caro quodammodo testimonium perhibebat.*

S. BERNARDVS ser. 1. de Annunciat. *Nonne*, inquit, *contrariam legem membrorum in membris suis, quos de nouo pudore cœperat nuditatis?* Neque his dissimilia scribunt Chrysostomus, Eucherius, Rupertus & alij in commentario secundi capitis libri Geneseos, Gregorius Nazianzenus orat. 2. de Pascha, & Cyrillus Alexandrin. lib. 3. in Iulianū. Huc etiam pertinet illud Apostoli Roman. 7. *Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Vocat enim peccatum rebellionem carnis, quia ex peccato nata fuerat. Ex quo sequitur vt Adam ante peccatum rebellione illa caruerit, sine qua nullus iam hominum nascitur. Præterea, *creauit Deus initio hominem rectum*, vt legimus Ecclesiastæ 7. *& secundum se vestiuit illum virtute.* Ecclesiastici 17. Nunc autem *sumus natura filij iræ*, vt ait Apostolus ad Ephes. 2. non igitur tales nunc nascimur, qualis initiò primus homo conditus fuerat. Ad hæc, *Fecit Deus hominem exterminabilem.* Sapient. 2. & ideo ad præcepti custodiam pœnam illam comminatus fuerat, *Quacunque die comederis, morte morieris*, Gen. 2. Quare cùm nunc ex ipso ortu mortis debitum circumferamus, neq; vllus sit, qui mortis imperium effugere queat, certè sequitur longè deterioris conditionis esse hominum propagationem, quàm fuerit prima creatio.

Denique planè felicē fuisse vitā duorum illorū hominū, qui paradisum voluptatis ante peccatū securi incolebant breuiter indicat Scriptura diuina in secundo capite libri Geneseos, quod paulò fusius his verbis explicat S. Augustinus libr. 14. de ciuit. Dei, cap. 10. *Quid*, inquit, *timere vel dolere poterant illi homines in tantarum affluentia bonorum, vbi nec mors metuebatur, nec vlla corporis mala valetudo, nec aberat quicquam quod bona voluntas adipisceretur, nec inerat quod carne, animúm-ue hominis feliciter viuentis offenderet?* Et infra: *Quam felices erant primi homines, & nullis agitabatur perturbationibus animorum: nullis corporum lædebantur incommodis: tam felix vniuersa societas esset humana, si nec illis malum, quod in posteros trauicerent, nec quisquam ex eorum stirpe iniquitatem committeret, qua damnationem reciperet.* Vide copiosio-

rem descriptionem felicitatis primorum hominum apud Prosperum in 2. lib. de vita contemplatiua, ca. 18. At nūc tantam experimur omnes corporis animiq; miseriam, vt Apostolus exclamet Rom. 7. *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius.* Et ante eum Ecclesiasticus c. 40. *Graue iugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum vsque in diem sepulturæ in matrem omnium.* Et Iob adhuc antiquior: *Homo* (inquit c. 14.) *natus de muliere, breui viuens tempore repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet.* Vide plura de hac re in 3. lib. de peccato originali, vbi differimus de pœna, & consequentibus malis peccati originalis.

CAPVT TERTIVM.

Primum hominem gratiam gratum facientem in creatione accepisse.

SEQVITVR nunc altera Propositio: *Primus homo non quamlibet animi rectitudinem, sed ipsam etiam gratiam gratum facientē in creatione accepit.* Non desunt quidem Theologi, qui iustitiam originalem primo parenti in creatione concessam separent à gratia gratum faciente, ac doceant accepisse Adamum initiò habitum quendam, qui partem inferiorē superiori subiiceret, non tamen accepisse gratiam illam gratum facientem, quæ filios & amicos Dei efficit, queq; ad vitā æternam promerendam necessaria est. In qua sententia videtur fuisse Petrus Lomb. in 2. lib. Sent. dist. 24. & qui eum sequitur, Ioan. Scotus, & alij quidam. Nos Albertum Magnum in comment. eiusdem dist. & S. Thom. 1. part. q. 95. art. 1. & alios sequimur, qui iustitiam originalem cum gratia gratū faciente, ita coniungunt, vt obedientia partis inferioris ad superiorē, à gratia gratum faciente, quæ partem superiorem Deo obsequentem reddebat, veluti à fonte, & radice dependeat, siue autē gratia gratum faciens dicenda sit pars originalis iustitiæ, siue tantum radix, & causa, nō multum referre videtur. Quare id solùm probare aggrediemur, primum parentem nostrum cum gratia gratum faciente conditum fuisse.

Ac primùm diuinæ literæ satis apertè hoc indicant, cū dicunt nos per Christum renouari ad eam iustitiam, in qua initiò conditi sumus: *Renouamini* (inquit Apostolus ad Eph. 4.) *spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.* Qui renouari iubetur, fuit aliquando nouus: quod si renouatio consistit in eo vt induamus hominem Christo similem, creatum secundùm Deum in iustitia, & sanctitate veritatis: fuimus igitur aliquando, videlicet in primo nostro parente, homines noui, conditi secundùm Deum in iustitia, & sanctitate veritatis. Dicit autem B. Paulus, Renouamini spiritu mentis vestræ, tum vt intelligamus in Adamo non solam carnem sed etiam mentem nostram fuisse vitiatam per amissionem gratiæ: tum quia non renouamur in hoc mundo ad eam innocētiam, quæ fuit in carne primi hominis, sed solùm ad eam quæ fuit in mente, expectantes interim redemptionem corporis nostri, vt idem Apostolus ait ad Rom. 8.

Similis locus est in epi. ad Colos. c. 3. *Nolite* (Inquit B. Paulus) *mentiri inuicem, exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem, secundum imaginem eius qui creauit illum.* Homo qui renouatur in agnitionem secundū imaginem Dei, ad quam initiò conditus fuerat, animus noster est, qui per Christi gratiam quotidie proficit in agnitione Dei, & sanctitate, ac iustitia, & eo modo renouatur in eo diuina imago, quę per peccatum obscurata fuerat. Ex quo sequitur vt ante vetustatem, & obscurationem istam, fuerit in homine agnitio Dei, & sanctitas, atq; adeò noua, & splendidissima Dei imago. Neque absimilis est locus ille ex posteriore

Universidad de Deusto
Biblioteca

epistola ad Corinth.ca.4. *Sed licet,is qui foris est noster homo corrumpitur: tamen is qui intus est renouatur de die in diem.*

PRÆTER, hæc testimonia Scripturæ diuinæ, habemus testimonium Concilij II. Arausicani, canone 19. in hæc verba: *Natura humana etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsam creatore suo non adiuuante, seruaret: vnde cùm sine gratia Dei salutem non possit custodire,quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?* Ex quo loco colligimus,nos cum per Christi gratiam iustificamur id reparare,quod in Adamo perdidimus: reparamus autem gratiam gratum facientem, qua filij Dei per adoptionem efficimur:hanc igitur gratiam perdidimus in Adamo.

CONCILIVM Trident.sess. 5. in decret.de peccato originis, sic ait:*Si quis non confitetur primum hominem Adam, cùm mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem,& iustitiam,in qua constitutus fuerat, amisisse, &c.anathema sit.* Et paulo infrà: *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli,& non eius propagini asserit nocuisse,& acceptam a Deo sanctitatem,& iustitiam, quam perdidit,sibi soli,& non nobis etiam eum perdidisse,&c.anathema sit.* Fuit igitur Adam in paradiso non solùm iustus, sed etiam sanctus: Sanctos autem non facit, nisi Spiritus sanctus per gratiam inhabitans corda hominũ, vt sanctus Basilius docet in libro de Spiritu sancto ad Amphilochium, ca. 16. Quare habuit Adam in paradiso Spiritum sanctum inhabitantem. Accedant nunc testimonia veterum Patrum.

S. IRENÆVS lib.3.contra hæreses,c.37. Adamum ita loquentem inducit:*Quoniam eam quam habui à Spiritu sanctitatis stolam amisi per inobedientiam,&c.* Et in eodem li. cap.20.antea dixerat: *Vt quod perdideramus in Adã, in Christo Iesu recuperamus.* Stola sanctitatis à Spiritu sancto accepta non videtur aliud significare posse, nisi gratiam, quæ infunditur in cordibus per Spiritum sanctum,præsertim cùm hæc sit sanctitas, quam per CHRISTVM recuperamus.Et Irenæo teste,id recuperamus per Christum,quod perdidimus in Adamo.

S.CYPRIANVS ser.3.qui est de bono patiẽtiæ: *Adã,* inquit, *contra præceptum cælestis cibi lethalis impatiens in mortem cecidit,nec acceptam diuinitus gratiam patientia custode seruauit.* Idem in epistola ad Pompeium exponit illa verba Geneseos, *Inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ*, de gratia Spiritus sancti, à Deo in animam primi parentis infusa. Quemadmodum etiam ante ipsum eumdem locum exposuerat S.Irenæus lib. 5 contra hæreses.

S. BASILIVS homil. in psalm. 28. explicans illud: *Homo cùm in honore esset,&c.Insipiens*, inquit,*in faciem,hoc est propriæ gratiæ partem aliquam hominis immisit, vt per simile simile cognoscat* Idẽ in li. de Spiritu sãcto ad Amphilochiũ, cap.15.*Per Spiritum sanctum*,inquit, *contingit restitutio in paradisum, reditus in adoptionem filiorum, &c.* Fuimus igitur ante peccatum Adæ (Sancto Basilio teste) filij Dei per adoptionem. Et homil. Quod Deus non sit auctor malorum,de Adamo sic loquitur. *Quod vero erat ei præcipuum bonum? assessio Dei, & coniunctio per dilectionem, &c.* Vide totum hunc locum.

S. AMBROSIVS lib.6.Exame. ca.7.vbi cùm multa dixisset de imagine gratiæ, ac inter cætera docuisset secundum hanc imaginem animã nitere gratia virtutum, & luce pietatis, sapientiæ atque iustitiæ, subiungit:*Secundum hanc imaginem Adã ante peccatum,sed vbi lapsus est, deposuit imaginẽ cælestis,sumpsit terrestris effigiem.* Idem lib.7. in Lucam,cap.47. explicans parabolam Samaritani: *Qui sunt*, inquit, *hi latrones, nisi Angeli noctis, & tenebrarum? Hi ante despoliant quæ accepimus indumenta gratiæ spiritalis,& sic vulnera inferre consueuerunt. Caue ergo ne ante nuderis sicut Adam ante nudatus est.* Habuit igitur Adam ante peccatum indumenta gratiæ spiritalis.

S. GREGORIVS NAZIANZENVS in oratione de pascha, enarrans primi hominis creationẽ dicit eum fuisse angelum terrestrem, & eundem spiritum, & carnem,spiritum propter gratiam,& vt cum Deo maneret, ac benefactorem glorificaret.

S. IOANNES Chrysostomus homil. 16. in Gen. *videns igitur*,inquit,*super terram angelum terrestrem, & inuidia tabescens dæmon malorum auctor,magna vsus est machinatione, vt & hominem gratia Dei priuare, & ingratum factum tantis bonis per diuinam bonitatem ipsi concessis nudare posset.*

S. AVGVSTINVS. lib. de correptione & gratia, c. 11.*Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam?immo verò habuit magnam,sed disparem:* Et infrà: *Nec ipsum Deus esse voluit sine sua gratia, quem reliquit in eius libero arbitrio.* Et lib. 11. de Gen. c. 32. & lib.13 de ciu.Dei, c.13. *Mox*,inquit,*vt præceptum transgressi sunt, intrinsecus gratia deserente omnino nudati in sua membra oculos iniecerunt.* Quod autem idem sanctus Augustinus scribit libro de correptione, & gratia, capite decimo sic Deum condidisse Angelos,& primum hominem,vt prius in eis ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium,deinde quid posset suæ gratiæ beneficium,iustitiæque iudicium: non significat, Angelos,& primum hominem initio,sine gratia Dei fuisse (contrarium enim habetur capite sequenti) sed sensus eorum verborum est, primùm voluisse Deum ostendi in Angelis,& Adamo quid posset liberum arbitrium, gratia quidem adiutum,sed in gratia non confirmatũ:deinde quid posset gratiæ beneficium in iis,qui confirmãtur in bono per beatitudinem:quidue iustitiæ iudicium in obstinatis, atque ad inferos condemnatis.

S. CYRILLVS lib. 2. in Ioannem,c. 3. *Fuit*, inquit, *Adam in paradiso, qui vsque gratiam creatoris Spiritu sancto inhabitante seruauit.* Vide eundem lib. 1.cap.15.lib.11.ca. 25. libr. 12 cap. 56. & in lib. de adoratione in Spiritu ante medium.

S. LEO Papa serm. 1. de ieiunio decimi mensis, *Ad quam*,inquit. *quotidie nos vtique reparat gratia Saluatoris,dum quod cecidit in Adam primo,rigitur in secundo.*

S. GREGORIVS lib.5.epist.14.& libr.6 epistola. 31. affirmat animam Adæ statim atque peccauit mortuam esse,nimirum priuatione gratiæ.Sic enim ipse se declarat cùm ait:*Non est eius anima ita mortua,vt non esset, sed vt beata non esset.* Intelligit autem de beatitudine inchoata per gratiam non consummata per gloriam, nam subiungit continuo: *Qui tamen Adam postmodum per pœnitentiam ad vitam rediit*: Vbi idem significat per vitam, quod paulò ante per beatitudinem:neque dubitari potest, quin post pœnitentiam fuerit Adam beatus beatitudine gratiæ non gloriæ. Quod idem colligimus ex verbis superioribus, vbi sanctus Gregorius dicit, nos mortuos esse cum Adamo, & nunc quidem per Christum liberari à morte animæ,postmodum autem liberandos etiam esse à morte corporis.

Ex his intelligi potest, auctorem quæstionum noui, ac veteris testamenti non solum non esse sanctum Augustinum, vt in titulo eius libri scribitur,sed neque esse hominem Catholicum,tametsi sanctus Thomas in prima parte, quæst.95. articulo 1.ad 2. piè eum interpretari conetur.Nam is auctor in quæstione 123.disertis verbis refellit eos, qui dicunt Adamum accepisse Spiritum sanctum, & filium Dei fuisse per adoptionem, & eam adoptionem per ipsius Adami inobedientiam perditam, nos per Christi obedientiam ac merita recuperare.Quæ sententia non est, vt ille auctor dicit, Patrum quorundam simplicium, sed Patrum doctissimorum, cùm Græcorum,tum Latinorum,& ex Apostolo,vt suprà ostendimus, satis apertè colligitur. Neque in hac re solùm auctor ille errauisse conuincitur, sed in aliis etiam plurimis. Siquidem quæstione secunda scribit, mundum à Deo conditum ob diaboli præsumptionem, quæsti. 21. scribit, fœminam non esse creatam ad imaginem Dei,quæstione 43.scribit,Iephte nullum habere iustitiæ testimo-

testimonium, cùm tamen habeat tam præclarum apud Apostolum ad Hebræos 11.quæstione 109. scribit, Melchisedech esse Spiritum sanctum, & Sacerdotem, non tamen summum.Quam sententiam reprehendit sanctus Hieronymus in epist.ad Euagrium de Melchisedech, vbi admonet auctorem eius operis, in quo asseritur Melchisedech esse Spiritum sanctum, esse imperitum scientia, & sermone. Est autem valdè probabile hunc ipsum, de quo agimus,illum esse,quem sanctus Hieronymus reprehẽdit. Fuit enim hîc auctor paulò antiquior sancto Hieronymo, quippè qui quæstione quadragesimaquarta testatur fluxisse ab excidio Hierosolimæ vsque ad sua tempora annos circiter trecentos: & verè imperitum se prodit scientia,& sermone.

At non sine testimonio Scripturæ affirmat auctor ille, Adamum Spiritu sancto caruisse. Scribit enim Apostolus in epistola priore ad Corinthios, cap.15.*Primum hominem*, id est Adamum, *factum in animam viuentem, secundum*, id est Christum: *in spiritum viuificantem.* RESPONDEO, Apostolum eo loco conferre corpus recens formatum Adami, quod animale erat, cibóque ac potu, vt sustentaretur egebat,cũ corpore Christi glorioso post resurrectionem, quod spirituale dici poterat, cùm nec fami, nec siti,nec vlli corporali necessitati, aut indigentiæ subiacerer. Differit enim eo loco B. Paulus de resurrectione corporum, ac dicit prius esse corpus animale, deinde corpus spirituale, ac de corpore animali exponit illa verba Geneseos, Factus est homo in animam viuentem, de corpore spirituali, adiungit ipse, secundus homo factus est in spiritum viuificantem. Et hæc est expositio Chrysostomi, Theophilacti, Ambrosij, Anselmi, Thomæ, & aliorum in commentario eius loci, & sancti Augustini in epistola 146. & libro 13. de ciuitate Dei, capite 2.& 23.quamuis autem corpus Adami in paradiso animale fuerit, potuit tamen animus eius spiritualis esse,vt re vera fuit per Spiritum sanctum in eius pectore habitantem.

CAPVT QVARTVM.

Non eguisse primum hominem in statu innocentiæ auxilio speciali, quo excitaretur ad bene operandum, vel ad vitanda peccata.

VTMELIVS intelligatur qualis fuerit gratia primi hominis in statu innocentiæ, sit propositio tertia: *Primus homo iustitia originali, & habitu gratiæ gratum facientis ornatus non eguit auxilio speciali quo excitaretur ad bene operandum, vel ad vitanda peccata.* Hæc propositio sic explicatur.Quatuor dona Dei possunt in homine cõsiderari. PRIMVM est habitus gratiæ naturam perficiẽs, vt pars inferior superiori,& superior Deo subiecta maneat. SECVNDVM conseruatio eius habitus, est enim cõmune omnibus rebus creatis, vt permanere non possint, nisi Dei cum homine per auxiliũ generale in operibus naturalibus,& speciale in supernaturalibus.Neque enim possunt secundæ causæ operari, nisi cooperãte cum eis prima causa.QVARTVM est motio quædã Dei per auxilium excitans, quæ facit hominem vti prioribus donis. Priora enim tria dona non præstant homini,vt operetur, sed tantùm vt possit operari,si velit;quartum autem donum facit hominẽ velle,& operari. Id quod explicat sanctus Augustinus in libro de correptione & gratia, cap. 12.& libro 14. de ciuitate Dei, capite vigesimo septimo, per similitudinem alimentorum. Sicut enim qui præbet homini cibos,& relinquit in eius arbitrio, vt comedat,si velit,non præstat ei,vt viuat, sed vt possit vivere si velit:qui verò non solùm alicui cibos præber,sed etiam ipsos in os eius infundit,is nó tantum præstat posse viuere, sed etiam viuere: sic & Deus per habitum gratiæ infusum, & eius habitus conseruationem, & per hoc quod promptus est ad cooperandum, dat homini posse benè operari si velit, non tamen dat velle; at speciali illa motione & excitatione vti faciens habitu gratiæ, dat velle, & operari.

Iam igitur primus homo habuit tria priora dona quarto non eguit, neque illud habuit. nos post lapsum eius indigemus omnibus,& omnia de Dei benignitate per CHRISTI merita obtinemus. Ratio huius discriminis est, quia primum donum in Adamo non solùm mentem subiiciebat Deo, sed etiam carnem spiritui, vt suprà diximus, proinde non impediebatur, nec retardabatur Adam à bono opere, neque ad peccandum incitabatur per carnalem concupiscentiam: in nobis autem primum illud donum mentem subiicit Deo, sed non carnem spiritui, ideo propter carnales illecebras, quæ assiduè vel incitant ad peccandum, vel à bono retardant,desidésque ac dormitantes efficiunt, egemus auxilio excitante, derigente, ac protegente. Hæc omnia ex doctrina sancti Augustini confirmari possunt. Ac primum datum fuisse Adamo donum gratiæ,quod carnem spiritui, & spiritum Deo subiiceret ex multis testimoniis suprà probauimus, & insigne est testimonium illud libro quarto in Iulianum, capite vltimo: *Gratia Dei magna ibi erat, vbi terrenum, & animale corpus bestialem libidinem non habebat.*

DEINDE indiguisse Adamum secundo illo dono, quo conseruationem primi doni diximus contineri, perspicuum est ex libro 8. de Genes. ad literam,capite 12. vbi sic legimus: *Neque tale aliquid est homo factus, vt deserente eo,qui fecit possit aliquid agere benè tanquam ex seipso,* &c. Et ponit similitudinem: *Sicut*, inquit, *aer præsente lumine non factus est lucidus, sed fit, quia si factus esset, non fieret, sed etiam absente lumine lucidus maneret. Sic homo Deo sibi præsente illuminatur, absente autem continuo tenebratur, a quo non locorum interuallis, sed voluntatis auersione discedit.*

TERTIO autem dono, id est, cooperatione diuina, siue auxilio adiuuante,præter gratiam habitualem,opus habuisse Adamum, indicat sanctus Augustinus illis verbis in libro de natura, & gratia, cap. 26.*Sicut oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi extrinsecus adiutus non potest cernere: sic homo etiam perfectissimè iustificatus nisi æterna luce iustitiæ diuinitus adiuuetur, rectè non potest viuere.* Neque subtilius inquirendum est hoc loco, quomodo lux cooperetur oculo ad videndum Siquidem sanctus Augustinus in eo solo similitudinem constituit,quod sicut oculus perfectissimè sanus non potest cernere, nisi extrinsecus adiuuetur:Sic etiam homo plenissimè iustificatus, non potest bene viuere, nisi extrinsecus illi adsit cooperatio omnipotentis boni. Neque illud mouere nos debet quod paulò antè à luce similitudinem duxerit Augustinus ad probandum conseruationem, nunc ab eadem luce similitudinem petat ad probandam cooperationem. Nam variè sunt rerum earundem proprietates, & ideo ab iisdem rebus variè similitudines trahuntur, prout materia de qua disseritur, locus, tempus, occasio postulant. Sed habemus alia loca præterea ad rem eandem comprobandam. In epist. 106. *Natura humana, si in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsam creatore suo non adiuuante seruaret.* Et in Enchiridio capite 106. *Etsi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum, non tamen iustitiæ relinquebat sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni diuinum adiutorium præberetur.* Et in libro de correp.& grat. capite 11. *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat,qui fecerat rectum, dederat adiutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet,* &c. Denique in lib.

Universidad de Deusto
Biblioteca

14. de ciuitate Dei, capite 27. *Cur non permitteret Deus, vt ab illo primus homo tentaretur, quandoquidem sic erat institutus vt si de adiutorio Dei fieret, bonus homo malum Angelum vinceret: Si autem creatorem, atque adiutorem Deum superbè sibi placendo desereret, vinceretur?*

QVARTO dono, id est, auxilio excitante, & suadente interius non eguisse, atque ob id eo caruisse Adamum, facilè potest intelligi, primum ex illis verbis Sancti Augustini de correp. & grat. capite 11. *Ille non opus habebat eo adiutorio, quod implorant isti cum dicunt, video aliam legem in membris meis, &c.* Denique ex eo quod idem Sanctus Augustinus dicit in lib. de bono perseuerantiæ, capite. 7. vbi quærit, An possit homo non peccare, id est, perseuerare in bono, resistere omni tentationi, seruare omnia mandata, &c. & respondet: *Non est hoc in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt; fuerat in homine antequam caderet.* Et in libro 3. Hipognost. circa principium: *Respondemus,* inquit, *neminem posse per se sibi, id est, per liberum arbitrium implere quod velit, recte dicimus, nisi protoplastum solum potuisse, cum voluntas liberi arbitrij fuisset sana ei ante culpam.* Et infrà loquens de sanitate liberi arbitrij: *Ipsa,* inquit, *est prima gratia, qua primus homo stare potuisset, si mandata seruare voluisset.*

In his locis Sanctus Augustinus non significat, fuisse in viribus liberi arbitrij ante lapsum Adæ, perseuerare in bono sine vlla Dei gratia, id enim repugnat plurimis testimoniis paulò ante adductis: neque significat, post lapsum Adæ non esse in viribus liberi arbitrij, adiuncta gratia Dei, perseuerare in bono: sed significat fuisse in statu innocentiæ in viribus liberi arbitrij perseuerare in bono, quia ipsa etiam gratia, sine qua perseuerare non potuisset, erat in potestate liberi arbitrij. Nam gratia habitualis iam illi aderat, eaque vti poterat cùm volebat, conseruatio quoque gratiæ non deerat, nec defutura erat, nisi ipse spóte à DEO recedere voluisset. cooperatio diuina promptissima erat, sed in actu primo (vt sic loquar) illi assistens, non in actu secundo, nisi cum ipsi Adamo operari aliquid libuisset.

Dicitur autem post lapsum Adæ in viribus liberi nostri arbitrij non esse perseuerare in bono, quia præter gratiam habitualem, conseruationem, & cooperationem in actu primo, egemus ob naturæ corruptionem vocatione, & suasione interna, quæ non est in nostra potestate, quamuis enim consentire vocationi sit in nostra potestate, tamen ipsum vocari, & præsertim sic vocari, vt Deus videt nobis aptum, congruumque esse, vt vocationi non resistamus, sine dubio non est in nostra potestate. Sed de his plura suo loco dicemus. Illud hic satis est didicisse ex doctrina sancti Augustini, non eguisse Adamum vlla gratia præter eam, quæ illi semper aderat, quæque quodammodo in eius erat potestate. Quocirca in libro de correptione, & gratia, capite duodecimo, & libro decimo quarto de ciuitate Dei, capite 27. comparat gratiam, & omnia auxilia concessa primo homini, cum alimentis, quibuis vtimur, si volumus, non vtimur, si non volumus. Et in iisdem locis sæpius repetit, habuisse primum hominem gratiam, qua posset perseuerare, si vellet, vt autem vellet, relictum fuisse in eius libero arbitrio. Neque ab hac sententia dissentiunt Theologi Scholastici, vt videre est apud Magistrum in libro 2. Sentent. distinctione 24. §. 4. sanctum Bonauenturam in eadem distinctione, quæstione secunda, Gregorium Ariminensem distinct. 19. quæst. 1. art. 1. conclus. 3. & S. Thomã in 1. 2. quæst. 109. art. 9.

CAPVT QVINTVM.

Supernaturale donum fuisse rectitudinem, quam primus homo in creatione accepit.

PROPOSITIONEM primam, secundam, & tertiam, quæ erant aduersus Pelagianos, satis (vt opinor) pro instituta breuitate, probauimus: Nunc postrema, contra Lutheranos asserenda & confirmanda est. Quarta igitur Propositio hæc esse potest: *Rectitudo illa cum qua Adam creatus fuit, & sine qua post eius lapsum homines omnes nascuntur, donum supernaturale fuit.* Hæc est aduersus hæreticos huius temporis. Sed antequam probetur, explicanda est.

Sciendum igitur est PRIMO, hominem naturaliter constare ex carne, & spiritu, & ideo partim cum bestiis, partim cum Angelis communicare naturam, & quidem ratione carnis, & cõmunionis cũ bestiis habere propensionem quandam ad bonum corporale, & sensibile, in quod fertur per sensum, & appetitum: ratione spiritus & communionis cum Angelis habere propensionem ad bonum spirituale, & intelligibile, in quod fertur per intelligentiam & voluntatem. Ex his autem diuersis, vel contrariis propensionibus existere in vno eodemque homine pugnam quandam, & ex ea pugna ingentem benè agendi difficultatem, dum vna propensio alteram impedit.

Sciendum SECVNDO, diuinam prouidentiam initiò creationis vt remedium adhibere huic morbo, seu languori naturæ humanæ, qui ex conditione materiæ oriebatur, addidisse homini donum quoddam insigne, iustitiam videlicet originalem, quaveluti aureo quodam fræno pars inferior parti superiori, & pars superior Deo facilè subiecta contineretur. Sic autem subiectam fuisse Carnẽ spiritui, vt non posset inuito eo moueri, neque ei rebellis fieri, nisi ipse fieret rebellis Deo: in potestate tamen spiritus fuisse, rebellem Deo fieri & non fieri.

Sciendum TERTIO, multis modis dici aliquid naturale. Primum enim naturale dicitur id omne, quod à natiuitate habetur, qua significatione dicimur naturâ filij iræ, Ephes. 2. & hoc modo iustitiam originalem fatemur dici posse naturalem. Sed hæc significatio ad quæstionem præsentẽ non pertinet, propterea quod naturale hoc modo acceptum non opponitur supernaturali, cùm tam naturalia, quàm supernaturalia dona possint haberi à natiuitate, vt notum est.

SECVNDO naturale dici potest id, quod est naturæ consentaneum, quodque eam non destruit, sed ornat ac perficit: Qua notione Sanctus Augustinus libro de Spiritu & litera capite 27. dictum esse docet ab Apostolo: *Gentes quæ legem non habent naturaliter quæ legis sunt faciunt, Rom. 2.* Quia enim vitium est contra naturam, gratia verò sanat naturam, cùm ex gratia lex impletur, naturalirer impleri non ineptè dici potest. Cæterùm de naturali hoc modo accepto, nulla quæstio est, cùm eiusmodi naturale non supernaturali, sed ei quod est contra naturam opponatur, & non solùm iustitia originalis, sed etiam gratiæ donum quodcunque & ipsa etiam vita æterna hoc modo dicenda sit naturalis. TERTIO dicitur naturale, quod tametsi donum sit gratuitum, tamen naturã iuuat ac perficit in operibus naturalibus, neque eam eleuat ad opera vlla supernaturalia. Et hoc modo iustitia originalis, si distincta esse intelligatur à gratia gratũ faciente, donũ naturale dici potest, vt loquitur Andreas Vega lib. 2. in Concil. Trident. c. 11. QVARTO naturale vocatur, quod aut est pars naturæ, aut fluit à principiis naturæ. Qua significatione corpus & animus, facultates quoq; tum sentiendi, tum intelligendi operationes, quæ ab eisdem facultatibus exercentur, naturalia esse dicuntur. Atque hæc est significatio, de qua hoc loco propriè disputamus, & naturali hoc modo considerato valdè propriè opponitur supernaturale.

Potest autem duobus modis dici aliquid supernaturale, per se, & per accidens, *Per se* dicitur supernaturale, quod ex genere suo non est aptum fluere ex principiis naturæ, qualis fuit ascensio Heliæ igneo curru in cœlum, robur Samsonis, & alia id genus. *Per accidens* supernaturale vocatur, quod interdum obtinetur diuino miraculo, licet alioqui ex naturæ principiis fluere soleat. Talis fuit sensus videndi, quem Dominus cæco nato restituit, sapientia diuinitùs Salomoni tributa, & alia non pauca, quæ in Scripturis leguntur. Iam igitur aduersarij censent, rectitudinem illam, in qua creatus est Adam, fuisse illi naturalem hoc vltimo modo: nimirum quod fuerit veluti quædam sanitas debita naturæ, aptáque nasci ex ipsa natura bene constituta, id est, non corrupta: & nunc hominibus qui eam rectitudinem amiserunt in Adamo, deesse bonum aliquod naturale, quale deesset pecudi si cæca vel claudicans, vel febricitans nasceretur. Et si nunc alicui homini originalis illa iustitia diuinitùs redderetur, dicerent eam esse donum supernaturale per accidens, non per se, vt diximus de oculis reditis cæco nato.

Nos verò existimamus rectitudinem illam etiam partis inferioris, fuisse donum supernaturale, & quidem per se, non per accidens, ita vt neque ex naturæ principiis fluxerit, neque poterit fluere. Et quia donum illud supernaturale erat, vt statim probaturi sumus, eo remoto natura humana sibi relicta, pugnam illam experiri cœpit partis inferioris cum superiore, quæ naturalis futura erat, id est, ex conditione materiæ sequutura, nisi Deus iustitiæ donum homini addidisset. Quare non magis differt status hominis post lapsum Adæ à statu eiusdem in puris naturalibus, quàm differat spoliatus à nudo, neque deterior est humana natura, si culpam originalem detrahas, neque magis ignorantia, & infirmitate laborat, quàm esset & laboraret in puris naturalibus condita. Proinde corruptio naturæ, non ex alicuius doni naturalis carentia, neque ex alicuius malæ qualitatis accessu, sed ex sola doni supernaturalis ob Adæ peccatum amissione profluxit. Quæ sententia communis est Doctorum Scholasticorum veterum, & recentiorum. Neque enim, quod nos docemus, ex vno Dominico à Soto accepimus, neque contrarium scripsit sanctus Thomas cum cæteris probatioribus auctoribus (vt quidam viri alioqui insigniter eruditi censent) sed vt dixi, est hæc sententia communior, vt testimonia, quæ subiungimus, iudicabunt.

Primùm igitur sanctus Thomas 1. part. quæ. 95. art. 1. sic loquitur de rectitudine cum qua conditus fuit Adam: *Manifestum* inquit, *est, quod illa subiectio corporis ad animam, & inferiorum virium ad rationem non erat naturalis: alioqui post peccatum mansisset, cum etiam in dæmonibus data naturalia post peccatum permanserint.* Et infrà: *Ex quo datur intelligi si deserente gratia soluta est obedientia carnis ad animam, quod per gratiam in anima existentem inferiora ei subdebantur.* Ex loc loco apertè discimus, hominem in puris naturalibus conditum, habiturum fuisse rebellionem illam carnis ad Spiritum, quã nunc post amissum iustitiæ originalis donum omnes experimur. Quandoquidem obedientia carnis ad Spiritum non fuit in primo homine naturalis, sed supernaturalis, & gratuita. Proinde iustitia originalis diuinitùs homini collata non conseruauit solùm, sed attulit, & fecit rectitudinem partis inferioris.

Idem sanctus Thomas. 1. 2. quæst. 82. artic. 1. ad 3. *Ex peccato,* inquit, *originali sequitur aliqua inclinatio in actum inordinatum non directè, sed indirectè, scilicet per remotionem prohibentis, id est, originalis iustitiæ, qua prohibebat inordinatos motus.* Fuissent igitur in homine inordinari motus, nisi donum supernaturale accessisset. Idem auctor 1. 2. quæstione 87. articulo 7. dicit ex peccato originali factum esse, vt natura humana sibi ipsi relinqueretur destituta auxilio iustitiæ originalis. Idem auctor in quæst. 4. de malo. art. 1. sic loquitur: *Est autem considerandum, quod primo homini in sua institutione datum fuerat diuinitus quoddam supernaturale donum, scilicet originalis iustitia, per quam ratio subdebatur Deo, & inferiores vires rationi, & corpus animæ, &c.* Idem auctor lib. 4. contra Gen. cap. 52. *Secundum doctrinam* (inquit) *fidei ponimus hominem a principio taliter esse institutum, quod quandiu ratio hominis esset Deo subiecta, & inferiores vires ei sine impedimento deseruirent, & corpus ab eius subiectione impediri non posset per aliquod impedimentum corporale, Deo & sua gratia supplente, quod ad hoc perficiendum natura minus habebat.* Idem in 2. Sent. dist. 31. quæst. 1. art. 1. *Deus,* inquit, *humanæ naturæ in sui principio supra conditionem suorum principiorum contulerat, vt esset in ratione rectitudo quædam originalis iustitiæ, quam sine aliqua resistentia imprimere posset inferioribus viribus, Quia hoc gratis collatum fuerat, ideo iustè per ingratitudinem inobedientiæ subtractum est. Vnde factum est, vt primo homine peccante natura humana quæ in ipso erat, sibi ipsi relinqueretur, vt consisteret secundum conditionem suorum principiorum.*

Natura igitur humana talis nunc est ex sententia sancti Thomæ, qualis fuisset si donum illud supernaturale nunquam habuisset, eo excepto, quod nunc est pœna ex peccato inflicta, quod tunc ex natura & conditione materiæ profluxisset. Neque his repugnat, quod idem sanctus Thomas docet 1. 2. quæst. 82. artic. 3. ad 1. concupiscere esse homini naturale, in quantum est secundùm ordinem rationis: inesse autem homini contra naturam in quantum transcendit limites rationis. Neque enim his verbis significatur non fuisse futuram in homine condito in puris naturalibus concupiscentiam transcendentem limites rationis: contrarium enim expressè docuit S. Thomas, cùm ait, inordinatos motus consequutos esse ex peccato originali, tanquam ex remouente prohibens. Id igitur significatur istam concupiscentiam non fuisse futuram, vt bonum aliquod naturale, sed vt languorem, & vitium naturæ, non ex intentione conditoris, sed ex conditione materiæ consequens, quale vitium est in gladio ferreo, subiectum esse rubigini. Omne enim vitium contra naturam dici potest.

Multò minùs his repugnat quod scripsit sanctus Thomas in 1. 2. quæst. 85. art. 1. & 2. per peccatum non solùm priuari hominem donis supernaturalibus, sed etiam diminui bonum naturæ. Nam in eo loco non disputat sanctus Thomas de peccato originis in specie, sed de peccato in vniuersum, ac dicit, bonum naturæ diminui per peccatum, quia ex actu peccandi oritur in eo, qui peccat inclinatio ad idem peccatum, & per hoc diminuitur inclinatio ad virtutem oppositam, quæ inclinatio ad virtutem bonum naturæ dici potest. Ex qua generali doctrina sequitur vt ex peccato actuali oriatur propensio actualis ad idem peccatum (vt idem auctor disertis verbis docet in eadem quæstione octuagesima quinta, articulo 3.) ex peccato autem originali, quod non in actu, sed in habitu consistit, non oriatur directè vlla inclinatio ad malum, sed indirectè (vt sanctus Thomas loquitur) tanquam ex remouente prohibens. Atque hæc sunt vulnera singularum potentiarum, de quibus loquitur idem sanctus Thomas 1. 2. quæst. 85. art. 3. quia enim iustitia originalis languorem illum impediebat, qui in natura humana existere potuisset ex conditione materiæ. Ideo remoto originalis iustitiæ dono, languor ille se prodidit, & factum est vulnus peccati, quod languor naturæ esse potuisset.

Denique eam esse sententiam S. Thomæ, quam nos diximus, perspicuum esse potest ex omnibus eius interpretibus. Omnes enim communi consensu docent, rectitudinem primi hominis effectũ fuisse doni cuiusdã seperna turalis, & eo dono remoto mansisse naturã, qualis esset, si

Universidad de Deusto
Biblioteca

in puris naturalibus condita fuisset, quod attinet ad motus inordinatos partis inferioris: Vide Ioannem Capreolum in 2. Sent. distinct. 30. quæst. 1. arti. 1. Thomam Caietanum 1.2. quæst. 85 art 3. ad 2. dubium, & quæstio. 109. art. 2. Fran. Ferrarien. in Commen. 4. lib. contra gentes, cap. 52. Denique Conradum Kœllim, & Bartholomæum Medinam 1.2. quæst. 85. art. 3. & 6. qui auctor postremus addit hanc esse communem sententiam omnium Theologorum. Et certè Ioan. Scotus disertis verbis eam docet, cum loquitur in 2. Senten. dist. 29. quæstione vnica, potest dici ergo, quòd si originalis iustitia habuit illum effectum, facere scilicet perfectam tranquillitatem in anima quantum ad omnes potentias, ita quòd natura inferior non inclinaretur contra iudicium superioris, aut si inclinaretur quantum est ex se, posset tamen ordinari, & regulari sine difficultate superioris, & sine tristitia inferioris: cùm hoc non habuerit potentia facta in puris naturalibus, necesse est ipsam ponere donum supernaturale, quod sic illa tranquillitas perfecta in anima.

Nec minùs apertè docet eam Durandus in 2. Sentent. distinct. 20. quæst. 5. vbi cùm dixisset, Iustitiam originalem propriè esse rectum ordinem virtium inferiorum, & superiorum, ita vt inferiores superioribus subiectæ essent, infrà num. 7. sic loquitur, iustitia originalis quamuis esset cõditio corporalis, erat tamẽ mere donum Dei, & non proprietas naturalis, alioquin mansisset post peccatum, sicut natura mãsit cum suis naturalibus proprietatibus, ergo iustitia originalis non fuisset transfusa à parente in prolem, sed fuisset proli à Deo infusa, sicut parentibus fuit à Deo gratis collata. Et dist. 30. q. 1. admittit cum sancto Thoma mortem, & cæteros defectus humanos, in quos per Adę peccatum incurrimus, esse à natura, vt à caussa per se, à culpa verò sicut à caussa remouente prohibens, quia videlicet per culpam Adæ amisimus donum iustitiæ originalis, quæ defectus illos prohibebat. Idem apertissimè docent Gabriel in 2. distinctione trigesima, quæstione prima. Marsilius in 2. quæstione decima octaua, & decimanona, & alij quos longum esset & minimè necessarium adhuc adducere.

Porrò veteribus Scholasticis consentiunt recentiores Doctores: ac vt paucos de multis proferam, Ioannes Driedo libro primo de gratia, & libero arbitrio, capite tertio, parte quarta, in fine. Ex horum, inquit, consideratione facile potest quis intelligere temperaturam illam, seu consonantiam omnium virium sub imperio rationis, non fuisse hominis secundum naturam eius constitutam ex anima rationali & carne, sed secundum peculiarem gratiam Dei dantis primo homini, vt inquit Sapiens, virtutem continendi omnia. per quam non solùm inferiores animæ vires, sed & totum corpus continebatur sub rationalis animæ imperio, per quam & corporales defectus, vt mors, morbi, & humorum corruptiones poterant cohiberi. Per peccatum autem amissa virtute hac, quæ erat originalis iustitia, iam natura humana sibi relicta secundùm diuersitatem naturalium complexionum diuersimodè mouetur.

Ruardus Taper in defensione articuli secundi, ponit aliquot propositiones de peccato originali. Quarum duas hic adscribam, secundam & tertiam. Secunda propositio hæc est: Fide firma & infallibili credendum est, quòd vitium rebellio, & motiones inordinatæ, ignorantia, infirmitates, mors, & vniuersæ miseriæ, quas patiuntur homines, sunt pœna peccati, & non naturales hominis conditi conditiones. Tertia propositio hæc, Vniuersa hæc mala potuissent esse naturales hominis conditiones & proprietates, vt si homines creasset sine gratia, & iustitia originali, quæ sola impediebat ne hæc mala essent in homine, sine qua sequuta fuissent principia naturæ, sicut & nunc sequuntur naturam ab ea destitutam, quemadmodum earum plurimæ sunt, in cæteris animalibus. Hæc ille.

Andræas Vega lib. 2. in Concilium Tridentinum, cap. 11. Ipsa, inquit, lex membrorum, carnis, scilicet rebellio ad Spiritum, ex conditione est naturæ nostræ, & non ex aliqua mala qualitate transfusa in nos à parentibus nostris, vt communiter docent Scholastici contra Gregorium Ariminensem, &, perinde atque in nobis fuissent in omnibus creatis in puris naturalibus. Habent tamen hæc in nobis ratione pœnę, quam non haberent in creatis in puris naturalibus, quia Deus hos defectus naturales reformauerat per iustitiam originalem, quam perdidimus per peccatum. Vide in eandem sententiam Dominicum à Soto, lib 1. de natura & gratia, ca. 13. Alber. Pighium controuersia prima, & alios. Denique nescio, quo modo possit vllus hoc tempore Catholicus dubitare, fuerintne primi hominis integritas naturalis, an supernaturalis, cùm, vt supra notauimus, duo summi Pontifices, Pius V. & Gregorius XIII. articulum illum damnauerint. Integritas primæ conditionis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis eius conditio.

CAPVT SEXTVM.

Probatur veritas quartæ Propositionis.

NVNC tandem Propositio quarta superiore capite explicata, ex diuinis litteris, veterum testimoniis & argumentis ex ratione ductis, comprobanda est. Quo loco illud animaduertere oportebit, testimoniis omnibus nostram sententiam confirmari, quæ vel ostendunt integritatem primi hominis fuisse supernaturalem, vel certe donum aliquod supernaturale primo homini fuisse collatum: vtrumque enim in controuersiam venit, & suos habet oppugnatores.

Primùm igitur sacræ litteræ quid ex conditione suæ naturæ sit homo, indicant illis verbis: *Pulvis es, & in pulverem reuerteris*, Genes. 3. hæc enim est sententia illorum verborum. Quanquam te valdè gloriosum mea benignitate effecerim, ita vt posses neque mortem, neque mala vlla formidare, tamen ex natura tua puluis eras, mortalis, fragilis, doloribus, laboribúsque obnoxius: & quia dono illo meo superaddito culpa tua spoliatus es, & in statum tuum naturalem recidisti, ideo nunc etiam puluis es, & in pulucrem reuerteris. Ad hæc in Psalmo octauo describitur his verbis hominis prima creatio. *Quid est homo quia memor es eius, aut filius hominis, quia visitas eum? minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.* Casus autem eius describitur in Psalmo quadragesimo octauo. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*, quibus duobus modis indicatur, fuisse primum hominem donis supernaturalibus ornatum, primùm quoniam miratur Propheta hominem fere Angelis æquatum. Quid est homo (inquit) quod memor es eius: quasi dicere vellet, mirum esse hominem naturâ sua corporatum, mortalem, animalium cæterorum affectibus obnoxium, ad eam gloriam euectum, vt parum omninò ab Angelis abesset.

Deinde accedit, quòd dona illa primo homini initiò collata, vocat honorem, & gloriam: honor autem & gloria sine dubio aliquid extrinsecum & superadditum designant.

Item Ecclesiastici 17. *Deus creauit hominem de terra, & secundum se vestiuit illum virtute.* Quo loco creatio refertur ad naturam, indumentum virtutis ad superaddita dona. Quemadmodum enim de honore, sic etiam de indumento

mento rectè dici potest esse quid extrinsecum, & superadditum. Quo etiam pertinet parabola de eo qui incidit in latrones, Lucæ 10. primùm enim despoliauerunt eum, deinde plagis impositis abierunt semiuiuo relicto. Vbi non solùm intelligimus ex nomine vestium, quæ (vt diximus) extrinsecum quid significant, colligi posse donis supernaturalibus priuatum fuisse primum hominem: sed etiam animaduertimus, plagas naturæ humanæ ex despoliatione consecutas esse. Neque enim sine caussa Dominus in Parabola illa prius dixit, hominem spoliatum, posterius vulneratum fuisse, cùm tamen contrà accidere soleat in veris latrociniis. nimirum indicare voluit in hoc spirituali latrocinio, ex ipsa amissione iustitiæ originalis nata esse vulnera nostræ naturæ, siquidem donum illud iustitiæ non solùm tegebat & ornabat, sed etiam curabat, & sanabat languorem illum, qui ex conditione materiæ alioqui pullulàsset. Proinde ex natura humana dono illo iustitiæ spoliata, sibiúque relicta continuò plagæ illæ, & vulnera eruperunt. Quæ omnes ex Adamo nati experimur. Porrò parabolam istam de iactura donorum, & virtutum, quam primus homo peccando fecit, exponunt communi consensu Patres, sanctus Ambrosius, Beda, Theophylactus, & sanctus Basilius, quem in cathena citat sanctus Thomas in Commentario huius loci, nec non sanctus Augustinus lib. 2. quæstionum Euangelicarum, quæst. 19. & sanctus Bernardus serm. 1. de Annunciatione.

Accedant secundò testimonia veterum Patrum, S. DIONYSIVS AREOPAGITA, libro de diuinis nominibus, capite quarto, parte quarta, de dæmonibus loquens, *Nec Angelica*, inquit, *munera his tributa, aliquando permutata, sed integra sunt, penitúsque conspicua.* Quæ verba ita edisserit in Commentario eius loci Marsilius Ficinus, Sicut (inquit) nocturnus aër dicitur tenebrosus, non quia vel rem nouam subeat, vel naturam amittat suam: Sed quia deest ei Solis lumen, quod rem per se tenebrosam efficit lucidam: sic animus, ac dæmon malus cognominatur, non propterea quod vel naturale quidquam perdat vel suscipiat alienum: sed quia deficit à beneficio Dei munere. Hæc ille. Atque hinc acceperunt Scholastici Theologi communem illam sententiam, Naturalia in dæmonibus post casum (Dionysio teste) mansisse integra. Quod idem sine dubio de homine quoque intelligi debet. Quod si naturalia in Angelo, & homine post lapsum integra remanserunt, & satis constat, iustitiã, in qua conditi sunt, in eis post lapsum non mansisse: certè manifestè sequitur, iustitiam illam Angelo & homini naturalem non fuisse.

Neque repugnat quod hoc loco ex Dionysio docemus, naturalia in Angelo, & homine post lapsum integra remansisse, cum eo quod supià non semel docuimus, naturam nostram per Adæ peccatum vulneratam & corruptam esse. nam eadem nostra, & dæmonum natura, si referatur ad eum statum, in quo esse potuisset, si in puris naturalibus creata fuisset, integra dici debet, & in hoc sensu integra dicitur à Dionysio, & Theologis: Si verò statum illum respiciamus, ad quem benignitate conditoris fuerat euecta, vulnerata, & corrupta dicenda est. Exemplum huius rei habemus in Sampsone, qui post crines resectos cùm insignem illam fortitudinem diuinitùs acceptam amisisset, infirmus factus dicitur, non quod esset iam infirmior, quàm homines vt plurimum esse soleant, sed quòd esset infirmior, quàm ipse antea fuisset.

S. BASILIVS in lib de Spiritu sancto ad Amphilochium, ca 16. *Sanctificatio*, inquit, *non est absque Spiritu. non enim natura sanctæ sunt cœlorum virtutes, sed iuxta proportionem eminentiæ inter ipsas sanctificationis mensuram a Spiritu sancto habent.* Hæc ille. Nec dubitari potest, quin quod de Angelis sanctus Basilius scripsit, idem in primum hominem aptè conueniat. Quare non naturâ sanctus fuit primus homo dum paradisum incoleret, sed à Spiritu sancto mensuram sanctificationis acceperat: proinde iustitia illa originalis, diuinaque similitudo, qua præditus erat, non conditio naturalis, sed donum supernaturale fuit.

S. IOANNES CHRYSOSTOMVS homil. 15. in Genesim de Adamo, & Eua, qui cùm nudi essent, tamen ob iustitiam originalem non erubescebant, ita loquitur: *Gloria*, inquit, *quæ superne veherat, vestis erant.* Vbi vides iustitiam originalem comparari indumento, & indumento superne veniẽti: vt intelligas eam non ex naturæ principiis, sed è cœlo, ac supra naturæ conditionem primis parentibus accessisse.

S. CYRILLVS lib. 1. in Ioannem, cap. 9. de Adamo loquens: *Participatione*, inquit, *luminis splendet super naturam suam glorificantis Dei gratia & variis donorum ornamentis ascendens.* Et infrà: *Misericors enim verè Dominus est, qui creaturam paruam, atque abiectam secundum naturam, magnam atque mirabilem sua efficit bonitate.* Et c. 13. *Creatura cum seruat sui nutu solum, & voluntate Patris ad supernaturalia vocatur.* Et in lib. de adorat. in Spiritu ante medium: *Vbi*, inquit, *Deo conditore animal hoc, id est, homo suæ naturæ rationibus absolutum est. accipit statum similitudinem ad illum.* Denique in lib. quòd Spiritus sit Deus, propè initium: *Cum*, inquit, *posse facere, & concedere creaturis dignitatem, quæ creaturam excedat amplius sit quam ferat creaturarum natura, & Spiritus deificet, quemodo esset creatura, & non magis Deus, vtpote Deificus?* Ex his sancti Cyrilli doctissimi hominis testimoniis apertissimè discimus, Adamum præter naturalia ornamenta, multa etiam dona supernaturalia accepisse, & naturam humanam, per se paruam, atque abiectam esse, sed conditoris benignitate ad ingentem gloriam exaltari. Neque his dissimilia tradunt Patres Latini.

S. AMBROSIVS in lib. de Isaac, & anima, cap. 5. *Nec Adam*, inquit, *nudus erat quando eum innocentia vestiebat.* Et lib. 2. de Iacob, & beata vita, cap. 5. *Sic*, inquit, *despoliatus Adam, nudus inuentus est.* Et lib. de Helia & ieiunio, cap. 4. *Opertus*, inquit, *erat Adam virtutum velamine, priusquam præuaricaretur, sed tanquam exuius præuaricatione vidit se esse nudum, quia indumentum quod habebat, amiserat.* Innocentiæ autem illius vestem, non naturalem, sed gratuitam fuisse, indicat tum ipsa vestis appellatio, quæ superadditũ quid significat, tum id quod idem auctor scribit lib. 7. in Lucam, cap. 47. Vbi explicans parabolam eius, qui incidit in latrones, & eam applicans ad Adam, & nos omnes: *Qui sunt*, inquit, *isti latrones, nisi Angeli noctis, & tenebrarum? Hi ante despoliant quæ accepimus indumenta gratia spiritualis, & sic vulnera inferre consueuerunt.* Et in li. de paradiso, c. 14. *Quid est*, inquit, *Adam vbi es id est, non in quo, sed in quibus es: non ergo interrogatio est, sed increpatio, de quibus (inquit) bonis, de qua beatitudine, de qua gratia, in quam miseriam recidisti?*

S. HIERONYMVS in cap. 3. Oseæ: *Dæmones*, inquit, *qui lapsi sunt a propria dignitate, & nihil antiqua gratia possidentes aridi sunt, & veteri siccitate marcescentes.* Ex quo loco habemus, Angelos per peccatum dona supernaturalia perdidisse. Si enim nomine gratiæ dona naturalia intelligeremus, consequens esset, vt Angeli nihil naturaliũ donorum post peccatum retinerent, atque adeò ad nihilum redacti essent. Est autem eadem ratio hominum, & Angelorum, vt aduersarij cõfitentur, & colligitur ex sancto Augustino, lib. de correptione & gratia, ca 10. & 11. non igitur negandum est, homines per lapsum Adæ, dona supernaturalia amisisse.

S. AVGVSTINVS lib. 12. de Ciuit. Dei. cap. 9. de Angelis ita loquitur: *Simul in eis condens naturam, & largiens gratiam.* Vbi apertissimè distinguit in Angelis naturam à gratia, & lib. 13. c. 13. de primis nostris parentibus sic ait: *Postea quam præcepti trãsgressio facta est, gratia deserente diuina, de corporum suorum nuditate confusi sunt.* Et libro 11. de Genesi, cap. 31. *Mox*, inquit, *vt præceptum trangressi sunt, intrinsecus*

Universidad de Deusto
Biblioteca

intrinsecus gratia deserente, omnino nudati in sua membra oculos iniecerunt. Et libro quarto in Iulianum, cap. vltimo: *Quid est*, inquit, *gustato cibo prohibito nuditas indicata, nisi peccato nuditatem, quod gratia contegebat? gratia quippe Dei magna ibi erat, vbi terrenum & animale corpus bestialem libidinem non habebat. Qui ergo vestitus gratia non habebat in suo corpore quod puderet, spoliatus gratia sensit quod operire deberet:*

Vides in his locis, semper ab Augustino innocētiā illā, iustitiāmq; originalem primi hominis, gratiā nominari. Vides item eam indumento, quod superadditur extrinsecus humano corpori perpetuo comparari. Vides denique bestialem libidinem terreno, & animali corpori naturaliter conuenire, & ideo non ex natura, sed ex magna Dei gratia corpus Adami terrenum & animale libidine illa in statu innocentiæ caruisse. Adde quod idem sanctus Augustinus libr. 3. de libero arbitrio, cap. 20. 22. & 24. non obscurè docet, potuisse creari hominem sine iustitia originali, neque eum locum in Retractationibus correxit, sed confirmauit potius, cùm in libro primo Retractationum, c. 9. ita loquutus est: *Ignorantia & difficultas etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset.* At si iustitia originalis naturalis esset, non potuisset homo sine ea creari, nisi Deus rem naturaliter mancam & imperfectam sponte condere voluisset, quod abhorrere videtur ab eius sapientia & bonitate: *Dei enim perfecta sunt opera. Deuter. 32.*

S. Anselmvs in libro de conceptu virginali, & peccato originali, capite 22. de Adamo sic loquitur: *Quoniam* inquit, *in tanta gratiæ celsitudine positus, quæ bona sibi & aliis seruanda acceperat, sponte deseruit, idcirco filij perdiderunt quæ pater illis cum seruando dare posset non seruando abstulit.*

Denique sanctus Bernardvs in primo sermone de annunciatione dicit, Adamum præuaricando amisisse indumenta virtutum, & similitudinem ad Deum, non autem imaginem diuinam, *quia illa* (vt ipse loquitur) *non erat assuta sed insita, atque ipsi impressa naturæ.* Quocirca ex testimonio sancti Bernardi iustitia, cæteræque virtutes, quarum iacturā primus homo peccando fecit, non erant insitæ, & impressæ ipsi naturæ, vt sunt dona naturalia, sed extrinsecus assutæ, ac superadditę vt sunt dona supernaturalia. Atque hæc ex Patribus sufficiant. Addamus nunc argumenta ex ratione petita.

Prima ratio. Naturale est corpori animali sensu, & appetitu prędito cōcupiscere bonum sensibile: naturale est spiritui rationali concupiscere bonū spirituale: quare si fiat vna natura ex spiritu rationali, & corpore animali conflata, naturale erit illi habere diuersas & inter se pugnantes propensiones. Quod igitur primi parentes nostri ante peccatum pugna ista diuersarum appetitionum caterent, donum erat supernaturale, non conditio naturalis.

Secvnda ratio. Si corruptio, quæ nunc est in natura humana, non est consequuta ex sola remotione doni supernaturalis, neque fuisset in homine in puris naturalibus condito: quæro caussam eius: aliqua enim caussa esse debet rebellionis carnis ad spiritum. Respondent quidam caussam esse Deum: at Scripturæ partim reclamant, quæ concupiscentiam non esse ex Deo, multis in locis testantur. Ioannes in epistola prima, capite secundo dicit, concupiscentiam non esse ex Patre, sed ex mundo Iacobus in epistola sua, cap. primo scribit, neminem à Deo tentari, sed à concupiscentia sua, quod certè non scriberet, si concupiscentia ipsa quæ fons est tentationum, à Deo nobis esset inserta. Lex, *Non concupisces*, sancta & bona, quam & legem mentis Apostolus vocat ad Romanos septimo. sine dubio est à Deo: quomodo igitur lex membrorum, quæ illi repugnat, est à Deo? & quomodo iubet Deus vt non faciamus quod ipse in pœnam peccati cogit nos facere?

Porrò sanctus Avgvstinvs scribit quidem multis in locis, inobedientiam carnis à Deo retributam homini in pœnam peccati, sed explicatiō factum esse per ablationem gratiæ, non per immissionem concupiscentiæ. Sic enim loquitur libro vndecimo de Genesi, capite trigesimo primo: *Mox vt præceptum transgressi sunt, intrinsecus gratia deserente omnino nudati in sua membra oculos iniecerunt.* Et libro quarto in Iulianum, capite decimotertio: *Non in fructu*, inquit, *ligni fuit libido: & ideo bonum erat lignum, sed mala est inobedientia libidinis, quæ aduersus hominis inobedientiam, quam in ligno admisit, Deo deserente surrexit.* Audis, Deo deserente, non Deo inserente libidinem surrexisse? Et similiter loquitur in aliis locis suprà citatis. Quemadmodum etiam cùm idem Augustinus docet, peccatum aliquando pœnam esse peccati, & per hoc à Deo, à quo est omnis iusta pœna, non intelligit peccatum esse à Deo inserente malitiam, sed non impertiendo misericordiam. Libro quinto in Iulianum, capite tertio: *Cum*, inquit, *dicitur homo tradi desideriis suis, inde sit reus, quia desertus a Deo credit eis, atque consentit, vincitur, capitur, trahitur, possidetur, & sit ei peccatum, consequens præcedentis pœna peccati.* Et in epistola 105. ad Sixtum: *Non obdurat Deus impartiendo malitiam, sed non impartiendo misericordiam.* & Tractatu 53. in Ioannem: *Sic excæcat, sic obdurat Deus deserendo, & non adiuuando, quod occulto iudicio facere potest, iniquo non potest.* Itaque non est Deus concupiscentiæ siue corruptionis nostræ naturæ caussa, nisi vt remouens prohibens, vt sanctus Thomas loquitur in locis suprà citatis.

Omitto sententias illas, quæ caussam huius corruptionis referunt in pomum vetitum, siue in flatum serpentis, tum quòd planè sint improbabiles, tum quod in disputatione de peccato originis commodiùs refelli possint. Quare cùm nulla possit reddi caussa huius corruptionis, præter conditionem materiæ, vt caussam efficientem, & peccatum Adami vt caussam demeritoriam, & diuinam iustitiam dono supernaturali hominem spoliantem vt caussam remouentem prohibēs, in his est acquiescendum, neque alia caussa quærenda est.

Tertia ratio. Ex peccatis, quæ ab hominibus post lapsum primi hominis committuntur, quamuis plurimis & grauissimis, amittitur solùm donum gratiæ supernaturalis, & acquiritur propensio quædam ad idem peccatum iterum committendum, & minuitur inclinatio ad virtutem peccato illi contrariam, sed non corrumpitur principium, aut donum aliquod naturale, neque acquiritur aut augetur propensio ad omnia vitia, neque minuitur inclinatio ad omnes virtutes, vt experientia ipsa testatur. At peccatum Adæ cùm fuerit certum quoddam, & actuale peccatum, & eiusdem generis, cuius sunt cætera, quæ ab hominibus committuntur, non videtur alium effectum producere potuisse, quàm producant cætera, eo excepto, quòd illud, vt capitis totius naturæ, in omnes posteros redundauit: non igitur probabile est ex peccato Adæ naturalia principia, siue dona potuisse corrumpi, neque concupiscentiam illam nasci, quæ est propensio ad omnia vitia, nisi ea, remoto iustitiæ originalis dono, ex ipsa natura composita, ex contrariis consecuta fuisset.

Qvarta ratio. Si natura humana, qualis nunc est, remota culpa mala est, & necessariò labitur in peccata, & ideo non potuit à Deo creari, vt aduersarij volunt, sine iustitia originali: certè sequitur, non posse hominem mortuum à Deo reuocari ad vitam, nisi prædituum originali iustitia: idem enim sequitur absurdum, siue creetur, siue reparetur à Deo natura mala, & quæ necessariò peccet. Nō enim reparatio illa minus est opus solius Dei, quàm creatio. Et sicut Deus diceretur auctor peccati si naturam crearet, quæ non posset peccata vitare: sic etiam censeretur peccati auctor, si naturam repararet, præsertim solus, & immediata sua actione, quæ non

non posset peccato abstinere. At multos nouimus ex sacris litteris à mortuis excitatos diuina virtute, & ex iis nonnullos, quos omninò credibile est à peccato originis fuisse purgatos, qualis fuit Lazarus frater Marthæ, & infantes illi quos Helias, & Helisæus à mortuis reuocārunt: qui tamen sine dubitatione vlla etiam in noua illa vita iustitia originali carebant, & tales erant quales sunt cæteri, qui ex parentum carne per generationem via ordinaria propagantur. Adde quòd hæc ratio à maiori duci potest. Nam si Deus animas iustas Lazari & infantium, de quibus diximus, coniungere potuit corpori mortali, animali, concupiscentiæ, & ignorantiæ obnoxio: cur non magis potuit initiò animas, neque iustas, neque iniustas simili corpori coniungere?

Qvinta ratio propriè pugnat aduersus illos, qui non solùm qualemcumque rectitudinem, sed etiam omnia dona primis parentibus in creatione concessa naturalia fuisse contendunt. Primi parentes electi fuere ad eam dignitatem vt essent filij Dei, & Dij quidam, id est, diuinæ consortes naturæ, vt sanctus Petrus loquitur de iis, qui iustificantur per Christum. Neque id aduersarij negant, & nos in sequenti disputatione fusius comprobabimus: at profectò absurdissimum est, rem creatam, qualis est homo, Deum, vel Dei filium naturaliter facere. Quocirca S. Augustinus in 3. lib. aduersus Maximin. cap. 15. *Ideo*, inquit, *homo fit gratia filius, quia non est natura.* Et S. Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 18. *Alia* inquit, *naturæ ratio, alia adoptionis, & alia veri filij, alia adoptati.* Sumus autem nos filij Dei adoptione. Verè igitur ac naturaliter ille filius est per quem nos in filiationem adoptati, & suprà dixerat: Quoniam gentes filium per fidem receperunt, potestatem etiam accipiunt, vt filij Dei fiant. Accipiunt autem à filio, cui soli naturaliter hoc inest.

CAPVT SEPTIMVM.

Refelluntur argumenta contra superiorem sententiam.

Solvemvs nunc aliquot obiectiones, quæ aduersus quartam propositionem fieri solent.

Prima obiectio, Si iustitia originalis supernaturalis fuisset: sequeretur cōcupiscentiam carnis futuram fuisse naturalem, ac per hoc bonā, & à Deo: At Ioannes in 1 epist. cap. 2. dicit eam non esse ex patre, sed ex mundo. Et Paulus ad Rom. 7. dicit se eam odisse: & Augustinus libr. 6, contra Iulian. cap. 5. & alibi multis in locis probat eam esse malam, ac naturæ contrariam.

Responsio, Concupiscentia carnis nunc quidem pœna peccati est, tamen homini condito in puris naturalibus fuisset sine dubio naturalis, non quidem vt bonum aliquod naturæ, sed vt defectus, & quasi morbus quidā naturæ, ex conditione materię consequens. Quare rectissimè dicitur non esse ex Deo, odio non amore dignam, malam, naturæque contrariam, propter duas caussas, primum quia non ex intentione auctoris naturæ, sed præter eius intentionem in homine extitisset, si in puris naturalibus homo creatus fuisset. Deinde quia Deus illam sustulerat, & ex ipsius hominis culpa locum in nobis habet.

Secvnda obiectio, Sanctus Augustinus in Enchiri. cap. 11. scribit, animorum quæcūque sunt vitia, naturalium esse priuationes bonorum. Sunt autem vulnera nobis ex peccato primi parentis relicta, vitia quædā animorum: igitur ea vulnera naturalium sunt priuationes bonorum: iustitia igitur originalis, & prima illa naturæ humanæ integritas, cui priuatiuè vulnera opponuntur, naturalis erat.

Responsio, Videtur S. Augustinus eo loco per naturalia bona nō formas, sed subiecta intelligere, vt sententia eius sit, mala illa quæ dicuntur vitia, priuationes esse naturalium bonorum, quia in bonis naturis insunt eaque contrariis virtutibus priuant. Nam paulo ante dixerat, eadem forma loquendi vtens, corporales morbos esse priuationes bonorum, quia substantia bona est, quæ accedēte morbo sanitate priuatur. Quod si hoc modo accipiamus verba S. Augustini, verissima sunt, neque pugnant contra sententiam nostram, neque enim negamus animos humanos, qui virtutibus priuantur succedentibus vitiis, naturalia bona dici debere, & esse. Præterea loquitur S. Augustinus de vitiis, quæ sunt habitus quidam per iteratos malos actus acquisiti, non de concupiscentia, ignorantia, infirmitate, & malitia, cùm quibus nascimur.

Porro, vitia omnia priuationes sunt naturalium bonorum, id est, naturalis rectitudinis, non qualis in primo homine fuit, sed qualis esse potuit, si in puris naturalibus conditus fuisset. Natura enim creata sine iustitia, & sine peccato (id enim vocamus in puris naturalibus) suam quandam habet rectitudinem, quatenus videlicet nullam habet vitij curuitatem. Denique si cogeremur per naturalia bona apud Augustinum, intelligere iustitiam originalem diuinitùs datam, & superadditam naturæ: promptum esset respondere, donum illud naturale bonum vocari, quia naturam non destruat, sed perficiat: Quemadmodum è contrariò vitium dicitur contra naturam, quia naturam non perficit, sed corrumpit.

Tertia obiectio, Sanctus Augustinus lib. 12. de Ciui. Dei, c. 1. sic loquitur de Angelis: *Cum vitium naturæ Angelicæ dicitur, quod non adhæret Deo, hinc apertissimè declaratur, eius naturæ vt Deo adhæreat conuenire.* Quòd si naturale est Angelo adhærere Deo, certè naturale erit etiam homini; non igitur opus fuit dono aliquo supernaturali vt primus homo Deo adhæreret, ac per hoc iustus & rectus esset.

Responsio, Docet eo loco sanctus Augustinus, naturæ Angelicæ conuenire vt per caritatem adhæreat Deo, & in hoc distingui à naturis ratione carētibus, quibus non conuenit, vt per caritatem adhæreant Deo, ac de ipso beatæ sint, quamquam nec miseræ esse possint. Sed non docet id Angelorum naturæ naturaliter conuenire, quasi possit Angelus suis solis viribus Deo per caritem inhærere, aut certè quasi donum caritatis infusæ necessariò Angelis debeatur, ita vt naturale non supernaturale: debitum, non gratuitum dici debeat. Quin potius contrarium disertis verbis docet in eodem libro 12. c. 9. cùm sic loquitur: *Et istam (bonam voluntatem) quis fecerat, nisi ille, qui eos cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhærent, creauit simul in eis & condens naturam, & largiens gratiam?* Et infrà: *Consitendum est igitur cum debita laude Creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de sanctis Angelis posse dici, quod carnat Dei diffusa sit in eis per Spiritum sanctum, qui datus est eis.* Hæc ille, qui apertissimè distinguit in Angelis naturam à caritate, quam gratiam vocat, & non per creationem, sed per Spiritus sancti inspiratione diffusam in eis fuisse scribit. Denique nihil aliud hoc loco de Angelis dicit, nisi quod de hominibus dixit, libro de prædestinatione Sanctorum, capite 8. posse habere fidem, & caritatem, naturæ esse hominum, habere autem, gratiæ fidelium.

Qvarta obiectio, Sanctus Augustinus in libro de correptione & gratia, cap. 11. & in Enchiridio, cap 106. scribit, felicitatem illam, per quam homo neque peccare, neque mori poterit, id est, vitam æternam nunc esse munus gratiæ, quæ merces meriti futura erat, si primus homo in statu innocentiæ permansisset. Ex quo sequi videtur vt in statu innocentiæ nulla gratia opus esset ad vitam æternam promerendam, ac per hoc iustitia originalis, & ipsa caritas, per quam meremur, non donum gratiæ, sed conditio naturalis primis parentibus fuerit.

Responsio, Ex sententia sancti Augustini, merita

vitæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

vitæ æternæ vt nobis post lapsum Adæ sunt ex gratia, ita quoque Angelis sanctis, & ipsi Adæ ante lapsum fuerunt ex gratia: proinde in omni statu vita æterna & merces est, & gratia. Non potuisse Angelos, aut primum hominem in statu innocentiæ, meritum vitæ æternæ habere sine gratia, docet Augustinus in iisdem locis, vnde sumpta est obiectio. Nam in Enchiridio, cap. 106. cùm dixisset, *Natura humana* (felicitatem, qua mori non poterit) *est acceptura per gratiam quam fuerat, si non peccâsset, acceptura per meritum*, continuò subiungit, *Quamuis sine gratia nec tunc vllum meritum esse potuisset.* Et libro de correptione & gratia, capite 11. de statu primi hominis ante lapsum differens: *Nec ipsum*, inquit, *Deus esse voluit sine gratia sua, quia liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adiuuetur ab omnipotenti bono.* Vides igitur ex Augustino, neque Angelis, neque primo homini ante lapsum felicitatem esse potuisse mercedem, & non gratiam, cùm sine gratia nulla bona merita habere potuerint. Nobis autem post lapsum Adæ vitam æternam non esse solam gratiam, sed etiam mercedem, docet idem sanctus Augustinus in epistola 105. ad Sixtum: *Nulla ne*, inquit, *sunt merita iustorum? sunt plane, sed vt iusti fierent, merita non fuerunt.* Et infrà, *Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito iustitiæ tanquam stipendium vita æterna.*

Cvr ergo (inquies) si & nobis & illis vita æterna est merces, & gratia, sanctus Augustinus dicit in locis citatis, nobis vitam æternam esse donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat, si Adam non peccasset?

Respondeo, propter duas causssas.

Primvm, quia Angeli, & primus homo ante lapsum habuerunt solùm gratiam, qua possent bene mereri, & perseuerare si vellent, vt autem vellent, relictum est in eorum libero arbitrio: Sancti verò post lapsum Adæ, non habent solùm gratiam qua possint bene mereri & perseuerare si velint, sed habent gratiam quandam potentiorem, qua fit, vt velint, vt sanctus Augustinus docet libro de correptione & gratia, capite 11. & 12. Itaque respectu huius gratiæ, quæ facit nos velle, & perseuerare, dicitur vita æterna nobis donum gratiæ, Angelis autem, & primo homini, si non peccâsset merces meriti: Quamuis, vt ostendimus, absolutè vtrisque sit merces, & gratia. Quemadmodum autem gratia illa, quæ facit nos velle, non tollat liberum arbitrium, dicemus posteà suo loco.

Altera causssa est, quia nos post Adæ peccatum indigni facti sumus beatitudine, & digni miseria sempiterna neque solùm non habemus velle bonum, sed neque posse id velle, nisi ex noua Dei benignitate id assequamur. Quare respectu huius nouæ benignitatis, qua non eguerunt Angeli sancti, neque primus homo, si non peccâsset, eguisset, dicitur nobis beatitudo donum gratiæ, quæ alioqui merces meriti futura erat. Atque hoc est quod docet sanctus Augustinus in Enchiridio, cap. 106. cùm ait: *Sed post illam ruinam maior est misericordia Dei, quando & ipsum liberum arbitrium liberandum est à seruitute, cui dominatur cum morte peccatum.* Exemplum huius rei esse posset, si Rex quispiam athletas multos ad certamen pro insigni obtinendo brauio sua benignitate admitteret, eosdémque armis & cæteris necessariis rebus instrueret: Deinde aliqui ex iis fortiter pugnando ad palmam pertingerent, alij victi discederent: sed Rex victos illos, iterum ex noua liberalitate melioribus armis instrueret, atque ad pugnam rursus admitteret, ac demùm efficeret, vt ipsi quoque victores euaderent. Tametsi enim absolutè brauium omnibus qui vicissent & merces esset, & gratia: tamen si priores cum posterioribus conferrentur, rectè dici posset, prioribus mercedem meriti, posterioribus donum gratiæ brauium illud fuisse.

Qvinta obiectio, Sanctus Augustinus libro tertio de libero arbitrio, capite decimo octauo: sic loquitur: *Approbare falsa pro veris vt erret inuitus, & resistente atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse, à libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.*

Respondeo, Loquitur de natura, qualis fuit in primo homine, non qualis esse potuit. Nam in eodem libro (vt suprà notauimus) idem Augustinus scribit: Si ignorantia, & difficultas essent hominis primordia naturalia, non potuisse reprehendi, sed laudari Creatorem: Et satis copiosè disputat capite 20. & sequent. potuisse hominem creari, qualis nunc nascitur, etiam si nullum peccatum antea præcessisset.

Sexta obiectio. Sanctus Leo sermone 13. de passione Domini, vocat innocentiam primi hominis naturalem, cùm sic ait: *Liberatem itaque innocentiæ naturalis, quam primorum parentum prauaricatione perdidimus nulla per se Sanctorum præcedentium merita receperunt.* Responsio, Innocentiam naturalem vocat, quia ab initio conditionis cum ipsa natura tributa, & per modum naturę in posteros propaganda fuerat. Quemadmodum nunc peccatum originis dici potest naturale: iuxta illud: *Eramus & nos natura filij iræ. Ephes. 2.* Sed sicut peccatū illud, quamuis à natiuitate trahatur, tamen extrinsecus accedit naturæ, non autem ex naturæ principiis fluit: ita quoque donum innocentiæ originalis, etiamsi cum natura transfusum fuisset, non tamen ex naturæ principiis, sed ex munere supernaturalis gratiæ profluxisset.

Septima obiectio, Concilium Tridentinum sessione quinta docet, propter peccatum originis incurrisse nos potestatem diaboli, totúmque hominem secundùm corpus & animam in deterius esse mutatum. Hoc autem non est solùm priuari dono originalis iustitiæ ac gratiæ: nam homo in puris naturalibus sine gratia, in potestate diaboli minimè fuisset: non solùm ratione mortalitatis nostræ, sed etiam ratione peccati. Responsio. Nemo nostrum negat, propter peccatum originis nō solùm iustitia originali, & gratia nos esse miserè spoliatos, sed etiā incurrisse in diaboli potestatem, & totum hominem secundùm corpus & animam in deterius esse mutatum. Neque illud dicimus, hominē in puris naturalibus conditum, futurum fuisse in diaboli potestate, sed futurum fuisse quales nos sumus, quoad mortalitatem corporis, rebellionem membrorum, ignorantiam, difficultatem, & similia: ac proinde mutationem totius hominis secundùm corpus, & animam in deterius ex amissione iustitiæ originalis natam esse, ita vt nō sit opus dicere, Deum vel diabolum rebellionem carnis nobis inseruisse, aut nos dedita opera excæcâsse, cùm ignorantia & cupiditas, & alia id genus mala ex amissione iustitiæ originalis, vt ex remouente prohibens dimanare potuerit.

Octava obiectio. Naturalem carnis nostræ impetum magis nunc esse rebellem, quàm ante peccatum sine gratia futurus erat, ex doctrina Avgvstini clarissima argumenta peti possunt. Hęc enim sunt verba Augustini libro de correptione & gratia, capite vndecimo: *Ille, Adam videlicet, in bonis suæ naturæ erat, nos in malis naturæ sumus. Ille non eguit morte Christi, supple, vt sanitatem conseruaret. Nos egemus, supple, vt sanitatē recuperemus, clamāte Paulo. Quis me liberabit, &c. Ille non opus habuit adiutorio cōtra rixā carnis, nos illo opus habemus. Ille denique accepit gratiam, qua potuit si vellet, nos accepimus vt velimus, idque tantum velimus, tantóque ardore diligamus, vt voluntatem contraria concupiscentem voluntate Spiritus vincamus.* Hæc ille. Haud dubiè igitur pura illius naturalia, secluſa gratia, & dono iustitiæ, multò erant saniora, & puriora, vt quæ minori remedio conseruabantur, seu perficiebantur, quàm nostra sunt sublata iam gratia.

Responsio, Ex verbis S. Augustini non potest vlla ratione colligi naturalem carnis nostræ impetum magis nunc esse rebellem, quàm ante peccatum sine gratia futurus erat: neque illud, pura naturalia fuisse saniora, & puriora ante peccatum, quàm modò sint post peccatum. Nam primùm non dicit Augustinus, Adamum fuisse in bonis naturæ, nos esse in malis naturæ. Sed hęc sunt verba eius: *Ille in bonis erat, quæ bonitate sui conditoris acceperat.* Et paulò pòst: *Sancti vero in hac vita, ad quos pertinet liberationis hac gratia, in malis sunt, &c.* Vbi nulla fit mentio naturæ. Et ex superioribus verbis intelligimus, eum loqui de bonis gratiæ nō naturæ. Sic enim ait: *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? imo verò habuit magnam, sed disparem. Ille in bonis erat, quæ bona ate sui conditoris acceperat, &c.* Itaq; sensus eorum verborum esse videtur, Adamum fuisse in bonis gratiæ, originalisque iustitiæ, nos esse in malis, quæ ex amissione gratiæ redundarunt.

Sed fac, Augustinum dixisse, Ille erat in bonis naturæ, nos sumus in malis naturæ, quid inde colliges, nisi Adamum habuisse naturam per supernaturale donum sanatam ab eo morbo, qui ex conditione materiæ nasci potuerat: nos habere naturam dono illo priuatam, ac per hoc naturali ægritudini obnoxiam, atque subiectam? Deinde quod addit Augustinus, Adamum non eguisse morte Christi, nos egere: illam habet causam, quam ibidem idem Augustinus indicat, cùm ait, nos à reatu hæreditario & proprio, Christi sanguine liberari: hinc enim sequitur, vt Adam in illo statu Christi sanguine non eguerit, quia nullum habebat reatum hæreditarium, vel proprium, à quo liberandus esset: nos verò Christi sanguine egeamus, quia reatum proprium, vel hæreditarium omnes habemus. Quid autem hoc pertinet ad probandum, pura naturalia fuisse in primo homine secluſa gratia, saniora, quàm nostra sint?

Quod ibidem addit Augustinus, Adamum non eguisse adiutorio contra rixam carnis, nihil est mirum, cùm in eo iustitia originalis sustulerit rixam carnis, neq; enim scribit Augustinus Adamum in puris naturalibus, secluſa originali iustitia, non opus habuisse adiutorio contra rixam carnis, sed Adamum in illis bonis, id est, in statu illo felicitatis, in quo diuino munere originalis iustitiæ ornatus, atque instructus nullas carnis molestias patiebatur, non habuisse opus illo adiutorio, quod nos assiduè imploramus, cùm dicimus, Video aliam legem in membris meis, &c. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Proinde lætiore gratia donatus fuit Adam, nos potentiore, quia gratia in illo non solùm mentem subiiciebat Deo, sed etiam carnem spiritui, in nobis verò relicta pugna carnis cum spiritu, gratia Dei tanto ardore mentem subiicit Deo, vt appetitum contraria concupiscentem appetitu superiore vincamus. Hinc denique factum est vt placuerit Deo, primo homini iustitia originali prædito dare solùm gratiam, qua posset iustitiam operari, si vellet, nobis autem iustitia illa spoliatis dare gratiam potentiorem, qua re ipsa vellemus.

Nona obiectio, In paruulis quàm primùm adolescunt, maxima vanæ cupiditatis abundantia apparet, suaque sponte immani impetu in vitia vel omnia, vel plurima præcipites feruntur. De qua re lege Augustinū libro vigesimo secundo de Ciuitate Dei, capite vigesimo secundo. Non sic homo in puris naturalibus in lucem editus fuisset, nuda enim in illo fuisset possibilitas peccandi non præceps aliqua inclinatio.

Responsio. Probanda erat assumptio argumenti. Gratis enim assumitur, non talem fuisse futurum hominem in puris naturalibus conditum, vt in eo præter peccandi possibilitatem, esset etiam præceps in vitia inclinatio, qualis in nobis cernitur post lapsum Adæ. Quin potius apertissima ratio docet, talem omninò fuisse futurum hominem in puris naturalibus, vt in eo esset præceps illa in vitia inclinatio: Tvm quia obiecta sensuum propinqua, & præsentia sunt, obiecta autem spiritus quodāmodo absentia, ac longè remota; Tvm quia toto infantiæ, & pueritiæ tempore vix vllum habemus rationis vsum, ob naturalem organorum indispositionem, sensus autem & appetitus inferior quouis tempore vigent: Tvm denique quia nisi ex materiæ conditione illa inclinatio ad vitia oriatur, nulla eius causssa demonstrari potest, vt suprà ostendimus.

Decima obiectio, Si talis sensualitatis impetus, saltem secundùm quid, & ratione materiæ contra hominis naturam, in primo homine fuisset, tunc sanè etiam ante peccatum corruptam naturam, & ad peccatum allicientem homo habuisset. Sed si hoc ponatur, difficillimum erit Deum excusare, ne sit auctor peccati, qui impetum tam rebellem, & iniquum, ideoque malum, & quidem peccatum, quia inobedientia quædam est contra dominatum mentis (vt ait Augustinus libro quinto, capite tertio, contra Iulianum) ipsi naturæ ante vllum hominis demeritum indidit. Sed contra clamat Scriptura, quod Deus fecerit hominem rectum, vtique sine tali curuitate, ipse autem se immiscuerit infinitis quæstionibus, rixis videlicet, & pugnis carnalibus.

Responsio. In hoc argumento non rectè cōfunditur status, in quo Adam reipsa conditus fuit, cum eo in quo cōdi potuisset. Quod enim Scriptura clamat à Deo rectum hominem esse factum, ipsum autem se immiscuisse infinitis quæstionibus, verissimum est, quia Deus hominem (vt sæpè iam diximus) condidit vestitum originali iustitia, quæ pacem summam, ac lætissimam inter carnem & spiritum faciebat: ipse verò peccādo iustitiam illam amisit, atque ita pugnam carnis, ac spiritus sibiipse peperit. Sed si Deus hominem in puris naturalibus condidisset, fecisset quidem rectum in eo sensu, quia nullum ei vitiosum habitum inseuisset, sed obnoxium tamen rebellionis carnis ad spiritum.

Neque propterea difficile est demonstrare quemadmodum Deus non sit auctor peccati. Primvm enim rebellionem illam Deus non fecisset, etiamsi hominem in puris naturalibus condidisset, sed ea præter intentionem agentis ex conditione materiæ consequuta fuisset. Nam neque faber ferrarius rectè dici potest auctor rubiginis, quam gladius ferreus contrahit, tametsi gladium ferreum ipse fecerit. Deinde rebellio illa nec propriè peccatum est (vt in libris de peccato originis demonstrabimus. Vbi etiam locum Augustini in argumēto adductum exponemus) nec necessariò ad peccatum inducit, vt sanctus Augustinus disputat in libro tertio de libero arbitrio. Nam vel homini creato in puris naturalibus Deus præberet auxilium, quo posset concupiscentiam coērcere, aut certè cupiditatibus eius non consentire, vel non præberet: Si præberet, non necessariò homo concupiscentiæ cederet: Si non præberet, cederet quidem, sed nō sua culpa cederet, proinde nec peccaret. Atque hoc ipsum his verbis sanctus Augustinus scribit in libro de correptione & gratia, cap. 11. *Si autem hoc adiutorium vel Angelo, vel homini quam primum facti sum, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere si vellet, non vtique sua culpa cecidisset. adiutorium quippe defuisset: sine quo manere non possunt.*

Vndecima obiectio. Contra accusatores naturæ solent Patres peccati originis corruptelam nostro vitio inuectam opponere, non ipsam naturam, vt faciunt Ethnici, nouercam vocare. Vide Augustinum libro quarto in Iulianum. Libro secundo, capite vigesimo secundo, de peccatorum meritis & remissione. Et libro decimo quarto, capite decimo septimo de ciuitate Dei. Responsio, Rectè Patres docēt non esse naturam accusandam sed in originale peccatum nostrarum omnium ærumnarum causssam referendam. Nam (vt suprà non semel diximus) Deus hominem in ipsa conditione felicissimum fecerat, sed eundem hominem sua inobedientia miserrimum reddidit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

At, inquies, quod Philosophi Ethnici naturam accu- A
sent, eamque nobis non parentem, sed nouercam fuisse dicant, argumento est naturam humanam, qualis nunc est, non talem esse, qualis naturaliter esse deberet. RESPONDEO, Philosophos Ethnicos contraria de natura nostra sensisse, vt ostēdit Theodoretus libro quinto ad Græcos. Alij enim hominem miserrimum, alij fœlicissimum a natura conditum differebant. Tullius in tertio libro de Republica, apud Augustinum libro quarto in Iulianum, capite duodecimo, naturam nobis nouercam fuisse quæritur. Contra Plato in tertio item de Republica scribit, hominem per corpus fieri posse beatum, esseque animantium omnium felicissimum. Nec minus Galenus in libris de partibus, passim celebrat auctorem naturæ, vt qui cum hominum genere præclarissimè egerit.

Porrò cur Philosophi Ethnici inter se de natura huma
na dissenserint, caussa esse potuit, quia nonnulli spectarūt in homine in puris naturalibus constituto multa egregia bona, quæ in eo inesse, ac mirificé elucere nemo inficiari potest. Alij mentis oculos conuerterunt ad eos defectus, qui ex conditione materiæ præter intensionem agentis in hominis natura existunt, & quoniam æquum esse censebant, vt naturæ auctor hos etiam defectus suo beneficio summoueret. Ignorabant autem quod nos ex diuinis Scripturis didicimus, defectus illos à Deo in primi hominis conditione sublatos, rursus in pœnam peccati ex conditione materiæ oriri permissos, ideo sanctus Augustinus in quarto libro aduersus Iulianum, capite duodecimo, rectè scripsit: Philosophos qui naturam nouercam appellabant, rem vidisse, causſam ignorâsse.

DVODECIMA obiectio. Concupiscentiæ carnalis
inordinati motus maximè in genitalibus apparent. Sed illorum ante peccatum nullus fuisset inordinatus motus, sed generationi seruissent sine vllo libidinis actu, vt longa disputatione contra Pelagianos demonstrat Augustinus. Ergo nec alius vllus concupiscentię contra rationem impetus in puris naturalibus locum habere potuit, RESPONDEO, Assumptio argumenti probanda fuerat. Nam S. Augustinus longa disputatione contra Pelagianos demonstrat quidem non fuisse in primo homine iustitia originali prædito, vllum libidinis æstum, de qua re nulla apud nos dubitatio est, nó tamen demóstrat, in puris naturalibus nullum fuisse æstum libidinis, sed contrarium potius demonstrat in tot locis à nobis supra citatis. Quare conclusio illa (Ergo nec alius vllus concupiscentiæ contra rationem impetus in puris naturalibus locum habere potuit) nec Augustino, nec veritati consentanea est.

Addi potest obiectio DECIMATERTIA in hunc
modum, Æterna beatitudo finis est hominis naturalis, vt sanctus Thomas docet in prima parte, quæstione duodecima, articulo primo, debuit igitur homo media naturalia habere ad eum finem consequendum. Alioqui rebus omnibus esset miseriot, & abiectior, cùm res cæteræ fines suos propriis, ac naturalibus viribus assequantur. Iustitia ergo, & cæteræ virtutes, quæ ad beatitudinem adipiscendam necessaria sunt, primo homini necessaria fuerunt.

RESPONDEO, Non parua quæstio est, sit ne sempiterna beatitudo, quę in visione Dei sita est, finis hominis naturalis, an supernaturalis. Sed quia non multum facit ad rem nostram illius quæstionis explicatio, admissa parte affirmante, Respondeo, Beatitudinem finem hominis naturalem esse quoad appetitum, non quo ad cōsequutionem. Neque est aut nouum, aut hominis natura indignum, vt naturaliter appetat, quod non nisi supernaturali auxilio consequi valeat. Non est, inquam, nouum, siquidem animæ hominum solutæ corporibus naturalem habent ordinem, & propensionem ad corpora, quorum formę fuerunt, nec tamen iterum coniungi corporibus sine supernaturali auxilio poterunt. Non est au- A
tem natura humana indignum, sed contra potiùs ad maximam eius pertinet dignitatem, quod ad sublimiorem finem condita sit, quàm vt eum solis naturæ suæ viribus attingere possit.

DICET fortasse quispiam, Esto, egeat homo superna
turalibus mediis: tamen id sequetur, vt non potuerit sine mediis illis creari, ac per hoc non poterit talis creari, qualis nunc nascitur, neque enim ad finem inferiorem condi potuit, nisi natura eius mutaretur, neque negari media potuerunt ad finem naturalem obtinendum.

RESPONDEO, æquum omninò fuisse, vt Deus ho-
mini ad finem tam sublimem ordinato media necessaria non negaret: tamen nihil absurdi sequuturum, si negâsset. Nam tametsi summa illa beatitudo sit finis hominis naturalis, tamen est finis improportionatus, & præter eum habet homo alium finem naturalem sibi omninò proportionatum, qui est ratiocinando inquirere veritatem: Quare potuit Deus hominem per naturalia media ad finem naturæ suæ proportionatum perducere: nec altius euehere. Cuius rei exemplum habemus in vespertilione, qui naturalem habet capacitatem, & appetitum videndi solem, & tamen credibile est nunquam futurum, vt is videat solem, sed lumen tantùm debile, ac subobscurum, quod est obiectum oculorum eius, non solùm naturale, sed etiam proportionatum.

CAPVT OCTAVVM.

Adamum, eiúsque posteros nequaquam mori potuisse, nisi peccassent.

DISSERVIMVS hactenus de donis supernaturalibus, quæ ad animum primi hominis in statu innocentiæ pertinebant. Nunc de corporis immortalitate disputandum erit. Duo siquidem errores, quemadmodum de iustitia originali, ita etiam de corporis immortalitate reperiuntur.

PRIOR fuit Pelagianorum, qui affirmabant hominem fuisse moriturum, etiamsi non peccasset, vt S. Augustinus testatur in libro de hæres. capite octogesimo octauo. Ad quem errorem proximè accessit Augustinus Eugubinus in annotationibus ad secundum caput Geneseos. Scribit enim ex Adami lapsu genus humanum in mortem animæ, non corporis incurrisse, & fuisse homines morituros, quamuis nó peccasset, Addit tamen se id, si forte contra fidem sit, omninò damnare, ac retractare.

POSTERIOR eorum est, qui non solùm docent, ho-
minem, nisi peccâsset, non moriturum, sed etiam illam eius immortalitatem naturalem dicendam esse volunt, non supernaturalem. Quæ sententia videtur sequi ex illa, quam suprà refutauimus de iustitia originali. Et huc pertinet articulus septuagesimus quintus eorum, quos nuper Pius V. & Gregorius XIII. damnauerūt. Sic enim habet: *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis eius conditio.* Nos igitur vtrumque errorem breuiter confutauimus, ac primùm ex Scripturis, ex Patrum testimoniis, ex ratione ipsa perspicuè demonstrabimus, mortem pœnam esse peccati, ac per hoc neque Adamum, neque eius posteros potuisse mori, nisi culpa præcederet. Deinde probabimus, hanc primi hominis immortalitatem non naturalem, sed supernaturalem, nó debitam, sed gratuitam, non naturæ conditionem, sed gratiæ beneficium esse nominandum.

Quod igitur ad PRIMVM attinet mortem pœnam
esse peccati, colligitur ex verbis illis Geneſis secundo: *Quacunque die comederis, morte morieris.* Quorsum enim

mortis comminatio in præuaricationis pœnam, si Adam A
etiam non peccando moriturus erat? Respondebāt olim Pelagiani (teste S. Augustino libr. 1. de peccatorum meritis & remissione, cap. 2.) hunc locum de morte animæ, non de morte corporis intelligendum esse, quemadmodum intelligimus illum: *Sine mortuos sepelire mortuos suos.* Sed refellit sanctus Augustinus hanc explicationem ex verbis illis Geneſis tertio: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Dominus enim his verbis Adamum damnat ad eam pœnam, quam illi fuerat antea comminatus. Proinde vnus locus alium explicat. Certum autem est corpus, non animam ex puluere factum esse, & per mortem in puluerem rediturum. Quare beatus Hieronymus in quæstionibus Hebraicis laudat Symmachum, quod hoc loco verterit, quacunque comederis, mortalis eris, quia videlicet Adam per transgressionem non erat continuò moriturus, sed certè morti obnoxius futurus.

Neque his repugnat quod sanctus Gregorius libro B
quinto, epistola decima quarta exponat hunc locum de morte animæ. Nam de vtraque morte intelligi potest, & plenus commentarius erit, si explicationem Augustini, & Gregorij coniungentes dicamus, Deum minatum esse Adamo mortem animæ, & consequēter necessitatem moriendi etiam corporaliter, cum immortalitas corporis (vt paulò pòst demonstrabimus) ex vita animæ, id est, ex Dei gratia, & amicitia dependeret. Immò sanctus Augustinus libro 13. de ciuitate Dei, cap. 12. hunc locum de triplici morte intelligit propter eandem rationem, quia vna est causſa alterius, de morte videlicet animæ per amissionem gratiæ, de morte corporis per amissionem animæ, & de morte nouissima per amissionem gloriæ. Et ante eum sanctus Ambrosius in libr. de paradiso, cap. 9. scribit, ideo dictum esse morte morieris, & non simpliciter morieris, quia de morte corporis, & animæ sermo erat.

Sed præter hunc locum, habemus alia multa, eaque C
tam perspicua, vt nullo modo in aliam sentētiam detorqueri valeant. Quid enim apertiùs illis verbis? Sapient. 1. *Deus mortem non fecit.* Et Sap. 2. *Deus creauit hominem inexterminabilem: inuidia autem diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Et Rom. 5. *Per vnum hominem peccatū in hunc mundū intrauit, & per peccatū mors.* Et Ro. 6. *Stipēdiū peccati.* Et Ro. 8. *Si autem Christus in vobis est, corpus quidē mortuū est propter peccatū, &c.* Notat autem S. Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, cap. 5. Apostolum noluisse dicere, corpus mortale est propter peccatum, sed mortuū, quia etiā ante peccatū corpus Adami erat aliquo modo mortale, sed per peccatum coniectum est in necessitatem ineuitabilem moriendi. Id autem quod necessariò breui futurum est, quodque iam imminet, vsitatè dicitur D
factum. Denique 1. Corinth. 15. S. Apostolus non semel repetit hanc veritatem, cùm ait: *In Adamo omnes moriuntur.* Et: *Per hominem mors.* Et: *Stimulus mortis peccatum est.*

HIS accedunt Conciliorum definitiones. Sic enim
legimus in Concilio Mileuitano, canone 1. *Placuit, vt quicunque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita vt siue peccaret, siue non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.* Et in Concilio Arausic. can. II. *Si quis soli Adæ præuaricationem suam, non etiam eius propagini asserit nocuisse, aut certè mortem tantùm corporis, quæ pœna peccati est, non autem & peccatum: quod mors est animæ, per vnum hominem in omne genus humanum transisse testatur, iniustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors in omnes homines pertransit, in quo omnes peccauerunt.* Atque his similia leguntur in Concilio Trident. sess. 5.

Accedat VLTIMO (vt Patrum testimonia, quæ ob-
uia sunt, omittamus) argumentum ex ratione petitum. Non potest homo defungi vita, nisi vno ex his quatuor modis, vt scilicet aut externa vi opprimatur, aut fame, siue deficiat, aut morbis ex interna humorum intemperie extinguatur, aut tandem senio contabescat. At primus homo sapientissimus erat, & rebus omnibus, quæ infra ipsum erāt, liberè dominabatur, vt perspicuum est ex nominibus, quæ animantibus omnibus imposuit, & ex illa Dei voce: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, &c. Genes. 1. & 2.* Quare nouerat omnia noxa, & ea vitare poterat, & debebat, & nisi vitasset, peccatum haud dubiè commisisset, ac proinde non in statu innocentiæ periisset.

Ne autem dormienti noxium aliquid accideret, aut
alio modo Adam extrinsecus lęderetur, vigilabat oculus diuinæ prouidētiæ, & Angelorum custodia. Quod enim de homine iusto legimus: *Dominus custodiet te ab omni malo. Psal. 120.* Et: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. Psal. 90.* dubitari non potest, quinetiam B
de Adamo, quo tempore iustus, & amicus Dei erat, dici potuisset.

Vt autem ciborum inopiâ homo non moreretur, pro-
uiderat Deus multos arborum fructus, ex quibus si vesci nollet ad vitam sustentandam, planè peccaret. Nam & Deus dixerat: *De omni ligno comede, &c. Genes. 2.* Et ratio naturalis, id est, lex diuina in corde scripta dictabat necessarium esse vti cibis, quos Deus creauerat.

Ad hæc, ne ex humorum intemperie morbi, ac mors
accidere possent, data fuerat homini iustitia originalis, quæ non solùm appetitum inferiorem rationi, sed etiam corpus animæ perfectè subiiciebat, vt homo in eo statu felicitatis incredibili pace intus & extrà frueretur.

Denique ne senio ex debilitate virtutis nutrientis cō-
tabesceret, ac deficeret, constituerat Deus, aut per vsum ligni vitæ corroborare vim nutrientem, aut antè transferre homines ad statum gloriæ, quàm senescendi tempus accederet. Loquor autem sub disiunctione, quia duæ sunt opiniones de vsu ligni vitæ, vt in vltimo capite demonstrabitur.

CAPVT NONVM.

Immortalitatem primi hominis supernaturalem fuisse non naturalem.

AMVERO primi hominis immortalitatem, supernaturalem fuisse, nó naturalem, constans est sanctorum Patrum sententia. S. Augustinus lib. 6. de Genes. ad literam, c. 25. *Aliud est*, inquit, *non posse mori, aliud posse non mori, secundum quendam modum primus creatus est homo immortalis, quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ.* Et paulò pòst. *Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris.* Lib. 13. de ciuita. Dei. cap. 20. loquens de immortalitate primorum hominum: *Quis status* inquit, *eis de ligno vitæ, quod in medio paradisi cum arbore vetitæ simul erat, mirabili Dei gratia præstatur.* Et lib. 1. de pec. merit. & remiss. *Si Deus* inquit, *Israëlitarum vestimentis, & calceamentis præstitit, quod per tot annos non sunt obtrita, quid mirum si obedienti homini eiusdem potentia præstaretur, vt animale, & mortale habens corpus, haberet in eo quendam statum, quo sine defectu esset annosus, tempore quo Deus vellet, à mortalitate ad immortalitatem sine media morte venturus? Sicut enim hæc ipsa caro, quam nunc habemus, non ideo non est vulnerabilis, quia non est necesse, vt vulneretur: Sic illa non fuit mortalis, quia non erat necesse vt moreretur. Talem quo habitudinem adhuc in corpore animali, atque mortali etiam illis, qui sine morte hinc translati sunt, fuisse concessam. Neque enim Henoc & Helias per tam longam ætatem senectute marcuerunt.*

Hoc loco multis modis docet Augustinus primi no-
stri parentis corpus natura sua fuisse mortale, sola autem gratia conditoris immortale. Primo, quia comparat immortalitatem primi hominis cum vestimentis, & calceamentis Israëlitarum, quæ in solitudine per annos qua-

Universidad de Deusto
Biblioteca

draginta octoria non sunt. Neque enim dubitari potest, quin ea vestimenta, & calceamenta naturaliter corrumpi debuerint. Secundo, quia comparat statum primi hominis ante peccatum cum statu Henoch, & Heliæ, quos certum est corpus habere mortale, & aliquando moriturum; tametsi diuina gratia per tot seculorum curricula conseruetur. Tertio, quia bis, terue dicit, corpus primi hominis fuisse mortale, & à mortalitate ad immortalitatem quandoque sine media morte venturum. Quod si mortale erat, certè natura mortale erat: nisi quis ita desipiat, vt mortalitatem primi hominis adscribat gratiæ, immortalitatē naturæ Quarto, quia dicit sic fuisse mortale corpus illud, quamuis nunquam moriturum, quemadmodum caro nostra vulnerabilis est, quamuis non sit eam necesse vulnerari. Cato autem nostra natura vulnerabilis est, sed diligenti custodia fieri potest, vt nunquam vulneretur. Igitur & illud corpus natura mortale erat, sed diuina gratia futurum erat, vt nunquam moreretur.

S. CYRILLVS libro primo in Ioan. cap. 15. *Rationale*, inquit, *animal homo a Deo productus, quia natura sua incorruptibilis atque perpetuus esse non poterat. spiritu vitæ signatus immortalitatis bonum super naturam suam consequutus est.* Eandem sententiam habent Theologi Scholastici cum Magistro Sententiarum lib. 2. distinctione 19. quam etiam ratio euidens, ac certa confirmat. Nam cùm hominis natura ex contrariis elementis, atque humoribus constet, intrinsecam potentiam ad corruptionem habet: proinde immortalitas est ei præter naturam, vel potius suprà naturam, mortalitas autem naturalis. Præterea homo in statu innocentiæ generabilis erat, cùm ei dictum esset, Genes. 1. *Crescite & multiplicamini*: igitur & corruptibilis natura sua, quamuis diuino beneficio futurum erat vt non corrumperetur. Item in statu innocētiæ natura humana cibo, & potu indigebat, vt perspicuum est ex ca. 1. Gen. vbi dantur herbæ, atque arborum fructus tum homini, tum animantibus cæteris in escā: At corpus, quod cibo indiget, vt conseruetur, & si non alatur, perit, certè mortale natura sua esse conuincitur. Huc denique pertinet locus ille Scripturæ, Gen. 3. *Puluis es, & in puluerem reuerteris*, vt suprà initio disputationis deduximus.

OBIICIET aliquis testimonium S. Augustini ex lib. 13. de ciu. Dei, cap. 15. vbi sic legimus: *Consitat inter Christianos vt uaciter Catholicam tenentes fidem, etiam ijs fam nobis corporis mortem non lege naturæ, sed merito inflictam esse peccati.* Respondeo, significat his verbis S. Augustinus, moriēdi necessitatem, quæ ex natura hominis secutura erat, per Dei gratiam fuisse sublatam, & ideo mortem, quæ nunc regnat in nobis, non lege naturæ, sed merito inflictam esse peccati.

SECVNDO posset obiici testimonium Conc. II. Arausicani, can. 2. vbi dicuntur iniustitiam Deo dare, qui asserunt homines morituros fuisse, quamuis nō peccassent. Nam si mors homini naturalis esset, profectò sine vlla Dei iniustitia homines mori possent: quemadmodum animantia cætera sine vlla Dei iniustitia moriuntur. Respondeo, Si in puris naturalibus homo fuisset cōditus, potuisset vtique sine vlla Dei iniustitia mori: quia verò Dei benignitate moriendi necessitas ab hominis natura sublata, & in peccati stipendium commutata fuerat: non potuit sine iniustitia fieri, vt homo sine vllo culpæ merito moreretur. Præterea mors, quę homini in puris naturalibus condito natura debitum fuisset, nunc sine dubio pœna est: Pœna autem iusta esse nó potest, nisi quam culpa præcessit. Quare iniustitiam nunc Deo daret, qui diceret hominem ex naturæ debito, non ex peccati merito vitam finire.

Obiici posset vltimo, Animam rationalem natura immortalem esse, proinde corpus illi dandum fuisse, quod esset naturaliter immortale, ac per hoc immortalitatem homini naturalem esse, mortalitatem autem præter naturam. Respondeo, animæ rationali, qua immortalis est, corpus immortale aptissimè congruebat: quia tamen eadem anima corporis forma est, simpliciter ei corpus attribuendum fuit, quod esset aptum ad functiones, quas eadem anima in corpore exercere debebat. Porrò functiones, quas nunc exercemus, & quę nobis etiam in statu innocentiæ exercendæ fuissent, requirunt corpus ex contrariis humoribus, & qualitatibus temperatum, ex qua temperatione moriendi necessitas naturaliter sequitur. Itaque absolutè corpus primi hominis natura sua mortale dici debuit, per gratiam Opificis immortale.

CAPVT DECIMVM.

Paradisum terrestrem, corporalémque fuisse, in quo Adam in statu innocentiæ habitauit.

DISSERVIMVS hactenus de gratia, & de immortalitate primi hominis, id est, de bonis animi, & corporis eidem à conditore concessis: nunc de bonis externis, de paradiso, & ligno vitæ breuiter disseremus.

Est autem prima quæstio, fuerítne Paradisus locus aliquis verus, & corporalis, vt Scriptura in libro Geneseos significare videtur, an potius spiritalis, ac (vt sit loquar) allegoricus. Non defuerūt ex veteribus, qui totam illam historiam de Paradiso, de fluminibus, & arboribus destruere, & in meras allegorias trāsmutare voluerint. Nota est sententia Philonis Hebræi in libro primo Allegoriarum, Valentini Hæresiarchæ apud Iræneum lib. 1. aduersus hereses. cap. 1. ante medium, & Origenis in commētario libri Geneseos. Sed nostro seculo (quod mirum videri debet) sentētiam iam olim à Patribus damnatam, iterum reuocauit ad lucem, ac propugnare conatus est Franciscus Georgius in tomo primo problematum, exponens illa verba: *Plantauerat Dominus paradisum voluptatis. Gen. 2* Et in harmonia mundi, cantico primo. Tom. 7. cap. 21. cuius rationes paulò pòst refellemus.

Igitur paradisum locum fuisse corporeum plantis veris, corporatisque plenum, & veros fontes, fluminibusq; irriguū probare possumus. Primo ex diuinis literis. quæ ita describunt paradisum, vt ambigi non possit quin sit locus verus, & corporalis, Gen. 2. *Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio, & in eo posuit hominem, quem formauerat.* At plantari corporeum est, & homo corporalis, & animalis, qualem fuisse Adamum omnes fatentur, in loco vero & corporali poni debuit. Item ibidem additur: *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui diuiditur in quatuor capita, nomen vni Phison, &c.* At flumina ista vera, corporalia, aspectabilia, nauigabilia, & potabilia sunt, vt perspicuum est de Euphrate & Tigri notissimis, maximisq; fluminibus. Rursus, c. 3. Adam & Eua absconderúnt se inter ligna paradisi, consueruntque sibi perizomata de foliis ficus. Erant igitur in paradiso vera, & corporalia ligna, inter quæ latere poterant homines veri, & corporales: erant etiam folia ficulnea vera, quibus vera hominum membra tegi poterant. Denique ibidem legimus eiectum fuisse Adamum de paradiso, custodiamq; Angelorum adhibitam, ne aditus ei pateret ad lignum vitæ. At si lignum vitæ fuisset solùm spiritale, sapientia videlicet, aut virtus aliqua, vt quidam somniant, tanta diligentia Deus non cauisset, ne ad ipsum hominibus aditus pateret. Siquidem in libro Prouerb. cap. 3. vbi sapientia dicitur lignum vitæ, passim homines inuitantur ad sapientiam, & virtutem.

Accedant secundo, testimonia Patrum, qui sententiam Origenis, vt planè erroneam, & cum orthodoxa fide pugnantem refellunt. S. Methodius apud Epiphanium in hæresi, quæ est 64. *Paradisus*, inquit, *vnde in primo*

primo parente eiecti sumus, ex hac terra palam est locus eximius ad huc modum quietem, & vitam meliorem Sanctis destinatur. Ab ipso Tigris, & Euphrates, & reliqui fluuij, qui illis profunduntur, hic apparent fluxionum excursus in nostrum continentem inundantes. non enim ex supernis de cœlis effunduntur, ac eliduntur. nam neque sustinere potuisset terra, vt tantam aquæ molem aceruatim ex alto delabentem susciperet. &c.

S. EPIPHANIVS in epist. ad Ioan. Episcopum Hierosolymæ: *Quis*, inquit, *audiat in tertio cœlo donantem nobis Origenem paradisum, & illum, quem Scriptura commemorat, de terra ad cœlestia transferentem, & omnes arbores quæ scribuntur in Genesi sic allegoricè intelligentem, quod scilicet arbores angelicæ fortitudines sint, cùm hoc veritas non recipiat?*

S. HIERONYMVS in epist. ad Pammachium de erroribus Ioan. Hierosol. enumerans Origenis errores: *Sextum*, inquit, *quod sic paradisum allegorizet, vt historiæ auferat veritatem, pro arboribus angelos, pro fluminibus virtutes cœlestes intelligens, totamq; paradisi continentiam tropologica interpretatione subuertens.* Et in commen. c. 10. Daniel exponens illud: *Die autem vigesima & quarta mensis primi eram iuxta fluuium magnum, qui est Tygris. Vnde*, inquit, *eorum deliramenta conticescant, qui umbras, & imagines in veritate quærentes, ipsam conantur euertere veritatem, vt flumina, & arbores, & paradisum putent allegoriæ legibus se debere subuertere.*

S. IOAN. CHRYSOSTOMVS hom. 13. in Gen. *Idcirco*, inquit, *nomen loci Scripturis inseruit B. Moses, vt non liceat nugari volentibus imponere simpliciorum auribus, ac dicere, nullum esse in terra hortum, quem dicunt paradisum, sed in cœlo, & fabulas quasdam eiusmodi somniare.*

S. AVGVSTINVS lib. 13. de ciu. Dei, cap. 21. posteaquam pluribus verbis confutauerat eos, qui paradisum ita spiritalem faciebant, vt corporalem esse negarent, concludit hoc modo: *Hæc & si qua alia commodius dici possunt, de intelligendo spiritualiter paradiso, nemine prohibente dicantur, dum tamen & illius historiæ veritas fidelissima rerum gestarum narratione commendata credatur.* Et lib. 8. de Gen. c. 1. eorum sententiam probari sibi affirmat, qui paradisum corporalem simul, & spiritualem fuisse docent. E quorum numero est sanctus Basilius, quin libro de Paradiso, tametsi Origenis, & errorum eius non fecerit mentionem, exponit tamen narrationem de paradiso, & secundùm historię veritatem, & secundùm intelligentiam spiritualem. Quod idem fecisse S. Ambrosium paulò pòst demonstrabo. Vide etiam Theodoret. q. 24. & 29. in Genes. Io. Damascen lib. 2. de fide orthodoxa. c. 11. Bedam, Eucherium & Rupertum in cap. 2. li. Gen. adde & Scholasticos Doctores in 2. Sent. dist. 17. Omnes enim communi consensu paradisum corporalem faciunt. Adde postremò argumenta Francisci Georgij leuissima esse, vt meritò mirari possis, virum alioqui doctum ob tam debiles ratiunculas à communi totius Ecclesiæ sententia recedere potuisse.

CAPVT XI.

Soluuntur obiectiones.

IGITVR prima eius obiectio talis est. Nusquam legitur in Scriptura, paradisum in terra fuisse plantatum. Respondeo, satis id colligitur ex eo quod dicitur plātatus. Neque enim nisi in terra plātari queunt horti. Quod idem apertissimè docent arbores, & flumina, & cæteraquæ in paradisi descriptione ponuntur. Alioqui eadem forma argumentationis ita colligere possemus, nusquam legimus in Scriptura primum hominem habuisse præcordia: non igitur habuit ille præcordia.

SECVNDA obiectio, Si paradisus terrenus, & corporalis esset, certè tertia die condi debuisset, tunc enim iussu Dei protulit terra herbam virentem, & omnes arbores. At paradisi & arborum eius productio post sextum diem facta describitur. Respondeo, S. Basilius in lib. de paradiso existimat paradisum, eiusque arbores creatas fuisse speciali quadam prouidentia Dei non cum cæteris plantis tertia die, sed seorsim alio tempore. Sed possūmus etiam dicere, arbores paradisi, atq; adeò ipsum paradisum tertia die fuisse conditum, cæterum quia res erat maximè memorabilis, fusiùs descriptam fuisse productionem eius post narrationē operum sex dierum. Nam Adami quoque productio ex limo terræ, & Euæ ex latere viri describitur post narrationem operum sex dierum, & tamen constat eos creatos fuisse sexta die. Fortasse etiā ideò interpres Latinus reddidit, Plantauerat autem Dominus paradisum, & nō plantauit Dominus paradisum, vt significaret, non tunc primum conditum paradisum, sed multò anteà, nimirum tertia die.

TERTIA obiectio, Frustra paradisus ille terrenus creatus fuisset, quippe qui nulli vsui esset futurus, cùm non ignoraret Deus hominem peccaturum, & ex eo loco proiiciendum. Respondeo, Theodoret. q. 24. in Gen. annotauit, non frustra conditum paradisum, quamuis Adam omninò modico tempore in eo habitaturus esset, primum quidem quia non parum vtilis esse potuit homini deinceps ad peccatum fugiendum recordatio tam iucundæ habitationis, à qua ob inobedientiam se excidisse nouerat. Deinde quia Deus non punit homines antequā peccent, neq; definiuit eis benefacere ex eo solum, quod præuidet peccaturos. Addunt alij nunc etiam vsum esse aliquem paradisi, cum in eo Henoch, & Helias habitare credantur. Addi potest, vtilem quoque nunc esse nobis terrenum illum paradisum, vt in descriptione illa tam insignis loci, tanquam in imagine quadam intueamur excellentiam spiritalis, ac cœlestis paradisi. Denique si nó frustrà datum fuit homini vt posset non mori, & non peccare, & vt originali iustitia insignis esset, quamuis nō ignoraret Deus, hominem peccaturum, & moriturum, & dona illa eximia breui amissurum, profectò nec frustrà dici debet conditus paradisus, tametsi Adamus eo diu non esset vsurus.

QVARTA obiectio, S. Hieronymus in quæstionibus Hebraicis, exponens illud: *Plantauerat Dominus paradisum voluptatis à principio*, scribit, paradisum ante cœlum & terram fuisse creatum: At fieri non potest, vt paradisum terrenum, & corporalem Hieronymus crediderit ante cœlum & terram extitisse: igitur sententia sancti Hieronymi paradisus non est terrenus, & corporalis, sed diuinus & spiritualis. Respondeo, S. Hieronymus aut eo loco ex aliorum sententia loquutus est, vt sæpè fecit in commentariis epistolæ ad Ephesios, & in aliis locis: aut significare voluit, paradisum conditum fuisse antequam cœli, & terræ fabrica omninò perficeretur, quod verissimum est. Nam etiamsi tertia die, qua paradisus conditus creditur, cæli & terræ opificium inchoatum esset, non tamen absolutum erat. Nam quarto die cœlum syderibus, quinto autem, & sexto terra animantibus ornata fuit. Certe de sancti Hieronymi sententia nullo modo dubitari potest, vt paulò antè ex verbis eius ostendimus.

Addere possumus ad has quatuor Francisci Georgij obiectiones, duas alias.

Est igitur QVINTA obiectio, qua vtebantur veteres Valentiniani, & Origeniani, Apostolus Paulus in epist. posteriore ad Cor. 12. scribit se raptum fuisse in tertium cœlum, & continuò idipsum repetens dicit, se raptum in paradisum: igitur in tertio cœlo est paradisus. Respondeo, beatus Methodius apud Epiphanium, & ipse sanctus Epiphanius locis antea notatis docent, duos fuisse Apostoli raptus, vnum in tertium cœlum, alterum in paradisum, proinde non debere ex hoc loco colligi, in tertio cœlo esse paradisum. Faciliùs responderi potest, non esse eundem paradisum, ex quo eiectus fuit Adam, & in quem raptus fuit Paulus, vt rectè docet commentarius

Universidad de Deusto
Biblioteca

sancto Ambrosio inscriptus, in cap. 6. prioris ad Corint. A Vox enim *Paradisus*, locum deliciarum, siue hortum significat, & in scripturis interdum accipitur pro paradiso corporali, non solùm Genes. 2. & 3. sed etiam Ecclesiastæ 2. vbi enim nos legimus: *Feci mihi hortos, & pomaria*, in Hebræo habetur, *hortos & paradisos*. Et Canticor. 4. *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus*: Interdum autem pro paradiso spirituali, cuius corporalis ille figura fuit, vt Ezechiel. 28. *In deliciys paradisi fuisti*. Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiso*. Et Apocal. 2. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei*. Et sine dubio sic accipiendus videtur paradisus. 2. ad Corint. 12.

Sexta obiectio ducitur ab auctoritate sancti Ambrosij, qui non solùm in lib. de paradiso totam illam narrationem mysticè, & spiritualiter explicat, sed etiam in epist. 42. ad Sabinum, iam (vt ipse dicit) veteranus Sacerdos, interrogatus à Sabino per literas, quid sentiret de B paradiso, respódit, se de ea re librum integrum scripsisse, & commemoratis aliorum sententiis, dicit, in eo conuenire omnes, vt spiritualis sit: *Omnes*, inquit, *congruunt, in paradiso & lignum vitæ radicatum, & lignum scientiæ, quæ discernat bonum & malum: cætera quoque ligna plena vigoris plena viuificationis spirantia, & rationabilia*. Ex quibus colligitur paradisum ipsum non terrenum videri posse, non in solo aliquo, sed in nostro principali, quod animatur, & viuificatur animæ virtutibus, & infusione Spiritus Dei. Respódeo, S. Ambrosius non negauit, paradisum, in quo fuit Adam, corporalem fuisse, sed eo posito, vt certo ex historia sacra, totus fuit in explicandis paradisi significationibus, atque mysteriis occupatus. Quod multis modis probare possumus.

Primo, quia in libro de paradiso capite primo, habet hæc verba: *In hoc ergo paradiso Deus hominē posuit quem* C *plasmauit. Intelligit quod non eum hominem, qui secundum imaginem Dei est posuit: sed eum qui secundum corpus. incorporalis enim in loco non est*. Hæc verba satis apertè indicant, paradisum ex Ambrosij sententia fuisse corporalem, cùm in eo positus fuerit Adam, quà corpore, non quà spiritu prædituserat.

Secvndo, quia in eodem lib. cap. 3. fatetur Ambrosius de Paradiso egredi flumina illa, Phison, Geon, Tigrim, & Euphratē, & explicat, Phison ipsum esse Gangem, Geon autem Nilum, flumina veristima, atque notissima. Et addit Tigrim, & Euphratem, quæ fluunt de paradiso, ipsa esse, quæ ita mediâ includunt Mesopotamiam, vt inde ea regio nomen acceperit. Quod si flumina corporalia in paradiso oriri, & inde egredi sanctus Ambrosius credidit, profectò paradisum ipsum corporalem fuisse minimè dubitauit.

Tertio, quia in eodem libro, cap. 7. proponit quæstionem, vnde mors Adæ acciderit, vtrum à natura ligni, an à Deo, & respondet, mortem neque à natura ligni, neque à Deo accidisse, sed ab inobedientia Adami, qui de fructu ligni vetiti gustare præsumpsit. In qua quæstione, & quæstionis solutione, pro comperto accipit illud lignum fuisse corporale.

Qvarto, quia in epistola 42. supra citata ad Sabinum, posteaquā dixerat, varias de paradiso extare sententias, ita subiungit: *Nam Iosephus*, inquit, *vtpote Historiographus: locum dicit refertum arboribus, virgultisq; pluuiis, irrigari etiam fluuiine, qui diuiditur in quatuor fluuios, &c.* Vbi Iosephum non damnat, sed tantùm indicat, eum vt historicum de solius historiæ descriptione fuisse sollicitum. Ex quo intelligimus, historiam rei gestæ ab Ambrosio non negari, sed omitti vt rem notam, atque ab aliis explicatam, alioqui non diceret, Iosephum, vt historiographum, paradisum corporalē descripsisse, sed vt Iudæum nihil nisi corporales delicias somniantem.

Qvinto, qui in eadem epistola dicit, omnes in eo conuenire vt in paradiso fuerint ligna spirantia, & rationabilia. Quod quidē si de paradiso mysticè accepto intelligatur, verum erit, si de paradiso simpliciter, neque verum est, neque potuit sancto Ambrosio in mentem cadere, vt id verum crederet. Nam, vt omittam scripta sancti Epiphanij contra Origenistas negantes paradisum corporalem, quæ non videntur incognita sancto Ambrosio esse potuisse: Certè legerat idem Ambrosius librum S. Basilij de paradiso. Quemadmodum enim ex homiliis Basilij de opere sex dierum, composuit Ambrosius suum Exameron, ita ex lib. eiusdē de paradiso multa in suum librum de paradiso transtulit. Basilius autem apertissimè paradisum corporalem fuisse scribit, & simul mysticas eiusdem paradisi significationes exponit. Quod igitur Ambrosius ait, paradisum ipsum non terrenum videri posse, non in solo aliquo, sed in nostro principali, non de quocunque paradiso accipiendum est, sed de eo tantùm, in quo paulò antè dixerat, inesse ligna spirantia, & rationabilia.

CAPVT XII.

Locum terrestris paradisi, à cognitione humana remotissimum esse.

Altera de paradiso quæstio est, in qua parte terrarum sit paradisus. Quidam arbitrati sunt, totum orbem terrarum esse paradisum illum, de quo Scriptura loquitur Genes. 2. In qua sententia videtur esse Iosephus lib. 1. antiquitatum, cap. 2. vbi dicit, Fluuium qui paradisum irrigabat, esse amnem quēdam totam terram ambiētem, quo nomine Oceanum significasse creditur. Sed repugnat huic sententiæ Scriptura diuina. Nam si Dens hominem extra paradisum de limo terræ formatū in paradisum introduxit, ac deinde è paradiso eiectum in eam regionem reduxit vbi conditus fuerat, vt legimus Gen. 2. & 3. quomodo fieri potest, vt sit vniuersa terra paradisus? nisi fortè extra orbem terrarum fuerit limus, ex quo Adam formatus fuit, & ipse Adam post lapsum extra vniuersam terram pulsus fuerit, vt omittam custodiam Angelorum paradiso appositam, ne hominibus reliquam terram incolētibus aditus ad paradisum patear. Accedit quoque scriptorum penè omnium consensus, qui paradisum quoddam esse volunt orbis terræ pomarium, & quasi regiam principis animalium.

Alia sententia in altero extremo aliorum est, qui docent paradisum esse extra totam terram, quam nos incolimus. Existimant enim terram nostram vndique cingi ab Oceano. Oceanum autem cingi ab alia terra, longè maiore, eamque esse, & nominari paradisum. Tribuit hanc sententiam S. Ephrem Bar. Cepha in libro quem D scripsit de paradiso. Sed neque hæc sententia satis cum diuinis literis, aut Patrum traditione cōgruit. Siquidem Tigris, & Euphrates, & cætera flumina, quæ oriuntur ex paradiso, in hac terra nostra inueniuntur, neque credibile est ea per immensum tractum ad nos peruenire ex illo alio orbe terrarum, qui fingitur vltra Oceanum. Deinde videtur iam satis compertum variis multorum nauigationibus, neque ab Oceano cingi omnem terram, neque esse vltra Oceanum aliam terram. Denique communis est opinio, & secundùm versionem LXX. interpretum colligitur ex ipsa diuina Scriptura Gen. 2. paradisum situm esse ad Orientem. Ex quo sequitur vt sit falsum ab eo cingi Oceanum vniuersum.

Tertia est aliorum sentētia, paradisum esse locum quendam sublimem, & vsque ad globum lunę pertingētem. Tribui solet hæc sententia Venerabili Bedæ, sed in eius operibus nusquam eam reperire potui. Extat autem in quadam glossa Brideferti Rameſiēſis ad cap. 41. Bedæ de ratione temporum, & eam refert, nec refellit Petrus Lombardus in 2. libr. Sentent. distin. 17. At profectò incredibile est eum esse situm paradisi, tum quod ea regio in sal

insaluberrima sit, atque adeò iuhabitabilis propter nimiam aëris subtilitatem, & perpetuam agitationem, tum quia si tanta esset eius loci sublimitas, ab aliqua regione paradisus conspiceretur, & vel nobis, vel antipodis nostris aliquando Solis, & Lunæ conspectum eriperet. præsertim cùm eadem illa opinio ad orientem paradisum constituat, vt perspicuum est ex Glossa Brideferti suprà citata. Tum denique quia si vlla esset proportio altitudinis paradisi ad latitudinē, non sufficeret totius terræ amplitudo ad basim eius capiendam: siquidem Mathematici demonstrant à superficie terræ vsque ad globum lunæ intercedere spatium suprà centum millium milliariorum. Sed fortasse auctor eius sententiæ hyperbole vti voluit, vt ex altitudine hyperbolica paradisi excellentiam demonstraret, vt admonet sanctus Thomas 1. part. quæst. 102. art. 1. Quemadmodum intelligimus verba sancti Basilij qui in libro de paradiso scribit, paradisum ob situs sublimitatem nullas tenebras admittere: & Ioannis Damasceni, qui libro 2. de fide, ca. 11. scribit, paradisum esse terrā nostra sublimiorem: & Ruperti, qui libro 1. in Genes. cap. 37. scribit, paradisum esse locum cœlo proximum: & denique Alchimi Auiti, qui libro 1. carminum de initio mundi. capite 9. de paradisi situ ita cecinit:

Ergo vbi transmissis, mundi caput incidit, Indis,
Quo perhibent terram confinia iungere cœlo,
Lucus inaccessa cunctis mortalibus arce
Permanet.

Quo alluſit Cl. Marius Victor cùm libr. 1. carminum in Geneſim ait:

Eoos aperit felix qua terra recessus
Editiore globo nemoris paradisius amœni
Panditur, & teretis distinguitur ordine syluæ.

Qvarta sententia est recentiorum quorundam Augustini Eugubini, Hieronymi ab Oleastro, Francisci Vatabli in annotationibus ad caput 2. Gen. & Cornelij Ianseníj in cap. 143. Concordiæ Euangelicæ, qui existimant Paradisum fuisse in Mesopotamia, sed diluuij tempore ita eius pulchritudinem, & amœnitatem periisse, vt nullum remanserit vestigium paradisi, et iam nequeat opus custodia Cherubim, & flammei gladij, & non solùm hominibus quibuscunque, sed etiam bestiis pateat ad eum locum aditus.

Mihi verò multis de caussis hæc sententia non probatur. Primvm, quoniam est opinio noua, & repugnans communi Doctorum consensui, non solùm Patrum, sed etiam Scholasticorum. Deinde in ipso paradiso oriebatur fluuius, qui inde diuidebatur in quatuor capita, quorum nomina sunt Euphrates, Tigris, Phison, & Geō: at in Mesoporamia nullus eiusmodi fluuius oritur. Fluūt quidem per Mesoporamiam Euphrates, & Tigris, cæterùm non ibi oriuntur, sed in Armenia fontes suos habēt. Quare secundùm hanc rationem Armeniæ potius (quod tamen nullus dixit) quàm Mesopotamiæ paradisi nomen congrueret. Porrò Phison & Geon neque in Mesopotamia fontes habent, neque in ea vllo modo reperiuntur. Respondent aliqui, in Mesoporamia Euphratem, & Tigrim coniungi, at paulò pòst iterum separari, atque ita effici quatuor capita, ac veluti flumina, & quidem duo priora esse Tigrim, & Euphratem, duo posteriora Phison, & Geon, quamuis his nominibus hoc tempore non vocentur.

Sed non videtur satis apta responsio. Nam Scriptura non dicit, flumina aliunde venientia in paradiso coniungi, sed inde primùm exoriri, & post egressionem de paradiso diuidi in quatuor capita: *Fluuius* (inquit Scriptura) *egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita*. Itaque quod in Mesopotamia nullus oriatur fluuius, sed flumina iam diuisa, aliunde venientia, illic cernantur, argumento est non fuisse in eo loco, neque esse paradisum.

Deinde Phison, & Geon dicuntur circuire varias regiones, illa autem duo capita, quæ nascuntur ex diuisione Tigris, & Euphratis breuissimo, rectissimóque tractu in mare Persicum demerguntur. Si tamen verum est quod isti dicunt. Nam alioqui ego inspiciēs tabulas Geographicas non video Tigrim, & Euphratem post cōiunctioné iterum seiungi, sed simul in mare Persicū exonerari. Nō igitur dici possunt duo illa capita Phison, & Geō.

Adhæc Phison, & Geon à multis, grauissimisq; scriptoribus dicuntur esse Ganges, & Nilus. Sic enim docet Iosephus lib. 1. antiq. c. 2. Epiphanius in epist. ad Ioan. Hieros. Ambrosius lib. de paradiso, ca. 3. Hieronymus in locis Hebraicis, Augustinus lib. 8. de Gen. c. 7. Alchimus Auitus, & Cl. Marius Victor locis paulò antè citatis, Eucherius in Gen. & alij. Et quod maius est, Hierem. 2. vbi vulgata editio habet: *Quid tibi vis in via Aegypti, vt bibas aquam turbidam?* In Septuaginta interpretibus legitur: *Vt bibas aquam Geon*. Et S. Hieronymus in commentario eius loci testatur semper in cōmuni editione fuisse Geon. Neque repugnat vulgata editio cum editione Septuaginta, siquidē aquā Nili, qui à Septuaginta interpretib⁹ dicitur Geon, vere turbidā esse testatur in eōdē loco S. Hieron.

Adde etiam quod ipsa diuina Scriptura Ecclesiast. 24. docere videtur Phison, & Geon, esse Gangem, & Nilum: *Qui adimplet*, inquit, *quasi Phison sapientiam, & sicut Tigris in diebus nouorum. Qui adimplet quasi Euphrates sensum: qui multiplicat quasi Iordanis in tempore messis: qui mittit disciplinā sicut lucē, & assistens quasi Geō in die vindemiæ*. Quo loco Raban, Iansenius, & alij interpretes sine dubio per Phison, Gangem, per Geon, Nilum intelligi volunt. Nam Ganges est flumen amplissimum, & hoc ipsum significat nomen Phison, dicitur enim à פש *phas*, quod est redundare, quia præter cætera flumina impleri solet. Et ad hanc etymologiam alluſit Ecclesiasticus dicens: Qui adimplet quasi Phison sapientiam.

Porrò Nilus incrementum accipere incipit post Solsti C stitium æstiuum, & in tēpore vindemiæ plenissimum esse solet. Et ideo dixit Ecclesiasticus, & sicut Geon in die vindemiæ. Præterea vt rectè notauit Iansenius, comparare volens Ecclesiasticus sapientiam Dei quinque celeberrimis fluminibus, descripsit ea flumina illo ordine, quem verè inter se habent. Primus enim ab oriente est Ganges, secundus Tigris, tertius Euphrates, quartus Iordanis, vltimus Nilus. Itaque ipse ordo narrationis cogit, vt per Phison intelligamus Gangem, per Geon Nilum, cùm videamus primo loco nominari Phison, vltimo loco Geō, neque vlla ratio esse possit cur Iordanis prius nominatus sit quàm Geon, nisi quia prior est, quo ad situm. Quod si Phison, & Geon sunt Ganges, & Nilus, vt tot, & tam graues auctores constanter affirmant, profectò neque capita illa ex Tigris & Euphratis disiunctione exorta dici possunt Phison, & Geon, neque in Mesopotamia collocandus est paradisus, cùm duo ista flumina paradisi ad Mesopotamiam nulla ratione pertineant. D

Ex quo etiā refellitur quod alij dicunt Phison, & Geon fuisse quidem circa Mesopotamiam, sed aut mutasse vocabula, aut exaruisse. Quamquam hoc postremum repugnat expresè Scripturæ sacræ, quæ vt diximus Ecclesiastici vigesimo quarto, indicat Phison & Geon fuisse flumina ingentia, qualia non facilè exarescunt, nec præter Tigrim, & Euphratem, in ea regione cōspiciuntur. Nam etiamsi quis obstinatè contenderet Phison, & Geon apud Ecclesiasticum, non esse Gangem, & Nilum: tamen nullo modo negare posset esse flumina maxima, & celeberrima, non autem exundantiam, aut ramos aliorum fluminum: nisi vellet Ecclesiasticum ineptè comparasse summam affluentiam diuinæ sapientiæ exiguis fluuiis: & eosdem exiguos coniunxisse celeberrimis fluminibus & Euphrati.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Accedit ad hæc,quod paradisus ita describitur à S.Basilio in libr.de paradiso,à Ioann.Damascen.lib.2.de fide, capit.11.à S.Augustin.libr.14.de ciuit.Dei,capit. 10.Ab Alchimo Anito,& Clau.Mario Victore,& aliis suprà citatis.Isidor.libr.14.etymolog.cap. 3.& aliis communiter,vt fuerit in eo ver perpetuum,nulla frigora, nulli æstus,nullæ pluuiæ,niues,grandines, nullæ etiam nubes: quod ipsum significat Scriptura,cùm dicit primos homines in paradiso fuisse nudos.

Hic (inquit Alchimus) *ver assiduum cœli clementia seruat,*
Turbidus auster abest,sempérque sub aëre sudo
Nubila diffugunt iugi cessura sereno.
Nec poscit natura loci quos non habet imbres,
Sed contenta sua dotantur germina rore.
Sic cùm desit hiems nec torrida ferueat æstas,
Fructibus Autumnos,Ver floribus occupat annum.

At Mesopotamia, quanquam est amœnissima regio, sua tamen habet frigora, suos æstus, pluuias, grandines, &c.Neque responderi potest ob diluuium mutatam esse magna ex parte loci illius felicitatem. Nam diluuium non mutauit situm locorum, & aëris temperamentum. Itaque perierint ob diluuium arbores,perierint fructus, & flores,temperamentum aëris petire non potuit. Quo magis Luther.miror,qui in com.2.ca.Gen. scribit in paradiso non fuisse hiemem, sed ver perpetuum, & tamen contendit, paradisum fuisse Syriam, Mesopotamiam, Ægyptum,& Damascum, in quibus regionibus non potest fuisse ver perpetuum, nisi alius tunc fuerit cursus Solis,quàm nunc est.

Accedit postremò quod sententia est grauissimorum auctorum Henoch & Heliam translatos esse in paradisum,vnde expulsus fuit Adam,atque illic nunc vitam felicissimam degere.Credo autem nemini vnquam venisse in mentem vt diceret,Henoch & Heliam translatos fuisse in Mesopotamiam.Vide Irenæum lib.5.aduersus hær. ca.5.vbi ex traditione presbiterorum,qui Apostolos audierunt, scribit, Henoch & Heliam translatos esse in paradisum,vbi fuit Adam.Vide etiam Athanasium in libr. siue epist.quod Nicæna Synodus, &c. Hieronymum in epist.ad Pammach.de erroribus Ioann. Hierosol. & Augustin.lib.de peccat.mer. & remiss.c. 3. libr. 2.de pecc. original.ca.23.& confirmatur hæc sententia ex illo Eccles.44.*Henoch placuit Deo,& translatus est in paradisum, vt det gentibus pœnitentiam.*Non est quidem in codice Græco vox illa(in paradisum)tamen est in omnibus codicibus vulgatæ editionis latinæ, quam reiicere non possumus, si Concilio generali Tridentino,sess.3.(vt debemus)obtemperare volumus. Et quamquam vox paradisi quemlibet hortum significare possit,vt suprà diximus, tamen cum in Scriptura absolutè ponitur,non solet significare, nisi eximium illum paradisum, in quo fuit Adam, aut eum, cuius ille figura fuit, id est, cœlestem.Certum autem est Henoch in cœlestem paradisum non ascendisse, nemo enim inde descendet, vt det gentibus pœnitentiam.

CAPVT XIII.

Soluuntur obiectiones.

Neque verò eiusmodi sunt argumenta sententiæ contrariæ,vt solui non possint.

Obiiciunt enim Primo, quod Scriptura testetur Paradisum plantatum fuisse in Eden ad Orientem,Genes. 2. Eden autem locus sit propè Charam in Mesopotamia, vt intelligi potest ex illo Ezechiel. 27.*Charan & Chene, & Eden ne-*

*gociatores tui.*Et ex illo 4.Reg.19.*Nunquid liberauerunt Dij gentium singulos,quos vastauerunt Patres mei, Goran videlicet, & Charan,& Reseph, & filios Eden, qui erant in Thalassar.* Et denique ex illo Gen.4.*Egressique Cain à facie Domini, habitauit profugus in terra ad Orientalem plagam Eden.*Secundo,Quod in Mesopotamia reperiantur flumina,quæ dicuntur fuisse in paradiso.Tertio, quod ea sit regio amœnissima.

Sed Respondemvs vocem *Eden* in Scriptura nũc esse nomen loci,nunc verò significare delitias, seu voluptatem,vt notum est linguæ Hebraicæ peritis. Et quidem in locis citatis Eden esse nomen loci perspicuũ est, sed non esse eum locum,vnde eiectus fuit Adam, non leue argumentum esse videtur,quod in eodem dicatur habitasse Cain,nisi quis ita desipiat,vt existimet datum fuisse Caino pro exilio paradisum. Præterea ex Eden, vbi erat paradisus, oriebatur flumẽ,quod inde diuiditur in quatuor capita Gen.2.At ex Eden,quod est propè Mesopotamiam nullum eiusmodi flumen oriri compertissimum est.In secundo autem cap. Genes. non esse nomen loci,sed voluptatem significata satis nobis persuadet auctoritas editionis vulgatæ,& S.Hieronymi, qui non solùm ita vertit,sed etiam in quæst.Hebraicis notat,sic vertisse Symmachum,& ipsos etiam septuaginta. Quod attinet ad flumina,& loci amœnitatem,iam ostendimus in Mesopotamia nullum oriri ex fluminibus paradisi neque eam esse amœnitatem,quæ fuisse dicitur in paradiso. Proinde eam sententiam melius refelli,quàm confirmari argumento fluminum & amœnitatis.

Est aliud argumentum quod contra nos fieri posset de fontibus Euphratis,& Tigris,qui noti esse perhibentur.Sed respondent S.Augustinus libr.8.de Gen,capi. 7. Theodoret. quæst. 28. in Genes. & Ruvpertvs libr. 2.in Gen. cap. 24. Sed vnius Avgvstini verba hoc loco adducemus:*Quoniam* (inquit S.Augustinus)*locus ipse paradisi à cognitione hominum est remotissimus, inde quatuor aquarum partes diuidi credendum est,sicut fidelissima Scriptura testatur.Sed ea flumina,quorum fontes noti esse dicuntur, alicubi isse sub terras, & post tractus prolixarum regionum locis aliis erupisse,vbi tanquam in suis fontibus noti esse perhibentur. Nam hoc solere nonnullas aquas facere,quis ignorat?*

CAPVT XIV.

Paradisum adhuc supereesse.

Tractatvr alia quæstio à Theologis, Num aquæ diluuij paradisum destruxerint, & quidem recentiores illi, quos capite superiore nominauimus Eugubinus, Iansenius,& alij omninò contendunt, nusquam in terris nunc extare paradisum illum, in quo Adam habitauit.Quod probant tum ex c.7.Gen. vbi dicuntur aquæ diluuij cooperuisse omnes mõtes excelsos sub omni cœlo, tum quia paradisus in Mesopotamia situs erat, quæ regio notissima est, nec in ea vllus cernitur paradisus.

Quia verò nullum vnquam ex veteribus legi, qui paradisum terrestrem vel aquis diluuij,vel alia decausa periisse scripserit:& contrà legi plurimos, qui illum extare affirmant, vt Scholasticos ferè omnes in 2. Sentent. distinct.17.& sanctum Thomam 1.part.quæst.102. arti. 1. ac præterea veteres Patres, Irenæum, Hieronymum, Augustinum, Theodoretũ,Bedam, Alchimum Auitum, & cæteros,quos capite superiore citaui,non facilè auderem à tam communi, celebríque opinione recedere. Præsertim cùm sanctus Avgvstinvs videatur ad fidem Catholicam hoc referre, cùm sic loquitur in 2.lib. de peccato originali c.23.*Longè aliter se habẽt quæstiones istæ, quas*

*quas esse præter fidem arbitratur,quàm sunt illæ, in quibus salua fide,qua Christiani sumus,aut ignoratur quid verum sit, & sententia desinitiua suspenditur,aut aliter quàm est,humana, & infirma suspicione coniicitur, veluti cùm quæritur,qualis,vel vbi sit paradisus, vbi constituit Deus hominem, quem formauit ex pulvere,cùm tamen esse illum paradisum fides Christiana non dubitet.*Hæc ille.

Nec videtur satis aptè responderi,si dicatur, Augustinum non velle significare, paradisum nunc extare, sed non esse rem fictam,aut parabolicam id, quod in Genes. de Paradiso narratur. Nam in primis quæstiones illæ, quæ salua fide disputari possunt, qualis sit,& vbi sit paradisus,præsupponunt, paradisum esse etiam nunc in rerum natura:alioqui posset etiam,vel potius deberet quęri, Sitne paradisus,antequam qua ratur,qualis sit,vel vbi sit.Deinde id agnosci potest ex alia quæstione, quam ibidem continuò subiungit Augustinus:*Vel,* inquit, *cùm quæritur vbi sint nunc Helias, vel Henoch, an ibi,an alibi, quos tamen non dubitamus,an quibus nati sunt corporibus viuere.*Quo loco sicut dixerat, paradisum esse fides Christiana non dubitat:ita dicit Henoch,& Heliam non dubitamus in suis corporibus viuere.At certum est,nõ solum Henoch, & Heliam non esse res fictas,sed etiam re ipso hoc tempore extare,& viuere:igitur eodem modo certum est apud Augustinum paradisum non solùm non esse rem fictam,sed etiam nunc re ipsa extare.Denique idem Augustinus libro secundo in Genesin, capite vigesimo quarto dicit,non posse dubitari quin flumina oriantur ex paradiso,quia Scriptura hoc dicit, licet fontes alibi videantur.Vbi aperte indicare videtur non posse dubitari,quin hoc tempore exter paradisus.

Accedit etiam ratio probabilis, cur paradisus conseruari debuerit,videlicet vt Henoch, & Helias, quos certum est in suis corporibus viuere,congruentem suo statui sedem haberent donec tẽpus esset,vt cum Antichristo congredientes vitam cum morte commutarent. Hos enim duos adhuc viuere,& vẽturos,vt diximus,ad mundi finem, vt se Antichristo opponant, probauimus ex Scripturis,& communi Patrum Græcorum,Latinorúmque consensu,lib.3.de summo Pontifice,cap. 6. ad quem locum lectorem remittimus.

Neque argumentum illud de aquis diluuij cogit vt à communi sententia recedamus.Nam credibile est,in paradisum aquas diluuij minimè penetrâsse, vt Scholastici Theologi docent. Ad illum autem Scripturæ locum, vbi dicuntur aquæ cooperuisse omnes montes sub vniuerso cœlo, respondemus, id esse intelligendum de omnibus montibus eius terræ, quæ à peccatoribus incolebatur, quæque habitationi hominum post lapsum Adæ data erat.Similis est locus in eodem capite septimo Geneseos: *Mortui sunt vniuersi homines,remansitque solus Noë,& qui cum eo erant in arca.*Est enim vniuersalis propositio, Mortui sunt vniuersi homines, non minùs quàm illa, Cooperti sunt omnes montes,at certum est, illam propositionem, Mortui sunt vniuersi homines, intelligẽdam esse de hominibus,qui vitam mortalem in communi hac terra degebant,non de omnibus omninò.Siquidẽ Henoch mortuus non est, quamuis non esset in arca. Igitur eodem modo propositio illa,Cooperti sunt omnes mõtes,intelligẽda est de omnibus mõtibus terræ,vbi erant homines morti destinati,non de montibus, aut regione paradisi.

At,inquies,si aquæ diluuij paradisum non attigerunt, frustrà Noë tanto labore confecit arcam. Poterat enim cum omnibus animantibus in paradiso conseruari. Deinde cùm aquæ diluuij fuerint altiores quindecim cubitis omnibus montibus vniuersæ terræ, certè non potuit sine miraculo fieri,vt aquæ nõ obruerent paradisum. Non sunt autem facilè miracula confingenda. Denique propositio Scripturæ vniuersalis,nõ debet restringi, nisi in ipsa Scriptura exceptio fiat,aut ratio necessariam exposcat.Exceptio autem paradisi ab aquis diluuij omnem terram operientibus, neque in Scriptura extat, neque vlla necessaria ratione inducta est.

Ad Primum respondeo,Paradisum nõ esse locum hominum peccatorum,& humanis calamitatibus subiectorum:sed eorum tãtùm qui communibus huius vitæ miseriis non sunt obnoxij,quales fuerunt olim Adam,& Eua,& nunc Henoch,atque Helias.Itaque non conueniebat regio paradisi Noë, & filiis, atque vxoribus eorum. Et ideo necessarium fuit alia ratione vitæ ipsorum à Domino prouideri.

Ad Secundum respondeo,miraculum non fingi à nobis pro arbitrio,sed necessariò affirmari ob Scripturæ diuinæ testimonium.Scriptura enim testatur Henoch non periisse tempore diluuij, nec tamen fuisse in arca:Quare cogimur miraculum aliquod ponere quod illum à diluuio conseruauerit. Vtitatius autem,& congruentius miraculum fuit prohiberi aquas, ne paradisum obruerent: quàm Henoch in aëre supra aquas,aut in terra in mediis aquis per integrum annum conseruari.

Ad Tertium respondeo,exceptionem paradisi optima ratione esse inductam,tum ob conseruationem Henoch, tum quia diluuium terris immissum fuerat propter hominum peccata.Proinde destruere debuit solum ea,quæ vsui talium hominum seruiebant.Sed fac in paradisum aquas diluuij penetrâsse,& Henoch à Deo singulari aliqua prouidentia in mediis aquis conseruatum, non inde efficies necessariò paradisum omninò esse destructum.Diluuium siquidem non mutauit situm loci, neque aëris temperamentum, nec arbores omnes eradicauit,vel arefecit,alioqui,vbi quæso,reperisset columba ramum virentis oliuæ, quem statim post diluuium detulit ad Noë? Detrimentum igitur aliquod paradiso aquæ diluuij forsitan attulerunt, sed non eiusmodi vt paradisus esse desierit.

CAPVT XV.

In paradiso non solùm homines in statu innocentiæ, sed etiam animantia rationis expertia habitatura fuisse.

Solet etiam quæri à Theologis, soli ne homines, an etiam animantia rationis expertia in paradiso locum habitura fuissent, si homo non peccâsset. Et quidem Ioannes Damascen. id negat libr. 2. de fide,cap 11. eum sequitur sanctus Thomas 1.par q. 102. art.2. & alij quidam ex Scholasticis in 2.Sent. dist.17.

At grauior nobis auctoritas esse videtur sancti Basilij in libro de Paradiso, & sancti Augustini libro decimo quarto, de ciu. Dei,c.11.qui contrà sentiunt. Verba S. Avgvstini hæc sunt: *In paradiso corporali cum duobus illis hominibus masculo & fœmina animalia etiam terrestria cætera subdita, & innoxia versabantur.* Et sanè non modicum ornamentum terreno paradiso defuisset, si nulli in aquis pisces, nullæ in syluis auiculæ, nulla in pratis & campis pecora conspici potuissent, vt illud omittam, non frustrà primis hominibus dictum à Deo fuisse, vt piscibus,volucribus,cæteris animãtibus dominarentur.

Neque verò metuendum erat, ne animantia bruta sumerent de fructibus ligni vitæ, & immortalia fierent. Nam neque illa cibos sumpsissent naturæ suæ non congruentes, neque si fructibus ligni vitæ vesci potuissent, immortalitatem vlla ratione consequerentur. Siquidem lignum non ex natura, sed ex inspiratione salubritatis occultæ immortalitatem hominibus attulisset, ferè ad eum modum, quo Sacramenta Christiana corporalia,ac sensib

Universidad de Deusto
Biblioteca

sensibilia gratiam spiritualem, atque inuisibilem, operantur. Sic enim docet sanctus AVGVSTINVS libro octauo de Genesi,capit.4. *Erat ei in ligno cæteris alimentum in isto autem Sacramentum.* Et capite quinto: *Illud quoque addo,quamquam corporalem cibum, talem tamen illam arborem præstitisse, quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur, non sicut ex alio cibo, sed nonnulla inspiratione salubritatis occulta. Profectò enim licet vsitatus panis,aliquid tamen amplius habuit, cuius vna collyride hominem Deus ab indigentia famis dierum quadraginta spatio vindicauit.* Vide in eandem sententiam Theodoretum quæstione 26.in Genesin, Eucherium libro primo in Genesin, capite 13. & ipsum Augustinum lib.13.de ciuitate Dei,capite 20.Quare quemadmodum animantia bruta,si fortè sacratissimam Eucharistiam gustarent,nullum inde fructum spiritalem cõsequerentur: ita neque ex ligno vitæ immortalitatem adipisci vlla ratione potuissent.

CAPVT XVI.

Cherubin custodientia paradisum non spectra aliqua,sed veros,sanctosq; Angelos fuisse.

QVÆRVNT adhuc nonnulli,quidnam fuerint illa Cherubin, quæ ad paradisi custodiam adhibita fuisse diuina Scriptura commemorat. Theodoretus quæstione 40. in Genesin, & eum sequutus Procopius Gazæus in enarratione tertij capitis libri Geneseos,docent nullo modo esse credendum sanctos Angelos in paradisi custodia occupari,sed Cherubin illa nihil esse aliud, nisi spectra quædam,siue formas horribiles animalium, quæ ingredi cupientes in paradisum terrefaciebant. Refert etiam Sixtus Senensis libro quinto Bibliothecæ sanctæ, annotat. 58. nouum hereticarcham Iacobum Chium (qui fortè is est,qui se Paleologum nominabat, & Romę nuper ab hæresi ad fidem Catholicam conuersus est) in explanatione Symboli asseruisse Cherubin ista fuisse simulacrum hominis horribili forma, laruáque contectum,atque in paradisi foribus à Domino collocatum, ad eum planè modum, quo solent agricolæ in satis, & hortis palos defigere laceris vestium pannis inductos ad auiculas abigendas.

Sed hæc opinio tam est inepta, & ridicula, vt vix vlla responsione opus habeat. Nam vt omittam in diuinis literis nomine Cherubin passim Angelos significari: Et non fuisse Adamum tam rudem, vt simulacro inanimi terreri potuerit:certè grauissimi Patres, Cherubin hoc loco veros sanctósque Angelos fuisse non dubitárunt. Sanctus AVGVSTINVS libro vndecimo de Genesi,capite quadragesimo: *Et ordinauit,*inquit,*Cherubin, & flammeam rompheam quæ verteretur, custodire viam ligni vitæ. Hoc per cœlestes vtique potestates etiam in paradiso visibili factum esse credendum est,vt per angelicum ministerium, esset illic ignea quædam custodia.*Quod idem scribit Eucherius libro primo in Genesin, capite trigesimo. Rupertus libro tertio in Genesin, capite trigesimo secundo,& alij passim.

CAPVT XVII.

Cur diceretur lignum quoddam arbor scientiæ boni,& mali.

EST alia quæstio de ligno scientiæ boni, & mali. vnde videlicet ea arbor hoc nomen habuerit. Iosephus libro primo antiquit. capite secundo scribit eam arborem vim habuisse acuendi ingenium,ac prudentiam augendi:quam sententiam sequuti videntur hæretici illi,qui à Tertulliano de præscript. haereticorum.Et ab Epiphano hære. 37. dicuntur Ophitæ, qui pro Christo serpentem colunt.quod hominibus auctor fuerit adipiscendi scientiam, cùm esum ligni vetiti persuasit. Ioann. Damasc.libr.2.de fide, cap. 11. docet, arborem lignum scientiæ appellatam,quod adferret cognitionem proprię naturæ.Eam verò cognitionem adultis,& perfectis vtilem esse,imperfectis autem,& ad concupiscentiam pronis,inutilem,& noxiam, & ideo prohibitum fuisse Adamo adhuc imperfecto existenti ne arborem illam contingeret.

Sed hæc improbabilia sunt.Nam nec Deus prohibuisset hominibus arborem,quæ prudentiam augeret,ac per hoc vtilissima illis esset:neque Adam eo tempore rudis, & imperfectus erat, sed perfectus & sapiens,quippe qui nomina omnibus animantibus imposuit: neque naturam suam ignorare potuit, qui naturas rerum omnium nouerat.

VERA igitur sententia est,lignum scientiæ boni, & mali,sic appellatum, quod gustatum, ob inobedientiæ culpam multa mala adferre, ac per hoc homines experiendo discerent discrimẽ boni, & mali: quod antea sola contemplatione didicerant. Ita docet sanctus Augustinus lib.14.ciuit.cap.17.& lib. 8.de Gen.cap. 6. Sanctus Cyrillus libro 3. in Iulianum. Theodoretus quæst.26.in Genes.& Eucherius lib.1.in Genes.

CAPVT XVIII.

Lignum vitæ perfectam immortalitatem afferre potuisse.

VLTIMA restat quæstio de vi,atque efficacia ligni vitæ. DVÆ sunt enim de hac re Patrum sententiæ. VNA S. Augustini, quem Theologi Scholastici ferè sequuntur,lignum vitę institurum fuisse ad arcendam mortem, quæ contingere solet ex senio. Quamuis enim per communes cibos reparetur humidum illud, quod ex generatione accepimus,quódque assiduè per actionem caloris naturalis absumitur: tamen extranea illa substantia,quæ ex alimento accedit præexistenti humido,nunquam est tantæ virtutis, quantæ fuerat illa, quæ deperdita est.Ita paulatim vis nutriens diminuitur, ac tandem funditùs perit, & ea pereunte vita animalis extinguitur. Vult igitur S.Augustinus eum fuisse vsum ligni vitæ,vt vim nutrientem roboraret,& eo modo hominem à senectute,& morte defenderet:*Cibus*,inquit lib. 14.de ciu.Dei,ca.26.*aderat ne esuriret,potus ne sitiret,lignum vitæ ne illum senecta dissolueret, nullus intrinsecus morbus,nullus ictus metuebatur extrinsecus.*Vide eundem lib.6.de Gen. cap.25.& libr.8.cap.5.& libr.1.de peccatorum meritis, & remiss.cap.3.& libr.13.de ciuit.Dei,cap.20.

ALTERA sententia multorum est veterum Patrum, &(nisi ego fallor)valdè conformis Scripturæ sacræ,& rationi.Docet hæc sententia lignum vitæ eam vim habuisse,vt vel semel gustatum perfectam adferret immortalitatem,qualem habebimus post resurrectionem, & ideo non ante sumendum fuisse,quàm trãsferendi essent homines de statu gratiæ,in quo poterant nõ mori ad statum gloriæ,in quo non possent amplius mori. Glossa interlinearis in illa verba:*Ne fortè sumat de ligno vitæ, &c.* sic loquitur:*Impleto electorum numero gustaturi erant de ligno vitæ, & sic ad beatum statum migraturi.*RVPERTVS libro tertio in Genesim capite 30. *Nequaquam*, inquit, *vt nonnulli arbitrantur,frequentandum erat necessario, lignum, tanquam perpetuandæ vitæ transitiuum medicamentum,sed semel hoc sumpto viueret corpus in æternum.* THEODORETVS quæstione vigesima sexta in Genesim scribit,lignum vitæ positum fuisse in medio paradisi tanquam præmium obedientiæ.Non erat autem futurum obedientiæ præmiũ corroborat

boratio virtutis nutrientis, sed perfecta immortalitas. A Sanctus IOANNES CHRYSOSTOMVS (quem imitatus videtur Theodoretus) homilia decima octaua in Genesim scribit, duas fuisse arbores in paradiso præter cæteras admirabiles, vnam mortis, alteram vitæ, priorem in stipendium inobedientiæ, posteriorem in præmium obedientię.Ex quo sequitur, vt quemadmodum arbor scientiæ, quæ erat arbor mortis, semel gustata, necessitatem attulit moriendi. Sic etiam arbor vitæ semel gustata æternitatem esset allatura viuendi.

S.IRENÆVS libr.3.aduersus hæreses capit. 37. scribit, Adamum de paradiso fuisse expulsum, ne lignum vitæ attingere posset. Idque non tam ex indignatione, quàm ex misericordia, ne videlicet fieret miser in æternum, & malum eius esset irreparabile: *Eiecit*, inquit, *eum de paradiso,& à ligno vitæ longè transtulit, non inuidens ei lignum vitæ,sed miserans eius,vt non perseueraret semper transgressor,neque immortale esset quod esset circa eum, & malum interminabile.* Idem habet sanctus HILARIVS in commentario Psalmi sexagesimi octaui,in illa verba: *Quem tu percussisti persequuti sunt. Non pepercerat*, inquit, *primo illi de terræ limo Adæ,quem de paradiso post culpam, ne lignum vitæ attingens in æternitate pœnæ maneret, eiecit.* Idem his verbis breuiter significat sanctus GREGORIVS NAZIANZENVS oratione secunda de Pascha: *Inde*(Adam de Paradiso eiectus, & à ligno vitæ separatus) *lucratur quippiam, mortem nempe, ac peccati absciss ionem, ne malum esset immortale,sitq; pœna misericordia.* Vide in eandem sententiam sanctum Hieronymum in capite sexagesimoquinto Isaiæ,Sanctum Cyrillum libro tertio aduersus Iulianum circa medium.Eucherium libro primo in Genesim, & Rupertum libro tertio in Genesim, capite vigesimonono.

Neque responderi potest ad ista loca Patrum,sententiam ipsorum esse,eiectum fuisse Adamum de paradiso, ne sæpius recurrendo ad arborem vitæ conseruaret virtutem nutrientem, & eo modo nunquam moreretur. Nam si lignum vitæ non habuisset aliam vim quàm roborandi,& conseruandi virtutem nutrientem, nõ solùm non fecisset post peccatum Adæ homines immortales, sed parum omninò profuisset ad vitæ diuturnitatem.Siquidem post lapsum Adæ maxima pars hominum extinguitur ante senium febre,peste,fame, ferro, præcipitio, aliisque innumerabilibus casibus,rarissimi sunt, qui solo senio moriantur.Patres autem dicunt homines post peccatum,futuros fuisse planè immortales & perpetuò miseros,& malum eorum interminabile, quale est peccatum & infelicitas dæmonum, si lignum vitæ attingere potuissent. Sentiebant igitur Patres lignum vitæ non solam virtutem nutrienti roborâsse, sed perfectam immortalitatem attulisse.

Porrò fauet huic sententiæ vehementer testimonium illud Scripturæ diuinæ: *Dixit Deus ne forte mittat manum suam & sumat de ligno vitæ,& viuat in æternum,&c.*Illa enim D particula,*ne forte*,vt Rupertus annotauit, cogere videtur vt ex hoc loco intelligamus lignum vitæ etiam semel casu gustatum perfectam immortalitatem allaturum: quod verò quidam dicunt,Deum loquutum esse ironicè, cùm ait, *& viuat in æternum*:non est probabile, tum quia repugnat testimoniis Patrum quos citauimus: tum quia eiectio Adæ de paradiso, & Angelus cum gladio flammeo constitutus ad custodiendam viam ligni vitæ, satis indicant Deum non ironicè:sed propriè,& seriò esse loquutum.

Quod autem alij dicunt,illud,*in æternum* significare,in longum tempus, non autem in perpetuum, propterea quod vox Hebraica עולם *olam* hoc loco scribatur sine litera ו parum mouere debet,illa enim obseruatio S. Hieronymi in commentario primi capitis epistolæ ad Galatas,de voce עלם *olam* & עולם,*oulam* vera est, sed nõ perpetua.Sæpe enim confunduntur hæc vocabula, vt ex ipso loco perspicuum est. Scribit enim sanctus Hieronymus loco citato, עלם *olam* sine littera ו significare spatium quinquaginta annorum, quo numero definiebatur tempus Iubilæi apud Hebræos.Et tamen Genesis tertio vbi legimus: *Ne forte sumat de ligno vitæ, & viuat in æternum*, habetur vox illa עולם *olam* sine ו & certum est ea non significari spatium quinquaginta annorum. Cur enim timeri poterat, ne viueret Adam quinquaginta annos auxilio ligni vitæ,cùm vixerit sine ligno vitæ supra nongentos?

Accedit postremò etiam ratio.Nam non videtur fuisse necessarium lignum vitæ vt conseruaret homines in statu innocentiæ,ne senium eos dissolueret:si enim absque iustitia originali,& extra paradisum inter tot angustias,& pericula vixerunt multi supra nongentos annos, vt Adam,Seth,Enos, Cainan,Iared, Mathusalem, Noë: certè originali iustitia, in regione saluberrima paradisi, & in summa corporis, atque animi tranquillitate longè B diutius viuere potuissent, quousque videlicet transferẽdi essent de statu gratiæ ad statum gloriæ. Neque enim credibile est tempus viæ,& meriti,quod in Angelis breuissimum fuit,in hominibus futurum fuisse longissimũ. Ex his duabus sententiis fateor equidem hanc posteriorem mihi probabiliorẽ videri,quamuis priorem propter Augustini, & Scholasticorum multorum auctoritatem non negem etiam esse probabilem. Vtramque certè arbitror sine erroris periculo posse defendi. Soluam igitur duas obiectiones, quæ contra posteriorem sententiam fieri solent.

CAPVT XIX.

Soluuntur obiectiones.

OBIICIVNT quidam PRIMO, Lignum vitæ fuisse in medio paradisi, & per hoc notum, & in promptu, ex quo sequi videtur, vt Adam pro arbitrio potuerit de fructu eius sumere, quocunque tempore vellet,præsertim cùm non fuisset illi interdicta vlla arbor præter arborem scientiæ boni,& mali,immò è contrario imperatum,vt de omni ligno vescereturn. Non igitur semel tantùm, idque sub finem status illius gustandum fuerat lignum vitæ.

SECVNDO obiiciunt,non fuisse transferendos homines ad vitam simpliciter beatam, & immortalem, nisi post impletum numerum electorum: interea verò opus fuisse remedio aliquo aduersus mortem,& senectutem neque aliud fingi posse,cui hoc tribuatur præter lignum vitæ.

RESPONDET ad PRIMVM Rupertus loco citato. Neque Adamum,neque ipsum etiam dæmonem sciuisse vbi esset lignum vitæ,alioqui sicut persuaserat illi Satan vt comederet de ligno scientię vt faceret eum miserum, sic etiam persuasurum fuisse vt comederet de ligno vitę,vt faceret perpetuò miserum.Et idcirco addit Rupertus(vt suprà notauimus) dictum esse à Deo, ne fortè sumat de ligno vitę, quia poterat fieri vt casu incideret Adam in arborem vitę,licet vbi esset,ignoraret.

Possumus etiam respondere,sciuisse Adamum vbi esset lignum vitę, sed non fuisse de illo sumpturum, nisi suo tempore,id est,cùm esset transferendus de statu gratiæ ad statum glorię. Neque enim ignorabat Adam se aliquando ad statum longè sublimiorem euehendum, & tunc fore tempus sumendi de ligno vitę: & simul sciebat parum prodesse immortalitatem sine beatitudine,neque erat curiosus,nec aliqua stimulabatur concupiscentia mala gustandi aliquid ante tempus. Itaque abstinuisset se ab eo cibo vsque ad prefinitum tempus, sic & preceptum illud impleuisset: *De omni ligno, quod est in*

Universidad de Deusto
Biblioteca

est in paradiso comede. suo tempore videlicet, neque enim oportebat eum vno die fructus omnium arborum degustare, At post lapsum factus erat intemperans, & curiosus, & periculum erat ne in suam perniciem sumeret lignum vitæ, ideo iustissimo, & ipsi homini vtilissimo Dei consilio de paradiso fuit eiectus.

A

Ad SECVNDAM obiectionem RESPONDEO, non esse vsque adeò certum, vtrum, si Adam non peccasset, omnes simul electi transferendi fuissent vno eodémque tempore ad beatam vitam, an verò alij post alios: ita vt filij parentibus in statu innocentiæ succederent, & qui priores in hanc vitam intrarent, priores etiam ad aliam peruenirent. Sanctus enim Augustinus in libr. de Genesi ad litteram, capite sexto quæstionem hanc mouet, & insolutã relinquit. Itaque probabile est tempus meriti fuisse futurum certo aliquo annorum numero definitum, vt quinquagesimo vel centesimo anno, & vt quis eum terminum attigisset, & toto eo tempore in bonis operibus perdurâsset, ad sempiternam gloriam transferendum: Quemadmodum hoc tempore non expectant animæ sanctæ vt impleatur numerus electorum, sed quæ prius absoluunt tempus peregrinationis, & viæ, eæ prius ad patriam, & gloriam euehuntur.

B

Quod si etiam demus debuisse impleri numerum electorum, antequàm vllus de statu innocentiæ ad statum gloriæ transmigraret, non tamen ideo cogemur tempus illud meriti, & viæ in lõgum sic extendere, vt necessarius fuerit vsus ligni vitæ ante finem communis, & vniuersalis translationis. Atque hæc de paradiso pro instituti nostri ratione sufficiant. Quia verò nõ ita pridem in lucem prodierunt disputationes eiusdem argumẽti à Benedicto Pererio in commentariis in Genesim, & à Gregorio de Valentia in primam partem sancti Thomæ, editæ, quæ præclaræ & accuratissimæ esse dicuntur: Lectorem admonendum censui, hæc nostra, qualiácunque sunt, ante multos annos scripta, & auditoribus in scholis tradita fuisse: neque mihi vnquam libros doctissimorum illorum Theologorum ordinis mei, euoluere per ocium licuisse.

Finis Primæ Controuersiæ generalis.

SECVNDA CONTROVERSIA GENERALIS.

DE AMISSIONE GRATIAE ET STATV PECCATI.

SEX LIBRIS EXPLICATA, QVORVM TRES POSTERIORES TRACTANT DE Peccato originis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX

LIBRORVM ET CAPITVM SECVNDAE CONTROVERSIAE GENERALIS.

LIBER PRIMVS.

De statu peccati, qui est de peccato in genere.

CAP. I. De peccati definitione.
II. Peccati partitiones.
III. De discrimine peccati mortalis & venialis.
IV. Referuntur sententiæ hæreticorum.
V. Refellitur sententia Iouiniani & Pelagij.
VI. Diluuntur obiectiones Pelagianorum.
VII. Refellitur error Ioannis Vvicleffi, & Ioan. Caluini.
VIII. Refellitur error Lutheranorum.
IX. Peccatum veniale naturâ sua distingui à mortali ostenditur ex Scripturis.
X. Idem ostenditur ex traditione Ecclesiæ & Patrum.
XI. Idem probatur ex ratione.
XII. Diluuntur obiectiones ex Scripturis.
XIII. Soluuntur obiectiones ex Patribus.
XIV. Diluuntur obiectiones ex naturali ratione petita.

LIBER SECVNDVS.

De statu peccati, qui est de caussa peccati primi hominis, ac de caussa peccati in genere.

CAP. I. De erroribus circa primariam caussam peccati.
II. Explicatur status quæstionis.
III. Sententia Zuinglij, Caluini, & Bezæ in medium adducuntur.
IV. Ex sententia Zuinglij, Caluini, & Bezæ rectè colligi, Deum esse auctorem peccatorum quæ à nobis fiunt.
V. Ex Zuinglij, Caluini, & Bezæ sententia sequi, Deum verè ac propriè peccare.
VI. Ex doctrina Caluini, Zuinglij, Bezæ, & similium colligi, Deum solum verè peccare non autem homines.
VII. Ex doctrina Zuinglij, Caluini, & Bezæ non malè colligi nihil esse peccatū, nisi falsam opinionē, vt volunt Libertini.
VIII. Probatur ex diuinis litteris Deum non peccare, nec esse peccati auctorem.
IX. Probatur testimonijs Patrum Deum non esse peccati auctorem.
X. Eadem veritas rationibus comprobatur.
XI. Refellantur obiectiones deprompte ex diuinis litteris.
XII. Soluuntur obiectiones ex alijs testimonijs Scripturæ.
XIII. Soluuntur obiectiones ex alijs Scripturæ locis.
XIV. Soluuntur obiectiones ex Scripturæ testimonijs petitæ.
XV. Explicantur alia Scripturæ testimonia.
XVI. Explicantur loca aliquot Augustini, quæ in speciem fauere videntur aduersarijs.
XVII. Soluuntur obiectiones ductæ ex ratione.
XVIII. Soluitur obiectio quæ à Theologis proponi solet veritatis cognoscendæ gratia.

LIBER TERTIVS.

De statu peccati, qui est de peccato primi hominis.

CAP. I. De Tentatione quæ peccatum primorum parentum præcessit, quòd tentatio ad peccandum fuerit, quódque primi parentes verè peccauerint.
II. Cur Deus permiserit tentari hominem, quem sciebat casurum.
III. De serpente qui Euam seduxit, quòd verus & naturalis fuerit serpens, quódque per eum diabolus sit locutus.
IV. Primum peccatum parentum primorum fuisse superbiam.
V. Soluuntur obiectiones, & explicatur quæ fuerit superbia primorum hominum.
VI. Primos parentes amisisse fidem & quæ fuerit eorum infidelitas.
VII. Adamum propriè non fuisse seductum.
VIII. Primi Adami peccatum non potuisse esse veniale.
IX. Peccatum Adami grauius fuisse quam peccatum Euæ.
X. Peccatum primi hominis fuisse aliquo modo peccatorum omnium grauissimum, non tamen absolutè.
XI. De pœna primi peccati.
XII. De pœnitentia & salute primorum hominum.

LIBER

LIBER QVARTVS.

De statu peccati, qui est primus de peccato originis.

CAP. I. Proponitur materia disputationis sequentis, & qui de ea scripserint breuiter explicatur.
II. Referuntur errores circa primam quæstionem, quæ est an sit aliquod peccatum originis.
III. Deriuari ex peccato Adami in posteros aliquod veri nominis peccatum, probatur ex cap. 5. ad Romanos.
IV. Idem probatur ex alijs testimonijs Scripturæ diuinæ.
V. Probatur eadem veritas testimonijs Patrum, qui ante Pelagianam hæresim exortam scripserunt.
VI. Probatur eadem veritas ex definitione Ecclesiastica.
VII. Res eadem rationibus confirmatur.
VIII. Diluuntur obiectiones ex Scripturis.
IX. Explicantur testimonia Patrum, quæ Pelagianis in speciem fauere videntur.
X. Diluuntur argumenta ducta ex ratione.
XI. Explicatur quæstio de origine animæ.
XII. Explicatur quomodo peccatū originis traducatur, & soluitur argumentū Pelagianorū quod c. 10. extremò propositū fuit.
XIII. Non ab Heua, sed à solo Adamo peccatum originale trahi.
XIV. Ad filios fidelium peccatum originis pertinere, quemadmodum ad filios infidelium.
XV. B. Virginem Mariam sine peccato originali conceptam fuisse.
XVI. Soluuntur argumenta quæ aduersus immaculatam B. Virginis conceptionem fieri solent.
XVII. Refelluntur mendacia & calumniæ Kemnitij circa B. Virginis conceptionem.
XVIII. Non transisse ad posteros per generationem omnia peccata parentum, sed primum tantùm primi hominis lapsum.

LIBER QVINTVS.

De statu peccati, qui est secundus de peccato originis.

CAP. I. Proponitur sententia siue potius absurdissima hæresis Illyrici.
II. Refutatur error Illyrici, qui asseruit peccatum originis esse substantiam.
III. Soluuntur argumenta Illyrici.
IV. Proponitur & refellitur secundus error, qui est multorum Lutheranorum.
V. Proponitur tertius error, qui est communis omnibus Lutheranis & Caluinistis.
VI. Refutantur calumniæ & mendacia Hæreticorum.
VII. Refutatur ex Scripturis tertius error, qui est Lutheranis communis.
VIII. Refellitur idem error ex testimonijs sanctorum Patrum.
IX. Refellitur idem error in varijs rationibus.
X. Soluuntur argumenta aduersariorum, deprompta ex cap. 6. 7. & 8. ad Romanos.
XI. Soluuntur obiectiones ex alijs Scripturæ locis deprompte.
XII. Soluuntur obiectiones ex Patribus.
XIII. Respondetur ad loca quæ producuntur ex Augustino.
XIV. Soluuntur obiectiones ex ratione.
XV. Refellitur eorum Catholicorum sententia, qui peccatum originis in quadam positiua qualitate constituunt.
XVI. Refellitur error Alberti Pighij, & Ambrosij Catharini.
XVII. Explicatur vera sententia de natura peccati originis.
XVIII. Probatur sententia in superiori capite explicata.
XIX. Probatur altera pars eiusdem sententiæ.
XX. Refelluntur obiectiones, quæ fieri possunt contra doctrinam capitis superioris.

LIBER SEXTVS.

De statu peccati, qui est tertius de peccato originis.

CAP. I. Variæ sententiæ de pœna peccati originalis post hanc vitam.
II. Refellitur prima & secunda sententia, atq; asseritur, paruulos sine Baptismo decedentes, mortis æternæ pœna esse damnandos.
III. Respondetur ad obiectiones contra doctrinam capitis superioris.
IV. Refellitur quinta opinio, atq; asseritur, paruulos sine Baptismo decedentes, nō puniendos pœna sensus, siue ignis sensibilis.
V. Respondetur ad obiectiones contra doctrinam capitis superioris.
VI. Refellitur tertia opinio, & asseritur probabile esse paruulos non Baptizatos passuros interiorem animi dolorem quamuis mitissimum.
VII. Respondetur ad obiectiones contra doctrinam capitis superioris.
VIII. Proponitur methodus futuræ disputationis, de pœna peccati in hac vita.
IX. Enumerantur morbi siue vulnera mentis humanæ.
X. De morbis ac vulneribus voluntatis.
XI. De vulnere partis animæ inferioris.
XII. De miserijs hominum quoad corpus.
XIII. De miserijs naturæ humanæ, quæ extrinsecus accidunt.
XIV. Ostenditur contra Pelagianos concupiscentiam esse malam.
XV. Non solùm concupiscentiam, sed omnes miserias humanæ naturæ pœnas esse peccati.
XVI. De effectu peccati originalis, quid sentiant nostri temporis hæretici.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONTROVERSIA SECVDA GENERALIS,

QVAE EST DE AMISSIONE GRATIAE, SIVE DE STATV PECCATI.

Ordo Disputationis.

DISSERVIMVS hactenus de gratia collata humano generi in primo nostro parente Adamo: Nunc de gratiæ eiusdem amissione, & consequentibus malis disseremus. Erit autem hic ordo disputationis, vt primum generatim explicemus definitionem, partitionem q. peccati, vbi partitio illa in peccatū mortale, & veniale potissimum discutietur. Deinde considéremus peccatum ipsum primi hominis, vbi simul de prima peccati caussa disseritur. Postremò de propagatione eius peccati, id est, de peccato originis, eiusque pœna, & affectibus disseramus.

LIBER PRIMVS.

DE STATV PECCATI, QVI EST DE PECCATO IN GENERE.

CAPVT PRIMVM.

De Peccati definitione.

DE PECCATO multa à Theologis disputantur, quæ non videntur multum ad tem nostram facere. Quare iis omissis definitionem solùm, & partitionem, caussam, & discrimina peccati trademus, quæ necessaria, vel certè valdè vtilia sunt ad eas controuersias, quas habemus præ manibus explicandas.

Est igitur initio animaduertendum, non esse idem peccatum & vitium. Peccatum enim est nomen operationis malæ, quæ opponitur operationi virtutis: vitium autem est nomen habitus mali, qui opponitur virtuti, vt virtus habitum significat. In hoc enim mala bonis præstant, quod vocabulis magis abundant. Nam ad significandam actionem virtutis nullam habemus propriam vocem, & idcircò vtimur nomine virtutis tum ad actionem, tum ad habitum designandum. Ad significandam autem actionem, quæ nascitur ex vitio, habemus plurimas voces, peccatum, crimen, delictum, scelus, facinus, flagitium, culpam, erratum, & alia. Esse autem vitium nomen habitus, non actionis, ex corporalibus rebus intelligi potest, vnde nomina ad res spirituales transferri solent. Dicimus enim vitium esse in equo, quando habet permanentem aliquam qualitatem, ob quam sæpe aut cespitat, aut terretur, aut fræno retineri nequit: sed si casu id accidat semel, atque iterum, non propterea dicitur equus vitiosus. Quocirca rectè Aristoteles in 7. libr. de Moribus. ca. 8. vitium comparat cum hydropisi, quæ est sitis permanens. Et sanctus Augustinus in lib. de perfectione Iustitiæ, cap. 4. simile esse dicit vitium curuitati tibiæ, peccatum autem claudicationi.

Prætermisso igitur vitio, de quo non est nobis in præsentia disputandum. Peccatum sic definitur à S. Augustino lib. 2. de consensu Euangelistarum, cap. 4. *Peccatum est transgressio legis* Quæ definitio generalissima est, & conuenit in peccata omnia non solùm morum, sed etiam naturæ, & artis. Nihil est enim aliud peccatum, nisi declinare, ac recedere à regula. Quod etiam breuissimè docuit sanctus Ioannes in epistola prima, cap. 3. his verbis: *Peccatum est iniquitas.* Et clarius Græcè ἁμαρτία ἐστὶ ἀνομία.

At peccatum in moribus, de quo solo nos agimus, definit idē S. Augustinus lib. 22. contra Faustum, cap. 27. *dictum, vel factum, vel concupitum contra legē æternam.* Quam definitionem Theologi magno applausu receperunt, nec immeritò. Nam cùm duo quædam in peccato reperiantur, substantia, quæ est materiale, & ratio ipsa, quæ est formale peccati: vtrumq; Augustinus ea definitione complexus est. Substantia peccati est actio aliqua voluntaria, vel volūtaria actionis omissio. Ratio peccati est ipsa declinatio, & recessio à regula in illa actione, vel eius omissione. Et quoniam tria sunt instrumenta generalia actionum, cor, lingua, manus: & rursus tria sunt genera actionum, vnum planè spiritualium, vt desideriorum, aliud planè corporalium, vt factorum, aliud partim spiritualium, partim corporaliū, vt verborum: propterea S. Augustinus vt comprehenderet quidquid est in peccato materiale, dixit, peccatum esse dictum, vel factum, vel concupitum. Non meminit autem omissionis, quia definitiones debent esse breues, & negatio ex affirmatione colligitur.

Porrò peccati rationem, atq; adeò ipsum formale peccati indicauit Augustinus cùm ait, contra legem æternam, nec dicere voluit, contra rationem vt loquuntur Philosophi, neque contra legem Dei, vt loquitur S. Ambrosius libro de paradiso, cap. 8. neq; contra legem simplicirer, sed contra legem æternam, nimirum vt comprehenderet omnes leges, & ipsam legum radicem. Siquidem omnis lex tum naturalis, tum positiua; & positiua tum Dei, tum hominum ideo est lex, quia congruit cum lege

lege æterna, quæ est ipsa Dei ratio summa, ac perfectissima regula: neque est aliud quælibet vera lex, nisi adumbratio quædam, atque participatio legis æternæ.

Vnum desiderari videtur in Augustini definitione, vt videlicet voluntarij mentio in ea fieret. Non enim quodvis dictum, factum, concupitum: sed dictum, factum, cōcupitum voluntarium contra legem æternam, est peccatum. *Vsque adeò*, inquit Augustinus in lib. de vera religione, cap. 14. *Peccatum voluntarium est malum, vt nullo modo sit peccatum, si non sit volumarium.* Sed nō sine caussa hoc loco Augustin⁹ voluntariū prætermisit. Poterat enim ex aliis partibus definitionis facilè colligi. Siquidē non est propriè contra legē, nisi id quod est voluntariū. Neq; enim lex propriè datur, nisi iis, qui habēt vsum liberi arbitrij.

Hæc de definitione peccati hoc loco sufficiant. Illud solùm obiter obseruādum est, tantam esse aliquorum ex Lutheranis imperitiam, vel impudentiam, vt Augustini definitionē, tacito eius nomine inter errores numerare non vereantur, idque non alia de causa, nisi quia eādem definitionē apud scriptores Catholicos inuenerunt. Tilmanus Heshusius, qui se Episcopum Sambiensem vocitat, in lib. de sexcentis erroribus Pontificiorū, loco quarto, num. 1. *Pontificij*, inquit, *hoc modo definiunt plerumque peccatum, quod sit vel dictum, vel factum, vel cupitum contra Dei legem.* Et numero 2. *Tanquam immotam*, inquit, *regulam vrgent, vsque adeò voluntarium est peccatum, vt non sit peccatum, si non sit volūtarium.* Deinde enumeratis aliis aliquot eiusmodi sentētiis antidotū tanquā cōtra venena subiungit.

At vel ignorabat Heshusius has esse S. Augustini sententias, vel non ignorabat: Si ignorabat, valdè imperitus sit necesse est, cùm hæ sint sentētiæ celeberrimæ, ac ferè omnibus notæ: Si non ignorabat, impudentissimus est, cùm tantùm Doctorem contemnere non dubitauerit, ac præsertim in ea re, in qua (vt ipse idem August. loquitur loco citato, de vera religione, cap. 15.) nulla Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentit. Agimus tamen gratias quod dum Augustini sententias, vt Pontificiorū errores dānat, Augustinū Pontificiū fuisse cōcedit.

CAPVT II.

Peccati partitiones.

IAM VERO quinque sunt peccati partitiones. PRIMA sumitur ab obiectis, ac proinde specifica partitio est: Siquidem actiones ab obiectis species sumūt. Ab obiectis autem generatim duo ducuntur genera peccatorum. Alia enim sunt peccata carnalia, alia spiritualia, iuxta illud Apostoli. 1. Corin. 7. *Emundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus.* Est autem hæc plena atque perfecta partitio. Siquidem res omnes, ad quas inordinatè conuertimur, cùm peccamus, aut sunt bona apprehensa sensibus carnis, vt cibus, potus, cōcubitus, aut intelligētia, vt honor, potestas, diuitiæ. Per cōuersionem ad priora fiunt peccata carnalia, per cōuersionum ad posteriora fiunt peccata spiritualia. Illa nos reddunt similes belluis, ista dæmonibus, & latinè dicuntur illa flagitia, ista scelera, vel facinora.

ALTERA partitio ducitur ab Origene, dicūtur enim alia peccata actualia, alia originalia. Actualia sunt quæ propria voluntate cōmittimus. Originalia sunt, quę trahuntur à primo parente Adamo, per carnalem propagationē, quęq; voluntaria sunt, aliena, nō propria voluntate, sed de peccato Originis plura dicemus infrà suo loco.

TERTIA partitio sumitur à lege. Dicūtur enim alia peccata cōmissionis, alia omissionis. Commissionis peccata sunt, quæ pugnant cum lege negāte, ac prohibente aliquid, vt adulterium, homicidium, furtum quę legibus illis repugnāt: *Non mœchaberis, Non occides, Non furaberis.* Omissionis verò ea peccata dicuntur, quæ violant leges affirmantes, & imperantes aliquid, vt cùm quis parentibus debitum honorem non exhibet, contra illud: *honora parentes.* Et quidem commissio. Peccatum, omissio, delictum propriè dici solet, vt S. Augustinus quæstione 20. in Leuiticum colligit ex cap. 7. Leuitici, vbi alia sacrificia instituuntur pro peccatis, alia pro delictis.

QVARTA partitio sumitur ab eorum varietate, qui potissimùm peccato læduntur. Alia enim peccata cōmittuntur in Deum, alia in proximum, alia in nos ipsos. Aduersus quæ peccata nos munit Apostolus cùm ait in epistola ad Tit. c. 2. *Sobrie, iustè, & pie viuamus in hoc seculo.* Sobriè videlicet quoad nos, iustè quoad proximū, piè quoad Deū. Et Propheta Dauid in Psalmo 50. aduersus eadem peccata Spiritum sanctum, Spiritum rectum, spiritum principalem à Deo petebat.

QVINTA partitio nascitur ex grauitate culparū, siue ex reatu pœnæ, qui peccātes consequitur. Dicuntur enim peccata quædā læthalia, alia venialia. Lethalia sunt quæ hominem planè auertunt à Deo, & quibus pœna debetur æterna. Venialia, quæ nonnihil impediūt cursum ad Deum, non tamen ab eo auertunt, & facili negotio expiantur. Priora dicuntur crimina, posteriora peccata, vt S. Augustinus monet in Enchiridio, cap. 64. vbi scribit, sine crimine iustos homines viuere, sine peccato non viuere. Denique simile est mortale peccatum vulneri lethifero, quod subitò vitam extinguit, veniale autem plagæ leui, quæ sine vitæ periculo suscipitur, & facilè curatur. Illud enim cum caritate, quę vita est animæ, pugnat, hoc non tam contra, quàm præter caritatem est. Et quoniam hæc postrema partitio prærer cæteras ab aduersariis oppugnatur, de ea copiosiùs disseremus.

CAPVT III.

De discrimine peccati mortalis, & venialis.

DE DISCRIMINE peccati mortalis, & venialis non leuis controuersia est. Sed vt status caussæ faciliùs possit intelligi, præmittendæ sunt partitiones quędam peccati venialis.

PRIMA partitio est trimēbris; peccata venialia à caussa, ab euentu, ex natura, & ratione peccati. Peccatum veniale à caussa dicitur peccatum, quod ex ignorantia, vel ex infirmitate committitur, quod genus peccati non dicitur veniale, vt distinguatur cōtra quodcunq; mortale, sed contra peccatum mortale ex malitia. Tametsi enim peccata ex ignorantia, vel ex infirmitate sæpè sint merè mortalia, ramen dicuntur omnia venialia, quia est in eis aliquid imminuens culpæ prauitatem, & ratione cuius, is qui peccauit est vicinior indulgentiæ. De quo genere peccati loquitur Apostolus in Epistola priore ad Timotheum. c. 1. cùm ait: *Fui blasphemus & contumeliosus, & persequutor, sed misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.*

Peccatum veniale ab euentu dicitur id, quod per pœnitentiam expiatur, iuxta illud S. Ambrosij in lib. de paradiso, cap. 14. *Venialis culpa quam sequitur professio delictorum.* Qua significatione videtur accepisse S. Augustinus veniale peccatum in lib. de Ciu. Dei. c. vlt. cùm ait: *Nunc verò dū venialis iniquitatis, etiamsi perseueret, ignoratur modus, profectò & studium in meliora proficiendi orationi instando vigilantiùs adhibetur, & faciendi de mammona iniquitatis sanctos amicos cura non spernitur.* Eadē notione vsus est auctor libri de vera & falsa pœnitentia, cap. 18. qui scripsit, peccata per pœnitentiam fieri venialia. Hæc quoque venialia nō opponuntur absolutè mortalibus, sed iis, quæ reipsa nūquam remittuntur, ac per hoc ad mortem perducunt æternam.

Peccata venialia ex natura & ratione peccati dicuntur ea, quæ non sunt contraria caritati Dei, & proximi, quæque propriè, & absolutè mortalibus opponūtur. De venialibus primi, & secūdi generis nulla cōtrouersia est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nemo est enim, qui neget peccatorum alia ex ignorãtia, A vel infirmitate, alia ex malitia posse committi; & rursus alia per pœnitentiam expiari, alia per pœnitentiam non expiata in æternum puniri. De venialibus tertij generis est tota quæstio. Quæ venialia rursus in duo genera diuiduntur. Alia enim dicuntur venialia ex genere suo, alia ex imperfectione operis.

Venialia ex genere suo dicuntur ea quæ habent pro obiecto rem malã, & inordinatam, sed quę charitati Dei, vel proximi non repugnet, quale est verbum otiosum, risus nimius, & alia id genus: & his contraria sunt peccata mortalia ex genere suo, vt periurium, adulterium, & similia, quæ apertè cum caritate Dei vel proximi pugnãt.

Venialia ex imperfectione operis ea sunt, quæ tametsi ex genere suo mortalia esse possent, tamen ob imperfectionem operis venialia efficiuntur, quia videlicet sola imperfectio operis facit, vt cum caritate pugnare non iudicẽtur. His verò contraria sunt mortalia ex parte agentis, quæ quidem ex genere suo venialia esse potuissent, & tamen ex dispositione quadã peccantis mortalia sunt, tale peccatum esset, si quis adeò delectaretur ociosis cõfabulationibus vt paratus esset in iis tempus conterere, etiam cùm ex diuino præcepto aliquid aliud ei necessariò faciendum incumberet.

Rursus peccata venialia ex imperfectione operis in duo membra secari solent. Alia enim dicuntur venialia ex subreptione, alia ex paruitate materiæ. Ex subreptione dicuntur ea, quæ non sunt perfectè voluntaria, quales sunt subiti motus cupiditatis, iræ, inuidentiæ, & alij similes, qui prius in animo existunt, quàm ratio planè deliberare potuerit, essent necne admittendi; qui quidem & peccata sunt cùm præueniri, aut continuò repelli potuissent, si ratio vigilasset: & tamen venialia sunt, cùm C pleno volũtaris assensu caruerint. Ex materiæ paruitate dicuntur ea, quæ in re parua, ac leui cõmittuntur, quale esset furtum vnius oboli, quod neque proximum notabiliter lædit, neque eiusmodi est, vt apud æquos homines amicitiam tollere queat.

CAPVT IIII.

Referuntur sententiæ hæreticorum.

His ita constitutis ad sententias aduersariorum explicandas accedamus. Primi fuerunt Iouinianus, & Pelagius, qui discrimẽ peccati mortalis, & venialis sustulerunt è medio. Iouinianus enim docuit, peccata omnia esse paria, vt breuiter indicauit S. Augustinus libro de hæresibus, cap. 82. sed clarius S. Hieronymus in 20. libro aduersus Iouinianum, non procul à fine, his verbis: *De eo autem quod niteris approbare, conuitium, & homicidium, raca, & adulterium, otiosum sermonem, & impietatem vno supplicio repensari, iam supra tibi responsum est.* Et infrà: *Non tibi habebunt tantas gratias, quos de humili in sublime leuas, quantum irascentur, quos propter leue, quotidianumq; peccatum in exteriores tenebras reiecisti.* Hæc ille. Quocirca valdè mirum est quid Alphonso de Castro venerit in mẽtem, vt in suo libro 12. contra hæreses, verbo Peccatum, hæresi 8. scriberet, hunc errorem, de peccatorum æqualitate, nusquam à S. Hieronymo in duobus libris aduersus Iouinianum, ipsi Iouiniano adscribi. Nam per multas paginas in secundo libro contra Iouinianum S. Hieronymus non solùm hunc errorem nominatim Iouiniano tribuit, sed etiam omnia eius argumeta proponit & soluit. Et S. Augustin. in epistol. 29. ad Hieronymum, hunc Iouiniani errorem ab ipso Hieronymo præclarè confutatum fuisse testatur.

Iouinianum sequutus Pelagius quolibet peccato iustitiam amitti docebat, ac per hoc omne peccatum esse mortale, & quoniam multos iustos esse negare non poterat, affirmabat posse hominem in hac vita, sine omni peccato, viuere. Ita refert S. Hieronymus in 1. & 2. Dialogo contra Pelagianos. Et S. Augustinus in libro de hæresibus cap. 88. *In ea etiam* inquit Augustinus, *progrediuntur, vt dicant, vitam iustorum in hoc seculo nullum omnino habere peccatum, & ex his Ecclesiam Christi in hac mortalitate perfici, vt sit omnino sine macula, & ruga, quasi non sit Christi Ecclesia, quæ in toto terrarum orbe clamat ad Deum: Dimitte nobis debita nostra.*

Post hos Ioannes Vvicleffus (vt refert Thomas Vvaldensis tomo 2. de Sacramentis, capite 155. & sequentibus) totam Ecclesiam reprehendebat, quod ignoraret distinctionem peccati mortalis, & venialis. Docebat verò ipse, omnia peccata esse mortalia, si per mortale intelligatur id quod est mortis æternæ inductiuum. Si verò per mortale intelligatur id, quod de facto mortem æternam adducit, tunc omnia peccata reproborum esse mortalia, electorum venialia ex natura sua. Ex qua sententia B illud manifestè sequitur, vt omnia sint mortalia.

Nostro seculo quo vetures errores penè omnes renascuntur, nulli sunt hæretici qui verum discrimen agnoscant inter peccata mortalia, & venialia. Martinus Lutherus in assert. omnium articulorum suorum, cùm in articulo 32. dixisset, omne opus hominis iusti esse peccatum, & hoc Leo X Pontifex damnasset, ita suum errorem auxit, vt diceret, omne opus hominis iusti esse peccatum ex natura sua mortale, & ex sola Dei misericordia veniale. Idem Lutherus in libro de captiuitate Babylonica, cap. de Baptismo, indicat omnia peccata esse venialia præter incredulitatem, cùm ait: *Ita vides quam dines sit homo Christianus, sine baptizatus, qui etiam volens non potest perdere salutem suam quantiscunque peccatis, nisi nolit credere.* Quod non ita accipiendum est, quasi existimauerit Lutherus non esse vlla peccata ex natura sua mortalia præter incredulitatem, sed illud dicit, quia sibi persuasit omnia peccata condonari, vel non imputari credentibus, non credentibus autem nullum condonari, cùm fides sola, eius opinione, iustificet, ita reditur ad primum errorem, vt quæuis peccata natura sua mortalia sint, sola verò Dei misericordia venialia.

Philippus Melanchthon in locis communibus, titul. de discrimine peccati mortalis & venialis, videtur quidẽ agnoscere distinctionem aliquam, inter hæc peccata, sed reuera à Lutheri sententia non recedit. Scribit enim peccata mortalia esse, quæ excutiunt Spiritum sanctum, venialia, quæ non excutiunt. Sed inter explicandum satis apertè prodit errores suos. Primùm enim docet, discrimen peccati mortalis, & venialis non habere locum in non renatis: *Quamquam*, inquit, *Nero, & Epicurus multo atrocius peccant, quam Catonianen vtique sunt oppressi peccatis mortalibus horrendis, & ira Dei aterna. Nec necesse est in non renatis quærere discrimen peccati mortalis, & venialis, quia omne quod non est ex fide peccatum est.* Quod si peccata non renatorum sunt omnia mortalia, id omninò sequitur, vt nulla sint peccata ex natura sua venialia. Nã si quę essent ex natura sua venialia, etiã in nõ renatis essent venialia.

Secundo docet, in renatis venialia peccata esse motus prauos, qui rationem ita præueniunt, aut rapiunt, vt voluntarij dici non possint. Quique nobis inuitis, & repugnantibus in nobis interdum existunt. Et quia poterat aliquis occurrere, ac dicere, ea quæ non sunt voluntaria nõ esse peccata, nec mortalia, nec venialia. subiungit, vulgatum illud dictum (Quod non est voluntarium, non est peccatum) intelligendum esse, quoad iudicium ciuile, non quoad iudicium legis diuinæ. Itaque omnia illa, quæ sunt ex sententia Catholicorum vera peccata, id est, quæ sunt aliquo modo voluntaria, omnia (inquam) ex Philippi sententia sunt mortalia, & sola illa apud eum venialia sunt, quæ apud Catholicos nulla peccata sunt.

Tertio docet, peccata venialia esse verè contra legem Dei, & magnam deformitatem adferre; atque adeò

adeò iram Dei mereri. Sed venialia dici, quia condonantur iis, qui Deo grati sunt. Quod est illud ipsum, quod Lutherus voluit, cùm ait omnia opera iustorum esse peccata mortalia ex natura sua, sed venialia ex misericordia Dei, quia credẽtibus non imputatur, *Quanquam*, inquit, *renati, in quibus est accensa cognitio Christi, & vera inuocatio, & inchoata est obedientia, sunt iusti, placent Deo, & habent Spiritum sanctificantem. in eis adhuc in hac vita manet ingẽs infirmitas, videlicet caligo in mente de Deo, & voluntatis, ac cordis prauæ inclinatio, & multi vitiosi affectus, &c.* Et paulò pòst: *Hæc mala in renatis sunt contra legem Dei, vt Paulus testatur Roman. 7. & quanta sit deformitas, quanta magnitudo horum malorum pij in veris doloribus aliquo modo agnoscunt. Sed quia persona accepta est, accensa agnitione* Christi *& fide in corde, & donato Spiritu sancto, & aliquo modo infirmitatem agnoscit, & deplorat, & expauescit, agnitione iræ Dei aduersus peccatum, & petit condonationem, & repugnat primis incendiis, sunt huic personæ hæc mala venialia peccata, ita est condonata, ita vt non excutiãt Spiritum sanctum, & fidem, ac maneat persona in gratia.* Et rursus paulò inferiùs: *Etsi* inquit *morbi hærentes adhuc in renatis in hac vita, & vitiosi affectus, non sunt leuia aut contemnenda mala, nec sunt tantum ἀπαξίαι præter legem Dei, vt Monachi finxerunt, sed vere sunt contra legem Dei, tamen donec manet in renatis bona conscientia, & fides, manet etiam Spiritus sanctus.*

Quarto docet, peccata mortalia esse illa omnia, quæ excutiunt fidem, id est, quæ simul cum fide consistere nequeunt: talia autem esse omnia peccata voluntaria, *Posiremò*, inquit, *hæc duo impossibile est simul existere, malam conscientiam, id est, propositum peccandi, & fidem, quæ est fiducia misericordiæ Dei, propter Christum promissæ. Quia habens propositum peccandi, contemnit aut fugit Deum, non accedit ad Deum. At fiducia misericordiæ accedit ad Deũ Pontificè Christo.* Exhis habemus Philippum non agnoscere vlla peccata venialia nisi inuoluntaria, & ea venialia esse non ex natura sua, sed quia ob fidem non imputantur.

Eandem sententiam exprimit Tilmannvs Heshvsivs in libro de erroribus Pontificiorum, titul. 4. qui est de peccato numer. 24. his verbis: *Contendunt Pontificij discrimẽ inter peccatum mortale, & veniale non in eo consistere, quod venialia peccata tecta, & condonata sint, mortalia verò æternæ damnationi obnoxia, sed quod discrimen sit in ipsa peccatorum natura, & actione, hoc modo, quod peccata mortalia sint eiusmodi, vt repugnent iustitiæ, caritati, & legi diuinæ, & mereantur æternam damnationem: venialia verò nec caritati, nec iustitiæ nec legi aduersentur, nec etiam mereantur mortem, vel iram Dei, sed sint digna venia.*

In eandem sententiam concurrunt Magdeburgenses cent. 1. lib. 2. ca. 5. col. 171. vbi sic loquuntur de discrimine peccatorum ex doctrina (vt ipsi putant) Apostolica: *Docent* (Apostoli) *venialia peccatum nullum quidem per se esse, dum asserunt omnia peccata pugnare cum lege diuina, & mereri iram Dei, & æternas pœnas: Sed per accidens, hoc est, propter causas aliunde incidentes, nempe propter remissionem peccatorum, quæ contingit fidelibus propter Christum.* Et paulò antè dixerant: *Qui natus est ex Deo, peccatũ non committit, hoc est, non committit peccatum mortale: sed venialia eius sunt peccata, seu peccata propter fidem in Christum ipsi non imputantur.* Et col. 173. *Impiæ*, inquiunt, *& incredulis non tantum scelera externa contra legem Dei adferunt mortem, & condemnationem: verum etiam depraua ta natura, & interni affectus mali, & opera externa, etiam ciuiliter honesta. Renatis verò mortem adferunt omnia actualia peccata, siue interna, vt cogitationes, & affectus, siue externa, vt dicta, & facta contra legem Dei, si non repugnent iis fide, sed assentiantur ad efficiẽdum ea, siue in actum perducantur, siue non.* Et paulò infrà: *Peccata mortalia excutiunt fidem, & Spiritum sanctum, & bonam conscientiam.*

Eadem est sentẽtia Martini Kemnitii in prima parte Examinis Concilij Trid. pag. 926. & 927. *Peccata mortalia*, inquit, *excutiunt fidem, & Spiritum sanctum, & tunc desinunt esse iusti. Venialia verò peccata sunt etiam in renatis, nec proptereà desinunt esse iusti.* Et infrà: *Licet sint differentiæ, & gradus peccatorum, nullum tamen tam minutum, & leue peccatum est, quod non sit ἀνομία, hoc est, prævaricatio legis diuinæ.* Et infrà: *Lex accusat & damnat etiam illa peccata, quæ venialia vocantur, nisi tegantur & non imputentur propter Christum.*

Porrò Ioannes Calvinvs partim Luthero, partim Iouiniano, partim VVicleffo assentitur. Nam lib. secundo Institutionum, capite 8. §. 59. ita concludit: *Habeant filij Dei omne peccatum mortale esse, quia est aduersus Dei voluntatem rebellio, quæ eius iram necessario provocat: quia est legis prævaricatio, in qua exitium est sine exceptione Dei iudicium. Sanctorum delicta venialia esse, non ex suapte natura, sed quia ex Dei misericordia veniam consequimur.* Et libr. tertio, capite quarto, §. 28. *Cæterum*, inquit, *fidelium peccata venialia esse: non quia non mortem mereamur, sed quia Dei misericordiã nulla est condemnatio iis, qui sunt in Christo Iesu, quia non imputantur, quia venia delentur.* Neque his dissimilia scribit in Antidoto Concilij Tridentini sess. 6. capite 12.

Atque hæc quidem consentanea sunt doctrinæ Lutheranorum Sed quia idem Caluinus libro tertio Institutionum, capite secundo, §. 11. docet, fidem esse donum proprium electorum, & semel verè habitam non posse vnquam amitti: inde consequitur, vt ex doctrina Caluini peccata omnia reproborum sint mortalia, electorum autem venialia, vt VVicleffum etiam sensisse demonstrauimus. Hoc tamen interest inter VVicleffum, & Caluinum, quod VVicleffus absolutè peccata electorum facit venialia: Caluinus autem vult esse venialia, quæ fiunt ab electis post fidem semel adeptam, non autem quæ ante fidem.

Itaque opinione Caluini peccata fidelium electorum sunt venialia, non tam quia electi sunt, quàm quia manent cum fide, quæ semel habita nunquam perit, & propria electorum est: in quo Caluinus Iouinianum sequitur, qui docuit hominem semel baptizatum non posse vnquam à gratia Dei excidere, teste sancto Hieronymo libro 2. aduersus Iouinianum. Verba autem Caluini libr. 3. Instit. cap. 2. §. 11. hæc sunt: *Reprobi nunquam sensum gratiæ nisi confusum percipiunt, vt vmbram potius apprehendant, quàm solidum corpus. Quia peccatorum remissionem spiritus proprie in solis electis obsignat, vt eam speciali fide in vsum suum applicent.* Et paulò antè: *Ergo*, inquit, *vt soles electos semine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, vt nunquam dispereat semen vitæ eorum cordibus insitum ata solidè in illis obsignat adeptionis suæ gratiam, vt stabilis ac rata sit.*

His omnibus erroribus contraria est sententia communis Theologorum Catholicorum apud Magistũ Sententiarum in 2. lib Sent. dist. 42. & S. Thomã 1. 2. quæst. 88. art. 1. & omnium ferè scriptorum, qui aduersus hereticos de hac controuersia disseruerunt. Docent enim cõmuni consensu peccata quædam ex natura sua, nulla ratione habita ad prædestinationem, vel reprobationem, aut ad statum renouatorum, vel non renouatorum, esse mortalia, quædam venialia, & prioribus quidẽ indignum reddi hominem amicitia Dei, & mortis æternæ reũ. Posterioribus temporalis tantùm supplicij, paternæq; castigationis hominẽ reum constitui. Excipiuntur Io. Gerson. 3. part. Theologiæ, tract. de vita spirituali animæ, lec. 1. Iacobus Almayn tract. 3. c. 20. & Ioan Episcopus Rossensis in refutatione art. 32 Lutheri, qui nõnihil à communi Theologorum sententia deflexerunt, sed absq; peruicacia, & longè alia ratione, quàm hostes fidei faciant.

CAPVT V.

Refellitur sententia Iouiniani, & Pelagij.

Refellemvs nunc ordine, Primo, Iouinianum, & Pelagium. Deinde VVicleffum, & Caluinum. Tertio Lutherum, Philippum, Kemnitium, & cæteros eiusdem sectæ. Postremo aduersus omnes simul

Universidad de Deusto
Biblioteca

probauimus Catholicam sententiam distinctione peccati mortalis,& venialis ex natura sua.

Igitur Iouinianus & Pelagius, qui simpliciter distinctionem peccati mortalis,& venialis tollebant è medio, ex iis Scripturis apertissimè refelluntur,quæ docent peccata quædam iniustos homines constituere, quædam in in ipsis iustis ita hærere,vt non propterea iusti esse desinant. Ad Primum caput illa pertinent Ezech.18.vbi posteaquam Dominus per Prophetam descripsit hominem probum,qui non leuauerit oculos ad idola domus Israël, non adulterium,non furtum fecerit,hominem non contristauerit,&c.subiungit: *Hic iustus est,vita viuet*,quasi dicere velit,si secus fecerit,iustus non erit,sed iniustus. Et ideò paulò pòst addit: *Si auerterit se iustus a iustitia sua,& fecerit iniquit. a em secundum omnes abominationes,quas operari solet impius,nunquid viuet?* Eodem pertinet illud Apostoli 1. Cor.6. *An nescitis,quia iniqui regnum Dei non possidebunt? nolite errare. Neque fornicarij,neque idolis seruientes,neque adulteri, neque molles,neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari,neque ebriosi,neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt,& hæc quidem fuistis,sed ablati estis,sed sanctificati estis,sed iustificati estis in nomine Domini Iesu Christi,& in spiritu Dei nostri.*

Vbi Apostolus tribus modis ostendit, peccata quæ hic enumerantur,facere homines iniustos, siue cum iustitia non posse consistere.Primo,quia docet eos, qui talia agunt,esse iniquos.Nam cùm dixisset: *Nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt*, continuò explicuit qui sint appellandi iniqui,cùm addidit: *Neque fornicarij,neque idolis seruientes,&c.* Secundo, quia purgationem ab eiusmodi peccatis non solum absolutionem vocat,sed etiam iustificationem,nimirum,vt indicaret iniustos esse qui talia agunt, vel egerunt, donec per Dei gratiam iustificẽtur. Tertio,quia restatur eiusmodi peccatis excludi homines, ac priuati possessione regni cœlorũ,quæ merces est operum bonorũ,& corona iustitię.Multa possent alia huc adduci,sed non est opus,cùm hanc partẽ omnes admittant.

Ad Alterum igitur caput,de quo solo potest esse dubitatio,pertinet illud Prophetæ Psal.31.*Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno.* Vbi illud: *Pro hac*,refertur ad peccati remissionem, de qua paulò antè dixerat: *Dixi,confitebor aduersum me iniustitiam meã.& tu remisisti impietatem peccati mei.* Cùm igitur pro remissione peccati oret omnis Sanctus,manifestè sequitur esse quædam peccata,quæ in Sanctis aliquando inueniuntur, nec tollunt sanctitatem.Eodem pertinet illud Psal.98. *Moyses,& Aaron in sacerdotibus eius,& Samuel inter eos,qui inuocant nomen eius,custodiebant testimonia eius, & præceptum quod dedit illis, Domine Deus noster,tu exaudiebas eos: Deus tu propitius fuisti eis, & vleiscens in omnes adinuentiones eorum.* Ex hoc loco discimus Mosem, Aaron, & Samuelem viros iustos fuisse, & custodiisse præcepta Domini. Et tamen non defuisse illis peccata, ob quæ propitiatione Dei indigerent,& à Domino paternè castigarentur. Simile est illud Salomonis Prou. 24. *Septies in die cadet iustus, & resurget.* Et Eccles.7. *Non est homo iustus in terra,qui faciat bonum, & non peccet.* Et in Testamento nouo docuit Christvs, Apostolos,& omnes alios fideles,quãtumuis iustissimos, quotidie dicere; *Dimitte nobis debita nostra*,Matthæi sexto. Et sanctus Ioannes,qui sine dubio sanctus,&iustus erat, de se,& aliis dicit;1.Ioannis primo: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* Et beatus Iacobus similiter de se,& cæteris pronunciat: *In multis offendimus omnes,Iacobi tertio.*

Igitur ex diuinis litteris apertè conuincitur, esse peccata quædam,quæ cum iustitia,& sanctitate non repugnent.Idem probari potest ex definitione Conciliorum. Nam Concilium Milevitanvm, canone septimo, ita de hac re loquitur: *Item placuit vt quicunque dixerit in oratione Dominica ideo dicere sanctos,Dimitte nobis debita nostra, vt non pro se ipsis hoc dicat,quia non est eis iam necessaria ista petitio,sed pro aliis,qui sunt in suo populo peccatores, & ideo non dicere vnumquemque Sanctorum. Dimitte mihi debita mea, Sed, Dimitte nobis debita nostra,vt hoc pro aliis potius, quàm pro se petere intelligatur, anathema sit.* Similia habentur can. 6. & 8.Cui Concilio ante mille, & centum annos celebrato subscripsit Concilio Oecumenicũ Tridentinvm, cùm ait sess.6.cap.11. *Licet in hac mortali vita, quantumuis sancti,& iusti in leuia saltem,& quotidiana,quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti. Nam iustorum illa vox est humilis, & verax, Dimitte nobis debita nostra.*

Accedit præterea sanctorum Patrum consensus. Sanctus Cyprianvs in sermon.de eleemosyna: *Sè autem*, inquit,*nemo esse sine peccato potest,& quisquis se inculpatum dixerit,aut superbus,aut stultus est quam necessaria,quam benigna est clementia diuina, quæ cum sciat non deesse sanatis quædam postmodum vulnera,dedit curandis denuò sanandisque vulneribus remedia salutaria.*

S.Basilivs oratione in Psalm.114. *Qui in peccato*, inquit,*mortali hæret,dicat.Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me.* Quo loco sanctus Basilius cùm peccatum mortale nominat,significat, inueniri etiam peccatum veniale,ob quod non sit opus dicere,Circumdederunt me dolores mortis.

S.Ambrosivs in Psalm.118.ser. 16. explicans illud: *Fac cum seruo tuo secundùm misericordiam tuam. Non potest*, inquit,*hoc iustus negare,quia nemo sine peccato.*

S. Gregorivs Nazianzenvs oratione 2.in Iulianum,vltra medium: *Magnum*,inquit, *est,neque ab initio peccare,aut saltem non in maximis delinquere. Quoniam pœnitus à peccato liberum esse,Deus supra humanam naturam ordinauit.* Ex quo loco intelligimus, peccata quædam leuia in omnibus hominibus,quamuis iustis,& sanctis reperiri.

S.Hieronymvs lib.2.aduersus Pelagianos, non procul ab initio. *Iustor*,inquit,*esse concedo, sine omni autem peccato omninò non assentior.* Idem fusissimè docet toto libr. 2.& 3.contra Pelagianos,& lib.2.contra Iouinianum.

S.Avgvstinvs.libr.1.contra duas epistolas Pelagianorum,cap.14. *Nullus* inquit,*in Ecclesia rectè posset ordinari minister,si dixisset Apostolus,si quis sine crimine est. Multi quippe fideles baptizati, sunt sine crimine,sine peccato autẽ in hac vita neminem dixerim.* Et libr.3.cap.3. *Quamuis*,inquit,*diabolus sit auctor,& princeps omnium peccatorum,non tamen filios diaboli faciunt quæcunque peccata. Peccant enim & filij Dei,quoniam si dixerint se non habere peccatum,se ipsos seducunt,& veritas in eis non est.* Idem libr.de natura & gratia,capite 36. scribit,omnes omninò Sanctos, excepta sancta Virgine Deipara dicere potuisse illa verba S.Ioann.iam citata: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.*

S.Ioannes Cassianvs coll.22.c.23. *Cæterum*, inquit, *iustos,ac sanctos viros nõ esse immunes à culpa manifestè Scriptura pronunciat,dicens,Septies in die cadit iustus,& resurgit. Quid enim aliud est cadere,quàm peccare?& tamè cùm dicatur septies cadere iustus,nihilominus proniciatur,nec iustitiæ eius præiudicat lapsus fragilitatis humanæ,quia multùm interest inter sancti,& peccatoris hominis lapsum. Aliud enim est admittere mortale peccatum,& aliud est cogitatione,quæ peccato nõ careat,præueniri,&c.*

S.Gregorivs lib.21.Moralium ca.9. *Hoc*,inquit, *inter peccatum distat,& crimen, quod omne crimen peccatum est, non tamen omne peccatum crimen est:& in hac vita multi sine crimine,nullus verò esse sine peccatis valet,in qua videlicet peccatorum,& criminum distinctione pensandum est, quia nonnulla peccata animam polluunt,quam crimina extinguunt.*

S.Bernardvs in serm.de Cœna Domini: *Et vnde*, inquit,*scimus,quia ad diluenda peccata quæ non sunt ad mortem, & à quibus plenè cauere non possumus ante mortem ablutio ista pertineat?* Vide eundem in libro de præcepto,& dispensatione,vbi ex Scripturis,ex regula S.Benedicti, & ex ipsa ratione demonstrat, quædam esse peccata lethaliter criminalia,vt ipse loquitur,quædam autem venialia. Vide etiam eiusdem æqualem Richardum de sancto Victore,qui librũ integrũ scripsit de distinctione peccati mortalis,& venialis,ac docuit,omnes Sanctos in hac vita venialiter aliquando peccare,& priuilegium esse beatorum in cœlo regnantium venialibus omninò carere. Huc etiam pertinere possunt argumenta, quæ paulò pòst aduersus Lutheranorum sententiam proponemus.

CAPVT VI.

Diluuntur obiectiones Pelagianorum.

Pelagiani(vt referunt sancti Patres Hieronymus,& Augustinus) loca quædam ex Scripturis vrgebant, ex quibus effici arbitrabantur,posse,ac debere homines peccatis omnibus carere,ac per hoc nullum esse peccatum quod iustitiæ non repugnet.

Prima obiectio sumitur ex illis testimoniis,qui docent,homines debere esse perfectos,Deuter.18.*Tu autem perfectus eris coram Domino Deo tuo.* Matth. 5. *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* Certè perfectus dici non potest,cui aliquid deest,deesse autem aliquid ei, qui in peccatis est,negari non potest.Possumus igitur & debemus omni peccato carere:& hoc Deus iubet vt simus perfecti,si amici,& filij eius esse volumus.

Responsio, Perfectio in Scripturis non vno modo accipitur.Interdvm enim perfecti dicuntur,qui semper actu diligunt Deum,& omnia quæ faciunt in ipsum actu referunt.Cum qua perfectione nullum peccatum, ac ne veniale quidem consistere potest. Sed hæc perfectio propria beatorum est,neque nobis in hac vita à Domino imperatur. Itaque Apostolus de hoc perfectionis gradu loquens in epist.ad Phil.ca.3.ait: *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim.Sequor autem si comprehendã,&c.* Interdvm perfecti dicuntur,qui tametsi non semper actu Deũ cogitent,& diligant,vt beati faciunt,tamen totos se Deo consecrant,atque omnia deserunt,vt Deo placeant,iuxta illud Matt.19.*Si vis perfectus esse,vade vende omnia, quæ habes, & da pauperibus,& habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me.* Atque hæc perfectio non imperatur, sed consulitur,vt S.Augustinus docet in epist.89.quæst.4.&ante eum S.Ambrosius in libro de viduis,&S.Hieronymus in libro contra Vigilantium.Denique perfecti dicũtur, & quidem valdè frequenter,qui Deum super omnia diligunt,& licet non deserant actu res suas, tamen parati sunt potius omnium rerum,& ipsius vitæ iacturam facere, quàm Dei gratiam, & amicitiam perdere: atque ita seruant omnia diuina mandata, dum nihil admittunt, quod charitati,quæ finis est præcepti repugnet.

Hunc perfectionis gradum Christus imperauit, cùm ait: *Estote perfecti.* Mat.5.& de eodem loquitur Scriptura Gen.6.cùm ait: *Noë vir iustus atque perfectus fuit* Et ca. 17. *Ambula coram me,& esto perfectus.* Et Deut.18. *Tu autẽ perfectus eris cum Domino Deo tuo.* Et Phil. 3. *Quicunque perfecti sumus,hæc sentiamus.* Isti autẽ duo gradus perfectionis non excludunt omnia peccata,sed ea solùm, quæ caritati repugnant.Nã certe Apostoli perfecti erãt iuxta illud iam citatum ad Phil.5.*Quicunq; perfecti sumus.* Et in priore ad Corin.c.2.*Sapientiam loquimur inter perfectos:* Et tamen Apostoli erant,qui dicebant: *Si dixerimus,quia peccatum non habemus,&c.* Et: *In multis offendimus omnes.* Et Apostolos Dominus orare docuit: *Dimitte nobis debita nostra.*

Secvnda obiectio sumitur ex illis testimoniis quę veram iustitiam omni macula carere oportere affirmant. Psal.14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam.* Psalm.17. *Ero immaculatus cum eo,& obseruabo me ab iniquitate mea.* Psalm. 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem,vt essemus sancti & immaculati.*

Responsio,S.Augustinus in libro de perfectione iustitiæ,dicit Sanctos in hac vita appellari posse immaculatos,non quod nullas contrahant maculas,sed quia cupiunt ac student nullas contrahere,& si quas contrahũt, continuò eas per orationem tergunt. Posset etiam responderi maculam proprie non oriri ex peccato veniali, sed solùm ex mortali,vt S.Thomas docet.1.2. quæst. 89. art.1.Siue autẽ dicamus cum S.Augustino iustos in hac vita nominari immaculatos quia sunt desiderio, ac studio tales,siue cum S Thoma,qua veniale peccatum non efficit maculam,illud negari nõ potest,in Scripturis vocari immaculatos etiã eos, qui venialibus peccatis non carent,cùm si de vllis hominibus dicipossit,Beati immaculati in via:&,Qui ingreditur sine macula; &, Vt essemus sancti,& immaculati:id sine dubio de Apostolis dici possit.& tamen clamat vnus ex ipsis: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus,nos ipsos seducimus.*

Obiectio Tertia sumitur ex testimonio illo 1. Ioan. 3.*Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius manet in eo,& non potest peccare,quoniam ex Deo natus est.* Responsio, S.Augustinus lib.2.de pec. merit. & remiss.c.7.dicit,Iustos in hac vita partim esse filios Dei ratione gratiæ iustificantis,partim filios huius seculi,ratione carnalis concupiscentiæ,quę ex peccato primi hominis in nobis relicta est:& quidem vt filios Dei nõ peccare,sed perfici quotidie magis ac magis:tamen vt filios huius seculi ratione infirmitatis nõdum omninò sublatę aliquando labi.S Bernardvs serm.1. de Septuagesima, refert hunc locum ad prædestinationem, ac dicit, filios Dei non peccare,ita vt in peccato permaneant: *Omnis*, inquit,*qui natus est ex Deo non peccat, id est, non permanet in peccato,quia conseruat illum(vtique vt perire non possit) quæ falli non potest,generatio cœlestis.* Sed optimè omnium videntur hunc locum exposuisse S.Augustinus tract. 5.in epist. S. Ioannis,& S.Hieronymus li.1.aduersus Pelagianos, qui docent,homines iustos,dum iusti sunt, non posse peccare eo peccati genere,quod repugnat iustitiæ, siue charitati,quæ est verissima,perfectissimáq; iustitia, Itaque de venialibus peccatis, quæ cum charitate non pugnant, scripsit S.Ioannes: *Si dixerimus,quia peccatum non habemus, &c.* De lethalibus autẽ: *Qui natus est ex Deo,non peccat,&c.*

Obiectio Qvarta sumitur ex testimonio illo Luc. 1. *Erant autem iusti ambo,incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela.* Videtur enim hoc loco sanctus Euangelista Lucas, posteaquam dixerat, *Erant autem iusti ambo.* explicare voluisse quid sit esse iustum, & ideo adiunxisse,*incedentes in omnibus mãdatis.& iustificationibus Domini sine querela.* Quæ explicatio remouere videtur ab homine iusto peccata omnia non solùm grauia, sed etiam leuia.Et confirmabat hoc argumentum Pelagius ex commentario S.Ambrosij in hunc locum Euangelij,vbi S.Ambrosius inuehitur in eos, qui putant homines non posse absque peccato viuere.

Responsio,Ad locum Euangelij respondet S. Augustinus in lib.de perfectione iustitiæ, & in libro de gratia Christi,c.48.49.aliud esse viuere sine querela, aliud viuere sine peccato:illum enim sine querela viuere,de quo homines queri nõ possunt,qui nemini noceat, omnibus prosit,scandalum nulli tribuat, licet coram Deo peccatis venialibus non careat:& tales fuisse Zachariam,& Elizabeth. Ad commentarium S.Ambrosij respondet ibidem Augustinus, S. Ambrosium aut postea sententiam suam humiliter correxisse,aut solum significare voluisse, posse homines sine peccato viuere non absolutè, sed secundùm quendam modũ, ita vt sine querela inter homines conuersentur.Nam idem Ambrosius in commentario Isaiæ(quem Augustinus eo loco citat) apertè scribit, neminem in hac vita sine peccato, aut omnino immaculatum esse posse.

Est autem hoc loco obseruandum, quod tametsi dixerimus,nullum,quantumuis iustum, & sanctũ potuisse in

Universidad de Deusto
Biblioteca

in hac vita sine peccatis venialibus viuere,semper tamen excipimus Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, & eius matrem semper VIRGINEM MARIAM. Nam potissima causa:cur à peccatis venialibus omninò liberari nequeamus in hac vita,& concupiscentia illa carnis, quæ & peccati fomes à Theologis dicitur,quam ex iustitiæ originalis amissione contraximus: CHRISTVS autem concupiscentia illa omninò caruit, quippe qui de Virgine virtute Spiritus sancti conceptus fuit. Ipsa autem sancta VIRGO (vt S.Thomas docet in 3. part.quæst. 27.art.3.)in prima sanctificatione,vel à fomite planè liberata,vel(quod ipse magis probat) tanta gratiæ copia repleta fuit,vt fomes in ea ligatus manserit, ac deinde in ipsa filij conceptione penitus ablatus fuerit. Itaque de CHRISTO legimus: *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius,1.Petri 2.* De VIRGINE autem: *Tota pulchra es amica mea,& macula non est in te,Cant.4.*

De eadem S.CYPRIANVS(vel quicunque fuit auctor, sine dubio antiquus & doctus)in sermone de Natiuitate Christi: *Plurimum*,inquit, *à cæteris differens (Maria) naturâ commendabat,non culpa.* De eadem S.AMBROSIVS sermon. vlt.in Psal.118. *Suscipe*,inquit,*me non ex Sara, sed ex Maria,vt incorrupta sit Virgo,sed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.* Et S.AVGVSTINVS libro de natura, & gratia,cap.36. *Excepta*,inquit,*sanctæ Virgine Mariæ, de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur,habere volo quæstionem. Inde enim scimus,quod ei plus collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum,quia cõcipere, ac parere meruit eum,quem constat nullum habuisse peccatum.* Et S.ANSELMVS lib.de conceptu virginali,capit.18. *Decuit*,inquit,*vt ea puritate Virgo niteret,qua maior sub Deo nequit intelligi.* Et S.BERNARDVS in epist.147. *Ego*,inquit,*puto,quod & copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quæ ipsius non solùm sanctificaret ortum, sed & vitam deinceps ab omni peccato custodiret immunem,quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum. Decuit nimirum Reginam Virginum singularis priuilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam quæ dum peccati,mortisq; pareret Redẽptorem, munus vitæ,& iustitia omnibus obtineret.* Idẽ docet S.Thomas in 3.part.quæst.27.art.4.S.Bonauentura,& cæteri Theologi in 3.Sent.dist.3. & copiosè Richardus de S.Victore in 2.lib.de Emanuele.Denique Concilium Tridentinum sess.6.can.23.ita concludit: *Si quis dixerit hominem semel iustificatum posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio,quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia,anathema sit.*

Neque mouere debent testimonia Chrysostomi, Ambrosij, & Augustini,quæ contra citat Caluinus in Antidoto huius canonis Concilij Tridentini. Nam testimonium Ambrosij,quod ille citat,nusquam extat: testimonium autem Augustini generale est,& exceptionem admittit quam ipse Aug. in alio loco adhibet,vt nos ostendimus. Chrysostomus videtur quidem aliquid dicere aduersus ea,quæ communiter Patres docent:tamen & verba eius benignè exponi possunt,& ipse sibi anteferri sine dubio patietur communem Patrum consensum, & ipsas Græcas Liturgias,in quibus asseritur beata Virgo planè irreprehensa, & incontaminata, sanctior Cherubin, & Seraphin. Vide plura apud Canisium nostrum libr. 1. de beata Virgine,cap.10.& lib.4.cap.vltimo.

CAPVT VII.

Refellitur error Ioan.VVicleffi,& Ioan.Caluini.

DEMONSTRAVIMVS hactenus,esse discrimen aliquod inter peccata, & quædam eorũ lethalia, quædam venialia rectè nominari. Nunc ij refellendi sunt, qui distinctionem istam admittũt,sed peruersa interpretatione deprauant. Ac inprimis occurrũt Ioan. VVicleffus, & Ioan.Caluinus,qui(vt suprà ostẽdimus)peccata venialia dici volunt omnia peccata prædestinatorũ, mortalia verò peccata omnia reproborum. Quam sententiã non solum Catholici Doctores,sed etiam Lutherani ex Scripturarum exemplis firmissima ratione confutant. Nã profectò Adam prædestinatus erat,& nũc in cœlo cum beatis spiritibus regnat. Nam inter hæreticos numerant Tatianum,qui negabat,Adamum saluum esse. Iren. lib.1.c. 31. Tert.lib.de præsc.hær. Epiphanius hæresi 46. & Augustinus in lib.de hæres.c.25.& tamẽ eundem Adamum lethaliter peccâsse,&verè à gratia Dei excidisse nemo vnquam negauit,cùm Apostolus dicat: *Per vnum hominẽ peccatum in hunc mundum intrauit,& per peccatum mors, Rom.5.* Et cùm Deus tam apertè comminatus esset: *Quacunque die comederis ex eo,morte morieris, Genes.2.* Quod de morte non solùm corporis, sed etiam animæ intelligendum esse docent sancti Patres,Ambrosius lib.de paradiso,c.9.Augustinus lib.13.ciuit.ca.12.& Gregorius lib.5.epist.14.

ADDE etiam quod non solùm lapsus est Adam in peccatum lethalis inobedientiæ, sed etiam fidem amisit, quam amitti non posse Caluinus existimat. Audi TERTVLLIANVM in secundo libro aduersus Marcionem: *Quis dubitabit ipsum illud Adæ delictum hæresin pronunciare?* Et infrà: *Rudis admodum hæreticus (Adam) fuit.* Audi sanctum AMBROSIVM in epistol.33.ad sororem Marcellinam: *Agnoscis Adam,esse te nudum,quia bona indumenta fidei perdidisti.* Et libro septimo in Lucam capite 47. dicit, Adamum exutum fuisse fidei vestimento, cùm primùm peccauit. Audi sanctum AVGVSTINVM libro 14. de ciuit.Dei,c.17. *Hoc itaque cognouerunt, quod felicius ignorarent,si Deo credentes,& obedientes nõ committerent, quod eos cogeret experiri,infidelitas & inobedientia quid nocerent.* Et libro primo in Iulianum,capite secundo, idem probat testimonio sancti Olympi Episcopi Hispani. Audi sanctum PROSPERVMin responsione ad tertium dubium Genuensium: *Credendo Adam diabolo non credidit Deo.* Et infra: *Quomodo fides in Adam perdita,in quoquam filiorum eius inueniretur,nisi eam idem spiritus,qui omnia in omnibus operatur, infunderet?* Et infrà: *Omnes igitur quod Adam perdidit perdiderunt. Perdidit autem primitus fidem quam omnes, quia primam potuimus amittere primam habemus accipere.* Cùm igitur Adam electus,ac prædestinatus fidem semel habitam peccando perdiderit,& reus mortis æternæ constitutus fuerit,falsum omninò esse conuincitur,quod VVicleffus, & Caluinus,& ante eos Iouinianus asseruit, peccata prædestinatorum non posse esse lethalia, præsertim si fidem aliquando habuerint.

ALTERVM exẽplum est sancti Prophetæ Dauid, quem prædestinatum fuisse atque adeò saluum,& sanctum esse nemo negare potest, cùm Dominus dicat in Euangelio, Luc.13. *Cum videritis Abraham, Isaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei.* Certè enim si omnes Prophetæ erunt in regno Dei,sine dubio non aberit Dauid, qui per excellentiam Prophetæ cognomen inuenit. Eundem fuisse fidelem,& iustum,antequam in peccatũ adulterij, & homicidij laberetur, æquè certum est. Nam Apostolus Paulus Act.13.sic ait de eo: *Suscitauit illi(Deus) Dauid Regem,cui testimonium perhibens dixit,Inueni Dauid filium Iesse virum secundum cor meum.* Et Psalmi eius apertè indicant fuisse Dauidem plenum fide,& Spiritu sancto.

Porrò eundem lapsum esse in peccata mortalia,& quæ grauissima, ac per hoc Spiritum sanctum excussisse, & à gratia excidisse facilè probari potest. Nam inprimis hoc apertissimè docet ipse Dauid in Psa.50.vbi propriè(vt ex titulo cõstat)deflet adulterium suũ,& homicidium occasione Bethsabeæ commissum, vbi inter cætera dicit: *Tibi soli peccaui,& malum coram te feci.* Et: *Cor mundum crea in me Deus,& Spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Nec sanè peteret cor mundum in se creari,& renouari spiritum rectum,nisi crederet per peccatum mundiciem cordis, & rectitudinem spiritus se amisisse. Quod verò subiungitur

Quod verò subiungitur: *Et Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.* Non me significat,in eo peccante remansisse habitatorem Spiritum sanctum, qui in solis iustis propriè inhabitat: Sed significat (Augustino teste) spiritum cœpisse iterum Dauidi adesse, cùm ei pœnitentiam inspirauit,& ideo Dauidem,qui donum Dei nõ ignorabat, precatum esse à Deo,vt spiritum illum sanctum pœnitentiæ lachrymas in se excitantem non auferret. Quod autem Dauid reconciliationem adhuc expectaret,& peteret,perspicuum est ex verbis sequentibus: *Redde mihi lætitiam salutaris tui.* Et rursùm: *Auditui meo dabis gaudium,& lætitiam, & exultabunt ossa humiliata.* Et: *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.*

His accedunt testimonia Patrum. Nam S. Ambrosius in libro de Apologia Dauid,cap.16.explicans illud: *Libera me de sanguinibus,Deus,* ait,*potest referri, quod mandata necis eius conscius veniam tanti posset admisse.* Et infra: *Quibus vinculis se enodari desiderans diuinum sibi precatur auxilium,vt ab omni criminis perpetrati labe mundetur.* Et infrà: *Non est mirũ,quod tam grauiter doleat fundendi sanguinis inuoxij sibi obrepsisse peccatum, ideo liberari se à sanguinibus,hoc est, a peccatis mortalibus postulauit.* His verbis Ambrosius Dauidis adulterium,& homicidium peccata mortalia fuisse docet, cùm & crimina, & vincula, & tanta admissa,& expressè peccata mortalia nominet.

S.Augustinus tractatu in Ps. 50.ita Dauidem loquentem inducit: *Miserere mei secundum magnam misericordiam tuam. Sabueni graui vulneri secundum magnam medicinã tuam. Graue est quod habeo,sed ad omnipotentem confugio. De meo tam lethali vulnere desperatem, nisi tantum medicum reperirem.* Et hic vides peccatum Dauidis graue, & lethale nominari, & eiusmodi,vt ferè ad desperationem posset adducere.

S.Hieronymus in epist.ad Oceanum de obitu Fabiolę describit pœnitentiam publicam Dauidis, qualis in Ecclesia pro magnis sceleribus fieri soler.Ex quo satis indicat graue admodum fuisse peccatum Dauidis.

S.Gregorius lib.22.Moralium,cap.13. scribit, peccatorem similem esse Lazaro mortuo,qui Domini voce reuocatur ad vitam: atque exemplum Dauidis adducés ait: *Vnde Dauid Propheta ab illa tanti molis facineris remuiscens ad vocem Domini,quasi foras exit,dum per Nathan correptus quod fecerat accusauit.* Ex his igitur manifestũ est, Dauidẽ prædestinatum, fidelem, & iustum in peccatum mortale incidisse, & rursus per pœnitentiam ad gratiam Domini rediisse:ac proinde falsam, atque etiam apertissimè falsam VVicleffi,& Caluini esse sententiam.

Tertium exemplum est Apostoli Petri, quem prædestinatum fuisse,& nunc saluum,sanctum, & beatum esse nemo negat,cùm B.Ioannes in extremo Euangelio suo tam luculentum testimonium reddiderit beatæ morti ipsius. Nam cum Dominus Petro dixisset: *Cum senueris alius cinget te,& ducet,quo tu non vis*, subiunxit Euangelista: *Hoc autem dixit,significans qua morte clarificaturus esset Deum.* Eumdem Petrum fidelem, & iustum fuisse antequam Dominum ter abnegaret, testis est Christus ipse, qui & Matt.16.eum *beatum* appellauit,& Ioan. 13. eidem dixit: *Qui lotus est,non indiget, nisi vt pedes lauet. Et vos mundi estis, sed non omnes,&c.*

Eumdem autem mortale peccatum,&quidem grauissimum admisisse,cùm ad vocem ancillę Dominum negauit,nec solum negauit,sed etiam iureiurando,& anathematizando negationem confirmauit, testantur lachrymæ,& pœnitentia eius. Nam(vt scribit Matthæus c. 26.) post tantum admissum facinus amarè fleuit. Testantur etiam sancti Patres idipsum passim,sed vt non laboremus in re perspicua,vnus hoc loco sufficiet Augustinus, qui tract.66.in Ioan.non solùm hoc docet,sed etiam cõtendit ita esse,nec posse saluo fide aliter dici. Inter alia sic Petrum alloquitur, *Timendo mortem carnis tuæ, mortem dabis animæ tuæ. Quanta enim vita est confiteri Christum, tanta mors est negare Christum.* Et infrà: *In anima Petri comigit, quod offerebat in corpore,non tamen pro Domino,quod temere præsumebat, præcessit sed aliter quam putabat: namque ante mortem,& resurrectionem Domini,& mortuus est negando, & reuixit plorando. Sed mortuus est,quia superbe præsumpsit: reuixit autem,quia benigne ille respexit.* Ecce quoties Augustinus repetit, Petrũ in anima mortuum esse, ac proinde peccatũ mortale commisisse,cùm Christum negauit. Et audet tamẽ Caluinus dicere,Fideles prædestinatos lethaliter peccare nõ posse.

His omnibus accedat manifesta ratio ex aduersariorum ducta principiis. Actiones illas Adami,Dauidis, Petri,ex genere suo peccata fuisse nemo negare potest, nisi præuaricatio cœlestis mandati specialis,adulterium,homicidium,Christi abnegatio cum execratione, & periurio alicui non videantur esse peccata: ea verò peccata à scientibus,& volentibus commissa, atque adeò voluntaria fuisse extra controuersiam est. Quæro igitur,an ea peccata simul cum fide iustificante in hominibus illis Adamo,Dauide,Petro consistere potuerint,an non potuerint. Nam si non potuerunt,excusserunt fidem iustificantem,ac per hoc lethalia fuerunt,quod nos contendimus. Neque ipsi hoc negare possunt,cùm ex communi aduersariorum doctrina illa sint mortalia peccata,quæ cum fide consistere nequeunt.

Si verò dicat Caluinus, peccata illa Adami, Dauidis, Petri cum fide consistere potuisse: sequitur, posse homines semel iustificatos liberè præuaricari Dei mandata, adulteria,& homicidia perpetrare, Christũ abnegare, addita etiam execratione,atque periurio. Nam si hęc in hominibus semel iustificatis cum ipsa fide iustificante manent,hoc ipso à Deo nõ imputantur,nec tam sunt venialia & remittenda,quam reipsa condonata,atque dimissa, neque reum faciunt vllius pœnæ,ac supplicij. Hoc verò dogma nemo nõ videt quàm sit absurdum, & pernicio sum. Huc igitur disputationis summa perducitur, vt vel cõcedere cogatur Caluinus posse homines fideles,& prædestinatos peccare lethaliter,ac per hoc non esse peccata omnia prædestinatorum post fidem semel adeptam, venialia:vel prædestinatis fidelibus,id est, verè fidelibus licentiam tribuat adulteria,homicidia, periuria, & alia id genus scelera impunè, ac liberè perpetrandi.

Videtur autem Caluinus hoc posterius membrum eligere. Nam tametsi in Antid.Conc.Trid.sess.6.c. 27. scripserit,vbi fides regnat nullum esse posse peccatum: tamen can.28.addit,semen fidei,id est,fidem veram, & viuam,sed sopitam manere cũ grauissimis lapsibus: *Semen* inquit, *aliquod fidei manere in homine licet suffocatum,etiam inter grauissimos lapsus non nego,id quantulumcunque est, particulam esse fateor veræ fidei,addo etiam viuæ,quando aliter non posset ex ea oriri fructus. Verum quoniam non apparet ad tempus, nec se ostentatis signis exeriit, perinde habetur atque emortua, quoad sensum nostrum.* Itaque cùm velit manere fidem veram, & viuam,in homine cum grauissimis lapsibus, licet ea non se prodat exterius: & certò sibi persuaserint aduersarij, fidem iustificare,& facere vt nulla peccata imputentur, sequitur vt crediderit Caluinus grauissimos lapsus fidelibus non imputari.

CAPVT VIII.

Refellitur error Lutheranorum.

LVTHERANI, vt suprà ostendimus ex Luthero, Melanchthone, Illyrico, Heshusio, & Kemnitio, tria præcipuè docent, Primo, peccata venialia esse illa, quæ à Deo non imputantur, quamuis ex se digna sint pœna ac supplicio sempiterno. Secundo, illa peccata à Deo non imputari, quæ simul in homine cum fide,idest,cum fiducia misericordiæ consistunt. Tertio,illa sola peccata cum fide consistere,quæ sunt inuoluntaria. Ex quibus sequitur,quartum,omnia peccata ih infidelibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus esse mortalia, & consequenter omnia peccata ex natura sua esse mortalia. De quo quarto capite, quia commune est etiam quibusdam aliis scriptoribus nō Lutheranis, seorsim postea disseremus. Nunc tria priora capita, quæ propria videtur esse Lutheranorū, breuiter refellam.

Quod igitur Primo loco affirmant, peccata venialia esse ea quę non imputantur, repugnat apertè Scripturis, & Patribus: Scriptura siquidem in iis locis, vbi de peccatis venialibus ex consensu etiā Lutheranorum loquitur, manifestè docet, oportere à Deo peti remissionē eorum peccatorum: non igitur ea sunt tecta, & condonata, vel non imputata (vt ipsi dicunt) sed imputantur, & ligant, ac reum faciunt, quamuis facilè condonentur, ac remittantur. Conuenit inter nos & Lutheranos, de venialibus agi Matt. 6. *Dimitte nobis debita nostra*: quia iustorum etiam est hæc humilis, & vera confessio. At hîc videmus peti à iustis remissionem peccatorum venialium: Proinde non fuisse antea cōdonata, vel non imputata: eadem ratio est de loco illo 1. Ioann. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, &c.* continuò subiungitur: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

At si peccata iustorum quia persona grata est, non imputarentur, quid opus esset remissione? & cur oporteret confessionem antè præmittere? nec dissimilis est locus ille Psal. 31. *Pro hac* (id est, pro remissione peccati) *orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno.* Et illud Psal. 98. *Tu propitius fuisti eis, & vleiscens in omnes adinuentiones eorum.* Certè si vleiscebatur Deus peccata seruorū suorum fidelium Mosis, Aaronis, & Samuelis, imputabat eis, nec tegebat, donec purgata essent. Huc etiam pertinet illud Ioan. 13. *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet*, quod sancti Patres ad peccata venialia pertinere docuerunt. Qui enim lotus est ab impietate, & lethalibus criminibus: adhuc eget lotione pedum, id est, remissione venialium, quę instar pulueris in via vitæ huius pedibus nostris adhęrent: *Dominus dicit* (inquit S. Augustinus tract. 56. in Ioan.) *Veritas loquitur, quod opus habeat pedes lauare etiam ille, qui lotus est. Quid fratres mei, quid putatis, nisi quia homo in sancto quidem Baptismo totus abluitur, non præter pedes, sed totus omnino: verumtamen cum in rebus humanis postea viuitur, vtique terra calcatur. Ipsi igitur humani affectus, sine quibus in hac mortalitate non viuitur quasi pedes sunt, vbi ex humanis rebus afficimur, & sic afficimur, vt si dixerimus, quia peccatum nō habemus, nos ipsos decipiamus, & veritas in nobis non sit. Quotidie igitur lauat pedes nobis, qui interpellat pro nobis, & quotidie nos opus habere, vt pedes lauemus, id est, vias spiritualium gressuum dirigamus, in ipsa oratione Dominica confitemur, cum dicimus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Si enim confitemur sicut scriptum est, peccata nostra, profectò ille qui lauit pedes discipulorū suorum, fidelis est & iustus, qui dimittat nobis peccata nostra, & mundet nos ab omni iniquitate, id est, vsq; ad pedes quibus conuersamur in terra.* Hæc S. Aug. ex quibus omnib. perspicuū esse potest, quā falsò, & temerè dixerit Philippus (vt citauimus c. 4.) peccata venialia esse peccata cōdonata. Et Illyricus, esse peccata quę propter fidē in Christum nō imputātur, & Heshusius esse peccata tecta, & Caluinus, esse peccata quæ iis, qui sunt in Christo Iesu, nō imputantur.

Quod autē Secundo loco dicunt, illa peccata non imputari, ac per hoc esse venialia, quæ simul cum fide cōsistunt, facili negotio conuincitur esse falsum. Nam si id ita esset, vt aduersarij volūt, sequeretur nullum esse mortale peccatum præter infidelitatem, ac proinde sacrilegia, homicidia, adulteria, furta, rapinas, non esse peccata mortalia, quod est & contra manifestā Christi, & Apostolorum doctrinam, & contra ipsorum Lutheranorum sententiam. Sequi autem ex dogmate aduersariorum, nullum esse mortale peccatum præter infidelitatem, probatur: Nam nullum est peccatum, quod fidem necessariò excludat, præter id quod ei opponitur, quod est infidelitas, quod idem experiētia ipsa manifestè testatur. Nam si per fidem intelligatur assensus certus & indubitatus his omnibus rebus adhibitus, quas Ecclesia, ex verbo Dei scripto, vel tradito credendas esse docet: multos videmus inter Catholicos publicos peccatores, homicidas, fornicarios, fures, ebriosos, qui tamen sine vlla dubitatione fidem habent iis omnibus, quæ Ecclesia credenda proponit.

Si verò per fidem accipiamus id quod Lutherani falsò sibi persuaserūt esse fidem, fiduciam videlicet misericordiæ propter Christum, & quidem specialem, qua vnusquisque certò credat, & confidat, sibi Deū propter Christum esse propitium, videmus plurimos inter hæreticos qui eiusmodi fidem se habere dicant, cùm vitam turpissimam ducant, & errores etiam grauissimos de Christo, de Ecclesia, de Sacramētis, de peccatis, de iustificatione, cæterisque rebus ad doctrinam fidei pertinentibus doceant. Nam huic speciali fidei Lutheranorum non repugnat quælibet infidelitas, sed ea solùm, qua quis non certò credit sibi Deum esse propitium.

Quod si fortè Lutherani dicant, se nullos habere errores, & fidem illam suam specialem esse non posse in iis, qui homicidia, adulteria, & alia id genus peccata committunt: suis dimissis aliarum sectarum homines parum perinspiciant. Certè Caluinianos in erroribus multis, & magnis versari, atque ideò blasphemos, & sacrilegos esse neque ignorant, neque tacent, & tamen negare non poterunt, eos sibi certò persuadere se Deo propter Christū esse carissimos, ac proinde habere fidem illam specialem, quæ apud eos sola iustificat. Quod idē dicere possumus de Anabaptistis, de Trinitariis, & aliis, qui Lutheranis hæretici sunt, & tamen certò credūt sibi Deum propter Christum esse propitium. Quod si fiducia illa concipi potest ab iis, qui in erroribus contra verbū Dei pertinacissimi sunt, cur non poterit etiā concipi ab iis, quos homicidia, adulteria, furta, & alia similia peccata delectant?

At (inquit Philippus in locis tit. de discrimine peccati mortalis, & venialis) qui habet propositum peccādi, non accedit ad Deum, sed eum contemnit ac fugit: Fides autem ad Deum accedit per Christum Pōtificem. Igitur impossibile est hæc duo simul consistere propositū peccandi, & fidem. Respondeo, eum qui habet propositum peccandi, si apprehendat Deum vt iustum iudicem, & qui peccata, dum in nobis manent, odit, ac punit, quemadmodum eum Catholici apprehendunt, sine dubio fugere à Deo: at si Deum apprehendat (vt eum Lutherani apprehendunt) ita misericordem, & facilem, vt peccata in nobis verè inhęrentia, & viuentia nolit punire, sed tegere, ac pro eis Christi iustitiam, & merita nobis imputare: nego eum ad Deum non accedere. Qui enim persuadere sibi potuit peccata verè in se manentia sibi à Deo non imputari, & iis non obstātibus, se Deo propter Christum eorum, & gratum esse, eadem facilitate credere poterit, propositum peccādi sibi à Deo non imputari, dummodo Christi merita, sua faciat per fidē. Certè Caluinus non existimauit impossibile propositum peccandi cum fide coniungere, quando in Antidoto can. 28. sess. 6. Concilij Trid. scripsit, etiam in magnis lapsibus remanere fidem veram & viuam. Ac ne ipse quidem Lutherus tam certò credidit, non posse duo illa coniungi, vt credidit Philippus. Nam in lib. de captiuit. Babyl. cap. de Baptismo scribit, non posse hominem damnari quantiscunque peccatis, si stet, vel redeat fides. Quo loco per illam disiunctionem, si stet, vel redeat fides, apertè significauit, non se certò statuisse, non posse stare fidem cum magnis lapsibus.

Habemus igitur ex ipsa natura, & ratione fidei, omnia peccata cum ipsa fide posse consistere, præter infidelitatem, vel diffidentiam fidei, vel fiduciæ cōtrariam: ac per hoc omnia peccata præter infidelitatem, vel diffidētiam prædictā esse venialia, si omnia illa dici debent venialia, quæ

quæ fidem non excludunt. Sed probatur hoc idem rursus ex doctrina Patrum, & ex communi sensu, & consensu omnium gentium. Nam si peccata omnia, vel saltem grauiora, quæ nos mortalia nominamus, cum fide consistere non possent, sequeretur nō posse Christianum labi in fornicationem, furtum, homicidium, aut aliud simile peccatum, quin eodem momento fieret hæreticus. Nam fidem iustificantem amitteret, quæ sola est vera fides: qui autem fidem veram amittunt, hæretici dicuntur. At hoc repugnat toti antiquitati, & sensui, ac cōsensui omnium. Semper enim in Ecclesia latissimum discrimen agnitum est inter hæreticos, & malos Catholicos, cùm illi discessionem faciant ab Ecclesia, isti intra Ecclesiam perditè viuant: illi doctrinam oppugnēt, isti disciplinam violent: illi zizaniis, isti paleis: illi lupis rapacibus, isti morbidis ouib. comparentur.

Denique inauditum est in Ecclesia, vt ob solam fornicationem, vel adulterium, aut aliud simile peccatum Christianus aliquis fidem amisisse, atque adeò infidelis, aut hæreticus factus fuisse dicatur. Sanctus AVGVSTINVS in libro quæstionum in Matth. quæst. 11. *Inter hæreticos*, inquit, *& malos Catholicos hoc interest, quod hæretici falsa credunt: illi autem vera credentes, non viuunt ita vt credunt.* Et libro quarto de Baptismo contra Donatistas, capite 18. *Constituamus*, inquit, *aliquem castum, continentem, non auarum, non idolis seruientem, hospitalem, indigentibus ministrantem, non cuiusquam inimicum, non contentiosum, patientem, quietum, nullum æmulantem, nulli inuidentem, sobrium, frugalem, sed hæreticum: nulli vtique dubium est, propter hoc solum, quod hæreticus est, regnum Dei non possessurum. Constituamus alium fornicantem, luxuriosum, auarum, vel etiam apertius idolis dedicatum, venificum, discordiosum, contentiosum, æmulum, seditiosum, inuidum, ebriosum, comessatorem, sed Catholicum: nunquid propter hoc solum, quod Catholicus est, regnum Dei possidebit, agens talia, de quibus sic concludit Apostolus, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt?* Si hoc dicimus, *nos ipsos seducimus.* Neque opus est alia Patrum testimonia superaddere, cùm res adeò sit perspicua, vt mirum sit ab vllo hominum in dubium reuocari potuisse.

Probatum igitur est, sequi ex doctrina Lutheranorū, vt adulteria, homicidia, furta, & alia id genus peccata sint omnia venialia, cùm fidem vtcunque ea accipiatur, non excludant. Esse autem hoc dogma contra doctrinam Christi, & Apostolorum, & contra eorundem Lutheranorum sententiam, quæ erat assumptio nostri argumenti facilè potest ostendi. Christus enim Matt. 5. *qui dixerit*, inquit, *fratri suo fatue reus erit gehennæ ignis.* Ex quo intelligimus, verbum contumeliosum in fratrem peccatum esse lethale. Et Matthæi 25. *Ite maledicti in ignem æternum: Esuriui enim, & nō dedistis mihi manducare, &c.* Ex quo loco rectè colligit sanctus Augustinus libro de fide, & operibus, capite 15. non cōmunicare bona sua cum indigentibus, & multò magis rapere aliena peccata esse mortalia, etiam in his, qui fidem nunquam amiserunt: *Erit ergo*, inquit, *æterna combustio, & eos in illam ituros veritas dicit, quorum non fidem, sed bona opera defuisse declarauit.* Apostolus autem, vt paulò antè idem Augustinus commemorauit, 1. Corinth. 6. ad Ephes. 1. & ad Galat. 5. enumerat aliquot genera peccatorum, & subiungit, *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.*

Denique Philippus Melanchthon (vt suprà citauimus) diserte verbis scripsit in locis communibus, tit. de discrimine peccati mortalis, & venialis: Peccata voluntaria contra legem Dei, omninò esse mortalia. *Dixit*, inquit, *de veniali peccato. Sed cùm hi, qui fuerunt renati, sæpenumero, & volentes violant legem Dei, vt cum amplectuntur impias opiniones, aut stabiliunt eas sua approbatione, aut indulgent odiis, ambitione, flammis libidinum, auaritiæ, aut externis factis ruunt contra legem Dei, vt Dauid rapiens alienam coniugem, & astutè maritum interficiens. Hæ actiones cōtra conscientiam sunt peccata mortalia.* Hęc ille. Cùm igitur volūtarium adulterium, vel homicidium, vel aliud simile peccatum, ipso etiam teste Philippo, sit mortale, & tamē (vt antè ostendimus) cum fide consistere possit, manifestè sequitur, aut falsum esse, quod idem Philippus cum Lutheranis cæteris docet, omnia peccata, quæ simul cum fide consistunt, esse venialia, aut certè ipsorum sententias inter se esse pugnantes, & alteram ab altera destrui, atque vnam ex altera refutari.

Iam verò TERTIVM caput, quod continebat, illa sola peccata, quæ sunt planè inuoluntaria, cum fide posse consistere, ex iis quæ dicta sunt apertissimè conuincitur esse falsum. Iam enim ostendimus, non solùm peccata inuoluntaria, sed etiam voluntaria, quantumuis grauia, simul cum fide consistere, præter id solùm, quod fidei contrarium est, hæresin videlicet, aut infidelitatē. Deinde peccata prorsus inuoluntaria apud eos, qui rectè iudicare possunt, non venialia, sed nulla sunt. Et si sancto Augustino credimus, repugnātia loquitur qui dicit peccatum inuoluntarium cum de ratione peccati sit esse volūtarium: *vsque adeò*, inquit Augustinus libro de vera religione, capite 14. *peccatum voluntarium est malum, vt nullo modo sit peccatum si non sit voluntarium.* Neque loquitur S. Augustinus de iudicio ciuili, vt Philippus nugatur, sed diuino. Nam loquitur de peccato in genere, vt comprehendit etiam peccata malorum Angelorum, quæ ad iudicium ciuile nullo modo pertinent. Sed de hoc paradoxo Lutherano in disputatione de concupiscentia, & de libero arbitrio plura dicemus.

CAPVT NONVM.

Peccatum veniale naturà sua distingui à mortali, ostenditur ex Scripturis.

VNC tandem ad veram sententiam cōprobandam non solum suprà dicti errores omnes, radicitùs euellentur, sed etiam refutabuntur sententiæ eorum scriptorum, qui à communi Theologorum, & Ecclesiæ doctrina quauis ratione discesserunt. Probādum igitur nobis est, peccatum veniale ex natura sua distingui à mortali, ac sine vlla relatione vel ad prædestinationem, vel ad misericordiam Dei, vel ad statum renatorū, esse ciusmodi, vt pœnam quidem mereatur, sed non æternam: & Deum offendat, sed nō vsque ad amicitiæ dissolutionem. Id PRIMVM probabitur ex Scripturis, TVM ex definitionibus Ecclesiasticis, DEINDE ex doctrina Patrum, POSTREMO ex ratione.

Quod attinet ad PRIMVM, Matthæi 5. sic legimus: *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui dixerit fratri suo raca, reus erit consilio: qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Hoc loco non respicit Dominus prædestinationem, neq; discutit, quid possit, aut velit diuina misericordia: sed res ipsas diiudicat & peccatorum mensuram. Facit autem tres gradus iracūdiæ, VNVM eius, quæ ita leuis est, vt in vocem nullā erumpat: ALTERVM eius, quę paulò grauior est, non tamen peruenit vsque ad apertum conuicium: TERTIVM eius, quæ grauissima est, & manifestum cōuicium parit. Quamuis enim possit interdum iracundia interior esse grauissima, & tamē dissimulari exterius: nihilominus ordinariè quò est maior, eò se magis prodit, & ideo Dominus leuissimam iracundiam vocat eam, quæ non manifestatur vllo signo exteriore.

Quod verò dicitur in secūdo gradu, *qui dixerit fratri suo raca*, nō est omninò certū quid propriè significet. S. Augustinus lib. 1. de ser. Domini in monte, ca. 9. & S. Gregorius li. 21. Mora. c. 5. scribunt, esse interiectionem irascentis, quæ nihil determinatè significet, sed solùm exprimat animum esse cōmotum. Quæ interpretatio proba-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bilis est, præsertim cùm dicat Augustinus, se id accepisse ab Hebræis. Quòuis enim nó inueniatur in Scripturis eiusmodi interiecto, neq; in Dictionariis Hebraicis, & Chaldaicis, quæ nunc extant. Potuit tamen eo tempore fuisse in vsu, ac deinde obsoleuisse: neque etiam necesse est in Dictionariis omnes omninò voces inueniri. Denique quod ea vox translata non fuerit in Græcum aut Latinum, argumento est, nihil ea propriè significari. Ceterum S. Hieronymus in commentario huius loci annotauit vocem Raca, significare hominem vacuum. Nã à verbo ריק *riach* quod est euacuare, fit nomen ריק *rich* vacuus, & addito א more Syrorum, fit רקא *racha*.

Sed quod addit idẽ auctor hoc loco significare hominẽ vacuũ cerebro, non caret difficultate, tũ quia in Scripturis non facilè inuenitur ea vox in hoc sensu: tũ quia vocare hominẽ vacuum cerebro, non videtur esse minus conuicium, quã si vocetur stultus. Non possum autẽ me cõtinere, quin Theodori Bezæ ineptias hoc loco paucis perstringam. Is enim in annotatione ad hunc locũ versionẽ Hebraicã huius Euangelij reprehendit, quod pro Raca, habeat רעה *raah* quia (vt ipse dicit) maius conuicium est vocare hominem, רעה *raah*, id est malum, quàm fatuum, & tamen ipse idem suspicatur, Christum sua lingua dixisse רשע *rasa* pro eo quod nos habemus Raca: neque animaduertit maius conuiciũ significari per vocem רשע *rasa* quã per vocem רעה *racha*, illa enim impiũ significat, hæc malum, & sæpissimè accipitur non pro malo, id est, scelerato, sed pro tenui, aut deformi, aut macilento, vt omittam quod litera ש non redditur Latinè per ch, sed per Sc, aut per S, simpliciter, vt patet in vocibus, Hosanna, Salomon, Sabaoth, Sabatum, & similibus. Probabile igitur est, Raca hoc loco significare hominem vacuum opibus, aut dignitate, aut certè vanũ, & ociosum. Nam & in his significationibus inuenitur ea vox in Scripturis, & longè minus lædit, quã vox fatuus. Sed quidquid sit de propria significatione eius vocabuli, illud nobis hoc loco satis est, minus graue peccatum describi per Raca, quàm per fatue.

His autem tribus gradibus peccatorum respondent tres reatus, iudicij, concilij, & gehennæ ignis. Et qui dẽ reus iudicij dicitur (vt rectè explicat sanctus Augustinus loco suprà notato) qui aliquid fecit, vnde in iudiciũ vocari possit, vt caussa eius discutiatur. Reus Concilij dicitur: cuius culpa certa est, sed ambiguum quanta sit, & quàm pœnam mereatur, & ideo iudices inter se conueniunt in Concilium, vt definiant pœnæ mensuram. Reus gehennæ ignis dicitur, cuius culpa, & mensura culpæ, ac per hoc etiam pœnæ grauitas certa est. Significari autem per gehennam ignis, mortem æternam apud inferos, docent in commentario huius loci Hilarius, Augustinus, Chrysostomus, & Theophilactus. Heironymus hoc loco nihil dicit, sed in commentario, capite decimo, in illa verba: *Timete eum qui potest animã & corpus perdere in gehennam.* Scribit nomine gehennæ semper in Euangelio significari pœnas æternas.

Ex his igitur conficitur argumentum eiusmodi, Manifestum conuitiũ, teste vel iudice CHRISTO, facit reum gehennæ ignis, ac per hoc est peccatum mortale: iracundia, sono vocis expressa, sed ad malum conuicij non pertingens, facit reum consilij, ideſt, non constat, an mereatur gehennam, sed aut ea pœna, aut minore digna est: Inueniuntur igitur peccata quædam, quæ leuiora sunt, quàm vt gehennam ignis mereantur. Quorsum enim cogeretur cõsilium ad discernendum, num aliqua culpa gehenna ignis punienda esset, si omnes culpæ gehẽnam ignis mererentur; Sunt igitur culpæ aliquæ, quæ diuino iudicio sola pœna temporali mulctandæ sunt. Rursus iracundia quæ nullo signo externo foras erupit, non facit reos cõcilio, sed iudicio, hoc est, non cõstat, an mereatur pœnã aliquam, an nullã: ex quo sequitur, vt sine dubio, si pœnã mereatur, tẽporalem, non æternã mereatur, cùm sit leuior culpa, quàm ea esset, de qua dubium esse poterat, temporale-ne supplicium, an æternum mereretur.

Neque digna videtur responsione annotatio Bezę ad hunc locum Euangelij. Scribit enim inæqualia peccata hîc describi à Domino, & minus esse, reum fieri iudicio, quàm cõcilio, & concilio quàm gehennæ ignis: addit tamen, omnia peccata quãuis inter se inæqualia, mortem mereri, quia stipendiũ peccati mortẽ esse scribit Apostolus ad Rom. 6. At ũ per mortẽ idẽ intelligit Apostolo quod per gehennã CHRISTVS, cùm eam vitæ æternæ opponat, dicens: *Stipendium peccati mors, gratia Dei vita æterna*: fieri non potest, vt omnia peccata mortem mereãtur, nisi gehennã omnia mereantur. Iam autem demõstrauimus ex Christi sentẽtia nõ omnia peccata reũ facere gehennę ignis. Nõ igitur stipẽdiũ est omnis peccati mors, sed eius tantũ peccati, quod opponitur gratiæ, & amicitiæ cum Deo, de quo Apostolus loquebatur. Itaque diuersis gradibus peccatorũ, qui describũtur à Domino, non respondẽt diuersi gradus suppliciorũ in gehẽna, vt Beza existimat, quia si ita esset, non rectè Dominus de solo tertio gradu dixisset reus erit gehẽnę ignis: sed respõdent diuersi gradus suppliciorũ, quorũ alia sint æterna, alia tẽporalia, alia breuissima. Atque hęc de primo testimonio Scripturæ.

ALIA duo testimonia habẽtur Matthæi 23. & Luc. 6. in quibus locis Dominus peccata quædam comparat rebus naturã sua leuissimis, alia verò grauissimis. *Duces cæci* (inquit Matt. 23.) *excolantes culicem, camelum autem gluttientes.* Hic videmus peccata quædam conferri culicibus, alia camelis, arguit enim Dominus Pharisæos, quod grauissima præcepta legis facilè transgrederentur: minuta verò diligẽtissimè obseruarẽt, atque ita peccata leuissima studiosè cauerent, maxima verò sine scrupulo perpetrarent. Cõstat autem inter culicem, & camelum tantum esse ex natura rei discrimẽ, vt nulla ferè inter ea proportio esse videatur.

Rursus Lucæ 6. *Quid*, inquit, *vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non considera?* Certè inter festucã, & trabẽ tanta ex natura rei differẽtia est, vt festuca leuiter portari queat, trabs autẽ sit importabilis, & non solùm oculũ destruat, sed etiã totum corpus hominis opprimat, si illi imponatur. Si autẽ omnia peccata ex natura sua morte sẽpiterna digna essent, quis credat, ita quædã ab ipso Domino extenuari potuisse, vt cùm festuca, & culice conferantur: præsertim cùm alia camelis, & trabibus ab eodem Domino fuerint comparata?

Est aliud testimonium Lucæ duodecimo: *Dico tibi, non exies inde, donec etiã nouissimum minutum reddas.* Per nouissimum minutum intelligunt Patres peccata minuta, & leuissima, pro quibus in carcere purgatorij satisfaciendum est, nisi in hac vita purgata vel relaxata ferint. Tertullianus in libro de anima, cap. 17. per nouissimum quadrantem, siue minutũ, exponit modica quæque delicta purgãda ante resurrectionẽ. Origenes homilia 35. in Lucam, dicit eos reddere nouissimũ quadrantem qui modicum debẽt, & vsq; ad certũ tempus detinẽtur in carcere. Hieronymus in cõment. ad cap. 5. Matt. *Hoc est*, inquit, *quod dicit, non egredieris de carcere, donec etiam minuta peccata persoluas.* Denique Cyprianus libr. 4. epist. 2. Ambrosius in comment. ad c. 12. Lucæ, & Eusebius Emissenus (seu potius Cæsarius Arelatensis) homil. 3. de Epiphania, scribunt, per nouissimum quadrantem intelligi ea peccata, quæ post hãc vitam in locis purgatoriis expiantur, quæ sine dubio venialia sunt. Nam qui cum peccato mortali decedit ex hac vita, continuò stipẽdium peccati, mortem videlicet sempiternam accipit. Iam igitur cùm debitum vnius minuti minimum sit, neque in vllo tribunali pro tam exiguo debito vllus damnari possit ad mortem: si Dominus peccata venialia cum tali debito rectè compa-

rauit, sequitur vt peccata venialia ex natura sua mortem æternam nulla ratione mereantur.

Ad hæc Apostolus Paulus 1. Cor. 3. peccata venialia rebus naturã sua leuissimis comparat, ligno, fœno, stipulis: *Si quis*, inquit *superædificat supra fundamentum hoc aurum, argentum, lapides preciosos: ligna, fœnum, stipulam, vnius cuiusque opus manifestum erit. Dies enim declarabit, quia in igne reuelabatur, & vnius cuiusq; opus quale sit ignis probabit. Si cuius opus manserit quod superædificauit, mercedem accipiet: si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Quo loco (vt exponunt Ambrosius serm. 20. in Psal. 118. Hieronymus libr. 2. aduersus Iouinianum, Augustinus libro 21. de ciuitate Dei, capite 26. Gregorius libro quarto Dialogorum, cap. 39. & alij) significat Apostolus per aurum, & argẽtum, & lapides preciosos, opera perfecta, & laudabilia, quæ in iudicio Dei examinata, nihil nisi mercedem promerentur: per lignum, fœnum, & stipulas opera inutilia, & reprehensione digna, sed venialia, quæ detrimentum quidem adferant, & purgatione indigeant, non tamen à salute excidere faciant. Nunquam autem beatus Paulus peccata venialia cum fœno, & stipulis comparãsset, nisi reuera essent, vt loquitur S. Gregorius loco notato, peccata minuta, atque leuissima. Peccata enim ex natura sua mortalia ferro potius, aut æri vel plumbo (vt ibidem idem Gregorius dicit) comparanda fuissent.

Accedat his testimoninm S. Iacobi Apostoli, qui in primo capite suæ epistolæ distinguit tentationem à peccato, & peccatum à crimine: *vnusquisque*, inquit, *tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Concupiscentia verò cum conceperit, parit peccatum: peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem.* Vbi sanctus Iacobus non distinguit motus concupiscentiæ in inuoluntarium, & voluntarium. Nec dicit omnẽ motum voluntarium esse peccarum mortale, omnem inuoluntarium esse veniale, vt Philippus Melãchthon voluisset. Sed distinguit TRES motus cõcupiscẽtiæ, Vnum inuoluntarium, quo quis ad peccatum incitatur, sinevllo suo consensu, cum ait, *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus*: Et hunc motum non dicit Apostolus esse peccatũ, sed caussam peccati, si nimirum accedat consensus. ALTERVM motum vult esse imperfectè voluntarium, cùm addit, *Concupiscentia verò cùm conceperit, parit peccatum.* Esse autem hunc motum imperfectè voluntarium, & proinde peccatum, sed veniale, patet, quia nominatur peccatum, & tamen distinguitur à peccato consumato, & mortem generante. Ex quo intelligimus hunc secundum motum non esse peccatum consumatum, nec generare mortem, ac per hoc non esse peccatum mortale. TERTIVM denique adiungit perfectè voluntarium, & hunc motum esse peccatum mortale, declarat Apostolus dicens, *Peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.*

Neque verò suspicari debemus, peccatum consumatum hoc loco dici solum peccatum opere perpetratum, quasi desideria illicita mortalia peccata nominari non possent, nisi opere compleantur. Nam cùm inter prima decẽ præcepta legis distinctè nominentur, tanquam duo diuersa mandata: *Non mœchaberis.* Et: *Non concupisces vxorem proximi tui.* Et cùm Dominus in Euangelio, Matth. 5. dixerit: *Qui viderit mulierem, ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Dubium esse nõ potest, quin peccatum cõsumatum, & generans mortem, sit concupiscentia, cui perfectus, & consumatus adhibetur assensus, tametsi nunquam opere compleatur. Neque respõdere possunt Lutherani, peccatum illud, de quo sanctus Iacobus loquitur, cùm ait: *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum*, esse peccatum veniale ex misericordia Dei, quia videlicet fidelibus non imputatur, non autem esse tale ex natura sua. Nam ipsi solum ea dicunt non imputari, quæ sunt plane inuoluntaria. Hoc autem, de quo loquimur, non est omninò inuoluntarium. Nam alioqui non potuisset distinguere sanctus Iacobus concupiscentiam illicientem, & pariẽtem peccatum ab ipso peccato, quod ab ea concupiscentia paritur. Siquidem (vt paulò antè diximus) non potest fingi, quemadmodum concupiscentia peccatum pariat, nisi eliciendo à voluntate consensum.

Accedant VLTIMO duo loca, in quibus de peccatis quibusdam longè mitius Scripturæ loquuntur, quàm de iis loqui soleant, quæ sunt omnium consensu peccata lethalia. Matth. 12. *De omni verbo ocioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij.* Aliud profectò est, verbum ociosum non esse sine culpa, & ideo discutiendum in die iudicij: Aliud verò: *Ite in ignem æternum: ligatis manibus, & pedibus eius proicite eum in tenebras exteriores: Discedite à me omnes operarij iniquitatis*: & alia id genus, quæ passim occurrunt in Euangeliis. Ephes 5. *Fornicatio & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio. Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei.* Non temerè beatus Apostolus cùm sex peccatorum genera cauenda esse pronunciãsset, quæ videlicet apud gentiles vix pro peccatis agnoscebãtur, fornicationem, immunditiam, auaritiam, turpia verba, stultiloquia, & scurrilitatem, de tribus prioribus tantum adiunxit, eos, qui talia agunt, non habere hæreditatem in regno CHRISTI, & Dei. Nimirum enim docere volebat tria posteriora debere quidem esse aliena ab ore sanctificato fidelium, non tamẽ ex genere suo talia esse quæ excludant ab hereditate Christi, & Dei.

Neque hîc locum habet quod aduersarij dicere solent, quędam esse peccata venialia, quæ non excludant à regno Dei, sed ea non esse talia ex natura sua, sed ex misericordia Dei non imputante. Nam vt sæpè diximus, ea sola venialia ipsi agnoscunt, ac non imputari dicunt, quæ sunt inuoluntaria. At peccata, de quibus hîc agunt Christus, & Paulus, voluntaria sunt, videlicet, verba ociosa, minus honesta, stulta, scurrilia.

CAPVT DECIMVM.

Idem ostenditur ex traditione Ecclesiæ, & Patrum.

PECCATA quædam ex natura sua venialia esse, non solùm Scripturæ, quas hactenus protulimus, ostendunt, sed etiam testimonia Ecclesiæ, & Patrum. Nam Concilium Milenit. can. 7. & 8. docet, sanctos, & iustos homines habere peccata quædam, quæ tametsi sanctitati & iustitiæ non repugnent, tamen verè peccata sint, & remissione indigeant. Sed quia possent aduersarij respondere, peccata illa Sanctorum esse venialia ex misericordia Dei, non ex natura sua, proferemus Commentarium S. Augustini, qui eorum Canonum auctor fuit, vt ipse sua verba exponat. Tametsi enim Canones illi nomine totius Concilij editi sunt, tamen qui eos composuit, Augustinus fuit. Is autem in lib. de natura & gratia, cap. 35. 36. 37. profert easdem Scripturas: *Dimitte nobis debita nostra*: Et: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, &c.* quas protulerat in illis Canonibus Mileuitanis.

Deinde capite 38 explicat de quibus peccatis Scripturæ illæ intelligendæ sint: *Ita*, inquit, *nec commorandum fuit, si Abel, quamuis meritò iustus appellatus est, paulo immoderatius aliquando risit, vel animi remissione iocatus est, vel vidit aliquid ad concupiscendũ, vel aliquando immoderatius poma decerpsit, vel pluſculo cibo crudior fuit, vel cùm oraret, co-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quauit aliquid, vnde eius in aliud auocaretur intentio, & quæ res illi istiac similia multa subrepserint. Hæc ille Vbi satis ostendit, peccata venialia non esse solùm primos, & inuoluntarios motus concupiscentiæ, quos aduersarij peccata mortalia ex natura sua, & venialia ex Dei misericordia esse docent: sed etiam actiones quasdam malas, & planè voluntarias, vt risum immoderatum, cibum nimium, iocum non necessarium: quæ actiones si essent peccata mortalia ex natura sua, sine dubio imputarétur à Deo & hominem damnarent, ac per hoc cum iustitia nulla ratione consisterent. Sola enim inuoluntaria (ex sententia aduersariorum) non imputantur, & cum iustitia consistunt. At hæc peccata ex doctrina S. Augustini, & Cõcilij Mileuitani venialia sunt, & cum iustitia cõsistunt, igitur non sunt mortalia ex natura sua, sed ex natura, & ex genere, & modis omnibus, absolutè, & simpliciter venialia.

Confirmatur hoc idem (propter Catholicos) ex Trident. Concilio. Nam sess. 14. ca. 5. docemur, in confessione Sacramentali peccata mortalia omnia quæ menti occurrunt post diligentem conscientiæ discussionem, esse necessariò aperienda: venialia verò vtiliter aperiri, non necessariò: ex quo sequitur, vt peccata venialia non solùm in hominibus iustis, sed etiam in impiis esse possint, alioquihomines impij omnia omninò peccata in confessione necessariò aperire deberent, quod est contra doctrinã Concilij, & sensum Ecclesiæ vniuersæ. At peccata venialia ex misericordia Dei ea non imputante, non sunt in impiis, sed in solis piis, & iustis, ex sententia aduersariorum: igitur peccata venialia, quæ in impiis esse Concilium Tridentinum admittit, non sunt venialia ex misericordia Dei ea non imputante, sed ex natura sua. Denique his accedat quod in Bulla Pij V. Pont. Max per Gregorium XIII. renouata, in qua multi errores damnantur, virus est, nulla esse peccata venialia ex natura sua.

Præter hæc testimonia nõ desunt etiam Patrum Græcorum & Latinorum sententiæ, Intelligimus enim sanctos Patres, cùm de peccatis venialibus verba faciunt, ea venialia peccata significare velle, quæ natura sua talia sunt, ex eo quod leuissima, minuta, quotidiana vocant. Neque enim minuta, & leuia rectè dici queunt, quæ ex natura sua reum mortis æternæ constituunt, licet ex misericordia condonentur.

Origenes homi. 35. in Lucam sic ait, *Vnusquisque pro qualitate, & quantitate peccati diuersam mulctæ sententiam expendit. Si parum est, quod peccas, feriens damno minuit, vt Lucas scripsit, vt verò Matthæus quadrãtis, Veruntamen necesse est hoc ipsum, quod exististi debitor, soluere. Non inde exies, nisi & minima quæque persoluerit.* Hic loquitur Origenes de venialibus, non de mortalib. (ne fortè quis dicat, minima dici ab eo peccata minima inter mortalia) nam in fine homiliæ scribit, eos qui debent vnum quadrãtem, certo tempore detineri in carcere (videlicet in purgatorio) qui debent ingentem summam, sempiterno tẽpore cruciari: *Si*, inquit, *qui parum debet, non egrediatur nisi exoluat minutum quadrantem: vtique qui tanto debito fuerit obnoxius, infinita ei ad reddendum scuta numerabuntur.* Itaque venialia peccata vocat minima, & ideo minima, quia qualitate, & quantitate sunt minima. Nam (vt ipse dicit) pro qualitate, & quantitate peccati supplicia decernuntur. Portò peccata minima qualitate, & quantitate, ex natura & ratione sua minima sunt. Tertullianus in lib. de anima, cap. 17. peccata, quæ temporariam purgationem admittunt, modica delicta nominauit, vt suprà citauimus.

S. Ioannes Chrysostomvs homil. 24. in Matth. exponens illud capite 7. *Quid vides festucam in oculo fratris, &c.* peccata venialia, quæ flagitiis opponuntur, delicta leuissima, & culpas paruulas appellauit.

S. Hieronymvs in commentario ca. 5. Euangelistæ Matthæi, eadem venialia peccata, peccata minuta nominanda censuit. Et ibidem explicans illud: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, &c.* dicit esse discrimen inter πάθος, & προπάθειαν, quod πάθος sit desiderium cum consensu: προπάθεια sit titillatio sine consensu, & addit προπάθειαν, culpam habet vitij, non tamen teneri in crimine. Vbi aperte docet, titillationem esse peccatum aliquod, sed leue, nec dici posse crimen, nisi accedat consensus, quia videlicet in illa titillatione non sit nisi peccatum negligentiæ in præcauendo vel cito reiciẽdo, quod præcauendum, vel reiiciendum erat. Idem libro 2. aduersus Iouinian. qui peccata paria esse docebat: *Non tibi*, inquit, *habebunt tantas gratias, quas de humili in sublime lenaa, quantum irascentur, quos propter leue, quotidianumque peccatum in exteriores tenebras retrusisti.* Vbi S. Hieronymus apertissimè docet, leuia, quotidianaque peccata, qualia sunt (vt ipse ibidem ait) verba ociosa, nõ mereri ex natura sua pœnam gehennæ. Nam si talem pœnam ea peccata mererẽtur, nulla fieret homini iniuria, si obeiusmodi delicta in exteriores tenebras truderetur, neq; iustè inde queri vel irasci posset. Sed nec leuia vllo modo nominãda esset, ob quæm tenebras exteriores detrudi aliquis posset.

S. Avgvstinvs lib. de natura, & gratia, cap. 38. *Quia*, inquit, *sæpe in leuissimis, & aliquando incautis obrepit peccatum, & iusti fuerũt, & sine peccato non fuerunt.* Hoc loco videmus venialia peccata quæ iustitiam non auferũt, vel ideo talia esse, quia in re leuissima cõsistunt, vel quia obrepunt incautis. Proinde ratio cur peccatum aliquod sit veniale, nõ est, quia non imputatur, licet imputari possit (vt aduersarij docent) sed quia in re leuissima consistit, vt in verbo ocioso, in risu nimio, in ioco superuacaneo, vel quia obrepit incautis, vt euagatio mentis tempore orationis, vt cum Augustino Catholici docent.

Idem auctor de spirit. & lit. c. 36. *Hos*, inquit, *constituis, peccatũ esse hominis ex fide viuentis, aliquãdo alicuis delectationi illicitæ consentire non tãtum in illis horrendis facinoribus, & fugitiis perferendis: verum etiam in istis leuioribus, vt vel aurem alicuis voci, quæ audienda non esset, vel linguam alicui, quæ dicenda non esset, accõmodet.* Et in Enchiridio, ca. 17. *De quotidianis*, inquit, *brevibus, leuibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit, eorum enim est dicere, Pater noster qui es in cœlis, qui iam patri tali regenerati sunt ex aqua, & Spiritu sancto, delet omninò hæc oratio minima, & quotidiana peccata.* Et sermone 41. de Sanctis: *Ille*, inquit, *transitorio igne (de quo dixit Apostolus) si se autẽ saluus erit, sic tamen quasi per ignem, non capitalia, sed minuta peccata purgantur.* Et infrà, *Quibus peccatis licet occidi animam non credamus, sta tamen eam veluti quibusdam pustulis, & quasi horrenda scabie repletes deformem faciunt, vt eam ad amplexus illius sponsi cœlestis, aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant.*

Ex his locis colligimus, sensisse Augustinum peccata venialia ex natura esse talia. Tvm quia vocat ea breuia, leuia, leuissima, minuta, minima, quotidiana. Tvm quia comparat ea cum pustulis, & scabie, quæ non solùm non occidunt, sed etiam ex natura sua non sunt morbi lethales. Tvm denique, quia peccata venialia vocat non solùm subitos quosdam concupiscentiæ motus, quos solos aduersarij pro venialibus habent, atque à Deo non imputari dicunt, sed etiam peccata quædam omnino voluntaria, vt iocos superuacaneos, risum nimium, & similia, quæ ex natura sua in rebus leuissimis consistunt, quibus adiungit etiam mendacia officiosa in Enchir. c. 22. cùm sic loquitur: *Non ideo mendacium potest aliquando laudari, quia nonnumquam pro saluare quorũdam mentimur. Peccatum ergo est, sed veniale, quod benevolentia excusat.*

CAPVT XI.

Idem probatur ex ratione.

Iam vero peccata quædam ex natura sua venialia esse, ac per hoc non esse tam grauia, vt reatum sempiternæ mortis efficiant, his argumentis ex naturali ratione ductis, confirmari potest.

Primvm

Primvm argumentum. Si peccata venialia ex natura sua essent mortalia, & solùm fidelibus ob fidem, quam habent, non imputarentur: certè infidelibus omninò imputarentur, & mortalia essent: Id verò manifestè falsum, atque absurdum est: igitur falsum quoque, & absurdum erit, peccata venialia ex natura sua esse mortalia. Propositio ab aduersariis conceditur, neque vlla probatione eget. Nam si sola fides causa est cur peccata aliqua sint venialia, sine dubio peccata omnia mortalia erunt iis, qui fide carent. Assumptio igitur argumenti probatur. Nam in eodem genere peccati grauius Deum fidelis, quàm infidelis offendit: Siquidem fidelis magis tenetur perfectioni vitæ studere, quàm infidelis, cùm & maiori lumine sit præditus, & plura à Deo beneficia, plura contra peccatum remedia, plura, denique adiumenta receperit: *Ille seruus* (ait Christus Lucæ duodecimo) *qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit dignæ plagis, vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum est, quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.* Item ad Hebræos decimo: *Quanto magis* (inquit Apostolus) *putatis deteriora mereri supplicia qui filium Dei cõculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Contra verò idem Apostolus docet, peccata infidelium ob ignorantiam, esse leuiora, cùm de se ita loquitur in epistola priore ad Timotheum, capite primo: *Misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.*

Quare meritò S. Thomas in 1. 2. quæstione 80. articu. quinto scribit, irrationabiliter dici motus illos sensualitatis, qui in fidelibus peccata sunt venialia, in infidelibus esse mortalia, cùm dignitas personæ non minuat, sed augeat rationem culpæ. Et sanè quis capiat, verbum ociosum infideli alicui peccatum esse mortale, mihi autem veniale, cùm ego dissertis verbis Deum dixisse legerim: *De omni verbo ocioso, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij.* Ille autem nihil eiusmodi nouerit & cùm sine vlla comparatione magis tenear ego perfectioni studere, quàm ille? Igitur cùm non sit Euangelio, neque rectæ rationi consentaneum, vt peccata fidelium venialia, mortalia sint infidelibus, sequitur vt etiam infidelibus sint venialia, ac per hoc ex natura sua, non ex coniunctione cum fide, vel alia ratione extrinseca sint venialia.

Secvndvm argumentum. Si propriè loqui velimus, non ideò peccatum aliquod est veniale, quia Deus illud ad reatum mortis æternæ non imputat, sed ideo Deus ad reatum mortis æternæ non imputat, quia veniale est. Veniale siquidem dicitur quod est venia dignũ, siue in quo aliquid est, cur mitius puniri debeat. Quæro igitur quid illud sit, quod facit vt peccatum aliquod sit venia dignum, & ad reatum mortis à Deo nõ imputetur. Respondebunt, esse fidem, cum qua peccatum illud simul consistit. Sed rursus quæro, cur peccatum aliquod cum fide simul consistat, & sit veniale, aliud fidem excludat, & sit mortale. Respondebunt, quia illud inuoluntarium est, hoc voluntarium. Id enim, vt suprà diximus, Philippus Melanchthon, & cæteri Lutherani docent. At quid est hoc aliud, nisi discrimen peccatorum mortalium, & venialium ad ipsam peccati rationem, & naturam referre, & verbo negare quod re ipsa affirmare cogaris? nam voluntariũ esse, vel inuoluntarium ad ipsam peccati naturam, & rationem pertinet. Siquidem peccatum, quò magis est voluntarium, eò magis est peccatum: quò minus est voluntarium, eò minus est peccatum, etsi nullo modo voluntarium sit, nullo modo peccatum erit, vt suprà ex Augustino docuimus.

Tertivm argumentum ex S. Thoma 1. 2. q. 87. art. 5. & 3. p. q. 86. art. 4. Peccatum veniale ex natura sua non ponit in homine auersionem à Deo, cùm non repugnet caritati, vt perspicuum est: at pœna æterna non debetur peccato, nisi ratione auersionis à bono æterno, quod est Deus. Igitur peccatum veniale ex natura sua non est eiusmodi, vt reum faciat hominem supplicij sempiterni.

Qvartvm argumentum. Si natura sua quæuis offensio dissolueret amicitiam Dei, eadem ratione dissolueret quamuis aliam amicitiam. Quod enim ex natura rei conuenit, semper & vbique conuenit. At multum distat offensio grauis, & capitalis à leui, & veniali inter homines. Qui enim amicum vel incautè lædit, vel in re leuissima, iudicio prudentium non censetur soluendæ amicitiæ satis iustam causam dedisse, & sane stultissimus haberetur, qui ob quamcumque offensiunculam inimicus amico efficeretur, eumque vsque ad mortem insectari vellet: igitur eam etiam amicitiam, quæ nobis cùm Deo intercedit, non dissoluet ex natura sua quælibet culpa: neque vllo modo probabile est, risum immoderatum, aut verbum ociosum ex natura sua tale esse vt hominem alioqui iustum, & Dei amicum dignum efficiat perpetuo odio Dei, & sempiterno cruciatu.

Qvintvm argumentum. Peccatum non dicitur vniuocè de mortali, & veniali, sed per analogiam quamdam, & proinde peccatum veniale non est perfectè peccatum sicut mortale, sed imperfectè, vt rectè docent Albertus, sanctus Bonauentura, & alij in 2. Sentent. distinct. 42. & sanctus Thomas in 1. 2. quæst. 88. ar. 1 igitur non debetur ei pœna mortis æternæ, quæ est simpliciter, & perfectè pœna, vel potius pœnarum omnium grauissima.

Antecedens huius argumenti, quod solùm in controuersiam venire potest, hac ratione probo. Ad peccatum constituendum duo potissimum requiruntur, vt sit voluntarium, & contra legem, vt initiò huius libri demonstrauimus: peccatum autem veniale omne aut non est perfectè voluntarium, aut non est perfectè contra legem: igitur nullum est veniale peccatum, quod perfectè, & simpliciter sit peccatum, sed imperfectè, vt diximus, & secundùm quid.

Assvmptio declaratur, & probatur. Nam peccatum veniale triplex est, vt suprà diximus, aut enim est veniale ex genere suo, vt verbum ociosum: aut ex imperfectione operis, & hoc vel ex subreptione, vt desiderium illicitæ rei non plenè deliberatum: vel ex paruitate materiæ, vt furtum vnius oboli, vel alterius rei, nullo, aut vilissimo precio æstimatæ. peccatum igitur veniale ex subreptione non est perfectè voluntarium, proinde nec perfectè peccatum, aut veniale ex paruitate materiæ est quidem perfectè voluntarium, sed non perfectè contra legem. Lex enim non prohibet furtum vnius oboli in specie, sed prohibet furtum in genere. Et quia finis præcepti est caritas, qui prohibet furtũ, prohibet iniuriam, & læsionem proximi, & furtum quidem rei notabilis, quo simpliciter proximus lædtur, prohibet simpliciter: furtum rei minimæ, quo proximus non lædtur, nisi secundum quid, non prohibet, nisi secundum quid. Quod autem de lege prohibente furtum exempli causa diximus, idem de cæteris similibus intelligendum est. Quare peccatum veniale ex imperfectione operis non est perfectè contra legem, proinde nec perfectè peccatum.

Denique peccatum veniale ex genere suo esse potest perfectè voluntarium, & perfectè contra legem, si lex aliqua specialis de eo sit, sed ea lex non erit perfectè, & in rigore lex, vt sic loquamur. Nam cùm (vt Apostolus dicit) finis præcepti sit caritas, & ex fine mensurentur præcepta: si quod præceptum constituatur de re, quæ parum admodum ad eum finem pertineat, vt si speciali præcepto caueatur ne quis verbum ociosum loquatur, id præceptum non poterit esse perfectè, & in rigore atque (vt aliqui loquuntur) antonomasticè lex. Ita videmus, omnia peccata venialia, aut non esse perfectè voluntaria, aut non esse perfectè contra legem, quæ perfectè, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

in rigore sit lex. Et quia quod non est perfectè voluntarium, hoc ipso etiam non est perfectè contra legem, nisi materialiter: propterea recte dicunt Theologi peccata venialia, cuiuscunque tandem generis sint non esse contra legem, sed præter legem.

Quod totum hac etiam ratione confirmari potest. Si peccatum veniale perfectè, ac proprie esset cótra legem, sequeretur hominem iustum statim atque vnum aliquod peccatum veniale commisit, esse vere ac perfecte legis prævaricatorem, & per hoc reum omnium cœlestium præceptorum, iuxta illud Apostoli Iacobi: *Qui offendit in vno factus est omnium reus*, Iacobi 2. Hoc autem falsum, & absurdissimum esse constat ex eo, quod scriptura vocat homines simpliciter sanctos, & iustos, & legis diuinæ obseruatores, etiam cum peccatis venialib non carent. Nam de Zacharia & Elizabeth sic scribit Lucas capite primo: *Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.* Hos autem non caruisse peccatis venialibus etiam tunc, cùm (teste Euangelista) incedebant in omnibus mandatis Domini, dubium esse non potest, cum Apostolus Ioan. de se, & sui similibus dicat: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus*, 1. Ioan. 1. Et alius Apostolus: *In multis offendimus omnes*, Iacobi 2.

Denique peccata venialia non excludunt caritatem, nam alioqui in hominibus iustis esse non possent, cùm (teste Augustino lib. de natura, & gratia, capite vltimo) caritas sit vera, perfectáque iustitia: *Qui autem diligit, legem implevit*, vt Apostolus ait Rom. 13. non igitur legis prævaricator est, qui sola habet peccata venialia, quin potius iis etiam præsentibus legem implere dicitur. Quare non sunt peccata venialia propriè contra legem, neque perfectè, simpliciterque peccata.

CAPVT XII.

Diluuntur obiectiones ex Scripturis.

RESTAT nunc, vt obiectiones, quæ contra ea quæ diximus, fieri solent, breuiter diluamus.

Prima obiectio sumitur ex Scripturis, quæ generatim de omni peccato ita pronunciant: *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis huius*, Deut. 27. *Anima, quæ peccauerit ipsa morietur*, Ezech 18. *Stipendium peccati mors*, Rom. 6. *Qui offenderit in vno factus est omnium reus* Iacobi 2. *Qui soluerit vnum de mãdatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Matt. 5. Hæc dicuntur de peccatis vniuersè: igitur omnia peccata reum faciunt maledictionis diuinæ, & mortis æternæ, & à regno cœlorum excludunt. Quare sunt omnia ex se mortalia, & si quæ venialia sunt, id non habent ex natura sua, sed ex misericordia Dei.

Ac ne forte quis dicet peccata venialia non esse simpliciter, & absolutè peccata, Scripturas autem allegatas de veris, perfectisque peccatis esse accipiendas: probari potest ex Apostolo Ioanne, peccata venialia simpliciter, & absolutè peccata, & iniquitates in diuinis literis nominari. De venialibus enim loquitur in epist. 1. capite 1. cum ait: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est: si autem confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emmundet nos ab omni iniquitate.* Apostolus quoque Iacobus cap. 3. suæ epistolæ peccata venialia offensiones appellat cum ait: *In multis offendimus omnes:* & ipse idem cap. 2. de offensionibus generatim ait: *Qui offenderit in vno, factus est omnium reus.*

Denique si minima mandata violari non possunt sine amissione regni cœlestis (minimum enim vocari in regno cœlorum nihil est aliud, quàm non habere locum in regno cœlorum) nulla peccata tam parua erunt, quæ non possint hominem damnare, si à Deo absque misericordia iudicemur.

Respondeo, Quamuis peccata venialia, si cum mortalibus conferantur, non sint perfectè peccata, vt in extremo capite superiore docuimus, absolutè tamen peccata nominari possunt, vt in sacris literis nominantur. Nam iuxta communorem philosophorum doctrinam, ens non vniuocè dicitur de Deo, & rebus creatis, neque de substantia, & accidente, & sunt res omnes creatæ, res imperfectæ, cum creatore collatæ: & accidentia, entia sunt imperfecta, si cum substantia conferantur: nomen tamen entis non solum Deo, sed etiam rebus creatis, & ipsis quoque accidentibus, absolutè communicatur. Itaque non negamus peccata venialia, absolutè peccata, & iniquitates, atque offensiones dici posse, & re ipsa his nominibus in diuinis literis appellari: sed dicimus vocabula ista non vniuocè peccatis mortalibus, & venialibus conuenire, & idcirco non esse ex solis his vocibus de rebus ipsis pronunciandum, sed oportere ex adiunctis antecedentibus, & sequentib. iudicare vbi Scripturæ diuinæ de peccatis mortalib. & vbi de venialib. loquãtur.

Porrò in locis in argumento allatis non de peccatis in vniuersum, sed de solis mortalibus agi facilè probare possumus. Primum quia si Scripturæ illæ peccata venialia comprehenderen, sequeretur homines iustos ob sola peccata venialia non solum excidere posse à vita gratiæ, sed etiam re ipsa excidere: non enim Scripturæ illæ dicunt, animam quæ peccauerit, posse mori, si Deus imputare velit peccatum, sed planè mori: neque dicunt eum qui non permanserit in præceptis Domini, posse maledici, si Deus voluerit, sed iam esse maledictũ: & stipendium peccati non dicunt, posse esse mortem, sed re ipsa esse: neque S. Iacobus eum qui offendit in vno, posse fieri omnium reum, sed factum esse omnium reum. Et denique in Euangelio Dominus non ait, Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocari poterit in regno cœlorum, sed absolutè pronunciat minimum, id est, nullum, eum esse vocãdum in regno cœlorum. At ne ipsi quidem aduersarij concedunt, ob sola peccata venialia hominem iustum excidere à vita gratiæ, vel maledici à Domino vel fieri totius diuinæ legis violatæ reum, vel excludi continuo ab hæreditate regni cælestis: igitur loca illa non de venialibus delictis, sed de criminibus tantum accipienda sunt.

Deinde hoc idem ostenditur ex adiunctis præcedentibus, vel sequentibus. Siquidem maledictio illa Deuteronomij refertur ad violatores mandatorum, quæ in eo ipso tradita fuerant. Id enim significat illud pronomen, *huius*, cum dicitur, maledictus qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis huius. Ea verò mandata sunt omnia longè grauissima de cauenda idolatria, incestu, homicidio, & similibus, quæ consensu omnium crimina sunt, ac peccata lethalia. Pari ratione Ezechiel vbi ait: Anima quæ peccauerit, ipsa morietur, enumerat varia scelera, quæ sunt omnia genere suo mortalia, & quidem ex grauioribus, & ideo abominationes, & res detestandas, atque impietates ea nominat. De eiusmodi autem peccatis rectissimè dicitur. Anima quæ peccauerit, & ipsa morietur.

Iam verò B. Paulus in toto 6. c. epistolæ ad Romanos, de peccato illlo differit, quod pugnat cum gratia, & simul cum Iustitia manere non potest, & quod qui habet, mortuus est, qui nõ habet viuus: qualia sunt non omnia peccata, sed solũ lethalia, venialibus enim gratiam, iustitiã, & vitã non excludi, & Catholici, & Lutherani admittunt. De his igitur peccatis in extremo capite concludit, stipendum peccati mors, gratia autem Dei vita æterna.

S. Iacobus in epistola sua ca. 2. cum ait: *Qui offenderit in vno, factus est omnium reus*, explicat satis apertè de criminibus se loqui, quæ propriè, & perfectè sunt contra legem. Sic enim subiũgit cõtinuò. *Qui enim dixit, Non mechaberis, dixit*

dixit, & Non occides. Quòd si non mechaberis, occides autem, factus es trãsgressor legis. Cur autem dixerit, reum esse omnium mandatorum, qui vnum trãsgressus fuerit, etiam si cætera obseruasse videatur, causam reddit S. Augustinus in epist. 29. ad sanctum Hieronymum, quem sequitur Beda in Commen. huius loci, & Oecumenius, quia videlicet omnia mandata ad vnum reuocantur, quod est mandatum dilectionis, vt Apostolus docet Rom. 13. hinc enim sequitur, vt qui vnum aliquod præceptum violat, totã legẽ quodãmodo violat, consequẽter caritatẽ violet: qui autem caritatem violat: efficitur enim ita simpliciter transgressor legis, & reus mortis æternæ, ac si nullum vnquam præceptum seruasset. Et quemadmodum, vt pulchrè docet auctor operis imperfecti in Matthæum, homil. 35. in 2. Tomo sancti Ioannis Chrysostomi, ei qui vnam solùm corporis partem non armatam reliquit, & inde vulnus accepit & periit, nihil prodest, quòd reliqua mẽbra magno labore munierit, ita nihil prodest ad mortem æternam euadendam omnia præcepta seruare, si quis offendat, ac labatur in vno, cùm omnia sint in caritate connexa, & qui caritatem violat amicus Dei esse non possit.

Ex his autem perspicuum est Beatum Iacobum, per offensionem in vno, hoc loco non intelligere quamlibet offensionem, sed eam tantùm, quæ caritatem excludat, qualis certè non est offensio, quam venialem dicimus, quippe quæ in hominibus iustis, & caritate flagrantibus reperitur. Neque enim sine caritate erat discipulus ille, quem diligebat IESVS, cùm de se, & cæteris diceret: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, &c.* Quare S. Iacobus longè aliter accipit offensionem, cùm dicit cap. 2. *Qui offendit in vno factus est omnium reus.* Et cùm postea cap. 3. dicit, *In multis offendimus.* Ibi enim de offensione criminali, hîc de veniali loquutus est: & ideo ibi de eo qui offendit in vno, subiunxit, factus est omniũ reus: hîc autem addidit: Qui autem non offendit in verbo, hic perfectus est vir: vbi de ea offensione loqui se declarauit, quæ perfectioni, non de ea, quæ necessariæ integritati opponitur.

RESTAT vltimus locus ex Euangelio Matt. 5. quem locum præter cæteros vrget Caluinus, in Antidoto Concilij Tridentini, sess. 6. ca. 12. Vbi PRIMVM obseruandum est, non dixisse Dominum: Qui fecerit peccatum minimum, minimus vocabitur in regno cœlorum: neque etiam dixisse, qui soluerit vnum ex his mandatis minimis, minimus vocabitur, &c. Sed, *Qui soluerit vnum de his mandatis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Vbi Dominus excludit à regno non eos, qui quomodocumque soluunt mandata legis diuinæ, sed qui soluunt praua interpretatione illa destruentes, quod Scribæ & Pharisæi faciebant, qui sic prædicabant dilectionem amicorum, vt inimicos odio haberi præciperent: & sic adulterium damnabant, vt concupiscentiam solo corde cõceptam prohibitam esse negarent. Hinc enim Dominus clamabat, *Non veni legem* (moralem videlicet) *soluere*, id est, abrogare, ac tollere, *sed adimplere*, id est, perfectè explicare, & vires ad eam seruandam fidelibus suppeditare. Itaque hoc modo vnum ex minimis mandatis soluere, nõ est peccatum minimum, ac veniale, sed ingens, ac lethale crimen, cùm sit deprauare, ac corrumpere verbum Dei.

Et hoc modo intelligit hunc locum S. Hieronymus in Commentario, vbi dicit, à Domino sugillari Scribas, & Pharisæos, qui mandata diuina perperam exponendo corrumpebant. Sanctus etiam Augustinus in lib. 1. de sermone Domini in monte, cap. 16. scribit, illud: *Qui soluerit, & docuerit sic homines.* Ita esse accipiendum, vt sensus sit: *Qui soluerit, & docuerit sic, id est, secundum id quod soluit, non secundum id quod inuenit, & legit.*

DEINDE si quis cõtendat excludi hoc lòco à regno cœlorum, non solùm qui peruersè docet, sed etiam qui non obseruat mandata minima, etiamsi forte rectè doceat: possumus aliam adhibere solutionẽ. Nam per mandata minima rectè possunt intelligi mandata legis veteris, Non occides: Non mechaberis, &c. de quibus paulò antè dixerat, Non veni legem soluere, sed implere, & hoc modo hunc locum intelligit S. Augustinus in libr. 1. de ser. Domini in monte, c. 18. & S. Anselmus in Commentario, dicuntur enim illa minima, non quia peccatum minimum, aut leue committant, qui ea prævaricantur, sed quia minus perficiant hominem, quàm ea, quæ Christus explicando, & perficiendo tradidit. Minus enim perfectus est qui tantum non mechatur, quàm qui etiam non videt ad concupiscendum, & minus perfectus est, qui tantum nõ occidit, quàm qui etiam nullum verbum contumelioſum dicit.

DENIQVE si quis omnino velit per mandata minima intelligi mandata, quæ Christus adiecit supra iustiam Scribarum, & Pharisæorum, vt exponunt Chrysostomus, & Theophilactus: tum solutionem tertiam adferemus. Dicemus enim mandata minima vocari, Non concupiscere mulierẽ alienam, Non dimittere propriam nisi ob fornicationem, Non aliam ducere priore viuẽte, Non dicere proximo fatue, Non odisse inimicos, & similia, quæ vera, & propria mandata sunt, quæque sine crimine violari non possunt. Nam, vt docẽt Chrysostomus, & Theophilactus nõ vocauit ea Christus minima mãdata, quia re vera sint leuia, & exigua, sed vt modestè de rebus suis loqueretur, & nos doceret etiam in hac doctrina humilitatem, vel etiam quia minus peccatũ est hæc violare, quàm superiora. Minus enim malum est concupiscere, quàm re ipsa mechari: & dicere fatue, quàm occidere. Quo circa sicut nõ occidere, & non mechari sunt minima, quoad perfectionem, vt dicebat S. Augustinus, & S. Anselmus, & è contrario sunt maxima, quo ad reatum, quem inducunt, si violentur: sic etiam non concupiscere, & non conuiciari sunt minima quoad reatum, & è contrariò sunt maxima quoad perfectionem.

SED obiicies inter Christi mandata non solùm inueniri: Non conuiciari, sed etiam non irasci, & non dicere raca, quæ qui non obseruant peccant venialiter, & tamen iuxta Domini sententiam, qui mandata illa minima soluerit, minimus vocabitur in regno cœlorum.

RESPONDEO, illa non esse propriè, & per se mandata, sed gradus eiusdem mandati. Dominus enim explicare volens perfectè mandatum illud legis, *Non occides*, quod à Scribis & Pharisæis perperam exponebatur: docuit non solùm re ipsa, sed etiam verbis, & cogitatione proximum lædere peccatum esse: & simul explicuit discrimen horum graduum cùm ait: *Qui irascitur reus erit iudicio: Qui dixerit raca, reus erit concilio: Qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Itaque docuit, mandatum de non occidendo, perfectissimè obseruari ab eo, qui ne irascitur quidem proximo sine causſa: si verò quis leuiter irascitur, ita vt non prorumpat in vocem indignationis, aut certè non in apertum conuicium, eum iam recedere à perfecta obseruatione legis, sed tamen censeri secundum quid, non autem simpliciter prævaricatorem, & ideo non esse reum gehennæ ignis, sed pœnæ longè mitioris. Si quis autem manifestum conuicium in proximum iaciat, quod certè ex amico pectore progredi nequit, tum demum non à perfecta obseruatione sed simpliciter ab obseruatione legis eum cecidisse, atque adeò reum gehennæ ignis factum esse, & si reus est simpliciter violatæ legis qui verbo lædit, multò magis reum esse, qui verberibus, aut morte fratrem suum afficit. Atque hæc de prima obiectione.

Aliæ obiectiones sumuntur ex aliis Scripturæ sacræ testimoniis, quę non ita directè, sed quasi ex obliquo pugnare videntur contra ea, quæ nos suprà docuimus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Est igitur SECVNDA obiectio, quam IOANNES CALVINVS producit in medium illud Matth.22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c.* Ex quo loco eiusmodi argumentum conficit in Antidoto Concilij Tridentini,sessione 6.cap.12. *Quæro*, inquit, *an vllum sit omnino quamlibet leue peccatum, quod non legis obseruantiæ repugnet? quia enim vitiosa cogitatio obrepet in hominis animum, si totus Dei amore occupetur? non autem satisfit legi, nisi cum diligitur Deus ex toto corde.*

RESPONDEO, Dilectio Dei ex toto corde duobus modis intelligi potest, VNO modo, vt idem sit ex toto corde,quod super omnia alia integrè,ac perfectè, vt nihil Dei amori anteponatur, vel adæquetur. ALTERO modo,vt semper actu Deus cogitetur & diligatur,& sic animum Dei amor occupatum teneat, vt nihil obrepere possit,quod sit(non inquam)contra,sed præter Dei, vel proximi caritatem. PRIORE modo fatemur imperari nobis,vt Deum ex toto corde diligamus, sed cum dilectione negamus pugnare peccata venialia. Ac per hoc falsum esse contendimus repugnare obseruantiæ legis quamlibet leue peccatum. POSTERIORE modo fatemur, nullam vitiosam cogitationem obrepere posse ei, qui totus in Dei amore occupetur,sed eam dilectionem, quę propria est beatorum,nobis in hac vita non propriè imperari, sed tantum indicari asserimus,vt nimirũ sciamus, quo spem,ac desideria dirigere debeamus.

Hæc autem ita se habere in libro de Monachis,cap.2. & 13. iam antea demonstrauimus. Sed hoc loco nobis illud vnum argumentum sufficiat, quòd Scriptura testetur Dauidem in toto corde suo sequutum esse Deum.3. Reg.14 & similiter Iosiam,4.Reg.23.& de Zacharia, & Helizabeth scribat Lucas cap 1.ambulasse eos in omnibus mandatis & iustificationibus Domini. Neque enim dicerentur ambulasse in omnibus mãdatis, qui primum, & maximum,quod est de diligendo Deo ex toto corde neglexissent.Quod autem de Dauide, Iosia, Zacharia,& Elizabeth Scripturæ testantur,ambigi non potest, quin etiam dici possit de Abrahamo, de Mose, de Helia, de Ioanne Baptista,de Apostolis Petro, Paulo, Ioanne, Iacobo,& cæteris,& tamen Ioannem dixisse scimus: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* 1.Io. 1.& Iacobum similiter: *In multis offendimus omnes,* Iaco.3. Quare non repugnat obseruantiæ legis imperantis dilectionem ex toto corde leuia illa peccata, quæ in illis fuerunt,qui Deum ex toto corde dilexerunt.

TERTIA obiectio sumitur ex illo Ioan. 3. *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Nam S. Augustinus in Commentario huius loci interpretatur per lotionem pedum, purgationem à peccatis venialibus,cuius expositionem sequitur etiam sanctus Bernardus in Sermone de Cœna Domini. Quòd si peccata venialia excludunt à parte Domini,id est,à regno cœlesti: profectò naturâ suâ non venialia, sed mortalia dicenda sunt Adde quod S. Basilius lib.1.de baptismo,cap.2.dicit,Iacobum ideo dixisse: *Qui offendit in vno,factus est omnium reus*:quia audierat à Domino,si non lauero te,non habebis partem mecum. Ex quo intelligimus ad venialia peccata etiam pertinere illud: Qui offendit in vno, factus est omnium reus.

RESPONDEO,Illud (si non lauero te, non habebis partem mecum) duobus modis exponi potest. VNO modo ad literam de materiali pedum lotione, vt videlicet notetur obedientia Apostoli Petri, qui Domino parere nolebat in eo, vt sineret sibi pedes lauari: & hoc modo accepit Sanctus Basilius hanc Domini comminationem: & rectè dixit tale peccatum esse non obedire Domino,vt qui in ea vna re offendat, fiat omnium præceptorum reus: non enim veniale, sed mortale peccatum fuisset, si Apostolus Petrus per pedũ Domini voluntate obstinatè resistere omnino decreuisset.

ALTERO modo de spirituali lotione à peccatis venialibus,quomodo acceperunt hunc locum sanctus Augustinus, & sanctus Bernardus, præsertim propter illa verba: *Qui totus est,non indiget,nisi vt pedes lauet*: quibus verbis significatur homines iustos esse quidem lotos, & tamen egere in hac vita purgatione à peccatis venialibus, quasi sordibus pedum ex humana conuersatione contractis. Quamuis autem fieri non possit vt quis cum eiusmodi sordibus in regnum cœlorum ingrediatur,quo nihil coinquinatum intrabit, Apocalyp. 21. & ideo rectè dictum sit,si non lauero te, non habebis partem mecum: tamen non simpliciter eiusmodi peccata excludunt à regno,sed solùm ad tempus, donec videlicet purgata non fuerint: & quia non merentur ex natura sua pœnam æternam, sed temporalem, ideò ex natura sua non excludunt à regno, nisi pro tempore illo, quod ad sui purgationem exigunt.

QVARTA obiectio sumitur ex illo Matth. decimo, *Qui vnque dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam.* Sic enim quidam ratiocinantur, Minima opera bona merentur vitam æternam, vt ex testimonio allato perspicuum est: igitur & minima peccata merentur supplicium sempiternum.

RESPONDEO multis modis argumentum hoc peccat. PRIMVM enim non ait Dominus de eo qui dederit calicem aquæ frigidæ, vitam æternam possidebit, sed non perdet mercedem suam. Quare ex testimonio effici non debet, minima peccata mereri mortem æternam, sed non perditura esse pœnam suam,quod quidem libenter concedimus, sed non continuò pœna illa erit sempiterna. DEINDE etiamsi Dominus disertis verbis promisisset regnum cœlorum iis, qui darent calicem aquæ frigidæ, non tamen consequens esset, vt minimo peccato deberetur pœna gehennæ. Dare enim minimo operi maximum præmium,ingens liberalitas, & misericordia esset. Dare autem minimo peccato maximam pœnam, iniustitia & crudelitas esset. DENIQVE dare calicem aquæ frigidæ ex caritate Dei, non est minimum opus, sed valde magnum,& verè meritorium vitæ æternæ: huic autem operi bono non est opponendum peccatum veniale, quod simul cum caritate consistit, sed mortale, quod caritati repugnat Quodlibet autem peccatum caritati repugnans, etiamsi alioqui minimum videatur, non minimum,sed magnum erit, & verè mortis æternæ meritorium.

Aliæ quædam obiectiones proponi possent ex illis Scripturæ testimoniis, quæ docere videntur, animas in purgatorio non esse certas de salute: ex quo deducitur peccata venialia, quæ in illis fortè hærent, cùm de hac vita discedunt, mortem sempiternam promereri.Sed eæ solutæ sunt in 2.lib.de Purgatorio,cap.5.

CAPVT XIII.

Soluuntur obiectiones ex Patribus.

IAM verò ex Patribus primo loco obiici solet S. Basilius, qui in quæstionibus compendio explicatis,q.4.scribit, nullum peccatum esse contemnendum vt paruum, cùm re vera nullum sit paruum, quando B. Paulus de omni peccato generatim pronunciauerit, stimulum mortis peccatum esse,&rursus q.293.affirmat in nouo Testamento nullam inueniri differentiam grauium,& leuium peccatorum.

RESPONDEO,Non certò constat,an eæ quæstiones sint Magni Basilij, an potius Eustathij Sebasteni, cuius multi, & graues errores damnantur in Concilio Gangrensi.Huic enim auctori à multis hoc opus olim adscriptum fuisse testes sunt Sozomenus lib.3.histor. cap.13. & Nicephorus libro nono. cap. 16. & libro 13. cap.29.

Huc

Huc etiam accedit, quòd auctor harum quæstionum, q.1.& q.95.non videtur admittere traditiones non scriptas, cùm è contrario S.Basilius in lib. de Spiritu sancto, ad Amphilochium, cap.27. acriter eas defendat. Quare cùm probabile sit eas quæstiones editas esse ab homine parum probatæ fidei, non est cur earum testimonium magnificiamus.

Possumus tamen eas sententias cuiuscunque sint, in bonum sensum explicare. Solùm enim videtur auctor ille demonstrare voluisse, nullum peccatum apud Christianos, ac potissimũ apud Monachos vt paruum ac leue contemnendum esse. Quamuis enim vnum peccatum sit alio grauius, vt idem auctor docet quæstio. 106. tamen omnia, etiam leuissima Christiano homini, à quo maior vitæ perfectio exigitur, quàm à Iudæo, pro viribus cauenda sunt.Quod si id Christianis in commune rectè præcipitur, quanto magis Monachis, quos auctor ille potissimum instituendos susceperat, præcipiendum erit?Quod verò ille addit,omne peccatum esse stimulum mortis, potest etiam admitti, quia omne peccatum aut mortem efficit,si est mortale, aut ad eam disponit,si est veniale.

SECVNDO loco obiici potest testimonium sancti Hieronymi,qui in secundo Dialog. aduersus Pelagianos ante mediũ, videtur omnia peccata habere pro mortalibus,cùm ita loquitur: *Si ira, & sermonis iniuria,atque interdum locus iudicio,conciliõque, & gehennæ ignibus delegatur, quid merebitur turpium rerum appetitio, & auaritia, quæ radix est omnium malorum?*

RESPONDEO, sine vlla dubitatione S. Hieronymus non accepit illos reatus coniunctim, quasi existimauerit,iram,vel iocum reos homines efficere iudicij, concilij,& gehennæ ignis. Si enim hoc vellet,pugnaret cum ipsa Domini sententia, quam ipse idem Hieronym. paulò antè adduxerat. Siquidem in ea sententia tres reatus tribus peccatorum generibus, vel potius tribus gradibus eiusdem peccati respondent, singuli singulis, non singulis omnes. Et quamuis Hieronymus in enumerandis gradibus peccati PRIMO loco posuerit iram. SECVNDO,sermonis iniuriam. TERTIO iocum. In enumerandis autem reatibus, PRIMO loco posuerit iudicium.SECVNDO concilium. TERTIO gehennam ignis:tamen non respondet ioco gehenna ignis, sed sermonis iniuriæ,vt ex Euangelij textu colligitur.Quare S. Hieronymus non habuit rationem ordinis, in illa enumeratione,sed tantum numeri.

TERTIÒ obiiciunt aliqui S. Augustinum, qui in lib. 2.de peccatorum meritis & remiss.cap.3. habet hæc verba: *Quis cum spe aliqua adipiscendæ salutis æternæ,de hac vita migraret, manente illa sententia, quod quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus, nisi post paululum sequeretur,superexultat autem misericordia iudicio?* Videtur enim his verbis S. Augustinus significare, peccata quęcumque etiam venialia ex se mereri mortem æternam,& re vera ob quodlibet peccatum damnandos homines nisi misericordia iudicium mitigaret. Cui sententiæ similis est illa,eiusdem auctoris in epist. 29. *Cum Rex iustus sederit in throno,quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur,mundum se esse à peccato? quæ igitur spes est, nisi superexultet misericordia iudicium:* Et illa ex Confessionibus lib.9.cap.vlt. *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam.*

Sunt præterea multa loca eiusdem auctoris, quæ docent, multa venialia simul collecta damnare hominem: ex quo sequi videtur,vt si pauca venialia non damnent, id fiat ex misericordia Dei, non ex natura ipsius peccati. Loca sunt hæc: In epist.29.ad Hieronymũ: *Denique*, inquit,*S.Iacobus iam ex isto loco de misericordiæ operibus loquitur,vt quos vehementer illa sententia terruerat, consoletur cum admonet,quomodo etiam quotidiana peccata(sine quibus hic non viuitur) quotidianis remediis expientur;ne homo, qui cum in vno offenderit fiat omnium reus:in multis offendendo, quia in multis offendimus,propter magnum aggerem reatus sui minutatim collectum ad tribunal tãti iudicis perueniat, & eam quam non fecit, misericordiam non inueniat, sed potius diminuendo, atque dando mereatur sibi dimitti peccata,reddique promissa.* In epist.108. ad Seleucianam: *Est etiam*, inquit, *pœnitentia bonorum, & humilium fidelium pœna quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes,Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Neque enim ea nobis dimitti volumus, quæ dimissa non dubitamus in baptismo, sed illa vtique, quæ humanæ fragilitati,quamuis parua,tamen crebra subrepunt,quæ si collecta contra nos fuerint,ita nos grauabunt, & oppriment, sicut vnum aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium, vtrum vno grandi fluctu nauis operiatur,& obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta, atque contempta impleat nauem,atque submergat?*

In Concione 3.super Ps.118.*Sed quoniam*,inquit,*tentatio est vita hominis super terram,etiam si à criminibus longè simus, non tamen deest,vbi desideriis peccati,vel facto,vel dicto,vel cogitatu obediamus,quando aduersus maiora vigilantibus quædam incautis minuta subrepunt,quæ si aduersus nos colligantur,etiamsi non singula suis motibus conterunt, omnia tamen acerno nos obruunt.* Tract.12.in Ioan. *Quomodo*, inquit, *minuta peccata si negligantur, occidunt? minuta sunt guttæ, quæ flumina implent. Minuta sunt grana arenæ,sed si multa arena imponatur,premit, atque opprimit. Hoc facit semina neglecta,quod fluctus irruens paulatim per sentinam intrat, sed dum intrando, & non exhauriendo mergit nauim.* Denique tract. 1. in epistolam Ioan. *Illa leuia*, inquit, *quæ diximus, noli contemnere: si contemnis, quando appendis,expauesce quando numeras. Leuia multa faciunt vnum grande. Multæ guttæ implent flumen. Multa grana faciunt massam.*

RESPONDEO, Duo quædam pro compertis habenda sunt, ex quibus pendet horum locorum explicatio. PRIMVM est,S.Augustinum non existimasse,eum qui venialiter offendit in vno,fieri omnium reum, iuxta sententiam S.Iacobi,sed solùm eum,qui lethaliter offendit.Id quod perspicuum est ex epist.29.ad Hieronymum, vbi S.Augustinus non semel reperit, ideò qui offendit in vno,fieri omnium reum, quia pugnat contra caritatem, ex qua pendent omnia mandata. Quare ex sententia S Augustini,qui peccat salua caritate, non ita offendit,vt fiat omnium reus Idem autem S. Augustinus in eadem epistola scribit, peccata venialia commirri à filiis Dei iustis, & caritatem habentibus, sed non tantam, quantam in patria cœlesti habebunt. Ex eo enim quod non est in hac vita caritas tam perfecta,quàm erit in futura vita,omnia peccata venialia commitri dicit.

Itaque vult peccata lethalia simpliciter cum caritate non posse consistere: peccata autem venialia consistere quidem cum caritate,sed non cum perfectione illa caritatis, quam habebimus in patria. Ex quo sequitur,vt qui lethaliter offendit in vno, fiat omium reus, non autem qui venialiter. Quocirca in extrema epistola, vbi loquitur de peccatis venialibus, dicit eos qui multa peccata leuia, & quotidiana committunt terreri à Beato Iacobo dicente, Qui offendit in vno, factus est omnium reus: non quia vnum peccatum leue & quotidianum eam vim habeat, vt faciat omnium reum, sed quia magna congeries peccatorum leuium videatur æquare vnum aliquod grande peccatum, quod qui commiserit, fiet omnium reus. Hoc enim significant illa verba suprà citata, quos vehementer illa sententia terruerat, consolatur cùm admonet, quomodo etiam quotidiana peccata sine quibus hîc non viuitur, quotidianis remediis expientur, ne homo qui cùm in vno offenderit, fiat omnium reus: in multis offendendo, quia in multis offendimus, propter magnum aggerem reatus sui minutatim collectum ad tribunal tanti iudicis perueniat,&c.

ALT

Universidad de Deusto
Biblioteca

ALTERVM est, sententias illas S. Augustini, in quibus docet multa peccata leuia simul collecta occidere, & damnare hominem, non secus atque vnum grande peccatum non sic esse accipiendas, quasi multitudo peccatorum venialium, dum venialia manent, æquari possit vni mortali. Id enim apertissimis rationibus conuincitur esse falsum. NAM venialia peccata ex consensu omnium Theologorum, neque tollunt, neque minuunt habitum caritatis, sed solum actum, & feruorem eius impediunt: quare etiamsi omnia peccata venialia simul colligerentur in vnum, nunquam efficerent id, quod facit vnum lethale peccatum, quod videlicet continuò caritatem excludit. DEINDE pœna mortalis peccati sempiterna est, pœna venialis temporaria: at nulla spacia temporalia æternitatem adæquare queunt: igitur nec vlla multitudo venialium peccatorum vnius mortalis peccati grauitatem vnquam adæquabit. Siquidem ea est proportio pœnæ ad pœnam, quæ culpæ ad culpam, cùm pœna B sequatur culpam. AD HÆC si multa venialia vni mortali æqualia essent, incredibilis ambiguitas in animis fidelium existeret, cùm neque Scripturę, neque Concilia, neque vlli auctores vnquam definierint, quot venialia requirantur ad vnum mortale efficiendum. DENIQVE oporteret venialia peccata, cùm multa sunt, necessariò in confessione sacramentali sacerdotibus aperire. Quod & Concilio Tridentino sess. 14. cap. 5. & communi Christianorum sensui & consuetudini repugnat.

Sententia igitur S. Augustini (vt rectè docet B. Thom. in 1.2 quæst. 88. artic. 3.) ea fuit, multa venialia, si contemnantur, & negligantur, paulatim disponere hominem ad mortale crimen perpetrandum: quemadmodum vulnus curabile, si negligatur, paulatim gignit apostema lethiferum, & eo modo dicitur fieri incurabile. Id quod apertius scribit S. Gregorius lib. 10. Moral. cap. 14. illis verbis: *Si curare parua negligimus, insensibiliter seducti, audenter etiam maiora perpetramus.* Et ante vtrumque idem C scripsit Ecclesiasticus cap. 19. cùm ait: *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Posset etiam dici, multa venialia, secundum Augustini sententiam æquari vni mortali, quoad pœnam temporalem in purgatorio luendam.

His duobus præmissis, RESPONDEO ad primum testimonium ex lib. 2. de peccatorum meritis & remissio. duabus de caussis S. Augustinum scripsisse, Quis cum alia spe adipiscendæ salutis, &c. PRIMÒ, quia quodlibet crimen, quamuis solum, & minimum sit, sufficit ad æternam hominis perditionem, & nemo certò nouit, an non habeat vel habuerit aliquod eiusmodi crimen, vnde iram Dei sibi conciliauerit, & ad gratiam eius per veram pœnitentiam non redierit. Et ideò nemo cum spe adipiscendæ salutis de hac vita migraret, nisi sciret, se bonum Dominum habere, & speraret, per eius misericordiam peccata sua, præsertim lethalia iam esse dimissa. SECVNDO, quia in venialibus offendimus omnes, multa autem venialia disponunt (vt diximus) ad mortale: qui verò offendit in vno mortaliter, efficitur omnium reus: ideò nisi Deus prouidisset nobis quotidiana remedia ad quotidiana purganda peccata, nemo ferè esset, qui cum spe aliqua adipiscendæ salutis, de hac vita migraret.

AD ALTERVM locum ex epist. 29. & ad tertium ex lib. 9. Confes. RESPONDEO, loqui S. Augustinum de pœna purgatorij, quæ acerbissima est, & quam vix vlli iusti homines, nisi ex magna Dei misericordia euadunt, ita vt rectà ex corpore ad cœlum euolent. Hoc autem ita esse perspicuum est ex eodem lib. 9. Confes. cap. vlt. Nam oraturus Augustinus pro anima matris suæ defunctæ, quam vehementer laudauerat, ne quis fortè miraretur, cur pro ea oraret, quam tantopere commendauerat, reddit rationem dicens: *Ve etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutiat eam.* Vbi si illud, *ve*, respiceret damnationẽ æternam, non fuisset ratio, cur pro defuncta A matre orandum esset: neque enim pro damnatis orare licet.

Itaque significare voluit, homines etiam vitæ laudabilis non carere peccatis venialibus, ob quæ si seuere iudicẽtur, grauissimas pœnas in purgatorio luere debeant. Pœnas autem purgatorij maiores esse omnibus pœnis & suppliciis huius vitæ, & propterea rectè dici, Væ illis, qui ad eas luendas descendunt, testatur idem Augustinus tractatu in Psalm. 37. vbi sic ait: *Saluus erit quasi per ignem, grauiortamen erit ille ignis, quam quicquid potest homo pati in hac vita.* Ad alia loca iam responsum est.

CAPVT XIV.

Diluuntur obiectiones ex naturali ratione petitæ.

SVPERSVNT adhuc paucæ quædam obiectiones, quæ ex ipsa naturali ratione ducuntur.

PRIMA obiectio, Quælibet culpa iustè potest à Deo puniri pœna mortis & temporalis, & æternæ: igitur quælibet culpa naturâ sua mortalis est, & sola Dei misericordiâ venialis. Antecedens probatur. Nam malum culpæ etiam leuissimæ maius est quolibet malo pœnæ etiam grauissimæ. Igitur iustè potest quælibet culpa puniri quauis pœna etiã mortis æternæ: Antecedens huius argumenti posterioris probatur, quia potius subeunda est quæuis pœna quamuis grauissima, quàm peccatum aliquod etiam leuissimum perpetrandum: nam alioqui peccatum aliquando licitum esset, quod nullo modo fieri potest, cùm repugnãtia sint, aliquid esse peccatum, & esse licitum.

RESPONDEO, potest quidem Deus de rebus suis facere quicquid libuerit, & non solùm hominem qui venialiter peccauit interficere, sed etiam in nihilum redigere; tamen si id faceret, Dominum se probaret, non iudicem. Nam (vt S. Augustinus ait lib. 3. aduersus Iulianum cap. 18.) *bonus est Deus, iustus est Deus, potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quenquam sine malis meritis damnare, quia iustus est.* Ita possumus & nos dicere, bonus est Deus, iustus est Deus. Potest aliquos supra condignum remunerari, quia bonus est: non potest quemquam supra condignum punire, quia iustus est. Quare negamus quod in antecedenti illo assumitur, posse Deum iustè punire peccatum quodlibet etiam veniale, pœna omnium grauissima, quæ est mors æterna.

Ad probationem RESPONDEMVS, culpam quidem etiam leuissimam esse maius malum, quàm sit pœna quæcũque etiam grauissima. Nam culpa est malum simpliciter, & nullo modo eligibilis: pœna autem est D malum illi, qui punitur, non tamen simpliciter, quin etiam bona, & iusta dici debet, & est eligibilis ad vitandum malum culpæ. Sed non ideò debetur maxima pœna leuissimæ culpæ, quia pœna ex genere suo minus est malum, quàm culpa. Non enim debetur culpæ ex ratione iustitiæ maximum aliquod malum simpliciter, sed malum pœnæ, quod cum malo culpæ proportionem habeat, ita vt graui culpæ grauis pœna, grauiori grauior, grauissimæ grauissima: & contrà, leui leuis, leuiori leuior, leuissimæ leuissima pœna respondeat. Itaque tametsi mors potius oppetenda sit, si optio detur, quàm otiosum verbum proferendum. Non tamen ociosum verbum prolatum sempiterna morte vindicandum erit, quo supplicio parricidia, atque adulteria, aliàque eiusdem generis crimina vindicantur.

ALTERA obiectio, Peccatum veniale infinitam habet

bet malitiam, éstque infinito odio dignum, igitur infinitam pœnam ex natura sua meretur. Probatur antecedens, nam nó debet peccatú veniale committi ad quoduis bonum, etiam infinitum adipiscendum, ergo non minus est odibile peccatum veniale, quàm sit amabile bonum infinitum: bonum autem infinitum infinito amore dignum est, ergo peccatum veniale infinito odio dignum est: habet igitur peccatum veniale infinitam malitiam, sicut bonum infinitum infinitam bonitatem.

RESPONDEO, peccatum veniale non habet malitiam infinitam, cùm non auertat hominem à Deo summo atq; infinito bono. Ea enim caussa est, cur peccatum mortale dicatur infinitam malitiam habere, quia mutat vltimum finem, ac facit vt homo relicto Deo, qui verè est infinitus, in rem creatam vt in suum finem vltimum conuertatur. Quod autem non oporteat peccatum veniale committere ad bonum infinitum adipiscendum, non ea est ratio, quia sit ipsum etiam malũ infinitum: sed quia B est simpliciter malum, vt non possit vllo modo fieri bonum, ac per hoc non sit eligibile, neque medium ad vllum bonum consequendum.

TERTIA obiectio, Peccatum veniale potest nunquam remitti, atqui peccatum, quod nunquam remittitur, semper puniri potest: igitur peccatũ veniale semper puniri potest. Proinde quod tẽporaliter, & non in æternum puniatur, non est ex natura eius, sed ex misericordia Dei. Propositio huius argumenti probatur: nam peccatum veniale remitti non potest sine gratia Dei: quod autem ex gratia Deus facit, potest haud dubio non facere, igitur potest veniale peccatum nunquam remittere. & confirmari potest argumentum ex sententia S. Thomæ, qui in prima secundæ, quæstione 87. artic. 5. scribit, peccata venialia in hominibus ad inferos condemnatis, sempiterno supplicio puniri.

RESPONDEO, peccatum veniale potest nunquam C remitti, sed non oritur id ex natura ipsius peccati, sed aliunde. Possunt autem duo quædam in peccato considerari. PRIMO deformitas, siue macula, quæ ex peccato relinquitur in anima. SECVNDO reatus pœnæ ob iniuriam Deo factam, & quidem deformitas, quam parit peccatum mortale. oritur ex amissione gratiæ Dei, quæ est quasi lux quædam, & vita ipsius animæ, & quia nemo potest seipsum à morte reuocare, ideò peccatum mortale quod tollit principium, vitæ, id est, gratiam, ex natura sua, est quodammodo irremissibile. Nihil enim relinquit in homine, vnde per se resurgere possit, sed si fortè resurgit, id fit ex peculiari, & magna Dei misericordia: at peccatum veniale non excludit gratiam Dei, non tollit principium vitæ, sed tantùm impedit aliquo modo feruorem caritatis, & ideò propriè non efficit maculam, seu deformitatem in anima: quod si deformitas dicenda fit, priuatio illa feruoris, ea facilè tolli potest per actum dilectionis, qui quidem est in potestate hominis iusti, & habitu caritatis præditi. Quare peccatum veniale, quod at- D tinet ad maculam, seu deformitatem, non est ex natura sua irremissibile, sed remissibile, cùm relinquar in homine caritatem, ex cuius actu facilè remitti potest.

Quod si in homine peccatore sit veniale peccatum, in eo irremissibile erit, donec non remittitur peccatum A mortale. Sed hoc erit per accidens, nimirum ratione subiecti, quia videlicet homo ille gratia Dei, & vita spirituali priuatus, non potest actum vllum caritatis efficere, quo peccata venialia deleat. Quod autem attinet ad reatum, peccatum mortale per se inducit reatum pœnæ sempiternæ, sicut per se est irremissibile. Neque enim debet deformitas sempiterna sine pœna sempiterna manere, vt pulchritudo, quæ de operibus Dei per culpam perpetuò tollitur, per decorem iustitiæ perpetuò reparetur. Contrà autem veniale peccatum, quemadmodum non est per se, & ex natura sua irremissibile, ita non inducit per se, & ex natura sua reatum pœnæ sempiternæ, sed temporalis, quamuis per accidens fieri possit, vt per omnem æternitatem puniatur, sicut per accidens fieri diximus, vt aliquando per omnem æternitatem minimè deleatur.

Ex his ad formam argumenti propositi respondemus: ac primum concedimus peccatum veniale posse nunquam remitti, & semper puniri, sed per accidens, vt diximus, non per se. Ex quo etiam soluitur confirmatio ex auctoritate sancti Thomæ. B

Ad illud autem quod obiiciebatur in probatione propositionis, (peccatum veniale remitti non potest sine gratia: quod autem ex gratia Deus facit, potest non facere: igitur potest veniale peccatum nunquam remittere.) RESPONDEMVS, vel gratiam in argumento sumi pro habitu gratiæ in anima inhærente: vel pro liberali condonatione pœnæ. Et quidem si accipiatur pro habitu gratiæ, non negamus absque gratia peccatum remitti non posse: sed eam gratiam iam habet homo iustus, qui peccatum veniale purgare debet, proinde non eget noua infusione gratiæ, sed satis illi erit, si ex ipsa gratia quam habet, actum aliquem dilectionis eliciat. Si verò gratia accipiatur pro liberali condonatione pœnæ: fatemur posse Deum absolutè non condonare pœnam: quod enim ex gratia facit, potest non facere: sed tamen cùm promiserit distertis verbis in Euangelio donum remissionis, si & ipsi remiserimus debitoribus nostris: *Si enim remiseritis hominibus* (inquit Matth. 6.) *peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cœlestis delicta vestra.* Profectò, si non absolutè, certè ratione promissionis, & pacti non poterit non remittere, si & nos remiserimus, eique dixerimus, vt ipse nos docuit: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Itaque sanctus Augustinus in libro de correptione & gratia. cap. 13. dicit in iudicio misericordiam bonis meritis iustorum esse reddendam. Merentur enim qui bene operantur, vt Deus misericorditer indulgeat, si quid manente caritate deliquerint.

Adde POSTREMO, quod si vellet Deus non condonare, sed omnino exigere pœnam peccati venialis ab eo, qui culpam ipsam venialem per actum dilectionis purgasset: temporalem tantum, non autem sempiternam exigere posset. Quocirca etiamsi nullum esset pactum Dei nobiscum de remissione pœnæ, adhuc tamen perspicuum esset, peccatum veniale ex natura sua non inducere reatum pœnæ sempiternæ. Atque hic sit huius disputationis terminus.

***

LIBER

Universidad de Deusto
Biblioteca

IHS

LIBER SECVNDVS

DE STATV PECCATI,

QVI EST DE CAVSSA PECCATI PRIMI HOMINIS, ac de causſa peccati in genere.

DISSERVIMVS in primo libro de peccati definitione, & partitione: nunc de peccato primi hominis, cuius merito diuinæ gratiæ iacturam genus humanum fecit, Deo iuuante disseremus. Ac PRIMVM quidem de causſa illa peccati: TVM de ipſo peccato diſputandũ erit. Porrò de causſa peccati illius, atque adeo de causſa peccati in vniuerſum, gratiſſima controuerſia eſt quænam ſit propria, & præcipua causſa peccati, an ea videlicet in hominem, an potius in Deum referenda ſit. Qua controuerſia explicata, vbi cõſtiterit, Deum non eſſe causſam peccati: ſubycientur tres aliæ quæſtiones breuiores de tentatione, quam ſatis conſtat causſam fuiſſe minus principalem, & extrinſecam eiuſdem peccati: VNAM, cur Deus tentari permiſerit primum hominem, quem non ignorabat ea tentatione vincendum. ALTERAM, quid fuerit ſerpens ille, qui primum hominem in paradiſo tentauit: TERTIAM, qualis fuerit illa tentatio.

CAPVT PRIMVM.

De erroribus circa primariam causſam peccati.

MVLTI fuerunt tum ex antiquis, tum ex recentioribus hæreticis, qui primariam peccati causſam, ingenti blaſphemia in Deum ipſum retulerunt. Princeps huius erroris ille ipſe fuit, qui ſimpliciter PRIMVS fuiſſe dicitur omnium hæreticorũ. Sic enim de Simone Mago ſcribit Vincentius Lirinenſis in commonitorio aduerſus prophanas vocum nouitates. *Quis ante Magum Simonem Apoſtolica diſtructione percuſſum, a quo vetus ille turpitudinum gurges vſque in nouiſſimum Priſcillianum continua & occulta ſucceſſione manauit, auctorem malorum, id eſt, ſcelerum, impietatum ſtagiorumque noſtrorum auſus eſt dicere creatorem Deum?*

DEINDE Cerdoniſtæ, Marcioniſtæ, Manichæi, Priſcillianiſtę, Albigenſes, qui variis ſeculis, & in diuerſis regionibus ſcholas impietatis aperientes, duóque prima principia, ac veluti duos Deos, vnum bonum, alterum malum, introducẽtes, primariam peccati causſam Deum malum eſſe voluerunt. De Cerdoniſtis, vide Tertullianum in libro de preſcriptione aduerſus hęreticos: De Marcioniſtis Irenæum lib. 1. cap. 29. aduerſus hęreticos. De Manichæis S. Auguſtinum in lib. de hæreſibus, cap. 49. De Priſcillianiſtis S. Leonem in epiſtola ad Turbium 93. cap. 6. De Albigenſibus S. Antoninum in Summa Theologica par. 4. tit. 11. cap. 7. §. 5. Sed quanquam iſti omnes Deum peccati causſam dicerent, tamen ſententiam ſuam aliquo modo temperabant. Nam Simon Magus non docebat aperte Deum velle, aut imperare, aut etiam efficere mala, ſed ea ratione peccatorũ noſtrorum causſam eſſe, quod eam naturã nobis dederit, quæ non poſſit non peccare. Cerdon, Marcion, Manichæus, & cęteri, qui duo rerum principia ſtatuebant, referebant quidem peccati causſam in principium quoddã primum & ſempiternum, ſed illud non Deũ, ſed diabolum, aut certè Deum non bonum, ſed malum nominabant.

PRIMVS igitur qui apertè Deum, & bonum Deum auctorem peccati fecit, Florinus quidã fuit, qui ex Montani diſcipulo, per nouum hoc dogma hæreſiarcha fieri meruit. De quo Florino rectè ſcripſit Irenæus (vt refert Euſebius Cęſarienſis lib. 5. hiſt. c. 20.) eum fuiſſe pluſquã hæreticum, cùm id auſus fuerit palã aſſerere, quod nullus hæreticorum vſquè ad id tempus aſſeuerat. S. Auguſt. in lib. de hæreſ. c. 59. ſcribit Seleucianorum hæreſim fuiſſe, malum aliquando eſſe à Deo, aliquando à materia. Sed non explicuit, an de malo naturali, an de morali, quod proprie dicitur peccatum, Seleuciani loquerentur.

Florinum Irenæo (vt diximus) pluſquam hæreticum, noſtro hoc ſeculo non pauci ſequuti ſunt. Præcipui ſunt, qui dicuntur Libertini, quorum ſectam (quoniam alios auctores non habemus) ex Caluino didicimus, & ex eodem hiſtoriam, quam hoc loco recenſemus, petere coacti ſumus. Scripſit enim Ioannes Caluinus duos libros aduerſus Libertinos, quorum alter inſcribitur: Inſtructio cõtra Libertinos, alter eſt epiſtola ad Rothomagẽſes aduerſus Franciſcanum quẽdam Libertini erroris ſectatũ. Igitur auctores dogmatis fuerunt Coppinus, & Quintinus, Sutores Flandri. Quorum alter, id eſt, Quintinus, Tornaci à Catholico magiſtratu tum ob multa flagitia, tum etiam ob nouam, eámque valdè perniciosam hæreſim interfectus eſt, ſed prius erroribus abiuratis.

Primarius eorum fuit error, vnum eſſe tantũ ſpiritum immortalem, videlicet Deum, angelos, dæmones, animas nihil eſſe præter opinionem. Hinc verò permulta, eáque abſurdiſſima dogmata colligebant. PRIMVM erat, quæcunque fieri videntur ab hominibus, ſiue bona, ſiue mala illa ſint, omnia fieri non ab hominibus, ſed ab illo vno ſpiritu Dei, qui omnia in omnibus operatur.

ALTERVM

ALTERVM, peccatũ nihil eſſe præter inanẽ, & falſã opinionẽ, cũ Deus omnia faciat, qui nihil mali facere poteſt.

TERTIVM, non debere reprehẽdi eos, qui occidũt, mœchãtur, furantur, id enim eſſet Deum reprehendere.

QVARTVM, regenerationem eſſe diſpoſitionem conſcientiæ, abiectionem ſcrupulorum, ignorationẽ diſcriminis inter bonum & malum. Nam in ſtatu innocentiæ ignorabat Adam diſcrimen boni, & mali: atque ad eum ſtatum redire dicunt Libertini eos, qui ſine ſcrupulo quidlibet agunt, & hanc eſſe Chriſtianam libertatem, & mortificationem veteris Adami. Quocirca ſi quẽ vident reformidare actiones malas, dicere ſolẽt, ô Adam adhuc aliquid vides, adhuc pomi illius guſtum retines.

QVINTVM, pœnitentiã nihil eſſe aliud, niſi agnoſcere, & profiteri ſe nihil egiſſe mali, atque ea de causſa dicunt, Petro peccatum fuiſſe dimiſſum, quia crediderit, ſe non peccaſſe. cum Chriſtum negauit: Iudæ non fuiſſe dimiſſum, quia crediderit ſe peccaſſe, neq; potuerit conſciẽtiam illam exuere, vt ex illis eius verbis cognoſcitur: Peccaui tradens ſanguinem iuſtum.

SEXTVM, poſſe hominem in hac vita ad ſummam perfectionem, & innocentiam peruenire, quia videlicet, ſi abiiciat omnes ſcrupulos, omni peccato carebit.

SEPTIMVM, Chriſtum nihil eſſe, niſi quiddã compoſitum ex Spiritu Dei, & opinione. Tunc autem mortuum eſſe Chriſtum, quando aboleuit illam opinionem, quod peccatum ſit aliquid: tunc verò ab inferis rediiſſe, & nos omnes in vitam reuocaſſe, cùm docuit, nos eſſe ipſum Dei ſpiritum, qui ſemper viuit, & regnat, neque aliam expectandam eſſe reſurrectionem.

OCTAVVM, licitũ eſſe ſimulare, ac diſſimulare omnia, & cum Catholicis Catholicè, cum Lutheranis Lutheranè viuere.

NONVM, Scripturas ſacras non eſſe magnificiendas, cùm ſpiritus ſufficiat. Portò ipſi Libertini nõ ſolùm Scripturas, ſed etiam Scriptores ſacros ita contemnebant, vt per contumeliam S. Ioannẽ iuuenem ſtolidum, S. Matthæum fœneratorem, S. Paulum vas confractum, S. Petrum Chriſti abnegatorem nominarent.

Quamuis autem horrendas iſtas blaſphemias, Caluinus deteſtari ſe dicat, & eas etiam (vt diximus) editis libellis refutare conatur: Omnino tamen probabile eſt, vt Anabaptiſtæ ex Lutheranis, ſic Libertinos ex Caluinianis promanaſſe. Nam in libris Caluini, & Magiſtri eius Zuinglij, ac diſcipuli eius Bezæ, necnon Martini Buceri, & Petri Martyris, qui in multis cũ Caluino conueniunt, inueniuntur apertiſſimæ ſententiæ, ex quibus colligitur Deum eſſe auctorem omnium ſcelerum, quæ ab hominibus perpetrantur.

Docuerunt idem olim Lutherus, & Melanchthon, vt perſpicuum eſt ex aſſertione art. 36. vbi Lutherus ſcribit neminem habere in poteſtate, vt cogitet bonũ, vel malum, & clarius ex commentario Melanchthonis in ca. 8. ad Rom. vbi legimus, ſic eſſe opus Dei, Dauidis adulteriũ & Iudę proditionẽ, vt Pauli vocationem. Cęterum vterque ſententiam retractauit. Nam Lutherus in lib. de viſitatione Saxonica agnoſcit, & docet liberum arbitrium in rebus ciuilibus tam ad bonum, quàm ad malũ, & Melanchthon in locis communibus anno M.D.XXXVI. editis, titulo de causſa peccati, ſtudioſè refellit ſententiã illam, quę refert in Deum actiones malas. Multi etiã Lutheranorum, vt Heshuſius, Caſtellio, & alij Caluini ſententiam de causſa peccati libris editis refutarũt. Quę ſit autem Caluini ſententia, in 3. cap. demonſtrabimus.

CAPVT II.

Explicatur ſtatus quæſtionis.

VIA præcipua controuerſia, cum Zuinglio & Caluino, & iis, qui in eodem errore verſantur, diſputanda eſt: operæpretium eſſe duxi, ſtatum quæſtionis breuiter explicare: nã ſi ſub his verbis controuerſia proponatur, an Deus ſit auctor malorũ, vel an peccare poſſit, vel ſit causſa, cur nos peccemus: nulla quæſtio erit. Siquidem illa omnia non ſolùm Catholici, ſed etiam Caluiniſta, & ipſi quoque Libertini negant.

De Libertinis id refert Caluinus in epiſtola ad Rotomagenſes aduerſus Franciſcanum quẽdam Libertinum, his verbis: *Conteſtatur*, inquit, *ſibi longè aliam eſſe mentẽ, ſed Deum mali auctorem facere nolle affirmat: ſed quid prodeſt eiuſmodi ſubterfugium in re tam aperta?* Itaq; Libertini, tametſi adulteria, homicidia, rapinas, & cætera hominũ ſcelera, atque flagitia in Deum referrent, negabant tamen ſe facere Deum auctorem malorum: quia videlicet non iudicabant illa eſſe mala, cùm à Deo fierent, qui nihil mali facere poteſt.

Zuinglius in ſermone de prouidentia, cap. 5. & 6. non ſemel repetit, Deum iniuſtum non eſſe, nec peccare vlla ratione poſſe. Ioannes verò Caluinus non vno in loco diſertis verbis affirmat Deum non eſſe auctorem malorum. Præfatione libri de æterna Dei prędeſtinatione: *Inter omnes pios*, inquit, *ſixum hoc, & confeſſum eſſe debet, non eſſe cur ſuis peccatis ſocium homines Deum adſcribant, vel vllo modo ſecum imuluant ad partem culpæ ſuſtinendam.* Et in fine eiuſdem libri: *Ergo* inquit, *cum iuſta de causſa licet nobis ignorà Domino procedant, quæ ſceleratè ab hominibus maleficia perpetrantur: etiam ſi rerum omnium prima causſa ſit eius voluntas, peccati tamen eum eſſe auctorem nego.* Et paulò pòſt: *Turpi quidem*, inquit, *& liberali calumnia nos grauãt, qui Deum peccati auctorem fieri obtendunt, ſi omnium quæ aguntur causſa eſt eius voluntas.* Et lib. 1. Inſtit. c. 17. §. 3. *Ad hanc modeſtiam*, inquit, *quicunque erunt compoſiti, neque in præteritum de rebus aduerſis contra Deum frement, neque ſcelerum cultam in ipſum regerent.* Et ibidem reprehendit Lyconidem, qui apud Plautum dicit: *Deus impulſor fuit, credo Deos voluiſſe.* Deniq; idem Caluinus in admonitione aduerſus Libertinos lõga diſputatione probare nititur Deum non eſſe causſam peccati. Petrus Martyr in Commentario 1. capitis epiſt. ad Rom. ſcribit quidem Deum verè, ac propriè impellere homines ad peccandum: tamen ſimul negat, Deum peccare, aut eſſe auctorem peccati.

Deinde Theodorus Beza tum in reſponſione ad Heſhuſium, tum in alia ad Caſtellionem, diligenter purgat ſe, & Caluinum ab illa nota, quod Deum auctorem peccati faciat. Ac (vt omittam cætera) in reſponſione ad Caſtellionem triginta & octo aphoriſmis explicat totã ſententiam ſuam, & præceptoris ſui Caluini. Eorũ apho riſmorum octauus ſic habet: *Non conſequitur ex iſtis vlla iſtarum blaſphemiarum, nempe vel Deum eſſe auctorem peccati, ſiue delectari iniquitate, aut etiam velle iniquitatem: vel Sathanã, aut homines male agendo, obedire Deo: aut quatenus male agunt, facere quod Deus vult. ac proinde eſſe extra culpam. Abſint verò quam longiſſimè omnes eiuſmodi blaſphemiæ non tantum à linguis ſed etiam à cogitationibus noſtris.*

Quare cum aduerſarij verbo fateãtur id quod Catholici docent: fruſtra laboremus in teſtimoniis Scripturæ, & Patrum adducendis, quibus probatur Deum non eſſe causſam peccati, niſi antea doceremus, eos re ipſa ſentire quod verbo proferri non audent: ideò nobis tria præſtãda erunt. Primò explicandũ, quid ipſi doceant de causſa peccati ex parte Dei: Secundò an ex eo quod ipſi docẽt, ſequatur, Deũ eſſe auctorẽ peccati: Tertiò, an ſit vera eorum ſententia, ac proinde, an Deus ſit auctor peccati.

CAPVT III.

Sententia Zuinglij, Caluini, Bezæ ex verbis ipſorum in medium adducitur.

QVOD igitur ad primũ attinet, ſententia Zuinglij, Caluini, & Bezæ de causſa peccati ex parte Dei quinque propoſitionibus comprehendi poteſt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PRIMA est, Deus non solùm permittit, sed etiam vult fieri quæcunque fiunt ab hominibus peccata. SECVNDA, Deus non solùm vult fieri, sed etiam ab æternitate decreuit, vt fierēt, quæcunq; fiunt ab hominibus peccata, idq; non præuisa determinatione voluntatis humanæ. Deus enim non decernit quidquam quia præscit futurum, sed præscit futura, quia ipse decreuit vt fierēt. TERTIA, Deus non solū ab æternitate decreuit, vt fierent quęcunq; fiūt ab hominibus peccata, sed etiā imperat Sathanæ, & improbis hominibus, vt concipiāt maleficia, eosque ad hoc inclinat, impellit, & etiam cogit. QVARTA, Deus non solùm imperat Sathanæ, vel eū inclinat, & impellit, vt homines ad peccandum inducat, sed etiam ipse operatur in mentibus hominum impiorum, & per eos, vt per sua instrumenta, ipse tanquam prima caussa facit ea omnia, quæ respectu hominum dicuntur, & sunt verè peccata. QVINTA, tametsi ea, quę respectu hominum dicuntur, & sunt verè peccata, fiant Deo volente, definiente, imperāte, & operante, tamen respectu Dei non possunt dici, nec sunt peccata, sed opera bona, & justa, quia homines mala intentione, Deus autem bono consilio illa omnia facit. Proinde Deus neq; ipse peccat, neq; est auctor, & caussa peccati Hanc esse Zuinglij, Caluini, & Bezę sententiā, ex ipsorū libris, & cōfessione facili negotio demōstrabimus.

PRIMVM igitur Zuinglius in serm. de prouidentia, quem scripsit ad Principem Cattorum Philippum anno M. D. XXX. has teterrimas, ac planè tartareas blasphemias habet. Nam cap. 5. ita loquitur: *Porrò iniustitiā in sese nobis ostendere Numen cùm nulla ratione posset, vt quod vndiq, verum, bonum, sanctum natura sit, per creaturam iustitiæ exemplum produxit, non quasi creatura illā suo marte produxerit, quæ nec est, nec viuit, nec operatur sine Numine, sed quod Numen ipsum auctor est eius quod nobis est iniustitia, illi verò nullatenus est.* Et infrà: *Cùm igitur Angelum transgressorem fecit & hominem, ipse tamen transgressor non constituitur.* Et cap. 6. *Quod Deus operatur per hominem, homini vitio vertitur, non etiam Deo.* Et infrà: *Vnum igitur, atque idem facinus, puta adulterium, aut homicidium, quantum Dei est auctoris, motoris, impulsoris, opus est, crimen non est: quantum autem hominis est crimen, ac scelus est.* Et infrà: *Cùm mouet ad opus aliquod, quod perficienti instrumēto fraudi est, sibi tamen non est, ipse tamen libere mouet, neque instrumento facit iniuriam, cum omnia sint magis sua, quàm cuiusque artificis sua instrumenta, quibus non facit iniuriam, si nunc limam in malleum, & contra malleum in limam conuertat. Mouet ergo latronem ad occidendum innocentem etiam, ac imparatum ad mortem.* Hæc ille.

Sed iam Caluinum audiamus. Is primū in lib. 1. Instit. cap. 17. §. 11. sic loquitur: *Verum vbi in memoriam reuocant diabolum, totamq; improborū cohortem sic omnibus partibus manu Dei tanquam fræno, cohiberi, vt nec concipere vllum aduersus nos maleficium, nec conceptum moliri, nec ad perpetrandū si maximè moliantur, digitum mouere queant, nisi quantum ille mandarit, nec compedibus tantum eius teneri ligatos, sed etiam ad obsequia præstanda fræno cogi, habent vnde se prolixè consolentur. Nā vt Domini est, eorum furorem armare, & conuertere destinarèque quo libuerit, ita & modum, finemq; statuere, ne pro sua libidine licentiosè exultent.* Hæc ille. In quibus verbis habemus tertiam propositionem, quam paulò antè notauimus in explicanda Caluini sententia. Hic enim disertis verbis Caluinus dicit, Deum non solùm permittere, sed etiam *mandare*, vt Sathā, & improbi concipiant maleficia, & ea moliantur aduersus probos, & furorem ipsorum armari, & destinari à Deo, quò ipse voluerit, & tandem cogi quasi fræno Sathanam, & impios ad obsequia præstāda, id est, vt iuxta Dei mandatū maleficia concipiant, & moliātur.

Rursus in eodem libro cap. 18. §. 1. *Abstrudū* inquit, *videtur volente, ac iubente Deo excæcari hominem, qui mox cæcitatis suæ pœnas daturus est tergiuersando ita effugiunt, Dei tantum permissu, non etiam voluntate hoc fieri, ipse verò palam se facere pronuncians effugium illud repudiat. Quod autem nihil efficiant homines, nisi arcano Dei nutu, nec quicquam deliberando agūt, nisi quod ipse iam apud se decreuerit, & arcana sua directione constituat, innumeris & claris testimonijs probatur.* Et §. 2. *Et certè*, inquit, *nisi intus operetur in mentibus hominum, non rectè dictū esset, auferre labiū a veracibus, & a sensibus prudentiam.* Et paulò post: *Sed nihil*, inquit, *clarius potest desiderari, quam vbi totes pronunciat se excæcare hominum mentes, ac vertigine percutere, spiritu soporis inebriare, incutere amentiam, obcæcare corda. Hac etiam ad permissionem mihi reijciunt, ac si de serendo reprobos, a Satana excæcari sineret. Sed cùm disertè exprimat spiritus, iusto Dei iudicio infligi cæcitatem, & amentiam, nimis frigida est solutio.*

Et paulò pòst, de scelerib. Assyriorū. *Apparet*, inquit, *certa destinatione Dei fuisse impulsos.* Et infrà: *Dicitur etiam idem Satan excæcare infidelium mentes: sed vnde hoc nisi quod à Deo ipso manat efficacia erroris vt mendacijs credant, qui remūt parere veritati.* Et §. 4. *Homo*, inquit, *iusto Dei impulsu agit, quod sibi non licet.* Ex his habemus quatuor priores propositiones, audimus enim Deum non solùm permissione, & desertione, sed voluntate, decreto, impulsu, præcepto, interna operatione efficere, vt homines cogitent, deliberent, agant quæ sibi non licent.

Idem auctor lib. 2. Instit. c. 4. §. 2. *Satan*, inquit, *alios qui prauos Chaldæorum annos venenatis suis aculeis ad perpetrandum id flagitium instigat: illis ad iniustitiam furiose ruunt, omnidque membra scelere obstringunt, ac contaminant. Proprie ergo agere dicitur Satan in reprobis, in quibus regnum suū, hoc est, nequitiæ, exercet. Dicitur & Deus suo modo agere quod Satan ipse, instrumentum cùm sit iræ eius, pro eius nutu, ac imperio, huc, atque illuc se inflectit ad exequenda eius iusta iudicia. Omitto hic vniuersalem Dei motionem, vnde creaturæ omnes vt sustinētur, ita efficaciam quidquis agendi ducunt, de illa speciali actione tantū loquor, quæ in vno quoque facinore apparet. Idem ergo facinus Deo, Satanæ, homini assignari, videmus non esse absurdum.*

Rursus §. 3. posteaquam dixerat Caluinus, Deum posse dici excæcare homines dēserendo, adiungit aliā rationem his verbis: *Secunda ratio, quæ multo propius accedit ad verborum proprietatē. quod exequenda sua iudicia per ministrum iræ suæ Satanā, & consilia eorū destinat, quo visum est, & voluntates excitat & conatus firmat.* Et §. 4. *Posteà*, inquit, *dicit se aggrauasse cor illius & indurasse. an induratio non emolliendo? id quidē verum est: sed plus aliquid facit, quod obstinatione pectus eius obfirmandum Satanæ mandauit.* In his locis tertia propositio apertissimè continetur. Audimus enim specialē illā actionem, quæ in facinore cernitur Deo auctori tribuendā esse, quòd ipse per ministeriū Satanę voluntates impiorum excitet ad malum, & corda eorum obduret, ne obediant, &c.

Idē auctor in 3. lib. Instit. c. 23. §. 4. ita sibi ipse obiicit: *Nomine*, inquit, *ad eam, quæ nunc pro damnationis caussa obtenditur, corruptionem, Dei ordinatione prædestinati antè fuerant? cùm ergo in sua corruptione pereunt, nihil aliud, quàm pœnas luūt eius calamitatis in quā ipsius prædestinatione lapsus est Adam, ac posteros præcipites secū traxit. an non itaque iniustus, qui creaturis suis tam crudeliter illudit?* Huic obiectioni ita respondet: *Fateor sanè, in hanc, qua nunc illigati sunt, conditionis miseriam, Dei volūtate decidisse omnes filios Adam. atque, id est, quòd principio dicebam, tenendum tandē semper esse ad solum diuinæ voluntatis arbitrium, cuius caussa sit in ipso abscondita.* Et §. 7. *Diserūs* inquit, *verbis hoc extare negant, decretum fuisse à Deo, vt sua defectione periret Adam, quasi verò idem ille Deus, quem Scriptura prædicat fucere quæcunque vult, ambiguo fine condiderit nobilissimam ex suis creaturis.*

Et paulò pòst: *Decretum quidem*, inquit, *horribile fateor: inficiari tamen nemo potest, quin præscierit Deus quem exitum esset habiturus homo, antequam ipsum conderet, & ideò præscierit, quia decreto suo sic ordinauerat.* Et §. 8. *Quanquam*, inquit, *nec ipsum quidem probabile est, sola Dei permissione, nulla ordinatione hominem sibi accersisse interitum.* Et paulò pòst: *Cadit igitur homo, Dei prouidentia sic ordinante.* Et §. 9. *Excusabiles*, inquit,

inquit, *peccando haberi volunt reprobi, quia euadere nequeunt peccandi necessitatem: præsertim cum ex Dei ordinatione sibi inijciatur huiusmodi necessitas. Nos verò inde negamus rite excusari, quandoquidē Dei ordinationi, qua se exitio destinatos cōqueruūtur, sua constet æquitas: nobis quidem incognita, sed illi certissima.*

Ex his locis satis apertè colligūtur prima, & secunda propositio Caluiniani erroris. Disertis enim verbis non semel Caluinus repetiit, non solùm Dei permissione, sed voluntate, ordinatione, prædestinatione primum hominē lapsum esse, & quia Deus id voluerat, & ordinauerat, ideò etiam prescisse, nec solùm primum hominem, sed omnes eius posteros ex Dei prædestinatione incidisse in peccandi necessitatem.

Porrò hæc omnia iterum repetit, & copiosiùs etiam tractat in lib. de æterna Dei prædestinatione. Quia verò liber eius valdè prolixus est, neque distinctionē vllā habet capitum, aut sectionum aliarū, citabo numerum paginarum iuxta editionem opusculorū Geneuensem anni M. D. L II. in fol. Sic igitur loquitur pag. 905. *Arcanum Dei consilium, quo præordinatus fuerat hominis lapsus, qua decet sobrietate procul adoret fides nostra.* Et pag. 906. *Ad iustam hominis damnationem satis erat in via salutis cùm esset collocatus, inde sponte excidisse. At fieri aliter non potuit. Quid tumē? an ideò culpa liberatur, quæ tota in eius voluntate residet?* Vides lector hoc loco, Caluinum concedere, non potuisse hominem non cadere, quia æterno Dei decreto fuerat iam eius casus præordinatus.

Rursus pag. 616. *Non nisi sciente, atque ita ordinante Deo cecidit Adam, sed, & posteros perdidit.* Et pag. 917. *Quomodo autem Dei præsentia, & decreto statutum fuerit, quod de homine futurum erat: neque tamen in culpæ societatem trahēdus sit Deus, quasi trāsgressionis vel auctor sit, vel approbator, cùm longè altius humanæ mentis perspicacia esse arcanum palam sit, ne ignorantiam nostram fateri pudeat. Immò ne quem ex fidelibus nescire pigeat quod Dominus lucis suæ inaccessa fulgore absorbet.* Hoc verè Caluinus dixit, inexplicabile, vel potius inintelligibile esse, quomodo Deus non sit auctor peccati, si eius decreto primus homo peccauit. Nam, vt paulò pòst demonstrabimus, apertissimè falsum est, Deum nō esse auctorē peccati, si eius decreto homines peccāt, quod autē falsum est, mirum nō est, si explicari, & intelligi nequeat.

Rursus pag. 944. *Hinc certe iā colligere promptum est, quam inane & fluxum sit illud diuinæ iustitiæ patrocinium, quæ mala sunt, non eius voluntate, sed permissu duntaxat fieri: equidem quatenus mala sunt, quæ malo animo perpetrant homines, vt statim planius exponam. Deo minimè placere fateor: sed quod ociosum ea permittere fingunt, quæ Scriptura non tantum eo volente, sed auctore fieri pronunciat, nimis friuolum est effugium.* Et pag. 946. *Ergo cum iusta de caussa licet nobis ignota, à Domino procedant, quæ sceleratè ab hominibus maleficia perpetrantur, etiamsi rerū prima caussa sit eius voluntas, peccati tamen eum esse auctorem nego. Nec verò obliuione tegenda est illa, quam posui caussarum diuersitas, quod alia est propinqua, alia autem remota caussa: vt sciamus quàm longa inter æquabilem Dei prouidentiam, & turbulentos hominum impetus, sit distantia.* Hæc ille. Ex quibus habemus primam, secundam, & quintam Ioannis Caluini propositionem.

Sed eandem quintā propositionem fusiùs & apertiùs explicat idem Caluinus in instructione aduersus Libertinos, cap. 14. vbi posteaquā dixerat, in omni opere tàm bono, quàm malo esse homines instrumēta Dei, subiungit hæc verba: *Magna est differentia inter opus Dei, & opus impij, cum eo Deus vice instrumēti vtitur. Impius enim sua auaritia, aut ambitione, aut inuidia, aut crudelitate incitatur ad scopum suum, nec alium finem spectat, ideò ex radice illa, id est, ex animi affectione, & fine quem spectat, opus qualitatem sumit, & merito malum iudicatur, sed Deus respectum omnino contrarium habet, nempe vt iustitiam suam exerceat, &c.* Et infrà, similē esse dicit Deū soli, qui radiis suis in cadauere corruptionem generat, & tamen impuritatem nullam ad se trahit.

Addam nunc etiam Theodori Bezæ testimonia, vt ex acte intelligatur, quid Caluinus, & eius sectatores de hac re sentiant. Is igitur in responsione ad Sebastianum Castellionem de æterna Dei prædestinatione, in refutatione secundæ calumniæ ita loquitur de casu Adami: *Deus hominem conditurus ad gloriam tum misericordiæ, tum seueritatis suæ declarandam, Adamum condidit ad imaginem suā, id est, sanctum ac innocentem. Cur nam id verò? nempe quia bonus cum sit, non potest ab eo vitiosum quicquam creari: vitiosi autem sint oportet tum quorum constituit misereri, tum etiam quos iustè decreuit gloriæ suæ caussa condemnare. Ideò oportuit Adamum condi sanctum innocentem, sed qui sua sponte, & sine vlla Dei culpa vitiosus falsus viam patefacere æternis Dei consilijs, id est, tum misericordiæ, tum seueritati ipsius declarandæ. Oportuit ergo Deum quoque hanc vnicam viam sibi aperire, id est, Adami lapsum ordinare, sed ad eum, quem dixi finem, qui cum sit iustissimus, & sanctissimus, iustam quoque ipsius ordinationem esse cōsequitur.* Et paulò pòst: *Quærenda*, inquit, *est vnde origo instrumentorum spontaneo motu, quo fit vt Deus iuste decreuerit, quod illi iniustè fecerunt. At enim dices, Non potuerunt resistere Dei voluntati, id est, decreto fateor: sed sicut non potuerunt, ita etiā noluerunt. Verum nō poterant aliter velle. Fateor quoad euentum, & ἐνέργειαν, sed voluntas tamen Adami coacta non fuit.*

Idem Beza paulò pòst explicat sententiam Caluini, & suam triginta octo aphorismis ac in primis septēdecim nihil aliud docet, nisi Deum esse caussam primam omniū rerum, quæ fiunt, & determinasse omnia ab æterno ante omnem prouisionem determinationis secūdarum caussarum. Secundas autem caussas, siue eæ sint rationis expertes, siue ratione præditæ, in omni opere suo esse instrumenta Dei. Vbi (vt ostendat Deum nō esse caussam peccati) multa tradit de instrumentorum varietate. Ac tandem subiicit quinq; aphorismos 18. 19. 20. 21. & 22. in quibus cōsistit totius rei summa, quos iisdem verbis huc referre placuit.

Aphorismus XVIII. *Iam igitur ista ad Deum ipsum accommodemus, cuius efficacitatem ante probauimus vt omnibus, quæ fiunt, interuenire sine vlla exceptione: & ita quidē, vt per ea, quæ condidit tanquam per instrumenta, exequatur suo tempore quicquid ab æterno decreuit.*

Aphorismus XIX. *Quicquid agit Deus, bonum est, cum à summo bono nihil mali possit proficisci: omnia autem efficit, omnia igitur bona sunt, quatenus à Deo efficiuntur: & discrimē illud boni, & mali in instrumentis duntaxat locum habet.*

XX. *Nam si hæc instrumenta bona sunt, & respiciunt patefactam Dei volūtatem, benè agunt, & Deus quoque benè agit per illa. Quo fit vt id opus omnibus modis sit bonum.*

XXI. *Mala autem instrumenta, mala, inquam, non ex creatione, sed ex corruptione, quatenus quidem agunt, malè semper agunt, idcòque iustè incurrunt in iram Dei: quatenus autem Deus per illa agit, bono Dei operi, vel inuito, vel per ignorātiam seruiūt. Nam Deus, per quæcunque agat instrumenta, semper benè agit.*

XXII. *Sic autem agit per illa instrumenta, vt non tantum sinat illa agere, nec tātum moderetur euentum, sed etiam excitet, impellat, moueat, regat atque adeò, quod omnium est maximum, etiam creet, vt per illa agat quod constituit. Quæ omnia rectè agit Deus, & sine vlla iniustitia.*

Atque hæc quidem omnino sufficerent ad sentētiam Caluini, & Bezæ intelligendam. Addam tamen adhuc vnum aphorismum, vt ex eo discamus quàm acutè Beza de his rebus disserere soleat. Sic igitur loquitur in aphorismo. 31. *Agit*, (Deus) *sui operis respectu*: permittit verò eius operis respectu, quod mala ipsa instrumenta sponte peragunt, siue quatenus actiua sunt, non passiua instrumenta, vt usitata in scholis verba retineamus. *Iustè tamen permittit, quod ista iniustè agunt, quoniam peccata, quatenus à Deo nolente permittuntur, peccata non sunt, sed peccatorum pœnæ. Iustum enim est coram Deo peccata etiam peccatis vlcisci. Sed ista eadem actiones, quatenus à Sathana, & à malis per Sathanam, & per propriam concupiscentiam solicitatis proficiscuntur, eatenus demum peccata*

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt, quæ Dominus iuste suo tempore vlciscitur. Nunquam enim Dominus peccata quatenus peccata sunt, permittit, immò semper prohibet, ac vetat.

Sequuntur autem ex hoc elegãti aphorismo tria quędam notatu dignissima. Primo sequitur, ea quæ fiunt ab instrumentis malis, sub eadem ratione permitti, & non permitti. Nã quæ fiunt ab instrumentis malis, quatenus ea instrumenta actiua sunt, non fiunt à Deo, sed permittuntur, vt habet initium aphorismi huius 31. & illa eadem, sub eadem ratione, id est, vt fiunt ab instrumentis malis, quatenus ea instrumenta actiua sunt, non permittuntur à Deo. Deus enim peccata nõ permittit, sed prohibet, vt habet finis eiusdem aphorismi, peccata autem sunt ea quæ fiunt ab instrumẽtis malis, quatenus actiua sunt, vt habet aphorismus 21. Igitur eadem opera sub eadem ratione permittuntur, & non permittuntur.

SECVNDO sequitur, eadem illa opera sub eadem ratione esse peccata, & non esse peccata. Nam quæ fiunt ab instrumẽtis malis, quatenus ea actiua sunt, mala sunt, id est, peccata, vt docet aphorismus 21. Sed rursus illa B eadem sub eadem ratione peccata non sunt, Deus enim peccata nõ permittit, sed prohibet, vt docet aphorismus 31. permittit autem opera quæ fiunt ab instrumẽtis malis, quatenus actiua sunt, vt docet idem aphorismus, igitur eadem opera sub eadem ratione peccata sunt, & peccata non sunt.

TERTIO sequitur, instrumẽta mala, quatenus actiua sunt inuito Deo, vel ignorante operari. Nam vel nouit Deus quid illa agant, vel ignorat. Si ignorat, igitur ignorante Deo instrumẽta Dei opera sua perficiunt. Si nouit: aut consentit, aut repugnat, aut permittit: neq; fingi potest quartum membrum, nam qui permittit, medius est inter consentientem, & repugnantem. Quocirca S. Augustinus in Enchiridio cap. 95. scribit, nihil omnino fieri posse, nisi Deo, vel faciente, vel permittente. Nam eo repugnante nihil fieri posse extra controuersiam esse credidit. At per aphorismum Bezæ, quæ fiunt ab instrumẽtis malis, quatenus actiua sunt, Deo nec agente, nec per- C mittente fiunt, quia peccata sunt, & Deus peccata nec facit, nec permittit. Igitur ea Deo, vel ignorante, vel repugnante fiunt.

CAPVT IIII.

Ex sententia Zuinglij, Caluini, & Bezæ rectè colligi, Deum esse auctorem peccatorum quæ à nobis fiunt.

EXPOSITA sententia Zuinglij, Caluini, & Bezæ de caussa peccati ex parte Dei, sequitur vt probemus ex ea sententia rectè colligi, Deum esse auctorem peccati, quamuis id ipsi, ne inuidiam tam horribilis blasphemiæ subeãt, nec palam affirmare audeãt, & non rarò dissertis verbis inficiẽtur. Ac vt sit clarior disputatio & impietas aduersariorum magis eluceat quatuor absurda, & blasphema ex sententia aduersariorum sequi demonstrabo. Primum enim erit, Deum verè, & propriè esse auctorem peccatorum quæ fiunt ab hominibus. Secundum, propriè, & verè Deum peccare. Tertium, Deum solum verè peccare. Quartum, si hæc negentur, veram fore Libertinorum sententiam, quę habet, nihil esse peccatũ, nisi falsam opinionem. Ex quibus intelligetur absurdissimum dogma Libertinorum, quod ab ipso Caluino refutatum est, ab eiusdem Caluini doctrina, tanquam à radice surculum germinasse.

Veniamus ad primum. Deus (ex sentẽtia aduersariorum) impellit homines ad peccandum, atq; adeò cogit eos peccare. Sic enim Zuinglius scribit in serm. de prouidentia, cap. 6. *Nec dicet quispiam, Innocẽs igitur est latro, Deo enim impulsore egit. Nam contra legem peccauit. At, inquies, coactus est ad peccandum. Permitto, inquam, coactum esse, sed in hoc vt & alter transferretur, & alter cruci adfigeretur.* Vbi fatetur Zuinglius, cogi latronem à Deo ad homicidium, sed ad eum finem, vt occisus à latrone transferatur ad cœlum, & ipse latro ex sententia iudicis affigatur in cruce. Sic enim seipse exponit.

Caluinus sic loquitur lib. 1. Instit. c. 18. §. 4. *Homo iusto Dei impulsu agit quod sibi non licet.* Et suprà cap. 17. §. 11. dixerat, impios à Deo cogi quasi fræno vt maleficia concipiant, & moliantur. At qui impellit. & cogit aliũ ad opus quodcunq; faciẽdum, eiusdẽ operis auctor primarius est, & dicitur apud omnes gentes: neq; finit vllo modo naturale lumen intelligentiæ nostræ insitum hoc negari: igitur Deus ex sententia aduersariorum, auctor primarius est eorũ peccatorũ, quæ ab hominibus perpetrãtur.

Rursus Deus ex sentẽtia aduersariorum iubet Sathanæ, & impiis, vt maleficia concipiant, & molliatur., vt in loco proximè citato, idem Caluinus scribit: At opus quodcunq;, ex cõmuni consensu omnium gentiũ, magis pertinet ad imperantem, quàm ad exequentem: igitur Sathanæ, & impiorum maleficia magis pertinent ad Deum, vt auctorẽ, quàm ad ipsos impios, & Sathanam.

Ad hæc, impij dum peccant instrumenta Dei sunt, vt passim in locis citatis Caluinus, & Beza testantur. At qui vtitur instrumẽto, auctor est primarius eius operis, quod ipse per instrumentũ facit: igitur Deus ex sententia Caluini, & Bezæ auctor est primarius omnium peccatorum.

Denique Deus ab æternitate voluit, & decreuit, vt prius homo caderet in peccatũ, non ante præuisa determinatione voluntatis humanæ, sed ex mero, & absoluto beneplacito suo, vt Caluinus docet lib. 3. Instit. cap. 23. & in libro de prædestinatione, quæ loca suprà fusè citauimus. At si Deus permisisset primo homini, vt staret, vel caderet pro arbitrio suo, & non potius efficaciter procurasset vt caderet, facilè decretũ illud frustrari potuisset: igitur necesse fuit, vt Deus primi hominis casum efficaciter procuraret, atque adeò primo homini peccandi necessitatẽ iniiceret. Quod ipsum libẽter Caluinus admittit in locis citatis. At qui procurat, & quidẽ efficaciter, vt aliquis peccet, is eius peccati verissimus auctor dici debet, nisi cum ipso naturę lumine pugnare velimus: igitur Deus ex Caluini sentẽtia, verissimꝰ auctor peccati, quod primus homo commisit, haberi potest, ac debet.

Hæc argumenta, quæ partim ex aduersariorum pronuntiatis, partim ex certissimo lumine naturæ, & cõsensu, confessioneq; omnium gentiũ contexta sunt, non difficulter Zuinglius, & Caluinus vnica distinctione sibi videntur eludere. Dicunt enim Deum impellere, & cogere impios ad scelera concipienda, & molienda, sed ea non esse scelera quatenus fiũt Deo im- pellente, & cogen- D te, sed quatenus procedunt à mala impiorum voluntate, & ideò, nó Deum, sed ipsos impios esse auctores scelerũ suorum. Pari ratione dicunt Deum iubere impiis, vt scelera concipiant, item esse impios instrumenta Dei, & denique Deum efficaciter procurare, vt homines cadant: sed opera illa impiorũ non posse dici, neque peccata, qua parte à Dei mandato, prouidentia, vel motione procedunt, sed ea solum ex parte, qua sunt ipsorum instrumentorum, id est, hominum impiorum opera.

Cur autem mala sit voluntas hominis, quæ flagitium eligit, non autem sit mala voluntas Dei, quæ idem flagitium eligi voluit: siue cur in eodem opere, bona sit voluntas Dei, mala voluntas hominis, tres causssas reddũt. Vna est, quia natura humana vitio primi hominis tota corrupta est, sed ista ratio (quam alio loco copiosiùs refutabimus, non soluit quæstionem. Nam peccatum primũ primi hominis, vt etiam peccatum primum Sathanæ, non ortum duxit ex aliqua præexistente naturę corruptione, vt aduersarij confitentur. Ex quo etiam refellitur alia ratio, quæ adferri posset, CurD eus non sit auctor peccati, quia videlicet non velit peccatum vt culpam, sed vt pœnam

nam alterius peccati. Nam ista ratio non potest habere A locum in primo peccato primi hominis, & Angeli, quod cùm fuerit primum, nullius præcedentis peccati pœna esse potuit.

Quærimus igitur cur in eodem opere mala fuerit voluntas primi hominis ante naturæ humanæ depravationem, & ante alium lapsum, Dei autem voluntas non fuerit mala. Ergo prima illa ratione omissa secundam adhibent, quam etiam multis in locis vsque ad nauseam repetunt. Scribunt enim Dei voluntatem esse bonam, dum ad flagitia impellit, vel ea iubet, aut procurat, aut per impios, tanquam per sua quædam instrumẽta perficit, quia bonum finem Deus propositum habet. Vult enim homines peccare, vt habeat quos iustè damnet, & quorum liberaliter misereatur, vt ea ratione iustitiæ misericordiæque suæ gloriam manifestet.

Porrò impiorum voluntatem esse malam, quia in illo B ipso opere, quod imperante, impellente, & mouẽte Deo faciunt malum finem spectãt, videlicet vt libidinẽ suam expleant, non vt gloriæ Dei seruiãt. Hanc rationem reddit Zuinglius in serm. de prouidentia, ca. 6. *Quod* inquit, *Deus facit, libere facit, alienus ab omni affectu noxio, igitur & absque peccato. vt adulterium Dauid, quod ad auctorem Deum pertinet, non magis, Deo fu peccatum, quam quod taurus totum armentum ascendit, & implet, &c.* Eandem rationem reddit Caluinus lib. 1. Instit. cap. 17. §. 5. & in lib. de eterna Dei prædestinatione pag. 946. & in instruct. aduersus Libertinos, cap. 14. & Beza in responsione ad Sebastianũ Castellionem, in refutatione secundę calumniæ, & in aphorismis, vt suprà citauimus. Sed hanc eorum doctrinam, quæ totius erroris fundamentum est, nullo negotio solidissimè possumus refutare.

PRIMVM enim doctrina Apostolica est, non esse fa- C cienda mala, vt veniant bona, Rom. 3. non igitur bona intentio, & finis bonus animo conceptus id efficere potest, vt liceat ea facere, quæ per se intrinsecè, & ex obiecto mala sunt. Alioqui reprehẽdi non deberet, qui caussa eleemosinæ furtum faceret; neque is, qui priuata auctoritate hominem interficeret, ne is exemplo, aut facto suo aliis noceret: neq; ille, qui suscipiẽdæ prolis gratia committeret adulterium. Siquidem isti omnes bonum finem spectarẽt. Quod si hominum furta, homicidia, adulteria verè peccata sunt, & homines eorum scelerum auctores iustissimè puniuntur, tamẽsi bona intentione facta esse, re vera dicantur, & sint: cur Deus eorundem operũ auctor ob solam intentionem bonam excusandus erit? fallitur igitur aduersarius & quia mala intentio vitiat opus alioqui bonum, perperam ipse colligit opera mala ex intentione bona iustificari. Nam opus bonum nascitur ex integra caussa, malum autem ex quouis defectu oriri potest. Id quod nemo ignorat qui vel prima moralis philo- D sophiæ rudimenta didicerit.

DEINDE quæram ab aduersario, vtrum mala hominis intẽtio sit à Deo, nec ne. Nam si malæ intentionis est auctor Deus, sequitur omnino peccati auctorẽ esse Deũ. Quomodo enim non est auctor peccati, qui non solùm actionis malę auctor est, sed etiam ipsius intentionis malæ, vnde habet actio, Caluino, & Beza doctoribus, vt sit mala, & peccatum propriè nominetur? porrò Deum intentionis malæ auctorem esse, negare nõ possunt aduersarij, nisi secum ipsi manifestè pugnare velint. Nam si Deus, vt ipsi volunt, impellit homines ad peccatum, & peccatum non est sine mala intentione, certè impellit etiam ad malam intentionem. Et si ab æternitate decreuit ad misericordiam, & iustitiam suam ostendendam, vt homo peccaret, & peccatum non est peccatum, nisi mala intentione fiat, neque potest ex misericordia verè remitti, aut ex iustitia verè puniri, nisi verè peccatum sit, hoc est, nisi mala intẽtione fiat, manifestè sequitur, Deum ab æternitate voluisse, & statuisse, vt homo mala intentione A operaretur, & eo modo caderet. Et quia decretũ Dei nõ debet esse incertum, neque ab arbitrio creaturæ pendere, oportuit ipsum Deum efficaciter procurare, vt homo mala intentione operaretur, & non minus intentionis malæ, quàm ipsius operis auctorem esse.

TERTIA ratio propria est Zuinglio, qui ideò tradit malam esse hominis voluntatem in opere malo, Dei non malam, quia Deo non est posita lex, homini autem posita est, proinde in eodem opere voluntas homini transgreditur legem, & mala est, Dei voluntas non transgreditur, & mala non est. Sic enim loquitur in eodem serm. de prouident, cap. 6. *Quod* inquit, *Deus facit non est peccatum, quia non est contra legem, illi enim non est lex posita, vtpotè iusto: nam iustis non ponitur lex iuxta Pauli sententiam. Vnum igitur, atque idem facimus, puta adulterium, aut homicidiũ, quantum Dei est auctoris, motoris, ac impulsoris, opus est, crimen non est, quantum autem hominis est, crimen ac scelus est. Ille enim lege non tenetur, hic autem lege etiam damnatur.* Et suprà c. 5. *Cum* inquit, *Deus Angelum, vel hominem transgressorem facit, ipse tamen non transgreditur, vt qui contra legem non veniat. Non est igitur peccatum quod Deus fecit, sed homini, atque Angelo est, illos enim lex premit, atque accusat. Deo cum creaturis suis liberè licet agere, non minus quam patrifamilia cum rebus suis, quàm figulo cum luto. Vicunque igitur creaturam huc impellat, aut illuc agat, tantum abest vt peccet, vt hæc citra insigne bonum non faciat cùm interim homo, cui lex est præfixa: etiam cum impellitur, peccet, aduersus enim legem operatur.* Hæc ille.

Sed hæc Zuinglij doctrina sibi ipsa repugnat, & euidentissimè refutatur. Primum, si Deus impellit hominem ad adulterium (vt ipse dicit) quemadmodum artifex instrumentum ad opus, vult igitur vt homo sibi pareat in adulterio perpetrando, quẽadmodum vult artifex vt sibi C pareat instrumentum in opere faciendo, proinde ille impulsus Dei est præceptum, & lex, quam homo implere tenetur, vt instrumentum tenetur obsequi artifici, à quo mouetur. Ergo homo impulsus à Deo, adulterium committens præuaricatur, & non præuaricatur Dei legem, peccat, & non peccat. Et Deus illum impellens vult eum seruare, & non seruare legem, peccare, & non peccare.

DEINDE, licet Deo non sit lex posita ab aliquo superiore legislatore, tamen sua sapientia ipsi est lex, & (vt ipse Zuinglius ibidem docet) quod nobis est lex, Deo est ingenium, & natura. Non minus ergo tenetur Deus, non repugnare ingenio, sapiẽtię & naturæ suæ, quàm teneantur homines non repugnare legi Dei. Quare si Deus impelleret homines ad ea, quæ sunt contraria legi æternæ, ac proinde ingenio, & sapientiæ Dei, quale est adulteriũ, mala esset eius voluntas, quippe quæ repugnaret regulæ rectæ diuinæ sapientiæ, & Deus seipsum negaret, quod nullo modo fieri potest, vt Apostolus ait.

TERTIO, Deo non est lex posita ex sententia Zuinglij, quomodo iusto non est lex posita. At iusto non est lex posita, quæ eum terreat, quia spõte sua legem seruat: non autem quia non peccet, si fortè cõtra legem aliquid faciat. Nam Ezech. 18. Dominus testatur, iustum planè peccaturum, & damnandum, si fecerit ea, quæ sunt lege prohibita. Igitur eodem modo Deo non est lex posita, quia sponte sua, immò ex natura sua semper conformis est voluntas eius sapientiæ ipsius: non quod liceat Deo seipsum negare ad ea homines impellẽdo, quæ repugnãt æternæ legi, quæ est ipsa Dei infinita ratio, & sapientia.

QVARTO, non potest vllo modo fieri, vt homo Deo impellente faciat quod lege Dei prohibitum est, & tamẽ Deus impellens non sit auctor criminis, sed operis. Nam quid aliud est crimen, nisi patratio operis lege Dei prohibiti? quomodo igitur Deus non est auctor criminis si est auctor operis lege diuina prohibiti? & quomodo Zuinglius dicit à Deo factum esse hominem, & Angelũ transgressorem legis, si Deus non est auctor transgressionis, sed operis tantum? Omitto hic quãta sit impietas docere,

Universidad de Deusto
Biblioteca

à Deo puniri homines, quia faciant ea, quæ Deus ipse co- A
git vt faciant. Habemus igitur ex Zuinglij, Caluini, & Bezæ sententia rectissimè colligi, Deum verè ac propriè auctorem esse peccati, tametsi ipsi verbo id negent.

CAPVT V.

Ex Zuinglij, Caluini, & Bezæ sententia sequi, Deum vere, ac propriè peccare.

SEQVITVR nunc, vt probemus, Deum ex sententia aduersariorum, non solùm esse peccati auctorem, sed verè, ac propriè peccare, quæ est blasphemia horribilis, & quã ne ipsi quidem Libertini liberè proferre audent. Sciendum est igitur, ad hoc, vt aliquis verè ac propriè peccet, non id requiri, vt is velit peccatum sub ratione peccati, id est, eligat ipsam peccati turpitudinem, atque malitiam, sed vt sit caussa actionis malæ, quatenus ex ipsa actione consequitur ea malitia. Nullus enim est, B
qui velit malum sub ratione mali, cùm malum sit extra obiectum volũtatis, & nihil habeat vnde appeti, eligi ue possit. Itaque facinorosi omnes in peccatis non ipsam peccati turpitudinem, sed bonũ aliquod, vt lucrum, aut voluptatem spectant: sed ideò verè ac propriè peccare dicuntur, quia lucrum, aut voluptatem quærunt per actionem, cui est annexa turpitudo, & eius actionis ipsi caussa sunt, non quocunque modo, sed vt ex illa actione necessariò sequitur turpitudo. Hinc enim fit vt peccati turpitudo ipsis iure, ac meritò tribuatur.

Portò tria requiruntur vt ad actionem aliquam turpitudo sequatur, ac per hoc tria requiruntur, vt aliquis verè ac propriè peccare dici possit. Primum est, vt actio repugnet legi siue positiuę, siue naturali, siue temporali, siue æternæ. Nam vt libro superiore docuimus ex Scriptura, & Patribus, nihil est aliud peccatum, nisi præuaricatio legis. Denique extra cõtrouersiam est, actionẽ non esse malam, quæ nulli legi repugnet. Proinde extra controuersiam etiam esse debet, quod primo loco posuimus, requiri in actione, ad quam sequitur turpitudo, vt alicui legi repugnet.

ALTERVM est, vt ea actio à caussa libera efficiatur. Hæc enim sola ratio est, cur animãtia brura, pueri, stulti, dormientes non peccent quamuis ea faciãt, quæ alioqui cum regula rectæ rationis apertissimè pugnant, vt si hominem interimant, aut blasphemum aliquid proferant (nam & psitaci, & corui interdum ad loquendum assuefiunt) aut res sacras turpiter fœdent, aut aliquid aliud eiusdem generis perpetrent.

TERTIVM, quod ad veram peccati rationem exigitur est, vt, qui actionem cum lege pugnantem facit, non solùm liberè faciat, sed etiã faciat vt caussa particularis, ita vt actio talis sit in specie, quia à tali caussa procedit, D
quia enim caussa vniuersalis limitatur, ac determinatur à caussa particulari, & ex se indifferens est ad hanc actionem, & ad illam, non potest rectè dici hanc actionem esse talẽ in specie, quia est à caussa vniuersali, sed solũ quia est à tali caussa particulari. Et quoniam deformitas illa, quæ cernitur in peccato, consequitur actionẽ, vt est talis in specie. Ideò non potest ea deformitas in caussam vniuersalem, sed solùm in particularem propriè referri. Certè cùm oriuntur monstra siue in hominibus, siue in animantibus bruis, nemo dicit caussam monstrositatis, quę est quoddam naturæ peccatum, referendam esse in cœlum, aut aliam caussam vniuersalem, sed solùm in caussas propinquas, cœlum enim influxu suo non magis produceret hominem, quàm equum, aut plantam, & si hominem, non magis istum, quàm illum, nisi à caussa particulari determinaretur. Proinde monstrositatis, quæ in homine cernitur, caussa est alter homo, qui hominem illũ genuit, non cœlum, quod influxum præstitit eiusmodi vt cum eo perfectus homo gigni potuisset, nisi in caussa proxima impedimentum extitisset.

IAM igitur, si Deus concurrat cum homine ad actionem illam, quæ peccatũ est, solùm vt caussa vniuersalis, facilè poterit intelligi quomodo & actionis illius caussa sit, & caussa peccati non sit. Erit enim verè caussa actionis, quia verè concurret ad substantiam, siue entitatem (vt sic loquamur) actionis illius producendam, & tamen caussa peccati non erit, quia concurret influxu quodam vniuersali, & indifferenti ad hanc actionem, & ad cõtrariã, ac per hoc nõ erit talis actio in specie, quia à Deo, sed quia ab homine prodit: & tota culpa erit hominis, qui concursu Dei abuti voluit ad istã actionem, cùm ad aliã benè vti potuisset. Qua ratione etiam non dicitur Deus caussa peccati, quod libera hominis voluntate committitur, licet liberam volũtatem homini ipse dederit, eamque conseruet, quia videlicet, libera volũtate potest homo benè vti si velit, & eam illi Deus ideò dedit, vt ea benè vteretur, non vt illa in suam perniciem, & donatoris iniuriam abuteretur.

Quod si Deus non solũ, vt caussa vniuersalis ad eas actiones, quæ malæ sunt, concurrat, sed etiã vt caussa particularis eas, vt tales sunt in specie, intendat, easq; imperet, vel ad eas hominẽ impellat, vel per homines, vt per instrumenta, actiones illas in specie efficiat: nullo modo intelligi poterit, quemadmodũ Deus ipse non peccet. Non enim homines alia de caussa peccare dicũtur, & vere, ac propriè re ipsa omniũ consensu peccant, nisi quia sunt caussę liberæ, & particulares earũ actionũ, quę cum ratione, arq; ęterna lege pugnant. Deformitas enim illa, & malitia, in qua peccati ratio propriè cõsistit, necessariò sequitur ad eiusmodi actiones, vt suprà demonstratũ est.

IAM verò Caluinus, & Zuinglius non negãt, Deum cõcurrere ad actiones quasdã, quæ cum æterna lege pugnant, & ex obiecto sunt malæ: neq; illud etiam negant, Deũ liberè, ac (vt Apostolus loquitur) secundũ consiliũ C
voluntatis suæ omnia operari. In quibus duob. ab eis nõ dissentimus: sed de tertio illo capite, quod ad peccãdum requiri diximus, tota controuersia est. Nos enim Deũ dicimus concurrere ad eas actiones solũ vt causam vniuersalem, per influxũ quendã indifferentẽ tam ad eas, quàm ad contrarias, & prætereà si nõ de physica, sed de morali caussa agatur, dicimus actiones illas in specie à Deo non intendi, nec imperari, sed è contrario, improbari, prohiberi, damnari; atque ideò non posse vllo modo in Deum referri earum malitiam, ac turpitudinem.

At aduersarij non vno in loco docent, Deũ non solùm vt caussam vniuersalẽ ad actiones illas cõcurrere, sed etiã eas, vt tales sunt in specie, velle, & imperare, ac per instrumenta sua propriè efficere, ac per hoc esse caussam particularem, tum moralẽ, tum physicã. Quod certè nihil est aliud, nisi verè, & propriè peccare. Audi Caluinũ li. 2. Instit. ca. 4. §. 2. *Omitto*, inquit, *hic vniuersalem Dei motionẽ, vnde creaturæ omnes, vt sustinentur, ita efficaciã quiduis agendi ducunt. De illa speciali actione tãtum loquor, quæ in vno quoque facinore apparet: idem ergo facinus Deo, Sathanæ, homini, assignari, videmus non esse absurdum.* Hæc ille.

Vbi vides, quemadmodũ Caluinus velit ipsum facinus, quod à Sathana, vel ab homine perpetratur assignari debere etiã Deo, cuius Sathan, & homo instrumenta sunt, quia Deus nõ influxu tantum generali cũ Sathana, vel homine cooperatur, sed etiã specialem illã actionem, quę cernitur in facinore, ipse intẽdit, & ad eã inflectit hominis, & Sathanę volũtatẽ, ac deniq; illã, ppriè ipse facit.

Idẽ etiã lib. 1. Instit. c. 18. §. 2. vbi explicat, quẽadmodũ homines excæcari, ac decipi Scripturæ doceãt; dicit Deũ non tantũ sinere, vt Sathan homines decipiat, sed ipsum Deũ intus in mẽtibus operari, atq; ab ipso Deo manare efficaciã erroris. Hæc enim sunt verba eius: *Certè*, inquit, *nisi operaretur intus in mentib. hominũ, non rectè dictũ esset, auferre labium à veracibus.* Et infrà: *Dicitur etiam idem Sathan excæcare infidelium mentes, sed vnde hoc, nisi quod à Deo ipso manat efficacia erroris?* Hæc ille.

Itaque

Itaque quemadmodum sancti Patres, Augustinus trac. A
26. in Ioan. & libro de prædestinatione Sanctorum, cap. 8. & Gregorius lib. 11. Moral. cap. 5. & alij docent, frustra concionatores exterius exhortari, nisi Deus intus operetur, & ideò cõuersionem peccatoris esse opus Dei: Ita Caluinus docet frustra Sathanam conati ad excæcãdos, & decipiendos nisi Deus operetur intus, & ideò efficaciam erroris ab ipso Deo manare: & sicut in conuersione peccatoris Deus est, qui propriè illuminat, & conuertit: ita in peruersione iusti, Deum esse, qui propriè seducit, & peruertit. At illuminare, & cõuertere opus est bonum, & rectæ rationi congruens? & contra seducere, & peruertere, opus est malum, & à recta ratione abhorrẽs: igitur sicut Deus benefacit illuminando, & conuertendo: ita malefacit & peccat seducendo, & peruertendo.

Zuinglius in sermone de prouidentia, cap. 5. dicit, fuisse necessariam iniustitiam, vt iustitia cognosci posset. Et ca. 6. dicit, fuisse necessarium mendacium, vt veritas cognosceretur, & ideò Deum impulisse Angelum, & hominem ad mendacium, & iniustitiam. Igitur ex sententia Zuinglij Deus voluit, & propriè intendit in particulari actionem mendacij, & iniustitiæ. Ac per hoc mala fuit eius voluntas, ac manifestè peccauit.

Porrò Beza in aphorismo 22. docet Deum non solum excitare, & impellere instrumenta ad actiones illas, quæ malæ sunt, & peccata respectu instrumẽtorum, sed etiam creare ipsa instrumenta, id est, homines ad eum finem, vt actiones illas ab ipso intentas, & decretas iam inde ab æternitate, perficiant. Ex qua Bezæ doctrina manifestum est, actiones malas vt tales sunt in specie à Deo esse intentas, & ipsi vt veræ, & propriæ, ac principali caussæ esse tribuendas: ex quo sequitur (vt ex iam dictis patet) Deum ex sententia Bezæ, verè ac propriè peccare.

Sed præter hoc argumentum, idem colligitur ex iis, quæ diximus capite superiore. Nam si rectè colligimus, ex aduersariorum sententia, Deum esse verè, ac propriè auctorem peccatorum, quæ à nobis fiunt: certè rectè etiam colligere possumus, verè ac propriè Deum peccare. C
Qui enim est alteri auctor, vt peccet, cõtinuò ipse etiam peccat. Neque enim magis pugnat cum æterna lege velle mentiri, aut fornicari, aut innoxium punire, quàm vel le efficere, vt alius mentiatur, aut fornicetur, aut innoxium puniat. Itaque in omni Repub. non minus puniri solet is, qui homicidium fecit, quàm is, qui, vt illud fieret, imperauit. Non autẽ punitur, nisi qui peccat: igitur consensu omnium, qui peccatum imperat, ipse etiam peccat.

Neque verò satisfacit similitudo illa de sole, & cadauere, quam Caluinus adducere solet, vt ostendat, Deum non peccare, licet sit caussa, cur alij peccent. Quam quidem similitudinem adeò propriam, & ad rem illustrandam appositam existimauit, vt eam multis in locis repetierit, vt lib. 1 Institutionum, cap. 17. §. 5. in Instructione contra Libertinos, cap. 14. & in epistola contra Franciscanum quẽdam Libertinum. Est autem hæc similitudo, D
quam verbis eius referam ex lib. 1. Institutionum: *Et vnde quæso*, inquit *fœtor in cadauere, quod calore solis tum putrefactum, tum reseratum fuerit? radiis solis excitari omnes vident, nemo tamen illos fouere ideò dicit. Ita cum in homine malo subsideat materia, & culpa: quid est quod inquinamentum aliquod contrahere putetur Deus, si ad suum arbitrium vtatur eius ministerio?* Hæc ille.

At tribus in rebus peccat hæc similitudo. PRIMVM, quod ante actionem solis ponatur cadauer, id est, corpus iam corruptum. Neque enim ex corpore integro, solis radij fœtorem excitasse potuissent. At Deus ab aduersariis affirmatur, peccatum excitasse in voluntate primi hominis, cũ adhuc ea integra, & omnino sana, & innocẽs esset.

Deinde sol est caussa vniuersalis, neque corruptionẽ, sed calefactionem intendit: quæ calefactio ex se indifferens est ad effectus varios producendos, & à caussis particularibus limitatur, & determinatur ad hoc potius, quã illud efficiendum. Itaque cur ex cadauere calefacto excitetur fœtor, ex pomo, aut aromate similiter calefacto existat odor non in solẽ, sed in caussas particulares caussa referenda est. Deus autem, vt suprà docuimus, non solum vt caussa vniuersalis sed etiam vt particularis ex doctrina Caluini, & Bezæ, concurrit ad actiones malas, quę ab hominibus fiunt. Eas enim in particulari Deus intendit, imperat, & per humanas voluntates, vt per sua instrumenta perficit.

Denique, sol etiamsi esset caussa particularis, non tamen corrumperetur corrumpendo alia, quia non agit libera voluntate, neque per actionem vllam immanentem, sed per actionem in aliud transeuntem, & necessariam. At qui libera voluntate facit alium peccare, is etiam continuò peccat, nec potest corruptione peccati alium putrefacere, nisi simul etiam ipse putrescat. Nam ea voluntas, qua vult alium peccare in ipso est, non in alio, & cùm ea sit mala, quippe quæ libere fertur in obiectum B
cum recta ratione non congruens: sequitur vt ipse etiam sit malus, & peccet.

CAPVT VI.

Ex doctrina Caluini, Zuinglij, Bezæ, & similium colligi, Deum solum verè peccare non autem homines.

STENDIMVS hactenus, sequi ex doctrina Zuinglij, Caluini, & Bezæ, Deum esse auctorem omnium peccatorum, quæ ab hominibus perpetrantur, & ipsum etiã Deum verè peccare. Nunc demonstrandum, est solum Deum (ex sententia eorundem) ita peccare, vt homines à peccato immunes iudicari debeãt. Vtar autem hac ratiocinatione, Nemo peccat in eo quod vitare non potest: primi parentes nostri in statu innocentiæ, actiones malas vitare non potuerunt: igitur primi parentes nostri in actionibus malis non peccârunt. Quod si primi C
parentes quo tempore gratia Dei, & libero arbitrio præditi erant, peccatum vitare non poterant, ac per hoc non peccabant, etiamsi malè agerent: certè multò minus possunt homines post Adę peccatum malas actiones vitare, cùm gratia Dei, & libero arbitrio, ex aduersariorum sententia careant, ac proinde non peccant, etiamsi in omnia scelerum, & flagitiorum genera dilabantur,

Propositio illa, Nemo peccat in eo, quod vitare non potest, certissima est. Nam vt S. Augustinus ait lib. de vera religione ca. 14 ita manifestum est, peccatum non esse, quod non est voluntarium, vt nulla hinc doctorũ paucitas: nulla indoctorum turba dissentiat. Neque verò debet eo loco voluntarium distingui contra coactionem, sed contra necessitatem. Nam paulò infrà explicans idem Augustinus, quid sit voluntate benè facere, aut malè: *Tales*, inquit, *seruos suos meliores esse Deus iudicauit, si ei seruirent liberaliter, quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate seruirent.* Et in fine capitis: *Quod autem*, inquit, *homini à peruerso angelo persuasum dicitur, etiam ad hoc vtique voluntate consensit. Nam si necessitate id fecisset, nullo peccati crimine teneretur.* Hæc ille.

Vbi vides primum hominem non potuisse teneri crimine, si necessitate peccasset, id est, peccatum vitare non potuisset. Quod etiam affirmat idem Sanctus Augustinus in libro de correptione & gratia, quem librum senex conscripsit exorta iam anteà hæresi Pelagiana (ne fortè Caluinus librum de vera religione contemnendum censeat, quòd ab Augustino iuuene scriptus fuerit) in libro igitur de correptione & gratia, cap. 11. sic loquitur sanctus Augustinus de Adamo: *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem: in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum, dederat adiutorium, sine quo in ea non posset permanere, si*

vellet,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vellet, vt autem vellet, in eius reliquerat libero arbitrio. Posset ergo peccare si vellet, quia dederat adiutorium, per quod posset, & sine quo non posset perseueranter bonum tenere, quod vellet. Sed quia noluit permanere, profectò eius culpa est, cuius meritum fuisset, si permanere voluisset. Et mox: *Si autem hoc adiutorium, vel Angelo, vel homini, quam primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere si vellet, non vtique sua culpa cecidissent. Adiutorium quippe defuisset sine quo manere non possent.* Hæc ille. Itaque ex sententia S. Augustini, Angelus, & primus homo non sua culpa ceciderunt, si casum vitare non potuerunt.

Neque id responderi potest (quod Caluinus & Beza solent) videlicet, eos qui non possunt vitare peccatum, vere tamen peccare, quia volunt peccare. Nam qui non possunt vitare peccatū, nō possunt nō velle peccare, quia si possent non velle, possent etiam non peccare, cùm in voluntate peccatum sit: qui autem non possunt non velle peccare, non habent adiutorium, quo in bona voluntate manere possint. De his autem pronunciat S. Augustinus, eos non sua culpa cadere, quibus tale adiutorium fuerit denegatum.

Iam verò ASSVMPTIO primi argumenti, videlicet, primos parentes nostros in statu innocentię non potuisse vitare peccatum, disertis verbis ab aduersariis affirmatur. Nam vt suprà in cap. 4. citauimus, hæc sunt verba Zuinglij cap. 6. de prouidentia: *Ait*, inquies, *coactus est homo ad peccandum, permitto inquam, coactum esse.* Hæc ille. Et vt in 3. c. recitauimus, hæc sunt verba Caluini lib. 3. Inst. cap. 23. § 7. *Decretum quidem horribile, fateor, inficiari tamen nemo potest, quin præsciuerit Deus, quem exitum esset habiturus homo, antequam ipsum conderet, & ideò præsciuerit, quia decreto suo sic ordinauerat.* Vbi docet Caluinus Deum ex sua sola voluntate, antequam determinationem liberi arbitrij primi hominis præuideret, decreuisse hominis lapsum, & quia Dei voluntati, nemo resistere potest, sequitur, nō potuisse primum hominē effugere lapsum illum. Quod idem Caluinus agnoscit, cùm subiungit §. 9. *Excusabiles peccando haberi volunt reprobi, quia euadere nequeunt peccandi necessitatem: præsertim cum ex Dei ordinatione sibi iniiciatur eiusmodi necessitas. Nos verò inde negamus rite excusari, quandoquidem Dei ordinationi, qua se exitio destinatos conqueruntur, sua conscientiæ æquitas, nobis quidem incognita, sed illi certissima.* Vbi non negat Caluinus, hominem necessariò peccare, sed dicit esse inexcusabilem, quia Deo sua constat ratio, cur homini peccandi necessitatem iniecerit.

Nos verò hoc loco nihil aliud probare contendimus, nisi primum hominem, vt etiam cæteros omnes ex Caluini sententia peccatum vitare non potuisse. Quod cùm ille concedat, nihil desideramus amplius. Porrò idem Caluinus in lib. de æterna Dei prædestinatione, pag. 906. de re eadem sic loquitur: *Ad iustam hominis damnationem satis erat in via salutis cum esset collocatus, inde sponte excidisse. At fieri aliter non potuit. Quid tum? an ideo culpa liberatur, quæ tota in eius voluntate residet?* Quo loco rursum fatetur, primum hominem non potuisse vitare peccatum: sed ideò vult, eum esse inexcusabilem, quia culpa in eius voluntate residet, id est, quia peccare voluerit, & sponte peccauerit, tametsi non potuerit non velle peccare.

Quod etiam docet Beza in responsione ad Castellionem de æterna Dei prædestinatione, cùm ait: *Quærenda est vtiq; origo in instrumentorum spontaneo motu. Quo sit vt Deus iustè decreuerit, quod illi iniustè fecerant. At enim, dices, non potuerunt resistere Dei voluntati fateor, sed sicut non potuerunt, ita etiam noluerunt. Verum non poterant aliter velle, fateor quoad euentum, & ἐνεργείαν. sed voluntas tamen Adami coacta nō fuit.* Quibus verbis tum Caluinus, tum Beza apertissimè cōfitentur non potuisse Adamum nō velle peccare, & ideò necessariò peccasse, tametsi non coactè sed sponte peccauerit. Quæ ipsorum confessio, quamuis abstineat à vocabulo coactionis, à quo Zuinglius non abstinuit, tamen satis nobis est ad probandam assumptionem argumenti, quod initio proposuimus. Id enim solum assumpsimus, primos parentes nostros non potuisse vitare peccatum.

Quòd autem Caluinus & Beza dicunt, primum hominem necessariò quidem sed tamen sponte peccasse: nihil eos iuuat. Iam enim ex Augustino docuimus, primos parentes si necessitate peccarunt, nullo culpæ crimine detineri: & si non habuerunt adiutorium, quo possent permanere in bona voluntate, id est, quo possent non velle peccare, non sua culpa cecidisse. Alioqui si sufficeret ad peccandum sponte aliquid velle, & non requireretur, non necessariò velle, nulla esset ratio cur pueri, atque amentes, & ipsæ etiam bestiæ non peccarent, cùm hominem lædunt, aut aliquid magni pretij destruunt. Agunt enim ista omnia sponte, & sponte appetunt, non coactè, ea quæ non possunt non agere, vel non appetere.

Habemus igitur quod initio proposuimus, ex doctrina Zuinglij, Caluini & Bezæ, rectè colligi Deum esse peccati auctorem, ipsum etiam peccare, & solum ipsum proprièque peccare. Quanquam de eo, quòd homo non sit reus culpæ, si necessariò peccat, in tractatu de libero arbitrio copiosius disseremus.

CAPVT VII.

Ex doctrina Zuinglij, Caluini & Bezæ, non malè colligi nihil esse peccatum, nisi falsam opinionem, vt volunt Libertini.

QVOD si blasphemum, & Christianis auribus intolerandum videtur, vt sanè videri debet, Deum & peccati esse auctorem, & solū ipsum verè peccare: nihil restat aliud, nisi vt aduersarij dicant, nullum esse, neque vnquam fuisse peccatum. Nam neque homines peccant, cū quicquid agūt, Deo iubente, & impellente, atq; adeò necessitatem adferente faciant: neque Deus etiā peccat, cùm ipse, qui summum est bonum, nihil facere possit mali. Atque hoc ipsum est, quod Libertini volunt, quos Caluinus à se genitos immeritò recusat agnoscere.

Tanta est autem Libertini huius dogmatis absurditas, vt vel ex ipsa satis admoneri Caluinus potuerit, vt cogitaret quàm pestilentem, ac pernicioſam doctrinam in orbem terrarum inuexerit. Nam si semel tollatur discrimen boni, & mali, quemadmodum illud tollere conātur Libertini, continuò & fides, ac religio, qua Christiani sumus, tolletur è medio, & omnis politica gubernatio, per quam homines cum hominibus sociantur, penitus interibit. Nam si nullum esse potest in mundo peccatum, tota Scriptura diuina, quæ passim peccata reprehendit, falsa erit: nulla quoque erit gehenna, quam tam sæpe Dominus peccatoribus comminatur: nullum erit futurum iudicium in fine seculi, quod idē Dominus non semel prædixit: Ipse etiam Christus frustra venerit in hunc mundum peccatores saluos facere: frustra crucem, & mortē pertulerit, vt sua obedientia Adami inobedientiam expiaret: frustra instituerit Sacramenta, quę essent & remedia peccatorum præteritorum, & præsidia ad cauenda futura.

Quod si Scriptura diuina falsa est, si inania Sacramenta, si Christi incarnatio, passio, resurrectio nihil prosunt, si nullus est iudicij, aut gehennæ metus, quorsum Christiani sumus: Ac vt omittamus religionem, si parricidia, adulteria, furta, proditiones peccata non sunt, certè iuste puniri nequeunt: si verò impunè talia perpetrentur, quo pacto vlla societas hominum diu stare poterit: Sed non est opus hunc errorem verbis, aut rationibus confutare, qui cùm ipso lumine rationis apertissimè pugnat. Rectè enim admonuit Aristoteles libri 1. Topic. cap. 9. eos, qui de rebus clarissimis dubitant, non esse verbis, sed verberibus coërcendos.

CAPVT

CAPVT VIII.

Probatur ex diuinis literis, Deum non peccare, nec esse peccati auctorem.

SEQVITVR Tertia pars disputationis de causa peccati ex parte Dei, in qua demonstrandum erit ex Scripturis, & Patribus, & naturali etiam ratione, Deum nec peccare, nec esse vllo modo peccati auctorem: iam enim ostendimus absurdissimum istum errorē Libertinis cum Caluino, & Beza esse communem.

Primùm igitur, Scripturæ disertis verbis affirmant, à Deo peccata non fieri. Gen. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Deut. 32. *Deus fidelis, & absque vlla iniquitate.* Habac. 1. *Mundi sunt oculi tui, ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.* Rom. 3. *Nunquid iniquus est Deus? absit, alioqui quomodo iudicabit Deus hunc mundum?* Rom. 9. *Nunquid iniquitas apud Deum? absit.* 1. Io. 3. *Peccatum in eo non est.* Sap. 11. *Nihil odisti eorū quæ fecisti.* Et Sap. 14. *Odio est Deo impius, & impietas eius.* Denique Scriptura plena est eiusmodi testimoniis. Neque aduersarij tam sunt impudentes, vt apertè dicere audeant à Deo peccata fieri, ita vt ipse peccet: quamuis id ex eorum doctrina, vt suprà ostendimus, colligatur.

Secundo, Scriptura docet Deum non velle peccata, ac proinde non decreuisse ab æterno vt peccata fierēt. Psal. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Psal. 72. *Odisti omnes qui fornicantur abs te.* Ezech. 18. *Nunquid voluntatis meæ est mors impij? dicit Dominus.* 2. Pet. 3. *Deus neminem vult perire.*

Ad hæc, & similia quæ adduci possent, respondent Caluinus, & Beza locis citatis. Et Perrus Martyr in comment. 1. cap. epist. ad Rom. Deum non velle peccata fieri ea voluntate, quæ nobis in Scripturis declarata est, quā Theologi voluntatem signi nominare solent: & de hac voluntate esse accipiēda testimonia supra citata. Nihilominus tamen alia quadā voluntate omnino velle Deum, vt homines peccent, quoniam alioqui non assequeretur finem sibi propositum declarandæ gloriæ suæ in conditione, vel punitione peccati.

Sed isti dum dicunt, voluntatem Dei in Scripturis patefactam, eam esse, quæ prohibet peccata: satis ostēdunt, illam aliam voluntatem, qua Deus vult peccata, non esse in Scripturis patefactam: seq; eam non ex Scripturis, sed ex prioprio capite deduxisse. PRÆTEREA cū in Deo non possint esse cōtrariæ voluntates, & velle peccatum, ac non velle peccatum sint contraria, si Deus vult peccata, sequitur vt in eo non sit voluntas, quæ nolit peccata, ac per hoc sequitur vt voluntas declarata in Scripturis, siue voluntas signi, nihil aliud sit, nisi voluntas mentiendi. Quid enim est, velle peccata, & tamen velle indicare, ac declarare se nolle peccata nisi, velle mentiri? nisi fortè mendacium nō sit significare te nolle, quod maximè velis. AD HÆC voluntas signi dicitur à Theologis ipsum præceptum, vel prohibitio: proinde illa sola Scripturæ loca continent voluntatem signi, quæ præcepta, vel prohibitiones cōtinent. Illa igitur testimonia, quæ nos paulò antè adduximus: Non Deus volens iniquitatem tu es, & similia, quæ per modum indicandi, non per modum imperandi proponuntur, non sunt ad voluntatem signi propriè referenda.

Tertiò, Scriptura manifestè docet, Deum non imperare peccata, ac per hoc non esse auctorem peccatorum, vt causam moralem. Eccl. 15. *Nemini mandauit impiè agere.* Hier. 19. *Ædificauerunt excelsa Baalim, quæ non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum.* Denique, Deus seuerissimè prohibet, & punit omnia peccata. Non igitur imperat, vt fiant, nisi fortè secum ipse pugnare credatur. Quid ad hæc loca respondere soleant aduersarij, iā supra diximus, & eorū rergiuersationē refutauimus, vbi ostendimus ex sententia aduersariorum, rectè colligi, Deū esse peccatorum auctorem, quia ex eorum sententia, Deus imperat, vt ea fiant, quæ non possunt, nisi malè fieri.

Quartò, Scriptura docet Deum non incitare ac multò minus compellere homines ad peccandum. Iacobi 1. *Nemo cum tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur. Deus enim intentator malorū est. Ipse autem neminem tentat.* Eccl. 15. *Non dicas, per Deum abest. Quæ enim odit ne feceris. Non dicas, ille me implanauit. Non enim necessarij sunt ei homines impij.* Quo testimonio Spiritus sanctus studiosè refutare voluisse videtur sententiam aduersariorum. Nam Petrus ille falsò Martyr nominatus, in commentario 1. ca. ad Rom. duobus modis dicit, Deum impellere homines ad opera mala, vno modo ita diserendo, vt nulla ratione possit homo tentationi resistere: altero modo, præbendo peccandi incitamenta intus in animo, & etiam extra. Contra priorem modum clamat Spiritus sanctus: *Non dicas per Deum abest.* Contra posteriorem, addit: *Non dicas, ille me implanauit.* Et quoniam Beza docet Deum voluisse, ac decreuisse, vt primus homo peccaret, & peccando nos omnes peccatores efficeret, quoniam nisi homines peccatores essent, non posset Deus gloriam iustitiæ, & misericordiæ suæ partim puniendo, partim miserendo patefacere: ex quo sequitur, vt necessarij Deo sint homines impij. Ideò Spiritus sanctus addi voluit illam rationem: *Non enim necessarij sunt ei homines impij.*

Ad hæc S. Paulus in epist. priore ad Corinth. cap. 10. *Fidelis Deus* inquit, *qui non sinet vos tentari supra id quod potestis.* Profectò qui non permittit nos tentari supra vires, multò minus ipse nos tentat, aut impellit ad peccādum. Perrus Martyr loco citato respondet ad testimonium sancti Iacobi à nobis primo loco adductum: ac primum reiicit distinctionem S. Augustini, qui lib. 2. de consensu Euangelistarum ca. 30. scribit, duplex esse genus tentationis, vnum ad probandum, alterum ad seducendum: & de priore scriptum esse, tentauit Deus Abraham, Gen. 22. de posteriore scriptum esse, Deus intentator malorum est, ipse autem neminem tentat, Iacobi 1.

Hanc distinctionem tanti auctoris, & per se etiam certissimam, atq; verissimam superbè contemnit Perrus Martyr, in qua re magnum causſæ suæ præiudiciū fecit. Quis enim non malit sancto Augustino, quam isti Petro solo nomine Martyri fidem habere? Adfert autem ipse aliam distinctionem, ac dicit, tentationum alias esse externas, alias internas, externas interdum esse à Deo, & ideò non loqui Iacobum de tentationibus, quæ extrinsecus adhibentur, sed de iis, quæ intus in animo suggeruntur. Sed quoniam istas etiam internas tentationes à Deo esse paulò ante docuerat idem auctor, idcirco adiungit, sententiam Iacobi esse, Deum non tentare internis suggestionibus, ita, vt homo sit excusabilis. Nam in homine Deus inuenit materiam, & quasi seminarium tentationum, innatam videlicet concupiscentiam.

At hæc Petri doctrina repugnat omnino sententiæ B. Iacobi, qui absolutè pronunciat, à Deo neminem tentari, & Deum intentatorem malorum esse: non enim rectè dicitur non tentare is, qui reuera tentat, licet non reddat inexcusabilem eum, qui tentatur, alioquin ipse etiam Sathā dici posset, neminem tentare, & intentator malorum esse, cùm ipse quoque non reddat homines, quos tentat inexcusabiles, & non sit ipse origo mali, sed inueniat in hominibus materiam, & seminarium tentationum, insitam videlicet concupiscentiam.

Quintò Scriptura docet, peccatum esse propriū creaturæ: ex quo sequitur, vt nullo modo in creatorem referri possit Oseæ 13. *Perditio tua ex te Israël tantummodo in me auxilium tuum.* hoc est, nihil ex me habes, nisi adiutorium, ruinam ex te solo habes. Ioan. 8. *Cum loquitur mēdacium, ex propriis loquitur. Quia mendax est, & pater eius.* 1. Ioan. 3. *Qui facit peccatum ex diabolo est.* Denique 1. Ioann. 1. legimus: *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ.*

Respondent

Universidad de Deusto
Biblioteca

Respondent Caluinus & Martyr, originè mali esse in homine propter naturæ corruptionem, & hoc significari testimonio illo Oseæ Prophetæ, & aliis similibus. At peccatum primum Adami non habuit originem ex naturæ corruptione, sed ipsum est, quod naturam corrumpit: quare si illud etiam commissum est impellente Deo, vt supra Caluinum velle demonstrauimus, sequitur vt vel de Adamo dici non potuerit: Perditio tua ex te: vel Caluini sententia falsa sit.

Deinde ipsam concupiscentiam, & peccatum originis insertum esse in humana natura ab ipso Deo, docet Petrus Martyr loco citato in cap.1.ad Rom. Igitur non solum de Adamo, sed neque de cæteris hominibus verè dici potest: Perditio tua ex te. *At*, inquit Martyr, *concupiscentia, ipsumque originale peccatum inserium quidem est in homine à Deo, sed in pœnam peccati Adami. Ita prima origo perditionis humanæ non est Deus sed Adam.*

Omitto (quod non dixit Propheta) Perditio tua ex Adamo, sed ex te: & quod si peccatum ipsum Adami refertur in Deum, in Deum quoque referri debeat peccatum nostrum originale, quod ex illo fluxit. Hoc tantum accipio, absurdum, & iniquum esse, vt vnus puniatur pro alio, ea præsertim pœna, quæ sit etiam propriè peccatum, dicente Domino per Ezech.cap.28. *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur: & filius non portabit iniquitatem patris.* Qua igitur ratione fieri potest, vt Deus iustissimus in pœnam peccati Adami, inseruerit verum peccatum in omnibus eius filiis, & nepotibus?

His accedit, quod non solum ait Propheta: *Perditio tua ex te*: sed etiam addit: *In me tantummodo auxilium tuum.* Quibus verbis duo significantur, non esse alium, qui possit auxiliari generi humano iam perdito, præter Deum: & in Deo nihil esse aliud, nisi auxilium, proinde non tentationem, nec impulsionem ad peccatum, neque vllam ruinę, & perditionis caussam. Neque aliud denique quod auxilio sit contrarium. Vt sensus sit, ex te perditio, ex me non perditio sed auxilium tantum.

Sexto, Scriptura docet, Deum hortari hominesvt non obdurent corda sua. Psal.94. *Nelite obdurare corda vestra.* Item pulsare ad ostium cordis, ac paratum esse ingredi, si aperiatur, Apocal.3. *Ego sto ad ostium, & pulso: si quis aperuerit mihi, intrabo ad eum.* Item inuitare omnes ad se: Mat. 11. *Venite ad me omnes.* Non igitur Deus potest esse caussa peccati indurando propriè corda hominum, & intus efficaciter operando, vt aduersarij dicunt. Alioqui videretur Deus sibi ipse contrarius. Quorsum enim dicit; Nolite obdurare corda vestra, si ea vult obdurari, & ipse est, qui ea quasi manibus suis obdurat: & quorsum stat ad ostium, & pulsat, si ipse claudit corda, & efficaciter operatur, ne aperiantur: quorsum etiam omnes vocat, atq; inuitat, si ipse aggrauat aures, ne forte audiant, & conuertantur, & viuant.

CAPVT IX.

Probatur testimoniis Patrũ Deũ non esse peccati auctorẽ.

AD Scripturarũ testimonia addemus traditionem Ecclesiasticã: Igitur S. Dionysius Areopagita in lib.de diuinis nominibus cap.4. *Non igitur*, inquit, *Deus auctor est mali.* Et paulò pòst demonstrat, Angelos, & animas fieri malas, cum à Dei bonis deficiunt.

S. Ivstinvs in Dialogo cum Triphone, propè extremo: *Illud quoque*, inquit, *ante dicut, Deum non esse caussam, cur ij, quorum peccata ante cognita sunt siue Angeli, siue homines improbi efficiantur, sed sua quisque culpa tales sunt.*

S. Irenævs integrum opus aduersus hanc hæresim scripsit, teste Eusebio lib.5.hist.cap.19. cùm enim Flotinus quidam doceret, Deum esse auctorem mali, reprehendit eum S. Irenæus his verbis, quæ apud Eusebium loco citato reperies: *Ista dogmata Florine, vt tecum agam humanius, sanè doctrinæ, & sententiæ non sunt. Ista dogmata sunt Ecclesia repugnantia, vtpote quæ eos qui illis obsequuntur, in maximam impietatem deiiciunt. Ista dogmata ne hæretici quidem, qui eram ab Ecclesia exturbati vnquam affirmare audebant. Ista dogmata presbyteri, qui ante non fuerunt quique erant Apostolorum discipuli, minimè tibi tradiderunt.*

Clemens Alexandrinvs lib.1.Stromatum circa medium, ostẽdit caussam peccati non posse referri in Deum, cùm Deus non impediat, quominus liberum arbitrium eligat quod voluerit, *Quis*, inquit, *non prohibuit liberam animæ electionem iustè iudicat, vt vel maximè quidem Deus nobis non sit caussa vitij.* Et lib.1.Pedagogi cap.8. *Culpa*, inquit, *est eius qui eligit; in Deum autem culpa conferri nequit.*

Origenes lib.4.contra Celsum post medium: *Post hæc* inquit, *pergit Celsus: naturam malorum cognoscere difficile est non philosophantibus, & satis est vulgus doceri, mala non esse à Deo, sed materiam versari circa mala.* Et infrà: *Est quidem verum*, inquit, *mala non esse ex Deo. Nam & noster Hieremias manifestè docet, quod ex ore Domini non egredientur mala cum bonis: cæterum materiam quæ versatur circa mortalia, caussam esse malorum, falsum est. Nam sua cuique ratio caussa est existentis in ipso malitiæ, quæ quidem malum est, malæ quoque actiones, quæ ex ea proueniunt.*

Evsebivs Cæsariensis lib.6.de præparatione Euangelica, cap.5. *Impius* inquit, *profectò iudicabitur, immò verò pessimus omnium, qui à creatore vniuersi alios ad adulteria, alios ad rapinã, alios ad alia vitia impelli arbitretur. Vnde sequitur, aut hæc peccata non esse, aut peccandi caussam in creatorem referri.* Et infrà: *Quare non iure homo, sed creator eius peccator erit, quo dogmate nihil scelestius cogitari potest.*

S. Athanasivs in orat. contra Idola, non procul ab initio, demonstrat, Deum auctorem mali esse non posse: *Id*, inquit, *absurdum simul & impossibile fuerit. Non enim ex bono malum, neque in eo est, neque per eum. Alioqui pro bono haberi non posset, cum aut miscellaneam, contrariamq; naturam haberet, aut caussa, auctorq; malorum existeret.* Idem Athanasius eandem sententiam tribuit S. Antonio, eius vitã describens.

S. Basilivs hom.2.de opere sex dierum: *At*, inquit, *à Deo malum profluxisse prim non est dicere.* Idem integram orationẽ scripsit de eo, quod Deus nõ sit auctor malorum.

S. Gregorivs Nissenvs libr.7. Philosophiæ cap.1. *Non enim*, inquit, *Deo fas est adscribere turpes actiones, & iniustas.*

S. Gregorivs Nazianzenvs, orat.1.in Iulianum ante medium, differens de consiliis diuinæ prouidentiæ: *A quibus*, inquit, *consiliis non ille quidem ad malum excitatus est, (Deus enim nullo modo caussa est mali, quippe naturã bonus, vitiumque eius est qui elegit) haud tamen ab impetu suo, animique proposito repressus est.*

S. Ioannes Chrysostomvs homil.23.in Acta Apostol. *Nullus*, inquit, *dicat, Deus nobis auctor malorum est.* Et infrà: *Satius fuerit, sexcenties defodi, quàm Deum audire talia per nos.* Et hom.3.in Gen. *Propter hoc*, inquit, *creaturam hanc omnem produxit, & nos formauit, non vt pereamus, neque vt supplicijs nos torqueat: sed vt saluet.* Et hom.de interdictione arboris ad Adam, quæ habetur post homilias in Genesim: *Nam*, inquit, *manifestum est, Deum noluisse Adam peccare, qui voluit eum ante delictum præstruere, potuit Adam Deo parere, quod noluit, qui consentire diabolo maluit.* Quæ duo loca pugnant apertè cum sententia Caluini & Bezæ, qui dicunt à Deo creatos homines, vt eos perderet, & Deum voluisse, vt Adam peccaret, & omnes posteros peccato suo inficeret, quo aditus ipsi Deo aperiretur ad iustitiam, & misericordiam ostendendam.

S. Epiphanivs hæresi 66. quæ est Manichæi non procul ab initio: *Absurdum* inquit, *est malum Deo tribuere, & diuinæ, ac Ecclesiasticæ Scripturæ character hoc confitetur, Deum penitus alienum & in permixtum à malo esse. Deus enim nihil mali fecit, sed omnia valdè bona: vt qui bonus sit natura incomprehensibilis essentia, omnia continens & ipse à nemine contentus. Neque igitur malum semper erat, neque ex Deo factum est malum.* Et infrà: *Iuxta permissionem liberi arbitrij omnibus propria voluntate vti concedit, vt quisque quod voluerit, faciat, quod ipse quidem malorum caussa non sit, &c.*

Theodoretvs in Epitome diuinorum decretorum, cap. de Antichristo. *Deus*, inquit, *non est caussa malorum, vt volunt etiam externi philosophi. Nec enim ipse Cain effecit homicidam.* Idem auctor ser.5.ad Græcos, copiosè hoc ostendit, adductis testimoniis Platonis, & aliorum.

S. Cyrillvs Alexandrinvs lib,2.in Iulianum circa medium: *Igitur bona quidem, & bene operans, immò ipsa bonitas est diuina, & ineffabilis naturã: non ignorauit autem malum, sed nouit: non practice, id quod nos sentimus, in omne venientes, malum.* Hæc ille, vbi docet, Deum scire bonum, & malum, sed bonum theoricè, & practicè, quia semper benè operatur: malum autem theoricè, non practicè, quia nunquam malè operatur.

S. Ioannes Damascenvs li.4.de fide, cap.20. nihil aliud docet, nisi Deum, non esse auctorem mali, & explicat testimonia Scripturæ, quę secus habere videntur. Atque hæc quidem sunt Græcorum testimonia. Addemus nunc etiam Latinorum.

Tertvllianvs in lib.aduersus Hermogenem: *Iam ergo*, inquit, *malum ab ipso, qui est mali si non auctor, quia non effector, erit permissor, quia dominator.* Et in lib. de Trinitate: *Nec enim potest fieri, vt sit initiator, aut artifex vllius mali operis, qui nomen sibi perfecti vendicat, & parentis, & iudicis.*

S. Ambrosivs lib.de paradiso, ca.15. *Deus*, inquit, *operatur quod bonum est, non quod malum.* Idem in lib.1.Exameron c.8. *Nunquid*, inquit, *malitiam Deus creauit? sed ea ex rebus orta non à creatore Deo condita, morum leuitate generatur.* Et infrà: *Eradicari hanc Deus vult de animis singulorum. Quomodo ipse eam generaret, cum clamet Propheta, desinite à malitiis vestris? & præcipuè S. Dauid: Desine, inquit, à malo, & fac bonum. Quomodo ergo ei initium à Domino damus? sed hæc opinio feralis eorum qui perturbandam Ecclesiam putauerunt.*

S. Hieronymvs in comm.1.c.ad Eph. explicãs illud: Qui vniuersa operatur secundum consilium voluntatis suæ: *Non* inquit, *quo omnia quæ in mundo fiant, Dei voluntate, & consilio peragãtur: aliquin & mala Deo poterunt imputari: sed quo vniuersa, quæ facit, consilio facit & voluntate.* Et in com.c.7. Ecc.explicans illa verba, Deus creauit hominem rectũ: *Ne videretur*, inquit, *Deum auctorem mali facere, argutè præcauit, & ait bonos nos à Deo creatos, sed quia libero sumus arbitrio derelicti, vitio nostro ad peiora delabi.* Vide eundem lib.12.in Isaiam extremo: & in principio 1.lib. contra Pelagianos.

S. Avgvstinvs tres libros de libero arbitrio ea potissimũ de caussa scripsit, vt ostenderet, Deum nõ esse caussam peccati. Idem Augustinus in epist. 105. ad Sixtum: *Iniquitatem, quam rectissima veritas improbat, damnare nouit ipse, non facere.* Et li.13.de Trin.ca.12. *Modus*, inquit, *quo traditus est homo in diaboli potestatem, non ita debet intelligi, tanquam hoc Deus fecerit, aut fieri iusserit, sed quòd tantum permiserit.* Et lib.5.de ciuit. Dei, ca.8. *A Deo sunt omnes potestates, quamuis ab illo non sint omnium voluntates.* Et cap.9. *Sicut omnium naturarum creator est, ita omnium potestatũ dator, non voluntatum. Malæ quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est.* Lib.16.Confess.c.11. *Hoc sequod minus est, quia talis motus delictum, atque peccatũ est.* Idem lib.de spiritu & litera, ca.31. *Nusquam*, inquit, *legimus, non est voluntas nisi a Deo, & rectè non scriptum, est quia verum non est. Alioquin etiam peccatorum, quod absit, auctor est Deus, si non est voluntas nisi ab illo, quoniam mala, voluntas iam sola peccatum est, etiamsi desit effectus, desit, si non habeat potestatem.* Et libro 2.de peccatorum meritis & remissione, cap.17. *Nullius*, inquit, *culpæ humanæ in Deum referas caussam.* Et ca.18. *Malam voluntatem ad auctorem Deum esse referendam nefas est dicere.* Item: *Si ergo voluntas aut bona est, aut mala, & vtique malam non habemus ex Deo, restat, vt bonam habeamus ex Deo,*

Lib.de prædestin.Sanctorum, cap.10. *Præscire*, inquit, *potens est Deus, etiam quæ ipse non facit, sicut quæcunque peccata.*

Quo loco demonstrat S. Augustinus, prædestinationẽ sine præscientia esse nõ posse. Posse autem esse sine prædestinatione præscięti̇ãm: prædestinauit enim Deus bona, quæ se præsciebat esse facturum. Mala autem præscivit, sed nõ prædestinauit, proinde nõ fiunt mala (vt Caluinus dicit) ex decreto Dei. Idem auctor libro 3.de libero arbitrio c.16. ita concludit: *Omnino non inuenio, nec inueniri posse, & prorsus non esse confirmo, quomodo tribuantur peccata nostra creatori nostro Deo: quando & in ipsis eum laudabilem inuenio, non solum quod ea punit sed etiam quod tunc fiunt, cum ab eius veritate receditur.* Denique in 1. libr. de ordine, capit.1. *Sequitur*, inquit, *aut diuinam prouidentiam non vsque ad hæc ima portendi, aut certe mala omnia Dei voluntate committi, vtrumque impium, sed magis posterius.* Quid clarius contra Caluinum, & Bezam dici potuit? similia passim in Augustino reperiuntur.

Auctor libri Hypognostici, qui habetur inter opera eiusdem Augustini, libro 6. circa medium, differens de peccato Iudæ proditoris: *Absit*, inquit, *hoc à summo bono iudice, auctore omnium bonorum Deo, damnatore vero cunctorum malorum: quia mala Iudæ, vt prædixi, præscivit, non fecit.*

S. Prosper in responsione ad capitula Gallorum, cap.12. *Voluntas Dei nunquam vult nisi bona: Prescienti autem, & bona nescit, & mala: sed bona quæ aut ipse facit, aut etiam vt nos faciamus, imperat: mala autem, quæ omninò ipse non facit, nec fieri suasit, aut impulit.* Et cap.14. *Infidelitas non credentium Euangelio, nequaquam ex Dei prædestinatione generatur. Bonorum enim Deus auctor est, non malorum.* Vide etiam responsionem ad capitula Vincentiana, ca 5.7.8.9.10.11.12.& 13.

S. Leo pontifex auctor est Sententiarũ, quæ in Cõcilio Arausicano II. definitiæ sunt, in quarum 24. quæ est postrema, ita legimus: *Aliquos ad malum diuina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiamsi sint qui tantũ malum credere velint, eũ omni detestatione illis anathema dicimus.* Quam sentẽtiam iterũ cõfirmauit, & quasi suam fecit Synodus Valentina, quæ tempore Lotharij Imperatoris in Galliis celebrata est, cap.3. Idem sanctus Leo sermone.16. de Passione Domini: *Nunquid*, inquit, *in quinas persequentium Christum ex Dei est orta cõsilio & illud facimus, quod omni maius est crimine, manus diuinæ præparationis armauit? non hoc planè de summa iniuita sentiendum est.*

S. Fvlgentivs in lib.primo ad Monimum toto, disputat hanc quæstionem, Vtrum peccata fiant ex prædestinatione Dei. Quæ est ipsa quæstio, quam nunc tractamus aduersus Caluinistas. Nam (vt idem Fulgentius testatur in eodem lib.1.ad Monimum, c.vlt.) paulò post obitũ S. Augustini, nõ defuerunt aliqui qui ex lib de prædestinatione Sanctorũ B. Augustini, malè intellecto, collegerunt, Deũ prædestinãsse impios ad opera mala, & proinde fieri opera mala ex decreto & impulsu Dei. Quẽ errorem copiosissimè refutauit Primo S. Prosper, Deinde S. Leo, & Concilium Arausicanum suprà citatum. Tvm S. Fulgẽtius, & auctores qui eos sequuti vt Leo IX. & alij.

Sed operæpretium erit aliquid ex libro sancti Fulgentij huc adducere: Sic igitur ipse loquitur libro 1. ad Monimum, ca.13. *Potuit*, inquit, *sicut voluit, prædestinare quosdam ad gloriam, quosdam ad pœnam. Sed quos prædestinauit ad gloriam, prædestinauit ad iustitiam: quos autem prædestinauit ad pœnam, non prædestinauit ad culpam. Posset enim peccatum aliquod ex prædestinatione Dei esse, si posset aliquis hominum iuste peccare: Nullus autem hominum iuste peccat, quamuis eum Deus iustè peccare permittat.* Et infrà: *In Sanctis coronat Deus iustitiam, quam eis gratis ipse tribuit, gratis seruant, gratis que perficit: Iniquos autem condemnabit pro impietate, vel iniustitia, quam in eis ipse non fecit. In illis enim opera sua glorificat, in istis autẽ opera non sua condẽnat.* Et cap.21. *Si enim cum à Deo fieret homo, sic erat in præsenti opere Dei bonus, vt in prædestinatione eius esset malus: procul dubio Dei opere malus futurus erat, à quo ad peccandũ prædestinatus fiebat. vbi statim illa cõsequetur*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quàm absurdas,vt dicatur, quia Deus, de quo Propheta dicit, A *Qui fecit quæ facta sunt, in se habuit, quod absit, iniquitatis originem: Si hominem à se factum ipse prædestinauerit peccatorem. Prædestinatio enim eius præparatio est operum eius. Et sicut competit Deo bono,vt caussa sit totius operis boni: sic incongruum est vt imputetur caussa cuiuslibet operis mali.*

S. Gregorivs.libro 29.Moralium,capite 20. *Dominus*, inquit, *auctor est naturæ,non culpæ.* Et homil.9. in Ezechielem,in principio: *Sea sciendum* inquit, *quia mala nostra solummodo nostra sunt,bona autem nostra, & omnipotentis Dei sunt,& nostra.*

Leo.IX.Pontifex in Epist.ad Petrum Antiochenum, tradēs fidei Catholicæ confessionem, *Credo*, inquit, *Deum prædestinâsse solum bona,præsciusse autem bona,& mala.*

Hvgo de sancto Victore, libr. 1. de Sacramentis,parte quinta capit.27. *Malis*, inquit, *Deus potestatem tribuit solam, non voluntatem, quia licet ex ipsius permissione sit,quod malum possunt,ex inspiratione tamen eius non est,quod malum volunt. Malarum enim voluntatum Deus ordinator est, non creator.*

His addere possumus tria gentilium testimonia, qui sapientissimi præter cæteros haberi solent. Vnvm est Mercurij Trismegisti in Pimandro,capite vltimo,vbi legimus: *A Deo factore nihil turpe,nihil malum prodire*, Altervm est Platonis in secundo Dialogo de Republica, qui sic ait: *Bonorum quidem solus Deus caussa est dicendus, malorum autem quamlibet aliam, præter Deum caussam quærere decet.* Et infrà: *Malorū aliqui caussam esse Deum, cùm bonus sit,refellendum est omninò, nec permittendum hoc quenquam dicere,in sua ciuitate,si bonis instrui legibus ciuitas debet. Nec insuper quenquam audire, siue sit ille iunior, siue senior, siue carminibus hæc inserantur,siue soluta oratione narrentur, tanquam quæ neque dictu sancta sint,neque aliis vtilia, nec inter se consona.* Tertivm est Maximi Tyrij, qui in sermone vigesimo quinto,vbi de caussa mali disserit, ita loquitur de malo morali,quod propriè dicitur peccatum: *Enim*, inquit, *nomen est improbitatis,caussámque ab elegentis arbitrio nanciscitur,Deo semper extra omnem caussam constituto.*

CAPVT X.

Eadem veritas rationibus comprobatur.

Adhæc testimonia rationes addi possunt. Prima ratio sit ea, qua vtitur S. Anselmvs in libr.de libero arbitrio, cap.8. Iusta voluntas hominis est ea tantùm, quæ vult id,quod Deus vult eam velle: iniusta verò è contrario est ea,quæ vult id,quod Deus non vult eam velle:Ergo si Deus vellet hominem peccare,quod aduersarij dicunt,vellet hominē velle id,quod non vellet eum velle,quæ est manifesta contradictio. Quare non solùm D non vult Deus hominem peccare,sed nec potest vlla ratione id velle.Ex quo etiam sequitur,vt non sit Deus auctor peccati,nec hortando, nec imperando, nec impellendo,nec vllo alio modo. Vel enim id faceret nolens, aut volens:non vtique nolens,ergo volens: Quod si volens,sequitur vt diximus,apertissima contradictio.

Secvnda ratio esse potest ea, quæ est apud sanctum Fvlgentivm libro primo ad Monimum, capite 21.22.& 23. In Dei operibus nihil esse potest non plenum sapientiæ,& rationis: nulla autem potest excogitari ratio cur Deus velit, aut faciat homines peccare: non igitur id vult,nec facit. Assumptio demōstratur hoc modo: In omni opere Dei, aut iustitia, aut misericordia cernitur.Nam omnes viæ eius misericordia, & veritas, Psalmo vigesimo quarto.Et quidem cur Deus hominem ex iniusto faciat iustum,ratio reddi potest, quia in eo opere misericordia diuina mirificè declaratur:at cur ex iusto facere velit iniustum,non potest reddi ratio, cùm in hoc opere nec misericordia,nec iustitia,sed iniquitas potius,& crudelitas locum habeant.

Dicet fortassis aliquis,etiamsi in hoc opere, quo quis efficitur iniustus,nulla cerni possit misericordia, vel iustitia : tamen potest hoc opus ordinari ad finem, in quo misericordia,vel iustitia luceat : Proinde poterit reddi ratio cur Deus velit aliquos iniustos facere,nimirum,vt habeat, quorum misereatur, & quos puniat. Hæc enim est ratio Theodori Bezæ, vt suprà vidimus, qui docuit, Deum decreuisse lapsum primi hominis, & omnium filiorum eius,vt viam patefaceret misericordiæ, & iustitiæ suæ manifestandæ. At (vt rectè dicit sanctus Fulgentius loco citato,libro primo ad Monimum, capite vigesimo secundo) Iustitia iusta non erit si puniendum reum non inuenisse,sed fecisse dicatur: quin potius maior erit iniustitia,si lapso Deus tribuat pœnam,quem stantem præ destinâsse dicitur ad ruinam.

Portò misericordia illa crudelis,& immisericors esset, quæ hominem impium faceret vt eum ab impietate postea liberaret,nisi fortè à clementia laudandus esse videatur, qui hominem spolier,vt vestiat:vulneret, vt sanet: in puteum deiiciat, vt eum inde extrahat. Pulchrè sanctus Augustinus libro tertio Confessionum, capite secundo,dicit,maleuolam beneuolentiam (quod esse non potest)omninò futuram,si quis miserum aliquē esse velit, vt ei misereatur. Adde quòd non poterant Deo deesse plurimæ rationes gloriæ suæ manifestandæ, etiamsi homines non peccâssent.Rectè enim scripsit Ecclesiasticus,capite decimo quinto, non esse Deo necessarios homines impios.

Tertia ratio est sancti Avgvstini lib.83.quæstionum,quæst. 3.Nullo sapiente homine auctore fit homo deterior. Non enim parua ista culpa est, imò tāta est, quæ in sapientem quamuis hominem cadere nequeat. Est autem Deus omni homine sapiente præstantior Multò minùs igitur Deo auctore fit deterior.Item quæstione vigesima prima:Quisquis omnium quæ sunt auctor est, & ad cuius bonitatem id tantùm pertinet, vt sit omne quod est, non esse, ad eum pertinere nullo pacto potest. Omne autem quod deficit,ab eo,quod est esse,deficit,& tendit in non esse. Esse autem, & in nullo deficere bonum est:& malum est deficere. At ille, ad quem non esse pertinet, non est caussa deficiendi, id est, tendendi ad non esse,quia,vt ita dicam,essendi caussa est. Boni non igitur tantummodo caussa est, & propterea ipse summum bonum est, quocirca mali auctor non est, qui omnium,quæ sunt,auctor est,quia in quantum sunt,in tantum bona sunt.Hæc ille.Simili ratione vtuntur ferè omnes Patres, suprà citati, ac præsertim Athanasius, Basilius,Nazianzenus,Epiphanius,qui ex eo quod Deus naturā bonus est,& summum,purúmque bonum,colligunt fieri non posse vt ab ipso sit origo mali: cùm simile à simili non à contrario producatur.

Qvarta ratio est sancti Ambrosii libro primo Examerō,capite octauo,Deus cupit eradicari malitiam, & ideo prohibet, ac punit peccata. Et ipse Dei filius venit,vt tollat peccata mundi, vt dissoluat opera diaboli vt destruat corpus peccati:qua ratione igitur fieri potest,vt Deus velit homines peccare, & ideò non solùm peccata permittat, sed etiam incitet, & impellat homines ad peccatum,&,vt aduersarij blasphemant, ipse per homines,tanquam per instrumenta sua, illa omnia efficaciter peragat,quæ sceleratè fiunt ab illis?

Qvinta ratio talis esse potest,Si Deus esset auctor peccati:ipse quoque peccaret. At peccare non minus Deo repugnat,quàm non esse Deum : igitur fieri nequit, vt Deus sit auctor peccati.Propositio certissima est.Nam si Deus esset auctor peccati,certè vellet homines peccare:Homines peccare est malum : igitur Deus vellet malum:ac per hoc voluntas eius esset mala : vbi autem est voluntas mala,ibi est peccatum. Assvmptio primi argumenti

menti probatur ex ipsa Dei natura, quæ planè tollitur, A ac destruitur,si peccatū in ea ponatur. Nam peccare est deficere,Deus autem,si potest deficere,nō est summum, & infinitum esse,proinde nec est Deus. Item,peccare nō potest,qui nō errat aliqua in re: neq; enim voluntas potest appetere malum,nisi sub ratione boni. Vnde est illud Sapientis: *Errant qui operantur malum.* Prouerb. 22. Et illud Philosophi: *Omnis malus ignorans.* 3.Ethicorum. cap.1.Deus autem,si potest errare,non est summa,& infinita sapientia,proinde nec est Deus.

Rursus peccare est recedere à regula legis æternę,quę est ipsa diuina sapientia, Deus autem à diuina sapientia recedere non potest, quin à se ipse recedat, cùm sit ipsa diuina sapientia.Denique peccare est auerti ab vltimo fine, & summo bono, quod nihil est nisi Deus: igitur sicut repugnat Deum à se teneri: ita repugnat Deum peccare.

Accedat postrema ratio ex eo quod omnes communiter execrantur Marcionem Manichæum,& alios veteres hæreticos, qui aliquo modo Deum faciebant auctorem peccatorum:at longè magis execrandi sunt Libertini,& Caluinistæ. Siquidem illi veteres, cùm non auderent in Deum bonum referrè caussam mali, duos Deos finxerunt, vnum bonum, bonorum auctorem: & alterum malum,auctorem malorum. Libertini verò, & Caluinistæ vnum, & eundem Deum auctorem faciunt omnium scelerum,& flagitiorum, quæ ab hominibus perpetrantur.Sed de his hactenus.

CAPVT XI.

Refelluntur obiectiones deprompta ex diuinis literis.

Svperest vt ad argumenta respondeamus; & quoniam multa loca diuinæ Scripturæ ab aduersariis adferuntur,reuocabimus omnia ad certa capita.

Primvm igitur obiiciuntur ea testimonia,quibus significari videtur,Deum velle, & decreuisse,iam ab æternitate,vt fiant mala opera.Huc pertinet illud Gene.45.*Non vestro consilio,sed Dei voluntate huc missus sum.* Et cap.50. *Nolite timere,num Dei possumus resistere voluntati?* In quibus duobus locis excusat Ioseph scelus fratrum suorum, qui eum vendiderunt Madianitis, quia sic Deus voluerit, cuius voluntati resistere nemo possit.

Huc etiam pertinent illa: *Hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum,per manus iniquorum affligentes interemistis.* Act.2.Et:*Conuenerunt verè in ciuitate ista aduersus sanctū puerum tuum IESVM, quem vnxisti, Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus,& populis Israel,facere quæ manus tua,& consilium tuum decreuerunt fieri.* Act.4.

Responsio. In malis operibus sæpè accidit, vt actio sit mala, & passio bona. Venditio enim Patriarchæ Ioseph,& occisio Domini nostri Iesv Christi, si considerentur ex parte agentium, id est, vendentium,& occidentium,scelera erant grauissima:Si ex parte patientium, videlicet Iosephi, & Christi, æquo animo ferentium venditionem,vel mortem, opera erant summæ patientię,ac per hoc valdè bona.Deus igitur voluit,ac prędefiniuit opera ista virtutum,quę in passione consistunt, cùm voluit,ac prędefiniuit,vt Ioseph vēderetur,& Christus occideretur. Opera autem mala vendētium Ioseph, & occidentium Christum,non voluit, nec prædefiniuit, sed prescíuit,& permisit,vt multi sancti Patres,suprà citati,docent,& in iis Augustinus,Prosper,Fulgentius,qui accuratiùs de iis rebus disseruerunt.Ad hoc enim, vt infallibiliter fieret quod Deus voluerat,& prędefinierat,vt videlicet Ioseph venderetur,& Christus occideretur,satis erat Deum prævidisse malas voluntates fratrum Ioseph,& Iudęorum,ac Pilati,& simul voluisse permittere, vt malæ illæ voluntates suo tempore parerent,quod scelerate conceperant.

Ac vt singula loca in argumento proposito breuiter explicemus,in cap.45.& 50.libri Geneseos,non dicit Ioseph à Deo impulsos fuisse fratres suos ad scelus,sed Deū conuertisse malum eorum in bonum.Sic enim ait:*Vos cogitastis de me malum,sed Deus vertit illud in bonum,vt exaltaret me,& saluos faceret multos populos.* Cōsolatur autem Ioseph fratres suos,ostendens bonum rei euentum ex diuina prouidentia, quæ malum illud permisit, vt multa,& magna bona inde eliceret.Id enim significant illa verba, cap.45. *Nolite timere, neque durum vobis videatur, quod me vendidistis in his regionibus. Pro salute enim vestra misit me Dominus ante vos.* Neque enim parua consolatio est ei,qui peccauit, & quem peccati iam pœnitet, si videat occasione peccati sui magnum aliquod bonum esse consequutum.

Illud autem: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum,* in eundem sensum recidit. Pertinet enim (vt exponit Chrysostomus,homil.64.in Genesin) ad consolationem fratrum,& sensus est:Nisi Deus permittere voluisset id, quod de me facere conabamini, non potuissetis vestro consilio quidquam agere : propterea non vestro consilio, sed Dei prouidentiæ adscribo caussam ingressus mei in Ægyptum, quod etiam docet S. Ambrosius libro de Ioseph,cap.12. vbi scribit, sanctum Ioseph non tam attendisse quod à fratribus missus fuisset ad mortem, quàm quod à Deo missus fuisset ad vitam, & ideò fraterna caritate conatum esse peccatum illorum excusare,& caussam ingressus sui in Ægyptum, non illorum impietati,sed Dei prouidentiæ tribuisse.

Illud autem cap.50.*Nolite timere,num Dei possumus resistere voluntati?* longè alium sensum habet, quàm prima fronte verba præ se ferre videantur.Non enim significat, non potuisse fratres Ioseph resistere Dei voluntati, quæ erat, vt Ioseph Ægyptiis venderetur : Sed non potuisse ipsum Ioseph resistere Dei voluntati, quæ erat vt fratribus suis ignosceret.Verba enim Hebręa hęc sunt,Nolite timere,nam sub Deo sum ego. אל־תיראו כי התחת אלהים אני *al-tiraau ky hathachath Elohim any* & cōcordat textus Græcus,& Chaldæus,& sensus est vt exponit Chrysostomus homilia vltima in Genesin) Deum timeo, & illi subiectus sum,& ideò illum imitari,eiq; obedire debeo. Quare cùm ille tam magna bona mihi præstiterit per occasionem huius venditionis,non debeo,nec possum,vobis irasci, ne ingratus erga Deum videar. Itaque verba illa interpretis Latini: *Num Dei possumus resistere voluntati?* ad solum Ioseph referenda sunt, qui de se in numero multitudinis loquitur,quod non est inusitatum, præsertim cùm de ea re loquatur,quæ ad omnes pertineret,qui vere Deum timent.

Neque alia responsionem exigunt duo testimonia ex Actis Apostolorum, de quibus sic loquitur sanctus Leo sermone 17 de Passione Domini: *Multum diuersum, multúmque contrarium est id, quod in malignitate Iudæorum est præcognitum,& quod in Christi est passione dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi,vnde moriendi, nec de vno extitit spiritu atrocitas sceleris, & tolerantia redemptoris. Non enim impias furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit, nec præsciendo quod faciendum esset,coegit vt fieret, cùm tamen ad hoc carnem suscepisset,vt fieret.* Hæc ille. Nihil igitur aliud ex locis illis colligi potest, nisi Deum voluisse, ac definiuisse, vt Christus passione, ac morte sua mundum redimeret. Non autem voluisse,aut definiuisse, vt Iudas Christum proderet, Iudæi ad Pilatum adducerent, Pilatus morti adiudicaret,milites denique illum crucifigerent, & occiderent, sed hæc omnia prævidisse futura,si ipse permitteret,& voluisse ac decreuisse permittere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XII.

Solluntur obiectiones ex alijs testimonijs Scripturæ.

SECVNDO loco obiiciuntur ea testimonia, quibus significatur, Deum creare impios, vt postea in eorum pœnis iustitia diuina reluceat. Sic enim legimus Prouerb. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.* Et Rom. 9. *An non habet potestatem figulus facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* Exod. 9. *Idcirco autem posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.* Vel vt Apostolus citat Rom. 9. *In hoc ipsum excitauit te, vt ostendam in te virtutem meam, &c.*

RESPONDEO, Deum non creare impios nisi materialiter, vt in scholis Theologi loquuntur, id est, creare eos, quos videt futuros impios, vt eorũ impietate, quam ipse non fecit, sed tantùm præsciuit, vtatur ad iustitiam & potentiam suam manifestandam. Sic sanctus Augustinus loquitur in epistola 106. ad Paulinum: *Quamuis peccata non fecerit, naturas tamen ipsas, quæ per seipsas sine dubio bona sunt, quibus tamen ex arbitrio voluntatis futura essent vitia peccatorum, & in multis talia, quibus esset æterna pœna reddẽda quis nisi Deus creauit? Quare, nisi quia voluit? quare autem voluerit, ô homo, tu qui es, qui respondeas Deo? numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quare sic me fecisti? annon habet potestatem figulus luti ex eadem conspersione facere, aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* Hæc ille.

Item in Enchiridio, cap. 27. posteaquam dixerat, totam naturam infectam esse peccato originali, sic ait: *Non sine creatoris desiderente bonitate, & hominum, quamuis de propagine vitiata damnandaque nascentium formare semina, & animare, & ordinare membra per temporum etates, per locorum spacia, vegetare sensus, alimenta donare. Melius enim iudicauit de malis benefacere, quam mala nulla esse permittere.* In Prouerbiis igitur cùm legimus, Deum omnia propter semetipsum operari, impium quoque ad diem malum: nihil aliud intelligendum est, nisi Deum, qui omnia produxit in gloriam suam: eos etiam, quos vidit impios fore, si crearentur, nihilominus procreâsse, vt reddita eis pœna, quam merentur, iustitiæ suæ gloriam patefaciat.

Itaque negamus aliquos a Deo creari ad interitum sempiternum, sed eos, qui ad malum, siue interitum præuidentur ituri dicimus creari propter gloriam Dei. Hoc enim dicit Salomon, Deum omnia propter semetipsum operari, impium quoque ad diem malum, (videlicet iturum) propter semetipsum, id est, ad gloriam suam operari.

Tota autem quæstio in eo fita esse videtur, an impij creentur ad gloriam diuinæ iustitiæ, in eorum supplicijs demonstrandam, ob decretum Dei, quod omnem culpæ præuisionem antecesserit, vt Caluinus, & Beza docent, an potius, quod nos credimus, quia Deus ob eorum præuisa peccata, eos decreto suo ab æternitate damnauerit. Tantùm autem abest, vt Salomon dixerit, Deum ante peccati præuisionem decreuisse aliquos damnare, vt potius contrarium significasse videatur, cùm ait, Deum omnia operari propter semetipsum, id est, vt gloriam misericordiæ, iustitiæque suæ demonstret. Nam damnationem decernere ob præuisa peccata iustitiæ est: Sine præuisione autem peccatorum damnationem decernere, iniustitiæ esse videtur, sic enim loquitur sanctus Augustinus libro tertio in Iulianum, cap. 18. *Bonus est Deus, iustus est Deus, potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quenquam sine malis meritis damnare, quia iustus est.* Et in Epistola 106. ad Paulinum: *Quemquam inmeritum, & nulli peccato obnoxium si Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur.* Non potuit igitur Deus ante præuisionem peccati decernere damnationem alicuius, vt iustitiam suam ea damnatione monstraret.

Quod etiam manifestiùs fiet ex testimonij secundi explicatione. Nam quod dicitur Deus fecisse vasa quædam in contumeliam, non sic accipiendum est, quasi ipse ex materia nobili, aut indifferenti fecerit vasa in contumeliam, sed quod ex materia damnata, & contumeliosa fecerit vasa, qualia materia ipsa postulabat, cùm tamen ex eadem materia fecerit alia quædam in honorem, pro voluntate sua, non pro conditione materiæ, quomodo si figulus ex luto vasa quædam lutea faceret, eaq; vt materia ipsa requirit, vilissimis ministeriis deputaret: quædam autem ex eodem luto facta, supra materiæ conditionem auro, & gemmis ornaret, & ad nobilissimos vsus adhiberet. Ex quo sequitur, vt vasa facta in contumeliam, à Deo habeant, vt sint vasa, à materia verò, vt sint in contumeliam: vasa verò facta in honorem, à Deo vtrumque habeant, & quod vasa sint, & quod in honorem sint.

Ita exponit S. AVGVSTINVS in epistola 105. ad Sixtum: *An non habet*, inquit, *potestatem figulus luti ex eadem massa, vtique meritò, rectèque damnata, facere aliud vas in honorem indebitum, propter misericordiæ gratiam, aliud in contumeliam debitam propter iræ iustitiam.* Et rursus ibidem: *Quamuis itaque Deus faciat vasa iræ in perditionem, vt ostendat iram, & demonstret potentiam suam, qua bene etiam vtitur malis, & vt notas faciat diuitias gloriæ sitæ, in vasa misericordiæ, quæ fecit in honorem, non damnabili massæ debitum, sed suæ gratiæ largitate donatum, tamen in eisdem iræ vasis propter meritum massæ in contumeliam debitam factis, id est, hominibus, propter naturæ bonum creatis, sed propter vitia supplicio destinatis, iniquitatem, quam rectissima veritas improbat, damnare nouit ipse, non facere.* Et in epistola 106. ad Paulinum: *Hæc massa*, inquit, *si esset ita media, vt quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, vt ex ea fierent vasa in contumeliam. Cum verò per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem vniuersa defluxerit, proculdubio quod ex ea sunt vasa in honorem, non ipsius iustitiæ, quæ gratiam nulla præcessit, sed Dei misericordiæ: quod verò in contumeliam, non iniquitati Dei, quæ absit vt sit apud Deum, sed iudicio deputandum est.*

SED Theodorus Beza animaduertens hunc locum ita explicatum, errori suo ad quem stabiliendum eum adduxerat, nihil fauere, confidenter sancti Augustini sententiam reiicit, & per massam, ex qua fiunt vasa in honorem, & in contumeliam, intelligendum esse contendit genus humanum non creatum, & vitio primi peccati corruptum, sed credendum, siue lutum illud, ex quo Deus Adamum, & in illo omnes homines finxit. Sic enim loquitur in responsione ad acta colloquij Montisbelgardensis, parte priore, pagina 155. *Sed requirit*, inquit, *D. Andreas aliquid expressius. Cum igitur idem Apostolus Deũ testatur mittar figuli ex eadem massa quædam vasa honori, quædam dedecori fecisse, quomodo dictum istud explicari verè, & commodè poterit, quin ad ipsum vsque Adami opificium ascendamus? nec enim massæ nomen humano generi condito, sed condendo conuenit, ne dum vt massæ appellatione corruptum humanum genus intelligatur. Nam si ita esset, minimè dixisset Apostolus, Deum ex illa massa facere vasa iræ, sed quæ iam essent iræ vasa, in illa misera massa relinquere, nec Apostolo laborandum fuisset in asserenda Dei iustitia in reproborum exitio. Deus igitur illic confertur cum figulo, cui si conceditur vasa tum ad honestos, tum ad turpes vsus arbitrio suo condere, neque luto propterea fieri putatur iniuria: an non multo magis Deo sic lutum illud, ex quo humanum genus in vno homine conderet, disponere licuit, vt inde alios educeret, in quibus iustam iram suam exerceret, alios quos per insignem suam bonitatem bearet. Quomodo verò illa condidit? certè in Adamo, ad cuius etiam creationem proculdubio respexit Apostolus, cùm figuli & luti meminit.* Et pag. 164. *Nec etiam ignoro*, inquit, *ipsum Augustinum sæpe per luti massam intelligere humanum genus, non solum vt iam conditum, sed etiam originis peccato vitiatum, vnde nascantur, quorum misereatur*

reatur, & quos iuste indaret. Sed si valet istud, tam nota esset caussa destinationis ad iram, quàm destinationis ad misericordiam. Cur autem Apostolus, si ita esset, exclamaret, O altitudo diuitiarum.

SED facilè est, istam Bezæ sententiam refutare, & eius obiectionibus respondere. Nam vt omittam quod per massam, genus humanum peccato corruptum, intelligunt præter Augustinum, Ambrosius, Haymo, Primasius, Beda, Anselmus, Thomas, & alij in hunc locum, id ipsum indicat Apostolus cùm ait: *Si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patiẽtia vasa iræ, apta in interitum, vt ostenderet, diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Quibus verbis significatur, Deum quidem valdè odisse vasa illa contumeliæ, & voluisse primo quoque tempore in eorum confactione ostendere iram, & potentiam suam: tamen sustinuisse vasa illa in multa patientia, quia id vtile esset vasis misericordiæ, quæ præparata erant in gloriam.

At certè si Deus fecisset vasa contumeliæ propria sua voluntate, non id exigente conditione materiæ, non ea odisset, neque iure confringere vellet. Nil enim Deus odit eorum, quæ fecit. Et cur, quæso, sustinere deberet Deus in multa patientia vasa illa, si ea sponte ipse fecisset, & talia esse voluisset: certè figulus si ex luto faciat vasa lutea, eaque vilissimis ministeriis deputet, non propterea illa odit, neque illis irascitur, neque confracta videre cupit.

DEINDE quamuis sancti Augustini auctoritatem Beza repudiet, eius tamen rationem velit, nolit, admittere debet. Est enim illud insolubile argumentum, si massa aliqua ita esset media, vt nec boni, nec mali aliquid mereretur (vt Beza existimat) non frustrà videretur iniquitas apud Deum, si is ex ea faceret vasa in contumeliam: at non est, nec esse potest iniquitas apud Deum: igitur massa, ex qua fiunt vasa in contumeliam, est antè corrupta per peccatum, & iram Dei, contumeliamque meretur.

Quod verò Beza dicit, non fieri vasa in contumeliam, nisi interueniente lapsu Adami, parum valet ad Dei iustitiam demonstrandam. Nam vt ipse ibidem (in responsione ad acta colloquij Montisbelgardensis, pagina 155. & 164.) dicit: *Decretum Dei de faciendis ex eadem massa vasis alijs in honorem, alijs in contumeliam, antecedit omnem præuisionem culpæ, & omnem omnino caussam, sed quia non poterat Deus executionem huius decreti viam aperire, nisi homo peccaret, ideò ordinauit lapsum Adami, vt haberet quorum misereretur, & quos iuste puniret.* Itaque interuentus ille lapsus primi hominis non ad decretum diuinum de perdendis in æternum reprobis, sed ad executionẽ decreti pertinet. Quod certè iniustitiam Dei non tollit, sed auget. Sicut enim iniustum est in executione damnare hominem nihil merentem; ita iniustum est, decernere hominem dãnare, cuius nullum extet malũ meritum, ne in præuisione quidem, cùm fit decretum. Cùm enim iustitia exigat, vt pœna respondeat culpæ, sicut exequutio damnationis iniusta est, culpa non præcedente, ita etiam decretum damnationis iniustum est, nisi ob culpam, saltem præuisam, fiat.

Dixi autem iniustitiam non solùm non tolli, sed etiam augeri, quia additur nouum genus iniustitiæ, cùm dicitur Deum decreuisse, & ordinasse primi hominis lapsum, vt haberet, quos iuste puniret, quin etiam magis iniustum est, vt Deus velit, & ordinet, vt homo peccet, vt habeat quos puniat, quam vt simpliciter absque culpa puniat. Maius enim malum est culpa, quam pœna, & ideò maior iniustitia est alicui nihil mali merito, auctorem esse culpæ, quàm pœnæ.

Sed respondeamus ad argumenta, quibus Beza probat massam apud Apostolum non esse genus humanum originis vitio iam deprauatum. Primum argumentum: *Si ita esset*, inquit, *non diceret Apostolus, Deum ex illa massa facere vasa iræ, sed quæ iam essent iræ vasa, in illa misera massa relinquere.* Respondeo, rectè Apostolum dixisse, à Deo vasa fieri ex massa, non autem relinqui in massa, quia homines nondum nati non sunt in massa, nec sunt vasa, nisi in potentia. Cùm autem actu nascuntur, tunc incipiunt esse actu vasa, & quidem ex massa corrupta formata, id est, ex genere humano originali vitio infecto, propagata.

SECVNDVM argumentum: Si de massa iam corrupta loqueretur Apostolus, non laboraret in asserenda Dei iustitia in reproborum exitio. Tam enim nota esset caussa destinationis ad iram, quam destinationis ad misericordiam. Cur autem si ita esset, exclamaret, o altitudo diuitiarum. Respondeo, nõ laborare Apostolum in asserenda Dei iustitia in reproborum exitio, sed in eo, quod in pari caussa Deus vnius misereatur, alterius non misereatur. Quod Iacob diligat, Esau odio habeat, antequam quidquam boni, vel mali egerint, cùm vterque natura sit filius iræ. Quod denique ex eadem massa, corrupta videlicet, & vitiata, alia vasa efficiat, vt massa ipsa mereatur, in contumeliam, alia præter omne meritum efficiat in honorem. Huius enim discretionis nulla caussa assignari potest, nisi Dei voluntas, quemadmodum etiam illius, qua figulus ex eadẽ massa aliud vas deputat cibis aliud sordibus excipiendis, & illud ornat auro, & pictura, hoc luteum, vt est, relinquit. Atque ad hãc discretionem perpetuò refert sanctus Augustinus illam Apostoli exclamationem: *O altitudo diuitiarum!* ac præsertim in epistola 105. ad Sixtum, vbi tractans illud: *O altitudo! Nec*, inquit, *de inscrutabilib. iudicijs eius audeãt iudicare, cur in vna eademque caussa super alium veniat misericordia eius, super alium maneat ira eius. Qui enim sunt isti, qui respondeant Deo?* Et ibidẽ: *Cur autem istum potius, quàm illum liberet, aut non liberet, scrutetur qui potest iudiciorum eius tam magnum profundum, verumtamen caueat præcipitium.*

TERTIVM argumentum, Ad primi hominis creationem proculdubio respexit Apostolus, cùm figuli, & luti meminit. Respondeo, id non esse necessarium, nec verisimile, cùm extet locus apertissimus in Isaia, cap. 45. ad quem Apostolus, Caluino etiam, & Petro Martyre testibus, quos Beza præceptores agnoscit, illusit: *Numquid dicit lutum figulo suo, quid facis, &c.* vbi Prophera non tractat de prima hominis formatione, sed dicit, non minus posse Deum de hominibus pro arbitrio disponere, quam figulum de vasis. Præterea si propriè loqui velimus, ex luto, vnde formauit Deus primum hominem, non fuit facta multa vasa, sed vnum tantùm, idque in honorem. Cæteri enim homines nõ ex luto Deus fingit, sed ex alis hominibus per carnalem generationem quotidie propagat. Proinde massa, ex qua fiũt vasa alia in honorem, alia in contumeliam, non est lutum illud, ex quo primus homo solus, & extraordinario quodam modo formatus est, sed homines ipsi sunt, ex quibus per naturalem generationis viam alij homines procreantur.

RESTAT vltimus locus ex cap. 9. Exod. & cap. 9. ad Romanos: *In hoc ipsum posui*, siue excitani, *te, vt ostendam in te potentiam meam, &c.* videtur enim his verbis colligi Pharaonem ideò fuisse à Deo creatum, vt peccaret, & ob peccata punitus, Dei potentiam demonstraret. Sed facilè est ex iis quæ antea dicta sunt, hunc locum explicare, siue enim illud, posui, aut excitaui te, significet, creaui te, siue ad regnum prmoui, siue conseruaui, cùm iamdudũ mori debuisses (omnia enim hæc patitur vox Hebræa העמדתיך *Heem dettiha*, quæ ad verbum sonat, & stare feci te) semper intelligendum est, præuisum peccatum, quod Deus non facit, sed ordinat in bonum.

Itaque sensus est, cùm prouiderim fore te mihi contrarium, & obstinata mẽte præceptis meis repugnaturum, & cùm potuerim impedire, ne nascereris aut ne ad regnum conscenderes, vt etiam statim re de medio tollere,

Universidad de Deusto
Biblioteca

cùm primùm peccare cœpisti, ideò tamen vitam, & regnum tribui tibi, idque ad non breue tempus, vt malitia tua vteret ad exercitium populi mei, & iustitiam, ac potentiam meam in tuo supplicio demonstrarem.

S. Avgvstinvs quæstione 32. in Exodum, ita hunc locum exponit: *Et propter hoc ipsum conseruatus es, vt ostendam in te potentiam meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra. Hæc scripturæ verba & Apostolus posuit, cùm in eodem loco peràfficili versaretur. Ibidem autem & hoc ait: si autem volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa iræ parcendo vtique ijs, quos malos futuros esse præsciebat, quæ vasa dicit perfecta in perditionem.* Et infra: *Nouit ergo Deus vti malis, in quibus tamen humanam naturam non ad malitiam creat, sed eos perfert patienter, quousque sciat oportere, non manuter, sed vtendo eis ad admonitionem, vel exercitationem bonorum. Ecce enim vt annunciaretur nomen Dei in vniuersa terra, vasis misericordiæ vtique prodest. Ad eorum itaque vtilitatem Pharao seruatus est, sicut & Scriptura testatur: & exitus docet.*

Porrò Rupertus Tuitiensis hunc eundem locum explanans, ita ait: *Nam idcirco potius Deus Pharaonem excitauit, subaudiuit in regnum, & idcirco summam illi potestatem cõtulit, quia vas iræ fuit, & quia iamdudum aptus erat in interitum, idcirco corripiendis superpositus est misericordia filijs, vt esset virga furoris, & baculus in manu Domini super eos, quos per tribulationem in gloriam transferre præparauit. Igitur cùm dicit, idcirco excitaui te, subaudiendum est, in regnum permittendo videlicet non agendo vt in summum ascenderes imperium, vt haberes potestatem secundum nequitiam, vel duritiem cordis tui sæuiendi in populum meum.* Hæc ille.

Caluinus, & Petrus Martyr in commentario, capitis noni ad Romanos referût illud: *Excitaui te* ad inobedientiam Pharaonis, vt sensus sit: In hoc ipsum incitaui te, vt populum meum affligeres, & mihi resisteres, quo in te demonstretur potentia mea. Et siquidem vellent, Pharaonem excitatum, vt eius inobedientia præuisa Deus vteretur ad populi iustam castigationem, & potentiæ suę ostensionem, idem dicerent, quod nos cum S. Augustino paulò ante diximus. Sed si velint quod sanè velle videntur, Deum ante omnem peccati Pharaonis præuisionem absolutè Pharaonem excitasse, vt sibi resisteret, apertissimè Deum auctorem peccati faciunt, & S. Augustino repugnant, qui in loco paulò antè citato, dixit, Deum non creare homines ad malitiam, sed iis, quos malos scit futuros, benè vti. Neque ex verbis Mosis, aut Pauli, aliud colligi potest, quàm Pharaonem, à Deo fuisse creatum, vel conseruatum, vel ad regnum promotum, quamuis eum inobedientem, & obstinatum futurum sciret, vt iustitiam, & potentiam suam manifestaret.

CAPVT XIII.

Soluuntur obiectiones ex alijs Scripturæ locis.

Tertivm caput continet ea loca, in quibus significatur Deum impellere homines ad mala, & iis quasi instrumentis vti ad ea opera, quæ sine peccato perfici nequeunt, Lib. 2. Reg. cap. 24. *Addidit iratus est furor Domini contra Israël, commouitq; Dauid in eis dicentem, Vade, numera Israël,* Eodem lib. cap. 16. *Dominus præcepit Semei, vt malediceret Dauid.* 2. Reg. 2. dicit Deus spiritui malo, qui promiserat se deceptorum Achab, *Decipies, & præualebis, vade, & fac ita.* Item lib. 3. Reg. cap. 11. & 12. & lib. 4. cap. 9. & 10 dicitur à Deo fuisse rebellio Hieroboam, contra Roboam, & Hiehu contra Achab, & tamen constat vtrumque peccâsse vnà cum populo, qui à legitimis Regibus defecit.

Iob primo: *Dominus dedit, Dominus abstulit,* vbi dicitur Deus abstulit, quæ Chaldæi abstulerant, quia illi instrumenta Dei fuerant in eo opere. Isaiæ 10. Sennacherib dicitur serra in manu Domini. Et ibidem, virga furoris, & baculus iræ eius. Et cap. 13. *Ecce ego suscitabo contra vos Medos, qui argentũ non cogitabunt, nec aurum desiderabunt: arcubus suis pueros configent, & fructus ventris non miserebuntur, nec parcet filijs oculus eorum.* Et ab initio capitis: *Præcepi,* inquit, *sanctificatis meis.* Vbi Medos, & Persas sanctificatos suos vocat, qui instrumenta erant iræ suæ. Hieremiæ 51. *Excitauit Dominus spiritum Regum Medorum: quoniam cogitatio eius est contra Babel.* Et cap. 50. vocatur Rex Babylonis malleus vniuersæ terræ. Et Ezech. 12. vocatur idem Rex rete Dei, ad capiendos Israëlitas, expansum. Huc etiam pertinent loca illa Psalmorum, Psal. 43. *Declinâsti semitas nostras à via tua.* Psal. 194. *Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius.* Psal. 118. *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam.* Psal. 104. *Non declines cor meum in verba malitiæ.* Deniq; illud: *Et ne nos inducas in tentationem.* Mat. 6.

Respondeo, Quatuor modis posse intelligi, vt Deus impellat, siue inclinet aliquem ad malum. Primus modus esset, Si Deus per se, & propriè impelleret, vel physicè, id est, mouendo immediatè voluntatem, vel moraliter, id est, verè, & propriè imperando. Sed hic modus est manifestè falsus, & in Deum impius, ac blasphemus. S. Augustinus tractatu 43. in Ioannem: *Fecerunt,* inquit, *peccatum Iudæi, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet. Sed facturos esse præuidit, quem nihil latet.* Et paulò pòst: *Hoc omninò pietas religiosorum inconcussum debet, inuiolatumque tenere, sicut Apostolus dicit, cùm eandem tractaret difficillimam quæstionem, numquid iniquitas apud Deum? absit.* Et libro de gratia & libero arbitrio, cap. 20. *Quomodo,* inquit, *dixerit Dominus Semei maledicere Dauid, quis sapiens, & intelliget? non enim iubendo dixit, vbi obedientia laudaretur. Nam si iubenti obtemperâsset, laudandus potius, quàm puniendus esset, sicut ex hoc posteà nouimus esse punitum.* Itaque S. Augustinus negat peccatores compelli à Deo ad peccatum, quia esset iniquitas apud Deum, & simul etiam negat à Deo propriè imperari peccatoribus, vt peccent, quia illi obtẽperantes Deo laudandi potius, quàm puniendi essent.

Hoc igitur modo, vt impio, prætermisso, Secundus modus est, vt intelligamus, Deum in Scripturis dici excitare, & prouocare aliquos ad malum, vel etiam imperare, vt malè operentur, eisque tanquam instrumẽtis vti, quia permittit eos malè agere. Quamuis enim non omnis, qui aliquid permittit, rectè dicatur imperare, vt illud fiat, neque excitare, & prouocare ad illud, tamen Deus, sine cuius permissione nihil fieri potest, cùm ad certum aliquem finem consequendum, fieri finit aliquid, rectè dicitur per quendam tropum, illud imperare, atque ad illud excitare. Quemadmodum etiam vsitatè dicimus, à venatore immissum fuisse canem in leporem, quamuis venator funem solùm laxauerit, quo canis retinebatur ne leporem consequi posset.

Id apertè discimus ex historia Iob, neque enim Deus diabolum excitauit in Iob, sed petenti facultatem eũ vexandi concessit illis verbis: *Ecce vniuersa quæ habet, in manu tua sunt, tantùm in eum non extendas manum tuam.* Neque necesse erat vt Deus incitaret diabolum in Iob, neq; vt illi imperaret, vt sanctum illum virum tam atrociter diuexaret. Ipse enim diabolus satis per se oderat Iobum, & omnem suam potentiam in eum experiri cupiebat, quia tamen ei nocere non poterat, nisi Deus permitteret, & quamdiu, quousq; quomodo permitteret, ideò Scriptura totam illam afflictionem Deo potius, quàm Diabolo tribuit. Nam & Iob dicit: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Et diabolus dixit: *Extende manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* Et Deus ipse dicit: *Tu autem commouisti me, vt affligerem eum frustrà.* Videmus igitur Deo tribui actiones illas, cùm solùm eas fieri ipse permiserit.

Idem patet ex Augustino, qui libro secundo ad Simplicianum, quæst. 2. explicans testimonium Iob, dicit, Sathanam

Sathanam per se habuisse malã volũtatem nocendi sancto Iob, à Deo autem nihil petiuisse, nisi permissionem exequendi quod iam conceperat. Et libro de gratia, & libero arbitrio, cap. 23. sic ait: *Cum audiuis,* inquit, *ego Dominus seduxi Prophetam illum, vel quem vult indurat, eius merita cogitate, quem sic obdurari, vel seduci permisit.*

Tertivs modus est, vt dicatur Deus excitare ad malum, vel imperare malum, vel vti malis impiorum voluntatibus tamquam instrumentis, quia non solùm permittat impios malè agere, sed etiam deserat eos, qui affliguntur, & sic donet impijs in eos victoriam. Sic dicitur Deus imperasse spiritui, vt deciperet Achab, quia nõ solùm permisit spiritui, vt loqueretur mendacia per ora omnium Prophetarum Achab. Sed etiam non dedit illi lumen, quo discerneret mendacium à veritate. Sic etiam dicitur Deus vsus Assyrio Rege, tanquam virga, & baculo, vel etiã malleo, & securi, ad percutiendos filios Israël, quia non solùm permisit Regem illum armari in Israëlitas, sed etiam deseruit populum suum, auertit adiutoriũ gladij sui, & non est auxiliatus ei in bello, vt dicitur in Psalmo 88. Sed etiam exponit sanctus Augustinus in epistola 89. quæst. 2. illud: *Et ne nos inferas in tentationem. Intelligitur,* inquit, *ne nos inferri deserendo permittas.*

Sed si fortè isti modi non per omnia satisfaciant, accedat Alius, qui omninò satisfaciet. Deus igitur non solùm permittit impios agere multa mala, nec solùm deserit pios, vt cogantur pati quæ ab impijs inferuntur, sed etiã præsidet ipsis voluntatibus malis, easque regit, & gubernat, torquet, ac flectit in eis inuisibiliter operando, vt licet vitio proprio malæ sint, tamen à diuina prouidentia ad vnum potius malum, quàm ad aliud non posituè, sed permissiue ordinentur.

Explicat hoc Hugo de sancto Victore lib. 1. de Sacramentis, parte 5. cap. 29. his verbis: De illo autem modo diuinæ moderationis, quo malas etiam voluntates præsidens occulta, & inuisibili operatione ad suum arbitriũ temperat, & inclinat, hoc sentiendum, vt credatur Deus malis voluntatibus nõ dare corruptionem, sed ordinem. Et infra: Voluntati ergo malæ, vitium est ex ipsa, quo mala est, ordo autem ex Deo est, quo per velle siue ad hoc, siue ad illud est. In voluntate ergo vitium est, & ipsum malum est, & ex ipso voluntas mala est. In velle autem & vitium est, in quantum velle ex voluntate mala est, & ordo est, in quantum ad hoc, vel ad hoc ex disponente est. Et cùm ipsum velle ad hoc aliquid est, malum est, quod ad hoc est, quia mala volũtate est: quod autem potius ad hoc, quàm ad illud est, bonum est, quia ordo est, & ex benè disponente est. Potest ergo voluntas mala in se corrumpi, & resolui per proprium vitium, quod ei aliunde non datur: sed non potest per velle extra se præcipitari, nisi quâ ei via aperitur. Et qui præcipiti quâ vult ad ruinam viam aperit, quodammodo ipsam inclinat, nõ impellendo, sed permittendo, & non tenẽdo, nec auctor illi est ruendi, sed incedendi ordinator. Hæc ille.

His autem addi potest ex sancto Thoma in commentario, cap. 9. ad Romanos, Deum nõ solùm inclinare voluntates malas ad vnum potius, quàm ad aliud permittendo, vt ferantur in vnum, & non permittendo, vt ferãtur in aliud, vt Hugo rectè docuit, sed etiam positiuè, inclinando in vnũ, & auertendo ab alio, non quidem per se & physicè mouendo voluntatem ad vnum, & remouendo ab alio, quod libertati arbitrij præiudicare videretur, sed occasionaliter, vt sanctus Thomas loquitur, & moraliter, immittendo videlicet cogitationem aliquam bonã, ex qua malus ob suum vitium occasionem sumat iudicandi, melius esse huic nocere, quàm illi, siue huic potius iniquitati seruire, quàm illi. Ex iuxta hunc modum sanctus Augustinus, & Theodoretus exponunt illud Psalmi centesimi quarti: *Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius.* Dicunt enim Deum id fecisse non peruertendo corda Ægyptiorum, sed benefaciendo populo suo, vnde Ægyptij maioris odij occasionem acceperunt. Ita igitur Deus, licet malas non faciat voluntates, eis tamen præsidet, & regit, atque ordinat in bonum electorum suorum, quemadmodum (docet sanctus Basilius in oratione, quod Deus non sit auctor malorum) medici vtuntur viperæ veneno, quod ipsi non fecerunt ad corpora curanda.

Atque ex iis explicari possunt omnia loca suprà citata. Quod enim libro secundo Regum, capite vigesimo quarto, dicitur à Deo commotum Dauidem, vt numeraret populum, in qua numeratione grauiter peccauit, ex lib. 1. Paralip. cap. 21. explanatur, vbi sic legimus: *Consurrexit autem Sathan contra Israël, & incitauit Dauid, vt numeraret Israël.* Itaque is, qui propriè Dauidem incitauit ad peccatum, non Deus, sed diabolus fuit: tribuitur tamen hæc incitatio etiam Deo, quia nisi Deus permisisset, diabolus id non fecisset. Permisit autem Deus, quia id peccata populi merebantur.

Ad illud de maledictione Semei, iam dictũ est, quemadmodum intelligi debeat, Deum præcepisse Semei, vt malediceret Dauid. Dicitur enim Deus præcepisse, quia corruptam Semei voluntatem inclinauit ad maledicendum Dauidi: Inclinauit autem (vt diximus ex Hugone) non compellendo, sed aperiendo illi viam ad hoc malum, & claudendo ad alia, id est, permittendo, vt hoc solùm malum vellet, & perageret ex multis, ad quæ parata erat.

Eadem est responsio ad aliud de spiritu decipiente Achabum. Ipse enim spiritus obtulit se Deo, ad decipiendum Regem, nec tam imperio, quàm permissione diuina egebat, cùm ex se promptissimus ad omne malum, immò & cupidissimus nocendi esset. Sed vrget Caluinus libro primo Institutionum, capite decimo octauo, §. 1. *Si Dei iudicium est excæcatio, & amentia Achab, nuda permissionis figmentum euanescit: quia ridiculum esset, iudicem tantùm permittere, non etiam decernere quid fieri velit, & mandare exequutionem ministris.*

At sancto Augustino ridiculum non est visum iudicem tantùm permittere, cùm ait libro de gratia, & libero arbitrio, capite vigesimo tertio: *Cùm audiuis, ego Dominus decepi Prophetam illum, & quem vult indurat, eius merita cogitate, quem sic obdurari, & seduci permisit.* Vbi cùm sanctus Augustinus dicit, ob merita hominũ Deum permittere deceptionem, & indurationẽ, satis ostendit, Deũ vt iudicem illa permittere. Quãuis enim simpliciter permittere soleat etiam is, qui non est iudex: tamen si quis in manu sua habeat impedire, vel permittere, vt vnus alteri nocear, & decernat non impedire, sed permittere, vt hac ratione puniat eum, qui tali pœna dignus est, is profectò iudicem in ea permissione aget.

Ad alia duo de Hieroboam, & Hiehu eadem responsio adhiberi posset, sed probabiliùs dici posse arbitror, vtrumque fuisse legitimum Regem, & à Deo propriè electum. Quamuis enim Caluinus libro primo Institutionum, capite vltimo, velit Hieroboam & Hiehu deficiendo à propriis Dominis, & regnum inuadendo grauiter peccasse, & idem de Hieroboam sentiat Petrus Martyr in commentario capitis vndecimi, libri tertij Regum. Tamen sanctus Augustinus libro decimo septimo de Ciuitate Dei, capite 21. & 22. apertè docet, neque Hieroboam, neque populum in ea defectione peccâsse: *Apparuit,* inquit, *nullum in ea re nec Regis Israël, nec populi fuisse peccatum, sed voluntatem Dei vindicantis impletam.* Et profectò Scriptura sancto Augustino manifestè fauet. Nam libro tertio Regum, capite vndecimo, posteaquam Ahias Propheta nomine Dei regnum promiserat Hieroboamo, subiungit hæc verba: *Si audieris omnia quæ præcepero tibi, & ambulaueris in vijs meis, & feceris quod rectum est coram me, custodiens mandata mea & præcepta mea sicut*

Universidad de Deusto
Biblioteca

fecit Dauid seruus meus, ero tecum, & ædificabo tibi domum fidelem, quomodo ædificaui Dauid domum. At certè Deus non conferret Hieroboamum cum Dauide, neque illi promitteret protectionem in regno, & fidelem successionem, si eum non verum Regem, sed Tyrannum, & inuasorem fuisse sciuisset.

Propterea capite duodecimo, cùm Roboam aciem armatam educere vellet in Hieroboam, vt vniuersum reguum recuperaret, misit Deus Semeiam Prophetam, qui diceret Regi Roboam, & vniuerso populo: *Non ascendetis, neque bellabitis contra fratres vestros, filios Israël. A me enim factum est verbum hoc.* Quo audito, cessauerunt ab intentione bellandi, & agnouerunt Hieroboam vt legitimum Regem, atque à Deo creatum super decem tribus, quemadmodum Rex erat Roboam super tribum Iuda & Beniamin. Itaque licet postea Hieroboam scelestissimus fuerit, & schisma fecerit in religione, tamen cùm regnú accepit, bonus erat, & electione diuina, ac totius populi consensu & vocatione legitimè regnare cœpit.

Quod idem constat de Hiehu: non enim regnum ambiuit, sed ad eum, nihil tale cogitantem, misit Helisæus vnum de filiis Prophetarum, qui eum nomine Dei vngeret Regem super Israël, & imperaret vt occideret Achabum Regem, Iezabelem Reginam, & omnem eius domum exterminaret. Ac deinde cùm id ipse perfecisset, dixit ad eum Dominus: *Quia studiosè egisti quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo, fecisti contra domum Achab, filij tui vsque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel.* libro quarto Regum capite nono, & decimo. Quis autem credat, Deum laudaturum fuisse factum Hiehu, ac dicturum, eum studiosè fecisse, quod rectum erat, si Hiehu ex ambitione rebellasset, & iniustè Dominum suum occidisset, vt Caluinus docet? Non igitur rectè probauit Caluinus, ex Deo esse, quæ peruerse fiunt ab hominibus, quia fuerit auctor regni Hieroboam, & Hiehu.

Sed obiicit Caluinus, quod in Oseæ capite octauo, Deus videatur improbare Regnum Hieroboam, cùm ait: *Ipsi regnauerunt, & non ex me, principes extiterunt, & non cognoui.* Quem locum sanctus Hieronymus etiam de Hieroboam interpretatur. Respondeo, duobus modis dici posse Hieroboam regnâsse non ex Deo, id est, Deo non approbante. Primum enim exponi potest hic locus, (vt sanctus Thomas admonet in commentario capitis decimi tertij, epistolæ ad Romanos) de vsu regni, non de institutione, & hoc modo certum est, non fuisse ex Deo regnum Hieroboam, neque aliorum, qui eum sequuti sunt. Omnes enim impij Reges fuerunt.

Deinde potest hic idem locus exponi de caussa, siue occasione institutionis Regni Hieroboam, ea siquidem non fuit ex Deo, ac per hoc nec ipsa institutio, nimirum si ad occasionẽ respiciatur, fuit ex Deo. Deus enim non volebat Salomonem ita grauiter peccare, vt mereretur diuisionem regni, neque absolutè volebat Regnum diuidi: tamen posito peccato Salomonis, placuit Deo, vt regnum diuideretur, & ideò ipse partem eius regni tradidit Hieroboam. Qua ratione conciliare solemus duo illa loca: *Deus mortem non fecit*, Sapient. 1. Et: *Dominus mortificat, & viuificat.* 1. Reg. 2. Deus enim verè neci dat quos vult, sed tamen id non faceret, nisi in primo parente totum genus humanum mortis reatum contraxisset.

Neque aliud voluisse sanctum Hieronymum, perspici potest ex eo, quod ipse testimonium Oseæ non exponit de solo Hieroboam, sed etiam de Saule. Constat autem Saulem verum, & legitimum Regem fuisse, & à Deo electum, iuxta illud 1. Regum 10. *Certè videris quem elegit Dominus, quoniam non est illi similis in omni populo.* Et tamẽ quia peccauit populus in petendo Rege, vt habemus 1. Reg. 12. Occasio eligendi Saulem, siue instituendi Regni in populo Dei, non fuit ex Deo, & verè dicere potuit Deus per Propheram, *Ipsi regnauerunt, & non ex me.* Sed de hoc loco satis multa dicta sunt.

Ad illud Psalm. 43. *Declinâsti semitas nostras à via tua.* Respondeo, Declinationem illam semitarum à viis Domini, non esse declinationem ad peccata, sed declinationem ab auxilio, & fauore diuino. Præcedit enim in eo loco: *Hæc omnia venerunt super nos, Nec obliti sumus te, & inique non egimus in testamento tuo.* Et paulò post sequitur: *Et declinâsti semitas nostras a via tua.* Et mox adiungitur explicatio: *Quoniam humiliâsti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis.*

Adde, quod licet videatur per affirmationem dici, *Declinâsti semitas nostras a via tua*: tamen possumus subintelligere negationem, quæ habetur ad initium versiculi, iuxta regulas Hebræorum, vt sensus sit, Non recessit retrò cor nostrum, & non declinâsti semitas nostras à via tua, id est, te adiutore, non declinauimus à via tua, tantùm abest, vt retrocesserit à te cor nostrum. Itaque sanctus Hieronymus vertit, Non recessit retrò cor nostrum, nec declinauerunt semitæ nostræ à viis tuis. Ad alia loca non est opus alia responsione. Iam enim exposuimus quemadmodum intelligenda sint.

CAPVT XIV.

Soluuntur obiectiones ex Scripturæ testimonijs petitæ.

Qvartvm caput continet ea loca, in quibus Deus dicitur excœcare, vel indurare corda hominum: vt non velint nec possint benè agere. Exod. 7. 8. & 9. *Induraui Dominus cor Pharaonis.* Deuter. 2. *Induraui Dominus spiritum Sehon.* Iosuæ 11. *Domini sententia fuerat, vt indurarentur.* 1. Reg. 2. *Non audierunt vocem Patris sui, quia voluit Dominus occidere eos.* 3. Reg. 12. *Non acquieuit Rex populo, quoniam auersatus eum fuerat Dominus.* Iob duodecimo. *Qui commutat labium veracium, & doctrinam senum auferat, qui immutat cor principum, & decipit eos, vt frustrà incedant per inuium palpabunt quasi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet quasi ebrios.* Esaiæ decimo nono. *Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis.* Et capite sexagesimo tertio. *Quare errare nos fecisti de vijs tuis, induràsti cor nostrum ne timeremus te?* Hieremiæ vigesimo. *Seduxisti me Domine, & seductus sum.* Ioann. duodecimo. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, Excœcauit oculos eorum, & induraut cor eorum, &c.* Roma. 1. *Tradidit eos Deus in reprobum sensum, vt faciant quæ non conueniunt.* Et Roman. 9. *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat.*

Respondeo, ex communi sanctorũ Patrum sententia, Deum non esse causſam excœcationis, & indurationis positiuè (vt sic loquar) sed negatiuè, videlicet, permittendo, deserendo, non miserendo. Quod iustum esse negari non potest, cùm Deus non deserat, nisi desertus, & iustum sit, vt qui deserunt, deserantur, vt sanctus Augustinus docet libro de natura, & gratia, capite vigesimo sexto, & tractatu secundo in Ioannem. Et quamuis Petrus Martyr in commentario primi capitis ad Romanos fateatur, omnes Patres ita exponere (vt diximus) nõ grauabor tamen aliqua testimonia S. Augustini in mediũ adducere. Igitur in epistola 105. ad Sixtum, sic ait: *Non obdurat Deus impartiendo malitiam, sed non impartiendo misericordiam.* Item lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. circa medium. *Obdurare*, inquit, *Deum est nolle misereri, nec ab illo irrogatur aliquid, quo sit homo deterior, sed tantum quo sit melior, non erogatur.* Et lib. 5. in Iulianum, cap. 3. *Cùm ergo*, inquit, *dicitur homo tradi desideriis suis, inde fit reus, quia desertus a Deo cedit eis, atq; cõsentit, vincitur, capitur, trahitur, possidetur.* Denique in Ioã. tract. 53. *Sic*, inquit, *excœcat Deus, sic obdurat, deserendo, non adiuuando, quod occulto iudicio facere potest, iniquo non potest.*

Similia

Similia habet sanctus Ioannes Chrysostomus hom. 3. in epist. ad Roman. vbi ponit exemplum ducis milites suos in acie deserentis. Similia etiam sanctus Gregorius libr. 25. Moralium, cap. 12. & 13. Damascenus libr. 4. de fide, cap. 20. Isidorus lib. 2. de summo bono, cap. 19. Sed quia non quælibet permissio vel desertio dici potest excœcatio, vel induratio, res tota paulò diligentius explicanda est.

Primo igitur obseruandum est, cœcitatem mentis, vt etiam cordis obdurationem esse peccatum, causſam peccati, & effectum, seu pœnam peccati. Sic enim scribit S. Augustinus libro quinto contra Iulianum, capite tertio: *Cœcitas*, inquit, *mentis, quam solus illuminator Deus remouere potest, & est peccatum, quo in Deum non creditur, & est pœna peccati, quia cor superbum digna animaduersione punitur, & est causſa peccati, cum aliquid mali cœci cordis errore committitur.* Quod idem de obduratione cordis intelligitur, nam eo loco promiscuè loquitur sanctus Augustinus de cœcitate, & obduratione. Et in Scripturis de vtraque homines reprehenduntur, tanquam de vero, maximoque peccato. Matt. 13. *Incrassatum est cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos.*

Itaque cœcitas cordis, de qua loquimur, non est simplex carentia luminis, sed affectus prauus, quo quis illustrationes diuinas repellit, vel impedimẽtum ponit, quo minus à Deo illuminetur. Quare dicuntur eiusmodi homines, Matthæi decimo tertio, videntes videre, & non videre, quia vident quidem vnde illuminari possent, sed ex malitia sua nolunt aduertere, atque ita excœcat eos malitia ipsorum. Pari ratione cordis obduratio est prauus affectus, quo quis admonitiones diuinas, siue internas, siue externas contemnit, & semper magis ac magis eis resistit, donec ad eum statum deueniat, vt eas ne sentiat quidem. Hinc enim cor dicitur durum, lapideum, graue, crassum, quando non mouetur ad correptiones, & increpationes diuinas, quia quæ sunt eiusmodi nec cedunt, nec sentiunt. Sicut è contrario cor dicitur tenerum, molle, & carneum quando facilè acquiescit Deo, vel homini admonenti, quia caro mollis, ac tenera facilè penetratur, & exiguas etiam punctiones percipit: *Cor durum* (inquit S. Bernardvs li. 1. de consideratione) *nec sentit sum exhorrescit, quia scit sum non sentit: non mouetur precibus, minis non cedit, flagellis magis duratur.*

Hinc habemus permissionem illam, qua Deus fuit, primum hominem labi, & qua nunc etiam finit iustos peccare, non posse dici excęcationem, vel indurationem, quia excœcatio, & induratio cùm sit pœna peccati non potest esse primum peccatum, neque excœcantur, vel indurantur iusti, sed peccatores. Roman. primo: *Sicut non probauerunt, Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum.* Item: *Quia commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, ac seruierunt creaturæ potius quàm creatori: propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* Et 2. ad Thessalonicen. 2. *Eò quòd charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio.*

Secundo loco obseruandum est, ad excœcationem, & obdurationem, non sufficere, vt quis non videat, vel non cedat, sed requiri vt non possit moraliter videre, nec cedere. Id enim ostendit nomen excœcationis, & obdurationis. Cœci siquidem non dicuntur qui videre possunt, licet non videant: & res duræ illæ dicuntur, quæ nec cedunt, si comprimantur, nec cedere queunt, & potius franguntur, quàm cedant. Hinc Ioann. 12. legimus: *Ideo non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, Excœca cor populi huius, & aures eius aggrana.* Et Ecclesiastæ 7. *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem Deus despexerit.* Ex quo intelligimus, non dici Deũ excæcare, vel indurare quando iuuat hominem auxilio suo, ita vt ille verè possit, si velit, licet permittat eum labi, & eatenus deserat, quia non præbet auxilium, quo ille infallibiter velit. Alioqui omnes qui peccant essent excœcati, & obdurati, cùm nemo peccet nisi permittente, atque aliquo modo deserente Deo: Constat autem non omnes qui peccant excœcatos, vel obduratos propriè dici posse.

Illa igitur sola permissio, atque desertio, excœcatio, & obduratio dicitur ex parte Dei, qua fit vt homo iusto Dei iudicio, peccata præterita punientis, ita destituatur auxilio diuino, vt non possit moraliter non cadere, quod pulchrè ostendit similitudo illa Chrysostomi de duce milites in prælio deserente. Ex quo etiam soluitur quod obiicere solet Caluinus, cùm argumentatur, & excœcationem, & obdurationem non posse referri ad solam permissionem, vel desertionem, cùm Deus iudicem agat in hac re, & iudicis sit non solùm permittere, vel deserere, sed etiam re ipsa punire. Nam ista permissio, ac desertio grauissima est punitio, cùm homo in pœnam peccati præteriti in medio hostium nudus, atque inermis diuino iudicio relinquatur.

Tertio obseruandum est, hanc impotentiam, qua homo excœcatus, vel obduratus, non potest videre quod videndum est, nec agere quod agendum est, non esse absolutam, sed ex hypothesi: Nam licet homo, dum est cœcus, & obduratus, non possit cernere, & cedere, tamen absolutè potest, quia potest cum Dei gratia remouere cœcitatem, & obdurationem, quibus remotis cernere poterit, & cedere. Nunquam enim Deus ita destituit, quin saltem iuuet ad impetrandam gratiam, & vires, quibus obduratio tolli possit, quando tenetur homo conuerti ad fidem, vel iustitiam. & nisi faciat peccet. Proinde qui non potest facere quod debet, sua culpa non potest, & ideo peccat, quia si peteret auxilium, vtique impetraret.

Et hinc est quod Exod. 8. & alibi in Scripturis obdurati reprehenduntur, & puniuntur: quia culpâ sua indurationem incurrunt, & in ea perseuerant. Sanctus Ioannes, qui cap. 12. dixerat de quibusdam: *Propterea non poterant credere, quia dixit Isaias, Excœca cor populi huius.* Idem cap. 15. dicit de iisdem: *Excusationem non habent de peccato suo.* Et S. Augustinus tract. 53. in Ioannem, tractans illud: *Propterea non poterant credere*, monet, vt nemo audeat propter eiusmodi impotentiam negare liberum arbitrium, aut excusare peccatum, & rationem insinuat, quia licet cœci non possint videre, tamen possunt ex cœcis fieri videntes.

Sed occurret aliquis, atque obiiciet incertum fore iudicium Dei, quo in pœnam peccati præteriti aliquos obdurat, & excœcat, si in illorum potestate est non excœcari, vel obdurari, aut continuò cœcitatem, obdurationém que repellere Respondeo, certitudinem diuini iudicij ex eo pendere, quod eum, qui excœcari, atque obdurari meretur, Deus non solùm deserit, ac desertione sua vinci sinit ab hostibus, & in peccata varia trahi, atque perduci, sed etiam non dat gratiam congruentem eius ingenio ad impetrandas vires, quæ est alia occultior desertionis species, id est, non eum excitat, & vocat, quomodo prœuidet illi aptum esse, vt sequatur excitantem, & vocantem, & quamuis non deneget auxilium petere: tamen certissimè videt eum auxilio illo non vsurum. Atque ita cuius vult miseretur, & quem vult obdurat, vt dicitur *Rom. 9.*

Quarto obseruandum est, hanc desertionem secundùm morem loquendi Scripturæ rectè significari per vocabula actionem exprimentia, quamuis reuera non sit actio, sed actionis omissio. Nam in secundo libro Regum, ca. 12. dicitur Dauid occidisse Vriam Herheũ, cùm tamen Dauid eum per se non occiderit, nec iusserit propriè occidi, sed tantùm imperauerit Duci Ioab, vt eum constitueret in loco, vbi fortissimum esset prælium,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ibique eum desereret, vt vinceretur, & moreretur. Sic igi A tur Deus recte dicitur tradere in reprobum sensum, inducere in tentationem, mittere operationem erroris, obdurare, & excœcare, licet hæc omnia non faciat nisi permittendo, & deserendo.

Neque tamen hinc sequitur, Deum esse causſam peccati, aut peccare deserendo homines in tentationibus, licet Dauid peccauerit, & causſa fuerit peccati iubendo Vriam deseri in prælio. Nam Vrias innocens erat, nec poterat iustè à Dauide, vel Ioabo interfici, & ideo peccauit Dauid, cum iussit eũ in prælio derelinqui, vt moreretur: At si Vrias necem promeruisset, potuisset vtique Dauid eum illa ratione de medio tollere: & quamuis tunc etiam vere diceretur causſa mortis Vriæ, tamen neque ipse peccaret, neque esset causſa peccati Ammonitarum, quorum gladio ille periit. Neque enim Dauid iussit Ammonitis, vt Vriam occiderent, sed cùm illi sponte sua raperentur B ad cædem filiorum Israël, vti voluit Dauid eorum impetu ad necem Vriæ, quem relinqui iussit, non ad necem aliorum, quos à prælio subduxit.

Ita quoque & Deus cùm aliquos iusto iudicio deserendo tradit in reprobum sensum, excœcat, obdurat, in tentationem inducit, neque ipse peccat, quia iustè deserit, neque est causſa peccati, quia non excitat ipse sathanam ad tentandum, & hominem ad consentiendum (nisi vt suprà diximus, excitare sit, non impedire) sed vtitur vtriusque nequitia ad eum puniendum, qui tali pœna dignus est.

Porro Caluinus libro 2. Institutionum, capite 4. §. 4. admittit Deum sæpè obdurare solùm deserendo: tamen addit esse alia testimonia, quæ vltra procedãt: *Qualia sunt*, inquit, *de Pharaonis induratione. An induravit non emolliendo: id quidem verum est; sed plus aliquid fecit, quod obstinatione pectus eius obfirmandum sathanæ mandauit.* Hæc ille. Sed hoc quod ipse dicit de sathana iussu Dei obfirmante cor Pha- C raonis, ex diuinis litteris non colligitur: neque ipse locum vllum profert, vnde id probetur. Quamuis exponi facilimè posset, vt suprà exposuimus illud: *Dominus præcepit Semei maledicere Dauidi.*

Quinto est obseruandum, actionem excœcandi, & obdurandi interdum tribui in Scripturis etiam illis rebus, quæ sunt occasiones potius quàm causſæ eiusmodi actionum. Sic enim dicuntur munera excœcare oculos sapientum, Exodi 23. & Ecclesiastici 20. Sic creaturæ dicuntur factæ in muscipulam pedibus insipientium, Sapient. 14. Sic vinũ & mulieres apostatare faciunt sapientes, Ecclesiastici 19. Sic patientia Dei aliquo modo indurat, Roman. 2. Cæterum cum occasione talium rerum homines excœcantur, vel indurantur, non dicitur Deus eos excœcare, vel indurare, nisi fortè per accidens, sed ipsi homines abutentes rebus bonis, seipsos excœcant, vel obdurant. Deus enim, cùm in Scripturis dicitur excœcare, vel indurare, id facit vt iudex, & ideò non cõuersionem, & pœnitentiam, sed pœnam & ruinam eorum D intendit, qui excœcantur, vel obdurantur. At cùm patiẽter expectat, vel peccata dissimulat, non pœnam & ruinam, sed conuersionem & pœnitentiam intendit: *Dissimulat enim peccata hominum propter pœnitentiam*, vt dicitur Sapientiæ 11. & Apostolus ait: *Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? tu autem secundùm duritiam tuam, & impœnitens cor? thesaurizas tibi iram in die iræ, & iusti iudicij Dei*, Rom. 2.

Quare patientia Dei ad pœnitentiam adducit, & ideo qui inde excœcantur, non excœcantur à Deo, sed excœcat eos malitia ipsorum, vt dicitur Sapient. 5. Et verò si Deum excœcare nihil esset aliud, nisi patienter expectare, orandus esset Deus, vt sanctus Augustinus rectè colligit lib. 5. in Iulianum, c. 3. vt nos excœcaret. Igitur loca initio capitis adducta, quę significant à Deo homines indurari, vel excœcari, non possunt commodè explicari de excœcatione, & obduratione per patientiam, sed per desertionem, vt suprà diximus, & vt perspicuum erit, si eorum aliqua percurramus.

Primum testimonium sumptum fuerat ex capite 7. 8. & 9. Exodi, vbi agitur de induratione Pharaonis. Videmus autem in iis locis aliquando tribui causſam efficientem indurationis ipsi Pharaoni, qui ex patientia Dei sumebat occasionem contemnendi ipsum Deum, & obfirmandi cor suum in proposito non obediendi: aliquando tribui ipsi Deo, qui non ita illustrabat neque mouebat per gratiam cor illius, vt videbat congruum illi esse, vt attẽderet, & flecteretur: *Videns Pharao* (inquit Moses Exodi octauo) *quod data esset requies, ingrauauit cor suum, & non audiuit eos, sicut præceperat Dominus.* Ecce quomodo abutitur Pharao Dei patientia ad indurationem. Et rursus ca. 9. *Videns Phuraon quod cessasset pluuia, & grando, & tonitrua, auxit peccatum, & ingrauatum est cor eius & seruorum illius, & induratum nimis*, quia videlicet flagella Dei cessabant, existimabat Pharao nihil iam esse periculi, & grandinem, ac tonitrua casu accidisse, ideo confirmabat propositũ non parendi. Sed quia quod non cogitaret idem Pharao, flagellorum cessationem prouenire ex precibus Mosis, nascebatur ex iusto Dei iudicio, quo decreuerat, non misereri Pharaonis, neq; eum illustrare, & mouere, vt videbat eius ingenio congruum, aptumque esse, propterea in iisdem locis sæpè repetitur, *Induravit Dominus cor Pharaonis.*

Eodem modo explicanda sunt loca similia adducta ex Deuteronomio, Iosue, libris Regum, ex Isaia, & ex Apostolo. Illud autem Iob: *Qui commutat labium veracium, & doctrinam senum aufert, & qui immutat cor principum, & decipit*, non habet difficultatem. Non enim Deus immutat labium veracium mentiendo, sed vel permittendo, vt decipiantur, vt diximus capite superiore, vel reddendo mutos, & elingues prudentissimos consiliarios. Neque etiam Deus immutat cor principum, faciendo ex bono malum, vel aliquam falsam notitiam eis inspirando, sed immittendo bonam aliquam cogitationem, aut certè indifferentem, ex qua tamen impediantur à proposito suo, atque ita decipiantur, cum Dei prouidentia fiat, vt non assequantur quod cupiebant.

Exemplum habemus in Absalone, qui cùm parrem suum ex vrbe Regia expulisset, & eum omninò perdere desideraret, vt ipse vnus regno vniuerso liberè potiretur, Dei prouidentia agente consilium conuocauit, & audito consilio Achitophel, ac probato, quod quidem ad implẽdum eius desiderium vtilissimũm erat, Deo inspirante, audire voluit etiam consilium Chusai, quod in speciem erat vtile, re autem vera pernicioſum: effecit verò Deus, vt Absalon attenderet ad consilium Chusai, & rationes eius ponderaret, oblitus consilij Achitophel, atque ita immutauit cor eius, ac fecit, vt reprobato consilio Achitophel eligeret consilium Chusai, ex quo impeditus est ab eo, quod maximè cupiebat. Vide libr. 2. Regum, capite 17.

Simile est quod accidit S. Athanasio. Nam cum in nauicula fugeret persequutores suos, Deo inspirante conuertit nauiculam, & obuiam ire perrexit aduersariis, qui per idem flumen eum insequebantur: Egit verò diuina prouidentia, vt illi eum non agnoscentes, ab illo ipso peterent, quãtum inde Athanasius abesset, quo respondente non lõgè abesse, illi citato cursu descendere festinãrunt. Atque ita sine vllo mẽdacio ab Athanasio, vel à Deo potius iustissimè decepti palpabant, vt inquit Iob quasi in meridie, & errabant velut ebrij, cum eo magis ab Athanasio recederent, quo se ad eum propius accedere cogitabant. Vide Theodoreti historiam libr. 3. cap. 8. vel Russini lib. 1. cap. 34.

Illud Hieremiæ vigesimo: *Seduxisti me Domine, & seductus sum*, rectè exponitur à S. Hieronymo, quod ambiguitate, non falsitate cõtigerit. Audiuerat enim Hieremias: *Ecce Prophetam in gentibus dedi te.* Et rursus: *Ecce constitui te super gentes, & regna.* Itaque libenter munus prophetandi assump

assumpserat tanquam contra gentes, à quibus populus A Domini vexabatur prophetaturus: aduertit tamen postea, se perpetuò contra gentem suam, & Reges suos Domino iubente prophetare, ex quo multas, & varias calamitates patiebatur. Accedit, quòd cùm prædiceret, capiendam vrbem Hierosolymam à Chaldęis ita loquebatur, ac si statim id esset implendum, vnde cùm nõ ita accideret, putabatur mentitus, & à populo, tanquam impostor deludebatur. Ita igitur ambiguitate verborum Domini, partim quoad gentes, partim quoad tempus deceptũ se dicit, cùm aliter videret impleri sermones Domini, quàm ante crediderat.

Denique illud Ioan. 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, Excœcauit oculos eorum, &c.* duob. modis intelligi potest, Avt enim causſa, cur Iudęi credere nõ possent, erat, quia id prædixit Isaias ita futurum: Avt quia excœcati erant iuxta vaticinium Isaiæ: Si dicatur Primvm, tunc res est perspicua. Non enim præscientia, & prædictio futurorum imponit rebus necessitatem, B & ideo solùm dicuntur non potuisse credere, quos Isaias prædixit non credituros, quia non poterat fieri, quin eueniret, quod Prophera spiritu Dei euenturum prædixerat, quanquam liberè euenturum esset. Imò non poterat fieri, vt non liberè id eueniret, cũ peccatum esset, ac proinde libere factum, id quod euenturum Prophera prædixerat. Si dicatur Secvndvm, quod etiam est probabilius, tunc cœcitas erit quidem causſa, cur non possent Iudæi credere. sed causſa erit (vt suprà diximus) ex hypotesi, nõ absolutè, quia licet dum excœcati erant, credere non possent, poterant tamen mutari cum Dei gratia, & ex cœcis fieri videntes, & credere.

Simile est illud Ioan. 5. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis?* Neque enim Dominus dicere volebat, eos absolutè non posse credere, quorsum enim toto illo capite, & sequenti eos hortaretur ad credẽdum, quos sciret non posse credere? Sed monebat, desiderium humanæ gloriæ impedimentum illis esse, quo minus credere possent: & ideo gloriam humanam contemnerent, & gloriam, quæ à solo Deo est, quærerent, si credere, & salui esse cuperẽt.

CAPVT XV.

Explicantur alia Scripturæ testimonia.

Qvintvm & postremum caput ea loca complectitur, in quib. dicitur, Deus reipsa operari, & efficere ea, quę mala sunt, 2. Reg. 12. *Hæc dicit Dominus ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis Solis huius. Tu enim fecisti absconditè, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu Solis huius.* Vrget hunc locum Calvinvs li. 2. Instit. c. 18 §. 1. *Absalon* inquit, *incesto coitu patris thorum pollue, detestabile scelus perpetrat: Deus tamen hoc opus suum esse pronũciat. Verba enim sunt. Tu fecisti occultè, ego verò palã facia, & corã Sole hoc.* D

Similia sunt illa: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël*, Luc. 2. Et apertius: *Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali*, Rom. 9 Vbi Deus ipse (vt expendit Beza) dicit se ponere in Sion lapidem offensionis, & petram scandali. Addit Beza in responsione ad Castellionem de æterna Dei prædestinatione in refutatione secundæ calumniæ, locum illum Eph. 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Quem locum sine vlla exceptione de omnibus omninò rebus, quæ in mundo fiunt, intelligendum esse contendit, vt sensus sit, Omnia, quæ fiunt, siue bona, siue mala, Deo non solùm præscienti, & permittenti, sed etiam volenti, decernenti, & operante fieri. Sed ex iis, quæ suprà dicta sunt facilè erit hæc testimonia explicare.

Quod enim Primo loco dicitur, de incestu Absalon, dicitur Deus malum illud fecisse, non quâ culpa Absalonis, sed quâ pœna Dauidis erat. Quamuis enim malum esset Absalonem peccare, quod non volebat, sed prohibebat Deus, bonum tamen, ac iustum erat puniri Dauidem, quod voluit, & fecit Deus. Fecit autem non incitando Absalonem ad malum, neque illud ei suadẽdo, vel imperando, sed permittendo, cùm facile impedire posset, vel etiam voluntatem eius ad multa scelera inclinatam auertendo, & cohibendo ab aliis, atque ad hoc vnum illi viam aperiendo, id est, sinendo ruere in hoc, non sinendo ruere in alia.

Porrò ejusmodi permissionem secundùm morẽ Scripturæ, dici posse opus Dei, siue facientis, siue imperantis, perspicuum est ex historia S. Iob, vbi dicitur Deus afflixisse sanctum Iob, cum tamen ex historia illa constet, diabolum non à Deo fuisse incitatum, vt affligeret Iobum, sed solam Dei permissionem oprãsse & impetrãsse.

Illa verò loca ex Luc. 2. & Rom. 9. de Christo posito in ruinam, & in petrã scandali, non significant a Deo Christum ideò fuisse missum in mundum vt esset causſa, vel occasio ruinæ, vel scandali, sed missum quidem vt esset causſa salutis, tamen futurum etiam fuisse, vt esset occasio ruinæ, & scandali, non ipso præbente occasionem, sed hominum malitia eam accipiente. Ita S. Fvlgentivs lib. 1. ad Trasimundum Regem, ca. 4. tractans hæc loca: *Lapis ille*, inquit, *qui ab ædifi. ãbus reprobatus, in caput factus est anguli, quibusdam prauæ credulitatis cœcitate possessis lapis offensionis, & petra scandali efficitur.* Et paulò infrà: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum, ibi ergo male credentibus ruinam perfidia generat, vbi recta credulitas fideles exaltat.* Non itaque lapis ipse à Deo positus, sed cœcitas in eum offendentis, id est, perfidia ruinam generat. Sic etiam Theodoret. q. 12. in Exo. adducens hęc loca, & præterea illud Ioan. 9. *Ego in iudicium veni vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant*, monet non fuisse scopum Dei Christum mittentis, vt videntes cœci fierent, & stantes ruerent, vel ambulantes in petram offenderent, sed Scripturam indicãsse, id quod futurũ erat. Quemadmodum C etiam quod legimus Ioan. 2. *Soluite templum hoc, & ego in triduo excitabo illud*, nõ significat, imperatum fuisse à Christo Iudæis, vt illud facerent, sed eos id facturos fuisse prædictum. Et cùm ait Iudæ Ioan. 13. *Quod facis fac citius*, non ei mandauit proditionem, sed indicauit, breui eum facturum, & impleturum, se permittente, quod iam diu desiderauerat.

Sententia igitur Simeonis hæc est: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum*, hoc est, Ecce à Deo missus est Christus, qui multis eum propter passionem & ignominiam crucis despicientibus erit occasio ruinæ, multis autem in eum fideliter credentibus erit causſa resurrectionis, & salutis. Eadem est sententia B. Pauli ad Rom. 9. Quod enim ipse ait: *Ecce pono in Sion lapidem offensionis & petram scandali*: hunc habet sensum, Ecce pono in Sion lapidem, qui erit lapis offensionis, & petra scandali. Nam Simeon, & Paulus ad prophetiam Isaiæ respexit, quæ habetur ca. 8. vbi nõ dicitur Deus facturus, vt Christus sit in ruinam, & in petram scandali, sed simpliciter prædicitur Christus futurus in ruinam, & in petrã scandali, occasionem videlicet ruinæ, & scandali accipiente hominum cœcitate ex Christi passione, & morte: *Dominum*, inquit, *exercituum ipsum sanctificate, ipse pauor vester, & ipse terror vester, & erit vobis in sanctificationem: in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israël, in laqueum & in ruinam habitantibus in Hierusalem: & offendent ex eis plurimi, & cadent, & cõterentur, & irretientur, & capientur.*

Quod autẽ B. Paulus ait: *Ecce pono in Sion lapidem*, sumptum est ex cap. 28. eiusdem Prophetæ, vbi Deus per Isaiam dicit: *Ecce mittam in Sion lapidem angularem, probatum, electum, in fundamento fundatum.* Sed quia coniunxit Apostolus hęc verba diuersorum capitum in vnã sententiam, ideo paulò durius loqui visus est. Sed si exponatur, vt dixim

Universidad de Deusto
Biblioteca

diximus omnia cohærebunt,neque diuersa videtur sententia Isaiæ à sententia Pauli, nimirum posuit Deus in Sion lapidem,qui ex intentione ipsius Dei esset angularis preciosus,electus,vt dicitur ca.28.quamuis ex incredulitate hominum futurus esset etiam multis in lapidem offensionis & petram scandali.

Illud denique Eph.1.*Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*,in quo aphorismos suos tanquam in optimo fundamento Beza construxit, nihil omninò facit ad rem.Nó enim Apostolus dicit, Deum operari omnia absolutè,quæ fiunt in mundo,tam bona, quam mala,cùm è contrariò Deus oderit peccata, & nihil faciat eorum,quæ odit,vt legimus Sap.11.Sententia igitur Apostoli est,Deũ operari omnia,quæ operatur,non temere,neq; inuitum,sed liberè,& prudenter, id enim est secundùm consilium voluntatis suæ.Quemadmodum viri prudentes dicũtur omnia maturè agere, nõ quod omnia ipsi agant,sed quod quidquid agant,cum consilio agant.

Itaque S.Hieronymus quasi Bezæ cõmentarium præuidisset,ita scripsit in hunc locum: *Operatur*, inquit, *omnia Deus secundum consilium voluntatis suæ.non quo omnia, quæ in mundo fiunt.Dei voluntate,& consilio peragantur(alioquin & mala Deo poterunt imputari)sed quo vniuersa,quæ facit,cõsilio faciat,& voluntate,quod scilicet,& ratione plena sint,& potestate faciendi.*Ad hæc si daremus Bezæ in his Apostoli verbis significari omnia omninò fieri à Deo,quę in mũdo fiunt, non tamen inde sequeretur,peccata,quæ ab hominibus fiunt,etiam à Deo fieri cùm peccatum facere,non sit facere,sed deficere,neque peccatum sit res aliqua,sed corruptio rei alicuius.Quemadmodum autem Deus faciat quidquid in actione mala inest rei,& boni:& tamen non sit auctor corruptionis, & defectus, qui in actione illa cernitur,explicuimus ca.5.& rursus explicabimus ca.17.

CAPVT XVI.

Explicantur loca aliquot S. Augustini, quæ in speciem fauere videntur aduersariis.

POst loca Scripturarum obiiciunt Caluinus,& Beza testimonia quædam S. Augustini ex lib.5.contra Iulianum, ex Enchiridio,& ex lib.de gratia,& libero arbitrio. Illa igitur, & alia, quæ nobis interim occurrunt,breuiter explicabimus.

Incipiamus à primo tomo operum eius. Lib.9.confes. cap.8.Sic loquitur sanctus Augustinus de sancta Monica,quæ in pueritia per conuicium famulæ curata est à vinolentia,cui dedita esse cœperat: *Quod*, inquit, *egisti Deus meus?unde curasti?unde sanasti?nonne protulisti durum,& acutum ex altera anima conuicium,tanquam medicinale ferrum, ex occultis prouisionibus tuis,& uno ictu putredinem illam præcidisti?*Hic iam Caluinus,si in hunc locum incidisset, dicere non dubitaret famulam illam à Deo incitatam, & compulsam fuisse,vt Dominæ suæ conuiciaretur: Idque significari illis verbis,Nonne protulisti durum, & acutum ex altera anima conuicium.

Sed aliam omninò fuisse mentem S.Augustini,ex verbis eiusdem in extremo capite positis intelligetur: *Tu Domine*, inquit, *rector cœlorum, & torrentium ad usus tuos contorquens profundam torrentis, fluxum sæculorum ordinans turbulentum,etiam de alterius animæ infamia sanas alteram,ne quisquam cum hoc aduerit,potêne sua tribuat si verbo eius aliter corrigatur,quem vult corrigi.*Ex his enim verbis intelligimus, non fuisse à Deo incitatam, vel compulsam famulam illam ad conuicium,sed conuicium illud iam animo conceptum,& foras per voces erumpens à Dei prouidentia ordinatum fuisse ad vitium Monicæ sanandum. Neque enim Deus fons est,vnde turbulenti scelerum torrentes manant,sed artifex est mirabilis, qui ad vsum suum torrentes illos per se fluentes contorquet,& ordinat ad bonum aliquod perficiendum.

Itaque dicitur Deus protulisse conuicium illud ex anima famulæ illius, tanquam ferrum medicinale ex occultis prouisionibus suis, quia non poterat famula illa conuicium concipere,vel proferre, nec alio tempore,alio loco,in aliam personã,quam Deus permisisset: Deus autem non permisit ab illa conuicium concipi, aut proferri,nisi quòd vtile esset ad Monicam curandam,& ideo illo tempore & loco solum permisit,quo tempore,& loco præuidit vtile fore ad Monicæ sanitatem.

Aliud testimonium extat in Enchiridio, capite 100. quod à Caluino,& Beza non semel citatur.Sic igitur loquitur sanctus Augustinus: *Propterea namque magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius, vt miro, & ineffabili modo,non fiat præter eius voluntatem,quia non fieret, si non fineret:nec utique nolens fit,sed volens.nec sineret bonus fieri mala,nisi omnipotens, etiam de malo facere posset bene.* Duo quædam ex hoc loco aduersarij colligunt.Primo,mala seu peccata,non fieri præter Dei volutatem proinde velle Deum,vt fiant:rectéque ab ipsis dictum esse, & decreto,& voluntate Dei, Adamum lapsum esse. Secundo, Deum permittere mala non inuitum, nec ociosè spectantem,sed volentem, ac per hoc inanem esse Catholicorum distinctionem,qui dicunt mala fieri non Deo volente,sed Deo permittente, quasi permissio non includat voluntatem.Sed non erit difficile respondere,si prius breuiter explicemus, quemadmodum se habeat voluntas Dei erga peccata.

Dico igitur, Deum erga peccata non habere positiuè velle,aut nolle,sed negatiuè non velle: non habet Deus positiuè velle peccata,quia bonus & iustus est. Nec esset bonus & iustus,si peccata (id est, mala) & iniquitas vellet.Non habet etiam positiuè nolle, quia omnipotens est,neque esset omnipotens,si aliquid fieret ipso inuito. Fieret autem aliquid ipso inuito, si fieret aliquid, quod ipse fieri nollet.Non igitur habet velle,aut nolle,sed non velle, iuxta illud Psalmi quinti: *Non Deus volens iniquitatem tu es.*

Sed occurrit Beza in responsione ad acta colloquij Mõtisbelgardensis,pagina centesima octogesima tertia, ac dicit,si Deus respectu peccatorum non habeat velle, aut nolle,sed tantùm non velle,sequi vt eorum, quæ in mundo geruntur,longè maxima pars fiat Deo vel imprudente,vel non curante,quorum illud ab eius prouidentia,istud ab eius potẽtia penitus est alienum. Respondeo,neutrum sequi:nam etiamsi Deus non velit peccata fieri,tamen nouit ea futura,& posset impedire, si vellet,proinde non fiunt eo imprudente:præterea vult non impedire, vult permittere, vult ordinare, vult punire: proinde non fiunt eo nõ curante,& quasi ociosè spectante.Neque nos dicimus, quod in superiore pagina idem Beza reprehendit, diuinam prouidentiam non se extendere nisi ad mala ordinanda,& quasi limitibus definienda,itavt moliri possit Sathan contra Ecclesiam quidquid ei libuerit, quamuis non quidquid libuerit perficere, queat.Non,inquam,hoc solùm damus prouidentiæ Dei, sed etiam addimus,nihil fieri posse,nisi Deo permittẽte, ac per hoc,non solùm non perficiet Sathan cõtra Ecclesiam,quidquid ei libuerit, sed nec molietur quidquid ei libuerit,sed quidquid ei permittere Deo placuerit.

Obseruandum est præterea, id quod diximus, Deum respectu peccati non habere positiuè nolle, debere intelligi de voluntate beneplaciti,quę absoluta est.Nã habet Deus nolle fieri peccata,voluntate signi,quę non absoluta,sed conditionata est. Voluntas enim signi dicitur præceptum, siue prohibitio, quæ voluntas ideo conditionata dici potest,quia cùm Deus præcipit,vt aliquid non fiat, simul addit pœnam, si fiat. Proinde cùm aliquid prohibet non absolutè, vult illud non fieri,sed vult aut

aut non fieri,aut puniri eum,qui facit.Quare semper inuicta manet voluntas diuina,neque ei vllo modo resisti potest.Nam etiamsi aliqui legem eius præuaricentur, & faciant quod ipse fieri prohibuit, non tamen euadunt supplicium,quod ipse idem præuaricatoribus cõminatur.

Ex his testimonium sancti Augustini facillimè poterit explicari. Dicit enim non fieri præter eius voluntatem,quod fit contra eius voluntatem, non quia ipse velit illud fieri,sic enim secum ipse pugnaret, sed propter alias duas causas,quas ibidem idem auctor posuit.Prima causa est,quia(vt diximus) cùm Deus peccata prohibet,non simpliciter vult non fieri,sed aut non fieri,aut puniri eũ,qui facit.Altera causa est,quia licet Deus non velit peccata fieri, tamen vult permittere, vt fiant, ordinaturus illa pro sua infinita potentia, & sapientia in bonum.

Priorem causam ponit Augustinus in præcedentibus verbis,dum sic ait:*Hæc sunt magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius.& tam sapienter exquisita, vt cum Angelica & humana creatura peccasset,id est,non quod ille,sed quod voluit ipsa fecisset, etiam per eandem creaturæ voluntatem,qua factum est quod creator noluit, impleret ipse quod voluit, bene vtens & malis tanquam summè bonus ad eorum damnationem, quos iuste prædestinauit ad pœnam, & ad eorum salutem, quos benignè prædestinauit ad gratiam. Quantum enim ad ipsos pertinet, quod Deus voluit(* voluntate signi*)fecerunt, quantum vero ad omnipotentiam Dei nullo modo id efficere valuerunt: Hoc quippe ipso,quod contra voluntatem Dei fecerunt,de ipsis facta est voluntas Dei.* Ecce qua ratione nõ fiat præter Dei voluntatem, quia videlicet facit ipse de peccantibus quod vult,dum eos æternæ damnationi,quam peccantibus fuerat comminatus,addicit.

Posteriorem causam ponit in verbis sequentibus,sic loquens: *Propterea namque omnia opera Domini exquisita in omnes voluntates eius, vt miro, & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem, quod contra eius sit voluntatem,quia non fieret, si non fineret.* Ideò igitur nõ fiunt peccata præter Dei voluntatem, quia non fierent si non sineret, ac per hoc licet non habeat Deus velle fieri, habet tamen velle permittere.

Sed(inquiũt aduersarij)velle permittere includit velle fieri. Nam hîc subiicit Augustinus, *Non vtique sinit nolens:sed volens.* Et paulò ante capite nonagesimo quinto: *Non ergo*,inquit,*sit aliquid nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo vt fiat,vel ipse faciendo.* Vbi sanctus Augustinus apertè dicit,Deum velle fieri id,quod sinit fieri.Et capite nonagesimo sexto dicit,bonum esse vt mala sint. *Quamuis*, inquit,*quæ mala sunt,in quantum mala sunt,non sint bona,tamen, vt non solùm bona,sed etiam sint & mala,bonum est.* Quod autem bonum est,Deus vult,igitur mala esse,seu fieri Deus vult. Addit Petrus Martyr in caput nonum epistolæ ad Romanos, vocem permissionis in Scripturis significare etiam voluntatem,& operationem Dei, non solam negationem.Et allegat illud 1.ad Corinthios decimo sexto:*Spero me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit.*Et illud ad Hebræos sexto: *Et hoc faciemus, siquidem permiserit Deus.*

Respondeo,propriè permittere non includere velle, sed non nolle,siue non impedire,& verissimã esse Theologorum Catholicorum,doctrinam, qui dicunt Deum velle bona, mala autem non velle,sed permittere:& longè aliud esse,velle fieri mala, & velle permittere, vt fiant mala.Siquidem velle fieri mala,est malæ voluntatis,quæ vel delectatur malis,vel vti vult eis ad bona, contra illam regulam,*Non sunt facienda mala, vt eueniant bona.* At velle permittere mala, potest esse bonæ voluntatis, ac præsertim in summo rerum omnium moderatore, ad quem spectat non impedire, cursum rerum, quamuis defectibilium,vt hinc ostendat Primvm, quid per se possit liberum arbitrium,Deinde quid eius gratię beneficium,iustitiæq; iudicium, vt loquitur Sanctus Augustinus libro de correptione,& gratia,capite 12.Cùm igitur idem Augustinus dicit, Deum permittere mala non nolentem,sed volentem:intelligimus Deum permittere non inuitum, sed volentem permittere. Non autem propriè volentem illa fieri. Cùm verò dicit, nihil posse fieri,nisi Deus velit fieri,aut sinendo,vt fiat, aut ipse faciendo:ipse se explicat. Non enim diceret, aut sinendo, aut faciendo,si propriè Deus vellet fieri tam bona,quàm mala.Nam Deus voluntate agit. Et ideo quidquid vult fieri,fit,& ideò fit quia ipse volendo facit.

Itaque si Deus vellet fieri mala, non permitteret, sed faceret mala. Quorsum ergo Augustinus distingueret permissionem ab opere:dicens,aut sinendo, vt fiat, aut ipse faciendo,si existimaret,Deum propriè velle tã quæ facit,quàm quæ permittit,cùm non ignoraret,Deum volendo facere?Sententia igitur eius loci talis est,Nihil potest fieri,nisi Deus velit fieri,saltem per accidens, id est, nisi velit permittere vt fiat ab aliis, aut etiam velit ipse illud procurare,& facere.

Porrò quod adiungit, bonum esse, vt sint mala, eodem modo explicandum est,videlicet bonum esse,vt sint Deo permittente,non Deo agente, & volente: quod est per accidens esse bonum, quia coniunctum est cum aliquo per se bono,Mala enim per se nihil ornamenti afferunt rebus cæteris,tamen ordinata à Deo, & suo loco posita,faciunt,vt res bonæ magis emineant,vt idem Augustinus docet in eodem lib.c.11.qui etiam de eadem re sic loquitur in lib.3.de libero arbitrio cap 9 *Quomodo* inquit,*iuste peccata punit, quæ si defuissent, creatura eius plena & perfecta non esset? Hic respondetur, non ipsa peccata, vel ipsam miseriam perfectioni vniuersitatis esse necessaria, sed animas, in quarum anima sunt:quæ si velint,pecca:si peccauerint,misera fiunt.* Hæc ille.Quare nõ tam est bonum vt peccata sint quàm vt ordinẽtur, posteaquam Deo permittente existunt.

Quocirca S. Augustinus ex eo quod dixit bonum est, vt mala sint,non colligit, Deum velle mala, sed tantùm permittere.Hæc enim sunt verba eius:*Nec dubitandum est, Deum facere bene etiam sinendo fieri,quæcunque fiunt malè.Non enim hoc nisi iusto iudicio sinit,& profectò bonum est, quod iustum est.Quamuis ergo quæ mala sunt,in quantum mala sunt non sint bona: tamen vt non solùm bona, sed etiam sint & male, bonum est.Nam nisi esset hoc bonum,vt essent & mala,nullo modo esse sinerentur ab omnipotente bono. Cui profectò quam facilè est, quod vult facere,tam facilè est,quod non vult esse non sinere.*

Neque in Scripturis vllus est locus,vbi vox(*permittere*) nõ possit rectè exponi de propriè dicta permissione,quæ non significat velle,sed non impedire.Nam quod dicitur 1.Corinth. 16. *Spero me apud vos aliquantulum temporis permansurum,si Dominus permiserit*: rectissimè intelligitur dictum esse pro eo, quod est, si Dominus non impedierit. Sæpè enim Apostolus cogitabat aliquò ire, & Dominus aliò eum destinabat.Act. 16. *Transeuntes autem Phrygiæ,& Galatiæ regionem vetati sunt à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia.Cum venissent autẽ in Mysiam,tentabãt ire in Bithiniã, & nõ permisit eos Spiritus* Iesv.Et ad Rom.1.*Nolo autẽ vos ignorare fratres, quia sæpe proposui venire ad vos, & prohibitus sum vsque adhuc.*Quod etiam dicitur Hebr. 6.*Et hoc faciemus,siquidem permiserit Dominus*: eundem sensum habet. Scribit enim Apostolus nolle se amplius de rudimentis fidei disserere, de pœnitentia ab operibus mortuis, de Baptismo,impositione manuum,& similibus, sed de iis, quæ ad perfectionem vitæ Christianæ pertinent. Addit autem, Siquidem permiserit Dominus, quia videlicet ignorabat,an Deus permissurus esset eum facere, an ad alia opera vocaturus.Ostendit enim his verbis,se omninò pendere à prouidentia Dei, & quæ Deo annuente aggreditur,eadem Deo volente perficere, aut eo impediente dimittere.

Aliud testimonium rursus obiiciũt Caluinus,& Beza in

Universidad de Deusto
Biblioteca

in eodem Enchiridio,capite 101.vbi ſic loquitur ſanctus A
AVGVSTINVS: *Aliquando bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult: & rurſus fieri poteſt, vt hoc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona. Tantum intereſt quid velle hominis, quid Deo congruat, & ad quem finem ſuam quiſque voluntatem referat vel referendam, vt aut approbetur aut improbetur.* Videtur enim his verbis Auguſtinus admittere, Deum velle idipſum, quod volunt homines mali, dum mala operantur, ſed ideo bonam eſſe Dei voluntatem, quia bona intentione Deus vult, quod impij mala intentione volunt.

Sed facillimè id ſoluitur. Nam in his rebus, quæ ſunt per ſe malæ, & in nullo caſu poſſunt fieri benè, nunquam Deus vult id, quod volũt homines mali. In rebus autem, quæ ſunt malæ, ratione præcepti poſitiui eas prohibentis, aut alicuius circumſtantiæ, facile fieri poteſt, vt Deus bona voluntate velit, & mala voluntate volunt homines mali, & quod nolunt bona voluntate homines boni; ita B vt magis congruant cum bona voluntate Dei illi qui nolunt, quàm illi qui volunt, quod ipſe vult. Exempla ſunt in eodem loco S. Auguſtini, vult Deus aliquẽ hominem mori, quia id merentur eius peccata: voluntas hæc Dei iuſta eſt, ac per hoc bona: fortè etiã vult hoc Deus, quia præuidet illum ſi diutius viuat, grauius peccaturum, & atrocius apud inferos puniendum, ex quo non ſolùm iuſta, ſed etiam miſericors eſt voluntas Dei, quæ vult illum de medio tolli. Contigit autem, vt filius eius, non quia ſcit patrem mereri mortem, aut grauius peccaturum, ſi vixerit, ſed quia eum odit, aut cupit citò poſſidere paternam hæreditatem, velit eundem mori: ſine dubio hæc filij voluntas, quamuis id velit, quod vult & Deus, iniquiſſima eſt. Tenetur enim filius parẽtes diligere, & iuuare, ac multò magis non odiſſe. Proinde magis congrueret cum bona Dei volũtate voluntas huius filij, ſi nollet quod vult Deus, quam nũc cõgruat, quando vult, quod Deus vult.

Sed non poteſt vllo modo ex his colligi, Deum eſſe au C
ctorem peccatorum, aut velle peccata fieri. Nam etiam ſi Deus vult aliquando id, quod peccator vult, non tamen vult Deus, vt ille hoc velit, imò contrarium vult, ſaltem voluntate ſigni, qua prohibuit illi, ne id vellet. Quod ſi Deus filio imperaret, vt parentem occideret, ſicut imperauit Abrahæ vt occideret filium, tunc non mala voluntate filius vellet mori parentem ſuum, dum id non odio patris, ſed vt obſequeretur Deo iubenti id veller. Sin autem filius non habeat Dei mandatũ de parente occidendo, & tamẽ fortè nouerit Deo placere vt is moriatur, non debet quidẽ obmurmurare Deo, ſed contrà potius eum laudare, & acquieſcere in eius voluntate, paratus æquo animo ferre mortem patris, cùm acciderit: ſed interim ei deeſſe non debet, quia mandatum habet honorandi parentes, eóſque iuuandi, ac ſuſtentãdi: & placebit ſine dubio Deo ſtudium filij in parente conſeruando, licet ipſe alia via ſibi nota, parentem illum occidi decreuerit.

Sequitur ALIVD teſtimonium, quod obiiciunt ex lib.6. de Geneſi ad litteram, cap.15. vbi legimus, voluntatem Dei eſſe rerum neceſſitatem, atque id neceſſariò D futurum, quod Deus voluerit. Vtitur hoc teſtimonio Caluinus lib.3. Inſt.c.23.§.6. vt probet, Deum decreuiſſe ab æterno, ac voluiſſe, vt primus homo peccaret, & cum tota poſteritate in damnationis reatum incurreret.

SED facilis eſt reſponſio. Fatemur enim, id omne, quod Deus vult, infallibiliter impleri, Dei enim voluntati nemo reſiſtere poteſt. Sed probandum erat Caluino, Deum ex ſententia beati Auguſtini voluiſſe, vt primus homo peccaret. Nam in loco citato, non hoc ſcribit S. Auguſtinus, ſed differit de creatione hominis, ac dicit, hominem formatum ex limo, quia Deus ita voluit, neque id repugnare cauſſis naturalibus generationis humanæ, quia Deus dedit illis cauſſis, vt inde poſſit homo generari, non autem ſuam poteſtatem illis cauſſis alligauit.

Aliud teſtimoniũ obiiciunt ex lib.5. contra Iulianum, c.3. vbi tractãs illud: *Tradidit eos in paſſionem ignominiæ, &c. Sequitur*, inquit, *propter hoc tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ. Audis propter hoc: & quæris inaniter quomodo intelligẽdus ſit tradere Deus, multum laborans, vt oſtendas eum tradere deſerendo.* Quibus verbis videtur S. Auguſtinus, non admittere explicationem illam, quam nos ſuprà ſequuti ſumus, quod Deus deſerendo tradat.

Reſpondeo, à ſancto Auguſtino non reprehendi Iulianum, quòd dixerit, Deum tradere deſerendo, ſed quia dixerit, vnum peccatum non eſſe pœnam alterius peccati, & exiſtimauerit, id benè probari, ſi oſtendiſſet, Deum tradere deſerendo. Itaque ipſe S. Auguſtinus demõſtrat, vnum peccatum eſſe pœnam alterius peccati, ſiue Deus tradat homines deſideriis ſuis deſerendo, ſiue alio modo, ac per hoc inaniter laborâſſe Iulianum, vt oſtenderet, Deum tradere deſerendo: *Audis*, inquit, *propter hoc, & quæris inaniter quomodo intelligendus ſit tradere Deus, multum laborans, vt oſtendas eum tradere deſerendo. Sed quomodolibet tradat, propter hoc tradidit, propter hoc deſeruit. Curauit enim Apoſtolus dicere, quanta pœna ſit, tradi paſſionibus ignominiæ, ſiue deſerendo, ſiue alio vel explicabili vel inexplicabili modo, quo facit hæc ſummè bonus, & inæſtimabiliter iuſtus.*

ADHAEC reprehendit Auguſtinus Iulianum, quod per (deſerere) non intellexerit, deſtituere, ſeu nõ iuuare cadentem, ſed permittere, vt quis in deſideriis, in quibus iam erat, hæreat, ac demonſtrat Auguſtinus, tradi in deſideria, non eſſe permittere, vt in aliquo ſint deſideria mala, ſed deſerere, ac deſerẽdo ſinere, vt deſideriis malis cõſentiatur. Sic enim loquitur AVGVSTINVS, ponẽs, & reprehendens verba Iuliani: *Iam flagitiorum*, inquis, *deſiderijs æſtuabant. Et adiungis, ac dicis, quomodo ergo per potentiam tradentis Dei putandi ſunt in talia facta cecidiſſe? Quid ergo plus factũ eſt, obſecro te, aut vt quid diceret, tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, ſi iam erant poſſeſſi quodammodo malis deſideriis cordis ſui? Nunquid autem conſequens eſt, vt ſi habet aliquis cordis deſideria mala, iam etiam conſentiat eis ad committenda eadem mala, ac per hoc aliud eſt habere mala deſideria cordis, aliud tradi eis: vtique vt conſentiendo eis poſſidetur ab eis: quod fit cum diuino iudicio traditur eis.*

Quod autem ſanctus AVGVSTINVS non reprehendat, ſed approbet Deum tradere deſerendo, patet ex ſequentibus verbis: *Cum ergo*, inquit, *dicitur homo tradi deſideriis ſuis, inde fit reus, quia deſertus a Deo cedit eis, atque cõſentit, vincitur, trahitur, capitur, poſſidetur. à quo enim quis deuictus eſt, huic & ſeruus addictus eſt, & ſit ei peccatum conſequens præcedentis pœna peccati.*

SED obiiciunt rurſus ex eodem capite illa verba: *Quid eſt autem quod dicis, cùm deſideriis ſuis traditi dicuntur, relicti per diuinam patientiã intelligẽdi ſunt, non per potentiam in peccata compulſi. Quaſi non ſimul poſuerit hæc duo idẽ Apoſtolus, & patientiam, & potentiam vbi ait, ſi autẽ volens Deus oſtendere iram, & demonſtrare potentiam ſuam, attulit in multa patientia vaſa iræ, quæ perfecta ſunt in perditione.* Vbi videtur ſanctus Auguſtinus concedere, aliquos à Deo per potentiam in peccata compelli.

Reſpondeo, rectè S. Auguſtinum docere contra Iulian. Deum tradere aliquos ſuis deſideriis, non eſſe per ſolam patientiã deſerere, quaſi ideo ſolùm dicatur Deus tradere aliquos ſuis deſideriis, quia eos patiẽter tolerat, & impunitos ad tempus relinquit. Nã alioquì, vt capite ſequent. idem Auguſtinus colligit, qui à Deo petit, ne ſe tradat deſideriis ſuis, id peteret, ne ſit patiens erga ſe bonitas eius. Quare ex hoc loco perſpicuè intelligimus, Iulianum non accepiſſe deſertionem Dei pro deſtitutione Auxilij diuini, vt nos cum Auguſtino accipimus, ſed pro ſimplici promiſſione, & tolerantia, quomodo fatemur, non ſola deſertione Deum tradere aliquos deſideriis ſuis.

Porrò non ſolam patientiam, ſed etiã potentiam Dei cerni in obdurationc peccatorum duobus modis intelligi

ligi poteſt, iuxta mentem S. Auguſtini. Primò, quia finis A
obdurationis eſt, vt in punitione peccatoris obdurati, quę ſine dubio mirabilis & horribilis erit, appareat iuſtitia, & potẽtia Dei. Et hoc habent verba Apoſtoli ab Auguſtino adducta: *Si autem Deus volens oſtendere iram, & demonſtrare potentiam ſuam, &c.* Et rurſus: *In hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te potentiam meam.* Neque dubitari poteſt, quin Deus potentiam ſuam magis oſtenderit in flagellis, & ſubmerſione Pharaonis obdurati, quàm in ipſa eiuſdem Pharaonis obduratione. Secundò, quia Deus non ſolùm deſerit peccatores, cùm eos tradit deſideriis cordis eorum, ſed eorum malas voluntates, quas ipſe nõ fecit, ſed futuras non ignorauit, ita mirabiliter torquet, regit, ordinat, vt ex eis bonum eliciat, & faciat, vt etiam inuitæ, ac nolentes ſibi ſeruiant, & hoc ipſo quod libenter faciunt, iuſto Dei iudicio grauiſſimè puniantur.

Quare poteſt rectiſſimè dici, Deum per potẽtiam tradere aliquos deſideriis ſuis, eoſque per potentiam excæ- B
care, & obdurare, non quidem quod deſerere, non illuminare, non emolire ad potentiam pertineat, aut quod Deus poſitiuè ad malum cõpellat, aut impellat, ſed quia (vt diximus, & explicauimus fuſiùs, cap.13.) mirabili potentia regat corda etiam impiorum, & impediat, ne aliud perficiãt, conentur, velint, cogitent, quàm quod ipſe permittit, ipſamq; culpam eis vertat in pœnam, & ad multa bona malis eorũ voluntatibus ipſe ſummè potens, ſummeque bonus vtatur. Atque hoc eſt, quod ſcribit idem Auguſtinus, in hoc ipſo libro quinto contra Iulianum, cap.4. cùm ait: *Facit hæc miris, & ineffabilibus modis qui nouit iuſta iudicia ſua non ſolùm in corporibus hominum, ſed & in ipſis cordibus operari, qui non facit voluntates malas, ſed vtitur eis vt voluerit, cum aliquid inique velle non poſſit.*

Quamuis autem admittamus iuxta mentem S. Auguſtini, Deum per potentiam tradere impios deſideriis ſuis, C
eoſque excœcare, & obdurare: non tamen admittimus, impios à Deo per potentiam in peccata compelli. Nam neque hoc loco S. Auguſtinus id vſquam dicit, & in aliis locis à nobis ſuprà citatis, ſæpè contrarium dicit. Vnum locum hîc notare ſufficiet, tract. 53. in Ioannem: *Fecerunt*, inquit, *Iudæi peccatum, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet, ſed facturos eſſe præuidit, quem nihil latet.*

ALIA teſtimonia proferunt ex lib.de gratia, & libero arbitrio, cap.20.& 21. Nam cap.20. ſic legimus: *Scriptura diuina, ſi diligenter inſpiciatur, oſtendit, non ſolum bonas hominum voluntates, quas ipſe facit ex malis, ſed etiam illas, quæ conferunt ſæculi creaturam, ita eſſe in Dei poteſtate, vt eas quo voluerit, quando voluerit faciat inclinari, vel ad pœnas quibuſdã ingerendas, vel ad beneficia quibuſdam præſtanda, ſicut ipſe indicat, occultiſſimo quidem iudicio, ſed ſine vlla dubitatione iuſtiſſimo.* Et infra: *Voluntatem proprio vitio malam in hoc peccatum iudicio ſuo iuſto & occulto inclinauit.* Et ca.21. *Operatur Deus in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunq; D*
voluerit, ſiue ad bona pro ſua miſericordia, ſiue ad mala pro meritis eorum, iudicio vtique ſuo aliquando aperto, aliquando occulto, ſemper autem iuſto.

RESPONDEO, hęc loca iam eſſe explicata ſuperius, videlicet cap.13. ſiquidem eo loco oſtendimus ex Hugone Victorino, qui Auguſtinum ſequutus eſt, Deum operari in cordibus inclinando ad vnum malũ potius, quam ad aliud, non quidem malitiam inſerendo, aut inclinata corda ad bonum, peruertendo, ſed inclinata vitio proprio ad malum, impediendo ne ferantur in aliud, & non impediendo vt ferantur in hoc. Id quod idem Auguſtinus in hoc lib. indicat, cùm ait cap.20. Deum inclinare voluntatem proprio vitio malam. Et cùm apertiùs c.23. concludit, dicens: *Cum ergò audiuis, ego Dominus ſeduxi Prophetam illum, & quem vult indurat, eius merita cogitate quem ſic obdurari, vel ſeduci permiſit.* Vbi vides, ipſam permiſſionem ſeductionis, & obdurationis iudicio diuino tribui, quia videlicet niſi id mererẽtur hominum peccata, Deus eos non ita ſeduci, neque obdurari ſineret.

ALIVD teſtimonium obiici ſolet ex lib.de corrept. & gratia.c.7. vbi ſic loquitur S. Auguſtinus: *Cum*, inquit, *audiamus, nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus eſt? illos debemus intelligere electos per myſterium illum per iudicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum ſuum, illum ad effundendum ſanguinem ſuum.* Quod ſi Chriſtus elegit Iudam ad opus proditionis, vnde ſanguinis effuſio ſequuta eſt, certè videtur omninò voluiſſe, & ab æterno decreuiſſe, vt Iudas illud immane ſcelus perpetraret.

RESPONDEO, Chriſtum præſciuiſſe ab æterno Iudam, ſi permitteretur, fore pecuniarum cupidum, & ex ea cupiditate, Magiſtri ſui ac Domini ſceleſtiſſimũ proditorem, & ſimul præuidiſſe, quantum boni ex illo ſcelere ipſe elicere poſſet, ſi illud permitteret, & ideò decreuiſſe omninò permittere. Hoc autem permiſſionis decretum, ex quo infallibiliter ſequebatur ſanguinis ſui effuſio, vocat Auguſtinus electionem Iudæ ad effundendũ ſanguinem ſuum. Nam paulò antè dicit, Iudã fuiſſe electum ad opus, cui congruebat. Quibus verbis ſignificat, Iudam per ſe illi operi congruiſſe, & ideò ſatis fuiſſe, vt Deus illum permitteret facere, quod cupiebat. Et paulò pòſt idem explicat apertiùs his verbis: *Ab illo quippe electus eſt, qui nouit bene vti etiam malis, vt per eius opus damnabile, illud propter quod ipſe venerat, opus venerabile compleretur.* Itaque Chriſtum elegiſſe Iudam ad effundẽdum ſanguinem ſuum, nihil eſt aliud, niſi Chriſtum decreuiſſe vti mala voluntate Iudæ, quam ſe permittente in eo futuram prænouerat, ad paſſionem ſuam, & mundi redemptionem peragendam.

POSTREMO addunt Caluinus in lib.3. Inſtit.c.23. §.7. & Theodorus Beza in reſpõſione ad Acta colloquij Mompelgardenſis. pag.155. teſtimonium S. Auguſtini ex libro de corrept. & gratia. cap.10. ad probandum, mala non ſolùm præſciri, ſed etiam decerni à Deo, & lapſum Adami non ſolùm à Deo præcognitum, ſed etiam volitu, & definitum. *Nunc audiamus*, inquit, *Auguſtinum loquentem libro de correptione, & gratia, Sanctiſſime confitemur, quod rectiſſimè credimus, Deum, Dominumq; rerum omnium, qui creauit omnia bona valdè, & mala ex bonis excritura præſciuit (præſcientiam autem Auguſtinus nunquam à proposito Dei ſeiungit) ſciuit magis ad ſuam omnipotentiſſimam bonitatem pertinere, etiam de malis benefacere, quàm mala eſſe non ſinere: ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, vt in ea prius oſtenderet, quid poſſet liberum arbitrium: Deinde quid poſſet gratia ſua beneficium iuſtitiæq; iudicium.*

Hoc teſtimonium, ſi remoueatur illa parentheſis Bezæ (præſcientiam autem Auguſtinus nunquam à proposito Dei ſeiungit) nihil omninò probat. Non enim dicit S. Auguſtinus, Deũ decreuiſſe, vt mala ex bonis orirentur, ſed dicit pertinuiſſe ad eius omnipotentiſſimam bonitatem, potius de malis benefacere, quàm mala eſſe non ſinere. Nec dicit, Deum ſic ordinãſſe Angelorum & hominum vitam, vt prius neceſſariò peccarent, deinde propter peccata punirentur. Sed dicit, Deum ſic ordinãſſe Angelorum & hominum vitam, vt prius oſtẽderetur, quid poſſet liberum arbitrium, deinde quid poſſet gratię beneficium, iuſtitięque iudicium, id eſt, prius oſtenderetur, potuiſſe Angelos per liberum arbitrium cadere, & nõ cadere, & deinde potuiſſe Deũ Angelos, qui ex libero arbitrio ceciderant, iuſtè punire: qui verò per liberũ arbitrium ſteterãt, tanta gratiæ plenitudine donare, vt iam amplius cadere non poſſent. Homines ſimiliter in ſtatu innocentiæ conſtitutos, potuiſſe per liberum arbitrium cadere, & non cadere: & ſiquidem non ceciderint, potuiſſe Deum ad perfectam beatitudinem eos perducere: Sin autem ceciderint, potuiſſe iuſtè punire, vel miſericorditer liberare, vt in ſequentibus Auguſtinus fusè explicat. Quare omnia veriſſima ſunt, nec vlla ex parte Bezæ ſententiam iuuant.

Porrò illa parentheſis (præſcientiam autem nunquam Auguſtinus à proposito Dei ſeiungit.) Primùm petit

Universidad de Deusto
Biblioteca

principium. id enim probandum susceperat initiò, quod nunc tamquam certum, & concessum assumit: Deinde falsum est, si de peccatis agatur, vt hoc loco agitur. Sanctus enim Augustinus libro de prædestinatione Sanctorum, cap. 10. dicit, prædestinationem (quæ idem est cum decreto) non posse separari à præscientia, tamen præscientiam posse separari à prædestinatione, siue decreto: Deus enim nihil decernit, ac definit, quin præsciat se facturum: multa autem præscit futura, quæ ipse non decernit, nec definit. *Prædestinatio*, inquit, *sine præscientia esse non potest: Potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus præsciuit, quæ ipse esset facturus. Præscire autem potest etiam ea, quæ ipse non facit, sicut quæcunque peccata.*

Idem cognosci potest ex responsione sancti Prosperi ad obiectiones Vincentianas 10.11.12.13.14.15.& 16. Nam cùm quidam suspicarentur ex doctrina sancti Augustini sequi id, quod nunc Caluinus, & Beza defendut, mala fieri non solùm præsciente, sed etiam prædestinãte, & decernente Deo: Respondet Prosper, istas sententias blasphemas esse, & à sancti Augustini doctrina prorsus alienas. Inter cætera sic loquitur in responsione ad obiectionem vndecimam: *Obiectio, Quod quando mœstum [ætres filias, & mares filios, vel quando [rui dominos occiãt, id eo fiat, quia Deus prædestinauit vt fieret. Responsio, Si diabolo obiceretur, quod talium facinorum ipse auctor, ij se esset inventor, puto, quod aliqua ratione exonerare se hac posset inuidia, & talium scelerum patratorem, de ipsorum voluntate vinceret: quia etsi detestatus est furore peccantium, probaret tamen se non inuitisse vim criminum. Qua ergo insipientia, quáue dementia definitur ad Dei referendum esse consilium, quod nec diabolo in totum adscribi potest, qui in peccatorum flagitijs illecebrarum adiutor, non voluntatum creedendus est esse generator? nihil ergo talium negociorum Deus prædestinauit vt fieret: nec illam animam nequiter, turpiterq; victuram, ad hoc vt taliter viueret, præparauit: sed talem futuram non ignorauit, & de tali iustè se iudicaturum esse præscijt. Atque ita ad prædestinationem eius nihil aliud referri potest, nisi quod aut ad debitam iustitiæ retributionem, aut ad indebitam pertinet gratia largitatem.* Hìc certè videmus, quàm luculenter sanctus Prosper Augustino respondens, separet præscientiam à consilio, definitione, & prædestinatione Dei, cùm de malis agitur: & contra quam falsò scripserit Beza, Dei præscientiam à decreto, seu proposito nunquam ab Augustino seiungi.

CAPVT XVII.

Soluuntur obiectiones ductæ ex ratione.

SVPEREST vt ad rationes, quas protulerunt, breuiter respondeamus.

PRIMA ratio Caluini lib. 3. Instit. c. 23. §. 7. Si Deus nõ decreuit ab æterno, vt primus homo cum tota posteritate laberetur, sequitur Deum ambiguo fine condidisse nobilissimam creaturam. Non enim condidit, vt starer, vt perspicuum est ex eo quod non steterit: vel igitur cõdidit, vt laberetur, & sic aperiretur via misericordiæ, & iustitiæ diuinæ, vel condidit in finem ambiguum, atq; incertum, vt ex euentu penderet id, quod Deus postea facturus esset, quod certè valdè absurdum esse videtur.

Respondeo, Deum cõdidisse hominem in finem bonum, & certum, videlicet ad gloriam misericordiæ, iustitiæque in eo manifestandam. Licet enim Deus non decreuerit, neque voluerit, vt primus homo peccaret, neque ad hunc finem eum condiderit, vt peccaret: tamen præsciuit eum peccaturum, si conderetur, qualis conditus est, & simul præscivit, se posse tale remediũ eius peccato adhibere, vt inde iustitia, & misericordia sua mirificè patefieret, quemadmodum si quis dum cogitat domũ ædificare animaduertat, si domus in tali loco ædificetur fore, vt appareat pestilentibus ventorum flatibus, & simul videat, se posse optimum remedium adhibere, quod non solùm flatus ventorum arceat, sed ètiam ornamento sit toti ædificio: is profectò si domum tali loco ædificet, nec dici poterit cupiuisse domum patere flatibus pestilentiũ ventorum, neque verè dicetur eo imprudente id accidisse, sed eum vt sapientem architectum prouidisse quod accidere poterat, & nihilominus voluisse in eo loco domum extruere, quia viderit, se posse arte sua omni incommodo facilè mederi.

At dicet Caluin. Deus præsciuit hominem casurum, quia iã decreuerat, & prædestiuauerat eius lapsum. Prior ergo fuit prædestinatio, quàm præsciẽtia: proinde quando decreuit Deus hominem condere, vel in ambiguum finem condere voluit, vel certè in eum finem, vt laberetur, & per eius lapsum aperiretur via misericordiæ, ac iustitiæ Dei manifestandæ.

Respondeo, Deum cognitione simplicis intelligentiæ cognouisse hominem casurum, si conderetur, non solùm antequam eum conderet, sed etiam antequam condere decerneret. Itaque prior est (secundùm modum nostrum intelligendi) cognitio illa conditionalis propositionis, nimirum si homo creetur peccabit, quàm decretum absolutum hominis condendi. Priora enim sunt in Deo, quæ necessaria sunt, quàm quæ libera, cùm ista in Deo possint non esse, illa non possint. Necessarium autem est Deũ cognoscere omnia omninò quæ cognosci possunt, siue ea sint absolutè futura, siue ex hypothesi, alioqui nõ esset infinitæ scientiæ, ac per hoc nec esset Deus. Non fuit autem necessarium, sed liberum, vt Deus decerneret hominem condere.

Porrò cognosci posse à Deo non solùm illa, quæ futura sunt absolutè, sed etiam ea, quę essent, si tales, vel tales causſæ ponerentur, licet re ipsa nũquam futura sint, perspicuũ est ex diuinis Litteris. Nam 1. Reg. 23. interrogatus Dominus à Dauide, an si ipse maneret in vrbe Ceilam, proderetur à ciuibus illius vrbis in manus Saulis, respondit, tradẽt. Sciebat ergo Deus futurum, vt Dauid proderetur, si maneret in Ceilã, & tamen quia non manserit, non fuit proditus, & absolutè nõ erat futurũ, vt proderetur. Et Matt. 11. Dominus ait: *Si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent.* Sciebat igitur Dominus, fore vt Tyrij, & Sidonij conuerterentur ad pœnitentiam, si miracula illis ostendisset, quæ Bethsaidæ fecerat, quod tamen absolutè futurum non erat.

Sanctus etiam Augustinus in epistola 40. q. 2. docet, Christum antiquis temporibus non venisse, quia præsciebat, homines illorum temporum, etiam visis miraculis maximis minimè credituros. Idem etiam cùm tam sæpè repetit, Deum vocare electos, sicut videt eis aprũ esse, vt sequantur vocantem: reprobos autem non ita vocare, pro certo sumit, Deum nosse, tali vocatione oblata, eum qui vocatur, sequuturum, alia verò similiter oblata non sequuturum. Vide librum 1. ad Simplicianum, quæ. 2. & librum de bono perseuerantiæ, cap. 14. Hinc idẽ S. Augustinus libr. de corrept. & gratia, cap. 10. scribit, Deum creãsse hominem & Angelum, vt primum in eis ostẽderet, quid posset liberum arbitriũ. Deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, iustitiæq; iudicium. Qui finis nõ erat incertus, aut ambiguus, qui nouerat Deus, Angelos per liberum arbitrium partim casuros, partim non casuros, hominem autem cùm omni posteritate lapsurum, atque ideò rum in Angelis, rum in hominibus demonstrare se posse misericordiam, & iudicium. Et in eodem libro cap. 12. apertè docet, Deum præsciuisse primum hominẽ lapsurum: sed eum ad hoc non coëgisse: *Præsciens*, inquit, *Deo quid ille esset factiurus iniustè, præsciente tamen, non ad hoc cogente, sed simul sciente, quid ipse de eo facturus esset iustè.*

Addo prætereà quod etiam si daremus, Deũ non præuidisse, antequam deceneret hominem creare, quid homo facturus esset, si crearetur: tamen non propterea in ambiguum

ambiguum finem creatam à Deo fuisse nobilissimam naturam. Deus enim omnia propter semetipsum, id est, ad gloriam suam declarandam operatur: hic autem finis impediri non poterat vllo modo, quidquid tandem homo pro arbitrij sui libertate faceret. Nam si peccaret, non effugeret Dei iustitiam: si non peccaret, Dei gratiam magis ac magis sibi conciliaret. Semper autem Dei gloria eluceret, siue per excellentem gratiam homo coronandus esset, siue per iustum iudicium puniẽdus. An autem homo misericordiam, an iustitiam Dei experturus esset, ambiguum aliquomodo fuisset, sed absque vllo detrimẽto gloriæ Dei. Nam & ambiguitas ista ex Dei decreto manãsset, qui hominem in manu consilij sui relinquere voluisset, & (vt dixinus) semper Dei gloria siue coronando, siue puniendo locum suum habuisset.

ALTERA ratio eiusdem Caluini ibidem eiusmodi est. Non est factum naturaliter, vt à salute exciderẽt omnes vnius parentis culpâ. Cùm igitur hoc naturæ adscribi nequeat, ab admirabili consilio Dei profectũ esse minimè obscurum. Quid ergo prohibet fateri de primo homine (quod videlicet decreto Dei lapsus sit) quod inuiti de toto humano genere concedunt?

RESPONDEO, negare nos, quod inuitos concedere Caluinus assumit. Factum enim asserimus omninò naturaliter, vt primo homine cadente genus humanum vniuersum caderet. Naturam enim in se primus homo vitiauit, cùm iustitiam illã originalem amisit, quam Deus illi pro se, & pro toto genere humano donauerat. Quare qui per naturalem propagationem filij Adami efficiuntur, naturaliter iniusti, & peccatores nascuntur, quod Apostolus docet, cùm ait Ephes. 2. *Eramus & nos naturâ filij iræ, sicut & cæteri.* Idem passim docet S. Augustinus, qui etiam tractat. 44. in Ioannem, scribit, omnes homines naturâ esse filios iræ, quia peccante primo homine vitium pro natura inoleuit. Et (quod magis est admirandum) ipse idem Caluinus ita exponit verba Apostoli in commentario eius loci, vt probet peccatum originale, quia in omnibus naturaliter hoc peccatum ineſt, cùm sit omnibus eadem natura communis: *Locus*, inquit, *est insignis contra Pelagianos, & quicunque peccatum originale negat. Nam quod naturaliter inest omnibus, id certè est originale. Naturaliter verò nos omnes damnationi obnoxios Paulus docet.* Hæc ille. Quamuis igitur Adamus non naturaliter, sed voluntariè peccauerit, tamen posito peccato Adami, & naturæ corruptione, quæ ex eo peccato consequuta est, sine alio Dei decreto, per ipsam naturalem propagationem nascimur omnes peccatores, atque iræ filij.

TERTIA ratio Caluini, & Bezæ, Homo non potuit labi Deo inuito, vel ignorante, vel ociosè spectante. Quia primum repugnat Dei potentiæ, Secundum Dei sapientiæ, Tertium Dei prouidentiæ, igitur Deo volente, & decernente lapsus est.

RESPONDEO, non benè colligi cõclusionem. Nam lapsus est homo Deo permittente, & ex lapsu illo per suam potentiam, & sapientiam, & prouidentiam ingens bonum eliciente. Atq; ita non est homo lapsus, Deo volente, aut decernente, sed neque eo inuito, aut ignorante, aut ociosè spectante. Quemadmodum non diceretur aliquis ociosè spectare fluuium sponte currentem, si cursum illius detorqueret ad agrum aliquem irrigandum, quamuis non ipse fluuio impetum illum dedisset.

QVARTA ratio, Sæpè vnum peccatum est pœna alterius peccati, vt ex Scripturis manifestè probat S. Augustinus lib. 5. contra Iulianum. c. 3. At pœnæ auctor est Deus, igitur & peccati, quod pœna est alterius peccati.

RESPONDEO, peccatum bifariam considerari posse, Primo, vt egreditur à voluntate, & actio quædam est. Secundo, vt recipitur in ipsa voluntate, & passio est. Vt igitur peccatum à voluntate egreditur, non est pœna, sed culpa: pœna enim nõ actionem, sed passionem significat: vt autem recipitur in voluntate, eamque bono rectitudinis priuat, sic pœna est, quamuis non omninò propriè, & in rigore, sed largo modo, quia pœna propriè dicta simpliciter inuoluntaria esse debet, vt culpa simpliciter volũtaria. Iam igitur Deus non est auctor peccati, vt culpa est, quod peccato propriè & simpliciter conuenit, sed solùm vt habet rationem pœnæ, (vt diximus) nõ simpliciter, sed secundùm aliquid tantùm peccato conuenit.

SED prætereà obseruandum est, Deum non esse auctorem peccati, vt pœna est, impellẽdo ad peccatum, sed deserendo, permittendo, non miserendo (vt supra explicuimus) ita vt non tam ipsum peccatum, quàm desertio Dei pœna iusto Dei iudicio inflicta dici debeat. Sic enim loquitur S. Augustinus lib. de gratia, & libero arbitrio, cap. 23. *Cùm auditis, ego Dominus decepi Prophetam illum, & quem vult obdurat, eius merita cogitate, q— Deus ita seduci, vel obdurari permisit.*

QVINTA ratio esse potest (qua vtitur Zuinglius in serm. de prouidentia. cap. 5. & 6.) Oportebat, vt homo cognosceret veritatem, & iustitiam Dei, (ad hanc enim contemplandam creatus est) at veritas, & iustitia planè cognosci nequeunt, nisi ex contrario, mẽdacio videlicet, & iniustitia, ergo Deus procurare debuit mendacium, & iniustitiam. Non autem potuit in seipso exemplum mendacij, vel iniustitię prębere: debuit igitur efficere vt creatura aliqua id præstaret. Similem rationem adducit Beza in responsione ad Castellionem sępè citata. Scribit enim Deum ab æterno decreuisse iustitiam, & misericordiam suam manifestare: & quia non poterat id efficere, nisi homo laberetur in culpam, cùm alioqui non esset qui iustè puniri, vel qui misericorditer liberari posset, ideò Deum ab æterno decreuisse, & voluisse primi hominis, & vniuersæ eius posteritatis lapsum.

RESPONDEO, hanc rationem multis modis solui posse. Primum enim falsum est, non posse cognosci veritatem, & iustitiam, nisi ex contrario, mendacio videlicet, & iustitia. Nam veritas & iustitia per se cognoscibiles sunt, neque à mendacio, aut iniustitia pendent, cùm sine illis esse possint, & fuerint in Deo ab æterno, & in Angelo, & homine, antequam mendacium, & iniustitia existerent. Verum quidem est, mendacium, & iniustitiam, vt mortem, cœcitatem, & reliqua, quæ boni alicuius priuationem significant, neque esse, neque intelligi posse sine contrario bono: Sed non est eadem ratio de forma & priuatione, cùm priuatio pendeat à forma, forma non pendeat à priuatione.

DEINDE esto, nõ possent veritas, & iustitia sine notitia mendacij, & iustitiæ planè cognosci, nõ tamen ideo necessarium erat, vt mendacium, & iniustitia re ipsa existerẽt. Potuit enim vtriusq; mali natura cognosci, etiamsi nunquam extitisset alioqui non solùm homo, sed etiam Deus eguisset mendacio, & iniustitia ad ipsum mendacium, & iniustitiam, & per ea ad veritatem & iustitiam cognoscendam. Quod verò vulgò dici solet, non cognosci bonam valetudinem ab iis, qui in morbum non inciderunt, neq; pacis bona ab iis, qui belli mala experti non sunt: non tam ad cognitionem, quàm ad æstimationem referendum est. Multò enim pluris æstimat, appetit, quęrit, conseruat sanitatis bonum, qui cõtrarium malum tolerare coactus est, quàm qui nunquã ægrotauit. Nec tamen ideò mentiendum est, aut iniustitia committenda, vt charior sit veritas, & iustitia, nec vulnerandus est proximus, vt sit ei postea bona valetudo iucundior, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona, iuxta verbum Apostoli Roman. 3.

Ad rationem Bezæ pari facilitate respondeo, Primo, non fuisse necessarium absolutè, vt Deus misericordiam, & iustitiam suam mundo patefaceret. Neque enim mundum necessariò Deus creauit, sed liberè, & potuisset non creare, cùm ipse seipso beatus nulla re prorsus indigeat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deinde addimus, potuisse Deum misericordiam & iustitiam suam ostendere, etiamsi peccatum nunquam extitisset. Neque enim absque misericordia ingenti Deus res creatas è nihilo produxit, sustentat, mouet, nouis quotidiè beneficiis cumulat, ac perficit, neque sine iustitia coronat, benè merentes, & promissiones suas adimplet.

At, inquis, non apparet iustitia vindicatiua, nisi sint impij, qui meritò puniantur. Respondeo, non esse necessarium, vt omnes iustitiæ partes hominibus innotescãt. Quid enim: si placuisset Deo, peccatoribus omnibus iniuriam misericorditer condonare, an non licebat ei quod volebat facere? Itaque congruens, & æquum fuit, posteaquam Angelus, & homo peccauerant, vt Deus ostenderet quid posset suæ gratiæ beneficium, iustitiæque iudicium: tamen si aliquid aliud Domino placuisset, id quoq; sine dubio cõg....ns, æquumq; fuisset. Id enim est æquũ, & congruens, quod Domino placet: sed si Angelus, aut homo peccare noluissent, quod verè & propriè in eorum potestate fuit, non potuit Deus eos impellere ad peccandum, vt iustitiam, & misericordiam patefaceret, quia (vt sæpè diximus) ex Apostoli sententia, non sunt facienda mala, vt veniãt bona. Malum est autem, & à lege æterna, quæ est ipsa Dei sapientia, & ratio planè abhorrens, impellere aliquem ad peccandum, & Deus sibi ipse contrarius esset, seque ipse negaret, si homines ad peccandum, id est, ad ea facienda compelleret, quæ fieri æterna lege prohibuit.

CAPVT XVIII.

Soluitur obiectio, quæ à Theologis proponi solet veritatis explicandæ gratia.

VNA restat obiectio, quã Catholici Theologi veritatis explicandæ caussa pro ponere solent. Ea est huiusmodi, Deus est caussa totius entitatis, quę in mala actione cernitur, cùm secũdùm Scripturas, per ipsum omnia facta sint, & sine ipso factum sit nihil, igitur videtur etiam esse caussa deformitatis, quæ in actione illa inest, quæ propriè peccatum dicitur.

PROBATVR consecutio. Primo, is qui est caussa caussæ, est etiam caussa caussati, at Deus est caussa actionis, vnde resultat deformitas, igitur etiam caussa est deformitatis, quæ ex actione illa resultat.

SECVNDO, is verè ac propriè peccare dicitur, qui sciens, & volens est caussa actionis, cum qua est annexa deformitas, licet ipsam deformitatẽ fortè non velit, Deus autem sciens, & volens est caussa actionis, cum qua est annexa deformitas, igitur peccare dicendus est, licet deformitatem illam nolit.

TERTIO, qui sciens, & volens concurrit cum alio ad actionem malam, particeps est criminis, quod ille cõmittit. Deus autem sciens, & volens concurrit cum omnibus, qui peccant, ad eorum malas actiones, igitur particeps esse videtur criminum, quæ ab omnibus iis perpetrantur, qui peccant.

QVARTO, actiones quædam ita sunt per se, atque intrinsecè malæ, vt deformitas ab eis sit omninò inseparabilis, & prohibitæ sint, quia malæ, non malæ, quia prohibitæ, ac denique nullo modo benè fieri possint, quales sunt mentiri, odisse Deum, & alia id genus: Deus autem ad eiusmodi actiones, non minus, quàm ad alias omnes concurrit, igitur fieri non posse videtur, vt Deus omninò liberetur à culpa.

QVINTO, nulla est ratio cur homo dicatur peccare, dum mentitur, aut blasphemat, si non peccat Deus, dum cum homine concurrit ad mendacium, vel blasphemiam illam producendam. Vterque enim liberè operatur, vterque facit opus intrinsecè malum, vterque totam actionem illam efficit. At homo verè peccat omnium iudicio, igitur & Deus.

Hoc argumentum non ab omnibus eodem modo soluitur. Primũ enim non defuerunt: qui existimarent, Deũ non esse caussam actionum, quæ à rebus creatis efficiuntur, nisi mediatè, quatenus videlicet Deus dedit reb. virtutes operatiuas, & ipsas cõseruat. Ita Durãdus in 2. Sen. dist. 1. q. 5. & dist. 37. q. 1. Sed hæc sententia meritò passim ab omnib. refutatur, vt quæ Scripturæ diuinæ, & sanctis Patribus contraria sit. De qua re plura dicemus in secundo libro de libero arbitrio cap. 3. vbi quæstionis huius proprius locus est.

ALIA est aliorũ solutio, qui dicunt Deũ esse caussam actionum omniũ, & cum omnib. secũdis caussis operari, sed ideò non peccare, quod non teneatur vllis legib. homines autẽ peccare, quia legib. teneantur. Hæc sententia Zuinglij hæresiarchæ est (vt suprà retulimus, & refutauimus cap. 4.) est etiam aliorũ quorundã, qui tametsi cũ Zuinglio non conueniant in eo, quod ille docet, Deum impellere homines ad peccata, tamen non aliter nitũtur ostendere, quẽadmodum Deus nõ peccet, cùm actionem illam cum homine producit, quæ homini peccatum est, nisi quia Deus nulla lege tenetur, & nihil est peccatum nisi præuaricatio legis.

Cæterùm nõ est hæc solida defensio veritatis propter duas caussas. Primum, quia multæ sunt actiones ita per se, & intrinsecè malæ, vt semper pugnent cum lege æterna, & ratione recta, & non possint vlla addita circũstantia reddi licitæ: & quia Deus, quamuis nulli legi propriè subiectus sit, tamen nõ potest aliquid agere, quod repugnet sapientiæ suæ, quæ est lex æterna, ideò non potest actiones illas efficere, aut ad eas cõcurrere, cũ se ipse negare nõ possit. Deinde quia tametsi Deus multa, quæ nõ sunt per se, & intrinsecè mala, facere possit, quę hominibus sunt prohibita, qualia sunt occidere homines, etiam innocentes, & quod est vnius, alteri donare etiam illo inuito, cuius antea fuerat, tamẽ ista, & alia, si qua sunt eiusdẽ generis, potest quidẽ Deus, vt Dominus rerũ omniũ, facere per se, vel alios, vt voluerit: cæterùm nõ potest homines iuuare, cum ista ipsa opera faciendo peccant, quia per se, & intrinsecè malũ est, iuuare aliquẽ vt peccet, siue (quod est idem) participem, & socium esse peccantis.

Exemplo nobis sint Abraham, & Dauid, Imperauit Deus Abrahamo, vt filium innocentem occideret. Potuit sine dubio Deus cum Abrahamo cõcurrere ad Isaacum innoxium occidendũ, quia cædes illa, nec Deo peccatum erat, qui vt Dominus omnium potest rebus suis, vt voluerit, vti: neq; Abrahamo, qui non propria auctoritate, sed imperio diuino filiũ occidebat. Dauid Vriam innocẽtem gladio filiorum Ammon neci dedit. Non potuit Deus cum Dauide ad cædem illam concurrere, quia Dauid in ea re legem Domini violauit, nec potuit Deus Dauidem iuuare, vt id faceret, quod ipse fieri prohibuerat, quamuis alioqui potuisset Deus Vriam, non minus quàm Isaacum iubere de medio tolli.

Quod idem in rebus humanis cernimus. Potest Rex condonare vitam reo, nõ tamen potest iudici cooperari, vt ipse sentẽtia sua, eum quem scit reum, innoxium pronunciet. Potest aliquis vxorem ducere, pecunias possidere, carnibus vesci, nõ tamen potest operam suam accommodare, vt ista faciat, cui ex voto, quo se ipse Deo obligauit, ista non licent. Nondũ ergo solutus est nodus obiectionis illius, qua efficiebatur, Deum non posse à culpa liberari, si iniqua agentibus cooperetur.

VERA igitur solutio illa est, quam indicauimus cap. 5. quæ vt apertiùs, ac fusiùs explicetur, pauca quædam obseruanda sunt.

PRIMVM est, peccati, quod non tam actio, quàm defectio est, non esse quærendam caussam efficientem, sed deficiẽtem. Sic enim loquitur S. Augustinus lib. 2. de Ciuitate

Ciuitate Dei. cap. 7. *Nemo quærat efficientem caussam malæ voluntatis. Non enim est efficiens, sed deficiens, quia nec illa effectio est, sed defectio.* Quare si ad vnum aliquem effectum multæ caussæ concurrant, & aliquæ deficiant, aliquæ nõ deficiant, illæ solæ veræ caussæ dicendæ erunt peccati, quod in effectu cernitur, quæ in agendo defecerint. Exẽpli caussa, gignitur mõstrum, homo videlicet longè breuior iusto, aut aliquo membro carens, ad generationem hominis illius concurrit Deus, Sol, pater, & mater, præterea virtus seminalis vt instrumentum, menstruum vt materia: sed quia nõ deficit, nisi materia, ei soli tribuitur caussa monstri. Ambulat claudus deformi incessu, sed quia non deficit Deus, neq; virtus motrix, quæ in homine est, sed sola tibia, quæ ob curuitatem, non plenè subiicitur virtuti motrici, soli tibiæ tribuitur caussa claudicationis. Quod exemplum adfertur à S. Augustino in lib. de perfect. iustitiæ, resp. 4.

SECVNDO obseruandum est, peccatum, quod est malum morale, formaliter consistere in priuatione rectitudinis, quæ in actu voluntatis debuit inesse, videlicet cõformitatis ad regulam rectæ rationis, siue legis diuinę, caussam autem huius priuationis per se non posse esse aliquid positiuũ, sed aliam priuationem, seu defectum, vt ostendit S. Thomas lib. 2. contra Gent. cap. 10. & in q. 1. de malo. art. 3. Triplex autem defectus assignari potest, in quem referenda est caussa peccati, Primus, atque adeò proximus, & immediatus defectus est, non attendere ad regulam rationis. Inde enim oritur, vt voluntas producat actum non conformem rationi, qui (vt diximus) peccatum est, quia non respicit regulam rationis, dum operatur. Hic autem defectus, licet non sit actus aliquis positiuus, sed negatio quędam, tamen est voluntarius, quia alioqui non esset caussa peccati, nec tamen est voluntarius, quia sit actus elicitus à voluntate, sed quia est in potestate voluntatis attendere, vel non attendere ad regulam. Non minus enim liberè voluntas operatur, quã non operatur. Neq; est hic defectus, quatenus præcedit actũ peccati, malum aliquod naturale aut voluntariũ, sed simplex negatio. Non est (inquam) malum naturale, quia tunc peccatum etiam, quod inde nascitur, esset naturale, nec posset homo non semper peccare, proinde nec propriè peccaret: neq; est malũ volũtarium, quia esset peccatum, & oporteret quærere defectum præcedentium, & sic daretur progressus in infinitum. Est igitur defectus ille, vt præcedit peccatum, tempore, aut naturâ, caussa mali, vt autem comitatur actum, induit rationem mali. Malum est enim non attendere ad regulam, dum quis operatur, siue operari non attendendo ad regulam.

ALTER defectus, sed remotus, est, quod voluntas creata non sit summum bonum: inde enim fit, vt voluntas non semper ad regulam attendat, & defectus sit capax, quia non est bonũ summum. Sic enim scribit S. Augustinus in Enchirid. cap. 12. *Naturæ omnes, quoniam naturarum omnium conditor summè bonus est, bonæ sunt: sed quia non sicut earum conditor, summè, atque incommutabiliter bonæ sunt: ideò in eis & minui, & augeri bonum potest.*

TERTIVS defectus, ac remotissimus est, quod volũtas humana, ex nihilo sit creata. Inde enim nõ est summum bonũ, & infinitum bonũ, in quod defectus cadere non potest, quia ex nihilo facta est. Augustinus lib. 2. de nuptiis, & concupiscentia, cap. 28. *Nec ideo*, inquit, *potuit ex bono oriri voluntas mala, quia bonum factum est a Deo bono, sed quia de nihilo factum est, non de Deo.* Idem etiam habet lib. 12. de Ciuit. Dei, cap. 1.

Ex his intelligemus non esse necessarium, vt Deus ad peccatum concurrat, & nullo modo fieri posse, vt Deus peccet. Non est enim necessarium, vt Deus ad peccatum concurrat, quia & ipsum peccatum propriè non res aliqua, sed priuatio est: & caussa, siue radix, & origo peccati, similiter negatio est, non res. Porrò Deus nullo modo peccare potest, quia non potest esse caussa deficiens, cùm sit bonum summum, & infinitum, & non possit eius voluntas non semper ad regulam sapientiæ suæ respicere, cùm in Deo sapientia, & voluntas idem sint, ac per hoc voluntas Dei sit ipsa regula omnis bonæ actionis.

TERTIO obseruandum est, in actu peccati tria necessariò requiri, quorum vno deficiente desinit esse peccatum. Primum est, vt non congruat cum sua regula: ista enim declinatio à lege (vt sæpe diximus) est formale peccati. Alterũ, vt producatur à libero arbitrio. Actus enim non est moralis per se, nisi elicitus à libera voluntate, siquidem actus aliarum potentiarum, nõ sunt morales secundum substantiam, sed solùm quatenus imperantur à libera voluntate, & eo modo participant rationem moralis, quocirca pecudes, & homines furiosi, vel infantes, aut dormientes nullum habẽt actum moralem, nec peccare possunt, quia peccatum est malum morale. Tertium est, vt sit actus particularis, vel potius singularis, determinatus, in certa specie constitutus. Neque de hoc vlla dubitatio esse potest. Non enim actus morales nisi certi, & singulares esse queunt, neque alios producere potest caussa particularis, qualis est humana voluntas.

Hæc tria quę ad peccatum constituendum requiri diximus, ad primum reuocari possunt, non enim esse potest actus non conformis regulæ, id est, legi, nisi sit particularis, & à libero arbitrio productus. Lex enim non est nisi de actibus particularibus, & certis: neque legis capax est, nisi potentia libera, qualis est voluntas.

Itaque non potuit rectiùs, & breuiùs definiri peccatum, quàm vt à S. Ioanne fuit definitum illis verbis, Peccatum est iniquitas, vel (vt clariùs habetur Græcè) ἀνομία ἐστὶ ἁμαρτία. 1. Ioan. 3. Ex his apertissima erit ratio cur Deus non peccet, neque peccati caussa iure dici possit, quamuis concurrat ad actionem illam efficiendam, quæ homini est peccatum. Ratio enim est, quia Deus non efficit actionem illam, vt caussa particularis, sed vt caussa vniuersalis, præbens vim, & influxum quendam indifferentem, & communem ad illam actionem, & ad contrariam, ita vt actio illa non sit talis in specie, quia à Deo fit, sed solùm quia fit à sua particulari caussa, quæ est humana voluntas. Hæc enim est quæ vitio suo, non attendens ad regulam, abutitur auxilio Dei generali ad hanc actionem, cùm eodem auxilio ad aliam actionem benè vti potuisset, & debuisset.

Hanc rationem reddit S. Thomas (cuius testimonium Beza in hac cõtrouersia magnificat) in 1. 2. q. 80. ar. 1. ad 3. vbi sic loquitur: *Dicendum quod Deus est vniuersale principium omnis interioris motus humani: sed quod determinatur ad malum consilium voluntas humana, hoc directè quidem est ex voluntate humana, & a diabolo per modum persuadentis, & apprehibilia proponentis.* Et in eadem parte, quæ. 10. art. 4. dicit, diuinam motionem recipi in causis secundis iuxta earũ dispositionẽ. Et fusiùs hoc explicat in q. 3. de malo. art. 2. *Attendendum* inquit, *est, quod motus primi mouentis non recipitur vniformiter in omnibus mobilibus, sed in vnoquoque secundũ proprium modum.* Et in quæst. ead. art. 6. ad 13. dicit, Deum agere cum omnibus secundis caussis, sed cum liberis ita agere, vt eas non determinet ad vnum, sed relinquat determinationem in potestate liberi arbitrij. Deniq; in lib. 3. contra Gentes. cap. 66. dicit, caussas secundas esse particulantes, & determinantes actionẽ primi agentis. Vult igitur S. Thomas, Deum mouere voluntatem ad operandum, sed eius motum, atque influxum generalem esse, & ab ipsa voluntate determinari ad hanc, aut illam actionem particularem, ita vt actio particularis sit à Deo, sed non ideò sit talis, quia est à Deo, sed quia est à voluntate.

Neq; multũ refert hoc loco, vtrũ cum S. Thoma dicamus, Deum concurrere ad omnes actiones secundarum caussarum, mouendo ipsas caussas secundas, an verò cum aliis sentiamus, Deum concurrere operando immediatè in ipsum effectum, modo illud teneamus, concursum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dei esse generalem, & à concursu secundæ caussæ limitari. Quod exemplo Solis facilè potest ostendi: quemadmodum enim ad productionem hominis concurrit Sol cum homine, sed non ideò qui nascitur est homo, quia producitur à Sole, sed quia producitur ab homine, potuisset enim per eundem solis concursum produci bos, aut equus, si talis fuisset causa secunda: & si fortè defectus reperiatur in homine illo recèn nato, nemo referet caussam defectus illius in Solem, sed in hominem, non tam quia Sol sit caussa necessaria, quàm quia per Solis cõcursum potuisset homo perfectus procreari, si defectus in caussa proxima nullus fuisset: ita quoque ad actionem voluntatis humanę concurrit Deus cum libero arbitrio, sed quia Deus generali tantùm concursu adest, non est talis actio, quia à Deo, sed quia à libero arbitrio producitur: & si fortè actio mala est, defectus ad Deum nullo modo pertinet, cùm per eius concursum potuisset contraria actio æquè produci, atque ea, quæ producta est.

DICET fortassis aliquis, Qui gladium præbet ei, quę scit illo malè vsurum, sine dubitatione peccat, etiamsi potuerit ille gladio benè vti, si voluisset: cur igitur non peccat Deus concursum suum illi adiungens, quem scit eo ad peccandum abusurum? Respondeo, hominem qui præbet gladium ei, quem scit malè vsurum, ideò solùm peccare, quia tenebatur impedire malum, quod sciebat euenturum, cùm tam facilè potuisset: Deum autem non teneri ad mala impedienda, quæ certo nouit euentura, tum, quia summus prouisor est, tum, quia potest ex malis elicere bona, tum, quia æquum est, vt naturas conseruet, neque eis deneget auxilium, sine quo operari non possunt: tum denique, quia si Deus omnia mala impedire vellet, plurima bona mundo deessent, cùm nihil ferè sit in rebus creatis, quo non aliqui abutantur. Quid? quod etiam in rebus humanis non peccat magistratus, si meretricibus certum locum vrbis incolendum attribuat, quàuis certò sciat eo loco ipsas nõ benè vsuras. Potest enim permittere minus malũ, vt maiora impediatur.

Rursus obiicit aliquis, concursus Dei cum voluntate ad actionem vnam, differt specie à concursu Dei cum voluntate ad actionem contrariam: non est igitur vnus, atque idem concursus, communis, atque indifferens. Respõdeo, concursus illos Dei, vt limitatos à voluntate humana, differre specie, vt ipsæ actiones differunt, tamen ex se vnum & eundem concursum esse, communem atque indifferentem.

Item obiicies, Actio humana non solùm vt res quædam sed etiam vt actio talis in specie, est aliquid, igitur vt talis in specie, est à Deo. Respondeo, actionem humanam planè totam esse à Deo, & ab ipso habere, non solùm esse genericum, sed etiam specificum, & singulare: cæterùm id habere per concursum Dei determinatum ad actionem talem à voluntate humana. Proinde non habere esse specificum ex modo agendi Dei, sed ex modo agendi voluntatis humanæ.

OBIICIES postremò, Si Deus non est caussa peccati, quia concurrit, vt causa generalis: igitur nõ erit etiam caussa actionis bonæ moraliter, quia ad illam actionem concurrit, vt caussa generalis. Respondeo, magnum esse discrimen inter bonas, & malas actiones. Nam actiones bonæ, si sunt supernaturales, fiunt à Deo per auxilium speciale, vt habent ab ipso vt sint tales, id est, supernaturales: si verò sint bonæ tantùm moraliter, sunt quidem à Deo per auxilium generale, tamen duas ob caussas rectissimè tribuuntur Deo, etiam vt tales sunt in specie. Primùm, quia sunt à Deo intentæ, Deus enim ideò nobis dedit liberum arbitrium, & auxilium generale, vt iis benè vteremur ad vitam secundum rationem traducẽdam, quamuis permittat, vt secus etiam, si libuerit, faciamus, vt S. Augustinus docet lib. 3. de libero arbitrio, ca. 1. & 6. Deinde, quia Deus actiones bonas suadet, imperat, laudat, atque ad eas hortatur, & inuitat: eadem verò ratione non potest actio mala Deo tribui, quia neque eam intendit, neque imperat, sed contra potius vetat, improbat, dissuadet, atque ab ea deterret, & auertit. Itaque non solùm turpitudo peccati, sed ipsum etiam, quod materiale Theologi vocant, si vt tale est in specie consideretur, Deo tribuendum non est, cùm Deus (vt diximus) non solùm turpitudinem, sed etiã actiones ipsas turpes auersetur, & lege sua prohibeat. Ex his facilè erit ad quinque argumenta initio capitis proposita respondere.

PRIMVM argumentum erat, Qui est caussa caussæ, est etiam caussa caussati: Deus autem est caussa caussæ, id est, actionis, ex qua deformitas peccati exoritur, igitur est caussa ipsius deformitatis. Respondeo, propositionem illam, Quod est caussa caussæ, est etiam caussa caussati, vt plurimum non habere locum in caussa vniuersali, quæ adhibet influxum quendam communem, & indifferentem ad multa. Nam sæpe accidit, vt caussa secunda egrediatur ab ordine primæ: vel vt defectus sit in secunda caussa, & non in prima, vel vt defectus oriatur ex re, vt est talis in specie, quod habet à secunda caussa, & non à prima: ac per hoc multis modis fieri potest, vt caussa vniuersalis sit caussa caussæ, & tamẽ nõ sit caussa caussati.

Hinc S. Thomas in 1. 2. q. 79. art. 1. docet, non rectè concludi, Deum esse caussam peccati, quia sit caussa voluntatis humanæ, quæ peccatum facit. Non enim voluntas humana peccatum facit, quatenus à Deo facta est, sed quatenus declinat ab ordine Dei, & nos suprà demonstrauimus, deformitatem peccati non posse tribui Deo, tum quia defectus est in sola causa secũda, tum quia deformitas illa sequitur actionem, vt est talis in specie, quam habet à secunda caussa, qua etiam ratione monstra quæ sunt peccata naturę, non tribuuntur caussis vniuersalibus, sed solùm propriis, & particularibus.

ALTERVM argumentum erat, Qui sciens & volens est caussa actionis, cum qua est annexa deformitas, verè ac propriè peccat, Deus sciens, ac volens est caussa actionis, cum qua est annexa deformitas: igitur Deus verè, ac propriè peccat. Respõdeo, propositionẽ esse verã de caussa particulari actionis, non de vniuersali, qualis est Deus. Quoniã caussa vniuersalis est caussa actionis per influxũ quendã generalẽ, & indifferentẽ; ex quo nõ potest sequi actio deformis, nisi caussa secunda abutens influxu illo bono, eum detorqueat ad malũ. Itaq; Deus sciens, & volens caussa est actionis, quæ, quod attinet ad influxum ipsius, bona est, & simpliciter bona esset, nisi per influxum secundæ caussæ corrumperetur.

TERTIVM argumentũ erat, Qui sciẽs, & volens cũ aliquo ad actionẽ malam concurrit, is particeps criminis esse videtur: Deus autẽ sciens, & volẽs concurrit cũ omnibus, qui peccant ad corũ malas actiones: Deus igitur particeps esse videtur omniũ criminũ, quæ ab hominib. perpetrantur. Respondeo, Propositionẽ esse veram de iis, qui concurrũt vt caussæ particulares: ij siquidẽ verè cõcurrunt ad actionẽ malam. Deus autem, & cæteræ caussę vniuersales non concurrunt propriè ad actionẽ malã, sed ad actionẽ indifferentẽ ex se, vt suprà satis explicuimus.

QVARTVM argumentum erat, Deus concurrit ad actiones intrinsecè malas, à quibus deformitas nullo modo separari potest, igitur Deus, vt est caussa actionis, ita est caussa deformitatis. Respondeo, Actiones intrinsecè malas nullas esse, nisi vt sunt determinatę, & tales in specie: nam entitas ipsa odij Dei, si per se consideretur, non est mala, sed solùm vt est talis entitas, Deus autem (vt sæpè diximus) non est caussa specificans actionem cùm sit caussa vniuersalis, & ex se indifferens ad vnam actionem, & ad contrariam.

QVINTVM argumentũ erat, Nulla est ratio, cur homo dicatur peccare, & nõ Deus, cũ eandẽ actionẽ vterq; sciens & volens faciat. Respõdeo, Iam rationẽ esse allatã, quia videlicet ad actionem illam Deus concurrit vt caussa vniuersalis, homo vt caussa particularis.

LIBER

LIBER TERTIVS DE STATV PECCATI, QVI EST DE PECCATO PRIMI HOMINIS.

DISPVTATVM EST LIBRO SVPERIORE, DE CAVSSA PECCATI PRIMI hominis primaria: nunc de ipso peccato disserendum erit. Ac PRIMVM de tentatione præuia: DEINDE de ipsa culpa: TVM de pœnitentia: POSTREMO de pœna, & consequentibus malis.

CAPVT PRIMVM.

De tentatione quæ peccatum primorum parentum præcessit, quódque primi parentes verè peccauerint.

DE tentatione primorum parẽtum primo quæri potest, An omnino tentari potuerint primi illi homines ad peccandum. Non enim defuerunt hoc nostro seculo, in quo nullus cogitari potest tã absurdus error, qui non continuò patronos inueniat, qui asseruerint primos parentes neque peccasse, neque peccare potuisse, ac ne tentationi quidem, quæ ad peccandum inducat obnoxios vlla ratione fuisse. Nam vt Lutherus refert in commentario 1. cap. Gen. inuenti sunt, qui dicerent, præceptum datum à Deo primis hominibus, vt de ligno scientiæ boni, & mali non ederẽt, non fuisse legem, sed admonitionem tantùm, qualia sunt præcepta medicorum, cùm aliquid noxium prohibent. Quod quidem confirmabant argumento ex principiis Lutheranis satis aptè deducto, quia videlicet lex iusto non est posita, sed peccatori, vt Apostolus scribit. 1. Tim. 1. primi autem homines in paradiso degentes iusti erant omnium consensu. Et quoniam vbi non est lex, nec præuaricatio esse potest, vt idem Apostolus docet Rom. 4. colligebant, primos homines, cùm pomum vetitum gustauerunt, non incidisse, neque incidere potuisse in præuaricationem ac per hoc nec in peccatum, cùm peccatum sit *ἀνομία*, id est, præuaricatio legis, teste Ioanne in 1. epist. cap. 3. Sed hic error adeò crassus, & absurdus est, vt vix refutatione indigeat.

Primum enim, præceptum illud de pomo vetito veram fuisse legem, & primos parentes pomo illo degustato verè, grauitérque peccâsse, testis est pœna, quæ pomi esum consequuta est. Cur enim de paradiso expulsi, à ligno vitæ excluſi, mortis necessitate constricti, atque ad victum cum dolore, & labore quærendũ damnati sunt, si nihil peccarunt? Quod si fortè respondeant, mortis necessitatem, & ærumnas cæteras ex natura pestiferi illius cibi, non ex peccati merito, aut ex sententia iusti iudicis manasse: occurret Scriptura diuina, quæ responsionem istam refellat. Eccles. 25. *A muliere initium peccati, & per illam morimur omnes.* Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors.* Rom. 5. *Stipendium peccati mors.* Rom. 8. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum.* Vides igitur, mortem non ex natura ligni scientiæ boni, & mali, sed ex peccato natam.

Deinde lignum scientiæ sine dubio bonum erat: nam *vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, Genes. 1. Non igitur ex natura ligni illius tanta mala nasci poterant, quibus præsertim obruerentur innocentes.

Ad hæc immortalitas primorum hominum in paradiso (vt in lib. de statu innocentiæ demonstrauimus) non erat homini naturalis, sed ex gratia, & amicitia diuina pendebat: non igitur eam natura ligni alicuius, sed sola culpa, & auersio ab amicitia, & gratia Dei corrumpere poterat.

Quod si fortè aduersarij Scripturas conténant, quamuis ad veritatem oppugnandam earum testimoniis abuti voluerint: ex peccatis, quæ in præsenti ab hominibus committuntur, eorum error manifesta ratione vincetur. Siquidem ex eo quod ipsi docent, primos homines non peccasse, quia legem non habuerunt, cùm essent iusti sequitur, nullos homines peccare, quin etiam fieri non posse, vt vlli homines peccent. Nam si peccatum prærequirit legem, cùm peccatum sit præuaricatio legis: & lex prerequirit peccatum, cùm lex iusto non ponatur, sed peccatori: ergo peccatum semper prærequirit peccatum, nullum igitur fuit primum peccatum. Et si primum non fuit, vnde cætera extiterunt? Quare necesse est, vt vel fuerit lex ante peccatum, & falsa sit aduersariorum opinio: vel certè nulla sint, nec fuerint vnquam in mundo peccata, qui est error Libertinorum, quorum impudentia (vt diximus libro superiore) non argumentis, sed tormentis, & suppliciis tantum coërcenda esset.

Quorsum enim rationibus cum iis agatur, qui rationem ipsam negant, & Religionem, ac Rempublicam, omnem fidem, & omnia iura simul euertunt: & sanè credibile est eos, qui Luthero auctore, peccatum primorum hominum negant, de grege esse Libertinorum, quos Lutherus ipse, & Caluinus imprudentes genuerunt. Et viderint ipsi qua æquitate oppugnent, quos ex schola sua prodiisse negare non possunt, & quorum argumenta, si sibi ipsi repugnare nolint refutare non queunt. Nam certè argumentum illud, lex iusto non est posita, primi homines iusti erant, igitur lex illis non fuit posita: Lutherus loco citato multum laborat, vt soluat, & multis

Universidad de Deusto
Biblioteca

frustrà consumptis verbis verè non soluit.Summa solutionis eius est,quod Apostolus 1. Timot. 1. loquatur de lege lata post peccatum,ac de ea verè dixerit, legem iusto non esse positam,sed peccatoribus : esse autem aliam legem ante peccatum latam, & eam ad iustos pertinere.

At concedet aduersarius, Apostolum loqui de lege post peccatum lata, sed argumentum iterum tenet hoc modo,Post peccatum lex lata est propter peccatores, & ideo solis peccatoribus,non autem iustis posita est : igitur quando nulli erant peccatores,sed iusti omnes, vt in statu innocentiæ, nulla lex ferenda fuit. Vel certè hoc modo : lex post peccatum ideò ad iustos non pertinet, quia iusti sunt,nam si peccatores essent , ad eos sine dubio pertineret:Atqui Adam,& Heua in paradiso iusti erant:igitur lex ad eos minimè pertinebat.

Adde quod distinctio illa de lege ante peccatum , vel post peccatum lata,omnino inanis est.Nam inueniemus legem post peccatum latam,quæ iustis data est:lex enim circumcisionis,post peccatum , data est Abrahamo viro iusto,&eius posteritati,vt esset signaculum iustitiæ fidei, Rom.4.Inuenimus etiam legem ante peccatum latam, quę non minus ad peccatores,quàm ad iustos pertineat: lex enim,quæ naturalis dicitur ab ipsa hominis creatione cœpit , quippe quæ in corde omnis hominis ratione vtentis scripta est,& ea sine dubio tam iustos,quàm peccatores obligat. Frustra igitur scribit Lutherus , legem datam post peccatum ad peccatores , legem datam ante peccatum ad iustos pertinere. Sed loci Paulini explicationem,Luthero dimisso,à sanctis Patribus , Ambrosio, & Augustino sumamus.

S.Ambrosius in expositione Psal.36.tractãs versiculum illum: *Lex Dei eius in corde ipsius* , docet verba Apostoli(Iusto non est lex posita,sed iniustis , & peccatoribus)debere intelligi de renouatione legis, quæ fit quãdo scribitur in tabulis, aut libris. Lex enim non ponitur in tabulis propter iustos , qui legem seruant , & eam in corde fideliter retinent , iuxta verba Psalmi,lex Dei eius in corde ipsius: sed propter peccatores,qui legis obliuiscuntur,& ita viuunt, ac si legem non haberent. Vnde idem Apostolus eũ ait,sed iniustis, Græcè posuit, ἀνόμοις, id est,exlegibus , siue legis præuaricatoribus. Ex quo apertè significauit,legem non ideò poni iniustis,quia non tenerentur etiam anteà lege, sed quia obliti erant legis: nec ideò poni iustis,quia iusti carere debeant lege , sed quia legem in corde se habere per opera bona testantur. Potuit igitur primis hominibus in statu innocentiæ dari lex tum naturalis , tum etiam positiua,sed non fuit opus renouatione,aut descriptione in tabulis lapideis. Quod propter iniquos postea factum est, vt peccatum cognosceretur,vt Apostolus disputat ad Rom.7.

S.Avgvstinvs lib.de spiritu,& litera.c. 10.hunc eundem locum Apostoli ex cap. 1. prioris ad Tim. *Iusto non est lex posita,sed iniustis*,vult similem esse locis illis eiusdẽ Apostoli, *Non estis sub lege,sed sub gratia*,Rom.6. &, *Si spiritu ducimini,non estis sub lege*,Gal.5. quæ loca non significant,iustos non teneri legibus,vel non peccare, si legem non seruent , sed non habere legem supra se , quasi cruciebus imminentem, & flagello minantem , ac terrentem, vt habent iniusti , qui timore pœnæ bonum operantur.Operantur enim iusti bonum amore iustitiæ,ac libenti animo,operaturi etiam, si lex non esset , vel pœnam nullam minaretur. Quocirca in lege potius sunt, quàm sub lege,vt Apostolus de se loquitur 1.Cor. 9. vbi dicit,se sub lege non esse,& tamen sine lege Dei non esse,sed in lege esse Christi. Sic igitur primi homines in paradiso , quamdiu innocentiam conseruarunt , sub lege non erant,neque lex eis posita,id est,quasi iugum nolentibus imposita erat. Cùm tamen sine lege non essent, sed in lege creatoris essent.

CAPVT II.

Cur Deus permiserit tentari hominem,quem sciebat casurum.

Cvm satis iam constet,primos homines tentatos,&tentatione deuictos fuisse:sequitur alia quæstio,cur Deus tentari eos voluerit, aut permiserit, quos non ignorabat tentatione vincendos.

Noti sunt errores Zuinglij,Caluini,& eorũ qui Zuingliani,& Caluiniani potius,quàm Christiani, & Catholici dici voluerunt.Nam(vt in libro superiore docuimus) placuit nouatoribus istis asserere,Deum voluisse , ac decreuisse,vt primi homines laberentur,& ideò non solum permissione , sed etiam voluntate , & ordinatione Dei fuisse tentatos.Porrò lapsum primorum parentum voluit Deus, si Zuinglio credimus , quia necessarium erat peccatum,vt iustitia ab homine cognosceretur,cùm contraria ex contrariis innotescant: vel (si credimus Caluino)quia non poterat Deus aditum patefacere misericordiæ,& iustitiæ suæ nisi homo per peccatum miser,& supplicio dignus efficeretur.Sed hæc iam refutata sunt libro superiore, & nos magis credimus Apostolo Petro dicenti,Deum neminem velle perire 2.Pet.3.& coapostolo affirmanti,Non esse facienda mala,vt veniant bona, Rom. 3.& Sapienti Concionanti,Deo non esse necessarios peccatores, Eccles.15.

His igitur dimissis S.Prosper li.2.de vita contemplatiua c.19.videtur in ea fuisse sententia,vt existimaret, primos homines ante tentationem in superbiam quamdam elatos,occultè peccasse,& ideò permissos fuisse tentari in pœnam peccati: *Non tentaremur*, inquit, *nisi deserti, nec desereremur,nisi ipsi prius deseruissent Deum*, &c. Quod idem videtur dicere S.Avgvstinvs lib.11.de Genesi ad literam,cap.30.vbi sic loquitur : *Quando his verbis crederet mulier, nisi inesset menti quædam de se superba præsumptio, quæ per illam tentationem fuerat conuincenda , & humilianda?* At hæc opinio falsa esse conuincitur, tum ex Scriptura, quæ dicit diabolum fuisse homicidam ab initio,Ioan.8. nõ autem ipse occidisset,si iam anteà primi homines per superbiam periissent:tum ex eo,quod occasionem superbiendi primi homines habuerunt ex promissione illa, eritis sicut Dij.

Porrò S.Augustinus loco citato,non loquitur absolutè de tentatione,sed de tentatione vincente.Quod apertius scripsit lib.11.de Genesi ad litteram, cap. 5. his verbis: *Nec arbitrandum est,quod esset hominem deiecturus ipse tentator nisi præcessisset in anima hominis quædam elatio comprimenda,vt per humiliationem peccati , quam de se falsò præsumpserit disceret.* Itaque superbia illa occulta non fuit causa , cur Deus permiserit hominem tentari , cùm tentatio superbiam præcesserit,sed cur permiserit induci in tentationẽ, siue à tentatore perduci in apertam inobedientiam.Fortasse etiam verba S.Prosperi eodem modo intelligi possunt , quo S.Augustini verba intelligenda esse diximus. Sed quicquid de hoc sit , illud constat non fuisse peccatum causam permissionis tentationis.

Hac igitur opinione reiecta S.Avgvstinvm audiamus, qui Tria quædam docet:Primo,nullam feciſse Deum iniuriã homini, quod eũ à diabolo tentari permiserit, cum eũ tantis viribus instruxerit,vt facilè potuerit aduersariũ superare: Secundò, primariam causam huius permissionis Deo soli esse notam:Tertio, rationes illas probabiliter reddi posse , quia id requirerent, omnipotentia,prouidentia, misericordia, & iustitia Dei , pulchritudo vniuersi,& ipsa hominis gloria,atque vtilitas.

Nõ feciſse Deum iniuriam homini, docet Augustinus lib.14.de Ci.Dei , cap.27.*Cur non permitteret* inquit,*vt ab Angelo malo primus homo tentaretur , quandoquidem sic erat instructus,vt si de adiutorio Dei fideret,bonus homo malum Angelum vinceret*: Et lib.de corrept.& gratia,ca.12.*Ille Adam*, inquit,*& terrenæ nullo & insuper contra Dei terrentis imperium libero suo arbitrio nõ stetit in tanta felicitate , in tanta non peccandi facultate*. Et infrà: *Tales vires habebat eius voluntas, quæ sine vllo fuerat instituta peccato,& nihil illi ex se ipsa concupiscentia uel resistebat,vt dignè tanta bonitati,& bene viuendi facilitati perseuerandi comm tteretur arbitrium*.Et infrà:*Fortissimo* (Adamo videlicet)*dimisit atque permisit facere quod vellet:infirmis seruauit,vt ipso donante inuictissimè quod bonum est , vellent,& hoc deserere inuictissimè nollent*.Non igitur iustè queri potuit Adam,quod à diabolo tentari permissus sit , cùm tanta facilitate de hoste suo triumphare potuerit.

Iam verò primariam causam huius permissionis soli Deo notam esse,docet idem Augustinus li.11. de Genesi ad literam,cap.4.*Si ergo*, inquit, *quæritur , cur Deus tentari permiserit hominem,quem tentationi consensurum esse præsciebat: altissimum quidem consilij eius penetrare non possum,& longè superavires meas esse confiteor*.Et in epist.106.ad Paulinum,ad similem quæstionem , cur videlicet Deus eos procreet, quos æterno igni damnandos præuidet,respondet:*Deum id facere quia vult cur autem velit,tu quis es*,inquit,*qui respondeas Deo?an non habet potestatem figulus faciendi vasa , alia in honorem,alia in contumeliam?*

Sed quanquam hæc ita se habent , tamen probabiles sunt rationes illę,quas paulò ante tetigimus.Ac primum de omnipotentia Dei, quæ in hac permissione perspicitur,ita loquitur Augustinus in libr. de corrept. & gratia, cap.10.*Qui creauit omnia bona valdè,& mala ex bonis exoritura esse præscivit:sciuit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere etiam de malis benefacere , quam mala esse non sinere*.Idem docet in Enchiridio cap.11.

De prouidentia,idem August.loquitur in lib.7. de Ci. Dei,c.30.*Sic* inquit,*administrat omnia quæ creauit , vt etiam ipsa proprios exercere,& agere motus sinat*.Ideo igitur permisit Deus primos homines labi , quia ad prouidentiam eius pertinebat,vt homines libero arbitrio prędotos,sineret pro arbitratu suo resistere,vel cedere tentatori.Quod idem docet in libro de corrept.& gratia,c.10.vbi scribit, Deũ sic instituisse angelorũ hominumq; naturã , vt primũ in ea ostenderetur, quid posset liberũ arbitriũ,deinde quid posset suæ gratiæ beneficiũ,iustitiæq; iudicium.

De misericordia, & iustitia loquitur Augustinus loco proximè citato de corr.& gratia,ca.10.*Deus igitur permisit hominem tentari,quem sciebat esse casurum,quia simul videbat,eo casu se vti posse ad misericordiã & iustitiam declarandam , dum ex damnata massa alios iuste puniet,alios misericorditer liberabit*.

De pulchritudine vniuersitatis,quæ ex hac permissione consurgit,loquitur idem Augustinus in li.3.de libero arbitrio,ca.9.vbi proposita quæstione:*Cur Deus non fecerit,vt nulla creatura ad miseriam perueniret*. Neque enim id aut omnipotens non potuit,aut bonus inuidit.Respondet,ordinem creaturarum à summa vsque ad infimam gradibus iustis ita decurrere,vt ille inuideat, qui dixerit, ista non esset,inuideat etiam ille,qui dixerit, ista talis esset.Si enim quis diceret,lunam aut omnino non fieri,aut certè æqualem Soli fieri debuisse, inuideret non paruum ornatum rerum vniuersitati,sic etiam qui diceret,animas rationales aut creandas non fuisse , aut ita creandas vt nunquam peccarent , ita vt nulla esset anima , quæ peccando misera fieret,is inuideret ornatum aliquem mundo. Siquidem illa , quamuis misera , melior est quolibet corpore, & ornat locum , in quo à Deo pro merito suæ actionis ponitur.

Quemadmodum, vt idem Augustinus ait , nihil est in domo nobilius homine,nihil abiectius cloaca , & tamen seruus in peccato tali deprehensus,vt mundandæ cloacæ dignus habeatur,ornat eam etiam turpitudine sua, & vtrúmq; horum,id est turpitudo serui,& mundatio cloacę iam coniunctum,& redactũ in quandam sui generis vnitatem,ita dispositæ domui coaptatur , atque subtexitur, vt eius vniuersitati ordinatissimo decore conueniat. Sed quamuis ex peccato omnipotentia Dei id bonum eliciat, atque inde rerum vniuersitatem exornet:non tamen propterea, aut peccata necessaria fuerunt , aut non potuit Deus angelos,atque homines omnes à peccato,& miseria liberare,non enim peccata,aut miseria ordinem vniuersitatis exornant,sed angeli,aut animæ,quæ pro merito culpæ ordinãtur ad pœnas:neque Deo deesse poterat ratio exornandi rerum vniuersitatem, si nullus angelus, & nullus homo peccare voluisset:quemadmodum (vt ibidem Augustinus ait)si seruus peccare noluisset , non defuisset domesticæ disciplinæ alia prouisio,qua cloacæ, & loca cætera mundarentur.

Itaque sic fecit ad rerũ pulchritudinem , vt Deus permiserit tentari primos homines,quos casuros esse præuiderat, vt tamen alio modo rerum pulchritudini consuli potuerit,si aut homonõ fuisset casurus,aut Deus,id quod futurum præuiderat,permittere noluisset,de qua re vide eundem Augustinum libr. 3. de libero arbitrio, capi.12.

Supereſt Vltima ratio,quæ ab ipsius hominis vtilitate sumitur. Primvm enim(vt Augustinus scribit li.11.de Gen.ad literam,cap.4.)non videtur magnæ laudis fuisse futurum hominem,si propterea posset bene viuere, quia nemo malè viuere suaderet. Deinde perspiciebat Deus valde vtile id futurum ad eruditionem sanctorum: nimirum vt casus primi hominis præberet futuris sanctis contra cupiditatem deuitationis exemplum,& incuteret contra superbiam timorem pium (vt ait S. Augustinus in eodem libro cap. 6.) Adhæc permisit Deus tentationẽ,& casum primi hominis, quia præscius erat , quod ab eius semine adiuto sua gratia,ipse diabolus fueratsanctorum gloria maiore vincendus , vt idem loquitur Augustinus libro quarto de Ciuitate Dei , cap.27. Denique addere possumus , occasione peccati primorum hominum Christum nobis donatum , per quem maiora Dei munera susceпimus , quàm ea fuerint, quæ per Adamum amisimus. Nam (vt Apostolus testatur Rom. 5.)*Vbi abundauit delictum,superabundauit & gratia*. Et , *Non sicut delictum,ita & donum.Validius*,inquit S.Leo ser.12 de passione Domini,*donum factum est liberalitatis , quàm debitum seruitutis*. Et vt idem ait in serm.3.de Pentecoste : *Si homo diabolica fraude deceptus , à lege sibi posita , per concupiscentiam non deuiasset,creator mundi creatura non fieret*. Quod etiam docet S.Augustinus Sermone 9.de verbis Apostoli,cùm ait, *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores saluos facere*. Itaque Ecclesia cum exultatione, & gratiarum actione in vigiliis Paschalibus canit, ô felix culpa, quæ talem,ac tantum meruit habere redemptorem.

CAPVT TERTIVM.

De serpente , qui Heuam seduxit,quod verus & naturalis fuerit serpens,quódque per eum diabolus sit loquutus.

Sequitur vt de primorum hominum tentatore pauca dicamus, præsertim cùm & hãc doctrinæ partem hæretici varie deprauarint.

Antiquissima hæresis à Græca voce ὄφις, quæ serpentem significat , Ophitarum fuit, cuius meminerunt, Irenæus lib.1.de hæresibus,cap. 34. Tertullianus in lib.de præscriptione aduersus hęreticos, cap.47.Clemens Alexandrinus lib.7.Strromat.Epiphan. hæresi 27. Hieronymus in Dialogo aduersus Luciferianos,Augustinus in lib.de hæresib capit. 17. Philastrius, Theodoretus, Damascenus,& alij qui de hæresibus scribunt,hi docebant,sapientiam Dei serpentem illum esse, qui primorum hominum oculos aperuit.vt bonum, malúmque dignoscerent.Idque feciſse in odium Creatoris, cui ipsa contraria esset.

Eumdem errorem postea docuit etiam Manichæus (Augustino teste in libro de hæresibus , capite 46.) qui

Universidad de Buenos Aires
Biblioteca

qui serpentem illum Christum esse volebat. Origenes etiam more suo ad allegoriam omnia, quæ absurda illi videbantur transferens, per serpentem delectationem intelligi voluit. Primò enim delectatio sensum, quasi Heuam titillat, & seducit. Deinde sensus mentem, hoc est, Adamum ad consentiendum, & peccandum inflectit. Vide Ambrosium libro de paradiso capite secundo, vbi hanc sententiam, tacito nomine Origenis refert. Nec defuerunt (teste Procopio in commentario tertij capitis Geneseos) qui asseruerunt diabolum induisse corpus phantasticum ad similitudinem serpentis. Iulianus denique (vt est apud Cyrillum libr. 3. in Iulianum) narrationem Mosis de serpente fabulosam, omnino fuisse contendit, eo præsertim nomine, quòd serpens humana voce loquutus fuisse perhibeatur.

Cæterùm verum illum, & naturalem serpentem fuisse, sed per eum diabolum esse loquutum, tam ex literis sacris perspicuum est, vt vix vlla probatione opus esse videatur. Nam quæ dicuntur cap. 3. Genes. de pœna serpentis, quòd maledictus sit super omnia animantia, & bestias terræ: quòd super pectus suum gradiatur: quòd terram comedat: quod inimicitia perpetua sit inter filios Heuę & serpentes: aptissimè in verum & naturalem serpentem quadrat, vt notum est: in sapientiam Dei, vel delectationé nulla ratione conueniunt. Quocirca summo consensu sancti Patres docent, verum illum fuisse serpentem. vt Chrysostomus homilia 16. in Genes. Basilius in oratione quòd Deus non sit auctor malorum. Epiphanius in hæresi Ophitarum. Augustinus lib. 11. de Genes. cap. 2. & alij.

Non autem ipsum per se mutum serpentem, sed diabolum per eum esse loquutum, testatur liber Sap. cap. 2. his verbis: *Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum: inuidiâ autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum, imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.* Testatur etiam Christus Ioan. 8. cùm ait: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.* Homicida enim ab initio non aliter fuit, nisi quia primos homines, vt loquitur S. Leo veneno suæ mortificauit inuidiæ. Testatur quoque S. Ioannes in Apocalypsi capi. 20. vbi non alia de caussa diabolum vocat *serpentem antiquum*, nisi quia diabolus initio serpentem induit. Testantur denique omnes Patres, tum ij, qui librum Geneseos interpretantur, vel quæstiones in eum scripserunt, vt Hieronymus, Theodoretus, Eucherius, Beda, Rupertus, Chrysostomus, & Augustinus tum etiam Cyprianus in sermone de zelo, & liuore, Basilius in oratione, quòd Deus non sit auctor malorum, Ambrosius in lib. de paradiso, Cyrillus lib. 3. in Iulianum, & alij passim.

Quod verò Iulianus serpentem loqui potuisse, fabulosum putat, rectè reprehēdit Cyrillus loco notato, cùm apud Ethnicos, quorum opiniones Iulianus sequi se fatebatur. Et equi, & fluuij aliquando loquuti esse credantur: cæterùm apud Christianos non existimantur animantia bruta per se loqui posse, sed posse tamen spiritus angelicos siue bonos, siue malos id per ora bestiarum facile præstare. Non enim serpens dumraxat spiritu diaboli plenus loquutus est, sed etiam asina Balaam, bono angelo eam mouente hominis voce loquens prohibuit prophetæ insipientiam, vt loquitur S. Petrus in epistola posteriore cap. 2. & nota est historia ex cap. 22. Num.

Vna supereſt dubitatio, An diabolus sponte suâ serpentem elegerit, per quem Heuam seducere conaretur, an aliam bestiam nō sit à Deo permissus assumere, quàm serpentem S. Ioannes Chrysostomus homil. 16. in Genesim, scribit diabolum de industria serpentem elegisse, quòd is aptissimus videretur ob naturalem suam calliditatem ad insidias mulieri faciendas.

Sed probabiliori videtur sententia S. Augustini lib. 11. de Gen. ca. 3. qui docet, Sathanam non fuisse permissum alio instrumento vti, quàm serpentis ore. Cùm enim mēs diaboli eò tenderet, vt seduceret, facilius putare potuit se consequuturum quod quærebat, si insidias tegeret, quàm si aperiret. Tegeret autem si columbam aut quem assumeret, quæ sunt animaliā naturæ simplicis aut innocentis. Sed voluit Deus, vt si diabolus tentare vellet, id non faceret nisi per serpentem, vt sicut diabolo permittebat tentare, ita hominem admoneret ex ipsa forma serpentis, quem callidum animal esse non ignorabat, vt cauere insidias. Quod verò S. Chrysostomus dicit, diabolum quæsiuisse idoneum animal ad insidias: locum haberet, si ea caliditate, quæ naturaliter in serpente inest, Heua decipi potuisset: sed cùm non serpentis muti, sed diaboli ipsius astutia necessaria fuerit ad hominem seducendum, æquè potuit diabolus per serpentem ac per columbam & (vt diximus) occultiore consilio, ac maiori fraude per columbam negotium seductionis peragere.

CAPVT QVARTVM.

Primum peccatum parentum primorum fuisse superbiam.

DISSERVIMVS de tentatione: nunc de ipso peccato differendum est, ac prima se offert illa quæstio, quodnam fuerit primorum hominum primum, & principale peccatum.

NON defuerunt ex veteribus, qui sentirent, in eo peccasse primos homines, quod arreuerterunt vsum ligni scientiæ boni, & mali, vt S. Augustinus refert lib. 11. de Genes. ad literam, cap. 41. quorum sententia, si mysticè accipiatur, fortasse non improbanda erit. Fieri enim potest, vt per lignum scientiæ, contemplationem aliquam significatam esse velint, quæ solis beatis congruat, ac peē hoc non ante tempus debitum appetendam: sic enim interpretatur arborem scientiæ S. Gregorius Nazianzenus oratione de Natali Domini, & Oratz de Pascha.

Sed certè ad literam ea sententia vera esse non potest. Neque enim Deus ad tempus esum ligni scientiæ prohibuit, sed in perpetuum, cùm ait: *Quacunque die comederis ex eo, morte morieris.* Minus etiam probabilis eorum sententia est, qui teste Augustino in eodem loco, dicebant, primum peccatum Adami, atque Heuæ fuisse intemperantiam, quòd videlicet ante legitimum tempus vsum coniugij arripuissent, & nuptias suas quodammodo furati essent. Satis enim ex historia sacra constat, Adamum cognouisse vxorē suam, posteaquam propter peccatum ex paradiso exactus fuisset, vt intelligi potest ex c. 4. Gen. DEINDE non potuit primum peccatum esse intemperantia carnis, cùm nulla esset, neque esse posset in statu innocentiæ concupiscentia carnalis rectæ rationi repugnans, nisi prius ipsa ratio Deo repugnare cœpisset, vt in lib. de statu innocentiæ demōstrauimus. ADDE, quòd etiamsi continuò post creationem suam primi homines liberis operam dare voluissent, nulla erat lex, qua prohiberentur id facere. Nam neque infantes, aut pueri, sed viribus aut statura perfecti creati fuerant, vt ætas matura expectanda non esset: & iam audierant, *Crescite & multiplicamini.* & Adamus diuinitus edoctus pronūciauerat, *Hoc nūc os, ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Et, *Propter hoc relinquet homo patrem & matrē, & adhærebit vxori suæ.*

Sunt aliæ DVÆ sententiæ, quæ sanctos Patres habent auctores. Sanctus enim Ambrosius in libro de Paradiso, cap. 12. scribit peccasse Heuam, quòd addiderit aliquid ad verba Domini. Nam cùm Deus prohibuisset, ne vescerentur fructu ligni scientię boni, & mali, alioqui futurum vt morerentur: illa retulit, prohibitum sibi fuisse ne vescerētur de ligno scientiæ, neq; illud tangerent,

fuisse, ne vescerentur de ligno scientiæ, neque illud tangerent, ne fortè morerentur. Vbi addidit vetitum fuisse contactum ligni, & absolutam mortis interminationem reuocauit in dubium per vocem illam (fortè) S. Ioannes Chrysostomus hom. 16. in Genesim scribit, initium peccati fuisse, quòd Heua cum diabolo colloqui cæperit.

Cæterùm sancti isti Patres, non videntur accuratè de peccato primæ parentis differere voluisse, sed obiter, ex eo quod acciderat occasionem accipere admonendi populum, tum vt fideliter, & religiosè verba Dei recitarent, tum vt diligenter, & studiosè malorum colloquia præcauerent. Et quamuis illa additio ad verbum Dei, & colloquium cum diabolo aliquo modo peccata dici possint, quia fuerunt occasiones peccati, quòd postea commissum est: propriè tamen peccata non fuerunt. Nam Heua non mutauit sententiam Domini, quamuis non totidem verbis illam expresserit, ac Deus illam initio pronunciauerat. Neque sciebat diabolum esse, qui secum per serpentem loquebatur. Et præterea satis instructa erat, ac munita gratiæ diuinæ præsidio, vt posset tutò cum ipso etiam diabolo apertè colloqui, si tentationi eius resistere voluisset.

His igitur opinionibus dimissis, in quarum refutatione cum hæreticis nostri temporis conuenimus: videamus, quæ inter nos, & illos controuersia supersit. MARTINVS LVTHERVS in Commentario 3. cap. Genes. contendit, primum peccatum primorum parentum fuisse infidelitatem, quòd videlicet non crediderint se morituros, si fructum illum degustassent. Id Lutherus probat, tum ex verbis Scripturæ, tum ex ratione. Nam Scriptura Gen. 3. refert, serpētem hoc potissimum persuadere conatum esse mulieri, vt crederet se non morituram: & mulierem non prius ausam respicere poma illius arboris, ac multò minus decerpere, quàm audisset, nequaquam moriemini. Scit enim Deus, quia quacunque die comederitis, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij scientes bonum, & malum. Ratio autem id suadet, vt sicut initium, & radix iustitiæ est fides, ita radix, & initium peccati sit infidelitas.

Eadem ex sententia IOANNIS CALVINI, qui lib. 2. Institut. capit. 1. §. 4. ita breuiter explicat sententiam suam: *Infidelitas radix defectionis fuit. Hinc autem emersit ambitio, & superbia quibus annexa est ingratitudo.* Et infrà: *Infidelitas ambitioni iannuam aperuit: ambitio vero contumaciæ fuit mater.* Et rationem hanc reddit, quia nunquam repugnare Dei imperio ausus fuisset Adā, nisi eius verbo incredulus.

AT sententia Theologorum Catholicorum communis est, primum peccatum Heuæ fuisse superbiam. Vide S. Thomam in 2.2. quæs. 163. & Theologos cæteros in 2. sent. dist. 21. & 22. De Adamo S. Bonauentura, & Scotus loco citato existimant, primum eius peccatum fuisse inordinatum amorem erga coniugem, amorem autem nōn carnalis concupiscentiæ, sed humanæ amicitiæ. Sanctus verò Thomas loco notato vtriusq; parētis primum peccatum docet fuisse superbiam, quæ sententia omnino recipienda est. Nam & cum diuinis literis, & cum testimoniis Patrum, & cum ipsa ratione maximè congruit.

Incipiamus à Scripturis, Eccles. 10. *Initium superbiæ hominis apostatare à Deo, quoniam ab eo, qui fecit eum, recessit cor eius.* Et rursum: *Initium* inquit, *omnis peccati superbia.* Quo loco duobus argumentis Sapiēs ostendit, superbiam esse vitium maximè detestabile. Primum, quia principium superbiæ humanæ, id est, primus actus superbiæ hominis apparuit in illa defectione primi hominis, qui à Deo, qui eum recens creauerat, sponte recessit, nolens subiici eius imperio. Deinde, quia illa primi hominis superbia fuit initium omnis peccati: siue omnium peccatorum, quæ ab hominibus commissa sunt, & quotidie committuntur. Quod idem confirmat Tobias illis verbis, quæ habentur capit. 4. *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas. In illa enim initium sumpsit omnis perditio.* Quamuis enim hæc loca referri possent ad peccatum Angeli, quod fuit absolutè omnium primum: tamen credibilius est Ecclesiasticum, & Tobiam respexisse ad primum peccatum primorum hominum, quod notius erat vulgo, quam peccatum angeli.

Ad hæc B. Paulus in cap. 5. epist. ad Rom. *Sicut,* inquit, *per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per obedientiam vnius hominis iusti constituentur multi.* Quo loco Apostolus loquitur de peccato Adami potius, quàm Heuæ, siquidem *in Adam omnes moriuntur.* 1. Cor. 15. *Et per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, in quo omnes peccauerunt.* Rom. 5. Et loquitur de primo peccato, non de cæteris, quæ post primum commisit: nam per primum peccatum amisit gratiam Dei, & originalem iustitiam, cuius priuatio est in eius posteris originale peccatū. Porrò actus primus superbię est, nolle subiici imperio, & præceptis alterius, quæ propriè dicitur inobedientia: sicut è cōtrario humilitatis est, subiici imperio, & præceptis aliorum, quæ propriè dicitur obedientia. Hinc legimus Eccl. 10. *Initium superbiæ hominis apostatare à Deo.* Quod non ita accipiendum est, quasi apostasia sit prior quàm superbia, sed significat Ecclesiasticus, primam partem, siue primum superbiæ actum fuisse nolle parere Deo: vt S. Thomas rectè exponit in 2.2. quæs. 162. ar. 7. ad 2. hinc etiam Hierem. 2. dicitur homini: *A seculo confregisti iugum meum, rupisti vincula dixisti non seruiam.*

Sanctus etiam AVGVSTINVS pro eodem habet superbiam, & inobedientiam: humilitatem, & obedientiam, lib. 14. de Ciuit. Dei, ca. 13. *Bonum est,* inquit, *suo sim habere cor, non tamen ad se ipsum, quod est superbia, sed ad Dominum, quod est obedientiæ, qua nisi humilium esse non potest.* Et in eodem loco: *Melius esse possent Dij, summo verèque principio cohærendo per obedientiam, quàm suum sibi existendo per superbiam.* Quo loco opponit Augustinus tanquam contraria, obedientiam, & superbiam, quia videlicet inobedientia est quædam superbia: & obedientia quędam humilitas. Et lib. 8. de Genesi ad literam, capite decimoquarto. *Nec fieri potest, vt voluntas propria non granāi ruinæ pondere, super hominem cadat, si eam voluntati superioris exsolendo præponat. Hoc expertus est homo contemnens præceptum Dei, & hoc experimento didicit, quid interest inter bonum, & malum, bonum scilicet obedientiæ, malum autem inobedientiæ, id est, superbiæ, & contumaciæ.* Apostolus igitur considerauit, peccatum primi hominis cæpisse ab occulta inobedientia, qua in superbiam elatus, non imperio Dei subiici, sed in sua potestate esse dilexit, & inde erupisse in apertam inobedientiam, qua fructum veritum gustare præsumpsit: & ideò propriè, & aptissimè dixit, per vnius inobedientiam multos peccatores esse constitutos.

Quod si primum peccatum hominum primorum fuisset infidelitas, aut amor coniugis, nō verè, aut certè non propriè, S. Paulus illud peccatum inobedientiam appellasset. Neque enim infidelitas, vel amor coniugis nimius inobedientia propriè dici potest: superbia verò quamuis ex se latius pateat quàm inobedientia, & non omnis superbia inobedientia sit: omnis tamen inobedientia formaliter sumpta, superbia est, ac per hoc superbia, qua quis contemnit præceptum, nec patere vult legi superioris, propriè contumacia, siue inobedientia dici potest. Quemadmodum etiam humilitas, quæ reddit hominem subiectū superiori, quoad omnia: latius patet, quàm obedientia, quæ reddit hominem subiectum superiori, quatenus aliquid præcipit: tamen quædam humilitas, ea videlicet, quę hominem præcepto superioris subiicit simul & humilitas, & obedientia dicitur. Atque hæc de testimoniis Scripturarum.

Probemus nunc testimoniis Patrum, primum peccatum parentum primorum, non infidelitatem, neque aliquid aliud, sed superbiam fuisse. S. BASILIVS in oratione

quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd Deus non sit auctor malorum: *Quamobrem*, inquit, *à diabolo multùm aggressus eadem ambitionis cupiditate, quam ipse à initio habuit, velle similem esse Deo, hac rursus ad decipiendos similes ligni ostendit, per cuius degustationem pollicitus est hominem similem fore Deo.*

S. IOANNES CHRYSOSTOMVS ho. 16. in Gen. *Igitur*, inquit, *vt diuinitatem mente sua imaginata est esum properauit.*

S. AVGVSTINVS lib.8.de Genesi ad literam,ca. 13. loquens de primo peccato: *Denique*, inquit, *à peccante nihil aliud appetitum est, nisi non esse sub dominatione Dei, quando illud admissum est, in quo ne admitteretur, sola deberet iussio dominantis attendi.* Sed clarius lib.11.cap.30. *Quando*, inquit, *his verbis crederet mulier à bona, atque vtili re diuinitus se fuisse prohibitos, nisi iam inesset menti amor illæ propriæ potestatis, & quædam de se superba præsumptio, quæ per illam tentationem fuerat conuincenda & humilianda?* His verbis apertissimè S. Augustinus refellit sententiam, quam Lutherus, & Caluinus tuentur. Illi enim volunt ex infidelitate superbiam natam esse, contra autem S. Augustinus disputat, non potuisse infidelitatem in animo primæ parentis locum inuenire, nisi in eo superbia præcessisset.

Idem Augustinus in Enchirid.ca.45. enumerans actus malos, & quasi partes peccati primi hominis, primo loco ponit superbiam: *Superbia*, inquit, *est illic quia homo in sua potius esse quam in Dei potestate dilexit.* Item in li.14. de Ciu. Dei,c.13. de vtroq; primo parente loquens: *In occulto*, inquit, *mali esse cæperunt, vt in apertam inobedientiam laberentur. Non enim ad malum opus perueniretur, nisi præcessisset mala voluntas. Porrò malæ voluntatis initium quid potuit esse nisi superbia? initium enim omnis peccati superbia.* Et infrà: *Manifesto ergo, aperteque peccato, vbi factum est, quòd Deus fieri prohibuerat, diabolus hominem non capisset, nisi iam ille sibi placere cæpisset. Hoc enim delectauit quod auctum est. Eritis sicut Dij, quod melius esse possent summo verèque principio cohærendo per obedientiam, quàm suum sibi existendo principium per superbiam.*

S. LEO serm. 5. de Natiuitate Domini: *Quid*, inquit, *sanandis ægris, illuminandis cæcis, viuificàdis mortuis aptius fuit, quàm vt superbiæ vulnera humilitatis remediis curarentur?* Vbi vocat superbiæ vulnera, mala inflicta humano generi ex peccato Adami. Item in eodem loco: *Illi* (Adamo) *per elationem lapsi dictum est, terra es, & in terram ibis. Huic per humilitatem exaltato dictum est, sede à dextris meis, &c.*

S. PROSPER lib.2.de vita contemplatiua c.19. *Et mihi quidem* inquit, *videtur quod non ederent de ligno prohibito, nisi concupiissent: nec concupiissent, nisi tentati: nec tentarentur, nisi deserti: nec desererentur à Deo, nisi ipsi prius desererent Deum: nec desererent Deum, nisi superbirent, & similitudinem Dei miserabiliter appetissent.*

S. FVLGENTIVS in lib.2.de Incarnatione, & gratia Christi,cap. 22. *Quia primus homo in superbiam est diabolica persuasione delectus, perdidit humilitatem.*

S. GREGORIVS lib.4.Moral.cap.9. *Duas*, inquit, *ad intelligendum se creaturas fecerat, angelicam videlicet, & humanam: vtramque verò superbia perculit atque ab statu ingenitæ rectitudinis fregit.* Eucherius lib.1.in Genes. & alij non pauci idem docent.

Accedat Postremo etiam ratio, nam inter actus malos priores fuerunt interiores, quàm exteriores, tam circa obiectum intelligibile, quàm circa sensibile. Cùm enim pars inferior subiecta esset superiori, nec ab ea deficere posset donec ipsa non deficeret à Deo: non potuit concupiscentia sensibilis alicuius boni in animo præualere, nisi prius ipse animus à Deo auersus ad infima corruisset. Quare fieri non potest, vt amor erga vxorem immoderatus, primum peccatum Adami fuerit: nec solum de amore carnalis concupiscentię loquor, sed etiam de amore illo socialis benevolentiæ, quem Bonauentura, & Scotus primum peccatum statuunt. Nam & ille amor rei sensibilis erat, videlicet consortij humani, & socialis vitę, quã amittere Adamus nolens, maluit legem Dei transgredi, quàm vitæ sociam contristare.

Porrò inter actus interiores, & circa bonum intelligibile prior est actus circa finem, quàm circa media, siquidem media appetuntur propter finem, non contra. Finis autem hominis in malis est excellentia propria, quæ superbiæ est obiectum. Non igitur infidelitas, aut aliquid aliud, sed superbia primum peccatum vtriusque primi parentis fuit.

Præterea (vt sententiam Lutheri, & Caluini propriè refellemus) non potuit mens primorum parentum diuino lumine illustrata, in errorē induci, nisi antea per auersionem à Deo lumine illo destituta fuisset, vt Augustinus ratiocinatur lib.14.de ciu.Dei cap.11. Quemadmodum nemo potest credere Solem non lucere, dum Solem ipsum respicit: ergo infidelitatem primorum parentum auersio à Deo, & peccatum præcessit: non igitur infidelitas primum peccatum fuit.

Ad hæc mater infidelitatis est superbia, vt idem Augustinus docet in lib.de pastoribus, cap. 8. igitur superbia infidelitatem præcessit, non è contrario, nisi filiam matre antiquiorem faciamus.

Denique prior in peccatis est cõuersio ad bonũ creatum, quàm auersio à bono increato: neque enim auersio per se appetibilis est, cùm non sit bona, & solum bonum sit obiectum voluntatis. Itaque quia conuertimur ad bonum creatum, sequitur, vt auertamur ab increato, non autem primo, & per se auersio ipsa à voluntate eligitur: At non velle Deo credere, qui est actus infidelitatis, est auersio quædam à Deo, igitur infidelitas non est primus actus malus, sed alium aliquem priorem, quo ad bonum creatum conuertimur, sequitur. Quare Scripturę diuinæ non vno in loco testantur, mala opera præcedentia esse causam consequentis infidelitatis. 1.Tim.1. *Habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt.* Et 1.Tim.6. *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, erraverunt à fide.*

CAPVT V.

Soluuntur obiectiones, & explicatur, quæ fuerit superbia primorum hominum.

SVPEREST obiectiones aliquas soluere, quę contra ea, quæ capite superiore docuimus, adferri solent.

Prima obiectio Lutheri. Sathanæ tentatio eo tendebat, vt primum crederet Heua non esse verum, quod Deus dixerat, morituros videlicet, qui fructum ligni vetiti gustarent: deinde fructum illum gustando legem Dei præuaricaretur: succubuit autem Heua tentationi: igitur primum peccatum non credendo, deinde fructum vetitum degustando. Responsio. Sathanas non solum ad infidelitatem, & inobedientiam, sed etiam ad superbiam adducere conabatur Heuam. Nam ideo dixit, scit enim Deus, quia quacunq; die comederitis, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij scientes bonum, & malum. Quare mulier in eo primùm à tentatore seducta, & deuicta est, quod in superbiam elata affectauit esse sicut Deus, sciēs bonum & malum: deinde per superbiam excœcata credidit diabolo, & non credidit Deo, & in apertam inobedientiam lapsa est.

Secunda obiectio Lutheri, & Caluini, fides est radix, & origo iustitię, ergo infidelitas radix, & origo iniustitię. Responsio. Ex antecedente ab aduersariis posito, sequitur oppositum consequentis. Quia enim fides est origo iustitiæ, sequitur infidelitatem non esse originem, sed finem iniustitię. Nam quod est primum in generatione, est vltimum in resolutione. Fundamentum est principium ædificationis, sed euersio fundamenti nõ est principium, sed finis destructionis. Qui enim ædificat à fundamento incipit, in tecto desinit: qui destruit incipit à tecto, desinit in fundamento. Et in animantibus cor primum incipit

pit viuere, vltimum desinit viuere. Quare nunquam in Scripturis dicitur, radix omnium malorum est infidelitas, sicut dicitur radix omnium malorum est cupiditas, id est, amor sui, siue propriæ excellentiæ, quæ est superbia. Neque legimus vsquam, initium omnis peccati infidelitas, sicut legimus, initium omnis peccati superbia.

Tertia obiectio Caluini, Nunquam repugnare imperio Dei ausus fuisset Adam, nisi eius verbo incredulus. Responsio, Adam non fuisset ausus imperio Dei manifesto, & expresso, quo lignum scientiæ vetabatur, repugnare, nisi verbo eius incredulus: sed nec fuisset verbo Dei incredulus, nisi per elationem à Deo auersus diuina luce destitutus, renebrescere cæpisset, vt sanctus Augustinus de Heua scribit. lib. 11. de Genesi cap. 30. & lib. 14. de Ciuitate Dei, cap. 13. atque hinc explicari potest alius locus eiusdem S. Augustini ex lib. 14. de Ciuitate Dei, ca. 17. vbi videtur primum peccatum primorum hominum cõstituere in infidelitate cum dicit: *Hoc itaque cognouerunt, quod felicius ignorarent, si Deo credentes, & obedientes non committerent, quod eos cogeret experiri, infidelitas, & inobedientia quid nocerent.* Solùm enim ex hoc loco probatur fuisse in peccato primorum hominum infidelitatem, & inobedientiam, apertam videlicet, quam commiserunt dum lignum vetitum degustarunt: sed non probatur non præcessisse superbiam, & inobedientiam occultam, de qua idem Augustinus loquitur loco citato, in eodem libro capite 13.

Quarta obiectio est Bonauenturæ, & Scoti, qui adferunt testimonium S. Augustini ex lib. 11. de Genesi ad Literam, cap. 42. & ex lib. 14. de Ciu. Dei, cap. 11. vbi S. Augustinus scribit Adamum incidisse in peccatum inobedientiæ ex amore immoderato erga coniugem, ac per hoc primum peccatum Adami fuisse amorem illum vxoris, nó autem superbiam. Ac ne forte respondeatur, amorem nimium erga coniugem fuisse priorem inobedientia manifesta, non autem inobedientia, vel superbia occulta, notandus est locus adductus ex lib. 11. de Genesi ad Literam, capit. quadragesimo secundo, vbi Augustinus scribit, Adamum fuisse in statu innocentiæ, quando vxorem immoderatè amare cæpit, sic enim loquitur: *Adam noluit Heuam contristari, quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab eius alienaretur animo, & omnino illâ interire discordia, non quidem carnis victus cõcupiscentia, quam nondum senserat in resistente lege membrorum legi mentis suæ, sed amicali quadam benevolentia, qua plerunque fit, vt offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus.* Et confirmari potest hoc argumentum ex cap. 3. Gen. vbi Deus enumerans peccata Adami, primũ ponit, quod audierit vocem vxoris suæ, secundum quod comederit de ligno vetito.

Respondeo S. Augustinus vult quidem amorem inordinatum erga vxorem fuisse priorem in Adamo, quàm esset aperta inobedientia, vt loca citata demonstrant, tamen nõ vult priorem fuisse, quàm superbiam occultam. Nam lib. 14. de Ciui. Dei, cap. 13. contrarium his verbis docet: *Spontaneus est autem iste defectus: quoniam si voluntas in amore superioris immutabilis boni, à quo illustrabatur, vt videret, & accendebatur, vt amaret, stabilis permaneret, non inde ad sibi placendum auerteretur, & ex hoc tenebresceret, & frigesceret, vt vel illa verum crederet dixisse serpentem, vel ille Dei mandato vxoris præponeret voluntatem, &c.*

Primò igitur secũdum Augustinum fuit superbia occulta in animo Adami, deinde vitium inordinati amoris erga vxorem, postremò aperta mandati diuini transgressio. Neque in lib. 11. de Genesi ad Literam, cap. 42. dicit S. Augustinus, Adamum fuisse in statu innocẽtiæ, quando immoderatè vxorem amare cæpit, sed dicit, nondum sensisse concupiscentiam carnis repugnantis legi mentis. Potuit enim fieri, vt amissa innocentia, originalique iustitia non cõtinuò extiterit in carne motus ille pudendus, quamuis continuò existere potuerit. Nam hoc tempore, quo iustitia originali caremus, nõ semper patimur carnis rebellionem, & Heua non solùm per superbiam interiorem, sed etiam per exteriorem inobedientiam lapsa fuerat in peccatum, & tamen non continuò sensit carnis rebellionem, alioqui nuditatem suam agnouisset, & erubuisset antequã virum suum ad peccandũ induceret.

Quinta obiectio, quæ Scoti est. Homo prius cognoscit alia, quàm se, ergo prius amat amore amicitiæ alios, quàm se, ac per hoc prius fuit in Adamo inordinatus amor vxoris, quàm propriæ excellentiæ.

Respondeo, Hæc obiectio in multis peccat. Primùm enim cum Adam habuerit scientiam infusam à Deo, potuit prius cognoscere se, quàm alia. Deinde quicquid sit de aliis rebus, certè prius cognouit se, quã vxorem, cùm aliquanto tempore vixerit, antequam vxor eius existeret. Præterea non est necessarium, vt quod prius cognoscitur, prius ametur, cum possit aliquid cognosci, & non amari, denique mulieris primum peccatũ fuit amor proprius, vt Scotus fatetur, cur igitur non potuit etiam primum peccatum viri esse amor proprius?

Sexta obiectio, Si per superbiam primi homines initio lapsi essent, id profectò accidisset, quia cupierunt fieri sicut Dij, vt Sathã illis promittebat. Quæro igitur, an crediderint se posse fieri sicut Deos, an verò non crediderint: nam si crediderint, certè in errorem, atque adeò in infidelitatem prius, quàm in elationem, & superbiam lapsi sunt: si non crediderunt, non apparet quemadmodum apperere potuerint, fieri sicut Dij. Neque enim id appeti potest, quod non posse fieri creditur.

Respondeo, S. Augustinus in explicatione Psalmi 68. tractans illa verba: *Quæ non rapui tunc exoluebam*, scribit, primos homines rapere voluisse diuinitatem, & perdidisse fecilitatem. Quod non ita acipiendum est quasi voluerint mutare naturam, & ex hominibus Dij per essentiam fieri. Nam idem ipse Augustinus in plurimis locis explicat, superbiam primorum hominum in eo sitam fuisse, quod optauerint fieri Dij per imitationem, & similitudinem, vt sicut Deus scit bonum, & malum, nec eget aliquo rectore, & gubernatore, nec alicuius potestati subditus est: ita ipsi scirent bonum, & malum, nec Dei prouidentia indigerẽt, neque illius imperio, & potestati subessent. li. 2. de Genesi cõtra Manichæos c. 15. *Videmus*, inquit, *his verbis per superbiã peccatũ esse persuasum. Ad hoc enim valet, quod dictum est, Eritis sicut Dij. Quid hic intelligitur, nisi persuasum esse, vt sub Deo esse nolent sed in sua potestate potius sine domino, vt legem eius non obseruarent, quasi inuidentes sibi ne se ipsi regerent, non indigentes illius interno lumine, sed vtentes propria prouidentia, quasi oculis suis ad dignoscendum bonum, & malum, quod ille prohibuisset. Hoc est ergo ad persuasum est, vt suam potestatem nimis amarent, &c.* Tract. 4. in epist. Ioan. *Contempsit Adam in paradiso positus præceptum Dei, & erexit cervicem, veluti in potestate sua esse cupiens, & nolens subdi potestati Dei.* Idem docet in Enchirid. cap. 45. lib. 8. de Genesi ad literam, cap. 13. & lib. 11 ca. 30 & lib. 14. de Ciuitate Dei, capite 13. quæ loca capite superiore citauimus.

Porrò initium huius superbiæ potuit esse, ac fuit in homine sine vllo præcedente errore per solam incogitantiam, siue inconsideratione. Non enim cæpit superbia hominum ab illo actu, Nolo esse sub Dei potestate, sed post audita verba diaboli. Eritis sicut Dij scientes bonum, & malum (quæ verba mulier ab ipso diabolo, vir à muliere audiuit, sicut è contrariò præceptum Dei vir ab ipso Deo, mulier à viro audierat, teste Augustino libro 11. de Genesi capite trigesimo quarto) voluere cæperunt intra se pulchrum esse non pendere ab alio, & simul cæperunt delectari propria potestate, eámque appetere, ac vehementer placere sibi: & occupati eiusmodi cogitatione, delectatione, ac desiderio, non erexerunt animum ad Deum, neque cogitauerunt, id ne-

Universidad de Deusto
Biblioteca

que fieri posse, neque sibi expedire, ita paulatim ad se magis, ac magis conuersi, & à Deo auersi cæcutire cæperunt, & fidē habere verbis Sathanæ, & Dei præceptum, minasque contemnere. Sic enim (vt docet Augustinus libro 14. de Ciuitate Dei, capite 28.) gradatim pergitur in via iniquitatis ab amore sui vsque ad contemptum Dei, quemadmodum in via iustitiæ ab amore Dei, vsque ad contemptum sui. Itaque simile videtur fuisse peccatum primum hominum primorum ei peccato, quod à Theologis dicitur delectatio morosa. Neque enim qui circa pecunias, aut dignitates, aut voluptates delectationem morosam habent, statuūt furtis, ambitioni, aut fornicationi operam dare, neque cogitant, fieri ne possit an non, quod animo voluūt, sed solùm ea cogitatione delectantur, ac si res ipsa præstò esset, & peccatum non imaginatione, sed opere patraretur.

CAPVT SEXTVM.

Primos parentes amisisse fidem, & quæ fuerit eorum infidelitas.

DIsservimvs de superbia primorū hominū, quam ostendimus fuisse principium primi peccati, & simul explicuimus quænam superbia fuerit. Nunc de infidelitate eorundem breuiter disserendum erit, & simul explicandum, in quo errauerint. Nam etiamsi contendimus, primum peccatum primorum hominum non fuisse infidelitatem, non tamen negamus, eos post superbiæ peccatum incidisse in infidelitatem, quæ est communis Patrum sententia.

TERTVLLIANVS in 2. lib. aduersus Marcionem cap. 2. *Quis*, inquit, *dubitabit, ipsum illuū Adæ delictum hæresim pronunciare, quod per electionem suæ potius, quam diuinæ sententiæ admisit.* Ambrosius in epistol. 33. ad Marcellinam sororem scribens, inducit Deum ita loquentem ad Adamum: *Agnoscis esse te nudum, quia bona indumenta fides perdidisti.* Augustinus in Enthiridio cap. 45. enumerans partes primi peccati, primo loco ponit superbiam, secundo infidelitatem: *Sacrilegium*, inquit, *illic est, quia Deo non credidit.* Item lib. 14. de Ciuitate Dei, cap. 17. *Hoc itaque cognouerimus, quod felicius ignorarent, si Deo credentes non committerent, quod eos cogeret experiri infidelitas, & inobedientia quid nocerem.* Denique lib. 1. aduersus Iulianum cap. 3. citat Augustinus in eandem sententiam Olympium Episcopum Hispanum.

PROSPER in responsione ad capitula Genuensium, dubio. 3. *Quid est*, inquit, *quod eidem naturæ solum fidem non vult esse præreptam, quam nisi primam* (Adam) *amisisset, cæteris bonis omnibus non careret, Credendo enim Adam diabolo, non credidit Deo.* Et infrà: *Quomodo fides in Adam perdita, in quoquam filiorum eius inueniretur, nisi eam spiritus, qui omnia in omnibus operatur infunderet?* Idem in lib. contra Collatorem, cap. 19. *Fer didit* inquit, *Adam fidem, perdidit continentiam, perdidit ea iatem.* Et cap. 21. *Iustitiam iniquitas depulit, humilitatem superbia destruxit, infidelitas rapuit fidem, captiuitas abstulit libertatem*

S. LEO serm. 4. de Natiuitate Domini: *Homo primus*, inquit, *inuido, & deceptori temerè, atque infeliciter credidit.* S. Fulgentius libro 2. de incarnatione, & gratia Christi cap. 22. *Primus*, inquit, *homo perdidit fidem: perdens autem fidem perdidit diuinam protectionem, scriptum est enim, qui non credit Deo non protegetur ab eo.*

Sed meritò quæri potest, quid illud sit, quod primi homines Deo nó crediderint. Ac de fœmina quidē duę sunt opiniones, quidam enim existimant, eam non credidisse, mortem subsequuturam, si fructum arboris veritæ degustaret, quin potius credidisse, Deum esse mentitum, & ex inuidentia prohibuisse fructum illum optimum, & vtilissimum. Et in hunc sensum exponunt verba illa: *Cur præcepit vobis Deus, &c.* Et: *Nequaquam moriemini. Scit enim Deus, quia quacunque die comederitis, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij scientes bonum & malum.* Ita docet Cyrillus lib. 3. in Iulianum. Chrysostomus hom. 16. in Genesim. Augustinus lib. 2. de Genesi contra Manichæos, cap. 15. Rupertus, Rabanus. & alij permulti in commentario cap. 3. Genes.

Alij volunt Heuam credidisse, non fuisse à Deo prohibitum fructum ligni scientiæ boni, & mali, séque ac virum suum non bene intellexisse verba Domini Atque in hanc sententiam exponunt verba illa: *Cur præcepit vobis Deus, vt non ederetis de omni ligno, &c.* Ac si dictum esset, cur præcepisset Deus, vt à fructu alicuius arboris manum abstineretis, cùm omnes sint bonæ, & salutares: Non est igitur cur credatis vos morituros, si lignum scientiæ gustaueritis, scit enim Deus eam arborem vtilissimam esse, quippe quæ scientiam augeat, & ideò cum bonus sit, & vestri curam gerat, nunquam rem tam bonam vobis prohibuisset. Indicant hanc sententiam S. Augustinus lib. 11. de Genesi ad literam, cap. 30. his verbis: *Arbitror, quod putauerit (Heua) Deum alicuius significationis causſa dixisse, si manducaueritis morte moriemini, atque ideò sumpsit de fructu eius, & manducauit, & dedit etiam viro suo.* Eandem insinuat Epiphanius in hæresi Caianorum, quæ est 38. vbi dicit, diabolum, vt mulierem seduceret, simulasse se amicum Dei: *Diabolus*, inquit, *per mendacium decepit Heuam, & Adam, alia pro aliis dicens, & amicitiam cum creatore demonstrans.* Non igitur Deum mendacem, & inuidum facere voluit, si amicitiā cum illo demonstrauit.

Eidem sententiæ non parum fauet quod Apostolus. 2. Cor. 11. comparat seductionem Heuę per serpentem, cum seductione Corinthiorū per Pseudoapostolos. Neque enim illi apertè Deum calumniabantur, sed transfigurantes se in Apostolos Christi, prætexebant honorem Dei, & verum Christi Euangelium. Fauet quoque eidem sententiæ, quòd mulier non audierit à Deo immediatè præceptum, sed per Adamum illud acceperit, vt S. Augustinus docet lib. 11. de Genesi ad literam, cap. 34. & Ambrosius de Institut. Virginis, cap. 4. hinc enim facilè fuit illi persuadere, aut præceptūm non esse datum, aut, non sic accipiēdum, vt Adam illi dixerat. Fauet denique huic expositioni textus Hebraicus, siquidē illa vox כי־אם *chiaṯ* quam noster interpres vertit, *cur*, magis aduerbium redderetur per particulam, *vere quod*, aut, *etiam quod*, vt sensus sit, est ne verum, quòd Deus præceperit vobis, ne de omni ligno comederetis: vbi videmus insinuari dubitationem de ipso præcepto, datum ne fuerit à Deo an non.

Accedit, quod secundum hanc explicationem clarius apparet seductio mulieris, & astutia serpentis. Nam seducitur quis, cum ei persuaderur aliquid falsum sub specie veritatis mulieri iustæ, & innocenti Deum esse inuidum, & mendacem, non potuit prima fronte verisimile videri: se autem non benè intellexisse verba Dei, planè credibile videri potuit. Exemplum habemus in hæreticis, qui Sathanam in seducēdis fidelibus studiosè immitantur, neque enim Caluiniani dicunt, mentitū esse Christum cum pane in manibus sumpto ait, Hoc est corpus meum: si enim hoc dicerent, neminem seducerent, sed ab omnibus vt blasphemi, & impij repellerentur: sed dicunt, à Catholicis nō rectè intelligi verba Christi, & per tropum accipiēda quæ à Catholicis sine tropo accipiuntur. Et similiter faciunt omnes alij hæretici, qui non Deū mendacem, sed Catholicos imperitos esse contendunt, & hac ratione multis imponunt.

Hæc sententia posterior mihi valdè probatur, tamen ob reuerentiam grauissimorum auctorum, qui priorem sequuntur, nō audeo hanc posteriorem ita priori illi anteponere, vt non illam etiam vt probabilem recipiendam esse censeam. Atque hæc de infidelitate mulieris.

De viro, hoc est, Adamo, minor quæstio est. Nam teste B. Paulo

B. Paulo in epist. 1. ad Tim. ca. 2. *vir non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit.* Et in ipsa sacra historia legimus dixisse mulierem Gen. 3. *Serpens seduxit me.* Virum autem non dixisse se fuisse seductum, sed comedisse pomum sibi à muliere allatum. Quare siue diabolus persuadere voluerit, Deum esse inuidum, & mendacem, siue præceptum de fructu ligni scientiæ non edendo, non fuisse accipiendum proprię, sed cū aliquo tropo, id mulier credidit, ac per hoc seducta in præuaricatione fuit: vir autem non credidit, nec seductus fuit, sed alia ratione errauit, nimirum (vt S. Augustinus multis in locis docet) existimauit veniale fore, si contra præceptum Dei de fructu illo comederet, ne sociam, eámque vnicam contristaret. In eo quoque errauit, quod cùm videret, vxorem manducato cibo illo non esse mortuam, sibi ipse persuasit, se quoque non moriturum, si cibum eundem manducaret. Quia verò credere tenebatur verbo Dei, quo dictum fuerat, Quocūque die comederis ex eo morte morieris, ideò Patres rectè dicunt, Adamum Deo non credidisse, & infidelem, vel vt Tertulianus loquitur, hæreticum esse factum.

Denique tum ex præcedente elatione, tum ex habita experientia dubitare cœpit, an fortè verum esset quod diabolus dixerat, eritis sicut dij: non enim Deus ironicè dixisset, Ecce Adam sicut vnus ex nobis factus est, nisi Adam aliquo modo credidisset se fututum sicut Deum cibum illum comedendo: hoc autem erat fidem habere diabolo, & non habere Deo.

Sed Augustinus audiamus lib. 14. de Ciu. Dei, ca. 11. *Inexpertus*, inquit, *diuinæ veritatis* (Adam) *in eo fallis potuit, vt veniale crederet esse commissum.* Et lib. eodem. c. 13. *Vel*, inquit, *illa crederet verum dixisse serpentem, vel ille Dei mandato vxoris præponeret voluntatem, putaretque se venialiter trangressorem esse præcepti, si vitæ suæ* SOCIAM *non desereret, etiam in societate peccandi.* Et lib. 11. de Genesi ad literam. cap. 30. *Dedit*, inquit, *viro suo fortasse cum verbo suasorio, quod Scriptura tacens intelligendum reliquit. An forte nec suaderi iam opus erat viro, quando illam eo cibo moriuam non esse cernebat?* Et lib. eodem, cap. vl. Posteaquam dixerat, Adamum comedisse fructum vetitum, ne coniugem cōtristaret, subiungit, *Ergo alio quodammodo etiam ipse deceptus est, sed dolo illo serpentino, quo mulier seducta est, nullo modo illum arbitror potuisse seduci in illo modo, quo illa potuit. Hanc autem propriè seductionem appellauit Apostolus, qua id quod suadebatur, cum falsum esset, verum esse putatum est.* Et infrà: *Sed etiamsi virum propter aliquam mentis elationem, qua Deum internorum scrutatorem latere non potuit, sollicitauit aliqua experiendi cupiditas, cùm mulierem videret accepta illa esca non esse mortuam, secundum ea, quæ superius tractauimus, non tamen eum arbitror, si iam spirituali monte præditus erat, vllo modo credere potuisse, quod eos Deus ab esca illius ligni inuidendo prohibuisset.*

CAPVT SEPTIMVM

Adamum propriè non fuisse seductum.

EX his, quæ diximus capite superiore, solui potest alia quæstio. Vtrum videlicet Adam propriè seductus dici possit. Nam ab Vna parte B. Pauli verba clarissima sunt: *Vir non est seductus, mulier autem seducta in præuaricationem fuit*, 1. Timoth. 1. Et rursus: *Timeo, ne sicut serpens Heuam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri.* 2. Cor. 11. Vbi nulla mentio fit Adami. Ab ALTERA parte communis Patrum sententia id videtur habere, vt Adam fuerit seductus.

S. IGNATIVS in epistola ad Trallianos: *Diabolus*, inquit, *per mulierem seduxit Adam patrem generis nostri.* S. IRENÆVS lib. 3. cap. 35. alias 37. *Ab altero Adam seductus sub esca sine immortalitate, statim timore corripitur, &c.* S. EPIPHANIVS hæresi 38. quæ est Caianorum: *Ipse*, inquit, *Diabolus per mendacium decepit Heuam, & Adam.* S. IOANNES CHRYSOSTOMVS hom. 9. in priorem ad Timotheum: *Ad comparationem*, inquit, *mulieris autem illum non fuisse seductum.* Vbi docet Adamum seductum fuisse, sed minori seductione, ita vt ad comparationem mulieris videtur nō fuisse seductus. S. CYRILLVS ALEXANDRINVS lib. 2. in Ioan. cap. 3. *Sed postequam diabolica fraude seductus, Dei præcepta contempsit, & spreto mandato gratiam perdidit, terram se esse, & in terram reuersurum audiuit.*

S. HILARIVS (vt ad Latinos veniamus) can. 3. in Matthæum: *Serpens*, inquit, *Adam pellexerat, & in mortem fallendo traduxerat.* S. AMBROSIVS in lib. de paradiso cap. 4. *Mulier*, inquit, *prior decepta est, & virum ipsa decepit.* S. Augustinus tractatu in psalm. 68. in illud, Quæ non rapui tunc exoluebam: *Quis*, inquit, *rapuit? Adam. Quis primum rapuit? ille ipse qui seduxit Adam.* S. Prosper in libro contra Collatorem, cap 21. *Postquam Adam se deceptori suo subdidit, perdidit boni scientiam.* S Leo ser. 2. de Natiui. Domini: *Gloriabatur*, inquit, *diabolus sua fraude deceptū hominem diuinis caruisse muneribus* S Fulgentius lib. 2 de Incarnatione, & gratia Christi cap. 22. *Quia primus homo* inquit, *in superbia, diabolica est persuasione deiectus, perdidit humilitatem, perdidit fidem. &c.*

Propter hanc apparentem sanctorum Patrum cum Apostolo Paulo discordiam, multi conati sunt verba B. Pauli ita interpretari, vt ex iis non posset colligi, Adamum verè ac propriè non fuisse seductum: sed eæ interpretationes non omnino conuenire videntur verbis, & intentioni Apostoli. Percurram breuiter præcipuas. Prima est, Vir non est seductus (id est) à Diabolo. Nam a muliere seductus est. Secunda, Vir non est seductus (id est) non est seductus prior. Nam ante eum mulier seducta fuit. Tertia, Vir non est seductus (id est) non scribitur in Genesi eius seductio, quemadmodum Melchisedech dicitur ab Apostolo Hebr. 7. sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habēs, quia nihil horum de eo legitur in Scripturis. Quarta, Vir non est seductus (id est) in præuaricationem. Nam mulier seducta, fuit auctor præuaricandi viro suo. Vir autem seductus, non fuit vlli auctor præuaricandi.

Hæ quatuor explicationes non videtur quadrare omnino in hunc locum Apostoli, Tum quia absolutè ipse pronuntiat, Vir non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione est, ac si diceret, vterque præuaricatus est, sed vir sine aliquo seducente se, mulier ab alio circumuenta atque seducta: Tum quia intētio Apostoli eo loco erat, demonstrare mulieres non ita pollere iudicio, ac vigore animi, ac viros & propterea non debere eas docere in Ecclesia, sed à viris discere. Nam cùm dixisset: *Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.* Vtrumque probat. Et primum, quòd mulier non debeat dominari in virum, sed subiecta esse, inde colligit, *Quia prior Adam formatus est, deinde Heua.* Et (vt addit 1. Cor. 11.) *Mulier ex viro, non vir ex muliere: & mulier propter virū, nō vir propter mulierem formatus est.* Quod autē mulier discere debeat, nō docere, probat. *Quia vir nō est seductus, mulier seducta in præuaricatione est.* Quod quidē eò tendit, vt ostendatur mulier simplicioris esse naturæ, minoris iudicij, & prudentiæ, quàm vir, nā (vt notat Chrysostomus in commentario huius loci) maluit Apostolus dicere vir non est seductus, mulier est seducta: quàm Adā non est seductus, Heua est seducta, vt ostēderet id quod accidit Adamo, & Heuæ prouenisse ex differētia naturali viri, & mulieris, & naturaliter viros esse prudentiores, & ingenij, ac iudicij melioris, & maturioris, quàm fœminæ sint: ac propterea mulieres, quæ tam facilè seducuntur, non esse idoneas ad docendum.

Iam verò quatuor illæ interpretationes, si veræ essent, redderent argumentum Apostoli planè imfirmum ac debile.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bile. Non enim propterea censendum est, mulieres immaturi iudicij esse, & ad docendum ineptas, quòd Heua seducta sit à Diabolo, & Adam a muliere, vel quòd Heua sit prius seducta quam Adam, vel quòd Heuæ seductio scripta sit in Genesi, Adæ seductio non sit scripta, vel denique quòd Heuæ seductio fuerit causa prævaricationis Adæ, non contra. Nam quòd Heua seducta sit à diabolo, Adam à muliere, tantùm abest, vt arguat mulierem simplicioris esse naturæ, quàm virum, vt potius arguat contrarium, siquidem longe difficilius est, euadere insidias diaboli, quàm mulieris. Quòd autem Heua prior seducta fuerit, Adam posterior, quodque vnius seductio scripta sit, non alterius, nihil ad rem propositam facere videntur, cùm per accidens se habeant ad vigorem animi demonstrandum. Quòd denique Heuæ seductio causa fuerit prævaricationis viri, per accidens factum est, tum quia prior ipsa seducta est, tum quia nullus tunc erat, cui vir prævaricandi occasionem dare posset.

Verissima igitur est S. Augustini sententia, quam superiore capite sequuti sumus, videlicet Adamum propriè non fuisse seductum, & verba Apostoli sine vlla additione propriè, & formaliter (vt more scholastico loquamur) esse accipienda, cùm ipse ait, Vir non est seductus, mulier seducta in prævaricatione est. Nam in tribus errauit Adam (vt suprà diximus) quòd crediderit peccatum esse veniale mandatum Dei prævaricari, quòd crediderit, se manducando cibum veritum, non esse moriturum: quòd crediderit, se futurum similem Deo & nullius prouidentiæ, imperioque subiectum.

Primi erroris causa fuit amor nimius erga coniugem, ac per hoc non seductio alicuius qui per dolum enm deceperit, sed propria ipsius prauitas, & cæcitas ex præcedente elatione subsequuta. Secundi erroris causa fuit, præter propriam cæcitatem experientia, quam habuit cum vidit vxorē illo cibo manducato non esse mortuam, fortasse etiam vxoris adhortatio, quæ tamen propriè seductio dici non poterat, cùm ipsa non animo fallendi, sed simpliciter, quòd verum esse credebat, virò suo proponeret. Tertij erroris occasio fuit verbum serpentis à muliere viro suo relatum (eritis sicut Dij) causa autem fuit non ipsius serpentis, aut mulieris auctoritas vel persuasio, sed tum experientia præcedens, quæ vt fecit eum dubitare de illo (morte moriemini) ita fecit propendere ad credendum illud (eritis sicut Dij.) Tum propria superbia, id est, amor propriæ potestatis, libēret enim & facilè credimus quod amamus. Vide Augustinum libro 11. de Genesi ad literam. capite vlt. & lib. 14. de Ciuitate Dei, capite 11.

Neque verò sancti illi Patres, qui scribunt, Adamum seductum fuisse cum Apostolo pugnant, aut Apostolum non legerunt, vel non intellexerunt: sed de seductione Adami alio modo loquuti sunt. Nam ipse etiam Augustinus alicubi scribit, Adamum fuisse seductum, alicubi non fuisse seductum, nec tamen secum ipse pugnat, sed alio modo seductionem accipit. Itaque Patres id solum significare voluerant, Adamum à Diabolo, non quidem immediatè, & propriè, sed mediatè, occasionabiliter, & materialiter (vt sic loquamur) fuisse seductum. Qua significatione eandem vocem accipit B. Paulus cum ait, *Peccatum per mandatum, seduxit me, & per illud occidit.* Rom. 7. &, *Qui se existimat aliquid esse, cùm nihil sit, se ipsum seducit,* Galat. 6. & sapiens cùm dicit: *Creaturas factas esse in mustelam pedibus insipientum,* Sap. 14. & Daniel cum ad senem illum scelestum loquitur, *Species decepit te, concupiscentia subuertit cor tuum*, Dan. 13.

Possent etiam iuxta hanc sententiam rectè accipi, duæ priores interpretationes ex illis quatuor, quas refutauimus. Nam prima interpretatio quæ erat, Vir non est seductus (id est) à serpente, verissima est, si hunc habeat sensum: Mulier, verè & propriè seducta est, quia serpens eam animo fallendi astutè decepit, cùm ei proposuit falsum sub specie veri: at vir seductus quidem aliquo modo est à muliere, sed non propriè, quia nec illa intentionem habuit fallendi, nec ipse ob eius persuasionem, sed ob eius amorē excæcatus est. & hoc existimo S. Ioānem Chrysostomū sibi voluisse, cùm interpretationem illam excogitauit. Ipse enim primus est auctor illius interpretationis.

Secunda interpretatio, quæ erat, Vir non est seductus, id est, prior, quæ magnos quoque auctores habet, S. Epiphanium hæresi 38. S. Thomam, Theodoretū, & Oecumenium in commentario, vera erit, si hoc modo accipiatur, vir non est seductus prior, quia videlicet diabolus agnoscens virum sapientiorem, non ausus est illum immediatè aggredi, sed à muliere, quæ facilius seduci poterat, incepit, vt ea seducta, virum etiam deiiceret, si non propriè seducendo, at certè blanditiis mulieris, inflectendo, atque ad peccandi societatem impellendo.

CAPVT OCTAVVM

Primum Adami peccatum non potuisse esse veniale.

OCCASIONE verborum S. Augustini, qui scribit Adamum existimasse se venialiter peccaturum, si legem Domini violaret: tractari solet alia quæstio, videlicet, An primum peccatum in statu innocentiæ potuerit esse veniale. Et quidem non desunt, qui existiment fieri potuisse, vt primum peccatum primorum parētum veniale esset. Ita enim Scotus docet in 2. sententiarum dist. 21. & alij quidam pauci, qui eum sequuntur. Sed grauiores Theologi contrarium docent, vt S. Thomas in 1. 2. quæst. 89. art. 3. Albertus S. Bonauentura, Richardus, Durandus, Aegidius, & alij in 2. sententiarum dist. 21. & Alexander Alensis in summa Theologica par. 2. q. 104. n. 6.

Huius autem rei. Duplex est ratio, quarum altera ducitur ab effectu, altera à causa, & vtraque sancti Augustini auctoritate corroboratur. Prior igitur ratio est, quia si peccatum veniale in statu innocentiæ locum haberet, sequeretur etiam timorem, ac dolorem in eo statu locum habiturum. Culpam enim sequitur pœna, & quia culpa venialis non tollit gratiam, & amicitiam Dei, neque in statu innocentiæ originalem iustitiam sustulisset, neque hominem ex paradiso voluptatis eiecisset, fuisset vtique in paradiso, & in statu illo felicitatis aliqua pœna, ac per hoc timor, & dolor. Quod esse absurdissimum, docet S. Augustinus in libro 14. de Ciuitate Dei, cap. 10.

Posterior ratio, quæ à causa ducitur, talis est. Peccatū veniale, aut tale est ex subreptione, aut ex genere suo. Rursus quod ex subreptione est, oritur ex apetitu carnis præueniente rationem, vt imperfectum desiderium adulterij: aut ex ipsa voluntate præueniente perfectam rationis deliberationem, vt imperfectus motus infidelitatis. Quod autem est veniale ex genere suo, vt mendacium officiosum, semper oritur ex aliquo inordinato amore vel timore, ac per hoc ex aliqua rebellione partis inferioris à superiore, vel ipsius voluntatis à ratione. At in statu innocentiæ nulla esse poterat rebellio partis vnius ab altera, neque fieri potetat, vt appetitus inferior voluntatē, aut volūtas rationē præueniret. Id enim efficiebat iustitia originalis, vt perfecta subordinatio maneret partis inferioris ad superiorem. & preterea nullus erat in homine error, nulla difficultas, ergo nulla via, nullus aditus patebat peccato, manente in homine originali iustitia. Ea verò iustitia nisi per mortale peccatum amitti non poterat: peccato igitur venali nullus in statu innocentiæ locus esse poterat.

Hinc S. Augustinus lib. 14. de ciuitate Dei cap. 10. *erat* inquit, *in paradiso deuitatio tranquilla peccati, qua manente nullum omnino aliunde malum, quod comminaret, adesset vereretur. An forte cupiebant prohibitum lignum ad vescendum contingere, sed mori metuebant: ac per hoc & cupiditas & metus iam tunc illos homines*

mines etiam in illo perturbabat loco: absit vt hoc existimemus fuisse vbi nullum erat omnino peccatum. Et in eodem lib. cap. 26. *Sicut in paradiso nullus æstus, aut frigus, sic in eius habitatore nulla ex cupiditate vel timore accedebat voluntatis offensio, nihil omnino triste, nihil erat inaniter lætum: gaudiū verum perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat caritas ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Atque inter se coniugum fida ex honesto amore societas, concors mentis corporisque vigilia, & mandati sine labe custodia.* Argumenta, quæ contra hanc sententiam fieri solent, & facilia sunt, & à Caietano rectè soluuntur in commentario S. Thomæ 1. 2. quæst. 89. art. 3. & ea de causa prætereunda mihi esse censui.

CAPVT NONVM.

Peccatum Adami grauius fuisse quàm peccatum Heuæ.

TRACTATVR à Doctoribus alia quæstio, vter peccauerit grauius, vir primus an mulier prima. Et quidem S. Ioannes Chrysostomus homil. 7. ad populum Antiochenum disertis verbis docet, peccatum mulieris grauius fuisse, quàm peccatum viri. Quam sententiam plerique scholasticorū sequuntur in 2. sent. dist. 22. Contra autem S. Ambrosius in lib. de Institutione virginis, cap. 4. multis argumentis contendit, virum grauius peccasse, quàm fœminam. S. Augustinus loquens de primo actu malo primorum parentum, id est, de motu superbiæ, lib. 11. de Genesi ad literam, cap. 35. dicit, eam peccasse impari sexu, pari fastu. Et tam in eo libro, quàm in lib. 14. de Ciuitate Dei, semper ita loquitur ac si æquale putauerit fuisse peccatum mulieris peccato viri. Sed quoniam cap. 6. duas opiniones probabiles esse diximus, de infidelitate mulieris vnam, quòd crediderit Deum esse inuidum, & mendacem: alteram quod crediderit, Deum non prohibuisse lignum scientiæ, seque aut virum suum non benè intellexisse verba Domini: idcirco nunc etiam duas opiniones probabiles esse, affirmare cogimur de grauitate peccati viri, ac mulieris.

Probabilis enim est sententia S. Ioannis Chrysostomi, & multorum scholasticorū qui docent, mulierem grauius peccasse, quàm virum, quia si mulier credidit, Deum ex inuidia esse mentitum, cùm ait, *Quacunque die comederis, morte morieris*, quod (vt dixi) Doctores illi probabiliter sentiunt, certè mulieris superbia, & infidelitas longè fuit grauior quàm superbia, & infidelitas viri. Mulier enim voluit inuito Deo, fieri sicut Deus, quæ est superbia planè intolerabilis, & credidit Deum esse inuidum, & mendacem, quæ est species infidelitatis extremæ, & blasphemiam continet inauditam. Vir enim non credidit, Deum esse inuidum, vel mendacem, sed veniale fore peccatum suum ac per hoc se non moriturum transgrediēdo præceptum, fortè etiam futurum sicut Deum. Proinde cupiuit quidem fieri sicut Deus, sed non inuito Deo: & infidelis fuit, sed absque blasphemia illa, & errore grauissimo, quæ in peccato mulieris fuerunt.

Probabilior tamen nobis videtur (vt suprà etiam diximus) mulierem non credidisse Deum esse inuidum, & mendacem, sed solum præceptum Dei à se, vel à viro suo non benè intellectum, ac per hoc cum S. Ambrosio arbitramur, virum absolutè grauius peccasse, quàm fœminam: licet quod ad aliquos actus æquè peccauerit mulier, ac vir, vt S. Augustinus rectè docuit.

Sed vt hæc omnia facilius perspiciantur, sciēdum est, in peccato viri fuisse septem actus malos, & in peccato fœminæ totidem, sed non omnino eosdem. Primus actus malus in peccato viri, superbia fuit, qua in sua potius, esse, quàm in Dei potestate dilexit. Testis Augustinus in Enchiridio, cap. 45. Secundus, amor coniugis immoderatus. Testis idem Augustinus lib. 11. de Genesi cap. vlt. Tertius, infidelitas, qua Deo non credidit dicenti, *morte morieris*: & diabolo credidit, *eritis sicut Dij.* Auguſt. in Enchiridio, cap. 45. Quartus, curiositas. *Sollicitatus enim quadam experiendi cupiditas* inquit Augustinus lib. 11. de Genesi, cap. vlt. Quintus, inobedientia particularis, & expressa. *Comedisti de ligno de quo præceperam ne comederes*, inquit Deus ad Adamum Gen. 3. Sextus, excusatio peccati. *Mulier quā dedisti mihi sociam, dedit mihi*, Gen. 3 Septimus, læsio proximi. *Nam in Adam omnes moriuntur*, 1 Cor. 15.

In peccato mulieris primus fuit, superbia, Augustinus lib. 11. de Genes. cap. 30. Secundus, infidelitas, qua serpenti credidit, & Deo non credidit, Augustinus ibidem. Tertius, concupiscentia cibi prohibiti, *vidit* enim *lignum quod esset pulchrum visu, & ad vescendum suaue*, Genes. 3. Quartus, inobedientia particularis, & notissima. *Sumpsit* enim *de fructu, & manducauit*, Genes. 3. Quintus, inductio viri ad peccādum. *Attulit viro, qui & ipse comedit*, Gen. 3. Sextus, excusatio peccati, *Serpens decepit me.* Gene. 3. Septimus, læsio generis humani. Nam *à muliere initium peccati, & per illam omnes morimur*, Eccles. 25.

Iam verò si conferamus actus ipsos malos inter se, inueniemus peccatum viri æquale esse, aut aliquāto grauius peccato mulieris: si conferamus personas peccantes, inueniemus in multis peccatum viri esse grauius, in pauciſſimis grauius esse peccatum mulieris.

Primus actus vtriusque fuit superbia, & superbia planè eadem. De vtroque enim Augustinus lib. 11. de Gen. cap. 34. *Quid mirum, si superbi volentes esse sicut Dij, euanuerunt in cogitationibus suis.* Et cap. 35. *Impari sexu, pari fastu.*

Secundus actus vtrique communis fuit infidelitas, & infidelitas eadem, aut persimilis, vterque credidit se non moriturum, sed futurum sicut Deum, hoc solum videtur esse discriminis, quod mulier credidit, præceptum non esse datum, aut à se non benè intellectum, vir credidit veniale fore peccatum, si præceptum transgredererur, ac per hoc non ita accipiendū præceptum, vt verba sonare videbātur. Itaq; ferè in idē recidit infidelitas vtriusque.

Tertius actus vtrique communis, fuit inobedientia, & inobedientia omnino eadem, vt notum est.

Quartus actus communis vtrique, fuit excusatio peccati. Et in hoc actu grauior fuit iniquitas viri, quā mulieris. Vir enim sociā accusauit, mulier hostem: & præterea vir in Deum culpam reiecit, cùm ait: *Mulier quam dedisti mihi, &c.* Mulier in serpentis astutiam, & in suam simplicitatem: *Serpens*, inquit, *decepit me.*

Quintus actus communis vtrique, fuit læsio generis humani, & in hoc etiam actu sine controuersia grauius Adam, quàm Heua peccauit Nam Heua occasionem dedit perditioni generis humani, sed Adā vera, ac propria causa fuit eius perditionis. Nam si sola Heua peccasset, non propterea corruptū esset genus humanū, siquidē *per vnius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi, & in vno homine.* Adamo videlicet *omnes peccauerunt.* Rom. 5.

Sextus actus viri proprius, fuit amor nimius in coniugem, cui respondet sextus actus mulieris proprius, inuitatio viri ad peccandum. Qui duo actus videntur omnino similes: cùm Heua non alia de causa virum incitauerit ad cibum veritum degustandum, nisi quia valde diligebat eum, & vt bonum, quod se inuenisse credebat, cum eo communicaret.

Septimus actus viri proprius, fuit cupiditas experiendi, an cibus ille mortem adferret: cui respōdet septimus actus mulieris proprius, concupiscentia cibi illius, qui vel ipso aspectu speciem, & suauitatem præseferebat. In hoc verò actu quis non videt, grauiorem esse viri culpam, quàm mulieris: nam curiositas illa viri tentatio Dei erat, & quidem periculosa admodum: cupiditas mulieris tentatio fuit gulæ. Quæ ab obiecti præsentia facilè irritatur. Actus igitur mali per se considerati, magis virū, quàm mulierem damnant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quòd si personas consideremus, aliasq; actuum illorum circunstantias longè clarius apparebit maiorem viri, quàm fœminæ culpa esse iudicandam. Primum enim, vir erat sapientior, & fortior. Deinde, vir caput erat mulieris, & eam docere, non eam audire debuit. Quod exprobrãs illi Deus ait: *Quia audisti vocẽ vxoris tuæ, &c.* Tertio, vir hostem habuit debiliorem, mulier fortiorem vt notum est. Quarto, vir a Deo præceptum acceperat mulier a virò (vt suprà ex Ambrosio, & Augustino docuimus.) Quinto, mulier magis agnouit culpam, quàm vir, siquidem confessa est errorem, cùm ait, *Serpens decepit me:* vir neque errorem, neque culpam agnouisse videtur. Sexto, Deus longè grauius Adamum reprehendit, quàm Heuam. Ait enim per irrisionem: *Ecce Adam sicut vnus ex nobis factus est, &c.* Septimo, cùm Deus & virum, & mulierem proprijs pœnis mulctasset, pœnam mortis, quæ vtrique communis futura erat, soli Adamo significauit, dicens: *Pulvis es, & in pulverem reuerteris.*

CAPVT DECIMVM.

Peccatum primi hominis fuisse aliquo modo peccatorum omnium grauissimum, non tamen absolutè.

VLTIMA quæstio de peccato primi hominis esse solet, an fuerit peccatorum omnium grauissimum. Est autem communis Doctorum responsio, non absolutè, sed secundùm aliquid omnium peccatorum fuisse grauissimum. Vide S. Thomam in 2.2. q. 163. art. 3. & cæteros Theologos in 2. sent. dist. 21.

Et quidem, quòd non fuerit omniũ peccatorum absolutè grauissimũ, facilè probari potest. Illud enim peccatum absolutè dicitur grauius, quod secundum speciem suam est grauius, illud absolutè grauissimum, quod secũdum speciẽ suam est grauissimum. Illud autem secundum speciem suam est grauius, cuius obiectum maiori bono contrariũ est, & ideo cùm nihil sit amori Dei præferendum, nullâque sit virtus caritate præstantior, efficitur vt nihil sit in malis deterius odio Dei. Porrò peccatum primi hominis non fuit propriè odium Dei, sed superbia, inobedientia, infidelitas, quæ non caritati, sed humilitati, obedientiæ ac fidei propriè opponuntur.

Quòd autem secundum aliquid peccatum illud peccatorum omnium grauissimum fuerit, demonstrat S. Augustinus ex triplici capite, Primum ex facilitate non peccandi, quæ maior fuit in Adam, quàm in aliis hominibus vnquam. Habuit enim præceptum vnum tantum, idque leuissimum: habuit multa, quæ ad seruandũ impellerent, Dei iubentis auctoritatem, & grauissimas pœnas transgressori propositas: caruit concupiscentia quæ ad peccandum induceret. Sed Augustini verba audiamus, lib. 14. de ciuit Dei, cap. 12. *Hoc*, inquit, *de vno cibi genere non comedendo, vbi aliorum tanta copia fœcabat, tam leue præceptum ad obseruandum, tam breue ad memoria retinendum, vbi præsertim nondum voluntas cupiditate resistebat, quod de pœna transgressionis posset a subsequutum esse, tanto maiore iniustitia violatum est, quanto faciliore posset obseruantia custodiri.* Et in eodem libro, cap. 15. *Vbi enim magna est inobedientia pœna proposita, & res a creatore facilis imperata, quisnã satis explicet, quantum malum sit non obedire in re facili, & tanta potestatis imperio, & tanto terrenti supplicio.*

Altera ratio ducitur ab ingratitudine primi hominis, qui summa felicitate in paradiso fruebatur. Nunc enim maxima à Deo beneficia habemus, sed partim in fide, vt beneficium incarnationis, partim in spe, vt sempiternam felicitatem, ex quo fit, vt parum admodũ illa cognoscamus: deinde admissa nunc sunt beneficia flagellis, & consolationes tribulationibus. Quocirca non est adeo mirum, si in his tenebris & in hoc exilio multi Deum deserant, & ad temporalia bona declinent. At Adam plurima habuit Dei beneficia, maximum lumen, nullas tribulationes, nullam ignorantiam, & tamen Deum deseruit: *Qua* (inquit S. Augustinus lib. 14. de Ciu. Dei. c. 15.) *contemptus est Deus iubens, qui hominem creauerat, qui ad suam imaginem eum fecerat, qui cæteris animalibus præposuerat, qui in paradiso constituerat, qui rerum omnium copiam, salutisque præstuerat, & cui sta damnatio subsequuta est.* Et lib. 21. ca. 12. *Sed pœna æterna ideo dura, & iniusta sensibus videtur humanis, quia in hac infirmitate moribundorum sensuum, deest ille sensus altissime, purissimaque sapienti, quo sentiri possit, quantum nefas in illa prima præuaricatione commissum sit. Quanto enim magis homo fruebatur Deo, tanto maiore iniquitate dereliquit Deum, & factus est malo dignus æterno, qui hoc in se peremit bonum, quod esse posset æternum.*

Tertia ratio sumitur à læsione generis humani. Peccatum enim in eadem specie tantò maius est, quantò pluribus nocet. Nullum autem fuit vnquam peccatum, quod pluribus noceret, quàm peccatum Adæ. Siquidem vniuersum genus hominum damnationi addixit: *Hinc est* (inquit Augustinus loco citato) *vniuersa generis humani massa damnata, quoniam qui hoc primitus admisit, cum ea, quæ in illo fuerat radicata, sua stirpe punitus est.* Vide eumdem Augustinum in Enchiridio, capite 26. & 27.

CAPVT VNDECIMVM.

De pœna primi peccati.

EXPLICVIMVS tentationem, & peccatum primorum parentum, nunc de pœna eiusdem peccati, quam in præsenti tempore patimur, paucis disseremus.

Ac pœna quidem, quæ propriè primo peccato quasi è regione respondet, iactura fuit originalis iustitiæ, & supernaturalium donorum, quibus Deus naturam nostram instruxerat, vt S. Thomas docet in 2. 2. q. 164. ar. 1. hæc enim est pœna, quam æqualiter patiuntur quotquot ex Adamo originem ducunt, & in ipso, ac per ipsum initio peccauerunt. Cætera verò mala tam corporis, quàm animi, quæ nos in hac valle miseriarum præmunt, sunt quidem primi peccati pœnæ, quia ex prima illa pœna, hoc est ex originalis iustitiæ amissione nascuntur, tamen non ita propriè, & immediatè vt illa donorum ablatio. Illa enim est quasi pœna à iudice taxata, vt S. Thomas loquitur, cætera mala eam pœnam consequuntur ad eum modum quo sequitur inundatio fluminum, aut maris, aggeribus disrupris, quibus aquarum impetus continebatur, atque ea causa est, cur cætera mala non æqualiter omnes præmant, licet in primo peccato sint omnes homines pares.

Sed quamuis hæc ita se habeant, tamen Deus in libro Geneseos ca. 3. cùm describit pœnas tum viri, tum mulieris, non meminit amissionis iustitiæ originalis sed malorum consequentium. Tum quia primam illam, & propriam peccati ui pœnam iam sentiebãt, & nuditate erubescentia, ac fuga, inobedientiæ pœnam se luere testabantur: Deus autem non quid iam paterentur, sed quid deinceps passuri essent, indicere eis volebat: Tum etiam vt ab effectis discerent, quàm grauis pœna sit illa originalis iustitiæ carentia quandoquidem ex illa vna tot aliæ calamitates sequuturæ essent.

Porrò mala illa consequentia, primam primi peccati pœnam, sunt ferè innumerabilia, de quibus paulò fusius disseremus in lib. 3. de peccato originali. Deus autem in Genesi. c. 3. solùm attigit ea, quæ ad vitã ipsam corporalem pertinent, quoniam cùm vita sit fundamentum bonorum omnium temporaliũ mala, quæ ad vitam pertinent, sunt omnium communissima, & notissima.

Tria verò sunt mala, quæ ad vitam corporalem ex pœna peccati redundarunt. Vnum mulieribus proprium, Alterum propriũ viris, Tertium vtrisque commune. Ingressus hominum in vitã, grauis est mulieribus, quę cùm labore gerunt in vtero conceptum fœtum, & cum dolore pari

re pariunt: conseruatio vitæ laboriosa est viris, ad quos præcipuè spectat & sibi, & vxori, ac prolivictum quærere. Denique exitus è vita siue moriendi necessitas, tum viris, tum fœminis summam tristitiam adfert.

Hæc tria mala Deus in Genesi describit, ac primùm de primo, quod ad vitæ ingressum pertinet, sic loquitur, *Mulieri quoque dixit, Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios & sub potestate viri eris, & ipse dominabitur tui.* Quid sibi velint hæc verba, non est facile explicare, præsertim cùm multiplicatio conceptuum ad benedictionẽ pertineat, & in paradiso, ac statu innocentiæ futura esset, iuxta illud *Crescite, & multiplicamini*, Ge 1.

Non defuerunt grauissimi Patres, qui existimauerint, propagationem generis humani per opus nuptiarum, ac per hoc, conceptum, & partum, & subiectionem fœminæ ad virum non fuisse futura in statu innocentiæ. Et idcirco rectè inter pœnas primi peccati numerari. Ita sensit Gregorius Nissenus in libro de creatione hominis, cap. 18. Ioannes Chrysostomus homil. 18. in Genes. Et Ioannes Damascenus lib. 2. de fide orthodoxa, ca. 30. & lib. 4. ca. 25. Sanctus etiam Hieronymus in 1. lib. contra Iouinianum. huic sententiæ non audet repugnare. Scribit enim incertum esse, an in statu innocentiæ propagatio per nuptias futura fuisset.

Sed hæc opinio meritò refellitur à S. Thoma in 1. par. quæst. 98. & à Theologis cæteris in 2. sent. distin. 20. & à S. Augustino lib. 14. de Ciuit. Dei, cap. 21. & seq. & à cæteris Latinis Patribus, qui post tẽpora Augustini scripserunt, vt Eucherio, Ruperto, & cæteris. & sanè Scriptura diuina non obscurè testatur, propagationem hominum in paradiso per masculi, & fœminæ coniunctionem fuisse futuram. Nam in primo capit. Geneseos legimus: *Masculum & fœminam creauit eos, & dixit. Crescite & multiplicamini, &c.* Vbi videmus ante peccatum homines cum sexuum diuersitate creatos, idque in eum finem vt crescerent, & multiplicarentur.

Quod verò Gregorius Nissenus, & Ioannes Damascenus respondent, sexuum diuersitatem ideò institutam, quia præuiderat Deus fore, vt Adam peccaret, & propter peccatum sexuum diuersitate ad opus generationis egeret, non rectè dicitur. TVM, quia per peccatum natura non est mutata, quoad partes, & membra naturalia, sed solùm quoad actiones, & officia. TVM, quia non decuit diuinã prouidentiam, vt prius in homine ostenderet vestigia pœnæ, quàm in eo extitisset vestigiũ culpæ.

RVRSVS cap. 2. *Dixit Deus, Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.* Ex quo loco rectè colligit Augustinus, mulierem ideò potissimum institutam, vt in propagatione filiorum virum iuuaret. Neque enim aliud est opus, in quo non melius vir à viro, quàm à fœmina iuuari possit. Ac præsertim in Paradiso, vbi nullus erat labor subeundus, nulla indigentia timebatur, nulla fuit causa, cur fœmina viro necessaria esset, nisi propter generationem.

Accedit, quod in ipso loco fœlicitatis ante peccatum commissum dixit Adam: *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Quæ verba ad matrimonium atque ad maritalem coniunctionem pertinere testatur Christus in Euangelio Matth. 19. & Apostolus ad Ephes. 5.

Denique homo in statu innocentiæ, quamuis per donum supernaturale, id haberet, vt posset mori, tamen corpus habuit verè animale, quod vt cibo egebat, vt conseruaretur, ita etiam generatione opus habebat, vt propagaretur.

Fuisset igitur si homo non peccasset, sanctum connubium, & thorus immaculatus, absque libidinoso carnis ardore, gestasset mater in vtero prolem sine labore, peperisset sine dolore: *Vt enim* (inquit Augustinus lib. 14. de Ciuitate Dei, cap. 26.) *ad pariendum non doloris gemitus, sed maturitatis impulsus fœminea viscera relaxaret: sic ad fœtandum, & concipiendum non libidinis appetitus, sed voluntarius vsus naturam vtramque coniungeret.* Fuisset etiam subiectio vxoris ad virum, sed caritatis non conditionis, & spontaneæ voluntatis, non violentæ coactionis, vt idem Augustinus docet lib. 11. de Genesi ad literam, cap. 37.

Quare pœna peccati est, quòd fœminæ cum fastidio, & labore conceptum fœtum in vtero gerant, quod cum dolore pariant, quòd viris ita subiiciantur, vt etiam inuitæ illis parere, eósque non solùm diligere, sed etiam timere cogantur. Atque hoc est, quod Heuæ Deus prænunciauit, cùm ait, *Multiplicabo ærumnas tuas, &c.* Quod autem dicit Deus, *Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos*, non ita accipiendum est, quasi multiplicatio conceptuum absolutè ad pœnam pertineat, sed vel Hebraica phrasi dictum est, Multiplicabo ærũnas & conceptus, pro eo quod est, Multiplicabo ærumnas conceptuum, & ideò fortasse Septuaginta interpretes ad rem explicandam, omiserunt vocem *conceptus*, quæ in Hebræo habetur, & simpliciter posuerunt multiplicabo tristitias, & gemitum tuum. Vel dictum est, multiplicabo conceptus, quia si Adam & Heua non peccassent, soli illi fœtus concepti fuissent, qui ad maturitatem peruenturi erant: nunc autem sæpenumerò fœminę fœtum concipiunt, & cum labore & tristitia gerunt, qui ante extinguitur, quàm lucem videre incipiat. Quę multiplicatio conceptuum grauissima sanè pœna iudicanda est.

Quod autem aliqui dicunt, multiplicationem conceptuum referri ad tempus, quo fœtus gestatur in vtero, nunc enim ex pœna peccati nouem mẽsibus fœtum gestari, in paradiso verò conceptũ fœtum continuò fuisse pariendum, neque probabile est, neque verbis Scripturæ conuenit, neque sententiæ sancti Augustini, qui (vt paulò antè citauimus) scribit in maturitatis impulsu, fœminea viscera relaxanda fuisse.

Porrò quod in describenda pœna mulieris dicitur, sub viri potestate eris, vel vt habent Græca, ad virum tuũ conuersio tua, duobus modis accipi potest propter ambiguitatẽ vocis Hebrææ תשוקתך *theshuchatech*, quæ tum conuersionem, & obedientiam, tum desiderium, & concupiscentiam significare solet. Vel igitur sensus erit, mulierem seruiendo, & obediendo ad virum cõuertendam, vt ab eius ore, & mandatis pendeat: vel certè significabitur, mulierem etiam post laborem gerendi vteri, & dolorem pariendi adhuc virum desideraturam. Siquidem non leuis est pœna, ab eo se continere non posse, quòd tam ingentem laborem, & tristitiam adferat.

IAM verò quod attinet ad pœnam viris propriam, quæ in parando victu, qui & sibi & vxori, & liberis satis esse possit, ea describitur his verbis, *Maledicta terra in opere tuo, in labore comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ: in sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Quibus verbis triplex labor agricolarum describitur.

PRIMVS nascitur ex terræ sterilitate, de qua dicitur, *Maledicta terra in opere tuo, in labore comedes ex ea.* Maledictio enim in Scripturis sterilitatem significat, vt contra benedictio fœcunditatem. Itaque multi requiruntur labores, vt quis ex terra sterili comedere (id est) fructum ad cibum idoneum colligere possit.

Secundus labor nascitur ex spinis, malisque herbis, quæ ex terra etiam fœcunda cum bonis frugibus oriuntur. Et quia nisi magno labore spinæ ac tribuli, & herbæ noxiæ euellantur, bonas herbas habere non possumus, ideò dicitur spinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ, hoc est, herbas quidem habere poteris, sed non absq; impedimento spinarũ & tribulorum.

Tertius labor est in colenda terra quamuis fœcunda, & spinis, ac tribulis vacua. Tot enim labores exantlandi sunt in laborando, serendo, metendo, in vitibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

& arbotibus plantandis, & putandis, aliísque id genus rebus faciendis, vt meritò dictum sit, *In sudore vultus tui vescéris pane tuo*. Quo loco nomine panis omnis cibus intelligitur, secundum morem Scripturæ familiarem.

Illud hoc loco prætereundum non est, quòd nos habemus in editione Latina, *maledicta terra in opere tuo*, in Hebraicis codicibus esse maledicta terra בעבורך *Baaburecha* (id est) *propter te*: Ex quo intelligimus, illud, *in opere tuo*, non significare, in opere terræ colendæ, sed in peccato tuo. Vt S. Hieronymus monet in quæstionibus Hebraicis in Genesim. Vbi etiam notat aliquos vertisse propter te: aliquos (in transgressione tua.) Nisi fortè interpres pro בעבורך *Baaburecha* legerit בעבורך *Baaburech*.

Restat pœna communis viris, ac mulieribus, quæ est necessitas moriendi, quam Deus cum pœnis, quæ ad virum magis propriè pertinent coniungere voluit, Tum, quia peccatum viri propriè caussa mortis fuit, Tum, quia viro dictum fuerat, *Quacunque die comederis ex eo, morte morieris*, Tum quia in viro mulier intelligitur, cùm vir sit caput mulieris, Tum denique, vt supra notauimus, quia vir grauius peccauit, quàm mulier. Porrò hæc pœna in illis verbis continetur. *Puluis es, & in puluerem reuerteris*. Ex quibus verbis intelligimus, illud, *Quacunque die comederis, morte morieris*. Nihil aliud significare, nisi morti certissimæ obnoxius eris. Vide plura de hac re in libro de gratia primi hominis, capite octauo.

Pœnæ Adami, atque Heuę adiunxit Deus pœnam serpentis, dixit enim Dominus ad serpentem, *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ. Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius. Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius*. Quæ verba tum ad serpentem corporalem, vt exponit Chrysostomus homilia decimaseptima in Genes. tum ad ipsum diabolum, vt explicat Augustinus lib. 11. de Gen. cap. 36. commodè referuntur. Quamuis enim serpes corporalis propriè non peccauerit, quippe qui rationis est expers, tamen puniri debuit, vt iram Dei aduersus peccatum intelligeremus. Magnum est enim iræ indicium, cũ non solum peccati auctor punitur, sed instrumẽta etiam, quibus peccatum commissum est, conteruntur.

Exponamus breuiter pœnam serpentis, primùm vt ad serpentem corporalem, deinde vt ad ipsum diabolum pertinet. Dixit igitur Dominus ad serpentem: *Quia fecisti hoc*, serpentem Deus alloquitur, non quod ipse verba illa intelligere posset, sed propter Adamum & Heuam, qui præsentes aderant: quemadmodum etiam Christus aliquando ficulneæ maledixit, aliquando imperauit mari & ventis.

Porrò non quæsiuit Deus à serpente, quare id fecisset, quemadmodum ab Heua quæsiuit, neque enim serpens ille corporalis rationem aliquam facti sui reddere potuisset, sed simpliciter ait, *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ*, hoc est, quia instrumentum diaboli ad homines seducendos & perdendos fuisti, abiectissimum eris animal, & omnibus inuisum, & execrabile: & cùm antea non toto corpore reperes, sed solùm parte posteriore, anteriore autem rectus incederes: deinceps super ventrem, & super pectus tuum gradieris; terram quoque perpetuò comedes, cùm antea nequaquam terra, sed herba cibus tuus esset: denique cùm in paradiso cum animantibus cæteris, & cum ipso homine pacificè viueres, bellum erit post hac inter te, & mulierem, & prolem tuam, ac proles mulieris, quod nullo vnquam tempore sopietur.

Iam verò si ad ipsum diabolũ hæc verba pertineant, non dixit Dominus diabolo, quare hoc fecisti, sed, *quia hoc fecisti*, quia videlicet diabolus ita est obdurarus in malo, vt nullo modo emendari queat. Est verò idem ipse maledictus inter omnia animantia, & bestias terræ, quia miser, ac vilis effectus est super omnes, siue angelos, siue homines peccatores. Quemadmodum enim iustitia angelos atq; homines Deos quodammodo facit, sic è contrario peccatum eosdem bestias facit.

Super pectus autem diabolus graditur, TVM quia in astutia, & calliditate sua confidit, vt Hieronymus explicat in quæstionibus Hebraicis: TVM, quia permittitur à Deo de superbia, & falsa potestate gaudere, qui antea de veritate & caritate gaudebat. Non enim parua pœna est, cùm aliquis adhuc peccare, & de peccato gaudere finitur, vt explicat Augustinus lib. 2. de Gen. contra Manichæos, cap. 17.

Porrò terram diabolus comedit, siue quia terrenos, ac reprobos homines vorat, non sanctos atque electos, vt Augustinus docet lib. 2. de Gen. contra Manichæos, cap. 18. siue quia in terrena sanctorum corpora potestatem exercet, animas autem non potest occidere, vt docet Ambrosius in lib. de Paradiso. cap. 15.

Id verò faciet cunctis diebus vitæ suæ, hoc est vsque ad diem iudicij, tamdiu enim diabolus nocere finetur, & tamdiu viuere se putabit, quamdiu nocere poterit.

Denique inimicitia erit perpetua inter diabolum & mulierem, & inter vtriusque semen, & diabolus quidem insidiabitur calcaneo, sed interim tamen caput suũ contritum referet. S. Augustinus loco notato, per semẽ diaboli, suggestiones malas, per semen mulieris fructum boni operis intelligendum esse docet. Diabolus enim mala suggerendo calcaneo eius insidiatur, vt hominem iustum labi faciat, sed ille caput serpentis conterit, quia ipsa suggestionum initia comprimit. Vide alias explicationes apud Irenæum libro 3. cap. 38. Leonem sermo. 2. de natali Domini, Hieronymum in quæstionibus Hebraicis, & alios.

CAPVT XII.

De pœnitentia & salute primorum hominum.

Restat pars vltima huius disputationis, quæ erat de primorum parentum pœnitentia, & salute. Fuit enim vna ex Tatiani hæresibus, primos homines post mortem æternæ damnationi addictos fuisse. Qui error communi Patrum & Ecclesiæ consensu reiectus est. Nam imprimis quotquot scribunt de hæresibus, Tatianum reprehendunt, quod saluti primorum parentum contradicere ausus fuerit.

Vide Irenæum lib. 1. cap. 30. & 31. Tertullianum in libro de præscriptione aduersus hæreticos. cap. 52. Epiphanium in hæresi Tatiani, quæ est 46. Philastrium in Catalogo hæreticorum. Augustinum in libro de hæresibus. cap. 23. Quibus adde eiusdem S. Augustini testimonium ex epist. 99. ad Euodium in hæc verba. *Et de illo quidem primo homine patre generis humani, quòd eum ibidem (Christum ad inferna descendens) soluerit, Ecclesia ferè tota consentit. Quod eam non inaniter credidisse credendum est, vndecumque hoc traditum sit, etiamsi Canonicarum Scripturarum hinc expressa non proferatur auctoritas. Quamquam illud, quod in libro Sap. cap. 10. scriptum est: hoc illum, qui primus factus est, patrem orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodiuit, & eduxit illum à delicto suo, & dedit ei virtutem continendi omnia: magis pro hac sententia, quam pro vllo intellectu facere videtur.*

Quo loco S. Augustinus primùm probat ex traditione non scripta. Adamum saluatum esse, deinde ex Scriptura: neque reuocat in quæstionem, an liber Sapientiæ sit Canonicus, sed an verba eius libri ita perspicuè pro hac sententia faciant, vt nihil contra obiici possit. Et planè (vt ipse etiam indicat) non apparet, quomodo aliter intelligi possint illa verba (*eduxit eũ à delicto suo*) quàm de pœnitentia & salute primi hominis.

Ad hæc S. Irenæus in lib. 3. cap. 34. & sequen. multis rationibus probare conatur primos parentes saluos esse.

esse. PRIMVM, quia noua est sententia contraria, & ab ipso Tatiano primũ excogitata. DEINDE, quia Deus non maledixit Adamo, & Heuæ, sicut maledixit serpenti, cuius salus omnino deplorata erat. Quo argumento vtitur etiam Tertullianus in lib. 2. aduersus Marcionem: *Ideo*, inquit, *nec maledixit ipsum Adam, & Heuam, vt restitutionis candidatos, vt confessione reuelatos*. TERTIO, quia Adam & Heua in signum pœnitentiæ induerunt se asperis perizomatis, ex foliis ficulneis, quasi sacco & cilicio. QVARTO, quia non videretur bonus pastor ouem centesimam quæ perierat, propriè inuenisse, si primus homo qui per eam significabatur, saluus non esset. QVINTO, quia posset diabolus meritò gloriari, se à Christo victum non esse, si filij, ac posteri primorum parentum, non ipsi primi parentes, de captiuitate liberarentur. Diabolus enim primos parentes propriè superauit, cæteros autem homines ideò iure captiuos tenet, quòd filij sint eorum, quos ipse iure belli seruos suos fecit. A quo enim quis superatur, eius seruus efficitur.

Addit Epiphanius hæresi 46. aliud argumentum ex eo, quòd non sine ingẽti mysterio Adam sepultus fuisse traditur in eo ipso loco, vbi Christus in Cruce pendens, sanguinem suum fudit. Qui quidem locus à cranio primi hominis ibi reperto Caluariæ nomen accepit. Quorsum enim diuina prouidentia hoc procurasset, vt cadauer primi hominis ea potissimum terra contegeretur, quæ sanguine Redemptoris aspergenda erat, nisi vt intelligeremus, ipsum etiam primum hominem à peccato suo Christi sanguine expiatum?

Nam quod sanctus Hieronymus in Commentario Matth. cap. 27. & epistola ad Ephes. cap. 5. hanc sententiam de primi hominis sepultura in monte Caluariæ refelli existimat ex lib. Iosuæ cap. 14. vbi dicitur Magnus Adam sepultus in Cariath-Arbe, qui locus dictus videtur Cariat-Arbe, id est, ciuitas quatuor, quia quatuor summorum hominum ossa contineat, Adam, Abraham, Isaac, & Iacob. Non multum nos monet. Nam sententia illa de sepultura Adami in monte Caluariæ non solius Epiphanij, sed aliorum multorum est, vt Origenis tract. 35. in Matthæum, Athanasij in Sermone illo breuissimo de Passione Domini, qui incipit, Hominum certè peccata: Basilij in ca. 5. Isaiæ: Ioannis Chrysostomi homil. 84. in Ioannem: Anastasij Sinaitæ lib. 7. contemplationum in Exameron, Germani in theoria rerum Ecclesiasticarum, Euthymij, & Theophylacti in cap. 27. Matth. Ex Latinis antiquissimus Tertullianus ita de hac re scripsit in lib. secundo aduersus Marcionem, carmine scripto.

Golgatha locus est, capitis Caluaria quondam,
Lingua paterna prior, sic illum nomine dixit.
Hic medium terræ est, hic est victoria signum,
Os magnum hic veteres nostri docuere repertum,
Hic hominem primum fuisse primos esse sepultum.
Hic patitur Christus, pro sanguine terra madescit
Puluis Adæ, vt possit veteris cum sanguine Christi
Commixtus stillantis aqua virente lauari.

Hæc ille. Idem postea scripsit Cyprianus, vel quicumque est auctor, Sermone de Resurrectione Domini. Ambrosius epistola 19. ad Horontianum, & in cap 23. Lucæ. Augustinus serm 71. de tempore, &, quod magis admirandum videtur, ipse Hieronymus in epistola ad Marcellam, in qua hortatur illam vt veniat in Palæstinam.

Ad argumentum illud, quo dicebatur Adam sepultus in Hebron, quæ est Cariath-Arbe, respondeti potest, per Adam maximum, non intelligi eo loco primum parentem, sed hominem quemdam magnum, qui dicebatur proprio nomine Arbe. Nam vox Hebraica אדם *adam*, communis est ad nomen proprium primi parentis, & ad commune omnibus hominibus, sed quando præfigitur (ה) demonstratiuum, vt hoc loco, vbi habemus האדם *haadam*, non solet esse nomen proprium, sed commune. Præterea in eo loco, Iosuæ 14. v. 15. dicitur, Arbe homo maximus inter Enacim. Cur autem sic dicatur, colligitur ex cap. 15. ver 13. & ex cap. 21. ver. 11. vbi legimus, Arbe fuisse patrem Enac, ac proinde caput, & principem omnium Enacitarum. Itaque dicebatur Hebron, Cariath-Arbe, quia erat ciuitas Arbe, qui Arbe fuit maximus homo inter Enacitas, qui erat pater Enaci, à quo Enacitæ omnes ducebant originem. Fortassis etiam fuit maximus homo proceritate corporis, siquidem Enacitæ gigantes erant, vt perspicuum est ex cap. 13. Num. vbi qui terram promissionis lustrauerant, dicunt, *Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere gigantæo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

LIBER QVARTVS DE STATV PECCATI, QVI EST PRIMVS DE PECCATO ORIGINIS.

CAPVT PRIMVM.

Proponitur materia Disputationis sequentis, & qui de ea scripserint breuiter indicatur.

DE PECCATO originis, quod à peccato primi hominis, de quo in superiore libro disseruimus, in vniuersum genus humanum deriuatũ est, disputationis ordo nunc postulat vt disseramus.

Ac tres sunt de peccato originis præcipuæ quæstiones: PRIMA, sit ne aliquod peccatũ originis. SECVNDA, quid sit illud peccatum. TERTIA, quæ sit eius propria pœna. Ad has enim quæstiones reuocari possunt alię omnes, vt illæ, Quomodo peccatum hoc traducatur, à quo traducatur, ad quos traducatur, vnum ne tãtùm, an alia etiam peccata traducantur.

Est autem hæc de peccato originis disputatio, vna ex grauissimis fidei nostræ controuersiis. Nam vt S. Augustinus docet in libro de peccato originali, c.24. in caussa duorum hominum, quorum per vnum venundati sumus sub peccato, per alterum redimimur à peccatis, propriè fides Christiana consistit. Et idcirco in lib.1.aduersus Iulianum.cap.2. idem Augustinus de controuersia hac ita loquitur: *Alia sunt, in quibus inter se aliquãdo etiam doctissimi atque optimi regulæ Catholicæ defensores, saluafidei cõpage, non consonant, & alius alio de vna re melius dicit, & verius. Hoc autem vnde nunc agimus, ad ipsa fidei pertinet fundamenta. Quisquis in Christiana fide vult labefactare quod scriptum est, Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum, & sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur, totum quod in Christum credimus auferre molitur.*

Scripserunt de peccato originis auctores multi, tum veteres tum recentiores. Primus omnium S. Augustinus (eius enim tempore quæstio hæc orta est, vt ipse testatur lib.3.de peccatorum meritis & remissione, ca.5.6. & 7.) controuersiam de peccato originis copiosissimè disputauit in lib.vnic. de peccato originali contra Pelagium, in duobus ad Valerium de nuptiis, & concupiscentia: in tribus ad Marcellinum, de peccatorum meritis & remissione: in quatuor ad Bonifacium contra duas epistolas Pelagianorum: in sex ad Claudium aduersus Iulianum: & in aliis libris & epistolis suis frequentissimè.

Post Augustinum scripserunt de re eadem ex professo Sanctus Prosper ad capitula Geneuẽsium, respõsio. 3.S. Fulgentius lib.de gratia Christi.c.4. & 13.& seq. Hugo de S.Victore lib.1.de Sacramentis, par.7.à cap. 24. Anselmus in lib.de conceptu virginali, & peccato originali. Petrus Lombardus lib.2.Sentent. distin. 30.& 31. & in eandem distinctionem Theologi Scholastici omnes.

Item Albertus 2.par.tract.16.Alex.Alẽs.2.par.q.122. S.Thom.in 1.2.q.81.& lib.4.contra Gentes, à c.50. Henricus quodlib.1.q.21.& 23.Aegid.quodlib.6.q.19. Gulielmus Parisiensis.in tract.de vitiis & peccatis.

Et nostro hoc seculo plurimi circa idem argumẽtum laborarunt. Vt Albertus Pighius in controuersia prima, quæ est de peccato originis, Ambros. Cathar. in libro de peccato originali. Domin.à So.in lib.1.de natura & gratia, c.7. Alphons.à Castro in lib. 12. aduersus omnes hæreses. Andreas Vega lib.2.in Concil.Trid. Diegus Payua lib.3.orthodox.explic.& lib.5 defens. Concilij Trident. Ioannes Driedo lib.1.de gratia & libero arbitr.tracta.3. Ruardus Tapperus in explic.art.2. Cunerus Petri in lib. de peccato originali. Theodor. Peltanus in disceptatione de peccato originis. Iodocus Tiletanus in Apologia pro Concilio Tridentino. VVilhelmus Lindanus libr.4. Panopliæ, cap.10. Andreas Fabricius in harmonia confessionis Augustanæ, artic.2.vbi ponit tractatus insignium Theologorum de hac re, Thomas Stapletonus lib.1.& 2. de iustificatione.

Ex aduersariis Huldrichus Zuinglius scripsit de peccato originis in lib.de baptis.trac.3.& rursus copiosiùs in libro qui inscribitur, Declaratio de peccato originis ad Vrbanum Rhegium, Martinus Lutherus in asser.2.& 3. articuli, Philippus Melanchthon in locis tit. de peccato originis. Ioannes Caluinus libr. 2. Instit.cap.1. & lib.4. c.15.& in Antidoto Concil.Trid. Mart. Bucer. & Petrus Martyr in Comm.c.5.ad Rom. Mart. Kemnitius in Examine Concil.Trident. Henric.Bulling.Serm.10. Decadis 3. Matthias Illyricus multa scripsit de peccato originis. Primum in Centuriis, Centuria prima, lib.2.c.4. Deinde in lib.de essentia imaginis Dei, & diaboli, in lib.de occasione vitandi erroris. in libro de eximia vtilitate huius doctrinæ, Nosce te ipsum. Denique in refutatione quorundam contrarium sentientium. Scripserunt autẽ contra Illyricum multi ex aduersariis, vt Ioan. VVigandus, Martinus Kemnitius, Tilemannus Heshusius, Ioachimus, Merlinus, & alij.

CAPVT SECVNDVM.

Referuntur errores circa primam quæstionem, quæ est, an sit aliquod peccatum originis.

QVOD attinet ad primam quæstionem, qua quæritur, sitne aliquod peccatũ originis, id est, quod per generationẽ ex parentibus trahatur: primus PELAGIVS

PELAGIVS nouum dogma excogitare cœpit, vt sanctus Augustinus testatur in lib. de peccato originali, ab initio vsque ad cap.16.& in lib.1.de peccatorum meritis & remissione, cap.2.& sequentibus. & lib.de hæresibus, cap.88.vbi scribit dogma Pelagij, & discipuli eius Celestij fuisse, peccatum Adami soli ipsi nocuisse, non autem posteritati: Quod autem omnes qui ex Adamo originem trahunt, moriantur, fieri naturaliter: nam etiã Adamum fuisse moriturum, quamuis non peccãsset. Itaque volebat nasci nunc homines sine virtute, & sine vitio, & talem fuisse Adamum ante lapsum.

Operæpretium verò est animaduertere, qua calliditate Pelagius fefellerit Synodum Palæstinam, apud quam nouæ huius hæresis caussa fuerat accusatus. Nam (vt S. Augustinus refert in libro de peccato originali, cap.15.) anathematizauit in ea Synodo Pelagius, eos qui dicerẽt peccatum primi hominis posteris nocuisse, & infantes tales nunc nasci, qualis erat Adã ante lapsum. Sed postea discipulis suis respondit, ideo se illa obiecta damnãsse, quia peccatum primi hominis nocuit posteris non propagatione, sed exẽplo, eum enim imitati sunt omnes, qui posteã peccauerunt: & infantes non tales nascuntur, qualis fuit Adam ante lapsum, & liberi arbitrij vsum habuit, & præcepti capax fuit. Hæ sunt videlicet artes hæreticorum.

Est alius error Pelagianorum, qui conuicti (vt appareret) argumentis Catholicorum, primum hominem non moriturum, si non peccãsset, & post peccatum mortalem factum, mortales filios genuisse, docere cœperunt, mortem corporis, trahi per generationem ex Adamo, non tamen peccatum, quod est mors animæ. Ita refert sanctus Augustinus lib.4. contra duas epistolas Pelagianorum, cap.2. & 4.

Vterque error, tam prior ille Pelagij, quàm hic posterior, Pelagianorum patronos reperit in hoc nostro seculo. Priorem errorem, qui nec peccatum, nec mortem ex Adamo trahi contendit, tuentur hoc tempore Anabaptistæ, vt cognosci potest ex argumentis, quæ nos refutauimus in libro de Baptismo cap.9 Nam argumentum 30.32.33 inde ducebantur ad probandum, infantes non esse baprizandos, quòd careant peccato originali. Idem testatur Petrus Martyr in Comment.cap 5. ad Rom.vbi dicit, eos non tantùm negare originale peccatum, sed etiam mortem, & afflictiones huius vitæ ita referre ad caussas naturales, vt nullo modo velint ex peccato primi hominis deriuari. Aduersus quam sententiam, quod attinet ad mortem corporis, in libro de statu Innocentiæ disseruimus.

Eiusdem sententiæ videntur fuisse Albigenses teste sancto Antonino in summa Theologica, part.4.titul.11. cap.7.§.5.& ante Albigenses Petrus Abailardus. Is enim (vt scribit sanctus Bernardus in epistola centesima octogesima octaua) non rectè sensit de peccato originis. Quis autem eius error fuerit, insinuat idem Bernardus in epist.190.vbi posteaquam dixerat, Abailardũ docuisse, Christum non venisse in mundum, nec passum, & mortuum esse, nisi vt nos verbo, & exemplo doceret, ac instrueret: inde colligit, ex sentẽtia Abailardi, Adamum nobis non nocuisse, nisi exemplo, & infantes, qui institutionis, & exemplorum capaces non sunt, neque in Adam periisse, neque per Christum saluari.

Posteriorem errorem, qui mortem corporis, aliósque morbos, & mala ex Adamo trahi concedit, non tamen peccatum, quod est mors animæ, renouãrunt hoc seculo Huldri. Zuinglius, Iacobus Faber, & Desiderius Erasmus. Ac de Iacobo quidem Fabrò nulla est ambiguitas, satis enim apertè in commentario cap.5. ad Romanos, & in Apologia pro suis commentariis docet nihil nos ex Adam trahere nisi obligationem ad mortem.

Erasmus purgare se studuit à suspicione huius erroris, tamen non videtur planè purgatus. Nam cùm in annotationibus ad cap.5 ad Romanos scripsisset, in Adamo omnes peccãsse imitatione, & hoc modo exposuisset illud, in quo omnes peccauerunt: Ac deinde vidisset propter eam explicationem se incidisse in suspicionẽ hæreseos Pelagianæ, in alia editione negauit se esse Pelagianum, & peccatum originis agnoscere disertis verbi testatus est. Cæterùm in tam longa disputatione numquam dicit aliquid, vnde intelligi possit, eum credidisse peccatum originis non imitatione, sed generatione trahi. Hoc autem dicere debuit, si verè purgari cupiebat, cùm id esset, quod ei potissimum obiiciebatur.

Quid? quod non solùm non dicit, peccatum originis generatione, non imitatione ad nos deriuari, sed multa dicit, quibus indicat, se contra sentire. Primum verba beati Pauli, quibus nulla sunt apertiora pro peccato originali, omninò contendit non esse intelligenda de vera propagatione peccati, vt Catholici omnes intelligunt, sed de imitatione, vt Pelagiani volebant.

Deinde auctorem commentariorum breuium in omnes epistolas Pauli, quæ falsò tribuuntur sancto Hieronymo, commendat, vt virum valdè doctum. Is enim auctor exponit illa verba: *In quo omnes peccauerunt*, de imitatione. At auctorem illorum commentariorum fuisse Pelagium, aut Pelagianum aliquem extra controuersiam est. Pelagium enim scripsisse commentaria breuia in epistolas Pauli testis est Augustinus libro tertio de peccatorum meritis, & remissione, capite primo, quinto, & duodecimo, & quamuis non extet nunc in illis commentariis argumentatio quædam, quam in illis se legisse Augustinus dicit, non propterea certum est, ea Commentaria non esse Pelagij: Siquidem fieri potest, vt argumentatio illa sublata fuerit ab iis, qui eum librum sancti Hieronymi nomine venditare voluerunt. Sed quidquid de hoc sit, illud certum est, iudicio Doctorum omnium auctorem illum esse, si non Pelagium, certè Pelagianum.

Ad hæc, Erasmus sanctum Ioannem Chrysostomum Pelagianum facere nititur, vt videlicet insignem patronum hæresi Pelagianæ acquirat, quem tamen sanctus Augustinus lib.2 in Iulianum, cap.2. diligenter purgat, & Iulianum acriter reprehendit, qui eandem notam eidem Chrysostomo inurere conabatur.

Præterea, quia videbat Erasmus se multum premi auctoritate sancti Augustini, qui totis viribus Pelagianam hæresim oppugnauit, idcirco enumerat eiusdem S. Augustini errata, siue quæ ipse arbitrabatur errata, vt imminuat atque extenuet quantum potest, eius auctoritatem: neque erubescit scribere sanctum Augustinum, sanctum Hieronymum, & sanctum Ambrosium in disputationibus aduersus hæreticos, non sincerè Scripturas interpretari, eásque ad victoriam detorquere.

DENIQVE diligenter monet prouidendum nobis esse, ne nimis oderimus Pelagianos. Adde, quod in encomio matrimonij apertè testatur, se non audire eos, qui dicunt fœdam libidinem, non à natura, sed à peccato esse profectam. Quæ omnia mirum est, si non Erasmum Pelagianum esse significent, quamuis ipse verbo Pelagianum se esse neget.

Veniamus ad Zuinglium. Is in Commentario cap. 5. ad Romanos scribit, peccatum, de quo Apostolus loquitur, cùm ait. *In quo omnes peccauerunt*: non esse propriè peccatum, sed effectum peccati, id est, morbum, ac defectum. Sed apertius hoc docet in libro de Baptismo, tract.3 in digressione de peccato originali: & apertissimè in lib. qui inscribitur, Declaratio de peccato originali ad Vrbanum Rhegium. Sed quia Henric. Bullinger in ser. 10. Decad.3. Martinus Bucer in Commen.cap 5. epistol. ad Rom. Et Rodulphus Gualterus in Apolog. pro Zuinglio, nituntur eum ab hac nota modis omnibus liberare, ac dicunt, Zuinglium distinguere voluisse peccatum originale

Universidad de Deusto
Biblioteca

originale à peccato actuali, & cùm negauit peccatum originale esse proprie peccatum, loquutum esse de peccato, vt significat actionem sceleratam, quæ propria voluntate committitur: idcircò necessarium esse duxi paulò diligentius Zuinglij sententiã explicare, atq; ex verbis ipsius ostendere, non posse eum à Pelagij errore purgari.

PRIMVM igitur fatetur Zuinglius sententiam suam qua dicit, peccatum originis morbum esse, nõ peccatum, contrariam esse communi sententiæ scholarum Catholicarum. Sic enim loquitur in lib. de Baptismo, tract. 3. in digressione de peccato originali: *Pauca quædam de peccato originali nobis dicenda sunt, nec ignoro quot conuiciorum plaustra nobis à Pontificiorum rabie, & fremitu expectanda sint, qui me etiam hanc ob caussam hæreticum esse clamabunt, qui Scripturas nec intelligam, nec exponam aliis, sed falsis interpretationibus corrumpam & conuellam. Sed, vt vt fremant, peccatum originale nihil aliud esse dicimus, quàm morbum illum, qui hæreditario iure ab Adamo primo omnium nostrum parente in nos deriuatus est.* Et infrà: *Vnde colligimus peccatũ originale morbum quidem esse, qui tamen culpabilis non est, nec damnationis pœnam inferre potest, vtcumque hic nobis Theologorum disputationes & sententiæ reclamitent.* Hæc ille.

At Catholici Theologi non docent, peccatum originis non distingui ab actuali, neque dicunt esse actionem sceleratam propria voluntate commissam, & tamen sentiunt esse verè propriéque peccatum, quod hominé non solùm miserum, sed etiam peccatorem, & reum damnationis efficiat: Zuinglius igitur nõ solùm negauit, peccatum originis esse peccatum actuale, vt eius defensores, & patroni contẽdunt, sed etiam esse verè ac propriè peccatum, quod peccatorem, & reum mortis faciat. Id enim Doctores Catholici sentiunt, à quibus ille se dissentire confitetur. Adde quod Bucerus in Commenta. cap. 5. ad Rom. fatetur Theologos Catholicos, qui Scholastici dicuntur, rectam sentẽtiam de peccato originis tradidisse, quare secum ipse Bucerus pugnat, cùm Zuinglium defendit, qui Scholasticorum sententiam de peccato originis totis viribus oppugnauit.

DEINDE idem Zuinglius disertis verbis negat, morbum originalem propriè esse peccatum, & solùm per metonymiam peccatum dici posse concedit. *Theologi* (inquit in lib. de Baptis. tract. 3.) *morbum hunc & contagionem naturæ nostræ hæreditariam, peccatum originale vocare consueuerunt*, Paulí *Apostoli dictum, quo ad Rom. 5. cap. vtitur, minus probè intelligentes. Qui enim fieri potest, vt quod morbus, & contagio est, peccati nomen mereatur, vel peccatum re vera sit?* Et in declaratione de peccato originis, initiò: *Quid*, inquit, *breuius, aut clarius dici potuit, quàm originale peccatum non esse peccatum, sed morbum, & Christianorum liberos propter morbum istũ non addici æterno supplicio: contrà verò quid imbecillius dici potuit, & à Canonica Scriptura alienius, quam Baptismi lauacro hanc calamitatẽ leuari, & non tamẽ esse morbũ, sed etiam reatũ?*

Et infrà, cùm dixisset, peccatum originis non esse peccatum, sed morbum, definit morbum, ac dicit, esse naturalem defectum, quo nemo vel peior, vel sceleratior dici potest: & ponit exempla, vt balbutire, laborare podagra, cæcutire, &c. & statim addit: *Sic ergo diximus, originalem contagionem morbum esse non peccatum, &c.* Et infrà, *Hoc*, inquit, *volo culpam originalem non verè, sed metonymice à primi parẽtis admisso culpam vocari: Esse autem nihil aliud, quàm conditionem, miseram quidem illam, at multò leuiorem, quam crimen meruerat.* Et infrà: *Est ergo*, inquit, *ista ad peccandum amore sui propensio peccatũ originale, quæ quidem propensio nõ est proprie peccatum, sed fons quidam ac ingenium.*

Videmus igitur Zuinglium non solùm distinguere peccatum originis à scelerata actione, quæ peccatũ actuale dicitur, vt etiã Catholici distinguunt, sed apertè docere, peccatum originale, non esse propriè peccatum, nec inducere reatum, & solùm per metonymiam interdum appellari peccatum, quia est effectus peccati. Nam vt ipse ibidem dicit, quod recentiores actuale peccatum vocant id solùm est propriè peccatum.

Præterea idem Zuinglius in lib. de Baptismo, trac. 3. non semel, sed sæpius repetit, morbum originalem non posse damnationem adferre, nisi erumpat in actionem legi diuinæ contrariam, qualis actio in iis solùm inueniri potest, qui vsum rationis habẽt. Ex quo intelligimus id, quod aliquoties scribit, peccatum originale omnes damnare, nisi remedio sanguinis Christi curetur, dictum esse propter adultos, qui ex peccato originali in actualia delabuntur, & quod addit, se loqui de filiis fidelium tãtùm, cùm dicit, peccato originis infantes non damnari, additum esse ad mitigandam inuidiam, quam ipse sibi ex hac opinione conflauerat. Nam ratio, qua ipse probat, peccatum originale non posse damnare, non ducitur ex sanguine Christi, sed ex eo quod nõ damnat hominem, nisi transgressio legis, & legem transgredi non potest, qui eam non nouit, quales sunt infantes. Quæ ratio non minus efficit, filios infidelium non posse damnari, quàm filios fidelium.

Sed verba eius audiamus, *Colligimus*, inquit, *peccatum originale morbum quidem esse, qui tamen per se culpabilis nõ est, nec damnationis pœnam inferre potest, vtcumque hic nobis Theologorum disputationes & sententiæ reclamitent, donec homo contagione hac corruptus legem Domini transgrediatur, quod tum demum fieri consueuit, cùm legem sibi positam videt, & intelligit.* Et infrà, *Paulus* (inquit) *ad Rom. 3. peccati cognitionem per legem oboriri dicit. Vbi ergo legis cognitio nulla est, ibi nec peccati cognitio esse potest. Vbi verò cognitio peccati non est, ibi nec præuaricatio est, adeòque nec damnatio quoque ibidẽ esse potest. Idem enim hoc Paulus testatur Rom. 4. dicens, siquidem vbi non est lex, ibi nec transgressio est. Iam ergo testimoniorum istorum vim, & potentiam considera, quæ tanta est, vt omnia omnium Theologorum de originali peccato commenta penitus subruat: morbus enim hic nobis damnationem adferre nequit, quæ tum demum subsequitur, cùm legem oculis nostris expositam, conspicati adhuc tamen morbo hoc & affectu naturæ corruptæ impulsi, legem transgredimur. Numquam enim hæc fallet ratio, qua transgressionem nullam prorsus illic esse dicimus, vbi legis cognitio nulla est: vbi autem transgressio nõ est, ibi damnatio esse non potest. Supina igitur iacet Theologorum sententia, & omnibus consitat fidelium liberos propter originalem illum, & hæreditarium morbum damnationem subire nullam, quoad legem, & legis sententiam ignorant.*

Vides ne quàm perspicuè Zuinglius neget, peccatum originis damnare, & quod dicit de filiis fidelium, æquè filiis infidelium conuenire? Non enim filios fidelium excipit à damnatione propter pactum aliquod à Deo cum parentibus initum, vel propter fidem parentũ, aut suam, vel propter speciale aliquod Christi beneficium: sed quia legem, & legis sententiam ignorant, & vbi legis cognitio non est, nec transgressio, nec damnatio esse potest, quæ ratio non minus filios infidelium, quàm fidelium eximit à damnationis periculo.

Quocirca idem Zuinglius in declaratione de peccato originali docet, probabile esse, per Christũ vniuersam naturam esse restitutam, ita vt nulli omninò infantes, siue gentilium, siue fidelium filij sint, pereãt: nulli etiã adulti, quãuis gentiles, si opus legis scriptũ ostendant in cordibus suis. Vbi quod dicit de restitutione per Christũ, non aliò referri videtur, quàm ad errorẽ tegendũ, & inuidiam declinandã. Nã Christi sanguis, omniũ cõsensu, tum Catholicorũ, tum etiã Lutheranorũ, non prodest, nisi instrumento aliquo applicetur, Sacramẽto videlicet, fide, aut si quod est aliud. Proinde nulla ratione fingi potest, Christi sanguine naturã vniuersam à peccato originali absolutè, & generaliter esse liberatã. Et ratio qua Zuinglius probat peccatũ originis non posse damnare infantes, non fundatur (vt suprà ostendimus) in beneficio Christi, sed in eo, quod vbi non est præuaricatio, ibi non est damnatio: & non est præuaricatio, vbi non est cognitio legis.

DENI

DENIQVE quod Zuinglius omninò crediderit, peccatum originis non solùm distingui ab actuali peccato, sed verè, & propriè non esse peccatũ, nec facere hominẽ reum, perspicuum est ex eodem libr. qui inscribitur, Declaratio de peccato originali, vltra mediũ libri, vbi dicit, infantes, quandiu legis capaces non sunt, in statu esse innocentiæ. Quomodo enim poterat clariùs infantes à statu peccati eximere, quàm asserendo eos in statu innocentiæ degere?

SED obiiciunt Zuinglij defensores, Gualterus, Bucerus, & Bullingerus confessionem quandam Zuinglij, in qua peccatũ originis agnoscere se dicit, & per illud omnes perire, nisi Christi sanguine redimãtur. Respondeo, non esse mirum, neque nouum, vt hæretici vel secum ipsi pugnent, vel fraudulentas confessiones edant, quod etiã Pelagium fecisse, suprà docuimus. Itaque verisimile est, Zuinglium, ne à Lutheranis omnibus hæreseos damnaretur, in verbis confessionis cũ Luthero conuenisse. Et tamen eadem illa verba multò aliter intellexisse, quàm Lutherus, & Lutherani existimarẽt. Fortè enim significare voluit, per originale peccatũ omnes perire, nisi Christi sanguine redimantur, quia propensio ad peccandum, quæ apud ipsum est originale peccatum, omnes ad peccandum impellit, cùm legis cognitionem habere incipiunt, vt ipse in eodem libro sæpè repetit.

VNVM hoc loco non est prætereundum, Zuinglij sententiam alio, atq; alio modo Lutheranis, & Catholicis esse contrariam. Nam tria Zuinglius docet, Primo, ex peccato primi hominis redundare in oẽs homines morbum quendam, id est, propensionem quandam ad peccandum, quæ concupiscentia ab aliis dici solet. Secundo, hunc morbum non esse propriè, sed methonymicè peccatum, id est, effectum, & caussam peccati. Tertio, hunc ipsum morbum esse peccatum originale, ac per hoc originale peccatum non propriè, sed methonymicè tantùm esse peccatum.

Ex his tribus, in primo conuenimus omnes, in secundo conuenit Zuinglius cum Catholicis, dissentit à Lutheranis: Catholici enim (vt in disputatione de concupiscentia demonstrabimus) concupiscentiã radicem, seu fomitem peccatorũ esse volunt, non tamen peccatũ, nisi ei ratio ipsa consentiat, Lutherani contra concupiscentiã verum peccatum esse contendunt, siue illi ratio consentiat, siue repugnet. In tertio cõuenit Zuinglius cum Lutheranis, dissident à Catholicis. Nos enim (vt paulò pòst docebimus) præter concupiscentiã agnoscimus in homine ex Adami semine propagato iustitiæ priuationem, & habitualem quandam ab ipso Deo auersionem, nec non reatum quendam, & maculam, quæ ipsum hominem verè, hæ proprie peccatorem efficiunt, & exitio sempiterno addicunt, nisi Christi sanguine redimatur: Lutherani autem, vt donũ iustitiæ originalis naturæ superadditũ atq; habituale minimè agnoscũt, ita nec eius priuationẽ agnoscere possunt, & ideò peccatũ originis in ipsa cõcupiscẽtia, quã tamen propriè peccatũ esse volunt, cõstituere, & collocare coguntur. Ex quo sequitur, vt ipsi etiã Lutherani peccatũ originis negent, quamuis acriter pro eo asserendo contra Zuinglium pugnent. Nam (vt diximus paulò antè, & suo loco infrà probabimus) concupiscentia illa nõ est peccatum, nisi methonymicè, vt Zuinglius docet. Sed de his postea.

CAPVT III.

Deriuari ex peccato Adami in posteros aliquod veri nominis peccatum, probatur ex cap. 5. ad Romanos.

IAM veritas Catholicæ fidei, quæ aduersus Pelagianos, tum veteres, tum recentes docet peccatum verè, ac propriè dictũ in posteros Adami per generationem deriuari, confirmandaest, Primum, testimoniis Scripturarum. Deinde, traditione Conciliorum, ac Patrum. Postremo etiam rationibus.

PRIMVM igitur, ac præcipuum Scripturæ testimoniũ habetur in epist. ad Rom. c. 5. in illis verbis: *Propterea sicut per vnum hominẽ peccatũ in hunc mundum intrauit, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccarunt.* Et infrà: *Per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi.* Ex his verbis tale argumentũ duci potest, Per vnũ hominẽ intrauit in hũc mundũ quoddam peccatũ, quod oẽs homines peccatores, & per hoc morti obnoxios fecit: At eiusmodi peccatum non potest esse actuale, id est, actuali volũtate cõmissum, cum etiam infantes sint morti obnoxij, & sæpè moriantur antequã quicquam boni vel mali, propria voluntate designare potuerint: igitur est peccatum originale.

Hoc argumentum tribus modis infirmari posset. Primum, si quis diceret, peccatũ, in illis verbis: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit*, non significare peccatum originale filiorũ Adam, sed ipsum actuale peccatum Adami, quod per vnum hominem dicitur introisse in mundũ, quia tum primũ cœpit esse peccatũ in mũdo quando fuit in Adamo, qui erat pars mundi. Hanc explicationem indicare videtur Zuinglius in lib. de Baptismo (in digressione de pec. originali) vbi sic ait: *Sẽsus verborum Pauli hic est, Peccatum per vnum hominẽ Adamum, nempè, in mundum intrauit. Is enim primum præceptum Domini contemnendo præuaricatus est.*

DEINDE alio modo posset argumentũ nostrũ eludi, si quis cõtenderet, peccatũ hoc loco significare peccatũ originale, sed Apostolũ de peccato non propriè, sed methonymicè esse eloquutũ, vt sensus sit, Per vnũ hominẽ peccatũ in hunc mundum intrauit, hoc est, peccãte vno homine morbus quidã, id est, pronitas ad peccandũ mortalitas quoq;, & aliæ non leues ærumnæ in mundũ intrarunt. Hos enim peccati effectus B. Paulus per figurã methonymiæ peccatũ nominauit. Ita exponit idẽ Zuinglius in cõmentario capitis 5. epist. ad Rom. Et eãdẽ fuisse credibile est, sententiã Pelagianorum, qui non ipsum peccatum, sed effectum peccati ex Adamo trahi dicebant.

Deniq; tertio modo posset argumentũ nostrũ omninò labefactari, si quis ostenderet, peccatum in mundum introisse, non propagatione, sed imitatione, vt post Pelagium Erasmus demonstrare conatus est, qui (vt animaduertit Titelmanus in collatione de epistola ad Romanos) totã versionẽ suã ad hanc sentẽtiam accõmodauit. Nam vbi antiqua versio habebat, per vnum hominẽ ipse reddidit, propter vnum hominem, & vbi legebamus, in omnes homines mors pertransiit, vertit ipse, in omnes homines mors peruasit. Et vbi antea erat in quo omnes peccauerunt, posuit ipse, quatenus omnes peccauimus.

Sed facilè erit (Deo iuuante) tres istas expositiones, vel potius depraua tiones euertere, & illam vnam explanationem stabilire, quæ sola est vera, quæ docet peccatum propriè acceptum, non imitatione, sed propagatione in mundum, hoc est, Adami posteros per vnum hominem, Adamum videlicet, introisse.

PRIMA igitur illa expositio, quæ vocem (*peccatum*) interpretatur de peccato actuali ipsius Adami, refellitur satis apertè, quia nõ per vnũ hominẽ, sed per vnũ Angelũ, peccatũ in hunc mundũ intrauit, si peccatum intrãsse dicatur in mundũ, quia peccare cœpit aliquis, qui erat in mundo. Vel si de mundo corporali sermo sit, nõ per vnũ hominẽ, i. Adamũ, sed per vnã fœminã peccatũ in hunc mundum intrauit. Siquidem Heua antè peccauit, quàm Adam, & ipsa peccante, cœpit esse peccatum in mundo.

Si quis obiiciat Ambrosium in cõmentario exposuisse, per vnum hominẽ, id est, per Heuã: Respondebimus, cõmentaria illa nõ censeri à viris doctis esse S. Ambrosij, & cuiuscũq; sint, eam expositionẽ, per vnum hominem, id est, per Heuã, cõmuniter reiici non solùm à nostris, sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam ab aduersariis, vt à Zuinglio, & cæteris, nec immeritò. Nam illud, per vnũ, quod est generis masculini, satis indicat per *hominem*, hoc loco significari virum, non fœminam. Quod etiam cõfirmatur ex verbis illis: *In quo omnes peccauerunt*. Nam de eodem loquitur Apostolus, cùm ait: *per vnũ*. Et: *In quo*. vtrumq; autẽ est generis masculini.

Accedit quod in toto cap. confertur Christus cũ Adamo, vt etiã 1. ad Corin. 15. vbi dicitur: *In Adam omnes moriuntur, in Christo omnes viuificabuntur* Itaq; cùm Apostolus causſam peccati, quod in mundũ intrauit, referat ad Adamum, & non possit hoc intelligi de peccato actuali, cùm illud nõ per Adamum, sed per Heuam initium ceperit, sequitur, vt necessariò intelligatur de peccato originali.

Refellitur SECVNDO eadem expositio ex illis verbis: *Et per peccatum mors*. Nã ita intrauit peccatum in mũdum, vt intrauit mors: Sed mors non intrauit in mundũ ratione solius Adami, quasi ipse solus, aut primus sit mortuus: nã antè ipsum Abel mortuus est, & oẽs, vt experimur, etiã infantes moriuntur. Nõ igitur peccatum intrauit in mundum ratione solius Adami, quia ipse videlicet actualiter peccauerit, & sic peccatum fuerit in mundo, quia fuit in Adamo, qui erat pars mundi, alioqui oportuisset Apostolum dicere, per Adamum peccatum in mundum intrauit, & per Abelem mors.

TERTIO refellitur ex verbis sequentibus. Nam cùm Apostolus addit: *Et ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt*: Explicat per mundum, se intellexisse omnes homines. Colligit enim in eo quod peccatum est causſa mortis, ideò in omnes homines mortem transisse, quia per vnum hominem in omnes homines peccatum transierat. Quare cùm ait: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit*, id est, ac si dixisset, Per vnum hominem peccatum in omnes homines intrauit. Et quoniã non intrauit in omnes homines actuale peccatum Adæ, sequitur, vt intrauerit originale.

Iam altera expositio, quæ propriè Fabri, Zuinglij, & Pelagianorum est, qui per peccatũ, quod in mundum intrauit, effectus peccati intelligi volunt, manifesta ratione refellitur. Siquidẽ Apostolus vtrumque distinctè ponit, peccatum vt causſam, & mortem vt effectum. Sic enim ait: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors*. Quod si nomine peccati intelligeretur effectus peccati, certè per peccatum mors intelligeretur, quæ est primarius, & clarissimus peccati effectus. Ac per hoc cùm dicitur, peccatum in hunc mundum intrauit, & & per peccatum mors, sensus esset, mors in hunc mundum intrauit, & per mortem mors.

Si quis dicat, per peccatũ hoc loco non intelligi mortem, sed alium peccati effectum, quẽ præcipuum Zuinglius esse docet, pronitatẽ videlicet ad peccandum, in promptu est responsio: non enim pronitas ad peccandum est causſa mortis, sed ipsum verum, & propriè dictũ peccatum. Nam *stipendium peccati mors*. ad Rom. 6. Et: *Anima quæ peccauerit ipsa morietur*. Ezech. 18. Et Adamo non dixit Deus quacumque die pronus fueris ad peccandum, sed quacumque die comederis de ligno vetito, morte morieris. Denique, apud nos qui re ipsa furantur, aut occidũt, non qui proni sunt ad furandum, vel occidendum extremo supplicio affici solent.

Prætereà licet peccatum metonymicè pro pœna peccati interdum accipiatur: tamen verbum (peccare) non videtur nisi violenter, & durissimè exponi posse pro eo, quod est, puniri, aut mortalẽ fieri, aut corporaliter mori: neque in Scripturis vllum testimonium, vt existimo, pro hac acceptione inuenietur.

Cùm igitur Apostolus non solùm dixerit, peccatum in mundum intrãsse per vnum hominem, sed etiã in vno homines omnes peccãsse, & quia peccauerunt, & peccatum habent, & peccatores cõstituti sunt, ideò morti, quę pœna peccati est, addictos esse: non potest non Apostolo repugnare, qui per vnum hominem solã pœnam peccati, non etiam ipsum verum, propriequẽ dictum peccatum ad reliquos homines promanasse dixerit. Adde vltimo, quod (vt Concilium Arausicanum II. can. 2. docet) *iustitiam Deo dare conuincitur qui mortem, quæ est pœna peccati, sine peccato, quod est meritum mortis, ad nos transisse dicit*.

TERTIA expositio, quæ maiorem habet verisimilitudinem paulò accuratiùs refellenda est, vt eam refellit S. Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, cap. 9. & sequentib. & in epist. 89. ad Hilariũ, quæst. 3. Primum igitur, peccatum non imitatione, sed propagatione per vnum hominem in hunc mũdum intrãsse probatur ex intẽtione, & proposito B. Pauli. Nã in tota ferè epistola ad Romanos, aut certè in maiore parte eius propositum B. Paulo erat ostẽdere, omnes homines, tam Iudæos, quàm Gentiles vocatos esse ad gratiam Euangelij sine vllis præcedentibus meritis. Id autẽ efficacitèr probat in cap. 5. quod nũc habemus in manibus, ex eo quod nullus est homo, qui peccatum non habeat ad se ex prima origine deriuatum, quique Adamo peccante, non peccauerit: qui denique non sit peccator ex prima primi hominis inobedientia constituta. Quod argumentum Apostoli debile prorsus, atque infirmum esset, si peccatum primi hominis ad posteros sola imitatione trãsisset. Quis enim affirmare auderet, omnes homines Adami imitatione peccãsse, aut deinceps peccaturos, cũ plurimi nihil vnquam de Adamo, aut eius peccato cognouerint.

SECVNDO probatur ex illa particula (*Sicut*) cùm enim Apostolus dicit, Propterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors. Illa particula comparatiua (*Sicut*) requirit alteram partem comparationis, quæ non alia potest esse, quàm ista, ita per vnum hominem (Christum videlicet) intrauit iustitia, & per iustitiam vita: certum autem est iustitiam non intrãsse in mundum per imitationẽ Christi, sed per regenerationẽ, quæ est per Christum. Ex quo sequitur, vt similiter peccatum non intrauerit in mundũ per imitationem Adami, sed per generationem ex Adamo. Nõ posse autem aliam esse comparationem ab Apostolo indicatam, quàm illam, quæ est inter Christum, & Adamum, perspicuum erit, si cõsulamus interpretes huius loci. Omnes enim expositiones in eandem sententiam recidunt, tres omninò expositiones inuenio.

PRIMA est Origenis, quam sequuntur Ambrosius, Haymo, & alij permulti. Docent hi sensum Apostoli esse imperfectum, alteram enim partem cõparationis omissam esse, sed supplendam, vt nos supra posuimus.

ALTERA expositio est S. Augustini lib. 6. in Iulianum, cap. 1. in editione Louanienſi quarta, alteram partem comparationis haberi in superioribus verbis, vbi legimus, nos per Christum Deo reconciliatos esse. Vult enim S. Augustinus, quem sequitur S. Thomas in commentario huius loci, Apostolum reddere rationem, cur per Christum simus Deo recõciliati, ac dicere, propterea nos per Christum, quasi per secundum Adamum Deo reconciliari debuisse, quia per vnum hominem, qui est primus Adamus, peccatum in hunc mũdum intrauerat, & per peccatum mors. Ita vt verba hoc modo cõnectantur, Gloriamur in Deo per Iesum Christum Dominum nostrum, per quem nunc reconciliationem accepimus, propterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, id est, propterea reconciliationem accepimus per Christum, sicut per vnum, id est, quia eodem modo per vnum hominem peccatum in hunc mũdum intrauit.

TERTIA expositio, quæ aptissima mihi videtur est eiusdem Origenis in commentario, & sancti Augustini in explicatione aliquot propositionum epistolæ ad Romanos, alteram partem comparationis haberi paulò inferiùs in illis verbis; *Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines*

homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Familiare enim est Apostolo interrumpere orationem aliquibus interpositis, ac deinde resumere, & perficere, quod inchoauerat.

Videmus igitur quæcumque expositio eligatur semper fieri comparationem inter Adamum, & Christum. Quod enim Iacobus Faber dicit, superuacaneam esse cõiunctionem, &, atque hoc modo legendam esse Apostolicam sententiam: Propterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, ita in homines mors pertranſiit, quemadmodum etiam legit Zuinglius in libro de Baptismo: indignum est refutatione, cùm omnes codices, Græci, Latini, Syri, eam coniunctionem habeant, nec vlla sit hactenus obseruata in hoc loco lectionis varietas, & Origenes antiquissimus auctor, ac postmodum alij multi notauerint imperfectam videri Paulinam sententiam, ob illam coniunctionem, &, quia non dixit Paulus, ita in omnes homines, sed, & ita in omnes homines mors pertranſiit.

TERTIO probatur ex illis verbis: *Per vnum hominem*. Nam si de imitatione ageretur, non dixisset Apostolus, per vnum hominem, sed per vnum Angelum peccatum intrauit in mundum. Ille enim est primus qui peccauit, & eum imitãtur, qui sunt ex parte illius, vt dicitur Sap. 2. Prætereà illud [*per*] est particula causſalis, vt patet ex toto isto cap. vbi sæpissimè ponitur [*per*] & semper significat veram causſam, qualis causſa non est is, quem solùm per accidens, aut materialiter alij imitantur. Et quoniam qui peccant, non ideò peccant, vt imitentur Adamum, cùm (vt suprà diximus) multi nihil audierint de Adamo, & qui de illo aliquid audierunt, non soleant de eo cogitare dum peccant, sequitur, vt nõ potuerit rectè Apostolus dicere, per Adamum peccare cæteros.

Atq; hoc quidem Erasmus vidit, & ideò mutauit illud [*per*] in [*propter*] vt Apostolus dicere videatur, propter Adamum, id est, occasione Adami peccatum in mũdum introisse. Sed id fecit Erasmus, & contra codicum Latinorum etiam vetustissimorum auctoritatem, in omnibus enim legitur [*per*] & contra regulas Græcæ linguæ, quę id postulant, vt particula [*διὰ*] cùm regit genitiuum, significet [*per*] cùm regit accusatiunm, significet [*propter*] quas regulas ipse etiam Erasmus vbique obseruare solet. Nam cap. 4. ad Romanos (vt non longè petamus exempla) inuenitur [*διὰ*] cum accusatiuo in vltima periodo, quater, & semper vertit Erasmus, vt etiam cæteri interpretes [*propter*] capite autẽ 5. inuenitur [*διὰ*] cum genitiuo plus quã duodecies, & semper verterũt tum Erasmus, tum cæteri [*per*] præterquam hoc loco, vbi placuit Erasmo mutare [*per*] in [*propter.*] Et mirabile est, quod cùm Apostolus in eadem periodo bis ponat [*διὰ*] cum genitiuo, dicens: *δι ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος*. Erasmus primo loco reddiderit [*propter*] secundo [*per.*] Perspicuum igitur est, veram lectionem esse per vnum hominem, ac per hoc, Adamum veram causſam fuisse peccati, cùm quo omnes nascimur.

QVARTO probatur ex illis verbis: Et *per peccatum mors*. Docet enim Apostolus ita peccatum causſam esse mortis, vt Adam causſa fuit peccati, quod in mundum intrauit. Sic enim ait: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors*. Sed certè peccatum non est causſa mortis, per imitationem, aut impropriè, vel per accidens, & ex occasione, sed quia peccatum generat mortem, vt S. Iacobus loquitur in epistola sua, cap. 1. Igitur Adamus etiam causſa peccati fuit, non per imitationem, vel impropriè, aut per accidens, & ex occasione. Sed quia peccator ipse effectus, peccatores filios genuit.

QVINTO probatur ex verbis sequentibus: *Et ita in omnes homines mors pertranſiit*. Nam verbũ illud [*pertranſiit*] indicat modum, quo peccatum, & mors in hunc mundum intrauerunt. Nimirum peccatum, & mors, non in ipso Adamo constiterunt, sed cum ad filios transissent, non in ipsis quoque finem acceperunt, sed per filios ad nepotes, per nepotes ad pronepotes, per illos ordine suo ad omnes posteros transierunt, vt eadem sit ratio propagationis naturæ, atque peccati.

Quocirca Erasmus noluit hoc loco vertere, [*pertranſiit*] vt antiquus interpres fecerat, sed [*peruasit*] quod verbum non ita explicat propagationem peccati, vt nõ possit etiam referri ad imitationem. Cæterùm nostra lectio non solùm nititur auctoritate interpretis antiquissimi, & ab vniuersa Ecclesia approbati, sed etiam editione Syriaca in qua pro Græco verbo *διῆλθεν*, est verbum עבר *aber* quod est Hebraicum, & propriè transire significat. Vnde est etiam מעבר *meabar* vadum, seu transitus. Adde quod sanctus Augustinus serm. 4. de verbis Apostoli, propè finem, non solùm agnoscit nostram lectionem, sed etiam expendit vim verbi [*pertranſiit*] & inde probat propagationem peccati originalis.

SEXTO probatur ex illis verbis: *In quo omnes peccauerunt*. Nam (vt sanctus Augustinus colligit lib 4. contra duas epistolas Pelagianorum, capite 4.) necesse est illud [*in quo*] significare, in quo Adamo, vel in quo peccato, vel in qua morte. Non enim facta est mentio in superioribus verbis eiusdem sententiæ, nisi horum trium, & aliquid sine dubio antecedens referre debet pronomen [*quo*] Porrò non potest rectè exponi [*in quo*] id est, in quo peccato, quia peccatum in lingua Græca est generis fœminini, *ἁμαρτία*, &, in quo, Græcè *ἐν ᾧ* est generis masculini.

Nec potest accipi, in quo, in qua morte, tametsi mors Græcè generis sit masculini, *θάνατος*, quoniam non peccant homines in mortẽ, sed in peccato potius moriũtur, restat igitur, vt, [*in quo*] significet, in quo Adamo, vt sit explicatio eius, quod dictum erat, per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit. Ideò enim per vnũ hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, quia in vno illo homine omnes peccauerũt. Quod si in illo vno homine, Adamo videlicet, omnes peccauerũt, negari nõ potest originale peccatum propagatione, non imitatione trahi. Non enim qui Adamum peccando imitantur in illo peccãsse dici possunt, sed qui propterea peccatum habent, quia ex illo nascuntur, qui cùm peccaret, omniũ personam in se vno gerebat.

Sed occurrit Erasmus, ac docet, illud Græcũ *ἐφ' ᾧ* vertendum fuisse [*quatenus*] vel [*in quantum*] siue [*ὅ quod*] Græcè enim præpositionem, in, non esse [*ἐπὶ*] sed [*ἐν*] & ideò sic ipse vertit, & eodem modo vertunt hoc tempore omnes Sectarij, qui non tam veritate, quàm nouitate gaudent.

Cæterùm, etiamsi non [*in quo*] sed [*quatenus*] legeremus, non ideò tamen argumentum nostrum labefactaretur. Nam si mors in omnes homines pertranſiit, quatenus omnes peccauerunt, sine dubio infantes etiam peccãsse negari non poterit, cùm eos quoque mortales esse, & sæpè in ipsa infantia mori videamus, at quod est peccatum infantium, si nullum est originale peccatum? an actuale peccatum in eis inueniri poterit, de quibus Scriptura testatur, nihil eos egisse boni, vel mali? Sed non est opus ad hæc descendere, cùm lectio illa [*in quo*] verissima sit, & nullo negotio ab aduersatiorum calumniis defendatur, si videlicet nouitati ipsorum obiiciamus consensum veterum, non solùm Latinorum, sed etiam Græcorum, qui proculdubio melius nouerant vim propositionis Græcæ, quàm Erasmus aut Faber.

Igitur Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius Græci, disertis verbis explicant [*in quo Adame.*] Similiter exposuisse Hilarium, testatur Augustinus lib. 4. contra

Universidad de Deusto
Biblioteca

duas epistolas Pelagianorum, cap. 4. Eadem expositio est in commentario, qui tribuitur Ambrosio. Eadem est Haymonis, Anselmi, Thomæ, & aliorũ. Porrò S. Augustinus non solùm hoc eodem modo constanter vbique semper exposuit, sed etiam in lib. 6. contra Iulianum, cap. 12. refert expositionem, quam nunc Erasmus, & nouatores sequuntur, fuisse a Iuliano propositam, vt [*in quo*] significet [*in quantum*] vel [*eo quòd*] & addit esse eam explicationem nouam, distortam, falsam, & hominis mirabiliter impudẽtis, vel potius insaniẽtis. Neq; verũ est, quod Erasmus dicit [ἐπί] nõ significare [*in*] nã in epistola ad Hebræos, c. 9. quod Græcè habetur ἐπὶ δράμασι. Erasmus ipse cum cæteris vertit, in cibis, & illud ἐπὶ νεκροῖς, vertit, in mortuis. Nec desũt alia testimonia, sed hęc duo sufficiũt.

Illud hoc loco addendum est, fruſtrà ab Erasmo reprehendi S. Augustinum, quod illud [*in quo*] significare putauerit, in quo peccato, cùm tamen peccatum Græcè sit generis fœminini. Nam S. Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 10. cùm fortè textum Græcum non consuluisset, scripsit, illud [*in quo*] siue referatur ad Adamum, siue ad peccatum, euidens esse testimonium pro peccato originali. Idem tamen (vt paulò ante diximus) in lib. 4. contra duas epist. Pelag. cap. 4. disertis verbis monuit [*in quo*] non posse referri ad peccatum, cùm (*in quo*) sit generis masculini, & peccatum apud Græcos generis fœminini.

Septimo, probatur ex verbis sequentibus: *Vsque ad legem enim peccatum erat in mũdo. Peccatum autem non imputabatur cum lex non esset: sed regnauit mors ab Adam vsque ad Mosem, etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ.* Docet enim his verbis Apostolus, antè legem datam peccatum non fuisse cognitum, ac per hoc nec reputatum esse peccatum: tamen reuera fuisse in mundo peccatum, non solùm actuale, quod per legem cognosci cœpit, sed etiam originale, quod colligi potest ex morte, quæ regnauit in omnes etiã paruulos, qui non peccauerunt in similitudinẽ præuaricationis Adæ, id est, actu, ac propria voluntate, vt peccauit Adam. Sunt autẽ hoc loco duæ lectiones, vna est cũ negatione, vt nos citauimus, & exposuimus, & hanc sequuntur Chrysostomus, & alij Græci posteriores, & S. Augustinus in epist. 89. ad Hilarium. Altera est sine negatione, *Regnauit mors ab Adam vsque ad Mosem etiam in eos, qui peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ*, & hanc sequũtur Origenes, & commentarius, qui Ambrosio inscribitur, iux ta hanc lectionem sensus esset, regnauit mors, ab Adam v sque ad Mosem, etiam in eos, qui solùm peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ, hoc est, propter similitudinem, quam habent cum Adamo ob communicationem eiusdem peccati.

Octavo, Probatur ex illis verbis: *Qui est forma futuri.* Nam omnium consensu dicitur Adam forma futuri, id est, Christi, quia fuit illi similis in genere, nõ in specie. Vterque enim in filios suos aliquid diffudit, sed dissimiliter quantum ad speciem, quia peccatum Adamus, Christus iustitiam. Porrò Christus iustitiam non imitatione, sed regeneratione diffudit: igitur & Adam peccatum nõ imitatione, sed generatione transmisit. Et sane (vt S. Augustinus admonet in lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione, cap. 14.) Si B. Paulus de similitudine eorum loqueretur, qui exemplum peccandi, vel benè agendi cæteris præbuerunt, non cõferret Adamum cum Christo, sed cum Abele. Nam quẽadmodum primus fuit Adam, qui exẽplo cæteros peccare docuit: sic primus fuit Abel, qui cæteris benè viuendo præluxit, & quem omnes omninò imitari potuerunt. Christum enim, qui tot seculis posterior Adamo fuit, quantum ad carnem, quomodo tam multi, qui eum præcesserunt, imitari potuissent?

Nono, probatur ex verbis illis: *Iudicium quidem ex vno in condemnationem gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* Nam vt idem Augustinus in eodẽ lib. 1. de peccatorũ meritis, & remissione, cap. 12. & 13. docet, si Adã non esset causa peccati, quod est in eius potestate, nisi quia posteri illum imitantur, nulla ratio reddi posset, cur Apostolus diceret, iudicium ex vno, gratia ex multis. Cur enim nõ iudicium ex vno, gratia ex vno: vel iudicium ex multis, gratia ex multis? Nam quemadmodum iudicium Dei homines condemnat ob multa delicta, quæ ex vno illo Adami delicto didicerunt: ita gratia Dei homines iustificat à multis delictis, quæ ex illo vno Adami delicto didicerunt: Sicut enim inter delictum Adami, & damnationem aliorum sunt media multa propria delicta: Sic etiam inter delictum Adami, & iustificationem aliorum sunt media multa propria delicta.

At si concedatur, Adamum causſam fuisse peccati omnium posterorum per generationem, causſa illius diuersitatis in promptu est. Propterea siquidem iudicium est ex vno in condemnationem, gratia verò ex multis delictis in iustificationem, quod Adam vnum tantùm in nos delictum carnali generatione transmiserit, & ex eo tota massa generis humani damnata sit: Christum verò non ab vno illo duntaxat quod nascendo contraximus, sed ab omnibus aliis, quæ malè viuẽdo adiecimus, spirituali nos regeneratione iustificet.

Decimo probatur ex illis verbis: *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores cõstituti sunt multi, ita per vnius obedientiam iusti constituentur multi.* Hic enim non solùm habemus cõparationem Adami cum Christo, de qua sæpè iam loquuti sumus, sed etiam vnam vnius Adami inobedientiam cõmunem fuisse multis, & ita communem, vt per illã peccatores verè constituantur. Quia verò non possunt peccatores alij per aliorum peccata constitui, sequitur vt inobedientia Adami, non vt in illo erat, sed vt ad posteros generatione transfunditur, omnes eos peccatores constituat, qui ex ipso nascuntur.

Accedat Postremo definitio Concilij Mileuitani, cap. 2. quæ docet, locum Apostoli ad Romanos 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, &c.* non aliter esse intelligendũ, quàm de peccato originali, quod generatione contrahitur. Quod autem Erasmus dicit, Concilij fuisse particulare, ac propterea se decretis eius minimè teneri, superbè, ac temerè dictum nobis videtur, præsertim cùm illud Concilij ab Apostolica sede sit cõfirmatum, vt constat ex epistola Innocentij I. ad Concilium Mileuitanũ, quæ epistola habetur in 1. Tomo Conciliorum, & inter epistolas S. Augustini. nu. 93. Relatum quoque est hoc decretum Concilij Mileuitani in corpus Iuris Canonici, de consecratione dist. 4. can. Placuit. Et denique Concilium vniuersale nostro hoc seculo Tridenti celebratum sess. 5. idem decretum verbis iisdem renouauit, vt iam nulli, qui Catholicus haberi velit, de huius loci Apostolici explicatione liceat dubitare.

CAPVT IIII.

Idem probatur ex alijs testimonijs Scripturæ diuinæ.

Præter locum Apostoli iam explicatum, sunt alia multa in Scripturis vtriusq; testamenti, ex quibus nos præcipua adducemus.

Primvs locus est in libro Iob, ca. 14. quem S. Augustinus, cæteriq; Patres passim allegare solent ex versione Septuaginta interpretum, his verbis: *Nemo mundus à sorde, nec infans, cuius est vnius diei vita super terram.* & respondent verba Græca: τίς γὰρ καθαρὸς ἔσται ἀπὸ ῥύπου; οὐδείς, ἐὰν καὶ μία ἡμέρα ὁ βίος αὐτοῦ ἐπὶ τῆς γῆς. In codice Hebraico nõ difficulter idem sensus inuenitur. Sic. n. legim": מי יתן טהור מטמא אחד אם-שרירים ימיו *Mi litten tathod mita mello athod is-hourizim Iamau*, quę verba hoc sonant: *Quis dabit mundum ab immundo? non vnus*

(mundus videlicet est) *etiamsi breues dies eius.* interpres noster sic reddidit: *Quis potest facere mundum de immundo conceptũ semine? nonne tu qui solus es? breues dies hominis sunt.* Quæ lectio, tametsi aliquid addit ad verba Hebraica per modum paraphrasis: tamen quoad sententiam optimè conuenit cum ipso Hebraico textu, præsertim vt nunc scribitur & distinguitur. Nam illud מטמא *mi thame* propriè (ab immundo) vel (de immundo) significat, cui noster interpres explicandi gratia adiunxit, *Semine.* Septuaginta verò, aut acceperunt immundum pro immunditia, aut legerunt מטמא *tumeath* pro מטא *tame*, illud autem לא אחד *lo athad* noster interpres accepit per modum interrogantis, & ideò vertit, *nónne tu qui solus*, siue, *vnus es?*

Septuaginta verò interpretati sunt per modum negantis, & idcirco dixerunt, *Sed ne vnus.* Sic etiam interpres noster illud, *Breues dies eius*, coniunxit cum sequenti versu, vt coniungunt etiam Hebræi, qui inde incipiunt non solùm nouum versum, sed etiam nouum caput, & ideò vertit: *Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est.* At Septuaginta coniunxerunt ea verba cum præcedentib. & ideò verterunt *etiamsi vna dies sit vita eius.*

Itaque vtramq; versionem, & nostram Latinam vulgatam, & illã Septuaginta virorum verba Hebraica ferre possunt. Et cùm nostra sit à Concilio Oecumenico approbata, & illa ab omnibus penè veteribus. quod attinet ad hunc locum, celebrata, neutra contemnenda est.

Et quidem iuxta nostram editionem sumitur argumẽtum pro peccato originali, ex eo quod si solus Deus potest mundare hominem de immundo cõceptum semine, sequitur eundem hominem ab ipsa cõceptione esse immundum. Non enim mundari egent, nisi immundi. Hæc autem immunditia sine dubio non corporalis, sed spiritualis est, nam à corporali immunditia, mundari homo etiam ab homine potest. Denique in Scripturis immunditia pro peccato accipitur. Isa. 64. *Facti sumus vt immundi omnes nos, & tamquam pannus menstruatæ omnes iustitiæ nostræ.* Et Zacha. 3. *Auferte vestimenta sordida ab eo, & dixit ad eum, ecce abstulit à te iniquitatem tuam.* Porrò iuxta editionem Septuaginta interpretum testimonium est adhuc illustrius. Nam si non est mundus à sorde infans vnius diei, profectò peccatum quoddam omnibus nobis ab ipsa conceptione inhæret.

Alterum testimonium habetur in Psalmo quinquagesimo in illis verbis: *Ecce in iniquitatibus cõceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Vbi primo loco sciendum est, non impedire argumentum pro peccato originis, quod in numero multitudinis dicatur homo concipi in peccatis, cùm peccatum originis vnum sit, non multa. Nam reuera in Hebraico fonte numerus est singularis: חן בצרן חולליתי ובחטא יחמתני אמי *en bearin holalethi vbechetae iechemathei immi*, & ideò S. Hieronym. & alij ferè omnes reddiderunt in iniquitate, & in peccato. Adde quoque ex S. Augustino in Enchiridio, capite 44. & 45. posse etiam peccatum originale significari nomine peccatorum, & iniquitatum, tum quia non est inusitata in Scripturis, & in prophanis auctoribus figura intellectionis, qua numerus multitudinis ponitur pro numero singulari, & contra numerus singularis pro numero multitudinis, tum quia in peccato illo primo Adami, quod à posteris generatione contrahitur, multæ fuerunt iniquitates, superbia, infidelitas, inobedientia, & aliæ.

Deinde illud est obseruandum non posse hunc locum deprauari ab aduersariis, quasi peccatum in hoc testimonio accipiatur improprie, id est, pro mortalitate, aut morbo aliquo: nam eæ voces שורן & חטא *hethie Aron* propriè verum peccatum significant, & eædem voces in eodem Psalmo sæpius reperiuntur, & semper accipiuntur pro vero, & proprie dicto peccato, quale fuit adulterium Dauidis cum Bethsabeæ, quod in eo Psalmo potissimum deploratur.

Postremo non licet hanc Dauidis confessionem detorquere ad peccata parentum, qui eum genuerunt, quasi dicere voluerit, parentes suos peccasse, cùm genuerunt. Nam in primis satis constat, Dauidem non ex fornicatione, vel adulterio, sed ex honesto, & sancto coniugio natum. Deinde cùm Dauid in toto hoc Psalmo argumenta conquirat, quibus diuinam misericordiam ad se flectat, nõ debuit peccata parentum allegare, sed miseriam suam exponere. Et hoc est, quod facit, cùm se miserum ab ipsa conceptione fuisse dicit. Prætereà verbum illud חוללתין *holalelthi* non refertur ad actionem gignendi, in qua peccatum esse solet, quando parentes gignendo peccant, sed ad formationem corporis, quæ post parentum concubitum à Deo fit. Verè enim, ac sapienter dixit sancta illa Martyrum Machabæorum mater: *Nescio qualiter in vtero meo apparuistis, neque enim ego spiritum, & animam donaui vobis, & vitam, & singula membra non ego ipsa compegi: sed enim mundi Creator, qui formauit hominis nativitatem, quique omnium inuenit originem, &c.* in libro secundo Machabæorum septimo cap.

Sic etiam altera illa vox יחמתני *iechemathenj* propriè non significat *gignere*, aut *concipere*, sed *calefacere*, & *fouere*. Proinde refertur ad illud tempus, quo fœtum iam formatum, & animatum mater in vtero fouet, & fouendo calefacit. Certum autem est nullum interuenire parentum peccatum, vel cùm proles concepta formatur, vel cùm iam formata in vtero confouetur. Et fortasse ad calumnias futurorum Hereticorum tollendas, Spiritus sanctus noluit hoc loco vti vocabulis, quæ propriè significant gignere, vel concipere, quæ sunt חרה & ילד *hauah talad*.

Iam verò ex nouo testamẽto habemus in primis verba illa Præcursoris Domini, Ioan. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Quo loco in textu Græco legitur in numero singulari ἴδε ἀμαρτίαν τοῦ κόσμου, *Ecce qui tollit peccatum illud mundi.* Quod est autem peccatum illud mũdi, nisi commune illud peccatum, quod per vnum hominem in hunc mundum intrauit, vt ex Apostolo suprà citauimus?

Deinde habemus illud Ioan. 3. *Qui non credit in filium, ira Dei manet super eum.* Vbi notat sanctus Augustinus libro 6. in Iulianum. cap. 12. non esse dictum, ira Dei veniet super eum, sed manet super eum, qui iam antea erat, & manet in omnibus filiis Adæ, nisi per Christum tollatur.

Tertio habemus illud Roman. 3. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.* Certè enim si omnes peccauerunt, non excipiuntur paruuli à peccato. Paruuli autem propria voluntate nihil boni, aut mali egerũt, vt idem Apostolus ait ad Rom. 9. Igitur omnes peccãsse dicũtur, quia filij illius sunt, in quo omnes peccauerunt, ad Rom. 5.

Quarto habemus comparationem illam Adami cum Christo, gratię cũ peccato, resurrectionis cum morte, quam idem Apostolus facit in priore epistola ad Corinth. c. 15. ex qua comparatione manifestè colligitur, ita omnes, qui ex Adamo nascuntur, peccatum, & mortis æternæ debitum contrahere, sicut omnes, qui renascuntur in Christo, gratiam iustificationis, & beatæ resurrectionis pignus acquirunt.

Quinto habemus insignem illam Apostoli ratiocinationem in epist. posteriore ad Corinth. cap. 5. *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est Christus.* Vbi primum conditionalis consequutio ponitur, si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Deinde absolutè assumitur, Christus pro omnibus mortuus est. Relinquitur autẽ, vt absolutè concludamus, ergo omnes mortui sunt. Et satis apertè loquitur beatus Paulus de morte omnium, non tam corporali, quàm spirituali. Dicit enim Christum mortuum esse, *vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed Deo.* Et paulò pòst

Universidad de Deusto
Biblioteca

clarius; quod dixerat, Christum pro nobis mortuum, dicit, *Vos Deo per Christum reconciliatos.* Et paulò pòst clarissimè, dicit: *Eum qui peccatum non fecerat, pro nobis peccatum, id est, hostiam pro peccato, factum, vt nos efficeremur iustitia Dei in illo.* Iam igitur cùm constet, Christum pro nobis omnibus omninò mortuum, atque hostiam pro peccato factum esse, sequitur omnes omninò, sine vlla exceptione conditionis, sexus, ætatis, mortuos esse in Adamo, & redemptore, seu iustificatore indiguisse.

SEXTO habemus illud Galat. 3. *Conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt remissio per Christum daretur credentibus.*

Est enim sententia huius loci, Scripturam demonstrare, omnes homines esse peccatores, nec posse nisi per Christum ad indulgentiam peruenire.

SEPTIMO, habemus illud Ephes. 2. *Eramus & nos natura filij iræ, sicut & cæteri.* Dicimur enim naturâ filij iræ, quia à natiuitate, vel quia ex natura peccato primi hominis vitiata, reatum peccati trahimus, ex quo ire, atque vinctæ diuinæ obnoxij sumus. Aliqui interpretantur illud [*naturâ*] ac si dictum esset [*prorsus.*] Quam interpretationem sanctus Hieronymus in commentario non reiicit, quin etiam fatetur, vocem esse ambiguam, tametsi priorem ipse expositionem sequitur.

Sanctus autem Augustinus libro sexto in Iulianum, cap. 4. grauiore censura eam interpretationem dignam esse censuit. Sic enim ait: *Quod autem dicit, vbi ait Apostolus, naturâ filij iræ, posse intelligi, prorsus filij iræ. Nonne hinc admoneri debuisti, antiquam contra vos defendi Catholicam fidem: quia non fere inuenitur Latinus codex, si non à vobis nunc incipiat emendari, vel potius in mendum mutari, vbi non, naturâ, sit scriptum? Quod vtique cauere debuit interpretum antiquitas, nisi etiam fidei hoc esset antiquitas, cui corpit vestra subrepere nouitas.* Hæc ille, qui ex eo, quod omnes codices Latini habent, naturâ, recte colligit, hoc loco non esse vocem ambiguâ, quoniam si ita esset, aliquis vertisset [*prorsus*] aliquis [*naturâ*] nunc autem omnes eodem modo verterunt, quia omnes eodem modo testimonium hoc Apostolicum intellexerunt. Ac de Scripturis quidem hęc loca sufficiant.

CAPVT V.

Probatur eadem veritas testimonijs Patrum, qui ante Pelagianam hæresim exortam scripserunt.

SECVNDO loco confirmanda est veritas testimoniis, ac traditione Ecclesiæ. Ac primo adferemus testimonia Patrum illorum, qui antè Pelagianam hæresim exortã scripserunt. Deinde addemus Ecclesiæ decreta, quæ propriè hæresim istam damnauerunt.

PRIMVS igitur prodeat S. Dionysius Areopagita, qui in lib. de Eccles. hierarch. cap. 3. par. 3. peccatum primi hominis toti naturæ humanæ adscribit: *Humanam, inquit, naturam, mitio stolidè à diuinis beneficijs prolapsam, obnoxia passionibus varijs vita suscepit, & moris corruptibilis finis, quippe perniciosa illa à vera bonitate defectio, & sacræ in paradiso legis praeuaricatio eam, quæ sponte sua blandè mulcentibus, atque infectis aduersarij fraudibus cedens, vitale excusserat iugum, his quæ sunt diuinis bonis contraria tradidit.* Quibus verbis Dionysius primum docet, humanam naturam diuinis beneficiis, quæ in creatione acceperat spoliatam, obnoxiam factam esse passionibus, quoad animam, & morti, quoad corpus. Deinde rationem reddit huius spoliationis, ac dicit, id factũ esse, quia natura humana sponte cedens fraudibus Sathanæ vitale iugum excussit. Ista enim defectio à vera bonitate tradidit eam his, quæ sunt contraria diuinis bonis, id est, passionibus, & mortalitati.

Vbi vides sanctum Dionysium non solùm pœnam, sed etiam culpam toti naturæ tribuere. Quod idem paulò infrà his verbis docet: *Obseruans itaque (natura humana) & a recto itinere ad eum, qui veraciter Deus est, tendente auersa, & peritis, atque malesuasis turmis subiecta, minimè aduertit, se pro Dijs, atque amicis, infestis hostibus fuisse obsequutam.*

SECVNDVS testis prodeat S. Ignatius, qui in epistola ad Trallianos ita loquitur: *Vos ergo succincti mansuetudine imitatores estote passionum Christi, & dilectionis eius, qua dilexit nos, dans semetipsum pro nobis, vt nos sanguine suo mundaret ab antiqua impietate.*

TERTIVS sit sanctus Iustinus Martyr, qui in Dialogo cum Triphone sic ait: *Ad amnem eum non ideo venisse pro comperto habemus, quod vel Baptismi lauatione, vel Spiritus in specie columbæ aduentu opus ei fuerit, sicut nec nasci, & crucifigi propter functiones huiusmodi indigeniam, sustinuit: sed humani generis caussa, quod per Adam in mortem, & fraudem, seductionémque serpentis conciderat, vt interim propriam pro se maligne agentis, cuiusq; culpam taceam.* Hic videmus, non solam mortem, sed etiam serpentis seductionem toti generi humano communem esse, & Christum crucifixum esse pro peccato, tum communi toti naturæ humanæ, tum propriis vniuscuiusque, id est, pro peccato tum originali, tum actuali.

QVARTVS sit sanctus Irenæus, libro quinto, capite 17. *Deleuit* inquit, *chirographum debita nostra, affigens illud cruci, vti quemadmodum per lignum facti sumus debitores Deo, per lignum accipiamus debiti remissionem.* Vide eundem lib. 3. cap. 20. & rursus alium locum apud Augustinum lib. 1. in Iulianum, cap. 2.

QVINTVS sit Tertullianus, qui in libr. de anima, cap. 40. sic ait: *Omnis anima confusque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur: tamdiu immunda, quamdiu recenseatur. Peccatrix autem quia immunda.*

SEXTVS, Origenes homil. 8. in Leuiticum: *Quæcunque anima*, inquit, *in carne nascitur, iniquitatis, & peccati sorde polluitur, propter quod dictum est: Nemo mundus a sorde, nec infans cuius est vnius diei vita super terram.*

SEPTIMVS, sanctus Cyprianus libr. 3. epistо. 8. ad Fidum: *Infans*, inquit, *recens natus nil peccauit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit.*

OCTAVVS, sanctus Athanasius sermone in illud: *Omnia mihi tradita sunt*; sub initium: *Postquam*, inquit, *peccauerat, & lapsus fuerat homo, eiusque lapsu perturbatis omnibus, mors inualuisset ab Adam vsque ad Christum, terráque execrationi data esset, infernus apertus, paradisus clausus, cœlum infensum, & tandem corruptio, & interempto homine inualuisset diabolus contra nos, &c.*

NONVS, sanctus Hilarius, qui in explicatione Psalmi 118. exponens illa verba ad finem totius Psalmi: *Viuet anima mea, & laudabit te*, sic ait: *Viuere se in hac vita non reputat, quippe qui dixerit, Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Scit se sub peccati origine, & sub peccati lege esse natum.*

DECIMVS, sanctus Basilius, qui in expositione Psalmi 32. explicans illud: *Diligit misericordiam, & iudicium, misericordia Domini plena est terra. Nequit* inquit, *bono mundo corde, ac liber omninò à sorde peccati inueniri, etiamsi vnius diei tempore supra terram vixerit. Quamobrem si quis videat quotidie malitiam inualescentem, ac depascentem homines, & fragile genus hominum mille mortibus delictorum gratiã dignum, tanto admirabitur magis diuitias bonitatis diuinæ tolerantiæ, & longanimitatis.* Vide alium locum eiusdem apud Augustinum lib. in Iulianum primo, cap. 2.

VNDECIMVS, sanctus Ambrosius, qui in Apologia Dauid cap. 11. sic ait: *Antequam nascamur, maculamur contagio, antequam vsurã lucis, originis ipsius excipimus iniuriam. in iniquitate concipimur.* Et infrà: *Meritò Dauid deplorauit in se*

ipse ipsa inquinamenta naturæ, quod prius inciperet in homine macula, quam vita. Item libro primo de pœnitentia cap. 2. sic ait: *Omnes homines sub peccato nascuntur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum, dicente Dauid, Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Vide alia multa loca etiam clariora apud Aug. lib. 1. in Iulian. c. 2. & lib. de nuptiis, & concupiscentia, capite 35. & libro 1. ad Bonifacium, capite 11.

Duodecimus, Auctor commentariorum in epistolas beati Pauli, quæ sancto Ambrosio tribuuntur. Is enim, vt Ambrosius à viris doctis esse non creditur, ita æqualis Ambrosij fine dubio fuit. Vixit enim tempore Damasi Papæ, vt ipse testatur in commentario c. 3. prioris ad Timotheum. Hic igitur auctor in comment. ca. 5. ad Romanos, sic ait: *Manifestum est itaque in Adam omnes peccasse, tanquam in massa, ipse enim per peccatum corruptus, quos genuit, omnes nati sumus in peccato. Ex eo igitur omnes peccatores, quia ex ipso sumus omnes.* Item in comment. c. 4. ad Hebræos: *Iuxta similitudinem carnis sine peccato, quia natura, quam veram suscepit, similis est carnis nostræ, peccata verò nequaquã habuit, quæ caro nostra de parentibus contraxit, quia tale fuit originale peccatũ in carne primi hominis, vnde & vena, & remedium fieri potuisset.*

Tertius decimus, Cyrillus Hierosolymitanus catechesi secunda, *Per hunc*, inquit, *Pater noster Adam pulsus est, & pro paradiso admirando quodammodo sponte sua fructu ferente, terram spiniferã accepit. Quid igitur (dixerit aliquis) decepti perimus, nũquid nõ est deinceps solus? ecidimus an nõ licet resurgere?*

Quartus decimus, sanctus GREGORIVS Nazianzenus oratione tertia, de pace, sic ait: *Totus lapsus sum, atq; ex primigenæ hominis inobedientia, & diaboli fraude condemnatus sum.* Et in secunda oratione in sanctum Pascha, dicit omnes ab initio per peccatum lapsos. Vide etiam alia loca apud Augustinum libro primo, in Iulianum, capite 2.

Quintus decimus, sanctus HIERONYMVS in commentario cap. 6. Oseæ Prophetæ: *Et ibi*, inquit Deus, *hoc est in paradiso, omnes præuaricati sunt in me, & in similitudinem præuaricationis Adam. Non enim mirum, si quod in parente processit, etiam in filiis condemnetur.* Item in comment. ca. 2. Michææ: *Vnusquisque nostrũm cum Adam de paradiso cecidit, & in huius mundi captiuitate versatur.* Vide alium locum apud Augustinum loco citato.

Sextus decimus, Ruffinus in commentario Psal. 50. *Ego*, inquit, *conceptus contraxi mecum iniquitatem originalis delicti. Numquid de adulterio Dauid natus erat, de Isse iusto viro, & coniuge eius? Quid est ergo quod se dicit, in iniquitatibus conceptum esse, nisi quia detrahitur iniquitas ex Adam? nemo nascitur, nisi trahens culpam, & culpæ pœnam.* Fortasse Ruffinus hæc scripsit post hæresim Pelagianorum exortam: tamen placuit eius testimonium hic adscribere, quia vixit idem auctor etiam ante illud tempus.

Septimus decimus, sanctus Siricius Papa, in epistola ad Himerium, capite secundo, sic ait: *Infantibus, qui nec dum loqui valent per ætatem, vel his quibus in qualibet necessitate opus fuerit sacra vnda Baptismatis, omni volumus celeritate succurri, ne ad nostrarum perniciem tendat animarum, si negato desiderantibus fonte salutari vnusquisque exiens de seculo, & regnum perdat, & vitam.*

Decimus octauus, sanctus IOANNES CHRYSOSTOMVS in homil. ad Neophytos: *Venit*, inquit, *semel Christus, inuenit nostrum chyrographum paternum, quod scripsit Adam. Illeinimicum inuocabat, nos fœnus auximus posteriorib. peccatis.* Sic enim vertit verba de verbis sanctus Augustinus libro primo in Iulianum, vbi etiam diligenter notauit, Chrysostomum non fuisse contentum dicere: *chirographum paternum*, sed addidisse, *nostrum*, vt intelligeremus, ad nos etiam pertinere, & nostrum esse ipsum Adæ peccatum. Alia loca Chrysostomi vide inferius ca. 8. vbi soluuntur argumenta.

Decimus nonus, sanctus AVGVSTINVS in libr. primo ad Simplicianum (quem scripsit antequam Pelagiana hæresis orta esset, vt ex retractationibus perspicuum est) nam in eo libro, quæstione prima, sic ait: *Illud, est ex pœna originalis peccati: hoc est, ex pœna frequentiæ peccati, cum illo, in hanc vitam nascimur, hoc, viuendo addimus.* Et rursus quæstione secunda: *Sunt igitur omnes homines, quandoquidem vt Apostolus ait, in Adam omnes moriuntur, a quo in vniuersum genus humanum origo ducitur offensionis Dei, vna quædam massa peccati, supplicium debens diuina, summæque iustitiæ, quod siue exigatur, siue donetur, nulla est iniquitas.* His addi possunt Reticius, & Olympus, duo veteres Patres, quorum opera non extant, sed eorum testimonia citat sanctus Augustinus lib. 1. in Iulianum, cap. 2. Habemus igitur auctores supra viginti, qui futuram Pelagianam hæresim de peccato originali redarguendo, ac refellendo præuenerunt.

CAPVT VI.

Probatur eadem veritas ex definitione Ecclesiastica.

NVNC adferemus iudicia non singulorum hominum, sed ipsarum Ecclesiarum, siue Conciliorum, & quibus error ille Pelagij, Cælestij, & Iuliani, quem Faber, Erasmus, & Zuinglius nostro seculo renouarunt, publicè damnatus fuit. Habemus autem iudicia totius orbis terrarum.

Primum enim in Oriente Concilium Palestinum, Episcoporum 14. errorem hunc ita damnauit, vt Pelagium ipsum ad eundem errorem damnandum compulerit. Meminit huius Synodi sanctus Augustinus libr. 1. in Iulianum, capite 2. epist. 106. & alibi.

Deinde in Occidente habemus ex Africa, Concilium Mileuitanum, quod in secundo canone ita statuit: *Placuit, vt quicunque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remissionem peccatorum eos quidem baptizari, sed nihil ex Adamo trahere originalis peccati, quod lauacro regenerationis expietur anathema sit.*

Habemus item ex Africa Concilium Carthaginense nationale frequentissimum, Episcoporum videlicet CCXXVII. quod post confirmationem à Zozimo summo Pontifice obtentam, à toto orbe receptum fuit, vt refert sanctus Prosper in Chronico ad annum CCCCXX.

Ex Hispania habemus Concilium Toletanum VI. cap. primo, vbi sic legimus: *Ex his tribus diuinitatis personis solum filium fatemur ad redemptionem humani generis propter culparum debita, quæ per inobedientiam Adæ originaliter, & nostro libero arbitrio contraximus, resoluenda à secreto Patris, arcanóque prodisse, & humanitatem sine peccato de sancta semper Virgine assumpsisse.* Vide etiam Concilium Toletanum XII. Can. 2.

Ex Gallia habemus Concilium Arausicanum II. Canone 2. vbi sic legimus: *Si quis soli Adæ prauaricationem suam, & non eius propagini asserit nocuisse, aut certè mortem tantum corporis, quæ pœna est peccati. Non autem & peccatum, quod est mors animæ, per vnum hominem in omne genus humanum transisse testatur, iniustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti, Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit. &c.*

Ex Germania habemus Concilium Moguntinum, cano. 5. vbi sic legimus: *Hoc primorum hominum peccatum propagatione in omnes homines transiit, & secum pœnam suam trahit, vt sint omnes homines iræ Dei, damnationis, & mortis rei, & ad peccatum proni.*

Ex Italia habemus responsa veterum summorum Pontificum, Innocentij, Zozimi, Cælestini, Leonis, Gregorij. Nam Beatus Innocentius I. exortum errorem istum, tempore sui Pontificatus, apertè damnauit, vt Augustinus testatur libro primo in Iulianum, capite secundo, & epistola 157. Extat autem epistola eiusdem Innocentij ad Concil. Mileuit. in qua confirmat eius Concil. decreta, & inter alia sic loquitur: *Si ergo nihil volunt offi-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

cere non renasci, fateamur necesse est, nec regenerationis sacra A *fluenta prodesse.&c.* Beati Zozimi epistola ad Episcopos totius orbis non extat,sed hæc verba recitat sanctus Augustinus in epistola 157. ad Optatum: *Fidelis Dominus in verbis suis,cuiusque Baptismus re ac verbis,ad est,opere, confessione,& remissione vera peccatorum,in omni sexu, ætate, conditione generis humani,eandem plenitudinem tenet. Nullus enim,nisi qui peccati seruus est,liber efficitur,nec redemptus dici potest,nisi qui vere per peccatum fuerit antè captiuus ,sicut scriptum est: Si vos filius liberauerit,vere liberi eritis. Per ipsum enim renascimur spiritualiter,per ipsum crucifigimur mundo : ipsius morte mortis ab Adam omnibus nobis introductæ , atque transfusæ vniuerso animæ illud propagatione contractum chirographi rumpitur, in quo nullus omnino natorum, antequam per Baptismum liberetur,non tenetur obnoxius.* Post hæc verba recitata ita subiũgit Augustinus: *In his verbis Apostolicæ sedis tam antiqua,atque fundata,certa,& clara est Catholica fides,vt nefas sit de illa dubitare Christiano.*

B. CÆLESTINVS in epist.ad Gallos prima, post finem epistolæ annectit aliquot capitula,quibus quidquidcontrarium est,minimè Catholicum habẽdum esse pronunciat,in 4.ca. sic ait: *In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem,& innocentiam perdidisse.* In capite duodecimo sic rursus loquitur: *Illud, quod circa baptizandos in vniuerso mundo sancta Ecclesia vniformiter agit,non ocioso contemplamur intuitu.cum siue parvuli, siue iuuenes ad regenerationis veniunt Sacramentum,non prius fontem vitæ adeunt, quam exorcismis,& exsufflationibus clericorum,spiritus ab eis immundus abigatur: vt tunc vere appareat, quomodo princeps mundi huius mittatur foras, & quomodo prius alligetur fortis, & deinceps vasa eius diripiantur in possessionem translata victoris, qui captiuam ducit captiuitatem,& dat dona hominibus.*

Sanctus Leo primus in epistola 86.ad Nicetam Aquileiensem ita loquitur: *Sed ab istis ideo per naturalem industriam dicitur præueniri,vt quæ ad gratiam proprio clara sit studio , nullo videatur peccati originalis vulnere sauciata. Ideo etiam parvulos dicunt,si sine Baptismo hinc de seculo exierint, non posse damnari,neque reos in peccato Adæ teneri, sed ad regnum, vel ad vitam æternam sine vlla cunctatione venire,cum Apostolus dicat, Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit,& per peccatum mors , & ita in omnes homines pertransiit, propter quod & ipsi parvuli baptizantur.* C

Sanctus GREGORIVS in epistola quinquagesima tertia libri septimi ad Secundinum: *Illud,* inquit, *incertum non est,quia nisi sacri Baptismatis gratia , fuerit renatus homo, omnis anima originalis peccati vinculis est obstricta.* His accedunt,Postrema Concilia vniuersalia duo, Florentinum, & Tridentinum,quorum illud in litteris vnionis sic docet: *Illorum autem animas,qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt,mox in infernum descendere,pœnis tamen disparibus puniendas:* Istud autem sessione quinta in decreto de peccato originis, ad verbum repetit decreta Conciliorum veterum Mileuitani,& Arausicani. Quæ cùm ita sint nulla omninò remanet de fide Catholicæ Ecclesiæ dubitatio:vt non potuerint Erasmus,Faber, Zninglius, atque Anabaptistæ sine incredibili temeritate errorem toties damnatum,iterum innouare. D

CAPVT SEPTIMVM.

Res eadem rationibus confirmatur.

SED accedant, Postremo etiam rationes, ex variis principiis ductæ. Prima ratio ducitur ex Baptismo,eaque inuicta prorsus , & insolubilis, qua veteres passim vsi sunt. Infantes continuò baptizandi sunt,si periculum sit,ne in ea ætate moriantur,vt ex Apostolica traditione docet S.Dionysius in lib.de Ecclesiastica Hierarchia, capit.vlt. Origenes homil.8.in Leuiticum,B.Cyprianus libr. 3. epist.8.sanctus Hieronymus libr. 3. aduersus Pelagianos extremo,sanctus Augustinus lib.4.de Baptismo , contra Donatistas,cap.24.neque id Pelagiani,aut Zuinglius,vel Erasmus negauerunt:& semper in Ecclesia fuit hæc solicitudo fidelium,vt diligentissimè prouiderent, ne quis omninò,siue adultus,siue infans absque Baptismo decederet,vt perspicuum est ex epist.Siricij, suprà citatâ , ad Himerium,ca.2.& ex epist.28. sancti Augustini , ad sanctum Hieronymum.Et præter Apostolicam traditionem habemus verbum ipsum scriptum,quod ea traditio nobis explicuit clarius: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto,non potest introire in regnum Dei.* Ioan. 3.

Certum autem est , Baptismum dari ad remissionem peccati.Nam qui baptizantur, *renascuntur ex aqua,& Spiritu sancto* , Ioan. 3. Cur autem renasci debet per gratiam, cuius generatio corrupta non fuit per peccatum? B

Item qui baptizantur,moriuntur peccato,&resurgũt, *Vt in nouitate vitæ ambulent,* Rom.6. Quomodo verò mori potest peccato, qui peccatum nullum habet? Rursus qui baptizantur,mundantur,& lauantur,Eph.quinto: *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Tit.3. *Per lauacrum regenerationis,& renouationis , &c.* Actor. 22. *Ablue peccata tua inuocato nomine ipsius.* Quî autem fieri potest , vt mundetur,& lauetur , qui sordes, aut maculas nullas habet?

Denique idem ostẽdit forma Baptismi. Siue enim per formam intelligamus verba illa : *Ego te baptizo, &c.* Siue symbolum illud externum quod est similitudo rei internæ:falsa erit forma Baptismi,vt Concilia allegata testantur,si Baptismus non datur in remissionem peccatorum. Nam quid est: *Ego te baptizo*,nisi,ego te lauo, vel mundo, iuxta Scripturas definientes Baptismum,lauacrum regenerationis,quo mundamur in verbo vitæ:quid verò significat symbolum illud externum , quo mergimur in aquam,& emergimus ex aqua,nisi(vt Apostolus ipse docet Rom.6.) *Mori nos peccato,vt resurgamus iustitiæ?* Quare dubitari non potest.quin infantes , quibus necessarium esse Baptismum ex verbo Christi,& Apostolica traditione monstratum est,peccatum habeant , quod secum ex vtero matris adduxerint.

SECVNDA ratio ducitur à cæremoniis Baptismi antiquissimis,& in Ecclesia vniuersa celebratis.exorcismo videlicet,& exsufflatione.Quo argumento vritur passim sanctus Augustinus,vt libro 1.de peccatorum meritis & remiss.cap. 34.lib. 1.de nuptiis,& concupiscentia, c.20. & lib.6.in Iulianum , cap. 2. vtuntur etiam Cælestinus Papa in epist.ad Gallos,& alij posteriores. Nam Pelagiani reprehendere nec poterant , nec audebant vsum vniuersæ Ecclesiæ, quo per exorcismum, & exsufflationem ab infantibus baptizandis spiritus immundus abigitur. Sic enim scribit Augustinus lib. 6. in Iulianum. cap. 2. *Id tu commemorare timuisti,tamquam ipse a toto orbe exsufflandus esses,si huic exsufflationi,qua princeps mundi à paruulis eijcitur foras,contraducere voluisses.* Quod si spiritus immundus infantes ante Baptismum possidet , negari non potest, quin eos per peccatum captiuos teneat. Neque enim permitteret Deus creaturam suam à diabolo possideri, nisi sibi eam per peccatum ipse antea subiecisset. A quo enim quis superatur,eius & seruus efficitur.

TERTIA ratio ex circumcisionis mysterio.Circumcisio siquidem ex sententia sancti Augustini libr.16. de Ciuitate Dei,cap.27.sancti Gregorij libro 4.Moralium, cap. 2. sancti Bernardi epistol.77. & Innocentij III. cap. Maiores,de Baptismo,& eius effectu,ad peccatum originis purgandum instituta fuerat:ex aliorum verò sententia,si non ad tollendum peccatum originale, certè ad significandam eius purgationem referebatur. Nam ideo in eo membro fieri iussa est, in quo euidentius peccati illius effectus apparet,& per quod genus humanum carnaliter propagatur,& propagatione inficitur. Vide Augustinum tract.30. in Ioannem.

Quarta

Quarta ratio ex pœna peccati.Mors pœna peccati est, A vt ex eo constat,quod dictum est primo parenti: *Quatunque die comederis ex eo,morte morieris*,Gen.2.Moriuntur autem omnes,& ipsi etiam infantes,qui propria voluntate nihil egerunt boni, vel mali , igitur peccatum quoddam in infantibus inest,quod non committitur propria voluntate,sed ipsa propagatione à parentibus trahitur.

Neque responderi potest,mortem fuisse pœnam Adamo,filiis autem non esse pœnam,sed infortunij,& calamitatem,queinadmodum cũ quis ob culpam suam adinopiam redactus,filios paupere gignit , ipsi quidẽ inopia pœna peccati est,filiis autem infelicitas,& miseria.

Hoc,inquam,responderi nõ potest. Nam Deus per Ezechielem testatur,se nõ affligere filios ob culpas parentum.Sic enim legimus Ezech.18. *Quid est,quod parabolam istam vertis in prouerbium in Israël,dicentes: Patres comederunt vuas acerbas,& dentes filiorum obstupescunt? Viuo ego dicit Dominus , si erit vltra vobis parabola hæc in prouerbium in Israel:Ecce omnes animæ meæ sunt,vt anima patris, ita anima filij mea est: Anima quæ peccauerit,ipsa morietur.filius non portabit iniquitatem patris,nec pater portabit iniquitatem filij.* B

Neq; huic loco repugnat quod legimus in Exodo,capite 20.*Ego sum Dominus tuus fortis,zelotes , visitans peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem.* Nam Deus punit peccatum patrum in filiis non semper,sed tunc solùm , cum filij imitantur peccata patrum,vt docent sancti Patres,Hieron.in comment.ad ca. 18. Ezechiel. Augustinus in Psalm. 108.in illa verba : *In memoriam redeat iniquitas patrum eius.* Et in libro contra Adimantum,ca.7. Chrysostomus homil.29.in Genesin,tractans illud: *Mala dictu puer Chanaam,* & hom. 75. in Matthæum.Gregorius lib.15.moralium. ca. 22. & Thomas in 1. 2. quæst. 87.articulo octauo.Quos sequuntur ferè omnes recentiores,& hoc ipsum indicat Scriptura,cùm ait: *His qui oderunt me.* Non enim simpliciter Deus dicit,se puniturum peccata patrum in filiis,sed in iis,qui eum oderunt.

Itaq; non puniuntur filij prò patribus,quasi non mereantur eam pœnam peccata filiorum aut magis puniantur quàm meriti sunt,sed quia nisi præcessissent peccata parentum,Deus eos fortasse non puniuisset in hoc mundo,sicut parentes eorũ non puniuit. Cùm igitur infantes non sint rationis capaces,ac per hoc non imitentur peccata patrum,& tamen puniantur pœna omnium grauissima,quæ est mors temporalis,& æterna,sequitur necessariò , vt habeant aliquod aliud peccatum , ob quod iustè puniantur,& hoc est,quod originale vocamus. C

Quocirca sanctus Paulus absolutè pronunciat , *Mortem stipendium esse peccati*,ad Romanos 6.Et, *Acideum mortis esse peccatum.* 1.ad Corint.15.Et in libro Sapientiæ,ca. 12.legimus: *Cum ergo sis iustus , iuste omnia disponis , ipsum quoque qui non debet puniri,condemnare extraneum astimas a tua virtute.* Et Iob ca. 4. *Quis vnquam innocens periit? aut quando recti deleti sunt?* Denique S. AVGVSTINVS li.1. retract. ca.9.*Omnis*.inquit,*pœna,si iusta est,pœna peccati est , & supplicium nominatur.* D

Quinta ratio ex passione,& morte Domini. Dominus enim pro iniustis passus,& mortuus est,Isaiæ 53.*Si posuerit pro peccato animam suam , videbit semen longæuum.* ad Roman.5.CHRISTVS *secundum tempus pro impiis mortuus est.* 1.Pet.3.CHRISTVS *semel pro peccatis nostris mortuus est,iustus pro iniustis.* Mortuus autem est pro omnibus , vt eadem Scriptura testatur, 2. ad Corinth. 5. *Pro omnibus mortuus est Christus.* 1.ad Timoth.2. *Dedit redemptionem seipsum pro omnibus.* Igitur omnes iniusti,& peccatores sunt, aut certè fuerunt.

Sexta ratio ex parabolis,& figuris. Nam ouis centesima,quæ aberrauit à grege,& drachma perdita, Luc. 15. omnium consensu naturam humanam vniuersam significabant. Ille etiam,qui Lucæ 10. descendẽs ab Hierusalem in Hiericho incidit in latrones,atq; ab eis spoliatus, & semiuiuus relictus , iacebat in via; sine controuersia genus humanum designat,quod à Sathana in primo parente gratiæ cœlestis indumento exutum,& plagis confectũ ita iacebat,vt semiuiuus rectè dici posset , cùm ablata esset animæ vita gratiæ,non vita naturæ.

Septima ratio ex diuerso iudicio,& sensu Sanctorum, & Ethnicorum in natalitiis hominum. Siquidem Ethnici,qui peccatum originis ignorabant,magna celebritate colebant natales dies,ac potissimum Reges & principes. Gen.10.Phatao conuiuium solemne die natalitiorum suorum:idem facit Matt.14 Herodes.idem passim legitur in historiis gentilium. Contra verò Sancti diem suum natalẽ ob originis corruptionem deplorant: *Pereat dies,in qua natus sum,* inquit Iob ca. 3.& Hieremias ca.20. *Maledicta dies,in qua natus sum.* Abraham quoque filij sui non diem natalem , sed diem ablactationis celebrauit Gen.21.Porrò Ecclesia Christiana natalitia Sanctorum festiuis gaudiis recolit,sed ea natalitia vocat,non quibus cum peccato nascuntur ad vitam mortalem , sed quibus pur temporalem mortem transeunt ad vitam beatam, & immortalem. Scit enim *pretiosam esse in conspectu Domini Sanctorum eius mortem.* Psal.115. Et, *Beatos esse mortuos,qui in Domino moriuntur.* Apoc.14. B

Octaua ratio ex antiquitate sententiæ Catholici,& nouitate erroris cõtrarij. Vna enim ex præcipuis notis hæreseos est,si post fidẽ Catholicam prædicatã , & receptam, & longo tempore cultam noua aliqua opinio exoriatur, quæ nouitate sua perturbet animos fidelium assuetos iam dudum contrariæ doctrinæ. Talẽ fuisse doctrinã Pelagij, quæ negat originale peccatũ,restatur his verbis S. Augustinus in lib.3.de pec.mer.& remiss c.6.& 7.*Vnde in hoc negocium repente emersit,nescio. Nam inter parvum tempus a quibusdam transitorie colloquentibus,eursum mihi aures perstrictæ sunt,cum illic apud Carthaginem essemus, non esse parvulos baptizari,vt remissionem accipiant peccatorum,sed vt sanctificentur in Christo. Quæ nouitate permotus,& quia oportunum non fuit,vt contra aliquid dicerem,& non tales homines erant , de quorum essem auctoritate sollicitus facile hoc in transactis , atque abolitis habui. Et ecce contra Ecclesiam iam studio flammante defenditur ecce scribenda etiam memoria commendatur.ecce res in hoc diffiminis adducitur,vt hinc etiã à fratribus consulamur , ecce contra disputare , & scribere cogimur.* Hæc ille , qui in eodem loco testatur,se apud nullum scriptorẽ ante Pelagium vnquã legere potuisse,homines nasci sine peccato originali, Quin etiã adeò fuisse hoc dogma de peccato originis in Ecclesia fixũ,ac certũ,vt ex eo quæstiones aliæ solueretur.

Hoc etiam nostro seculo Pelagiana hæresi iamdudum extincta,Iacobus Faber,& Zuinglius,qui eandem hæresim ab inferis excitarunt , apertè fatentur , sententiam suam esse contrariam doctrinæ omnium scholarium , ac per hoc nouam, siue potius, vt diximus , tenouatam.

CAPVT OCTAVVM.

Diluuntur obiectiones ex Scripturis.

SVPEREST vt argumenta soluamus , quæ Primum à Scripturis , Deinde à Patribus, Postremò à ratione ducuntur. Primo loco adferam testimonia Scripturarũ, quæ olim Pelagiani obiiciebant : Deinde quæ Zuinglius postea adiecit. Primum testimonium ex testamento vetere,erat illud Ezech. 18. *Filius non portabit iniquitatem Patris.* Hoc testimonium, vt potissimum in hac causa protulerat olim Iulianus, protulit etiam nostro sæculo Zuinglius in libro de Baptismo,in digressione de peccato originis.

Respondit S.Augustinus lib.6.in Iulianum,ca 12. verba Ezechielis esse Prophetica , iisque promitti beneficium testamenti noui,quo per regenerationem delendũ erat chirographum paternum , vt non amplius noceret peccatum veteris Adami , iis , qui ad nouum Adamum

per

Universidad de Deusto
Biblioteca

per Baptismum pertinere cœpissent. Quod euidentius scribitur à Hieremia,ca.31.his verbis: *In diebus illis non dicent,Patres manducauerunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt.Sed vnusquisque in suo peccatomorietur.Omnis homo,qui comederit vuam acerbam obstupescent dentes eius. Ecce dies veniunt,dicit Dominus,& feriam domui Iudafœdus nouum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris in die,qua apprehendi manum eorum,vt educerẽ eos de terra Aegypti:pactum quod irritũ fecerunt,& ego dominatus sum eorum,dicit Dominus. Sed hoc erit pactum,quod feriam cum domo Israël post dies illos, dicit Dominus,dabo legem meam in visceribus eorũ,& in corde eorũ scribam eã,& ero eis in Deũ,& ipsi erũt mihi in populum,quia propitiabor iniquitati eorũ,& peccati eorũ nõ memorabor amplius.*

Sed obseruandum est hoc loco, duobus modis posse fieri,vt filius non portet iniquitatẽ patris, Vno modo si per nouam generationẽ transferatur ab illo patre ad aliũ: & hoc modo promittit Deus per Hieremiã futurum in testamento nouo vt homines per generationẽ translati ab Adamo ad Christũ,non portẽt iniquitatẽ Adami: Altero modo,si non imitetur iniquitatẽ patris, nec sit particeps peccati illius: & hoc modo videtur Ezechiel dicere,Filiũ non portaturum iniquitatem patris,vt exposuimus capite superiore.Ezechiel enim apertè prohibet ipsis Iudæis nomine Dei,ne vrantur eo prouerbio: *Patres comederunt vuas acerbas, & dentes filiorum obstupescũt.*Et rationem reddit, *quia aqua sunt viæ Domini, & omnes animæ eius sunt,&c.*Et iuxta hanc expositionem promptum est Pelagianis respondere,Filios non regeneratos,non portare iniquitatẽ patris,sed suam,peccatum enim originale tamet si ab Adamo est,non tamen Adami,sed nostrum est.

Itaq; idem S.Avgvstinvs,qui hoc loco contẽtus fuit dicere,filios non portare iniquitatem patris,quando regenerati sunt:in eodem lib.6.in Iulian.c.4.dixerat etiã ante regenerationẽ filios non portare aliena peccata,sed propria: *Paremum,*inquit,*peccata modo quodam dicuntur aliena,& rursus modo quodam reperiuntur & nostra. Aliena quippe proprietate sunt actionis, & nostra sunt contagione propaginis. Quod si falsum esset,profectò graue iugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum,nullo modo iustum esset.*Hæc ille.

Secundum testimonium adferebant Pelagiani ex illis verbis Rom.5.*Sicut per vnius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi.&c.*Si enim non imitatione,sed propagatione peccatores constituerentur homines ob inobedientiam Adami,nõ diceret Apostolus,multi,sed omnes,Respondet S.Augustinus in eodem libro 6.in Iul. c. 12.per multos intelligi debere omnes, qui nascuntur ex Adamo,qui verè sunt multi.Possunt enim aliqua esse omnia,quæ tamen non sint multa, vt Euangelia quatuor, sunt omnia non multa: Possunt etiam esse multa, quæ non sint omnia,vt credẽtes in Christum multi sunt, non tamen omnes;quia non omnium est fides.

Apostolus igitur valdè propriè dixit,multos constitui per Adamum peccatores,& multos iustos per Christum, quia omnes,qui nascuntur ex Adamo,constituuntur peccatores,& illi sunt multi,non tamen omnes simpliciter, cùm Heua sit homo,& tamen non sit per Adamum iniusta constituta,& Christus etiam sit homo, & tamen nec sit ex Adamo,nec peccator:& similiter omnes,qui renascuntur in Christo, constituuntur iusti, & hi sunt multi, sed non omnes simpliciter,quia non omnes renascuntur in Christo.

Porrò Scriptura vtrũq; dixit,& multos,& omnes. Ait enim: *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem,sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ,sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi,ita & per vnius obeditionẽ iusti constituentur multi.*Cũ dicit,*omnes,*significat,neminem esse ex Adamo, qui non sit peccator,neminem ex Christo,qui nõ sit iustus,& similiter neminẽ esse peccatorem,qui nõ sit ex Adamo,neminẽ esse iustũ,qui nõ sit ex Christo. Cùm dicit (*multos*) significat illos,quos dixit omnes,non esse omnes simpliciter,sed tamen absolutè,& simpliciter multos.

Similis locus est in cap.17.Gen.*Patrem multarũ gentium posui te.*Et ca.22.*In semine tuo benedicentur omnes gentes.*Vbi videmus eos, qui promittuntur, Abrahæ in filios, nunc dici multos, nunc omnes, quia omnes sunt in quodam genere,& tamen simpliciter non omnes,sed multi.

Dicet aliquis,si omnes,qui nascuntur ex Adamo, contrahunt originale peccatum,cur Apostolus in eodem ca. scribit: *Gratiam Dei per Christum abundasse in plures, quam peccatum abundauerit per Adamum?* Respondeo, vocem illam(*plures*)non significare comparationẽ eo loco, sed æquiualere voci(*multos.*)Nam in textu Græco nõ est πλέονας,sed πολλούς.Itaque sensus est, Gratiam Dei per Christum non fuisse restrictam ad vnum, vel duos,sed abundasse in plures, sicut peccatum non solùm infecit Adamum,& filios,sed alios plurimos.Atque hoc quod est abundare in plures,multò magis conuenit gratiæ, quàm peccato,cùm gratia sit potentior,& efficacior.

Tertium testimonium sumebant exe odem loco Apostoli:*Per vnum hominem peccatum in mundum intrauit.*Nam si peccatum intrãsset in mundum per generationem,non diceret Apostolus,per vnum hominẽ,sed per duos homines.Generatio enim duos requirit.Respõdet auctor Hypognostici lib.2.dictum esse,*Per vnum hominem,*quia vir & mulier coniuncti per matrimonium, non sunt duo, sed vna caro,vt Dominus dicit Matt.19. Addit idem auctor, Scripturam,vt satisfaceret curiosis Pelagianis, vtrumq; dixisse,per vnum,&per vnam.Nam Rom.5.ait:*Per vnum hominem.*Ecclesiast.25.ait:*A muliere initium factum est peccati,& per illam omnes morimur:*Possumus adiũgere tertiam solutionem,Apostolum dixisse:*Per vnum hominem,* id est, Adamum,quia primaria caussa peccati originalis nõ Heua,sed Adam fuit.Tum quia peccatum Adami, non Heuæ traducitur in posteros,Tum quia vir caussa est actiua generationis,mulier passiua.Quare si Heua peccante Adam,in innocentia permansisset,non haberent ipsorum filij originale peccatum,& contra haberet illud, si Heua in innocentia permanente solus Adam peccasset.

Quartum testimonium accipiebant ex verbis illis Apostoli Pauli 2. ad Corinthios quinto: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis,sicut gessit, siue bonum, siue malum.* Respondet sanctus Avgvstinvs libro 6. in Iulianum, capit. 4. paruulos vel manifestandos esse ante Christi tribunal, vel non manifestandos:si non manifestandos, quia videlicet de adultis tantùm loquatur Apostolus, nihil hanc sententiam ad paruulos pertinere,ac per hoc non probari hoc testimonio non esse in paruulis originale peccatum:si manifestandos,paruulos non regeneratos reporturos quod gesserunt per alios,id est, peccatum, sicut reportabunt paruuli regenerati,quod gesserũt per alios, id est,meritum fidei. Sicut enim prodest paruulis, dum baptizantur.quod per alios credunt,& ideo inter fideles & iustos numerantur à Christo:Sic eriam mirum non est si eis noceat quod fidem & iustitiam amiserunt per aliũ, & ideo inter infideles,& iniustos numerantur à Christo, atque ad eorum gregem pertinent,de quibus præcursor Domini dicit: *Qui non credit in filium,non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*Ioan.3.

Quintum testimonium adducit Zninglius in lib. de Baptismo,ex cap.3.& 4.ad Rom.his verbis: *Nunc Scripturæ testimonia,quæ polliciti sumus,proferemus.Paulus ad Romanos tertio,peccati cognitionem per legem oboriri dicit.Vbi ergo legis cognitio nulla est,ibi nec peccati cognitio esse potest.Vbi verò cognitio peccati non est,ibi nec præuaricatio est, adeóque nec damnatio quoque ibidem esse potest. Idem enim hoc Paulus testatur ad Romanos quarto dicens, Siquidem vbi non est lex, ibi nec transgressio est. Iam ergo testimoniorum istorum vim,& potentiam considera,quæ tanta est,vt omnia omnium Theologorum de originali peccato commenta penitus subuertat. Morbus enim hic nobis damnationem adferre nequit,quæ tum demùm subsequitur, cùm legem oculis nostris expositam conspicati, adhuc tamen morbo hoc,& affectu corruptæ naturæ impulsi,legem transgredimur.*

Respondeo, Zuinglium ex duobus Scripturæ testimoniis non syllogismum, sed paralogismum texuisse. Nam ex illo testimonio: *Per legem cognitio peccati*,ad Rom. tertio,deduxit, Vbi nulla est cognitio legis, nullam esse præuaricationem.Quam consequutionem nõ rectè probauit ex illo alio testimonio, *Vbi lex non est, nec præuaricatio*,ad Roman.quarto.Non enim Apostolus ait, vbi legis cognitio non est,nec præuaricatio est:quæ erat Zuinglij collectio: Sed vbi lex nõ est,nec præuaricatio est.Et quidem quod Apostolus ait verissimum est, non enim potest fingi præuaricatio, nisi sit lex, quæ præuaricando violetur. Quod autem Zuinglius ait falsum est, cùm sæpè fiat, vt aliqui legem ignorent, & tamen eam verè præuaricentur.Vnde sunt peccata, quæ dicuntur ignorantiæ,quæ peccata lethalia esse possunt,si ignorantia sit voluntaria,qualis est eorum,de quibus dicitur:*Noluit intelligere, vt bene ageret.*

Itaque beatus Paulus ad Romanos secundo ait: *Qui sine lege peccauerunt,sine lege peribunt.* Esse autem sine lege, teste ipso Zuinglio in declaratione de peccato originis, est legem ignorare. Nam alioqui, vt ipse dicit, nemo est sine lege. Sunt igitur aliqui, qui legem ignorant,& tamen peccant: & pereunt, ac per hoc falsum est, quod ipse ait,vbi legis cognitio non est, nec præuaricatio aut damnatio est.

Rursus aliam propositionem Zuinglius assumpsit, quam non probauit,illam videlicet, vbi non est præuaricatio, ibi nec damnatio esse potest. Et quidem si de præuaricatione in vniuersum,siue ea propria, siue communis sit,Zuinglius loqueretur, admitti posset ea propositio,quamuis eam ipse nullo argumento cõprobauerit,sed ex ea nihil efficeret contra originale peccatũ.Paruuli enim,qui vsu rationis carent, non habent quidem præuaricationem propriam, ob quam damnentur: sed habent communẽ quandam toti humano generi, de qua loquitur Apostolus,cùm ait: *In quo omnes peccauerunt*, ad Rom.5.ob quam vniuersum iure damnatum est.

Cæterum,quia sine dubio Zuinglius de propria præuaricatione loquitur,id est,quæ propria voluntate committitur,ideo illam eius propositionem,Vbi nõ est præuaricatio,ibi nec damnatio esse potest, falsam esse contendimus,&Scripturis cõtrariam.Nam idem Apostolus, qui ad Rom.9.dicit,infantes nihil boni,nihil mali fecisse ac per hoc nullam legẽ propria voluntate præuaricatos esse Idem ad Ephes 2.scribit: *Omnes esse natura filios iræ.*Et ad Rom.5.*Vnius delicto in omnes homines in condemnationem.*

Denique Zuinglius illud assumit,quod potissimùm in quæstione versatur,solam videlicet præuaricationẽ,quæ est actuale peccatum,esse propriè peccatum, quod homi nem damnare potest.Id enim Catholici omnes negãt,& contrarium testimoniis multis Scripturarum apertissimè probant.Ipse verò probauit quidem ex Scripturis, per legem cognosci peccatum, & vbi lex non est, non esse præuaricationem: quæ duo extra controuersiam sunt: sed, vbi non est præuaricatio, non esse damnationem, quod vnum ei probãdum fuerat,nulla ratione probauit, sed assumpsit, vt certum, quod vitium dialectici vocant: petere principium, quo nihil absurdius in disputatione committur.

Sextum testimonium petit idem Zuinglius in eodem lib.ex illis Apostoli verbis ad Rom.7. *Absq; lege peccatum erat mortuum.ego autem viuebã sine lege aliquando.Porrò veniente mandato peccatum reuixit.Quando*, inquit Zuinglius, *sine lege vixisse dicemus Apostolum?nempe cùm puer adhuc esset, & ætate tener. Alioquin enim sine legenemo esse potest.*Sed clarius ex hoc loco argumentũ formar idẽ Zuinglius in declaratione de peccato originis, propè finem. Ibi enim probat, paruulos,& non baptizatos,esse in statu innocentię,hoc argumento:*Quamdiu,*inquit,*paruuli legis capaces non sunt, in statu esse innocentiæ,nos incunctanter de nostris asserimus,fulti auctoritate Pauli ad Romanos quarto. Vbi enim non est lex, ibi nec præuaricatio.Sunt autem teneri,inexperti,legumque rudes, non minus sine lege, quàm Paulus:ergo non transgrediuntur,prouindeque nec damnantur.Perhibet autem Paulus,se aliquando sine lege vixisse, ad Rom. 7. id autem de nulla ætatis eius parte, quam infantia,puerituaue intelligendum est. Peccatum ergo tum ei mortuum fuerit,at vbi lex vixerit,tam se mortuum esse testatur. Eodem modo nos, quamdiu sumus per ætatem rudes legis, non peccamus ipsi: vbi verò lux legis affulsit, iam res reddimur.* Hæc ille.

Respondeo,hoc argumentum nihil concludere propter tres caussas. Primum enim illud: *Absque lege peccatum mortuum erat*, non significat peccatum simpliciter non fuisse,sed non fuisse cognitum, nec reputatum pro peccato,quamuis re vera peccatum esset. Sic enim idem Paulus docet ad Rom.5.*Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo:Peccatum autem non imputabatur,cùm lex non esset.* Vbi illud: *Non imputabatur*, significat peccatum non fuisse ab hominibus pro peccato habitum, donec lex Mosis peccatum prohibendo,ipsum apertè manifestauit.Quod enim peccatum à Deo imputatum fuerit,per spicuum est ex pœna peccati quę est mors,toti generi humano communis.Itaque in paruulis sine lege (vt Zuinglius docet) viuentibus peccatum est mortuum, id est, occultum, & latens,non autem nullum omninò, ac per hoc non sunt paruuli in statu innocentiæ,sed in statu peccati, & damnationis rei, quàmdiu per Baptismum non renascuntur in Christo.

Deinde illud, Ego autem viuebam sine lege aliquando,non cogimur intelligere, vt vult Zuinglius, de paruulis & de lege naturæ. Nam ista eius interpretatio fuit olim Origenis in Commentario huius loci.Sed refutata est optimis argumẽtis à S. Ioanne Chrysost.in commen.eiusdem loci.Est autem expositio communior sanctis Patrib.quod Apostolus loquatur in persona naturæ humanæ,qualis erat ante legẽ Mosis, & sententia huius loci hæc sit,Peccatum absque lege Mosis mortuum erat, quia non cognoscebatur vt offensa Dei, nec vt reatum mortis adducens.Homines autẽ viuebant sine lege,Mosis,videlicet,aliquando,& ideo in oculis eorũ ignorantia excæcatis,peccatum mortuum erat,sed vbi lex aduenit, peccatum reuixit,quia cognosci cœpit.Vide Comment. Chrysost.& Theophylacti,necnon Ambrosij (siue quicunque is fuit auctor)Haymonis, Anselmi, Thomæ, & aliorum in hunc locum Denique etiã Augustinum lib. 1.ad Simplicianum q.1.& lib 83.q 66.

Postremò,si consideremus hoc testimonium propriè ad paruulos pertinere,non propterea efficeretur,paruulos nondum baptizatos esse in statu innocentiæ: sed solùm carere eos peccato actuali, quod propria voluntate commirtitur.Qui enim sine lege sunt,id est,vt Zuinglius explicat,legẽ nõ nôrunt,neq; eius noscẽdę capaces sunt, non possunt actione propria legẽ pręuaricari.At quæstio nostra est,an præter actuale peccatum,non sit etiam aliquod aliud verè,ac propriè dictum peccatum,quod non actione propria committatur,sed à parentibus per generationem trahatur. Ad quam quæstionem nihil omninò pertinet locus Apostoli à Zuinglio adductus.

Septimvm testimonium adducitur ab eodẽ Zuinglio,tumin lib.de Baptis tum in declaratione de peccato originis,ex c.5.ad Rom.vbi sic Paulus loquitur: *Regnauit mors ab Adam.vsque ad Mosem.in eos quoque,qui non peccauerunt in similitudinem prævaricationis Adam.* Nam ex hoc loco Zuinglius colligit,mortẽ quidẽ ex primo parẽterra hi,nõ autẽ peccatũ. Sed facilis est respõsio.Nã Apostolus (vt suprà diximus) demonstrare voluit legem Mosis, fuisse in mundo peccatum, & omnes homines fuisse peccatores, tametsi peccatum non ita perspicuè cognoscer

Universidad de Deusto
Biblioteca

gnoscerentur, vt offensa Dei. Id verò probat ex morte, A quæ est pœna peccati, & in omnibus regnat, & regnauit etiam illo tempore, quo peccatum non perspicuè cognoscebatur, idest, ab Adam vsque ad Mosem.

Quare non dicit Apostolus mortem regnâsse in eos, qui nullo modo peccauerunt (si enim hoc diceret, neque probaret quod volebat, & verbis illis suis repugnaret, mortem omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt) sed dicit, mortem regnâsse in illos, qui non peccauerunt in similitudinem prævaricationis Adam, id est, qui non peccauerunt propria actione contra legem planè perspectam, & cognitam quemadmodum peccauit Adam. Itaque ex verbis Apostolicis habemus, omnes homines mori, & peccatum habere, vel habuisse, quamuis nó omnes peccauerint actuali peccato, vt peccauit Adã.

CAPVT NONVM.

Explicantur testimonia Patrum, quæ Pelagianis in speciem fauere videntur.

EX Patribus pauci quidam sunt, qui pro sententia Pelagianorum adduci possent, videlicet Clemens Alexandrinus, Ambrosius, Arnobius, S. Ioannes Chrysostomus, & Theodoretus. Clemens lib. 3. Stromat. sub finem, sic ait: *Dicant ergo nobis, vbi fornicatus est infans natus, vel quomodo Adæ ceciderit execrationem, qui nihil est operatus?*

At non satis constat, cuius hæc verba sint ipsius ne Clementis, an hæreticorum quibus in eo stromate Clemens disputat. Ac probabile est, illis verbis cõtineri obiectionem Iulij Cassiani, & aliorum, qui docebant malam esse generationem, & ea de causa nuptias damnabant. Illi enim prolato testimonio sancti Iob: *Nemo mundus à sorde, nec si fuerit infans vnius diei*: Inde colligebant, infantes nasci immundos, & peccatores: & quoniam certum est, non esse infantes propria aliqua actione pollutos, cùm nec fornicati, nec aliquid eiusmodi facere possint, efficiebant malam esse generationem, quandoquidem ex ea homines procreantur immundi. Sic enim cõtinuò subiicit Clemens: *Restat ergo eis (vt videtur) consequenter vt dicant malam esse generationem, non solum eam quæ est corporis sed etiam eamquæ est animæ.* Itaque hæretici illi peccatum originis non negabant, sed asserebant potius, & ex ea assertione errorem suum astruere conabantur.

Sanctum Ambrosium adducit Michael Servetus (teste Sixto Senense libro sexto Bibliothecæ sanctæ, annotatione 236.) contra peccatum originale, propter illa verba, quæ habentur in commentario capitis quinti ad Romanos: *Mors dissolutio corporis est, cùm anima a corpore separatur. Est & alia mors, quæ secunda dicitur in gehenna, quam non peccato Adæ patimur, sed eius occasione propriis peccatis acquirimus, a qua boni immunes sunt, tantum quod in inferno erant, sed superiori, quasi in libera, quia ad cœlum ascendere non poterant.*

Sed facilis est responsio. Nam neq; commentaria illa censentur Ambrosij, neque auctor eorum commentariorum quidquam scripsit contra doctrinam Ecclesiæ de peccato originis, sed eam potius, vt capite quinto ostendimus, apertissimè confirmauit. In verbis autem paulò ante citatis, nihil aliud auctor ille docet nisi pœnam originali peccato debitam non esse gehennam ignis, hoc est, pœnam sensus, vt recentiores Theologi loquuntur, sed carentiam æternæ beatitudinis, quæ pœna damni appellari solet, quam pœnam, qui sustinent, in inferno quidem degunt, sed in parte quadam eius loci superiore, atque altiore, quàm vt ad eam gehennæ flamma pertingere queat.

Hanc verò esse auctoris illius sententiam, ex eius verbis intelligi potest: nam postquam dixerat, ob peccatum originale fuisse homines, alioqui bonos, in inferno, neque ad cœlum ascendere potuisse, ita subiunxit: *Sententia enim tenebantur data in Adam: quod chirographum in decretis morte Christi deletum est. Sententia autem decreti fuit, vt vnius hominis corpus solueretur super terram: anima verò vinculis inferni detenta exitia pateretur.* Et infrà: *Paterno autem peccato ex Dei sententia erat apud inferos gratia Dei abundans in descensu Saluatoris, omnibus dans indulgentiam, cum triumpho sublatis eis in cœlum.*

Iam verò Arnobius tertio loco adduci potest, qui in commentario Psalmi 50. sic loquitur: *No dixit David, cum iniquitatibus, aut cum peccatis genuit me mater mea, sed in iniquitatibus cõceptus sum, & in peccatis genuit me mater mea. Dicendo enim matrem eum in suis iniquitatibus gemuisse, cum in peccatis seculi peperisse signauit, quia omne peccatum corde concipitur, & ore consummatur. hic autem qui nascitur sententiam Adæ habet, peccatum verò suum non habet.*

Hic verò auctor quicunque sit, certè non est Arnobius ille, præceptor Lactantij, qui scripsit libros septem aduersus gentes, sed aliquis multò recentior, vt aliqui antè nos obseruarunt. Videtur autem auctor iste non negâsse, paruulos habere peccatum, quod ex Adamo contraxerint, sed non habere peccatum, quod propria voluntate commiserint. Nam dicit paruulos habere sententiam Adæ, ac per hoc etiam culpam Adæ sibi generatione communicatam. Non enim iusta sententia esset, nisi culpa præcederet, & idcirco cùm dixisset, Hic autem qui nascitur, sententiam Adæ habet: non adiunxit; peccatum verò non habet: sed, peccatum verò suum non habet: quod relatiuum (suum) ad peccatum actuale referri debet, de quo suprà dixerat, peccatum corde concipi, & ore consummari.

Quarto loco, adducitur sanctus Ioannes Chrysostomus, qui non solùm olim Iuliano Pelagij sectatori primario, sed etiam nostra ætate nouis Pelagianis visis est negâsse originale peccatum. Hæc autem sunt testimonia, quæ ex Chrysostomo, proferri solent. Primvm homilia decima in epistolam ad Romanos. *Quid sibi vult, inquit Chrysostomus, in quo omnes peccauerunt? quod illo lapso, & illi item qui de ligno non comederunt, efficiti sunt ex illo tempore omnes mortales.* Quibus verbis solam mortalitatem primi hominis, non autem inobedientiam eius, qua pomum vetitum gustauit, communicari posteris dicere videtur. Quod etiam apertius paulò inferiùs his verbis scribit: *Videtur*, inquit, *quæstionem non paruam habere quod dictum est, videlicet multos ob vnius inobedientiam peccatores extitisse. Illo enim peccante ac mortali effecto, & qui ex eo orti sunt, eos tales esse, nihil absurdum. At ex illius inobedientia alterum peccatorem extitisse, quam, obsecro, congruentiam, & consequentiam habet? Quid igitur hoc loco verbum hoc (peccatores) significat? mihi videtur tantumdem significare, quantum illud (supplicio obnoxij, ac mortis rei) quod Adam mortuo, omnes sunt mortales effecti.*

Alterum testimonium, habetur homilia decimaseptima in epistolam priorem ad Corinthios: *Quid igitur faciam, inquis, propter illum, videlicet Adamum, perire? minimè propter illum. Neque enim tu sine peccato permansisti: quod si non idem peccatum, tamen aliud commisisti.*

Tertium testimonium homilia trigesima nona in eandem epistolam: *Quid igitur, die mihi, nunc omnes in Adam morte peccati mortui sunt? Quomodo ergo Noë vir iustus sæculo suo fuit? quomodo Abraham? quomodo Iob? quomodo multi denique alij? & quomodo, dic mihi, omnes viuificabuntur in Christo? & hi præsertim, qui in gehennam abducendi sunt? Itaque hoc de corpore dictum esse velimus, constabit oratio, si autem de iustitia, & peccato, nequaquam.*

Quartvm testimonium homilia vigesima quarta in epistolam ad Ephesios: *Corruptibile nobis corpus est, sed incorruptibilis anima. Ne igitur & ipsam corrumpamus. hoc illud primum primi hominis peccatum fecit: quod autem post lauacrum sit, etiam animam corrumpere potest.*

Quintvm testimonium, homilia ad Neophytos: *Vides quot sunt Baptismatis largitates? sed multis quidem videtur Baptismi gratiam in peccatorum tantùm remissione consistere. Nos autem Baptismi honores iam computauimus decem: hac de causa & infantulos baptizamus, quamuis non sint inquinati peccato: nempe vt eis addatur sanctitas, iustitia, adoptio, hæreditas, & fraternitas Christi.* Hæc igitur testimonia sunt, ob quæ Ioan. Chrysostomus ad patrocinium Pelagianæ hæreseos ab aduersariis aduocatur.

Sed B. Augustinus iam olim Chrysostomum defendit in lib. 1. aduersus Iulianum, cap. 2. vbi sic loquitur: *Itane verba S. Ioannis Episcopi audes tamquam è contrario totalium sententijs collegarum eius opponere, eumque ab illorum concordissima societate seiungere, & eis aduersarium constituere? absit, absit hoc malum de tanto viro credere, aut dicere, absit, inquam, vt Constantinopolitan. Ioan. tot ac tantis Coepiscopis suis, maximèque Romano Innocẽtio, Carthaginensi Cypriano, Cappadoci Basilio, Nazianzeno Gregorio, Gallo Hilario, Mediolanensi resistat Ambrosio.*

Deinde multa loca idẽ Augustinus ex libris Chrysostomi profert, vnde probet, eum de peccato originali nihil aliud sensisse, quam tot eius Coepiscopi senserint. Ex his locis duo hîc adscribam. Primus habetur in hom. ad Neophytos: *Venit*, inquit, *semel Christus, inuenit nostrum chirographum paternum, quod scripsit Adam. Ille initium induxit debiti, nos famis auximus posterioribus peccatis.* Certè videmus in his verbis chirographum debiti, quod scripsit Adam, nostrum vocari, & apertè distingui à fœnore peccatorum actualium, quod nos addidimus. Sumus igitur (Chrysostomi sententiâ) Deo debitores, tum ob peccatum ab Adamo contractum, tum ob peccata propria voluntate commissa. Alter locus habetur in homil. 10. in epist. ad Roma. *Quod*, inquit, *Christo crux & sepulchrum, hoc nobis Baptisma fuit. quamuis non iisdem in rebus. Ille enim carni & mortuus, & sepultus est, nos autem peccato vtrumque.*

Ex hoc loco rectè colligit S. Augustinus ex sententia Chrysostomi, paruulos in peccato nasci. Nam illi etiam baptizantur in Christo, ac per hoc moriuntur peccato. Quotquot enim baptizantur in Christo, consepeliuntur ei in morte, vt Apostolus dicit, exponit autem Chrysostomus consepeliri in morte nihil esse aliud, nisi mori, & sepeliri peccato, sicut Christus mortuus, & sepultus est, quoad carnem.

His duobus locis, ab Augustino adductis, addemus nos alia duo. Sit igitur tertius locus ex homilia eadem, videlicet decima in epist. ad Roma. non procul ab initio: *Iniquè*, inquit, *quod non ipsum peccatum quod a legis transgressione ortum est, sed illud quod ab Adam inobedientia, ipsum illud, inquam, peccatum erat, quod omnia perdebat.* In his enim verbis Chrysostomus distinguit peccatum, quod oritur in nobis ex legis transgressione, quod actuale dicitur, ab eo peccato, quod ex Adam inobedientia in nobis existit, quod originale vocatur atque ait ab isto posteriore peccato, mortem, & omnia mala promanâsse, & ideò mirum non esse, si regnauit mors etiam antequam lex daretur. Nam erat in mundo peccatum ab Adam inobedientia natum, & illud omnia perdebat.

Quartvs locus est in homil. 40. in epist. priorem ad Corinth. *Deus*, inquit, *in regenerationis lauacro mentem gratia tangit, radicale peccatum euellit, & vt tu aurum, ferrumue recoquendo purum nouumque facis: sic Spiritus ille sanctus in Baptismate velut in fornace recoquit ipsum, & peccatum consumendo quod habet alio puriùs splendentem reddit.* Certè peccatum radicale non potest aliud fingi, nisi illud, quod à radice, id est, ab Adamo trahimus, quodq; per baptismum tum in paruulis, tum in magnis eluitur. Adduci solet alius locus ex homilia de Adam, & Heua, quę inter opera Chrysostomi legitur. Sed ea homilia non censetur esse Chrysostomi, tum quod Græcè nusquam inueniatur, & auctor non Græcus, sed Latinus fuisse existimetur: tum quod in ea duo integra capita reperiantur ex libro de Ecclesiasticis dogmatibus.

Ex his non difficilè erit ea testimonia explicare, quæ aduersarij ex Chrysostomo proferunt. Ad primum testimonium ex homilia 10. in epistolã ad Romanos. Respõdemus, Chrysostomum quidẽ scripsisse, ex peccato Adæ nos omnes mortales effectos esse, quod verissimum est, non autem negâsse, ex eodem Adæ peccato nos meritum mortis, id est, peccatum originale traxisse. Quin potius id apertè indicâsse, cùm paulò pòst subiunxit, mortalitatem illam, cui obnoxij facti sumus, supplicium quoddam fuisse. Non enim supplicium iustum esset, nisi meritum supplicij, id est, peccatum etiam haberemus.

Porrò quod absurdum visum est Chrysostomo, vt ex inobediẽtia vnius alij peccatores constituantur, sine dubio ad actuale peccatum referendum est. Neq; enim fieri potest, vt præcisè quia vnus peccat, alius peccare dicatur: siue vt peccatum vnius sit peccatum alterius. Itaque rectè Chrysostomus in illis verbis: *Vnius inobedientiâ peccatores constituti sunt multi*, noluit verbum, peccatores, ita accipi, quasi sensus esset, Vnius inobedientiâ multi actu inobedientes facti sunt: Sed voluit multos dici peccatores ex vnius inobediẽtia, quia tales genuit Adam, qualis ipse erat post peccatum, ipse autem peccator erat, peccato in ipso per modum habitus remanente, & inde obnoxius supplicio, & mortis reus.

Porrò hoc ipsum peccatum per modũ habitus inhærens, & reatum mortis, ac ipsam moriendi necessitatem in omnib. qui nascũtur ex Adã, inesse satis apertè Chrysostomus indicauit, cùm alicubi peccatum radicale, alibi peccatum absolutè, (vt suprà dictum est,) alibi mortalitatem, alibi mortis supplicium nominauerit. Sed quia nondum exorti fuerant Pelagiani, securius loquebatur, & ideò solam mortalitatem interdum nominabat, cùm tamen peccatum habituale non excluderet.

Ad alterum testimonium ex homilia 17. in priorem ad Corinthios, facilis est responsio. Siquidẽ in concione eos Chrysostomus meritò reprehendit, qui causam damnationis suæ reiiciunt in Adamum: Nam si nullum nos peccatum propria volũtate committeremus, possemus fortasse queri de Adamo, quod propter illum pereamns: At cùm tam multa, & tam grauia peccata perpetremus frustrà querimur de Adamo. Adde quod eos Chrysostomus aloquebatur, quibus iam peccatum originis per Baptismum condonatum fuerat. Proinde mirum non est, si nolebat eos damnationis suæ causam in Adamum reiicere.

Ad Tertium ex hom. 39. in eandem epistolam, expedita responsio erit, si duo breuiter annotemus. Alterum est, Chrysostomi propositum eo loco esse, demonstrare Apostolica illa verba: *In Adam omnes moriuntur*, de morte corporis, non de morte animæ esse intelligenda. Quod quidem verissimum esse, vel ex eo cognosci potest, quod in toto illo capite Apostolus de resurrectione corporum disserat.

Alterum, verba illa Chrysostomi: *Num omnes in Adam, morte peccati, mortui sunt, &c.* non esse intelligenda de morte animæ quacumque, sed de morte æterna, siue de casu in peccatum non quocumque, sed irreparabili. Id quod ex contrario perspici potest. Nam cùm dicit, non omnes per Christum viuificari, quoad vitam animę, non loquitur de quacumque vita animæ, sed de perfecta, quę est per gloriam sempiternam. Probat enim non omnes per Christum vita animę viuificari, quia multi in gehennam adducendi sunt. Quæ ratio nihil efficeret, si de vita animæ per gratiam loqueretur, cùm multi sint in gehennam adducendi, qui tamen vitam animæ per gratiam aliquando receperunt.

His duobus annotatis nihil scrupuli remanet in ver-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bis Chrysostomi. Non enim negat sanctus ille Doctor, omnes in Adam mortuos esse morte peccati quacúque, sed irreparabili, atque æterna. Quod (vt diximus) verissimum est.

Ad QVARTVM ex hom.24.in epist. ad Ephes. Respondeo, Chrysostomum loqui de iis tantùm, qui baptizati iam erant, vt perspicuum est ex illis verbis: *Quod aucem post lauacrum fit, etiam animam corrumpere potest.* Porrò qui baprizati sunt, corpus adhuc gerunt corruptibile, nó enim Baptismus tollit moriendi necessitatem ex primo peccato inductam, & ideò (vt Apostolus loquitur ad Roma.8.) *Expectamus redemptionem corporis nostri*: Animam tamen habent incorruptibilem, hoc est, quæ non necessariò corrumpitur morte peccati, sed potest nunquam corrumpi, si velint homines baptizati gratiam diligenter conseruare, quam in Baptismo perceperunt.

Ad QVINTVM ex homil. ad Neophytos respondit iam olim sanctus Augustinus lib.1.in Iulianum, Chrysostomum non dixisse, infantes non esse inquinatos peccato, quod potuisset ad peccatum originale trahi, sed non habere peccata, quod ad peccata actualia sine dubio pertinet. Græca enim Chrysostomi verba hæc sunt: Διὰ τοῦτο καὶ τὰ νήπια βαπτίζομεν, καὶ τοὶ ἁμαρτήματα ὐκ ἔχοντα.

At Chrysostomus, inquies, demonstrare volebat, Baptismum non esse institutum ad solam remissionem peccatorum. Id verò satis efficaciter se demonstrâsse credidit exemplo infantium, qui baptizantur in Ecclesia, quãuis peccata non habeant. Nihil autem hæc ratio efficeret, nisi infantes omni peccato, etiá originali carerent.

RESPONDEO, illos, aduersus quos Chrysostomus disputabat, in ea sententia fuisse, vt existimarent, per Baptismum non infundi gratiam, & dona Spiritus sancti, neque animas purgari, & ornari, sed solùm remitti debita peccatorum, per quamdam cõdonationem extrinsecam, quemadmodum inter homines remittũtur offensiones, & amicitiæ reconciliantur. Quam sententiã rectè Chrysostomus refellit exemplo paruulorum. Siquidem originale peccatum non tam est offensa, quàm macula. Nihil enim paruuli propria voluntate egerunt, vnde Deum offendere possent, sed ideò peccatum habere dicuntur, quia carent iustitia, & animam inquinatam, atque à Deo auersam, habitualiter gerunt, vt in sequenti disputatione ostendemus. Itaque Baptismo egẽt infantes, non tam vt peccata eis remittãtur per condonationem offensarum, quàm vt peccati macula in eis abstergatur, & ipsi gratiã, & dona recipiant, quibus purgentur, ornẽtur, iustificentur, & ex Sathanæ seruis filij Dei efficiantur.

QVINTO loco adduci potest Theodoret. Is enim exponens cap.5.epistolæ ad Roma. videtur velle, peccatum Adami non transisse ad posteros, nisi ratione occasionis. Sic enim loquitur: *Cum Dominus Adam fabricatus esset, & ratione ornasset, dedit vnum præceptum ad rationẽ exercendam. Is deceptus, mandatum transgressus est, & cum mortis decreto factus fuisset obnoxius, ita Cain, & Seth, & alios genuit. Hi vero omnes, vtpote ex eo geniti, habebant mortalem naturam. Eiusmodi autem natura multis indigei, & cibo, & potu, & indumentis, & habitatione, & diuersis artibus. Eorum autem vsus sæpè ad mediocritatis exuperationem incitat. Mediocritatis autem exuperatio peccatum generat. Dicit itaque diuinus Apostolus, quod cùm Adam peccauisset, & mortalis propter peccatum factus esset, vtrumque ad genus peruenit, id est, peccatum, & mors. Ad omnes enim mors pertransit, quatenus omnes peccauerũt. Non enim propter primi hominis peccatum, sed propter suum vnusquisque mortis decretum suscipit.* Eandem sententiam habet idem Theodoretus in explicatione Psalmi 50. tractans versiculum illum: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.*

Rursus in Epitome diuinorum decretorum, cap. 12. quod est de Saluatoris incarnatione, tractans illud Apostoli ad Roman.5. *Sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, &c.* sic ait; *Valde necessario illud, multi, in vtroque posuit. Etenim cùm Adam peccãsset, & plurimi diuinas leges transgressi essent, permanserunt nonnulli in decretis naturæ, & virtutis curam gessere, sicut Abel, Henoch, & Noë, & Patriarchæ, & Prophetæ, & alij plurimi non solùm apud Hebræos, sed etiam apud alias gentes.*

Cæterùm, quamuis Theodoretus interdum loca quędam Scripturæ ita exposuerit: vt Pelagiani solebãt: eum tamen de peccato originis à Catholicis Patribus nó dissensisse, ex eius testimoniis doceri potest. Nam in eodem cap.12.diuinorum decretorum ita loquitur: *Iustitiæ decretum cùm vnus peccãsset, vniuersum genus morti tradidit. Diuina autem misericordia, cùm omnes homines essent sub maledicto, & peccati laqueis essent implicati, per vnius iustitiam dedit omnibus salutem.* Vides in his verbis apertissimam Theodoreti sententiam de peccato originis. Nimirum affirmat, Adamo peccãte, omnes homines peccati laqueis implicatos, sub maledicto, & morti traditos fuisse.

Sed rursus in eodem capite ita loquitur idem Theodoretus: *Quando vnus peccauit, omnes condemnati sunt: nunc autem cùm omnes peccauerint, omnibus volẽtibus salus proposita est per fidem. Cùm sit ostendisset, vnius iustitiam fuisse communis peccati salutare medicamentum: ostendit per ipsum quoque fuisse peractam mortis dissolutionem.* Quid clarius dici poterat, quã Adami peccatum fuisse commune peccatum, & vno peccante omnes homines condemnatos?

Rursus ibidem hæc Theodoretus subiungit: *Seruamur non lege, sed diuina misericordia iustitiam assequentes. Lex enim, quod iustum est, omnes ad supplicium adduxit. Omnes enim fuimus peccati perpetratores. Sic enim cùm vnus peccãsset, genus cõdemnatum est, erat vtique omnino iustius eos, qui sub peccato fuerunt, subire supplicium.*

Sed explicemus breuiter loca, quæ contra allata sunt. Cùm igitur in primo testimonio ex commentario cap. 5. ad Rom. Theodoretus indicat, peccatum primi hominis ex occasione ad posteros peruenisse, loquitur sine dubio de peccato actuali, quod propria volũtate committitur. Quamuis autem Theodoretus dicat, ex occasione primi peccati cœpisse posteros Adami in varia peccata delabi, non tamen ideo negãsse existimandus est originale peccatum, quin potius illud asseruisse.

Nam idcirco dixit, peccatum primi hominis viam patefecisse peccatis nostris actualibus, quia naturam corruptam, & vitiatam ex Adamo trahimus. Quod clariùs expressit, cùm subiunxit, peccatum, & mortem ad nos ex Adamo peruenisse, & non propter peccatum primi hominis, sed propter suum vnumquemque nostrum decretum mortis suscipere. Quorum verborum hæc sententia est, vnumquemque nostrum mortis sententiæ subiacere, non propter peccatũ, quod in ipso Adamo fuit, sed propter illud, quod ex Adamo deriuatum, in vnoquoq; nostrum hæret, loqui enim hoc loco Theodoret. de peccato originis, non de actuali, certũ est, cùm ex ipsius Theodoreti sententia peccata nostra actualia decretum mortis non præcedant, sed sequantur. Ideo enim (vt ipse in eodem comment. scripsit) actu peccamus, quia mortis necessitati, & variis passionibus obnoxij nascimur.

Itaque quod air, vnumquemque nostrum ob suum peccatum mortis decretum suscipere, necessariò accipi debet de peccato originis, quod verè in nobis caussa mortis, siue mortalitatis est, cùm peccata actualia è contrario sint eiusdem mortalitatis non caussa, sed effectus.

Quod attinet ad alterum testimoniũ ex epitome diuinorum decretorum, exposuit quidem Theodoret. sententiam illam Apostoli (*Sicut per vnius inobedientiam, &c.*) de peccatis actualibus, quæ occasione primi peccati intrauerunt in mundũ, cùm rectius de peccato originali sententiam illam exponere potuisset: tamen in eadem epitome (vt supra demonstratum est) apertissimis testimoniis idem Theodoretus orthodoxam doctrinam de peccato originis tradidit.

CAP

CAPVT X.

Diluuntur argumenta ducta ex ratione.

RESTAT nunc vt argumenta illa breuiter diluamus, quæ ducuntur ex ratione.

PRIMA obiectio, Christi iustitia non credentibus nihil prodest, igitur & peccatum Adami non peccantibus nihil obest: infantes autem nó peccant, quippe qui (Apostolo teste) ad Rom.9. *Nihil boni vel mali agunt.* igitur peccatum Adami infantibus nihil obest. Respondet Augustinus lib.3. de peccat.merit.& remiss.cap.2. Christi iustitiam nihil prodesse iis, qui nullo modo, hoc est, nec sua voluntate, nec aliena credunt: & ad eundem modum peccatum Adami nihil obesse iis, qui nullo modo, hoc est, nec sua, nec aliena voluntate peccãrunt. Porrò infantes nihil quidem agere, vel egisse voluntate propria, vt Apostolus scribit ad Rom.9. tamen aliena voluntate peccasse, cùm ille peccauit, in quo omnes peccauerunt, vt idem Apostolus testatur, ad Roma.5.

SECVNDA obiectio, Deus remittit peccata propria: non igitur credibile est ab eo imputari aliena. Respondet idem Augustinus in eodem libr.cap.8. Deum remittere peccata propria spiritu regeneratis, non carne generatis: nec imputare peccata omninò aliena, sed ea, quę tamet si aliena dicantur, quia aliena voluntate commissa sunt, tamen etiam propria dici possunt, quia in iis hærent, quibus imputantur. Sic autem originale peccatum & alienum, & proprium rectè dici, suprà non semel docuimus.

TERTIA obiectio, Ad rationem veri peccati pertinet, vt sit voluntarium: atqui peccatum originis non est voluntarium paruulis, cùm sit (vt iam dictum est) aliena voluntate commissum: igitur peccatum originis paruulis non est verè peccatum. Respõdeo, peccatum bifariam sumitur. Nam & actio mala dicitur peccatum, & reatus, ac macula, quæ transeunte actu resident in anima eius, qui peccauit, peccatum nihilominus appellãtur. Voluntarium igitur ad rationem actionis malæ per se pertinet, ad rationem autem reatus, & maculæ non pertinet, nisi ratione caussæ suæ, siue enim velit, siue nolit, qui actionẽ malam voluntate libera perpetrauit, reatum, & maculam peccando contrahit. Porrò in infantibus non actionem malam, sed reatum duntaxat, & maculam ponimus, ac per hoc non requiritur volũtas propria, vt infantes peccatum originale à parentibus trahant: sed sufficit aliena.

Itaque S. Augustinus lib.2.de nuptiis, & concupiscẽtia, cap.28.& lib.1.retract.cap.13.& 15.& aliis in locis, cùm quæritur, quemadmodum peccatum originale sit voluntarium, respondet, esse voluntarium primi parẽtis. Quia tamen reatus, & macula ex mala actione dimanãt, nec possunt in iis hærere, ad quos actio mala nullo modo pertinet, ideò S. Augustinus multis in locis docet, Adamum, cùm primùm peccauit, totius humani generis gessisse personam, & præceptum de pomo vetito non edẽdo, non solùm Adamũ, sed omnes, qui in lumbis eius erant, pariter obligãsse, vt sicut gratia primo illi homini collata, ad omnes posteros pertinebat, ita etiam præcepti illius trãsgressio ad omnes posteros pertineret: *Vnde:* (inquit Augustinus lib.3.de peccatorum meritis, & remiss. cap.7.) *nec illud liquidè dici potest, quod peccatũ Adæ etiam non peccantibus nocuit: cùm Scriptura dicat, In quo omnes peccauerunt. Nec sic dicuntur ista aliena peccata, tamquam omnino ad paruulos non pertineant. Siquidem in Adam omnes tunc peccauerunt quando in eius natura illa insita, in qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille vnus fuerunt, sed dicuntur aliena, quia nondum ipsi eorum vitas proprias, sed quicquid erat in futura propagine vtriusque hominis continebat.*

Si quem moueat, cur Deus voluerit, vt peccatũ Adami ita posteris omnibus imputaretur, ac si omnes idem peccatum patrauissent: respondebimus cum sancto Augustino libro 5.aduersus Iulianum, cap.7. & cum sancto Bernardo in sermone primo, de Dominica prima post octauas Epiphaniæ, Iudicium hoc Dei iustum esse, sed occultum. *Nostra est,* (inquit Bernardus) *Adami culpa, quæ est in alio, nos tamen peccauimus, & nobis iusto Dei iudicio imputãbatur, licet occulto.* Adde quod originale peccatum, etsi voluntarium nobis est, quatenus Adam, cùm peccauit, totius naturæ personam gessit, tamen inter omnia peccata minimum habet de voluntario, & ideò minus graue est in ratione voluntarij, quàm quodlibet veniale, quamuis sit in ratione mali grauissimum, cùm priuet hominem gratia Dei, ac sempiterna fœlicitate. Vide sanctũ Thomam 3.part. quæst.1.art.4.& in 2.Sentent.distinct. 33.quæst.2.art.1.ad 2.& de malo.quæst.5.artic.1.in responsione ad 9.

QVARTA obiectio, Si peccatum originis per generationem à parentibus traheretur, videretur malum esse coniugium, quippe quod esset caussa peccati. Respondit ad hoc argumentum S. Augustinus duobus libris, quos inscripsit de nuptiis, & concupiscentia. Summa solutionis hæc est, non esse per se ex coniugio, quod proles nascatur cum peccato, sed per accidẽs. Non enim ideò proles cum peccato nascitur, quia ex coniunctione viri, & fœminæ nascitur, quod est proprium coniugij: (Nam etiam in statu innocentiæ fuisset coniunctio viri, & fœminę, & tamen proles sine peccato nata fuisset,) sed quia accidit naturæ, quæ per coniugium propagatur, vt à primo parente corrupta, ac vitiata fuerit. Quare coniuges dum filios gignunt, naturam quidem corruptam, ac vitiatam propagant: sed eius corruptionis culpa non ad ipsos, sed ad primum hominem pertinet.

QVINTA obiectio, Non peccat (dicebat olim Iulianus) iste qui nascitur, non peccat ille qui genuit, non peccat ille qui condidit. Per quas ergo rimas inter tot præsidia innocentiæ peccatum fingis ingressum: Respondit sanctus Augustinus libro secundo de nuptiis, & concupiscentia, capite 28. *Quid quæris,* inquit, *latentem rimam, cùm habeas apertissimam tamam? Per vnum hominem intrauit Apostolus peccatum in hunc mundum intrauit.* Et in eodem libro, cap.26. *Volũtarium peccatum hominis primi originalis est caussa peccati.* Itaque ad argumentum Iuliani negari potest consequutio. Quãuis enim nõ sit peccati originalis caussa pater, qui generat, nec filius, qui nascitur, nec Deus, qui condidit: tamen non sequitur, nullam esse caussam eius peccati, cùm Apostolus dicat, *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit.*

SEXTA obiectio, Sæpè qui gignit, à peccato iustificatus est, quo pacto igitur traiicit peccatũ in filium, quod ipse non habet? Respondit sanctus Augustinus libro 2. de peccatorum meritis, & remissione, capit. 25.26.& 27.& in aliis locis, hominem regeneratum in Christo, ac per hoc iustificatum, non generare carnalem prolem secundùm id, quod est regeneratus, id est, secundùm Spiritum, sed secundùm id, quod habet de vetustate, id est, secundùm carnem: & ea de caussa prolem non sanctam, sed peccatricem nasci. Adhibet similitudines libro sexto in Iulianum, cap.2.& 3.oleastri, qui insertus in oleam, fit olea, & tamen ex eius semine non olea nascitur, sed oleaster. Item Hebræorum, qui circumcisi cùm sint, filios tamen gignunt incircumcisos.

Posset adhiberi alia solutio. Generat enim homo sibi similem in specie, non in individuo, hoc est, communicat cum filio quæ toti naturæ humanæ communia sunt, non ea quæ sibi vt tali personæ conueniunt. Tametsi enim aliqua accidentia personalia transfundat aliquando pater in filium, tamen id neque necessarium est, nec semper fit. Iam igitur homo iustificatus, cùm filium gignit, non communicat cum eo iustitiã, quæ est accidens,

Universidad de Deusto
Biblioteca

personale, sed naturam, qualis est in se post Adæ peccatum, ea verò corrupta, & vitiata est.

SEPTIMA obiectio, Si peccatum originis traheretur per generationem, certè naturale vitium esset: atqui hoc est valdè absurdum: Tum, quia Deo naturæ auctori tribuendum esset, cui tribuuntur omnia naturalia: Tum, quia quod naturale est, propriè peccatum esse nō potest, Tum demum, quia desperanda esset liberatio à peccato. Respondeo, peccatum originis aliquo modo naturale dici posse, iuxta illud Apostoli ad Ephes. 2. *Eramus natura filij iræ*: nam & à natiuitate trahitur, & est vitium naturæ potius quàm personæ, vt suprà diximus: non tamen est naturale, quasi sit pars naturæ, aut ex natura profluxerit. Est enim priuatio quædam, & defectus, isque ex natura, sed ex libera primi hominis voluntate manauit.

Ex quo sequitur primo, vt non in Deum, sed in Adami inobedientiam, vt in propriam caussam referri debeat: sequitur deinde, vt peccatum propriè dici possit: illa enim naturalia vitia, peccata propriè dici nequeunt, quæ in libertatem arbitrij non referuntur, qualia sunt cæcitas, surditas, & quæuis monstrositas à natiuitate contracta. Sequitur postremo, non esse desperādam huius peccati liberationem. Non enim vt hic morbus curetur, destruenda natura, sed perficienda est, quod facilè potest medicus ille cœlestis, qui venit quærere, & saluum facere quod perierat. Itaq; S. Augustinus lib. 2. in Iulianum, cap. 1. *Nec profectò*, inquit, *est desperanda virtutis, per eius gratiam, qui ex origine vitiatam mutare potest, & sanare naturam.*

OCTAVA obiectio, Peccatum definitur dictum, vel factum, vel cogitatum contra legem æternam: At infantes nec dicere, nec facere, nec cogitare aliquid possunt. Respondeo, definiri per ea verba peccatum, vt accipitur pro actu peccati, non autem pro reatu, & macula, quæ remanent transeunte actu. Porrò in infantibus non actum peccati, sed reatum, & maculam inesse dicimus, vt suprà docuimus.

NONA obiectio, Si nascuntur homines mali, & diaboli potestati subiecti, igitur videtur diabolus conditor eorum. Nec enim Deus conderet, quos diaboli potestati subiiceret. Respondeo, quod homines nascantur mali, & diaboli potestati subiecti, non esse causſam in conditore naturæ, sed in corruptore, Deus enim, & initio naturam bonam condidit, & nunc quod in ea bonum est, propagat: porrò vitium accidit illi in peccato primi hominis, & ipsum est vitium, quod eam spiritui immūdo subiecit: *Nos*, (inquit Augustinus lib. 2. in Iulianum, cap. 2.) *dicimus, non diabolum, sed Deum verum, & verè bonum esse hominum conditorem, munda de immundis ineffabiliter operantem, quamuis hominum nemo mundus nascatur, & ideo donec mundetur Spiritu sancto, sub spiritu immundo esse cogatur.*

DECIMA obiectio, Peccatum non in carne, sed in anima sedem habet: sed anima non trahitur ex Adamo, aut si trahitur, non propagatione, sed imitatione trahitur.

Hoc argumentum semper Augustino difficillimum, ac penè insolubile visum est. Qua etiam de causſa numquam certò sibi persuadere potuit, animas creari ex nihilo, non à parentibus trahi. Et quoniam nō desunt hoc tempore, qui in ea S. Augustini dubitatione hærendum esse censeant, ideò in sequenti capite, quæstionem de animæ origine paulò planiùs explicare, & tunc demum de modo, quo peccatum traducitur, disserere, & ad obiectionem propositam respondere decreuimus.

* * *

CAPVT XI.

Explicatur quæstio de origine animæ.

IGITVR de origine animæ semper fuit grauissima cōcertatio. Primùm apud ethnicos philosophos: deinde apud Christianos Theologos. Nam ex errore Stoicorum natus est error Manichæi, & Priscilliani: ex errore Platonis error Origenis: ex errore Aristotelis, vel certè ex Aristotelis sententia non benè percepta, error Apollinaris, vt iure Tertullianus in lib. aduersus Hermogenem, Philosophos Patriarchas hæreticorum nominandos censuerit.

SEX in vniuersum fuisse video sententias de origine animæ, Quas omnes breuiter referemus, & quid de vnaquaque sentiendum sit indicabimus.

PRIMA sententia est, animas humanas esse particulas substantiæ Dei, proinde nec propriè creari, nec à parentibus traduci, sed à Deo mirabiliter inspirari. Hunc Stoicum errorem primus defendit Philo Iudæus in eo libro, quem inscripsit, Quod deterius potiori insidietur: eundem postea sequuti sunt Gnostici, Manichæi, Priscillianistæ, vt S. Augustinus refert in lib. de hæresibus, cap. 6. 46. & 70.

EST autem hæc sententia hæresis explorata. Siquidem diuina substantia immutabilis, atque inuiolabilis est. *Ego Deus, & non mutor*, Malach. 3. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, Iacobi 1. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*, Psal. 101. At anima humana mutabilis, & violabilis est, cùm ex bona possit fieri mala per peccatum, & rursus ex mala bona per gratiam. Quare meritò damnata est hæreseos hæc sententia in primo Concilio Bracarensi, cap. 5. & in epistola S. Leonis ad Turbium, cap. 5.

QVOD verò obiiciebant aduersarij ex cap. 2. Gen. *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*: facilè soluitur. Nam ex illis verbis intelligimus, humanum spiritum à Deo esse productum (inspirare enim est spiritum alicui dare) non tamen ex eo necessariò colligitur, ex Dei substantia esse spiritum hominis. Potest enim Deus tribus modis spiritum producere, vno modo ex propria substantia, quomodo producit, ac inspirat Spiritum sanctum: Altero modo ex nihilo, quomodo produxit spiritus angelicos: Tertio modo ex materia creata, quomodo produxit, ac producit animas bestiarum, quas Ecclesiastes spiritus appellat, cap. 3.

Iam verò ad quem istorum modorum sit referenda productio animæ humanæ, non potest colligi ex illis solis verbis: *Inspirauit spiraculum vitæ*. Tamen si addamus non potuisse animam humanam produci ex Dei substantia, quia mutabilis est, neque ex materia creata, quia materialis non est, sequetur productam esse ex nihilo.

ALTERA sententia est, Animas humanas creatas quidem à Deo fuisse, & ex nihilo, sed omnes simul vna cum Angelis, ac deinde fastidio affectas bonorum illorum spiritualium, quibus in cœlo fouebantur, amare cœpisse res terrenas, atque idcirco à Deo in corpora tamquam in carceres detrudi.

Platonicum hunc errorem, quem tuetur Origenes in li. 1. περὶ ἀρχῶν, hoc est, de principiis, ca. 7. & aliis in locis, damnauit Concilium Bracarense primū, cap. 6. & S. Leo in epist. citata ad Turbium, cap. 10. Eundem errorem antea reprehenderant sancti Patres, Epiphanius in epistola ad Ioan Hierosolymitanū. Hieronymus in epist. ad Pammachium contra eundem Ioannem. Theophilus Alexādrinus in li. 1. Paschali. Augustinus in epist. 28. ad Hieronymum, & præclarissimè Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Ioannē, ca. 9. vbi viginti trib. argumētis hunc errorē expugnat. Nos principales rationes breuiter attingemus.

PRIMA

PRIMA ratio esse potest, quia si animę in corpora, tāquam in carceres supplicij gratiā detruderentur, sequerentur multa, quæ absurdissima sunt. Nam in primis imprudenter Deus tempore diluuij sceleratos omnes occidisset, & iustum Noë conseruasset, nec minus improuidè Sodomitas perdidisset, Lot verò ab incendio liberasset. Nihil enim id fuisset aliud, nisi viros improbos è carceribus dimittere, probos in vinculis retinere. Deinde maximas gratias agere deberemus diabolo, qui mortem nobis procurauit, id est, ianuā carceris aperuit, nullas verò Christo, qui resurrectionē nobis acquisiuit, id est, in carcerem eumque perpetuum reuocauit. PRÆTEREA benedictiones illæ: *Crescite & multiplicamini*, Genes. 1. & 9. *Et patrem multarum Gentium constitui te, faciamque te crescere vehementissimè*, Genes. 17. Et: *Addat Deus ad hunc numerum multa millia*. Deuteron. 1. non benedictiones, sed maledictiones essent. Quid enim esset aliud, multiplicari homines, quàm impleri carceres?

Rursus, cum Deus Annæ supplicanti filios donauit, & Ezechiæ vitam propagauit, & Lazarum, ac filium viduæ à mortuis reuocauit, non beneficium, sed iniuriam fecisset. Denique cur Deus in lege maleficos iubet occidi, innocentes conseruari? & cur in omni Republica benè institutā latrones, & parricidæ de medio tolluntur, si detineri in corpore supplicii est, educi de corpore beneficiū?

ALTERA ratio est, quia si omnes animæ in cœlo peccassent, & ideò ad corpora damnatæ fuissent, falsum esset, quod ait Apostolus ad Rom. 5. *Regnauit mors ab Adā vsque ad Moysen etiam in eos, qui non peccauerunt*. Et ad Rom. 9. *Cùm nondum nati essent, nec aliquid boni, vel mali egissent*. Et in posteriore ad Cor. c. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, sicut gessit, siue bonum, siue malum.*

TERTIA ratio, si animæ de cœlo ad terras, de luce ad tenebras, de clarissimo domicilio beatorum ad deterrimum carcerem damnatorum descenderēt, cum in corpore viuere incipiunt, falsa esset Scriptura diuina quæ ait: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Ioan. 1. Et rursus: *Multi dicunt, quis ostendet nobis bona? signatū est super nos lumen vultus tui Domine*. Psal. 4.

Porrò argumenta Origenistarum facilia sunt, adeò vt sancti Patres ea potius indicare, quā refellere voluerint. Adferebant illud ex Psal. 114. *Conuertere*, vel, *reuertere anima mea in requiem tuam*. Et illud ex Psal. 118. *Priusquam humiliarer, ego deliqui*. Et illud ex Psal. 141. *Educ de custodia animam meam*. Et illud ex cap. 1. Ioannis: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

SED in primo testimonio gratias agit Propheta Deo, quod à magnis periculis liberatus ingenti sollicitudine iam careret, & simul hortatur seipse ad internam pacem, & animi tranquillitatem reperēdam, quam ob frequentes timores, & angustias penè perdiderat. Potest etiā hic locus intelligi de requie sempiterna, à cuius spe per peccatū excidimus, & ad quā per pœnitentiam reuocamur.

IN SECVNDO testimonio agnoscit Propheta, & quilibet alius iustus, se non immeritò à Domino interdū flagellari, & per tentationes humiliari. Quandoquidem peccata sua pœnam eiusmodi mereantur.

IN TERTIO, ad literam loquitur Dauid de spelunca, in qua latebat ob Saulis persequutionem, vt perspicuum est ex titulo Psalmi. Itaque Deum precatur, vt se aliquando liberet ab obsidione illa, ne semper cogatur in spelūca, quasi in custodia delitescere. Spiritualiter autem hic locus intelligi potest de carcere corporis huius mortalis, à quo sancti educi cupiunt: *Quia corpus quod corrumpitur aggrauat animam*, vt ait Sapiens cap. 9. vnde est illa vox Apostolica ad Roma. 7. *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Quibus vocibus nō cupiunt sancti homines simpliciter à corpore liberari, sed à corpore mortali. Vt in hunc locum annotauit S. Augustinus. Nam alioqui redemptionem corporis magno desiderio expectant, vt ait Apostolus ad Rom. 8. & si fieri posset (vt ait idem Apostolus 2. Corinth. 5.) non cuperent spoliari, sed superuestiri, vt absorberetur quod mortale est à vita.

IN QVARTO testimonio nō significatur, hominem venire in hunc mundum, quasi antea extra mundū fuisset, sed quia cùm nihil esset, ac per hoc in mundo non esset, per generationem cœpit esse, & viuere in hoc mundo, vt S. Cyrillus in commentario rectè docet.

TERTIA sententia est, Animas humanas simul cum Angelis initio conditas fuisse, ac deinde modò vnam, modò aliam ad corpus mitti. Interest autem inter hanc sententiam, & superiorem, quod hæc non docet animas in cœlo peccasse, neque in pœnam peccati corporibus includi, vt superior docebat: sed ideò solùm affirmat, animas omnes initio fuisse creatas, ne concedere cogatur, Deum aliquid noui fecisse post diem septimum, cū scriptum sit Gene. 1. eo die cessasse Deum ab opere quod instituerat.

Huius sententiæ sunt Rabini aliqui Hebræorum, vt intelligi potest ex commētario Rabbi Salomonis in cap. 33. Deuter. & ex aliis eorum libris. Eandem sententiam tradit Grægorius Nyssenus in libro de anima. cap. 6. Si tamen is liber est eius & nō potius Nemesij, aut alicuius alterius, cùm Gregorius Nyssenus in libro de opificio hominis, cap. 28. & 29. ex instituto hanc sententiam refellat. Alios etiam nonnullos ex Catholicis Doctoribus eiusdem sententiæ fuisse, scribit S. Hieronymus in epistola ad Marcellinum, & Anapsychiam, quæ est 27. inter epistolas S. Augustini.

Hanc sententiam S. Hieronym. loco citato, vocat stultam persuasionem. Et S. Leo in epistola ad Turbium, ca. 10. his verbis reprehendit: *Catholica fides constanter prædicat, atque veraciter, quod animæ hominum, prius quam suis inspirarentur, corporibus non fuere.*

Denique S. Thomas in prima parte summę, quæst. 118. artic. 3. eandem sententiam hoc argumento refellit. Anima est natura imperfecta, & pars hominis non totus homo, ac per hoc naturaliter coniungitur cum corpore, vt forma cum sua materia. At absurdū est, Deum inchoasse opus suum à re imperfecta, cum Dei perfecta sint opera, nec minus absurdum est, vnam partem hominis factam esse initio mundi, alteram fieri post multa secula, igitur anima non fuit antequam corpori inspiraretur.

Propositio, quę sola probatione indigere videtur, probatur, nam si anima per se perfecta substantia esset, non posset esse forma corporis, formam autem esse certum est tum aliunde, tum ex definitione Concilij Lateranensis sub Leone X. sess. 8.

Item si anima non coniungeretur naturaliter cum corpore, violenter in eo maneret, neque esset nobis beneficium vita, sed pœna.

Denique si anima perfecta esset absque corpore, neq; esset pars hominis naturalis, quæri posset, vtrum sua voluntate cum corpore copuletur, an aliena. Et siquidem sua voluntate, tria sequentur absurda. Primum, quòd frustrà velit coniungi cum corpore, cùm non egeat eius opera. Alterum, quòd tot seculis manserit separata, & nunc demum quasi mutata sententia velit esse in corpore. Tertium, quòd casu fiat vt in corpus delabatur. Neque enim potest non casu fieri, vt vno tempore concurrat voluntas hominis generantis, ac disponentis materiam cum voluntate animæ descendere cupientis ad eam informandam. Sin autem aliena voluntate cum corpore copulatur, certè cogitur à superiori potestate in pœnam peccati præcedentis. Qui est error Origenis paulò antè refutatus.

Neque responderi potest, eam non cogi in pœnam peccati, sed voluntate Dei applicari ad regendum corpus humanum, quemadmodum Angeli applicantur ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

incitanda corpora cœlestia. Nam Angeli non sunt formę eorum, neque in eis tamquam carceribus detinentur, neque pœnam vllam ex eo ministerio capiunt: animæ verò ita copulantur corporibus, vt eorum formæ efficiãtur, neq; intelligunt, dum sunt in corpore, nisi per phantasmata corporalia, vt meritò in tenebris esse videantur: denique mala corporis ita redundant in animas, vt Sapiens dixerit, cap. 9. *Corpus quod corrumpitur aggravat animam.* Itaque si animæ in cœlo fuerunt antequam cum corpore iungerentur, negari non potest quin in pœnam alicuius peccati inuitæ detrudantur in corpora, quemadmodum scelesti homines inuiti coguntur ad carceres.

Argumenta contraria duo sunt, quæ breuiter refellẽda videntur. Obiicitur primo Scriptura, quæ in 1. cap. libri Genes. refert, hominem sexta die creatum fuisse ad imaginem, & similitudinem Dei: ac deinceps cap. 2. refert, hominem post septimam diem formatum fuisse ex limo terræ. Videtur enim ex his locis satis apertè colligi, hominem creatum fuisse quoad animam, in qua propriè est imago Dei, sexta die, quoad corpus, quod ex limo terræ constat, post septimam diem. Et quia eadem est ratio cæterorũ hominum, videtur dicẽdum, animas omnes creatas fuisse sexta die inter opera primæ creationis rerum, corpora verò post septimam diem paulatim per generationem multiplicari.

Obiicitur secundo, absurdũ esse, vt aliquid noui producatur à Deo post septimam diem, in qua finem imposuit omnibus operibus suis. Produceret autem aliquid noui, si animas quotidie procrearet ex nihilo, id est, quæ neque in potentia materiæ, neque in virtute seminali in primis sex diebus conditæ fuissent.

Ad primam obiectionem respondeo, in duobus illis locis narrari productionem totius hominis, sed in vno breuiùs, in altero plenius. Itaque totus homo conditus fuit sexta die, tum quoad animam, tum quoad corpus, sed quia id fuerat in primo capite Geneseos breuiter indicatum, & res erat magni momẽti, placuit Spiritui sancto in secundo capite iterum retexere narrationem eandem, & totum ordinem creationis humanæ fusius explicare. Et quamuis imago Dei propria resideat in anima, tamen ratione animæ totus homo rectè dicitur conditus ad imaginem Dei. Et certè Scriptura in primo illo capite Geneseos non dicit, factam esse animam ad imaginem Dei sed factum esse hominem, eumq; masculum, & fœminam, eisque dictum: *Crescite & multiplicamini*. Quę certè non soli animæ, sed toti homini conueniunt.

Ad alteram obiectionem S. Augustinus in epist. 28. ad Hieronymum respõderi posse dicit, Deum cessasse die septimo ab opere suo, quia nihil posteà fecit nouum, sed gubernauit, & multiplicauit opera, quæ primis illis diebus fecerat. Itaque animarum creationem non esse nouam, quia iam animam vnam eiusdem speciei cum cæteris, sexto die fecerat.

Possumus etiam respondere, animas dici posse creatas fuisse omnes sexta die, non actu, sed virtute. Nam cum Deus produxit principia generationis humanæ, hoc est, virum, & fœminam, eisque dixit: *Crescite & multiplicamini*, tum non solùm produxit in virtute omnia corpora humana, quæ per generationem propaganda erant, sed etiã voluit, vt quotiescunque materia rite præparata esset ad humanam generationem, continuò anima existeret, & corpus illud animaret, ac per hoc non solùm corpora, sed totos homines in virtute produxit, cum duos illos homines condidit, eisque vim generis propagandi attribuit.

Quare licet animæ creentur ex nihilo in eo ipso temporis puncto, quo corporibus inspirantur, tamen ita est hoc perpetuum, & secundum naturæ ordinem initio cõstitutum procedit, vt pro miraculo habendum sit, si anima corpori disposito, ac præparato suo tempore desit.

QVARTA sententia est, Animas non minus à parentibus trahi, quam corpora: ita vt ex anima patris, fit anima filij, quemadmodum ex corpore patris, est corpus filij. Auctor huius sententiæ primus inter Christianos Tertullianus fuit, quem sequutus est Apollinaris, vt sanctus Hieronymus refert, in epistola supra citata ad Marcellinum, & Anapsychiam. Vbi etiam idem auctor dicit, in eadem sententia fuisse maximam partem occidentalium. Eandem sententiam attributam fuisse Luciferianis, testatur sanctus Augustinus in libro de hæresibus, capite octogesimo primo.

Hanc sententiam vt exploratum errorem reiiciunt ac refellũt omnes Theologi Scholastici, cum Magistro sententiarum lib. 2. dist. 17. & 18. eamque S. Thomas in prima parte, quæstione 118. articulo 2. disertis verbis hæresim appellat.

Ac primum refutari solet hæc sententia ex capite 2. Geneseos. Nam Deus vt discrimen ostenderet inter animas bestiarum, de bestiis dixerat, cap. 1. *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram.* Et rursus: *Producat terra animam viuentem in genere suo, & reptilia, & bestias, &c.* At de homine, non ait, producat terra, sed: formauit ipse hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitę. Ex quo intelligimus, animas bestiarum materiales esse, & ex materia ipsa eductas, animam humanam non ex limo eductam, sed ab ipso creatore inspiratam.

Neque nos mouere debet, quod Philastrius in Catalogo hæreticorum, cap. 99. inter hæreticos numerat eos, qui censent spiraculum illud vitæ esse animam rationalem, & non potius gratiam Spiritus sancti. Nam Philastrius in ea re parum considerate loquutus est, vt sanctus docet Augustinus, lib. 13. de Ciuitate Dei, capite 24. tantum enim abest, vt hæc sententia sit hæretica, vt contraria non solùm repugnet sanctis Patribus, Chrysostomo homilia 12. & 13. in Genesim. Hieronymo in epistola ad Pammachium, de erroribus Ioannis Hierosolymitani. Augustino libro 12. de Ciuitate Dei, cap. 23. & libro 13. capite 24. Theodoreto quæstione 23. in Genesim, Eucherio libro 1. in Genesim, & aliis: sed etiam Apostolo Paulo, qui in epistola priore ad Corinthios, cap. 10. quinto dicit, hominem initio conditũ fuisse animalem, deinde post resurrectionem futurum spiritualem. Et probat, quia scriptum est: *Factus est homo in animam viuentem.* Porrò hæc verba, quæ Apostolus citat, scripta sunt in secundo capite Geneseos, vbi legimus: *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Quare spiraculum illud vitæ (Apostolo teste) non dedit homini esse spirituale, quale habetur per gratiam sancti Spiritus, sed esse animale, quod habetur per animam, quæ præstat corpori esse, & viuere.

Est autem propriè sententia eius loci: *Inspirauit Deus in faciem* (siue vt Hebræa verba sonant) *in nares eius, spiraculum vitæ*, hoc est, posuit Deus in naribus corporis illius ex limo terræ conflati spiritum, ac fecit, spirare, ac viuere incipere. Respiratio enim signum est vitæ, quia verò non viuit homo sine anima, quæ est vitæ principium, ideò cùm dicitur Deus dedisse homini, vt spiraret, ac viueret, intelligitur animam quoque dedisse, per quam fit, vt homo spiret, ac viuat. Quod si Patres aliqui (vt Irenæus, Cyprianus, Basilius, quos citauimus in lib. de gratia primi hominis capite tertio.) interdum hunc locum exponunt de gratia Spiritus sancti, non de anima rationali, ij non ad literam, sed mysticè Scripturam accipiunt.

Sed obseruandum est, hunc locum satis efficaciter demonstrare, animam primi hominis non ex materia eductam, sed à Deo ex nihilo fuisse creatam. Cæterum non

non cogere vt idem de animabus reliquis iudicemus. Posset enim responderi, quemadmodum Deus primi hominis corpus ex limo terræ formauit, reliqua verò corpora non per se ex limo terræ, sed per generationem ex parentum corporibus procreat: ita primi hominis animam a Deo propriè, atque ex nihilo fuisse creatam, nunc verò ex illa prima reliquas propagari.

Quare vt S. Augustinus disputat in epist. 28. ad Hieronymum, nullus fortasse Scripturæ locus inuenietur, in quo perspicuè doceatur, animas non fieri ex propagine, sed creari. Nam loca illa: *Qui fingit sigillatim, corda eorum*, Psal. 32. Et, *Iterum reducat ad Deum, qui dedit illum.* Eccles. vlt. Et, *Flatum omnem ego feci.* Isaiæ 57. Probent quidem animarum omnium conditorem esse Deum, tamen non indicant modum quo à Deo sint conditæ, vtrum per creationem ex nihilo, an per propagationem ex anima primi hominis.

Non igitur his omissis duobus modis efficaciter demõstrare conabimur, animas non propagari ex parentibus, sed creari: Primum traditione Ecclesiastica: Deinde rationibus euidenter ductis ex principiis fidei. Quod ad Primum attinet, adferemus testimonia Patrum, qui sententiam de propagine animarum apertè reprehendunt.

S. Hilarius libro 10. de Trinitate ante medium libri: *Anima* inquit, *bonum opus est Dei, caro vero generatio semper ex carne est.* Et infrà: *Vt per se sibi assumpsit ex Virgine corpus, ita ex se sibi animam sumpsit, quæ vtique nunquam ab homine gignentium originibus prodiret.*

S. Ambrosius libro de Noë & Arca, capit. 4. *Plerumque*, inquit, *Angelos, vlius Dei Scriptura vocat, quia ex nullo homine generantur anima.* Item libro de paradiso, capit. 11. *Considera*, inquit, *quia de corpore costam sumsit, non de anima portionem, hoc est, non anima ex anima, sed os de ossibus, & caro de carne.*

S. Hieronymus in commentario capitis postremi Ecclesiastæ: *Satis*, inquit, *ridendi sunt, qui putant animas ex corporibus seri, & non a Deo, sed a corporum parentibus generari.* Item in lib. 3. Apologiæ aduersus Ruffinũ, vltra medium, & in epistola ad Pammachium de erroribus Ioannis Hierosolymitani ante medium, recitatis sententiis Origenis, Tertulliani, & Apollinaris Hæreticorum de anima, dicit: *Ecclesiasticum dogma esse, vt Deus quotidie animæ fabricetur.* Vbi cùm opponat Ecclesiasticum dogma sententiis Hæreticorum, videtur omnino sensisse, Catholica fide esse tenendum, animas non traduci à parentibus, sed creari.

S. Ioannes Chrysostomus homil. 23. in varia loca Matthæi: *Anima*, inquit, *nec generat, nec generatur, nec vllum agnoscit patrem, præter eum cuius voluntate creata est.*

Sanctus Gregorius Nyssenus in libro de anima, capite sexto, refellit ex proposito sententiam de propagatione animarum ex parentibus, tanquam exploratum errorem.

Theodoretus libr. 4. ad Græcos, qui est de natura hominis circa medium libri: *Formari prius*, inquit, *in aluo matris infantem ait* (Moses) *ac tum denique iam perfecto corpore animari, non ita quidem vt anima præexistens aliunde corpori inseratur. Neque vt enascatur è semine, sed diuino instituto, sicut ab initio insita natura lex fuit, creationem accipiat.* Addit in eodem loco Theodoretus, hoc esse dogma, in quo conueniant omnes Scripturæ Apostolorum & Prophetarum.

S. Cyrillus libr. 1. in Ioannem, capit. 9. *Opportunè*, inquit, *ac iuste non peccare in hac carne iubemur: quoniam eo cœpimus esse tempore, quo vna cum corpore in hunc mundum venimus, ac quasi à loco quodam à nihilo ad esse peruenimus.* Quo loco Cyrillus scribit, non solum animam ante corpus non fuisse, sed etiam à nihilo ad esse peruenisse. Quamuis enim de toto homine loqui videatur, cùm ait, non peccare in carne iubemur, &c. tamen de sola anima loquitur, quæ per intellectionis figuram homo etiam dici solet, vt perspicuum est ex tota illa disputatione.

S. Avgvstinvs, quamuis (vt paulò post dicemus) incertam esse crediderit originem animarum, & in libr. 10. de Genesi cap. 23. scripserit, opinionem, quæ asserit propaginem animarum, niti fortioribus argumentis, quam sententias cæteras: tamen in epist. 157. ad Optatum, quam scripsit multò posterius, apertissime refellit eam sententiam, quam nos modo refutare conamur: *Itaque illi* inquit, *qui propaginem animarum inconfutatæ temeritate defendunt, &c.* Et in eadem epist. loquens de sententia Tertulliani, sic ait: *Quo quia pertendere nec possis?*

S. Leo in epistola ad Turbum, cap. 10. *Catholica fides*, inquit, *constanter prædicat, atque veraciter, quod animæ hominum priusquam suis inspirentur corporibus non fuere, nec ab vllis incorporentur, nisi ab opifice Deo, qui & ipsarum est creator, & corporum.* Idem in epistola 11. ad Iulianum, docet eo modo nobis animas inspirari, quo fuit inspirata Christo: at certum est, Christi animam non fuisse propagatam ex parentibus, vt docet S. Augustinus libro 10. de Genesi capit. 19. sed creatam à Deo.

Vide in eandem sententiam auctorem de operibus Cardinalibus Christi (quod opus habetur inter opuscula S. Cypriani) in sermone de resurrectione: auctorem libri de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 14. quod opus habetur in quarto tomo S. Augustini, S. Bernardum sermone 27. in Cantica, Innocentium III. in commentario Psalmi 50. Denique Concilium Lateranense sub Leone X. sess. 8.

Ad quę testimonia potest etiam addi populorum consensus: est enim ita insitum in mentibus fidelium animas à Deo recens creari, cùm fœtus in vteris matrum animantur, vt etiam agricolæ, fabri, sutores, mulierculæ, pueri hoc sciant, & si quis contrarium publicè doceret, pessimè omnino apud Catholicum populum audiret: *Mirari*, inquit S. Hieronymus in 2. libr. Apologiæ aduersus Ruffinum, *si contra te fratrum scandala concitentur, cum id nefcare te tures, quod Christi Ecclesia se nosse fateantur?* Venio ad rationes, quæ ducuntur ex principiis fidei. Siquidem ea, quæ euidenter deducuntur ex articulis fidei, pertinent etiam ad fidem.

Prima ratio, animas hominum esse immortales principium est fidei, & quidem primarium, & certissimum, & in Scripturis sanctis omnium consensu luculenter expressum. At si animæ hominum sunt immortales, necessariò per se subsistunt. Nam si non per se subsisterent, sed penderent à corpore, vt animæ pecudum, illo pereunte, & ipsas interire necesse esset. Rursus si animæ hominum per se subsistunt, certè etiam per se producuntur. Illa enim per se producuntur, quæ per se subsistunt, illa producuntur ad productionem alterius, quæ ad existentiam alterius existunt. Denique si animæ hominum per se producuntur, id manifestè sequitur, vt non fiant ex propagine, sed creentur ex nihilo. Quæ enim ex propagine fiunt, vt animæ omnium bestiarum, non per se fiunt, sed ad compositi generationem existunt. Animæ igitur hominum, aut per se fiunt, quod est creari, non traduci, aut non sunt immortales, quod est (vt diximus) contra fidem.

Secunda ratio, si animæ hominum à parentibus trahuntur, vel trahuntur ex corpore, vel ex anima parentum: si ex corpore, sunt igitur corporales, ac per hoc mortales, vt cætera, quæ ex corporali semine producuntur. Si ex anima vel ex tota, vel ex parte: si ex tota, igitur vel parens caret deinceps anima, quippe qui totam transfudit in filium: vel tota manet in patre, & in filio. Vtrumque est euidenter falsum: nam experientia testatur, parentem per generationem animam non destitui: & non esse vnam, atque eandem animam patris, & filij: vt omittam singulare, ac proprium esse diuinæ naturæ ob eius insi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

naturam,vt vna numero sit in pluribus personis. Sin autem non ex tota,sed ex parte animæ patris existit,anima filij,sgitur anima partibilis est,ac per hoc corporalis, & mortalis. Ita semper reditur ad articulum de animæ immortalitate.

Dices,non fit anima ex corpore, neque ex anima patris,sed ex semine animæ, quod cum semine corporis transfunditur in vterum matris. Id enim sensisse eos, qui animam fieri ex propagine contendebant, testatur sanctus Augustinus lib.10.de Genesi,capit.20.Respondeo, vel semen animæ corporale est,vel spirituale: si corporale,non poterit ex eo fieri anima spiritualis: si spirituale, iterum quæremus,sit ne substantia,vel accidens. Nam si substantia est,vel ex nihilo fiet, vel ex alia substantia: si ex nihilo,igitur creabitur ab homine substantia spiritualis:si ex alia substantia,iterum quæremus, sit ne illa corporalis,an spiritualis, & sic dabitur progressio in infinitum.Si verò sit accidens,virtus scilicet quædam seminalis,tum semen animæ non erit materia, sed instrumentum agentis. At nos materiam quærimus, nisi quis ita decipiat,vt velit patrem ex nihilo animam facere, quod soli conuenit creatori.

Tertia ratio, omnis forma, quæ per veram generationem producitur, si à corpore separetur,necessariò petit. Id enim est forma per veram generationem produci, de potentia materiæ virtute producentis educi.Quod autem de potentia materiæ educitur, ita pendet à materia, vt sine ea neque fieri, neque esse queat. Est autem anima humana vera corporis forma, vt in Concilio Lateranensi sessione 8.declaratum est, &, si à parentibus trahitur,per veram generationem sine dubitatione producitur.Neque enim homines aliter filios gignũt, quàm animantia cætera,tantúmque abest,vt homines propria aliqua actione,quæ soli homini conueniat, gignant, vt potius vsum rationis in ipso actu generationis amittant. Quare si anima humana traducitur,non secus atque animæ bestiarum, & generabitur ex materia, & à materia separata deficiet, ac peribit. Sic igitur demonstratum sit, animas humanas non fieri ex propagine, sed creari. Neque argumenta quæ contra fieri solent, magnam vim habent.

Obiici solet, Primum illud Genes. 46. *Omnes animæ, quæ egressæ sunt de fœmore Iacob,fuere sexaginta sex.* Respondetur, per animas eo loco intelligi debere ipsos homines, qui anima constant.Frequens enim est in Scripturis vsus eius figuræ,quæ dicitur intellectio, cum videlicet aut totum ex parte,aut ex toto pars intelligitur. Sic in lib.1.Reguin cap.28.dicitur,Samuel apparuisse Sauli, cum ei anima Samuelis apparuisset.Sic in li. Leuitici ca. 5.accipitur anima pro homine cum dicitur, si peccauerit anima,& audierit vocem iurantis. Item anima, quæ tetigerit aliquid immundum. Item anima, quæ iurauerit,&c.

Obiicitur,Secundo,argumentum ductum ex capit. 7. epistolæ ad Hebræos, hoc modo, Christus, & Leui fuerunt in lumbis Abrahæ,quando is decimas obtulit summo sacerdoti Melchisedech: & tamen Leui decimatus fuit,Christus autem non dicitur decimatus (inde enim probat Apostolus sacerdotium Christi præstantius esse sacerdotio Leuitico)quia sacerdotium Christi est secundum ordinem Melchisedech,qui ab ipso Leui in lumbis Abrahæ delitescente decimas accepit,igitur non eodem modo fuerunt in lumbis Abrahæ Christus, & Leui, sed propria quadam,& certa ratione fuit Leui, qua non fuit Christus.Fuit autem Christus in lumbis Abrahæ ratione corporis,ergo Leui in iisdem lumbis fuit ratione corporis,& ratione animæ.

Hoc argumentum proponit,& soluere conatur S.Augustinus libro 10.de Genesi, cap. 19. nos breuiter Respondemus,aliter fuisse in lumbis Abrahæ Leui, quàm Christum,non quod Leui fuerit in lumbis Abrahæ ratione animæ: & corporis,Christus autem solum ratione corporis,sed quia Christus fuit in lumbis Abrahæ secundum materiam carnis,non secundum rationem seminalem,Leui autem secundum vtrumque: siquidem Christus matrem habuit ex progenie Abrahæ, non patrem, mater autem in generatione materiam præbet,non vim actiuam,quæ solum residet in semine viri, quæque tanquam instrumentum viri format corpus quod generatur. Notum est enim ex Euangelio,Christum à Virgine per Spiritus sancti virtutem conceptum, & ex Virgine mirabiliter natum esse.Porrò Leui & patrem & matrem habuit ex progenie Abrahæ, atque ideo in lumbis eius fuit secundum materiam carnis ratione matris,& secundum rationem seminalem ratione patris. Atque hæc caussa fuit, cur Christus non contraxerit originale peccatum, neque opus habuerit decimas soluere, Leui autem & peccato subiectus, & in Abrahamo decimatus fuerit.

Obiici solet Tertio,si animæ non trahantur à parentibus,sed creentur à Deo,& corporibus per generationem dispositis inspirentur,sequi hoc absurdum, vt Deus adulteris,& fornicariis in procreatione hominis cooperetur.Quippe qui fornicariis,& adulterinis conceptibus animas largiatur.Quod argumentum ab Apollinare excogitatum,Gregorius Nyssenus duodecimo lib. de anima,cap.6.pene insolubile iudicauit.

Sed respondit S.Hieronymus in lib.3.Apologiæ contra Ruffinum,non magis absurdum esse.vt Deus adulterinis conceptibus inspiret animas, quàm vt terra gremio suo confoueat semina,quæ sator furto sustulerit, vel immunda proiecerit manu. Quam similitudinem elegantissimam esse scribit S.Augustinus in epistola 28. ad Hieronymum.

Sed si quis scholasticam solutionem requirat,breuiter Respondemus in fornicatione,& adulterio duo quędam considerari posse,actionem naturalem generationis humanæ, & vitium transgredientis legem Dei in opere illo perficiendo:ac primum quidem bonum esse, & ei bono bonum Deum cooperari, cum animas in materiam ritè dispositam,ac præparatam infundit: secundum esse malum,& ei Deum nulla ratione cooperari.

Quinta sententia eorum est,qui censent,latere originem animæ,neque esse aliquid temere definiendum.Huius sententiæ ad mortem vsque fuit sanctus Augustinus, vt intelligi potest ex libro 10.de Genesi.Item ex quatuor libris de origine animæ,quos scripsit iam senex, & ideo scripsit,vt ostenderet,se de hac re non sine magna caussa non audere certam proferre sententiam,Rursus in epist. 28.ad Hieronymum,& ex epist.157.ad Optatum. Denique ex libr.2.Retractationum,cap.56.S.Augustini cunctationem sequuti sunt S. Gregorius in epistola ad Secundinum,quæ habetur in regiſtro epistolarum eius lib. 7.cap.27. & Eucherius in commentario secundi capitis libri Geneseos.Neque desunt, qui in eadem dubitatione adhuc perseuerandum esse velint.

Nos tamen hoc tempore hanc sententiam minimè tutam esse censemus,& ideo sententiæ Sextæ subscribimus, quæ docet, hominibus singulis animas singulas, non ex propagine,sed ex nihilo, tunc primum creari,atque infundi, cum in vteris matrum fœtus concepti, atque ad animationem præparati sunt. Quæ sententia est omnium auctorum, quos aduximus contra sententiam quartam,exceptis Augustino & Gregorio Nysseno.

Porrò ratio, cur quintam sententiam explodendam, & hanc sextam amplectendam esse iudicemus, duplex est. Primum enim habemus hoc tempore præter testimonia Patrum, qui sancti Augustini tempora præcesserunt, rescriptum sancti Leonis primi, supra citatum ad Turbium, decretum Leonis decimi in Concilio

lio Lateranensi,consensum Theologorum omnium, qui his quingentis annis floruerunt,denique rationes, egregias à Theologis excogitatas:quibus argumentis sanctus Augustinus caruit.

Deinde tota caussa,quæ sanctum Augustinum impediuit,ne creationem nouarum animarum certo sibi persuaderet,fuit argumentum Pelagianorum contra peccatum originale,quod superiori capite proposuimus.Nam argumenta cætera contra nouam animarum creationem, idem Augustinus facilè se putauit posse dissoluere, & reipsa dissoluit in epistola vigesima octaua ad Hieronymum, sed in eadem epistola, vt etiam in 157. ad Optatum, ingenuè confitetur, se neque legendo, neque orando, neque ratiocinando inuenire potuisse, quomodo cum animarum creatione peccatum originis defendatur.

Cæterum remota quæstione peccati originalis,S.Augustinus sententiam de creatione animarum verissimam esse non dubitauit.Nam in primo libro de origine animæ, capite 19. posteaquam enumerauit quatuor errores,qui in quæstione de anima cauendi sunt, ita scripsit: *Nihil ergo istorum quatuor dicentes, quoniam quodlibet eorum falsum, atque impium est,hanc sententiam suam(*de noua creatione animarum*)non solum me non vetante, sed etiam fauente, & gratias agente defendam.* Et in epist.28.*Nam licet*,inquit,*nemo faciat optando,vt verum sit quod verum non est, tamen si fieri posset,optarem,vt hæc sententia vera esset.sicut opto, vt si vera est, absit liquidissimè, atque inuictissimè defendatur.* Et in epistola 157.*Et si inueneris*,inquit,*quod te quærere admoui,quod ipse adhuc fateor, non inueni, defende quantum potes, atque affere animarum infantium eiusmodi esse nouitatem, vt nulla propagatione ducantur: & nobiscum quod inueneris fraterna charitate communica.Si autem non inueneris, nec sic tam temere in aliam sententiam tua deflectatur assensio, vt eas ex illa vna credas propagando traduci,ne forte alius inuenire possit,quod ipse non possis aut aliquando inuenias quod nunc non potes.* Et infrà sic ait: *Si potes animas sic alienas à propagatione defendere, vt tamen hoc chirographo, quod sola Christi morte rumpendum est,rectissima ratione demonstrentur obstrictæ, non solum nemine prohibente defende,verum etiam id nobis quomodo tecum defendere possimus ostende. Si autem non potes, melius origo animæ latet.*

Ex his locis perspicuum est, Augustino, sententiam nostram de creatione animarum, visam esse longè veriorem, quàm sententiam de propagatione.Neque obiici debet,quod in lib.10.de Genesi,cap.23.videatur magis propendere in sententiam de propagatione. Neque enim confert eo loco sententiam cum sententia, sed argumenta cum argumentis, ac dicit,sententiã de propagatione niti fortiori argumento. Non tamen inde sequitur eam sententiam visam illi fuisse veriorem.

Adde quod epistolam ad Hieronymum de origine animæ,scripsit Augustinus posterius,quàm libros de Genesi,& epistolam ad Optatum adhuc posterius, & post vtramque scripsit libros quatuor de origine animæ, iam valde senex,vt ex lib.2.Retractationum,intelligi potest. In his autem scriptis semper magis, ac magis inuenitur recessisse à sententia de propagine, & accessisse ad sententiam de creatione animarum. Igitur sola traductio peccati originalis Augustinum impediuit, quo minus creationem animarum crederet.

At reuera neque animarum creatio impedit peccati traductionem, vt in sequenti capite demonstrabimus: neque propagatio animarum ex anima Adami propagationem peccati iuuat,siquidem Adamus,quoad animam iustificatus fuit à peccato antequam filios generaret: sæpe etiam parentes iusti,& peccato originali carentes filios gignunt:non potest autem ex anima iusta trahi anima iniusta, ac per hoc non ideo traducitur peccatum in prolem,quia anima fit ex anima.

Quare cum argumentum illud de peccato originis solum cunctationis S.Augustino caussa fuerit: illud autem non minus facile dissoluatur posita creatione animarum,quam posita propagine, vt mox, Deo volente, docebimus, nullla caussa est, cur amplius dubitandum esse credamus:certè quidem Sanctus Augustinus,si nunc inter homines viueret,non solum faueret,sed etiam gratias ageret iis,qui nostram hanc sententiam tuerentur.

CAPVT XII.

Explicatur quomodo peccatum originis traducatur, & soluitur argumentum Pelagianorum,quod cap.10. extremo propositum fuerat.

EXPLICATA quæstione de origine animę, explicandus est modus,quo peccatum originale traducitur. Hinc enim solutio pendet argumenti Pelagianorum, quod semper est habitum difficilimum.

Igitur S.Augustinus nunquam planè in hac quæstione sibi satisfecit.Hinc est illud in lib. 1. de moribus Ecclesiæ,c.22 nihil esse peccato originali ad prædicandum notius,nihil ad intelligendum secretius.Hoc est,nihil esse notius,quàm peccatum originale traduci, nihil obscurius,quàm quomodo traducatur. Hinc etiam in epistola 29.ad Hieronymum consolatur se his verbis: *Eleganter dictum esse narratur, quod huic rei satis apte conuenit. Cum quidam ruisset in putem,vbi aqua tanta erat, vt eum exciperet,ne moreretur,quam suffocaret,ne loqueretur, accessit alius, & eo viso admirans,ait,quomodo huc cecidisti?at ille,obsecro*(inquit)*cogita quomodo hinc me liberes, non quomodo huc ceciderim,quæras:Ita quoniam fatemur, & fide Catholica tenemus, de reatu peccati tanquam de puteo etiam paruuli infantis animam Christi gratia liberandam satis est ei,quod modum, quo salua fiat,nouimus,etiamsi nunquam quomodo in malum illud deuenerit,nouerimus.* Hæc eo loco.

Tamen in lib.5.aduersus Iulianum,cap.3. explicat sententiam suam de proposita quæstione his verbis: *Profectò aut vtrumque vitiatum ex homine trahitur,aut alterum in altero tanquam in vase vitiato corrumpitur: vbi occulta iustitia diuinæ legis includitur.Quid autem horum sit verum,libentius disputo, quàm dico,ne audeam docere quod nescio.* Horum verborum sensus hic est,Aut vtrumque,id est,anima & corpus,secundum illorum sententiam,qui propaginem animarum defendunt,vitiatum trahitur:aut alterum in altero,id est,anima in corpore tanquam in vase vitiato corrumpitur, secundum sententiam eorum,qui animas à Deo creari cẽsent:& solã carnem corruptã à parentibus traduci volũt.

Porrò carnem ideo corruptam trahi,scribit idem Augustinus,quia cum libidine generatur. Non enim generationem,sed libidinem esse,quæ propriè peccatum traducit.Vide Augustinum,libro 1.de peccatorum meritis, & remissione, capite nono, libro primo de nuptiis, & concupiscentia,capite 24.libro 5.in Iulianum, capite 9. & Fulgentium libro de fide ad Petrum, capite 2.

Hęc sententia si accipiatur vt verba sonant,vt eam accepisse videntur Petrus Lombardus in secundo sententiarum,distinctione 31.& Gregorius Ariminensis,& Gabriel in eodem loco, ferenda non videtur. Primum enim non potest intelligi,quemadmodum caro, quæ corpus est, animam inficiat, quæ spiritus est. Deinde labes carnis propriè peccatum esse non potest, præsertim antequam anima rationalis accedat, quare tametsi caro animam inficeret, non tamen inficeret contagione peccati. ADHÆC, certum est, in Adamo vitium prius in anima, quàm in carne fuisse,& ab anima ad carnem,non à carne ad animam transiuisse: *Ab animo* (inquit Augustinus lib.5.in Iulianum, cap.3.) *cepit elatio, & ad*

Universidad de Deusto
Biblioteca

na præ ætum transgrediendam inde consensio, tunc est caro fa-
ta peccato &c. Cur igitur in filiis Adami,ad quos hæreditas peccati eiusdem deuoluta est,nõ idem ordo seruetur.

Præterea, si quis iam ex nihilo crearetur, quales nos nascimur,quòd posse fieri suprà demonstratum est, is neque haberet neque traduceret in posteros originale peccatum,vt Concilium Tridentinum statuit sess.6.cap. 3. vbi dicit, eos solos peccatum originis trahere posse, qui ex Adami semine procreantur:at is non careret concupiscentia, & ardore libidinis,vt notum est ex iis, quæ supra docuimus: igitur non est propriè carnis vitium, quod animam inficit,& peccatum in posteros traicit.

Præterea si duo homines, vir, & fœmina, ex Adamo nati,singulari priuilegio Dei, sine libidine generarent, peccatum nihilominus in filios suos transmitterent,quia filij horum parentum, vere filij essent Adami: & in eo peccassent,in quo omnes peccauerunt,Roman.5. neque gratia personalis proximorum parentum in eos transfunderetur.Non igitur libido generantium originalis est caussa peccati.

Accedat postremò,quòd si libido esset caussa peccati, ille maius peccatum traheret, qui cum maiori libidine conciperetur.Quod est manifestè falsum,cùm peccatum originis in omnibus hominibus sit æquale.

Fuerunt igitur qui existimarent,animam in carne vitiari, non quod vel in carne peccatum propriè dictum hæreat, vel caro spiritum propriè inquinare possit, sed quòd caro destituta originali iustitia, ac rebellis rationi effecta animam deorsum trahat,ac per hoc obliquam, & distortam efficiat.Illa verò obliquitas est peccatum. Ita sensisse videntur Alexãder Alensis in 2.parte quæst.105. membro 4.& S.Bonauentura ibidem art.1 quæst.2.

Sed hæc sententia refellitur iisdem argumentis, ac præsertim quatuor postremis Et præterea,si res ita se haberet,sequeretur paruulos ante vsum rationis non habere peccatum originis, nisi in potentia. Neque enim anima trahitur deorsum à carne,nisi quando caro concupiscit contra spiritum, quod non fit ante vsum rationis.Deinde vel spiritus carni malè concupiscenti resistit, vel succumbit: si resistit, non peccat, si succumbit, peccatum actuale committit.

Est Alia sententia,quam verissimam esse non dubito, S.Anselmi in libro de conceptu Virginali, cap. 7. & 10. S.Thomæ in 1.2.quæstione 81. articulo 1. & quæstione 4.de malo,articulo 1. nec non Scoti, Durandi, & aliorum,in secundum Sententiarum,distinctione 31.ad traductionem peccati originalis nihil aliud requiri, nisi vt homo per veram generationem ab Adamo descendat. Hoc enim ipso,quod aliquis in lumbis Adæ fuit, cùm is præceptum in Paradiso transgrederetur,in illo eius peccato communicauit. Nam (vt Apostolus loquitur ad Rom.5.) *In illo omnes peccauerunt,* omnes, inquam, qui in lumbis eius erant.

Neque aliud sibi volunt verba S.Avgvstini: *Alterum in altero tanquam in vase vitiato corrumpitur.*Significatur enim his verbis,animam non pollui, cùm creatur à Deo,sed cùm per coniunctionem cum carne, ex Adamo tracta,pars hominis efficitur.Neque enim anima,vt cõsideratur antequam corpori inspiretur,filia est Adami, sed homo est filius Adami:homo autem tunc primum existit,cùm anima carni coniungitur.

Pari ratione cum S. Augustinus tam sæpe repetit,non generationem,sed libidinem esse quæ peccatum traducit:non vult significare, ipsam libidinem actualem esse veram caussam originalis peccati: quod absurdum esse paulò ante demonstrauimus: sed indicare voluit, caussam peccati originalis non esse simpliciter propagationem:nam etiam in paradiso propagatio fuisset,vbi tamen peccatum non fuisset:sed propagationem ex natura corrupta,cuius argumentum certissimum est ardor libidinis,sine quo ardore,ne sanctissimi quidem coniuges generare solent.

Ex his,quæ hactenus dicta sunt, facilè erit argumentum illud Pelagianorum soluere, quod ad finem capitis decimi,propositum fuit.Argumentum hoc erat, Peccatum non in carne,sed in anima sedem habet: sed anima non trahitur ex Adam:igitur nec peccatum trahitur ex Adamo.

Respondemus ad assumptionem argumenti, animam non trahi ex Adamo,quasi ab Adamo fiat, vel ex Adami anima fiat,sed tamen esse partem hominis, qui vere trahitur ex Adamo. Quare negãda est illa consequutio: Igitur nec peccatũ trahitur ab Adamo Neque enim(vt peccatum ex Adamo trahatur)necessarium est,vt anima fiat ab Adamo,sed satis est,si homo ipse cuius pars est anima, fiat ab Adamo.

Porrò verè,& propriè dicitur homo hominem generare,tametsi anima non producatur,ab homine, sed inspiretur à Deo Nam generatio non terminatur ad productionem formæ, vel materiæ, sed compositi. Proinde qui animam cum carne coniungit, is verè hominem facit Coniungit autem animam cum carne is, qui materiam ita disponit, quod facit homo per generationem, vt infallibiliter anima consequatur. Homo igitur hominem per generationem verè producit, vndecunque existat anima.

Ex quo intelligimus,non solum non impediri traductionem peccati ex eo,quòd animæ creentur à Deo, sed neque multum iuuari,vel illustrari, si animæ hominum intelligantur fieri ex propagine: quemadmodum animæ bestiarum fiunt. Nam bestiarum animæ non fiũt ex propagine quasi pars aliqua animæ parentum traiiciatur in prolem: (pater enim solum præbet semen, quod est superfluum alimenti,& mater sanguinem menstruum, qui est etiam superfluum alimenti, & neutrum est pars animantis) sed quia parentes generando disponunt materiam vsque ad animationem.

Itaque siue animę fiant ex propagine,siue inspirentur à Deo,non potest reddi commodior, & expeditior ratio traductioni peccati, quam sit ea, quam assignauimus, quia videlicet quicunque per carnalem generationem concipiuntur, veri sunt Adæ filij. Proinde nulla caussa est,cur propter originale peccatum de animarum creatione amplius dubitemus.

CAPVT XIII.

Non ab Heua,sed à solo Adamo peccatum originale trahi.

EXplicavimvs hactenus primam controuersiam de peccato originis, quæ erat: An sit aliquod peccatum, quod per generationem traiiciatur in posteros.Nunc antequam ad alteram controuersiam principalem,quę erit de natura peccati originis veniamus:tractandæ videntur Tres quæstiones breuiores. Prima, vnde hoc peccatum trahatur. Altera,adquos trahatur. Tertia,quod peccatum trahatur.

De Prima quæstione illud est certum, hoc peccatum ex Adamo trahi.De illo enim Apostolus dicit: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum,&c.* ad Rom.5.Et: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur*, 1.ad Corinth.15. Duo sunt, quæ in controuersiam vocari possunt. Vnum,si Heua sola peccasset, Adamo in innocentia permanente, An peccatum Heuæ ad posteros traduceret &c. Alterum,si primi parentes non peccassent,peccasset autem Cain, vel aliquis alius ex posteris Adæ,vtrum peccatum illud ad filios dimanaret.

Quod

Quod ad Priorem quæstionem attinet, conueniunt omnes,peccatum propriè dictum nõ fuisse trahiendum in posteros,si sola Heua peccasset: tamen in eo dissentiunt,quod aliqui existimant,ex peccato solius Heuę dimanaturum in filios moriendi necessitatem, & cætera incommoda,quæ mortalitas secum trahit.

Alij contra disputant,neque peccatum,neque moriẽdi necessitatem in filiis Adæ locum habiturã ex peccato solius Heuæ.Quæ sententia posterior est sancti Thomæ in prima secundæ,quæstione 81.articulo 5.& sine dubitatione verissima. Nam peccatum originale contrahimus,quia cùm Adam peccauit,in illo fuimus, vt in actiuo principio.Non fuimus autem in Heua, vt in actiuo principio,cùm mater non virtutem actiuam, sed materiam solum ad prolem generandam præbeat. Quod si peccatum ab Heua non trahimus, certè nec mortem ab illa trahimus, quæ est pœna peccati. *Stipendium enim peccati mors,*Rom.6.Quare Scriptura non dicit, In Heua omnes moriuntur,sed *in Adã omnes moriuntur.* 1.Cor.16. & tamen cum Heua prius peccauerit, quàm Adamus, si ab Heua mortem traheremus,omnino dicendum fuisset, In Heua omnes moriuntur.

Scribit quidé Ecclesiasticus ca.25. A muliere initium factum est peccati,& per illam morimur omnes. Sed aliud est,per illam,aliud,in illa:per illam morimur, quia illa occasionem peccandi viro suo præbuit, vnde mors consequuta est:at non in illa, sed in Adam omnes moriuntur,quia non Heuæ, sed Adæ peccatum commune fuit omnibus,& ideo illo peccante,omnes in illo peccauimus, & illo moriente, omnes in illo mortui sumus. Denique Concilium Arausicanum can. 2. statuit, non posse mortem sine peccato ad homines transire, nisi iniustitia Deo detur, & contradicatur Apostolo dicenti, Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit,& per peccatum mors.

Iam verò quod attinet ad alteram quæstionem, cõmunis sententia est,si primus homo nõ peccasset,qui totius naturæ personam gerebat,quocunque alio peccãte, peccatum futurũ fuisse personale & particulare, & ideo posteritatem eius infici & vitiari minimè potuisse. Videtur quidem S. Thomas contrarium indicare in quæst. 5. de malo,artic.4.ad vltimum,sed fortasse corruptus est is locus:& ratio est,quoniam quicunque in statu innocentiæ primus peccasset, continuò originali iustitia caruisset: non autem ad posteros trãsmittere potest vllus id, quod ipse non habet,igitur naturam primus ille peccator iustitia originali carentem,ac per hoc à Deo auersam,& inquinatam,atque adeo peccatricem transmisisset.

CAPVT XIV.

Ad filios fidelium peccatum originis pertinere, quemadmodum ad filios infidelium.

ALtera quæstio erat, ad quos peccatum originale traiiciatur.Et quidem in controuersiam reuocari non debet, an traiiciatur ad eos, qui ex Adamo per carnalem generationem minimè descẽdunt. Neque enim dubitari potest, quin Dominus Iesvs Christvs, qui non ex semine viri,sed Spiritus sancti virtute in vtero Virginis conceptus fuit originali peccato caruerit. Et eadem ratio esset,si aliquis alius per diuinam potentiam aliunde,quàm ex Adam originem duceret.Itaque solum quæstio est,Vtrum omnes,qui per carnalem generationem ex Adamo,nascuntur,trahant originale peccatum. Siquidem non pauci ex hæreticis sine peccato originis concipi,ac nasci volunt omnes filios fidelium: multi autem ex Catholicis, Virginem Deiparam omnis omnino peccati, etiam originalis expertem fuisse contendunt.

De vtraque sententia breuiter disseremus.

Igitur Huldrichus Zuinglius in lib.de baptismo,& in declaratione de peccato originis,tanquam rem certam, & exploratam docet, nihil esse in filiis fidelium, etiam aute baptismum,quod propriè peccatũ dici possit:quanquam probabiliter idem dici posse censeat de filiis infidelium:quin etiam absolutè peccatum originis negat,vt suprà demonstrauimus.

Ioannes Caluinus in Antidoto Concilij Tridentini ad cap.5.sess.6.& lib.4.Institt.cap.16.§.24.& 25.docet,filiis fidelium non imputari peccatum originis, & etiam ante baptismum esse sanctos,& membra Ecclesiæ.

Similia docent Martinus Bucerus in caput 3. Matth. Petrus Martyr, & Henricus Bullingerus in cap. 7. prioris ad Cor.

Sed hęc eorum sententia,vel hæresis potius apertè repugnat verbo Dei,Traditioni Patrum, decretis Cõciliorum,atque Po tificũ,&Ecclesiæ vniuersæ consuetudini.

Primũ enim,testimonia,quæ supra attulimus ex Scripturis ad probandum originale peccatum, vniuersalia sunt,& homines omnes, siue fidelium, siue infidelium filios comprehendunt. Deinde locus ille Psalm. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, &c.* Non quemcunque hominem, sed Dauidem ipsum in peccato conceptum fuisse docet:porrò Dauidem filium fuisse hominis fidelis, & iusti dubitari non potest.Ruffinus in hunc locũ, vt etiam suprà citauimus) *Dauid,* inquit, *natus erat de Iesse viro iusto,& coniuge eius. Quid est ergo quod de se dicit,in iniquitatibus conceptum esse,nisi quia detrahitur iniquitas ex Adam, nemo nascitur,nisi trahens culpam,& culpæ pœnam.*

Item illud Apostoli ad Ephes.2. *Eramus, & nos natura filij iræ,sicut & cæteri.* Apertissimè dicitur de filiis fidelium, qualis erat Apostolus, qui ad Phil.3. scribit, se fuisse de genere Israël,ex tribu Beniamin,Hebræum ex Hebræis. Et ad Galat.2.dicit,se naturâ, hoc est, à natiuitate, Iudæum,non ex gentibus peccatorem. Denique circumcisio Dei mandato(Genes.17)filiis fidelium adhibenda erat,& tamen ea peccatum originis vel tollebat, vel tollendum significabat,vt veteres omnes concedunt.

Ad hæc accedit traditio Patrum. Nam sanctus Cyprianus lib. 3. epist. 8. ad Fidum, de filiis fidelium interrogatus fuerat, vtrum ante octauum diem baptizari possent.Neque enim infideles filios suos baptizari procurabant, aut sinebant. Respondit autem Cyprianus baptizãdos esse eiusmodi paruulos etiam ante octauum diem,si opus sit,propter contagiũ mortis antiquę,quod vnusquisque eorum prima natiuitate contraxit.

S.Ambrosivs de filiis fidelium sine dubio loquebatur,cùm diceret in Apologia Dauid,cap.11. *Antequam nascamur,macidamur contagio.*Nam se quoq; in eo numero ponit,& alios,qui de Christianis parentibus nascuntur.

S.Hieronymvs in epist.ad Lætam de institutione filiæ:*Christiam,*inquit,*non nascuntur,sed fiunt.* Quod antea scripserat etiam Tertullianus in Apologetico, ca.17. non igitur filij fideliũ nascuntur sancti, & Ecclesię membra,vt aduersarij docent.

S.Avgvstinvs lib. 2.de peccato originali.ca.40. *Regenerati* inquit,*non regenerat filios carnis, sed generat, ut per hoc in eos non quod regeneratus, sed quod generatus est,transeat. Sic igitur siue reus infidelis,siue absolutus fidelis non generet absolutos vterque sed reos. Quomodo non solum oleastri,sed etiam oleæ semina non oleas generant,sed oleastros.*Idem docet lib.1.de nuptiis & concupiscentia,cap.18.19.& 20. lib. 6.aduersus Iulianum,cap.2.& 3.& lib 2.de peccatorum meritis & remissione.c.25.& duobus seq.

Addi possent multa similia Patrum testimonia, sed non est opus, cùm ne vnus quidem ex Patribus adduci possit qui contrà senserit.

Iam verò quod attinet ad Conciliorum atque Pontificum decreta,Concilium Mileuitanum canon.2. cùm dicit

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicit anathema his, qui negant paruulos recenter ab vteris matrum baptizandos esse in remissionem peccatorũ: & B. Siricius in epist. 1. ad Himerium, cap. 2. cùm infantibus iubet per baptismum omni celeritati succurri, sine dubio de filiis fidelium præcipuè loquuntur. Nam (vt suprà diximus) infideles, vt plurimum, aut non sinebant, aut non procurabant, vt filij ipsorum per baptismum regenerarentur.

Denique Ecclesię vniuersæ consuetudo, magnam vim in eiusmodi rebus habere debet. Semper autem in Ecclesia fuit hæc sollicitudo fidelium, vt summopere cauerent, ne filij ipsorum in quauis ætate sine baptismo decederent: *Quis iuris* (inquit AVGVSTINVS epist. 28. ad Hieronymum) *dixerit, quod in Christo viuificabuntur etiam paruuli, qui sine Sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam, vbi propterea cum baptizandis paruulis festinatur, & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo viuificari non posse. Qui autem non viuificatur in Christo, restat vt in eadem damnatione maneat, de quo dicit Apostolus, Per vnius delictum in omnes homines in condemnationem.*

Certè si in Ecclesia cũ baptizandis paruulis festinatur, & curritur: à fidelibus, qui in Ecclesia sunt festinatur, & curritur: ne videlicet filij fidelium sine baptismo decedentes non sint in regno cœlorum cum parentibus fidelibus, sed apud inferos cum aliis filiis infidelium: Certè etiam Zuinglius, & Caluinus, & cæteri, qui paruulos fidelium in Christo viuificari dicunt, etiamsi absque Sacramenti ipsius participatione decedant, contra prædicationem Apostolicam veniunt, & totam condemnant Ecclesiam.

Accedit postremò illa consuetudo, quæ semper in Ecclesia celebertima fuit, exorcizandi, & exsufflandi filios fidelium baptizãdos. Illa enim apertissimè testatur, filios etiam fidelium immũdo spiritui subditos esse, donec Spiritu sancto in eos superueniente mundentur: *Verum est* (inquit S. AVGVSTINVS in lib. 6. contra Iulianum, c. 2.) *quod antiquitus veraci fide Catholica prædicatur, & creditur per Ecclesiam totam, quæ filios fidelium, nec exorcizaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum, & à principe mortis erueret.*

Porro argumenta, quibus aduersarij ad hanc nouitatem, contra totius Ecclesiæ consensum, immò etiam (vt ostendimus) contra ipsum Dei verbum asserendam permoti videntur, leuissima sunt, & à nobis refutata in lib. de Baptismo, cap. 4.

Præcipuum fundamentum eorum, sunt illa verba: *Ero Deus tuus, & seminis tui post te*, Gen. 17. Quamuis enim hoc dictum sit soli Abrahæ, tamen intelligitur dictum esse omnibus eius posteris, quia promissio æterna est. Sic enim loquitur Deus: *Statuam pactum meum inter me, & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, vt sim Deus tuus, & seminis tui post te.* Itaq; quod dixit Deus Abrahæ, idem intelligitur dictum filio eius, & nepoti, & cæteris vsque in sempiternũ. Nos autem per Christũ facti sumus etiam Abrahæ filij, & coniuncta populo Dei. Quare vnicuique nostrum dictum esse existimandum est: *Ero Deus tuus, & seminis tui*, ac per hoc filij fidelium, hoc ipso quod filij sunt fidelium, ad fœdus illud pertinent, & populo Dei aggregati esse censentur.

Respondeo, promissionem illam, quatenus spiritualis erat, & ad vitam æternam pertinebat, factam esse semini Abraham, non secundum carnem, sed secundum fidem, vt exponit Apostolus ad Rom. 4. & 9. & ad Gal. 3. & 4. Proinde filij fidelium non hoc ipso, quod sunt filij fidelium secundum carnem, pertinent ad fœdus, & ad populum Dei, sed tunc primum incipiunt deputari in semen, & in fœdere contineri, cùm incipiunt imitari fidem parentum suorum, quod faciunt vel credendo, vel Sacramentum fidei suscipiendo, quamuis ipsum Sacramẽtum fidei suscipere sint etiam quoddam credere, vt Augustinus docet lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione ca. 27. vbi etiam distertis verbis refellit, quod Caluinistæ dicũt, filios fidelium ante baptismum pertinere ad ones Christi: *Quoniam*, inquit, *de vnibus eius esse non incipiunt paruuli, nisi per baptismum: profectò si hoc non accipiunt peribunt.*

CAPVT XV.

B. Virginem Mariam sine peccato originali conceptam fuisse.

IAM verò de Beatissima Deipara, quam multi ex Catholicis sine peccato originis conceptam fuisse contendunt, ideo solum disputare cogimur, quoniam nó desunt, qui Ecclesiam vniuersam, & ipsum Concilium Tridentinum accusant, quod opinionem illam de immaculata Virginis conceptione (quam ipsi manifestum errorem esse credunt) non solum tolerare, sed etiam vt piam, & probabilem recipere videatur. Neque desunt, qui impudenter affirment, ab Ecclesia Romana defendi conceptionem immaculatam Virginis Mariæ, tanquam articulum fidei.

Nos igitur Tria breuiter demonstrare aggrediemur. Primo, non haberi apud Catholicos pro re certa, & explorata, ac fide Catholica tenenda, B. Virginem sine peccato fuisse conceptam. Secundo hanc ipsam opinionem non esse vllo modo hæreticam, vel erroneam iudicandam. Tertio, non esse etiam temerariam, sed piam admodum, ac probabilem, atque adeo contraria sententiã longè probabiliorem.

Quod attinet ad primum, Ioannes Pomeranus vnus ex primis Lutheri discipulis, in commentario capit. 1. & 44. Hieremiæ scribere ausus est, pro articulo fidei, apud Catholicos haberi B. Virginem sine vllo peccato, immò etiam de Spiritu sancto fuisse conceptam.

Sed hoc impudentissimum mendacium satis apertè refellunt duæ Pontificum constitutiones, & Concilij Oecumenici decretum, quibus constitutionibus, ac decretis Catholici omnes libenter obediunt.

SIXTVS IV. Pontifex Max. in ea constitutione, quæ incipit, *Grauè nimis*, de reliquiis & vener. Sanctorum, distertis verbis pronunciat, nódum esse quæstionem istam, de Conceptione B. Virginis, ab Ecclesia Romana & Apostolica sede definitam, & ideo pœnam excommunicationis statuit in eos, qui alterutram sententiam, vt hæreticam damnare audent.

Iudicium Sixti Pontificis sequutũ est Concilium Tridentinum sess. 5. ac demum nostro tẽpore Pius V. in constitutione quam edidit de Conceptione Beatissimæ Virginis Mariæ. Porrò Concilium Basileense sessione 36. definiuit quidem Beatam Virginem sine peccato fuisse conceptam: sed nec ea definitio facit certam fidem, cùm Concilium illud ab Apostolica sede probatum non fuerit: nec ipsum Concilium sententiam suam pro articulo fidei haberi voluit. Solùm enim statuit, eam sententiam amplectendam esse vt piam, & consonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, Scripturis, & rationi.

Iam verò quod attinet ad secundum, Matthias Illyricus cent. 9. cap. 10. vbi tractat de quodam auctore, qui dicitur Idiota, sententiam illam, quæ facit B. Virginem omnis peccati, etiam originalis expertem, erroneam esse docet. Idem habet Tilmannus Heshusius in libr. de sexcentis erroribus Pontificiorum, tit. de peccato, num. vlt. Idem etiam Martinus Kemnicius in examine sessio. 5. Concilij Tridentini, vbi aliquoties repetit sententiam de conceptione immaculata Virginis Mariæ, contra verbum Dei defendi: & in extremo disputatione cùm diceret, non posse adferri Scripturas, aut traditionem, aut Patres, sed solas reuelationes, & miracula, addit Pontificios cùm nouos articulos fidei condere volunt, non curare verbum Dei scriptum, vel traditum.

Ab hac aduersariorum temeritate longè absunt omnes Catholici. Tametsi enim nó desint inter Catholicos, qui propensiorem ad veritatem existiment esse sententiam illam, quæ præter Christum, neminem excipit à communi lege peccati originalis: tamen illi ipsi sententiam contrariam neque damnant vt erroneam, neque damnare possunt, nisi decretis generalis Concilij Tridentini, & summorum Pontificum Sixti IV. ac Pij V. resistere velint, quod si facerent, inter Catholicos numerandi non essent.

Probatur igitur sententiam de immaculata Virginis cõceptione, fidei Catholicæ minimè repugnare. Id enim Catholicæ fidei repugnat, quod asseritur vel contra expressum Dei verbum, quale est, Deum non esse vnum, aut esse corporalem, aut non creasse cœlum, & terram, & similia, vel contra verbum Dei ab Ecclesia declaratum, vt filium Dei non esse Patri consubstantialem, Spiritum sanctum à Patre, & Filio non procedere, Christum non habere duas voluntates & alia id genus. Virginem autem Deiparam ab originali peccato fuisse immunem, non repugnat expresso Dei verbo, neque Ecclesiæ declarationi, vt vel ex eo perspicuũ esse potest, quod nullus aduersariorũ adhuc locum vllum Scripturæ, vel Conciliorum protulit, vbi distertis verbis legatur, B. Virginem Mariam in peccato originali fuisse concepram. Proferuntur quidem Scripturæ, & Conciliorũ testimonia quæ dãgeneralia, sed ea satis commodè explicantur ab iis, qui B. Virginem à generalibus illis sentẽtiis excipiendã esse volunt.

Dices, Si res ita se habet, non erit contra fidem, si non solùm Virgo Deipara, sed quiuis etiam alius ab originali peccato asseratur immunis. Neque enim de vllo homine distertis verbis Scripturæ aut Cõcilia docent, eum in peccato fuisse conceptũ, nisi de Dauide, qui de se ait in Psal. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.*

Respondeo, fidem Catholicam id solum requirere, vt credamus omnes homines, qui per carnalem generationem ex Adamo nascuntur, ex eodem trahere originale peccatum, nisi fortè singulari priuilegio à communi lege aliquis excipiatur. Proinde cùm ad singulos descenditur, non etit continuò hæreticus, qui hunc, aut illum negauerit in peccato fuisse conceptum, sed tamen temere id negabit, & iure, ac meritò præsumetur hæreticus, nisi probabiles rationes attulerit, cur singulare illud priuilegium in hunc, aut illum hominem conuenire censuerit. Quales rationes nemo adhuc protulit, nisi pro conceptione vnius Virginis Mariæ. Sed hæc omnia erũt clariora, cùm argumenta aduersariorum profligata fuerint.

Quod attinet ad Tertium, probandum est breuiter, non temerè, sed piè, ac rectè existimari B. Virginem Mariam singulari Dei priuilegio ab omni omnino peccato fuisse immunem. Neque verò expectãdum est, vt expressum Dei verbum adferamus, aut certam aliquam Ecclesiæ definitionem. Id enim si facere possemus, non solùm piè, ac rectè existimari hoc diceremus, sed pro hæreticis haberemus, qui contra sentirent. Probabiles igitur rantum, congruentesque rationes adferendæ sunt, primùm ex Scripturis, deinde ex Patribus, tùm ex consensu Ecclesiæ, postremò ex ratione.

Ex Scripturis habemus imprimis duas insignes figuras. Primùm hominem Christi figuram gessisse, vel (vt Apostolus loquitur) *formam fuisse futuri*, id est, Christi, docet idem Apostolus ad Rom. 5. & 1. Cor. 15. Constat autem primum hominem non ex concubitu maris, & fœminæ generatum, sed ex terra, eaque nondum maledicta, ab ipso Deo conditum fuisse. Decuit igitur vt secundus homo, qui similiter non ex concubitu maris, & fœminę, sed opera Spiritus sancti formandus erat, ex terra non maledicta, id est, ex Matre Virgine, quæ omnis maledictionis ac per hoc omnis peccati expers fuerit, formaretur. Atque hinc fortasse ab Angelo, Benedicta inter mulieres, salutata est. Hanc figuram primus obseruasse videtur S. Andreas Apostolus, cuius hæc verba referunt Presbyteri Achaiæ in lib. de passione eiusdem Apostoli, & Martyris Andreæ: *Sicut de terra immaculata factus fuerat homo primus, ita necesse erat, vt de immaculata Virgine Christus nasceretur.*

Deinde Heuam Mariæ typum, ac figuram fuisse docet Epiphanius hæresi 68. & alij præterea multi, quos non est necesse numerare. Satis autem constat, Heuam sine peccato fuisse, cùm primum formata est. Decebat igitur vt mater omnium viuentium vita spiritali sine peccato conciperetur, cùm mater omnium viuentium vita animali sine peccato condita fuerit.

Ad hæc accedunt loca illa ex Canticis: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*, Cantic. 2. Et: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, Cant 4. Et: *Hortus conclusus soror mea sponsa hortus conclusus, fons signatus*, ibidẽ. Hæc enim tametsi de Ecclesia vniuersa, qualis præsertim erit in cœlis, intelligi possint, tamen B. Virgini quoque aptissimè conuenire negari non debet, cùm & multi sanctorum Patrum de B. Virgine hæc omnia exposuerint, & Ecclesia ipsa Catholica in festis ejusdem Beatissimæ Virginis, vel in officio matutino, vel in sacrificio Missæ lectiones ex Canticis recitari iubeat.

Iam verò ex testimoniis Patrum habemus imprimis S. Ambrosium, qui serm. 22. in Psal. 118. explanans vltimum ver. sic ait: *Suscipe me non ex Sacra sed ex Maria, vt incorrupta sit virgo, sed virgo per gratiã ab omni integra labe peccati.*

Habemus Deinde S. Hieronymũ, qui in explanatione Psal. 77. tractãs illud: *Deduxit eos in nube diei*, dicit nubem illã esse Virginem Mariam, & addit hæc verba, *Pulchre dixit, diei, quia nubes illa non fuit in tenebris, sed semper in luce.*

Habemus Tertio S. Augustinũ, qui in lib. de natura & gratia, sic ait: *Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cũ de peccatis agitur, habere volo quæstionẽ. Inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.*

Ad hunc locum responderi solet, S. Augustinũ de peccato actuali, non de originali esse loquutum. Cæterùm multa sunt, quæ nos contra sentire cogunt.

Primum, quòd S. Augustinus dicat se nullam prorsus quæstionem de sancta Virgine habere velle, cùm de peccatis agitur. Quibus verbis satis indicat se quæstionem etiam de sancta Virgine habere nolle, cùm agitur de peccato originali.

Deinde quod addat, illi gratiam fuisse collatã ad vincendũ omni ex parte peccatũ. Quomodo enim omni ex parte peccatũ vicit, si peccato originali cõtaminata fuit.

Tertio quod dicat, se propter honorem Domini de sancta Virgine quæstionem habere nolle, cũ de peccatis agitur. At certè honor Domini non minus postulare videtur, vt eius mater caruerit originali peccato, quàm actuali, cùm illud mortale necessariò fuerit, hoc veniale esse potuerit.

Denique, quia ex Augustini sententia, nemo viuit sine peccato actuali, qui habuit peccatum originale. Hæc enim sunt eius verba in lib. 5. in Iulianum, cap 9. *Profectò peccatum etiam maior feciſſet, si paruulus habuisset. Nam propterea nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu.* Cùm ergo sancta Virgo non fecerit ex Augustini sententia actuale peccatum, vt ex loco citato de natura & gratia, etiam aduersarij colligunt, sequitur ex eiusdem Augustini sentẽtia, vt neque habuerit originale peccatum, si doctrinam suam ex libr. 5. aduersus Iulianum, Augustinus admittat.

Habemus Quarto Sedulium, qui in 1. lib. mirabilium diuinorũ canens expulsionem Adami ex paradiso, sic ait.

Et veluti è spinis mollis rosa surgit acutis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nil quod lædat habeni, matremque obscurat honore:
Sic, Eua de stirpe sacra veniente Maria,
Virginis antiquæ facinus noua virga piaret.

Habemus Quinto auctorem Sermonum de operibus Cardinalibus Christi qui Cypriani titulũ ferunt Is enim in serm. de Natiuitate, sic ait: *Non sustinebat iustitia, vt illud vas electionis* (Maria) *communibus lassaretur iniuriis: quoniam plurimum a cæteris differens natura communicabat, non culpa.*

Habemus Sexto Sophronium Patriarcham Hierosolymorum, qui in epistola ad Sergium Episcopum Constantinopolis, quæ lecta est in sexta Synodo act. 11. sic loquitur: *Verum intactum virginitatis ingressus, castitatem iustitiam Maria sancte, præclareque, & quæ Dei sunt, sapienter, & ab omni contagione liberata & corporis, & animæ, & intellectus, incarnatus qui erat incarneus, &c.*

Habemus Septimo Ioannem Damascenũ, qui in orat. 1. de Natali B. Virginis multa scribit, de immaculata eius conceptione, & inter alia sic ait: *Natura gratiam amenire ausa non est.* Quibus verbis apertè significat, non prius B. Virginem naturam accepisse, quàm gratiam.

Habemus Octauo vetustum auctorem, cognomine Idiotam, qui paulò post annum Domini DCCC. floruit. Is enim in contemplatione Virginis Mariæ cap. 2. sic ait: *Tota pulchra es Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, & macula peccati siue mortalis, siue venialis, siue originalis, nõ est in te:* Idem etiam ca. 6. scribit, Virginem Mariam præseruatam fuisse à peccato originali.

Habemus Nono Petrum Damiani, qui in sermone de Natali S. Ioannis Baptistæ scribit, Altiore genere sanctificationis B. Virginem mundatam fuisse à peccato quàm Ioannem, vel Hieremiam, qui in vtero sanctificati leguntur. Non videtur autem aliud genus sanctificationis fingi posse quàm vt B. Virgo mundata sit à peccato in quod necessariò incidisset, nisi per gratiam præseruata fuisset, Ioannes verò, & Hieremias sanctificati sint à peccato, in quod iam re ipsa inciderant. Idem Petrus in serm. de Annuntiatione B. Mariæ: *Cum feceris,* inquit, *Deus omnia opera sua valde bona, hoc melius fecit, confecrans sibi in ea reclinatorium aureum, in qua sola se post tumultus Angelorum, & hominum reclinaret, & requiem inueniret.*

Habemus Decimo S. Brunonem, qui in commẽtario Psal. 101. tractans illa verba: *Dominus de cœlo in terram aspexit, dum de regalibus sedibus in vterum Virginis venit, Hæc est incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus, ab omni propterea peccati contagione libera.*

Habemus Vndecimo S. Anselmvm, qui in libro de conceptu virginali, & peccato originali cap. 18. hæc ait: *Decebat, vt illius conceptio* (Christi videlicet) *de matre purissima fieret nempe decens erat, vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, virgo illa nueret, &c.* At profectò maior puritas, etiam sub Deo posset intelligi, si B. Virgo aliquando peccati macula inquinata fuisset. Angeli siquidem sub Deo puritate nitent, & tamen nulla vmquam macula inquinati fuerunt. Idem Anselmus in commentario cap. 5. posterioris ad Corinth. *Omnes,* inquit, *mortui sunt in peccatis nemine prorsus excepto, dempta Matre Dei, siue originalibus, siue etiam voluntate additis.*

Habemus Duodecimo Cathenam Græcorum in Cãtica à Theodoreto compositã. Nam in libr. 3. prope extremo legimus: *Virginem Mariam ideo columbam, eamque vnicam in Canticis nominari, quod Cherubim, & Seraphim puritate vincat.* At certè non vinceret puritate Cherubim, & Seraphim, in quibus nullum vmquam peccatum fuit, si fuisset in ipsa originale peccatum.

Omitto testimonia recentiorum scriptorũ, vt B. Laurentij Iustiniani, S. Bernardini Senensis, & aliorum. Solùm enim testimonia illorũ adferenda esse censui, qui ante floruerunt, quàm in Ecclesia cõtrouersia ista cœpisset.

Venio ad cõsensum Ecclesiæ, qui certè ab annis non paucis maximus est. Nam imprimis caput Ecclesiæ summus Pontifex Sixtus IV. in extrauaganti. Cuius præ excellsa, & in altera, quæ incipit, Graue nimis, satis apertè testatur hanc sententiam de immaculata Virginis conceptione piam, & probabilem esse. In eadem sententia fuisse Alexandrum VI. Iulium II. & Leonem X. perspicuum est ex eo, quòd ordinem quemdã religiosum in honorem immaculatæ conceptionis institutum confirmarunt, & priuilegiis ornarunt.

Deinde Concilium Basileense, in quo decretum est, hanc sententiam vt probabiliorem esse tenẽdam; tametsi certam fidem non faciat, vt Concilia Oecumenicum, tamen ex eo facilè potest intelligi multos Ecclesiæ Doctores ex variis Prouinciis congregatos ita sensisse. Accedit præterea quod Academiæ illustres, ac potissimum Parisiensis, hanc ipsam sententiam amplectuntur. Adde vltimo, quòd totus ferè orbis Christianus celebrat festum diem conceptionis Virginis Mariæ, eamque conceptionem immaculatam vocat.

Sed nec rationes desunt ad hanc ipsam sententiam confirmandam, Nam certum est, Deum potuisse B. Virginem à peccati originalis cõtagione præseruare, probabile autem est etiam voluisse: igitur probabile est eam ab eiusmodi contagione fuisse præseruatam. Potuisse Deum hoc facere, negari non potest Nam neque ex parte Dei, neque ex parte creaturæ vlla repugnantia cernitur, Non quidem ex parte Dei, quia est omnipotẽs, & non est impossibile apud Deum omne verbum: non item ex parte Creaturæ, nam nihil obstat, quo minus eodem temporis puncto anima rationalis creetur à Deo, & gratia repleatur. Quod factũ esse credimus in creatione Angelorum, & animæ primorum parentum, & multo certius in creatione animæ Christi.

Deinde si potest anima iustificari, posteaquam peccatum habere cœpit, ac per hoc de iniusta fieri iusta, vt in nobis fieri non dubitamus, cur nõ poterit anima in ipsa creatione sanctificari, antequam incipiat esse peccatrix.

Dices, non repugnat absolutè diuinæ potentiæ, aut volũtati, præseruare aliquem à peccato, repugnat tamen, posito decreto illo diuino, & immutabili, quo statuit Deus, vt si Adam non peccaret, omnes homines concipe rentur iustitia originali prediti, sin autem peccaret, conciperentur in iniquitate, & essent naturâ filij iræ.

Respõdeo, decretum illud diuinum ita esse intelligendum, vt si Adam peccaret, omnes homines, qui ex ipso originem traherent, ex vi conceptionis obnoxij essent peccato, neque vllum ius haberent ad iustitiam illam, quam in primo parente acceperant, non tamen eo decreto potestatem Deo esse ablatam, quo minus ex misericordia, & priuilegio singulari posset, aliquem à peccato re ipsa præseruare. Nam ex Adamo non solùm peccatum, sed etiam mortem in totum genus humanum redundasse credimus, idque ob decretum Dei, quo dictũ est: *Quacunque die comederis, morte morieris.* Vnde Apostolus 1. Cor. 15. *In Adam,* inquit, *omnes moriuntur.* Et tamen quis ambigat posse Deum efficere, vt aliquis re ipsa non moriatur, decreto enim satisfieri videtur, si omnes Adæ posteri morti obnoxij sint.

Sic etiam ob decretũ illud Dei non solùm concipiuntur, sed etiam nascũtur omnes homines in peccato, quod attinet ad vim generationis humanæ, & ideo necesse habent nasci denuo, quia quod natũ est ex carne caro est, & nisi renascantur ex aqua & Spiritu sancto, non possunt introire in regnum Dei, vt Dominus loquitur Ioan. 3. & tamen legimus Hieremiam sanctificatum antequam de vulua matris suæ egrederetur, Hierem. 1. & de S. Ioanne Angelus dicit ad Zachariã, Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ, Luc. 1. & de ipsa Virgine Maria nulla quæstio est apud Catholicos, quin saltem ante nativitatem in vtero matris sanctificata fuerit.

Habemus igitur, Deum potuisse Virginem Mariam ab omni

omni peccato liberam conseruare, & sanctam ac iustam in ipsa creatione efficere. Voluisse autẽ, satis probabiliter demonstrari existimamus ex illis rationibus, quibus S. Thomas in 3. par. q. 27. art. 4 probat, Matrem Dei omnis peccati actualis expertem esse debuisse.

Prima ratio est, quia tam honor, quàm ignominia matris redundat in prolem.

Secunda, quia mater Christi singularem affinitatẽ, & coniunctionem cum ipso habet, quæ autem conuentio Christi ad Belial?

Tertia, quia singulari modo Dei filius, qui est ipsa Dei sapientia habitauit in matre: at *in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis,* vt dicitur Sap. 1.

Quarta quia debuit in Virgine testimoniũ illud sponsi cœlestis impleri, *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te,* Cantic. 4.

Hæ certè rationes non minus probant decuisse Dei matrem ab omni actuali peccato immunem esse, quàm si fieri potuit, ab originali: immò etiam magis ab originali, quàm ab actuali veniali, cùm originale magis inquinet, & deformet, & cum Belial coniungat, & corpus atque animam peccato subdat, quàm veniale.

Addi potest alia quinta ratio. Nam cùm Deus statuerit, sanctissimam hanc Virginẽ euehere ad summam dignitatem, vt omnibus puris creaturis, etiã angelicis præsteret, de qua re nulla cõtrouersia esse potest, certè par erat, vt nullũ esset priuilegiũ alicui puræ creaturæ collatum, quod non etiam huic Virgini cõferretur, nisi fortè conditioni, statui, naturæ, aut sexui repugnaret.

At sanctificari in ipsa creatione datum est primis parẽtibus, sanctificari autem in ipsa creatione, & nullo vmquam pollui peccato datum est Angelis sanctis, & priuilegium hoc conditioni, statui, naturæ, sexui B. Virginis non repugnat: igitur pium est credere, eiusmodi priuilegio Dei matrem minimè caruisse.

Accedant postremò reuelationes diuinæ, quas de hac re se habuisse S. Brigitta testatur in libr. 1. cap. 9. & lib. 6. cap. 49. & 55. quæ quidem reuelationes contemnendæ non sunt, cùm à viris grauissimis diligenter excussæ, & approbatæ fuerint.

CAPVT XVI.

Soluuntur argumenta quæ aduersus immaculatam B. Virginis conceptionem fieri solent.

NVnc argumenta soluenda sunt, tum ea quibus hæretici probare conantur, nostram sententiam fidei Catholicæ repugnare, tum ea quibus alij nonnulli sibi persuaserunt, sententiam nostræ contrariam veriorem esse, atque tutiorem.

Sed antequam ad argumenta ipsa veniamus explicandum erit breuiter, quemadmodum accipiẽdum sit quod dicimus, B. Virginem originali peccato semper caruisse.

Tribus modis peccatum primi parentis cùm filiis eius communicatur. Primum enim dicuntur Adæ filij in ipso Adamo peccauisse, cùm ille præceptum Domini in Paradiso transgressus est, Et quoniam tunc non erant ipsi in actu, sed in potẽtia, ideo quoque tunc peccatũ non actu, sed potentia contraxerunt. Siue quod est idem, non in se, sed in parente subsistebant. Hinc S. Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione, cap. 10. *Certè,* inquit, *manifestum est, alia esse propria cuique peccata, in quibus hi tantum peccant, quorum peccata sunt, aliud hoc vnum, in quo omnes peccauerunt, quando omnes ille vnus homo fuerunt.*

Deinde rursus dicuntur in peccato cõcipi omnes Adæ filij, cùm primum fœtus in vtero matris existere incipit, quamuis informis, & inanimis. Tametsi enim, peccatum propriè nõ possit esse nisi in anima rationali, & fœtus cõformari incipiat longo tempore ante animationem, tamen quia tũc re vera incipit homo existere, ratione vnius suæ partis, (vnde dicuntur filij in vteris matrũ nouẽ mẽsib gestari, 2. Mac. 7.) & pars illa est corrupta, natura originẽ habet, & vitiata rectè nominari potest, atque ei ex vi suæ generationis debetur, vt cùm primũ animã rationalẽ sortita fuerit, inde existat homo peccator, & iræ diuinæ filius. Propterea non immeritò, dicuntur homines tunc primum in iniquitatibus generari. Explicat hoc multis verbis S. Anselmus in lib. de conceptu virginali & peccato originali, cap 7. & de hac prima conceptione exponit illud, Psal. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.*

Tertio denique dicuntur homines concipi in peccato cùm animæ corporibus inspirantur. Tunc enim primum incipiunt propriè, & re ipsa esse homines, & habere voluntatem originali iustitia denudatam, à Deo auersam, & deformem.

Iam igitur quod attinet ad Primum modum, non desunt, qui existiment B. Virginem nõ peccasse in Adamo. Dicunt enim legem de non gustando ligno scientiæ boni, & mali datam fuisse primo parenti pro se, & omnibus posteris, excepta Virgine Maria, proinde illam, vt erat in lumbis Adæ, gustasse cum illo cibum vetitum, nõ tamen peccasse, quia prohibitio ad eam non pertinebat.

Quæ sententia nobis non admodum tuta esse videtur, & cõtrarię omnino subscribimus. Nam inter Catholicos conuenit B. Virginem per Christi sanguinem verè fuisse redemptam: & quod Apostolus ait: *Christus pro omnibus mortuus est. 2.* Corint. 5. sine vlla exceptione esse accipiendum. At si B. Virgo neque actu, neque potentia, neque in se, neque in parente suo peccauit, Quomodo quæso redempta dici potest?

Quod attinet ad Secundum modum, si beata Virgo non fuit libera, vt diximus, à peccato primi parẽtis quatenus in lumbis eius erat, profectò prima eius conceptio similis fuit conceptioni aliorum. Nimirum originem habuit ex natura corrupta, eique ex vi generationis debebatur, vt peccatum contraheret, cùm primum ad eam anima rationalis accederet.

Quod attinet ad Tertium modum, sine peccati originalis macula fuisse existimamus animam B. Virginis, in ipso etiam primo instanti suæ creationis, & infusionis in corpus, ita vt numquam persona illa actu existẽs peccatum habuerit. Atq; hoc solũ est, in quo B. Virgo differt à cæteris, qui per gratiã Dei, Christiq; passionis meritum à peccato originali liberati fuerunt, quod alij communiter liberati sint post natiuitatem, aliqui pauci ante natiuitatem, sed post animationem, ipsa sola in ipso instanti animationis.

Ex his quæ diximus facilè solui possunt argumenta, quæ ab aduersarijs proferũtur, siue ex Scripturis, siue ex Patribus, siue ex ratione ducãtur. Primum igitur profert Kemnitius in Examine Cõcilij Tridẽtini sess. 5. pag 518. Scripturas, quæ (vt ipse dicit) solum Christum excipiunt à peccato. 2. Cor. 5. *Eum qui peccatum non nouerat, &c.* Heb. 7. *Talis decebat vt nobis esset Pontifex, innocẽs, impollutus, segregatus à peccatoribus.*

Respõdeo Scripturę istæ à Kẽnitio allatæ dicũt quidẽ Christũ nõ nouisse peccatũ, & innocẽtem, & impollutũ, & segregatũ à peccatoribus fuisse: tamen non addunt, id soli Christo cõuenire. Quin potius, si sonũ verborũ tantum attẽdamus, inueniemus similia nõnullis aliis in Scripturis tribui. De Iob legimus: *Erat vir ille simplex, & rectus & timens Deum, & recedens à malo,* Iob. 1. Et de parentibus Præcursoris: *Erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus sine querela.* Fatemur tamen rectè dici posse. Christum solum ab originali peccato immunẽ fuisse, quia solus ipse ex vi generationis peccatum euasit, & neque in se, neque in Adamo peccauit, quippe qui solus non ex semine viri, sed Spiritus sancti virtute à Virgine conceptus, & ex Virgine natus sit. Virgo autem

Universidad de Deusto
Biblioteca

Beata etiam quidem originali macula, sed priuilegio gratiæ diuinæ, nō vi generationis humanæ, & licet in se pollutа non fuerit, in parente tamen fuit Similia sunt cùm *solus Deus dicitur bonus*, Marci 10. *Solus sapiens*, Rom. 16. *Solus immortalis*, 1. Timot. vlt. Quia videlicet solus ipse talis est per essentiam, cæteri autem siue angeli, siue homines, per participationem.

Secundo, profert testimonia illa, quæ omnes homines in peccato constituunt. Rom. 5. *In quo omnes peccauerunt*. 1. Corint. 15. *In Adam omnes moriuntur*. Ephes 2. *Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri*. Respondeo, non negamus B. Virginem in Adamo peccasse eo modo quo peccare poterat. quæ nondum erat, nisi in potentia, ac per hoc obnoxiam fuisse, vt quādo actu esse inciperet, re ipsa in se peccatum haberet. Tamē addimus, præuentā fuisse singulari gratia, ac priuilegio Dei vt simul & esse, & iusta esse inciperet.

Neque illud negamus, eandē Virginem in Adamo esse mortuam, hoc est, propter Adæ peccatū mortis debitum contraxisse & soluisse. Nam etiamsi in primo suę creationis instanti anima eius per gratiam à peccati macula liberata fuit, redemptionem tamē corporis non continuò habuit, quemadmodum nos omnes, serius quidem quàm B. Virgo, à peccato originali liberati sumus, & tamen renouati spiritu mentis nostræ adhuc redemptionem corporis expectamus, & ideo morti, & ærumnis, atque calamitatibus subiecti sumus, quæ ex peccato primi hominis in genus humanum redundarunt.

Denique non negamus, B. Virginem naturā fuisse filiam iræ, sed addimus gratia semper fuisse filiam misericordiæ. Ex natura enim corrupta parentum suorum quid hæreditare potuisset, nisi corruptionem? placuit tamen Deo, sic eam in benedictionibus dulcedinis præuenire, vt nūquam esset peccatrix, quod postulabat natura, sed semper esset iusta, quod gratia conferebat.

Tertio obiiciunt alij verba illa beati Pauli 2. Cori. 5. *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus*. Respōdeo, concedimus B. Virginem aliquo modo mortuam esse morte peccati (de hac enim morte sine dubitatione Apostolus loquitur) vt etiam verum sit, pro ipsa viuificanda, vt pro cæteris omnibus, mortuū esse Christum. Cæterū mortua dicitur Virgo beata, quòd obnoxia fuerit morti, & necessariò moritura ex vi suæ generationis, nisi eam gratia præuenisset. Similis est locus Rom. 8. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò viuit propter iustificationem*, quo loco dicuntur corpora fidelium iustificatorum mortua, non quòd reipsa iam mortua sint, sed quod morti obnoxia, & necessariò moritura. quamuis dubitandum non sit, quin possit Deus aliquos à morte eximere, si ita iudicet ad suam gloriam expedire.

Dicet aliquis, si B. Virgo semper fuit iusta, quippe quę in ipso primo instanti creationis gratiam iustificationis accepit, nullo igitur tēpore peccato inuenietur obnoxia. Neque enim obnoxia peccato fuit, antequam esset in rerum natura, neque posteaquam in rerum natura esse cœpit, cùm simul esse, & iusta esse cœperit.

Respondeo, B. Virginem tribus temporibus peccato fuisse obnoxiam. Primo, quamdiu in lumbis Adę & cęterorum parentum suorum fuit. Toto enim illo tempore sicut fuit in potentia Adæ filia, sic fuit in potentia peccato obnoxia. Deinde rursus, quando concepta est in vtero matris ante animationem. Tametsi enim tunc non fuerit integrè in rerum natura, fuit tamen ex parte, & ratione illius partis dicebatur ipsa verè existere, sic enim (vt suprà notauimus) dicūtur proles in vtero matris nouem mensibus delitescere. Toto autē illo tempore, quod inter primam conceptionem, & infusionem animæ rationalis intercessit, fuit illa non in potentia sed in actu, quamuis ratione vnius partis, peccato originali obnoxia, quo sine dubio polluta fuisset, nisi per gratiam præseruata fuisset.

Denique obnoxia peccato fuit ipsa integrè existens in primo instanti coniunctionis animæ rationalis cum corpore. Tametsi enim in eodem instanti tēporis iustificata fuerit, tamen quia ordine naturę prius est subiectū quàm accidētia, ideo prius fuit, ordine naturę, persona illa extra suas causas quàm aut peccatum, aut iustitia in illa inhæreret. Itaque in illo priori instanti naturæ fuit obnoxia peccato, quia sine dubio continuò peccatum cōtraxisset, nisi in illo ipso temporis puncto iustitiæ luce ornata fuisset, quo peccati labe infici debuisset. Habemus igitur testimonia Scripturarum nihil omnino efficere contra immaculatam B. Virginis conceptionem.

Secundo loco producit Kemnitius testimonia Patrum, Primum testimoniū Augustini est in lib. de nat. & gratia, ca. 36. vbi S. Augustinus scribit gratiā B. Virgini collatam fuisse ad vincendum omni ex parte peccatum: *Manifestissimum*, inquit Kemnitius, *est quod non sentiat, Mariam sine peccato conceptam fuisse. Alias enim non opus fuisset conferri ipsi gratiam ad vincendum peccatum.*

Respondeo, si beatissima Virgo naturā sua fuisset impeccabilis (quod nemo Catholicorum dicit) sine dubio gratia non eguisset ad vincendum omni ex partè peccatum. At cùm per gratiam in ipsa creatione infusam vicerit originale peccatum, hoc est, aditi ei omnino præcluserit, & rursum per gratiam tum habitualem, tum directionis, & protectionis, tum etiam cooperationis diuinę, maculas omnes peccati actualis euaserit: profectò falsum est, quod Kemnitius dicit, non opus fuisse cōferri B. Mariæ gratiam ad vincēdum peccatum, si sine peccato concepta fuit. An nō Adam, & Heua sine peccato creati fuerunt, & tamen ad vincendum peccatum gratia egerunt? non igitur concipi sine peccato, sed impeccabilē esse natura, requiritur, & sufficit, vt quis non egeat gratia ad vincendum omni ex parte peccatum.

Secundum testimonium est eiusdem Augustini in lib. de fide ad Petrum, cap. 26. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum vxoris, & mulieris concipitur, cum peccato originali nasci, &c.* Cui testimonio addit Kemnitius aliud in eamdem sentētiam ex lib. de nuptiis & concupiscentia. Et rursum aliud S. Ambrosij ex commen. in Luc. lib. 2. in hæc verba: *Solus enim per omnia ex natis de fœmina sanctus Dominus Iesus, qui terrena contagia corruptela immaculati partus nouitate, non sensit.* Addit aliud in eamdē sententiā ex Comment. eiusdē Ambros. in Isaiam.

Respondeo, nihil aliud his testimoniis probatur, nisi nullū esse præter Christū, qui ex vi generationis non traxerit originale peccatū. Nā ideo S. Ambr. addidit, Christum solū immaculati partus nouitate non sensisse terrenę cōtagia corruptelę, quia videlicet solus ipse cùm sit ex Virgine, ac de Spiritus sancti virtute cōceptus, peccatum ex vi generationis exclusit. Cæteri omnes aut peccatum re ipsa cōtrahunt, aut illud non ex vi generationis, sed priuilegio gratiæ singularis effugiunt.

Ad eumdem modum intelligi debet, quod ex hom. 2. de Natali Domini Eusebij Emisseni adduci solet. Non enim auctor ille ait: *A peccati originalis nexu nullus immunis existit, nec ipsa genitrix redemptoris.* Quomodo hunc locum Caietanus adducit, sed: *A peccati originalis nexu nemo per se liber exiit, &c.* vbi illud, *per se*, significat, ex vi generationis, siue ex natura, non ex gratia.

Tertium testimoniū Augustini est in lib. de perfectione iustitiæ: *Quisquis*, inquit Augustinus, *esse vel fuisse in hac vita aliquem hominē, vel aliquos homines putat, excepto vno Mediatore Dei, & hominum, quibus necessaria non fuerit remissio peccatorum, contrarius est diuinæ Scripturæ, vbi Apostolus ait, Per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, &c.*

Respondeo, nō negamus B. Virgini necessariam fuisse remissionem peccatorum, & Christum eius fuisse, vt cæterorum omnium, redemptorem: sed dicimus, remissa ei fuisse peccata non in quæ inciderat, sed in quæ incidisset, nisi

set, nisi gratiā Dei per Christi merita præuenta fuisset. Neque ad hunc modus loquendi à Scripturis diuinis, vel ab Augustini disputationib. alienus. Certè in Psal. 85. dicit Propheta: *Eruisti animā meā de inferno inferiori.* Et in Ps. 142. *Redemisti seruum tuum de gladio maligno.* Nec tamen in infernum inferiorem Propheta ceciderat, aut à gladio maligno cæsus fuerat: sed quia periculum erat, ne id fieret, & gratiā Dei periculum illud euaserat, ideo gratis agit, ac dicit: *Eruisti, &c.*

In quem locum S. Augustinus ita loquitur: *Quemadmodum si medicus videat tibi imminentem egritudinem fortè ex aliquo labore, & dicat, parce tibi, sic te tracta, requiesce, his cibis viere, nam si non feceris, agrotabis: tu autem si feceris, & saluus eris, recte dicis medico, liberasti me ab egritudine, non in qua iam eram, sed in qua futurus eram. Nescio quis habens causam molestam, mittendus erat in carcerem, venit alius, defendit eum, gratias agens, quid dicit: eruisti animam meam de carcere. Suspendendus erat debitor, solutum est pro eo, liberatus dicitur de suspendio. In his omnibus nō erant, sed quia talibus meritis agebantur, vt nisi subuenium esset, ibi essent, inde se recte dicunt liberari, quo per liberatores suos non sunt permissi perduci.*

Ex qua sententia B. Augustini explicari possunt alia duo testimonia. Scribit enim Zozimus Papa in epistola quam refert idem Augustinus epist. 157. in hunc modum: *Nullus, nisi qui peccati seruus est, liber efficitur, nec redemptus dici potest, nisi quiuere per peccatum fuerit ante captiuus.* Scribit item S. Leo serm. 1. de Natiuitate Domini: *Sicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit.* Sed his verbis significatur (vt ex Augustino didicimus) nullum posse liberari, vel redimi, nisi fuerit seruus, vel captiuus re ipsa, aut certè esse debuerit, nisi eum liberatoris, ac redemptoris gratia præuenisset. Et per se nullum à reatu liberum fuisse, & ideo Christum pro liberādis omnibus aduenisse.

Quartum testimonium est eiusdem Augustini in lib. 5. aduersus Iulianum. ca. 9. *Si sine dubio*, inquit, *caro Christi non est caro peccati sed similis carni peccati: quid restat vt intelligamus, nisi ea excepta omnem reliquam humanam carnem esse peccati: & hinc apparet illam concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fecisse in genere humano propaginem mali: quia Mariæ corpus quamuis inde venerit, tamen eam non traiecit in corpus, quod non inde concepit. Cæterum corpus Christi inde dictum esse in similitudine carnis peccati, quia omnis alia hominum caro peccati est, quisquis negat, & carnem Christi ita carni comparat nascentium hominum cæterorum, vt asserat vtramque esse paritatis æqualis, detestandus hæreticus inuenitur.*

Respondeo, fatemur carnem Christi non fuisse carnem peccati, & carnem aliorum hominum etiam B. Virginis Mariæ, carnem fuisse peccati: nec tamen inde fateri cogimur, in ipso primo instanti creationis animæ Beatissimæ Virginis, non fuisse illi gratiam iustificationis infusam, qua peccati originalis maculæ omnis omnino aditus præcluderetur. Neque enim caro peccati dicitur ea quæ peccatum in se habeat, sed quæ ex se, & ex natura sua peccatum haberet, nisi gratia illud excluderet: item quæ non sine libidine parentum propagata est, quæque si naturali ordine gignat, peccatum in prolem omnino trasiciat: quæ, denique morti, aliisque malis ex peccato primi parentis exortis subdita sit.

Iam verò B. Virgo (vt sæpè diximus) ex natura sua, & vi conceptionis peccato originali sine dubio polluenda fuisset, nisi priuilegium gratiæ singulare intercessisset: Item, non sine libidine parentum concepta morti, atque ærumnis ex Adæ peccato manantibus subdita fuit. Denique, si eadē Virgo (quod est signum euidens corruptæ naturæ, quoad carnem) solemni more ex complexu virili filios concepisset, illæ eius proles originali peccato minimè carnissent. Ita rectè dicitur caro B. Virginis caro fuisse peccati, Christus autem qui non carnem peccati, sed similitudinem habuit carnis peccati: ex vi cōceptio-

nis peccato pollui non potuit, sine libidine enim conceptus fuit, mortem, & ærumnas sponte assumpsit, & liberos si gignere voluisset, absque originali peccato sine controuersia genuisset.

Quintum testimonium S. Bernardi est, qui sic ait: *Excepto homine Christo vniuersus respicu, quod vnus humiliter confitetur. In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.*

Respondeo, testimonium hoc à Kemnitio ex epistola 175. ad Canonicos Lugdunenses depromptum est In qua tamen epistola, Tria sunt contra Kemnitium, nihil pro Kemnitio. Primum contra Kemnitium est, quod S. Bernardus apertè tradit, B. Virginem ante sanctā fuisse, quàm natam: *Sed*, inquit *& eorum Virginis auxit in Ecclesia. & ab Ecclesia indubitanter habere festiuum, atque sanctum firmissimè cum Ecclesia sentiens, in vtero eam accepisse, vt sancta prodiret.* Et paulò post: *Fuit*, inquit, *procul dubio Mater Domini ante sancta quam nata.*

Secundo, contra eundem est, quod in eodem loco S. Bernardus addit B. Virginem fuisse omnis peccati actualis expertē: *Ego*, inquit, *puto, quod & copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quæ ipsius non solum sanctificaret ortum, sed & vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum.*

Tertio, grauissimè contra Kemnitium pugnat, quod S. Bernardus in hac re, vt in aliis rebus omnibus sententiam suam Ecclesiæ Romanæ iudicio voluit esse subiectam, Sic enim epistolam claudit: *Quæ autem dixi, absque præiudicio sanè dicta sint sanius sapientis, Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati, atque examini totum hoc, sicut & cætera, quæ eiusmodi sunt vniuersa refero: ipsius si quid aliter sapio, paratus iudicio emendare.* Si hanc obedientiam sancti viri, non voculas hinc, inde temerè collectas, imitari dignarentur hæretici, hæretici non essent, neque vlla nobis cum Kemnitio controuersia remaneret.

Hæc igitur contra illum faciunt: prō illo autē nihil esse in tota epistola, facilè demonstrabo. Nam etsi S. Bernardus dicat B. Virginem in vtero sanctificatam, non tamen dicit id factum esse post infusionem animæ rationalis: non autem in ipsa infusione, quod nos asserimus: Quod verò idem vir sanctus affirmat, B. Virginem in peccato esse conceptam, ac per hoc conceptionem eius non fuisse sanctam, de prima conceptione, quæ in ipso concubitu parentum fieri solet, non de animatione accipiendum est. Nam inde probat S. Bernardus eam conceptionem non fuisse sanctam, quia inter amplexus maritales non se immiscuisset sanctitas. Atqui amplexus maritales in prima conceptione, non in secunda, quæ magis proprie dici posset animatio, locum habent.

Deinde illud semper vrget idem auctor, quòd solus Christus de Spiritu sancto conceptus sit, & B. Virgo de Spiritu sancto conceperit, non autem fuerit de Spiritu sancto concepta. Quod argumentum nihil aliud probat, nisi primam conceptionem solius Christi vere fuisse sanctam.

Ex qua explicatione soluitur etiam quod ex Anselmo posset adduci, licet eius testimonij Kemnitius non meminerit. Sanctus enim Anselmus in 2. lib. cur Deus homo. cap. 16. apertissimè scribit, B. Virginem in peccato esse conceptam, & natam. Sed loquitur de prima conceptione seminis, & de natiuitate, quæ fit in vtero, non de ea, quæ fit ex vtero, hoc est, de formatione fœtus, per quam incipit homo esse in mūdo, iuxta illud Matth. 1. *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Nam idem Anselmus in lib. de conceptu virginali, & peccato originali, cap. 7. scribit, homines in peccato originali concipi ante infusionem animæ, non quod caro sine anima sit capax peccati, sed quod homo ex semine. & ex ipsa conceptione trahat necessitatem, vt cùm animā rationalem

Universidad de Deusto
Biblioteca

habuerit, simul etiam peccatum habeat. A

Et de hac prima conceptione, quæ propriè dicitur conceptio, exponit ibidem Anselmus verba illa Iob: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine.* Et illa Dauidis: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, &c.* Neque vlla ratione credibile est S. Anselmum affirmare voluisse, B. Virginem in peccato originali natam ex vtero matris, cum eius tempore Ecclesia vniuersa festum diem Natiuitatis B. Virginis coleret, eandemque Virginem prius sanctam fuisse, quam natam publicè prædicaret. Quod ex Sermonibus Petri Damiani de Natali Virginis intelligi potest, qui venerabilis Patris S. Anselmi æqualis fuit, vel eo paulò maior.

Ex his, quæ hactenus dicta sunt nullo negotio solui possunt argumenta omnia, quæ vel Capreolus, vel Caietanus, vel alij solent adducere, non vt sententiam nostram damnent, sed vt suam probabiliorem esse demonstrent. Nam testimonia Scripturæ, Conciliorum, & Patrũ, quæ B pro se facere arbitrantur, maxima ex parte generalia sunt, ac per hoc non impediunt, quo minus aliquis singulari priuilegio excipi possit. Concilium enim Tridentinum, cui nemo Catholicorum resistere auderet, cùm doctrinam communem, & vniuersalem de peccato originis tradidisset, apertè subiunxit: *Non fuisse mentem sanctæ Synodi B. Virginem his decretis includere.* Quo facto docuit, tuto nos idem posse dicere de Conciliis Mileuitano, & Arausicano, & si quę alia sunt, in quibus vniuersalis doctrina de peccato tradatur. Testimonia verò Patrum, quæ B. Virginem nominatim attingunt, aut iam explicata sunt aut eodem modo explicari possunt. Quod verò ad alias obiectiones attinet, nulla est, quæ ex iis, quę diximus, non facilè diluatur.

Obiiciunt Primo, B. Virginem non verè fuisse redemptam, si numquam fuit captiua. Sed iam ostendimus, illos verissimè redimi, qui necessariò captiui fuissent, nisi redemptoris gratia intercederet. C

Obiiciunt Secundo, Christum mortuum esse pro omnibus, & tamen eumdem non pro iustis, sed pro peccatoribus mortuum esse. Ad hoc etiam iam respõdimus, Christum mortuum esse pro peccatoribus, qui iam erãt, vel qui necessariò fuissent, nisi eis mors eiusdem Christi mirabili gratia succurrisset.

Obiiciunt Tertio, B. Virginem cum libidine parentum fuisse conceptam, libidinẽ autem instrumẽtum esse, quo traiicitur in prolem originale peccatum. Responsio ex his, quæ diximus, in promptu est. Nam libido parentum signum est naturæ corruptæ, ex natura autem corrupta naturaliter caro vitiata concipitur, sed nihil prohiber, quo minus possit Deus, cùm animã rationalem cum vitiata carne cõiungit, simul in eam gratiã iustificationis infundere, qua peccati macula penitus arceatur. D

Obiiciunt Quarto, B. Virginem multas ærumnas, atque ipsam etiam mortem, quæ sunt peccati pœnæ, esse perpessam. Sed iam diximus, B. Virginis animam à peccati macula præseruatam, non autem carnem fuisse redemptam, nisi cùm post mortem singulari Dei gratia gloriosa surrexit.

Obiiciunt Quinto, detrahi de gloria filij Dei, si priuilegium immaculatæ cõceptionis alicui alteri tribuatur. Sed gloria filij Dei propriè illa est, quod de Spiritusancto conceptus ex vi generationis peccatũ contrahere non potuerit. Accedit ad eius gloriam, si per ipsius merita non solum iustificari possint, qui peccatum iam habent, sed etiam præseruari à peccato aliquem, qui in illud alioqui necessariò incidisset.

CAPVT XVII.

Refelluntur mendacia & calumniæ Kemnity circa Beatæ Virginis conceptionem.

POST argumentorum, quæ speciem aliquam soliditatis habere videbantur, dissolutionem: refellenda sunt etiam mendacia, & calumniæ Kemnitij, quæ simplicioribus negotium facere possent.

Igitur Kemnitius pag. 520. demonstraturus quemadmodum sensim crescant errores, & superstitiones, dum sine verbo Dei de rebus eiusmodi disputatur, primo loco ponit tempore Petri Lombardi ignotam adhuc fuisse opinionem de immaculata Virginis cõceptione. Sed hoc falsum esse perspicuum est ex Patribus à nobis citatis, ac præsertim ex Anselmo in commentario capitis 5. posterioris ad Corinthios. Fuit autem Anselmus antiquior Petro Lombardo. Quid, quod ipse Kemnitius post duas paginas hanc ipsam opinionem tribuit Anselmo, quam hoc loco negat cognitam fuisse tempore Lombardi, ita nimirum eius dicta inter se pulchrè cohærent.

Secundo loco dicit, Petrum Lombardum arrepta occasione ex verbis S. Augustini disputare cœpisse B. Virginem in conceptione Christi ab omni peccato, atque etiam à fomite liberatam. Sed non fuisse primum Lombardum, qui tam insignem puritatem B. Virgini tribuerit, intelligi potest ex Anselmo lib. 2. cur Deus homo, ca. 16. & libro de conceptu Virginali, cap. 18. & ex ipso Augustino lib. de natura & gratia, capite 36. & ex aliis.

Tertio dicit, eos, qui Lombardum sequuti sunt, excogitasse sanctificationem in vtero, & sanctam natiuitatem eiusdem Virginis Mariæ. At hoc est insigne mendacium, cùm sanctificatio in vtero, & sancta natiuitas Virginis in vniuersa Ecclesia celeberrima fuerit etiam tempore sancti Bernardi, & Petri Damiani, qui Petrum Lombardum non sequuti sunt, sed eius æquales, vel maiores fuerunt.

Quarto dicit, post ea tẽpora natã esse opinionẽ de immaculata eiusdem Virginis conceptione. Et licet S. Tho. & S. Bonauen eidẽ opinioni restiterint, tamẽ in quibusdam locis institui cœpisse festũ cõceptionis. Hic quoque insigne mendacium cernitur. Nam si festum conceptionis institui cœpit post tempora S. Thomæ, vel eius ætate, vt hoc loco Kemnitius dicit, quomodo S. Bernardus, qui centum annis S. Thomam præcessit, in epistol. 174. quam idẽ Kemnitius suprà citauit, meminit huius festi? quomodo S. Anselmus, qui annis fermè ducentis eodem S. Thoma fuit antiquior, eodem teste Kemnitio festi Conceptionis originem tradidit.

Quinto dicit, Concilium Tridentinum in appendice illa de Conceptione B. Virginis, cùm Sixti IIII. Pontificis constitutionem obseruari iussit, id voluisse, vt liberum esset, extra præter, aut etiam contra verbum Dei opinari, an B. Virgo concepta fuerit sine peccato originali. Sed hoc, vt alia quæ sequuntur, tam est impudens calumnia, atque mendacium, vt nihil impudentius fingi queat. Ideo siquidem tum Sixtus Pontifex, tum Concilium Tridentinum libertatem opinandi circa conceptionem B. Virginis permiserunt, quod probè intelligerent, neutram partẽ verbo Dei apertè repugnare. Quod enim contra verbum Dei non sit opinio vlla libera, non est quod Kemnitius nos docere contendat. Id enim nemo apud Catholicos ignorare permittitur. Sed de his hactenus, ne fortè bonas horas in nugis Kemnitianis consumpsisse videamur.

CAP

CAPVT XVIII.

Non transire ad posteros per generationem omnia peccata parentum, sed primum tantum primi hominis lapsum:

RESTAT POSTREMA quæstio ex tribus illis, quas cap. tertio decimo proposuimus. Est igitur quæstio, quodnam peccatum per generationem trahiciatur ad posteros, illud ne vnum, quod Adam primo commisit, an cætera omnia tum ipsius Adæ, tum aliorum parentum?

Et quidem S. Augustinus in Enchiridio, cap. 46. sic ait: *Parentum quoque peccatis parvulos obligari non solum primorum hominum, sed etiam suorum, de quibus ipsi nati sunt, non improbabiliter dicitur.* Idem repetit in libr. 6. aduersus Iulianum, cap. 2. eiúsque sententiam iisdem verbis tradidit S. Leo in epist. 86. ad Nicetam. Sanctus etiam Gregorius libro 15. Moralium, cap. 22. ad eamdem sententiam, vt videtur, accessit. B

Cæterùm sancti isti Patres fortasse non de contagione culpæ, sed de communicatione pœnæ loquuti sunt. Deus enim (vt suprà diximus) & ex Scripturis diuinis euidenter colligitur, visitat peccata Patrum in filios in tertiam & quartam generationem his qui oderunt eum.

Nam quod attinet ad culpam, extra controuersiam esse debet, vnum tantum, hoc est, primum primi parentis peccatum, ad posteros carnali generatione transmitti. Sic enim B. Apostolus loquitur in epistola ad Rom. 5. *Iudicium quidem ex vno (delicto) in omnes homines in condemnationem, gratia verò ex multis delictis in iustificationem.* Quo loco differentiam ponit Apostolus inter peccatum, quo damnata est massa generis humani, & gratiam, qua liberatur, ac dicit, peccatum vnum fuisse, quod omnes homines perdidit, gratiam verò non ab illo vno solùm, sed etiam ab omnibus aliis liberare. C

Hinc in eodem loco ipse idem Apostolus ait: *Vnius delicto multi mortui sunt.* Et, *Vnius delicto mors regnauit.* Et, *Vnius delicto in omnes homines in condemnationem.* Et: *Per inobedientiam vnius hominis peccatores cõstituti sunt multi.* Hinc etiam in eodem loco vocat Adamum formam futuri, id est, CHRISTI, & in epist. 1. ad Cor. cap. 15. Apostolus comparat Adamum cum Christo, & illum vocat primum hominem, hunc secundum hominem, quia nimirum ille solus omnem suam posteritatem perdidit, hic solus omnem suam posteritatem reparauit. Quod si peccata non solùm primi parentis, sed aliorum etiam per generationem traheremus, neque solus Adam rectè diceretur forma futuri, neque CHRISTVS rectè diceretur secundus homo. Id quod diligenter notauit S. Augustinus, & ex Augustino S. Prosper in libro sententiarũ Augustini, sententia 299. D

Deinde Sancti Patres hoc idem summa consensione testantur. Nam S. Ignatius in epistola ad Trallianos, peccatum quod nascendo trahimus, vocat antiquam impietatem. S. Irenæus libro 5. aduersus hæreses, vocat chirographum, quod scripsit Adam. S. Cyprianus lib. 3. epist. 8. vocat contagium mortis antiquæ. S. Ioannes Chrysostomus in priorem epist. ad Cor. hom. 40. vocat radicale peccatum. S. Hieronymus lib. 3. aduersus Pelagianos extremo, non agnoscit in paruulis vllum peccatum, præter primam primi parentis præuaricationem, idque testimonio Cypriani, confirmat sanctus Augustinus libro primo de peccat. meritis & remiss. cap. 10. vnum esse dicit peccatum, in quo omnes peccauerunt. Et apertius in Enchirid. ca. 43. scribit paruulos soli peccato originali mori cùm baptizantur, adultos autem illis omnibus peccatis mori, quæ malè viuendo addiderũt ad illud vnum, quod nascendo traxerunt. Deinde addit cap. 44. cùm adulti dicuntur mori peccato per baptismum, & paruuli dicuntur baptizari in remissionem peccatorum, vtramque sententiam esse tropicam: in illis enim ex numero singulari intelligi numerum multitudinis, in istis contra ex numero multitudinis intelligi numerum singularem. Denique cap. 45. adiungit, peccatum originale vnum tantum esse, sed interdum significari numero multitudinis, quia multas partes, & quasi membra continet, cùm in illo vno peccato superbia, sacrilegium, fornicatio spiritualis, & alia quædam cerni potuerint. S. Anselmus in libro de conceptu virginali, & peccato originali, cap. 23. quæstionem proponit, an peccatum quod à parentibus trahimus, sit vnum, vel multa, & respondet esse vnum. Quæ sententia fuit etiam Petri Lombardi, & Scholasticorum Theologorum lib. 2. Sentenr. distin. 33.

HIS accedunt rationes, nam si Adam non peccasset, transmisisset quidem ad posteros iustitiam originalem, quæ non tam ipsi, quam toti naturæ in ipso data fuerat: non autem transmisisset dona sua personalia, sapientiam, prudentiam, acquisitas virtutes, & alia id genus: igitur ratio postulat, vt non transmittat etiam peccata sua personalia, sed illud vnum dumtaxat, propter quod iustitia originali priuatus fuit, quod naturæ peccatum à Theologis nominatur.

Deinde experientia docet, sæpè viros admodum malos genuisse viros admodum bonos, hoc est, ab ineunte ætate pronos ad virtutes, & opera egregia. Achaz enim, & Amon Reges deterrimi filios genuerunt Ezechiam, & Iosiã, qui & viri optimi, & Reges præstãtissimi ab ipsa penè infantia fuisse narrantur. At si vitia parentum omnium transirent ad proles, laborassent certè parentum vitiis Ezechias, & Iosias, saltem initio ætatis: neque enim vno die tot vitia funditus eradicari potuissent.

Neque verò sanctus Augustinus, sanctus Leo, & sanctus Gregorius in locis initio adductis contrarium sentiunt. Non enim dẽ contagione culpæ, sed de cõmunicatione pœnæ loquuti sunt. Quod vel ex eo perspicuũ esse potest, quòd allegãt verba illa Exo. 20. *Qui reddis peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem.* Quod esse intelligendum de filiis illis, qui peccata parentum imitantur, idem Gregorius loco citato docet, iuxta verbum Domini, Ezech. cap. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris.* Sed de hac re suprà disseruimus, cap. 7. & 8. huius libri.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LIBER QVINTVS DE STATV PECCATI, QVI EST SECVNDVS DE PECCATO ORIGINIS.

CAPVT PRIMVM.

Proponitur sententia siue potius absurdissima hæresis Illyrici.

EXPLICVIMVS libro superiore primam illam quæstionem, sitne aliquod peccatum, quod per carnalẽ generationem trahatur ad posteros. Sequitur nunc altera quæstio de natura & ratione eiusdem peccati. Sunt autem quinque errores in hac parte vitandi, de quibus ordine disseremus, antequam ad eam sententiam explicandam & defendendam veniamus, quam verissimam esse censemus.

PRIMVS error est Matthiæ Illyrici, hominis ad monstra excogitanda quodammodo nati. Is multos libros cõscripsit de natura peccati originis, quorum vnus inscribitur, Demonstrationes euidentissimæ de essentia imaginis Dei, & diaboli. Alter, de occasione vitandi erroris Tertius, de eximia vtilitate huius doctrinæ. Quartus, Nosce teipsum. Quintus, Refutatio quorumdam contrarium sentientium. Extat etiam liber cuiusdam Illyrici discipuli, qui inscribitur, Methodica probatio propositionis, quod peccatum originale sit substantia, per D.M.Pau.Rei D.V.V. in quo libro peccatum passim dicitur subsistens quiddam, præsens, & operans in homine, &c. Sententia verò eius his propositionibus comprehendi potest.

PRIMA propositio, Peccatum si generatim sumatur, res est transcendens omnia prædicamenta speciatim verò quædam peccata pertinent ad prædicamentum substantiæ, alia ad prædicamentum quantitatis, vel qualitatis, vel vbi, vel habitus: & sic de cæteris. Secunda propositio, Peccatum originis substantia est, nõ qualitas vel relatio, vel aliquid eiusmodi. Tertia, Peccatum originis nihil est aliud, nisi substantialis imago diaboli. Quarta, Anima rationalis per peccatum primi hominis substantialiter tota corrupta est, ac transformata in imaginem diaboli ex imagine Dei: vt quemadmodum in homine mortuo forma substantialis cadaueris est loco animæ: ita post peccatum Adæ sit in anima forma quædam teterrima substantialis pro ea, quæ ante fuerat. Quinta, Mutatio ista nõ potest propriè dici generatio, vel creatio, sed transformatio, qualis est, cùm vinum vertitur in acetum.

Hanc suam sententiam plurimis argumentis Illyricus confirmare nititur, quorum alia ducũtur à Scriptura, & ratione, quæ nos paulò pòst suo loco refellemus, alia petuntur ex variis Martini Lutheri testimoniis, quæ nos Kemnitio, & VVhigãdo, nec non Heshusio, & Merlino euolanda relinquimus. Scripserunt enim aduersus Illyricum quatuor isti Theologi Lutherani, quamuis alioqui Ioannes VVighandus eiusdem Illyrici collega fuerit in Centuriis conscribendis.

Et fortasse, si Lutheri scripta, & sententias scrutari vellemus, & ex iis, vt Illyricus postulat, de præsenti controuersia iudicium faceremus, nõ quatuor illi Magistri, sed vnus Illyricus victoriam reportaret. Certè enim Martinus Lutherus in Comment.cap.3. libri Geneseos, explicans illa verba: *Tunc aperti sunt oculi amborum*, non obscurè significat, peccatum originis ad substantiam hominis pertinere: *Vide*, inquit, *quid sequatur ex illa sententia, si statuamus iustitiam originalem non fuisse naturæ, sed donum quoddam superfluum, superadditum. An nõ sicut ponis iustitiam non fuisse de essentia hominis: ita etiam sequetur, peccatum quod successit, esse de essentia hominis?* Hæc Lutheri verba satis aperte Illyrico fauent, nec satisfaciunt glossæ quorumdam, qui aliorsum ea detorquere conantur.

Idem etiam Lutherus in explicatione Psalm. 50. tractans illa verba: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, sic ait: *non loquitur Dauid de vllis operibus, sed simpliciter de materia, & ipso esse, & dicit semen humanum, id est, massa ex qua conceptus sum, tota est vitio & peccato corrupta. Materia ipsa est vitiata. Luxum illud, ex quo vasculum hoc fingi cœpit, damnabile est.* Et paulò pòst, *Fœtus* inquit, *in vtero antequam nascimur, & homines esse incipimus, peccatũ est.* Hæc Lutherus.

Rursus illi ipsi, qui aduersus Illyricum disputationes longissimas ediderunt, nõ pauca scribunt, quæ caussam Illyrici meliorẽ facere videtur. Nam Ioannes VVighandus in propositionibus de peccato originis, proposit. 119. scribit, peccatum originis esse rem ream, & naturâ sua dignam morte æterna, & dãnatam à Deo, nisi per Christum remissio fiat. At profecto rem esse ream, & dignam æterna morte nisi remissio fiat, non conuenit accidenti, sed substantiæ, & substantiæ viuenti ac rationali. Neque enim furtum dignum est patibulo, sed fur, nec furto, sed furi potest remissio fieri. Quare videtur VVighandus id ipsum asserere, quod oppugnat, peccatum videlicet originis substantiam esse, non accidens. Idẽ auctor propos. 213. scribit, per peccatum primi hominis totam substantiam hominis esse corruptam, ac deprauatam, & non accidentia eius tantùm, vt sophistæ antea docebant.

At Scholastici Theologi, quos iste more suo Sophistas vocat, ideo dicunt, non substantiam hominis, sed accidentia per peccatum esse corrupta, quia non pars aliqua essentiæ, siue substantiæ humanæ, ac ne potẽtia quidem aliqua periit, sed iustitia amissa est, & in eius locũ iniustitia, prauitásq; succesit, & tam iustitiã, quàm iniustitiam accid

accidentia esse vsque ad hoc seculum, in quo monstra opinionum passim nascuntur, extra controuersiam fuit.

Iste igitur VVighandus, qui contra Sophistarum sententiam docet, non accidentia solùm, sed etiam substantiam hominis esse corruptam, quid aliud significat, nisi iustitiam, & iniustitiam, non accidentia, sed substantiam esse? atque hoc est quod Illyricus tot suis libris conabatur efficere.

Rursus Tilmannus Heshusius alter Illyrici antagonista, in libro de hac ipsa quæstione conscripto, non solùm fatetur, totam hominis substantiam per peccatum corruptam ac deprauatam esse, sed etiam apertè docet, imaginem Dei in homine fuisse substantiam: imaginem autem Dei per peccatum amissam, & in eius locum imaginem diaboli succesisse, nõ Tilmannus solus, sed omnes Lutherani concedunt. Ex quo sequitur, priorem hominis substantiam periisse, & aliam, per transformationem quamdam videlicet accessisse. Nescio autem quid aliud Illyricus optare queat, nisi quod isti eius aduersarij tam liberaliter dant.

Denique Martinus Kemnitius, qui inter primos hostem se Illyrici profitetur, in Resolutione de peccato originis dicit, totam massam animæ corruptã esse, summa, atque extrema deprauatione. Idem in Examine Concilij Tridentini, sessione 5. pagina 454. dicit, peccatum esse, quicquid repugnat diuinæ legi, siue sit defectus, siue inclinatio, siue ratio. Itaque ipsam etiam rationem, quę est suprema pars hominis, Kemnitius vult esse peccatum, quia ipsa etiam legi Dei repugnat. At quid quæso aliud docet Illyricus? Videmus igitur hostes Illyrici, siue imprudentes, siue præuaricãtes nõ rarò in eius castra transire: sed quicquid de illis sit, sentẽtiam Illyrici falsam atque absurdam esse, & verbo Dei, symbolo fidei, traditioni Patrum, & manifestissimæ rationi repugnare contendimus.

CAPVT SECVNDVM.

Refutatur error Illyrici, qui asseruit peccatum originis esse substantiam.

SCRIPTVRA diuina non obscurè docet, peccatum non esse substantiam, siue naturam aliquam, sed priuationẽ, ac defectum. Nam S. Ioannes dicit: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*, Ioan. 1. Sanctus autem Paulus addit: *Omnis creatura Dei bona est*, 1. Timoth. 4. Ex quibus duobus locis euidenter sequitur, nullam substantiam, siue naturam esse malam, ac per hoc neque esse peccatum. Nam cùm peccatum omnium consensu sit malum, si idem peccatum substantia esset, vel non omnis substantia esset facta à Deo, quod repugnat Euangelio, vel non omnis creatura Dei bona esset, quod repugnat Apostolo.

Deinde argumentari possumus ex Scriptura, iuxta Lutheranorum communem explicationem. Nam B. Paulus (vt Lutherani communiter docent) de peccato originali differit ad Rom. 7. cùm ait: *Scio quod non habitat in me hoc est in carne mea, bonum. Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum, hoc facio, si autem quod odi malũ facio, iam ego non operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Ex quo loco perspicuè intelligimus, peccatum quod Lutherani originale esse definiunt, non esse ipsum hominem, sed in homine habitare: & non in mente, sed in carne sedem habere. Quod enim hoc loco caro non significet totum hominem, sed alteram partem tantùm, certum est, ex eo quod distinguitur contra mentem. Nam ad mentem pertinet illud, *volo bonum*, & illud, *odi malum*. Et apertissimè paulò inferius: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Et rursus: *Igitur ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati.*

Quod si peccatum originis non est in mente, sed in carne, quanto minus ipsa mens dici poterit esse peccatum, vt contendit Illyricus? neque verò responderi potest, Apostolum, qui de se hæc dicit iustificatum fuisse à peccato. Nam ex communi sententia Lutheranorum, peccatum originis non ita remittitur in iustificatione, vt non sit, sed vt non imputetur, immò ex hoc ipso loco, vbi B. Paulus, qui sine dubio iustificatus erat, de se loquitur, probant Lutherani, in hominibus iustis peccatum semper hærere, & esse verè, propriéque peccatum. Quare cùm in Apostolo Paulo esset peccatum originis, vt Lutherani volunt, & in eodem esset mens bona, cum peccato illo pugnans, vt ipse testatur, sequitur apertissimè peccatum originis nihil minus esse, quàm id, quod Illyricus somniat, qui non tam in mente, quàm ipsam mentem affirmat esse peccatum.

Iam verò Symbolum fidei non minus apertè paradoxum istud Illyrici funditùs destruit.

PRIMVS articulus est, *Credo in vnum Deum*. At Illyrici delirium tot facit Deos, quot sunt mentes in originali iustitia permanentes. Nam quemadmodum originale peccatum ad substantiam hominis pertinet post lapsum Adæ, ex Illyrici sententia, sic etiam originalis iustitia ad substãtiã hominis pertinebat ante lapsum eiusdem. Quia verò proprium est solius Dei, vt sit nõ ex accidente dono, sed substantialiter iustus, vt sanctus Gregorius docet homilia decima quarta in Euangelia, sequitur, vt mentes primorum hominum ante lapsum, Dij quidam essent, & nunc etiam tot sint in cœlo Dij, quot sunt Angeli, originali iustitia præditi. Omnes enim substantialiter iusti, & boni sunt.

Idem primus articulus docet, *vnum Deum esse creatorem omnium rerum*. At, si vera esset Illyrici sententia, Deus non esset creator animarum hominum, sed diabolus, quæ est hæresis Manichæi. Nam post lapsum Adæ ipsa humanæ animæ substantia est peccatum, ex Illyrici sententia, peccati autem non est auctor Deus, sed diabolus, vt idem ipse Illyricus confiteretur.

RESPONDET Illyricus, Deum verè dici creatorem omnium rerum, quia creauit ipse hanc naturam bonã, quæ posteà opera diaboli facta est mala. At quæstio est de ista substantia mala, quis eam fecerit, & quotidie faciat. Nam si diabolus, igitur diabolus est creator alicuius substantiæ, & non est Deus creator omnium rerum: Si Deus, igitur est auctor peccati. Quod tamen disertis verbis damnatur in confessione Augustana, articulo decimo nono, cuius confessionis sectatorem se Illyricus profitetur.

RESPONDET Illyricus, istam substantiam totam esse à Deo, & totam à diabolo: à Deo quidem, quia ipse conseruat & propagat hanc naturam ita corruptam & vitiatam: à diabolo autem, quia ipse eam sic vitiauit, & (vt ipse pro sua insigni honestate loquitur) penitus concacauit: & addit nullam esse nouaculam sophistarum ita acutam, vt possit distinguere in anima hominis peccatoris, quid sit Dei, & quid diaboli.

At hæc responsio, vt vnum errorem tollat, inducit duos. PRIMVM enim, si Deus propagat, & conseruat hanc naturam, quæ ita penitùs corrupta, & vitiata est, vt verè, & propriè sit ipsa vitium, atque peccatum, certè sequitur, vt Deus sit auctor peccati. Quid enim est propagare, & conseruare peccatum, nisi auctorem esse peccati? Itaque Deus verus, ac bonus, erit auctor mali, ex Illyrici sententia, quæ impietas Manichæi, & Marcionis impietatem longè superat. Siquidem illi peccati caussam in Deum quẽdam malum, nõ in bonum retulerunt.

DEINDE si diabolus initiò naturam ita deprauauit, vt per eam deprauationem forma substantialis bona perierit, & forma substantialis mala producta fuerit, quis non videt, diabolum creatorem substantiæ dici posse?

RESP

Universidad de Deusto
Biblioteca

RESPONDET Illyricus, diabolum non esse creatorem, quia non creauit substantiam vllam, sed bonam transformauit in malam: *Quemadmodum* (inquit ipse) *mulierculæ norunt lac in caseum, vel butyrũ conuertere, & vinũ in aceti transmutare, & tamẽ neque dicuntur, neque sunt creatrices.*

AT nihil ista faciunt ad rem, siquidem lac, & vinum, res sunt naturaliter transmutabiles, & ideo nõ debet videri mirũ, si adhibitis ab homine naturalibus caussis, illa facilè transmutẽtur. Substantiæ verò spirituales, quales sunt animæ rationales, & Angeli, non sunt naturaliter corruptibiles, aut substantialiter mutabiles, cùm materia careant, & ideo solus Deus potest eas ex nihilo condere, aut in nihilum redigere: aut etiam ex aliis alias facere: neque minus requirit omnipotentiam conditoris, talium rerum creatio, quàm earumdem rerum substantialis transformatio.

Neque multum iuuat Illyricum, quòd ipse interdum, cùm valdè premitur, dicit, non totam animæ substãtiam in aliam toram, diaboli opera, esse cõuersam, sed partem tantùm supremam, id est, rationem. Nam (vt omittam, quod ipse idem sæpissimè dicat, totam animam, immò totum hominem, esse corruptum) non sunt in anima hominis plures substantiæ, sed vna, eáque impartibilis, licet ratione plures in ea gradus, ac veluti partes distinguamus. Illa autem vna substantia non potest vllo modo re ipsa partim conseruari, partim destrui, sed aut tota conseruetur, aut tota pereat, necesse est.

Pugnat DEINDE doctrina ista Illyrici cum articulis fidei, quibus Dominicæ Incarnationis mysterium continetur. Siquidem fides Christiana docet, à Verbo diuino naturam humanam assumptam, eiusdem speciei cum nostra id est carnem, & animam qualem nos habemus. *Non alterius naturæ* (inquit sanctus LEO in epistola vndecima ad Iulianum) *erat eius caro, quam nostra, nec alio illi, quam cæteris hominibus anima est inspirata principio, quæ excelleret, non diuersitate generis, sed sublimitate virtutis.* At ex Illyrici sentẽtia, anima nostra peccatum est, igitur aut Christus peccatum assumpsit in vnitatem personæ, quo nihil absurdius fingi potest: aut animam non habuit eiusdem naturæ cum nostra, quod (vt diximus) Symbolo fidei manifestè repugnat.

Respondet Illyricus CHRISTVM assumpsisse animam humanam, non qualem nos habemus, sed qualis in Adamo fuit ante peccatum, distingui verò vnam ab alia non specie, aut genere physico, sed tantùm Theologico. Intelligit autem per Theologicam differentiam, quod summus gradus animæ rationalis non sit idem in nobis, & in CHRISTO, tametsi reliqua anima sit eadem.

AT summus gradus, si rectè philosophari velimus, ad speciem physicam pertinet. Ille siquidem est, per quem physicè distinguimur ab animantibus cæteris. Quocirca mysterium Incarnationis Arrius, & Apollinaris destruere iudicati sunt à Patribus nostris, quòd mentẽ in Christo non agnoscerent, eiusdem naturæ cum nostra. Vide Epiphanium hæresi sexagesima nona, & septuagesima septima, & Augustinum hæresi 49. & 55.

Pugnat præterea error Illyrici cum articulo de Resurrectione. Nam non resurget eadem substantia hominis quæ nunc est, & quæ per mortem desinit esse. Hæc enim tota ex Illyrici sentẽtia peccatum est, & peccatum sine dubio non resurget. Igitur alia substantia producetur, ac per hoc non erit vera resurrectio, sed noua productio. Resurrectio enim non est, nisi eius, quod cecidit.

RESPONDET Illyricus, resurrecturum idem omninõ individuum, sed forma substantiali mutata. At quo pacto idem erit individuum, si non habebit eamdem formam substantialem?

Pugnat denique cum articulo de Vita æterna. Nam si non resurget idem quod cecidit, non etiam coronabitur idem, qui in agone certauit.

TERTIO aduersus Illyrici somnium produci possunt clarissima testimonia Patrum. Sanctus Basilius in oratione, quod Deus non sit auctor malorum: *Non imagineris*, inquit, *propriam aliquam esse substantiam mali. Nam malitia non est aliquid subsistens.*

Sanctus Gregorius Nazianzenus in oratione in sanctum Lauacrum, prope extrema. *Crede*, inquit, *nullam esse mali essentiam, nec per se subsistere, nec à Deo creatam.*

Sanctus Epiphanius hæresi 37. *Malum*, inquit, *aliquando non erat, neque radix vlla fuit malitiæ, neque malum est quiddam per se subsistens.*

Sanctus Ambrosius libro primo Hexameron, capite octauo. *Vtique*, inquit, *non substantialis sed accidens est malitia.* Et paulò pòst affirmat hæresim esse pestiferam Valentini, Marcionis, & Manichæi, quod malitia sit substantia.

Sanctus Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem: *Numquam*, inquit, *a me audies malam esse naturam.*

Sanctus Augustinus lib. septimo Confessionum, capite duodecimo. *Malum*, inquit, *illud, quod quærebam vnde esset? non est substantia, quia si substantia esset, bonum esset.* Et in explicatione Psalmi sexagesimi octaui. *Quæsiui*, inquit, *quid esset iniquitas, & non inueni substantiam, sed à summa substantia Deo, detortam in infimam voluntatis peruersionem.* Et libro primo aduersus Iulianum, capite tertio, *Non*, inquit, *resistimus Manichæis, nisi obtineamus, non esse mala oria, nisi ex bonis, nec ea mala substantiam esse, sed substantiarum vitia creatarum.*

Denique Patres omnes Manichæum vt hæreticum execrantur, quòd diceret malum esse substantiam, quam non fecisset Deus, & quæ in homine fons esset, & origo omnium peccatorum. Quod idem Illyricus dicit de peccato originis, quod videlicet substantia quædã sit, quam Deus non fecerit & quę caussa sit peccatorum omnium quæ ab hominibus perpetrantur.

Respondet ipse, sententiam suam longissimè à Manichæi errore distare. Manichæum enim duas naturas æternas introducere, vnam bonam, alteram malam, se verò vnam tantùm naturam æternam agnoscere, eámque bonam: malam enim posteà accessisse. Addit etiam aduersarios suos Lutheranos videri potius Manichæos, quippe qui duas in homine naturas constituant, vnam bonam, hoc est, substantiam, alteram malam, id est, peccatum, quod esse volunt veram, ac positiuam qualitatem: se autem vnam tantùm naturam in homine ponere, vel bonam, vel malam: bonam videlicet ante lapsum Adæ, malam pòst lapsum eiusdem.

At reuera vtrique videntur Manichæi, & Illyricus, & aduersarij eius Lutherani, sed ipse magis. Illi quidem dum realem, & positiuam qualitatem peccatum originis esse definiunt, coguntur omninò dicere, vel Deum nõ esse caussam illius qualitatis malæ, ac per hoc nõ esse caussam omnium rerum, quæ re vera existunt, qui est vnus ex erroribus Manichæorum: vel certè caussam esse peccati, qui est error grauior quàm fuerit Manichæorũ.

Illyricus autem etiam si se purgat ab vno Manichæorum errore: quia non docet, mali naturã esse absque principio & sempiternam: tamen numquam se purgabit ab aliis tribus erroribus Manichæi, quod videlicet aliqua substantia sit mala, & non à Deo, sed à diabolo procreata: quòd peccatorum nostrorum non sit caussa liberum arbitrium, sed substantia illa mala, quod denique duæ sint in homine substantiæ, vna bona, altera mala. Nam etiam si in libro de substantia imaginis Dei, & diaboli, dicat totum hominem esse malum: tamen in refutatione contrariũ sentientiũ dicit nõ totum hominem, nec totam animã, sed solùm id quod est in anima summum, id est, cor esse corruptum, & malum. Sunt igitur in eodem homine, ex Illyrici sententia, substantia corporis & animæ, quoad partem inferiorem, bona:

bona: & substantia cordis, siue partis superioris mala. Quòd si Lutherani cæteri (Illyrico teste) censendi sunt Manichæi, quia ponunt in homine substantiam bonam, & qualitatem malam: quanto magis Illyricus ipse Manichæus habẽdus erit, qui ponit in homine vnã substantiam bonam, & aliam substantiam malam?

SED veniamus ad rationes. PRIMA ratio, si peccatum corrumpit verè, & propriè substantiam animæ: igitur anima rationalis corruptibilis est, & re ipsa corrumpitur, ac definit esse, quod est apertissimè contra fidem Catholicam, & rationem.

SECVNDA ratio, Si per peccatum Adami prior substantia hominis periit, & alia in locum eius successit: igitur inepte Deus Adamum increpat, dicens: *Adam vbi es?* Et: *Quis tibi indicauit, quòd nudus esses?* Et: *Nonne quia comedisti de ligno?* Et: *Quia audisti vocem vxoris tuæ, &c.* Nam Adam ille, qui comederat de ligno, & audierat vocem vxoris, iam perierat. Ille autem, cum quo post lapsum loquebatur Deus, erat alius, genere differens à priore.

TERTIA ratio, Si peccatũ originis est ipsa substãtia hominis, vt Illyricus dicit, igitur peccatũ originis multa bona facit, intelligit, disputat, iudicat, scribit cõtra se ipsum, credit, sperat, diligit, hortatur alios ad credendum, &, quod est mirabilius, innocenter viuit. Nam Illyricus, qui se rorum peccatum esse non dubitabat, tamen scribit de se in extremo libro de essentia imaginis Dei, & diaboli, se multos annos honestè, innocentérque vixisse: *Vos*, inquit, *multos annos Vvitembergæ, vbi tum temporis honestè, innocenter atque acta vita, multos fide dignos testes producere possum.* At quis credat id, quod non est nisi malum, & fons omnium malorũ tam multa bona facere posse, vt etiam innocentiæ titulum mereatur?

QVARTA ratio, Si peccatum originis est substantia hominis, vel est tota eius substantia, vel pars: Si tota, falsum igitur est, quod Illyricus dicit in Refutatione, peccatum non esse nisi summum animæ rationalis gradum. Non enim solus ille gradus est totus homo: Si pars, igitur falsum est, quod idem Illyricus in libro de essentia imaginis Dei, & diaboli, toties repetit, totam essentiam hominis, totúmque hominem esse corruptum, & transformatum in aliam substantiã, quemadmodum cùm dolium vini totum vertitur in acetum. & omnes illi clamores, quibus ipse vtitur aduersus eos, qui extenuant peccatum originis, non solùm inanes sunt, sed etiam in ipsum retorqueri possunt. Nam sicut ipse dicebat, CHRISTVM fieri dimidium redemptorem ab illis, qui nõ confitebantur, totum hominem esse corruptum: ita nos dicere possumus, CHRISTVM ab Illyrico fieri non dimidium, sed longè minus quàm dimidium redemptorem. Nam, si vnus tantùm animæ rationalis gradus corruptus fuit, certè vnum tantùm animæ rationalis gradũ CHRISTVS reparauit. Venit enim quærere quod perierat.

CAPVT TERTIVM.

Soluuntur argumenta Illyrici.

NIHIL est tam absurdum, quin aliqua, si non vera, certè verisimili ratione suaderi possit. Sed Illyricus non contentus probabilibus argumentis, demonstrationes ex diuinis literis insolubiles (vt ipse quidem affirmat) & plurimas attulit. Quod tamen, an ita se habeat, Deo iuuãte, mox apparebit. Proponam enim, & soluam ea, quæ ex libris eius collecta, maiorem præse ferunt difficultatem.

PRIMA obiectio, Scripturæ in peccato originis describẽdo, vtuntur verbis substantiã significantib. igitur peccatum originis est substãtia. Gen. 8. *Figmentum cordis humani malum est ab adolescentia sua.* Vbi massa ipsa cordis, hoc est, substantia, dicitur esse mala. Et Genes. 6. dicitur: *Figmentum cordis tantùm esse malum*, id est, nihil habere boni ad Rom. 6. *Vetus homo noster crucifixus est, vt destruatur corpus peccati.* Quo loco peccatum dicitur vetus homo, & aperte corpus habere significatur. Ibidem: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum concupiscentiis eius.* At quod regnat, & concupiscit, non est accidens mortuum sed viua substantia.

RESPONSIO. Scriptura, si quando verbis substantiam significantibus vtitur in descriptione peccati, non loquitur propriè, sed figurate, qui modus loquẽdi in Scripturis frequentissimus est. Psalmo sexagesimo octauo, *Operuit confusio faciem meam.* Certè confusio non est substantia, & tamen ita describitur, ac si esset indumentum aliquod. Sed figura per picna est. Quoniã enim qui confunduntur, suffunduntur rubore, ideo facies eorum operiri videtur. Lucæ quarto: *Imperauit Dominus febri, & febris febricitantem dimisit.* Quis imperat accidentibus? & quomodo est accidens quod hominem dimittit, & recedit? certè imperata facere, siue ad imperantis vocem dimittere aliquem, non solùm substantiæ, sed etiam viuentis, & intelligentis esse solet, & tamen nemo dubitat quin febris substantia non sit.

Sed respondeamus ad singula loca. Figmentum cordis, quod in Genesi malum esse dicitur, non est ipsa cordis substantia, sed cogitatio, quæ à corde fingitur, quæ non est substantia, sed accidens. Quamuis enim ca. octauo Geneseos dicatur figmentum cordis malum: tamen capite sexto, vbi res eadem pluribus verbis narratur, dicitur, יצר מחשבות *letzer mahaschebeth*, hoc est, figmentum cogitationum. Sic enim legimus Geneseos sexto, versic. 5 ad verbum, *Et omne figmentum cogitationum cordis eius tantùm malum omni die.* Quod autem cogitationes omnes dicuntur esse malæ, sine dubio hyperbole est Scripturis familiaris. Nam in eodem capite sexto Geneseos legimus: *Omnis caro corruperat viam suam*: & tamen in eodem loco dicitur, Noë vir iustus, atque perfectus fuit in generationibus suis.

Porrò quod in epist. ad Romanos capite sexto, legimus de homine vetere, ineptissimè soluitur ab Heshusio, dicit enim veterem hominem latiùs patere, quàm peccatum, quod vetus homo complectatur subiectum & formam, id est, naturam humanam, & eius vitium: peccatum autem solam formam, id est, vitium. Quod si ita esset, cùm Beatus Paulus ad Colossens. 3. & ad Ephesios 4. iubet nos exuere veterem hominem, intelligendum esset, oportere nos naturam humanam deponere, hoc est, vt ipsi nos interficeremus.

Vera igitur responsio est, quæ ex interpretibus eius loci, tum Græcis, tum Latinis colligitur, per hominem veterem significari vitam veterem, quæ agitur in peccatis & contra, per hominẽ nouum, vitã nouam, quæ agitur per virturem. Propriè siquidem vetus homo est Adã, nouus homo est CHRISTVS: sed nos dicimur exuere veterem hominem, cùm non cernitur amplius in nostris actionibus similitudo peccantis Adami: & contrà, induere nouum hominem, cùm ita viuimus CHRISTI virtutes imitantes, vt CHRISTVS in conuersatione nostra manifestè appareat. Nam quod ad Ephe. 4. & ad Colossenses 3. Apostolus vult exui veterem hominem, & indui nouum: apertius 1. ad Corinth. 15. dicit: *Sicut portauimus imaginem terreni, ita portemus imaginem cœlestis.* Et apertissimè ad Roman. decimo tertio: *Induimini Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM. Hæc autem omnia ad actiones, non ad substantiam pertinere perspicuũ est ex cap. 3. epistolæ ad Colossens. vbi explicans Apostolus quæ sint membra hominis veteris, ait, *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, &c.* & ibidem explicans quid sit deponere hominem veterem: *Deponite*, inquit, *iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, &c.* Et ibidem explicans

Universidad de Deusto
Biblioteca

explicans quid sit induere nouum hominem: *Induite*, inquit, *viscera misericordiæ, benignitatē, humilitatē, modestiā, &c.*

Potrò per corpus peccati intelligitur, per tropum quemdam tota multitudo, & quasi congeries peccatorū, quam malè viuendo contraximus, vt sententia Apostoli ad Rom. 6. hæc sit, *Vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati*, hoc est, per vim crucis Christi vita nostra mala, & vitiosa periit, vt deinceps nullum peccatum admittamus, sed in nouitate vitę ambulemus, in omni opere bono fructificantes, &c.

Similis tropus est Lucæ vndecimo, in illis verbis: *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* hoc est, si intentio fuerit mala, omnes actiones erunt etiam malæ. Posset etiam per corpus peccati intelligi robur, & potentia concupiscētiæ: nam delectatur Apostolus phrasibus Hebraicis: Hebræi autem eadem voce בשר *eikem* & corpus & robur appellare solent: itaq; per corpus peccati rectè intelligetur robur peccati, id est, concupiscentiæ, quæ ab Apostolo sæpe vocatur peccatum per metonymiam, quia est effectus & caussa veri peccati, vt sanctus Augustinus multis in locis docet, ac præsertim libro primo contra duas epistolas Pelagianorum, capite decimo tertio. Et consentanea sunt huic sententiæ quæ sequuntur: *Vt non vltra seruiamus peccato.* Et: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum concupiscentiis eius.* Quibus in locis omnium consensu, nomine peccati concupiscētia accipienda est, quæ quidem metaphoricè regnare, & imperare dicitur, cùm ardētius incitata consensum voluntatis extorquet. Alioqui enim neque res prædita ratione, vt propriè imperare possit, neque substantia est. Nihil enim est aliud concupiscentia, nisi vis appetendi immoderata. De qua re plura alio loco dicemus.

Secvnda obiectio. Peccatum originis est fons & radix omnium peccatorum. Nam Apostolus ad Romanos septimo dicit, peccatum operatū esse in se omnem concupiscentiam. Et sine dubio de peccato originali loquitur: continuat enim disputationē inchoatam de peccato originali in quinto capite, at fons & radix omnium peccatorum est ipsum cor, siue ipsa rationalis anima cùm Dominus dicat Matthæi 15. *De corde exeunt cogitationes malæ, adulteria, furta, &c.* Cor autem sine controuersia substantia est: igitur peccatum originis substantia est.

Sed quia hoc argumentum tanti factum est ab Illyrico, vt etiam initio libri ante præfationem illud posuerit, placet eius verba adscribere, *Thesaurus, aut caussa primaria omnis mali actualis, nempe cor pessimum, vetus animalisque homo, aut caro perpetuò concupiscens, & militans contra spiritum, Deum, & legem eius, est ipsamet essentia hominis, teste Scriptura, & Theologis: Originale peccatum est caussa primaria, seu thesaurus, origo, radix, & fons omnium actualium peccatorum, testibus ipsis: igitur originale peccatum est essentia ipsa.*

Responsio, Multa sunt vitia, huius argumenti. Primvm enim, si ad formam syllogisticam verè redigatur, erit in secunda figura ex puris affirmantibus: nam in illa prima propositione, Thesaurus omnis mali actualis est ipsa essentia hominis, attributum est thesaurus, & subiectum est, essentia hominis, & ideo si recto ordine ponantur partes propositionis, dicendum erit, essentia hominis, siue cor pessimum est thesaurus omnis mali actualis: ac deinde subiungenda est altera propositio, Peccatum originale est thesaurus omnis mali actualis: ex quibus non magis sequitur, Ergo peccatum originale est ipsa hominis essentia: quàm si quis diceret, Diabolus est mendax, Illyricus est mendax, ergo Illyricus est diabolus.

Deinde quicquid sit de forma argumēti, assumptio illa est falsa, peccatum orignale est thesaurus, & fons, & radix omnium actualium peccatorū. Nam Adā & Heua, & omnes Angeli mali in actuale peccatum inciderunt, cùm tamen originali peccato caruerint. Et nos quoque, si peccatum originale non traheremus à parentibus, tamen &à diabolo tentari, & peccare sine dubitatione possemus. Sicut etiam post peccatum originis in Baptismo dimissum, non tarò peccamus.

Illud autem Apostoli ad Rom. 7. *Peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam*: non est accipiendum de peccato originali, sed de fomite, qui peccatū dicitur per metonymiam, quia est effectus, & caussa peccati. Quem admodum in eodem cap. cùm Apostolus dicit: *Quid ergo lex peccatum est? absit, &c.* non quærit, sitne lex propriè peccatum, quod in quæstionem venire nō poterat: sed, sit ne lex peccatum, id est, caussa peccati. Ac respondet, non esse caussam, sed occasionem. quia licet ipsa sit sancta, & bona, tamen ex ea fomes occasionem accipit magis concupiscēdi quia nitimur in vetitum. Neque his repugnat, quod Apostolus continuare videatur disputationem inchoatam ca. 5. Nam disputationem ita continuat, vt cùm cap. 5. disseruerit de peccato originis, posteà cap. 6. & 7. disserat de concupiscentia, quæ est effectus & pœna peccati originis.

Adde Tertio, quod ipsa etiam concupiscentia non est fons & radix omnium omninò peccatorum actualium, si per concupiscentiam intelligamus concupiscentiam carnis, de qua in eo capite loquitur Apostolus, vbi eam vocat etiam legem membrorum. Nam sanctus Ioannes in epistolæ primæ cap. secundo, tres fontes peccatorum ostendit, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ.

Quod autem Apostolus dicit, Peccatū, id est, fomes, per mandatum, operatum est in me omnem concupiscentiam: Duobus modis intelligi potest, Primum, vt significare voluerit, omne genus concupiscentiæ actualis contra mandatum prodire posse ex fomite id est, ex potentia concupiscibili: quamuis etiam aliunde prodire possint, quomodo idem Apostolus 1. Timot. 6. dicit, radicem omnium malorum esse cupiditatem, id est, auaritiam. Nam Græcè est φιλαργυρία. Deinde, vt per omnem concupiscentiam intelligamus summam, & ardentissimam concupiscentiam, & hæc videtur esse maximè literalis explicatio. Nā Apostolus dicit, Peccatum per mandatū operatum esse omnem cōcupiscentiam: ex mādato autē non tam habuit fomes, vt esset fons variorū peccatorū, quàm vt vehementiorē concupiscentiā excitaret.

Denique Quarto addi potest, etiamsi concederemus, peccatum originale esse fontem simpliciter omnium actualium peccatorum: tamen non inde rectè colligi peccatum originale esse hominis essentiam, vel totam, vel partem, vt cor, aut animam. Nam non eodem modo conueniret peccato, & cordi, vel animæ esse fontem, & thesaurum actualium peccatorum. Cor enim, siue anima est verè fons peccatorum, per modum principij actiui, & interni. Ac propriè Dominus dixit, *De corde exeunt cogitationes malæ, adulteria, furta, blasphemiæ &c.* Peccatum autem originis, si accipiatur pro carentia iustitię originalis, quę est Catholicorum sententia, non est fons peccatorum, nisi per modum remouentis obstaculum. Si accipiatur pro fomite, vt plerique Lutheranorum sentire videntur, est fons peccatorum per modum caussæ extrinsecè proponentis obiectum voluntati. Quomodo etiam diabolus dici potest fons peccatorū. Nam & diabolus tentator in Euangelio nominatur. Matt. 4. & de concupiscentia scribit S. Iacobus in epistola sua, ca. 1. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.* Sic igitur quatuor modis soluitur primarium Illyrici argumentum.

Tertia obiectio, Peccatum est id omne, quod pugnat cum lege. Nam in epistola prima beati Ioannis, capite tertio, definitur peccatum his verbis: ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία: At ipsum cor, ipsa anima, ipse totus homo pugnat cum lege. Vbi enim legimus: *Caro cōcupiscit aduersus spiritum*

tum, ad Galatas quinto, nomine carnis intelligitur totus homo: siquidem inter opera carnis non solùm numerantur adulteria, & fornicationes, sed etiam hæreses, inuidię, sectæ, &c. Et Ioan. 3. totus homo dicitur caro, cùm Dominus ait: *Quod natum est ex carne, caro est.* Denique adulteria, homicidia, & similia, quæ ad Galatas quinto dicuntur opera carnis, Matthæi decimo quinto, ex corde prodire dicuntur. Cùm igitur id omne quod pugnat cum lege peccatum sit, & totus homo pugnet cum lege, sequitur, vt totus homo peccatum sit: homo autem substantia est, igitur peccatum substantia est.

Responsio: Hæc obiectio à Kemnitio solui nullo modo potest, cùm ipse cōcedat, id omne verè ac propriè esse peccatum, quod legi repugnat, siue sit actio, siue potentia, siue substantia. Nos autem facili negocio propositum argumentum diluemus. Neque enim peccatum est res contraria legi, sed ipsa contrarietas, siue repugnātia ad legem, id enim significat ἀνομία declinationem, seu deuiationem à lege. Declinatio autem, deuiatio, contrarietas, & repugnantia, non substantiam significant, sed accidens, & id non positiuum, sed priuatiuum, hoc est, carentiam rectitudinis, siue priuationem conformitatis ad regulam. Et quoniam hæc priuatio in actione propriè inhæret, actio enim est, quæ imperatur, vel prohibetur à lege. Ideò actio propriè dicitur esse secundùm legem, vel contra legem. Ex quo sequitur, vt sicut priuatio conformitatis ad legem est peccatum formaliter, ita actio non conformis legi sit peccatum materialiter, substātia verò, quæ est actionis principium, nō peccatum materialiter, aut formaliter, sed peccans, vel peccatrix nominari debeat. Itaque sanctus Augustinus in libr. 22. contra Faustum, cap. 27. definiens peccatum, non ait, Peccatum est cor, vel anima, vel totus homo, sed dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei.

Quarta obiectio, Imago Dei in homine non erat aliquod accidens, sed substantia. Sicut enim dicitur Genes. 1. *Creauit Deus hominem ad imaginem suam*, ita dicitur Genes. 5. *Adam genuit filium ad imaginem suam.* Certum est autem filium esse ad imaginem patris, non propter sola accidentia, sed propter naturæ similitudinem. Sed si imago Dei substantia erat, profectò etiam imago diaboli substantia esse debet. Amisit autem homo per peccatum imaginem Dei, & induit imaginem diaboli, iuxta illud Ioannis 8. *Vos ex patre diabolo estis.* Et ad Coloss. 3. *Induite nouum hominem, qui renouatur secundum imaginem eius, qui creauit eum.*

Respondeo, Imaginem Dei esse ipsam animæ rationalis naturam, libenter admittimus, neque opus erat, vt ad hoc probandum, quod nemo negat, tam multum Illyricus desudaret. Cæterùm, hanc imaginem per peccatum esse amissam, vel in aliam substantialiter trāsformatam, omninò negamus. Iste enim est error Origenis, à sanctis Patribus refutatus, vt intelligi potest ex Epiphanio hæresi 64.

Illud autem Ioannis octauo: *Vos ex patre diabolo estis*, nō significat homines peccatores gerere imaginem diaboli naturalem, siue substantialem. Nec enim diabolus gignit, aut procreat homines peccatores, nisi per metaphoram dicatur gignere quos decipit, quemadmodum Apostolus 1. ad Corinthios 4. dicit, se genuisse, quos docuit. Itaq; peccatores filij diaboli sunt per imitationem, non per naturam, & imaginem quandam eius gerere dici possunt, quia similes ei sunt, non substantiā, sed vitio, non natura, sed moribus.

Vide sanctum Augustinum libro aduersus Adimantum. cap. 5. vbi ostendit tribus modis aliquos dici filios aliorum: Primo, per naturam, quomodo Abel filius fuit Adami: Secundo, per doctrinam, quomodo Corinthios filios vocat Apostolus 1. ad Corinthios 4. Tertio, per imitationem, quomodo nos omnes filij dicimur Abrahæ, cùm fidem eius imitamur, ad Roma. 4. & Galat. 4. & peccatores dicuntur filij diaboli, quia imitantur eum, qui sunt ex parte ipsius. Sap. 2.

Ad illud autem ad Colossen. 3. *Qui renouatur secundum imaginem.* Respondeo, hominem renouari per gratiam in ea parte sui, secundùm quam est imago Dei, iuxta illud ad Ephesios 4. *Renouamini spiritu mentis vestræ.* Hæc autem renouatio mentis humanæ, quæ est imago Dei, significat imaginem illam obscuratam fuisse, nō deletam. Quod vt faciliùs intelligatur, sciendum est, imaginē Dei Tribus modis considerari posse, secundùm naturam, secundùm habitum, & secundùm actum, ex quibus modis secūdus, & tertius nihil sunt aliud, nisi perfectiones imaginis primo modo consideratæ. Nam quemadmodum imago depicta, si solùm sit lineis adumbrata, vera erit imago, sed rudis: si addātur colores, reddetur perfectior, si exprimantur venæ, musculi, & minutissimè quæque partes, perfectissima iudicabitur: Sic etiam ipsa substantia animæ rationalis imago Dei est, sed addito habitu gratiæ, & substantiæ perficitur, & ornatur: cùm verò actu Deum cognoscit, & diligit, perfectissima & ornatissima est.

Ac peccatum quidem substātiam imaginis de medio tollere non potuit, sustulit tamen perfectionem illam, & eximiam similitudinem, quæ in habitu, & actu cognitionis, & amoris posita erat: Itaque imago non periit, sed obscurata, ac deformata est, quasi coloribus extinctis: & ideò reformari dicitur, cùm gratia, & sapientia reparantur in nobis, quomodo imago depicta renouari dici posset, si colores fermè extincti eidem imagini iterum adderentur.

Quinta obiectio, Iustitia originalis in primis parentibus non fuit accidens, sed substantia, igitur & iniustitia originalis, quæ iustitiæ illi successit, non accidens, sed substantia est. Antecedens huius argumenti probatur ex argumento superiore. Dictum enim est imaginem Dei in homine esse ipsam naturam animæ rationalis: idē autem esse imaginem Dei, & iustitiam originalem, colligitur ex Apostolo Paulo, qui quod dixerat ad Colossenses tertio. *Induite nouum hominem, qui reformatur secundum imaginem eius, qui creauit illum*: explicare videtur ad Ephesios quarto, cùm ait: *Induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.* Vbi pro eodem videtur accipere imaginem, & iustitiam, siue sanctitatem.

Respondeo, Iustitiam originalē de essentia Hominis, vel Angeli fuisse qui dicit, is planè creaturam cum creatore confundit. Solus enim creator id proprium habet, vt sit per essentiam iustus. Neque idem sunt imago Dei, & iustitia originalis. sed est iustitia originalis ornamentum quoddam, & perfectio imaginis Dei, & quia conditus fuit primus homo ad imaginem Dei, non quocunque modo, sed ad imaginem iustitia, & sapiētia, aliisque ornamentis insignem: ideò beatus Paulus dicit, hominem reformari secundùm imaginem Dei, quando induit nouum hominem, creatum in iustitia, & sanctitate veritatis, quia videlicet imago Dei per amissionem iustitiæ deformata, iterum ad pristinum nitorem per iustificationem redit.

His addi potest, quod etiamsi verum esset, iustitiam originalem fuisse substantiam: non tamen sequeretur, peccatum originis esse substantiam. Siquidem peccatum originis non est aliqua forma iustitię originali contraria, sed est priuatio iustitiæ originalis, vt suo loco demonstraturi sumus.

Sexta obiectio, Accidens est quod potest adesse, & abesse præter subiecti corruptionem: Atqui peccatum originis substantiam animæ rationalis omninò corrumpit. Scriptum est enim Genesis primo: *Quacunque die comederis, morte morieris.* Et ad Colos. 2. *Et vos cum essetis mor-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tui in delictis, connivisse mihi cum illo. Igitur peccatum originis non accidens, sed substantia est.

RESPONSIO, Tilmanus Heshusius ad hoc argumentum respondere nó potuit, nisi cùm iniuria Porphirij quem de quinque vocibus disserentem scholæ penè omnes sequuntur. Itaque repudiata definitione accidentis, quam Porphirius tradiderat, approbat definitionem, quam his verbis tradit Philippus Melanchthon: *accidens est, quod non per se subsistit, nec est pars substantiæ, sed est in alio modo liter.* Quæ definitio (omittam alia vitia) videtur contra ipsum Heshusium, & auctorem eius Philippum pugnare. Nam si peccatum originis ita hæret in anima ex sententia Lutheranorum omnium, vt neque per Baptismum, neque vlla alia ratione euelli possit, donec in hac vita sumus, certè sequitur, vt non sit in alio mutabiliter, ac per hoc non sit accidens, sed substantia.

Sed quicquid de hoc sit, argumentum Illyrici sine magno labore solui potest. Primum enim destructio, siue mors, quam adfert animæ peccatum non est substantialis, & propria, sed accidentaria, & metaphorica. Non enim per peccatum perit essentia animæ, quippè quę immortalis est, sed gratia, siue iustiria. Dicitur enim gratia Dei per metaphoram vita animę, propter similitudinem, quam habet cum ipsa anima, quæ est vita corporis. Et idcirco idem peccatum nunc dicitur mors animæ, vt loco citato ad Colos. 2. nunc infirmitas, vt ad Rom. 5. nunc somnus, vt ad Ephes. 5.

DEINDE etiamsi peccatum propriè, & substantialiter vitam animæ tolleret, quemadmodum mors corporalis proprie, & substantialiter tollit vitam hominis: non tamen propterea peccatum non esset accidens, sed substantia, aut reprehendenda esset Porphirij definitio. Nam corporalis mors omnium cõsensu est accidens, non substantia, & tamen sic destruit subiectum suum, vt non destruat definitionem Porphirij. Quod enim Porphirius dicit de subiecti destructione nõ intelligitur efficienter, sed formaliter. Neq; enim significare voluit non esse accidentia qualitates illas, aut actiones, quæ subiectum efficienter corrumpunt, vt febres pestilentes, vstionem, sectionem, & alia id genus, sed res illas non esse accidẽtia, quarum præsentia, vel absentia facit vt subiectum essentiam non retineat suam.

Si coruo addis cogitatione candorem, adhuc coruus essentiam retinet, si addas animam rationalem, iam non erit amplius cornus: igitur candor coruo esset accidens, anima rationalis substantia. Contra verò, si tollas à coruo nigredinem, adhuc erit coruus, si tollas animam sentientem, non erit coruus: igitur nigredo coruo est accidens, anima sentiens est substantia. Qualitates autem, quæ efficienter subiectum corrumpunt, tantum abest, vt eidem formaliter repugnent, vt nisi in ipso esse non possint: & idcirco illo destructo, ipsas quoque continuò interire necesse sit.

Quare iuxta Porphirij definitionem peccatum non est substantia, sed accidens, quia ipso & manente per reatum, & maculam, & sublato per iustificationem, adhuc subiectum, id est, anima suam essentiã retinet, & si (quod naturaliter fieri nequit) animæ substãtia interiret, ipsum quoque peccatum, quod in anima sedem habebat, sine dubio interiret.

SEPTIMA obiectio, Iustificatio est creatio noui cordis, iuxta illud Psalmi 50. *Cor mundum crea in me Deus.* Et Ezechielis 36. *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum.* Item est regeneratio totius hominis, vt patet ex Ioan. 3. ad Tit. 3. 1. Petri 1. & 2. Iacobi 1. & aliis locis. At cor carneum, & cor lapideum substantiæ sunt, & regeneratio, & creatio ad substantiam, non ad accidentia pertinent.

RESPONSIO, Ista omnia metaphorica sunt, non propria, quod nemo, nisi omnino hebes negare potest. Certè enim peccatum, aut cor peccato obduratum non est propriè lapideum, sed ita dicitur propter similitudinem, quę est inter peccatoris obstinationem, & duritiem lapidis. Pari ratione mens iusta non est proprie cor carneum, sed ita nominatur propter similitudinem, quam habet mens per iustitiam ad imperium Dei facilis cum carne molli, ac tenera. Denique tametsi gratia iustificationis, & peccatum accidentia sint, recte tamen per metaphoram homines regenerati, & rursus etiam creari dicuntur, cùm à peccato iustificantur propter similitudinem, quæ cernitur inter peccatum, & mortem, atque inter iustitiam, & vitam.

OCTAVA obiectio, Christus ab Apostolo dicitur peccatum. 2. ad Corinthios 5. sed Christus est substãtia, igitur & peccatum est substantia. Si dicas, Christus per tropum dicitur peccatum, quia fuit hostia pro peccato. Rectè id quidem, sed non diceretur Christus peccatum, quia fuit hostia pro peccato, nisi homo ipse, pro quo Christus mortuus est, verè ac proprie peccatum esset. Christus enim peccatum appellatus est, quia passus est id, quod peccato ipsi debebatur, nimirum fuit hostia piacularis, vice hominum, qui iure interfici merebantur.

RESPONSIO: Christus peccatum, id est, victima pro peccato dictus est, non quia vice peccati fuerit immolatus, quis enim tam absurdè loqueretur? Sed quia morte sua Deum placauit, qui propter peccatum hominum generi infensus erat. Itaque illud [*pro peccato*] cùm dicitur Christus hostia pro peccato, non significat loco peccati, sed, pro expiatione peccati quod Ioannes explicuit, cùm ait: *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi.* Ioan. 1.

NONA obiectio, Homines peccatores dicuntur, propter originale peccatum, naturã filij iræ, ad Ephesios 2. & naturalis dicitur malitia eorum, Sapientiæ 12. & contra, homines iusti dicuntur naturaliter, quæ legis sunt, facere, ad Romanos 2. Igitur tam iustitia, quam peccatum ad naturam ipsam, & essentiam hominis pertinet.

RESPONSIO, Dicuntur homines naturã filij iræ, non quod ipsum peccatum sit natura, sed quoniam à natiuitate, & per naturalem propagationem peccatum originale traducitur, & naturalis dicitur malitia, quæ longa serie à Patribus accepta, difficulter exui potest. Nó enim de omnibus loquitur Sapiens (quod tamẽ faceret si peccatum originis ad essentiam hominis pertineret) sed de Chananęis, qui in parente suo Cham maledicti fuerunt. *Erat enim*, inquit, *semen maledictum ab initio.*

Quod autem dicitur ad Romanos 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt:* non significat iustitiam esse hominibus iustis ita naturalem, vt sit tota essentia, vel pars essentię humanæ, sed esse conformem, & consentaneam naturæ. Vitium enim est cõtra naturam, virtus secundùm naturam, quia vitio natura corrumpitur, virtute perficitur. Itaque gentes per Christum iustificatæ, naturaliter dicuntur facere opera iustitiæ, quia sunt opera illa consentanea naturę per gratiam reformatæ. Atque hæc quidem est explicatio sancti Augustini in libro de litera, & spiritu, cap. 26.

Sed est etiam alia explicatio, quam Chrysostomus, & plurimi alij auctores sequũtur, quæque mihi magis probatur, vt loquatur Apostolus de gentibus, ignorantibus Christum, quæ solo naturali lumine illustratæ aliquid boni interdum agunt. Et iuxta hanc explicationem illud [*naturaliter*] opponitur legi scriptæ in tabulis, & idem est, quod ex lege naturæ.

Itaque sensus est, gentes quæ legem (scriptam videlicet) non habent, naturaliter, id est, ex lege, & instinctu naturali, quæ legis sunt faciunt: nam si fortè parẽtes honorant, non occidunt, non mœchantur, non furantur: id faciunt, non quia ista legerunt in tabulis Mosis, sed quia naturalis ratio dictat, quod tibi fieri nõ vis, non esse alteri faciendum. De qua explicatione plura dicemus in libro

libro quinto, de gratia, & libero arbitrio, capite secundo. Nunc illud addendum est, hunc locum, quem Illyricus pro se adducit, aduersus eum maximè pugnare. Nam si gentes nondum iustificatæ, naturaliter quæ legis sunt, faciunt, quomodo verum est, quod Illyricus dicit, naturam hominis non iustificati, adeò esse corruptam, vt sit ipsum peccatum? An potest ipsum peccatum naturaliter ea quæ legis sunt facere?

DECIMA obiectio sumitur ex testimoniis Theologorum, & quidem Illyricus multa testimonia adducit sanctorum Patrum, vt Ignatij, Irenæi, & aliorum, qui nihil ferè aliud docent, nisi imaginem Dei ad naturam hominis pertinere. Quod quia nos minimè negamus, non est frustrà in illis recitandis tempus conterendum. Adducit etiã testimonia Lutheri, Melanchthonis, & similium, quæ nos explicanda relinquimus Heshusio, & Merlino, aliisque sectariis, qui illa suspiciunt. Nos enim non pluris facimus Lutherum, & Melanchthonem, quàm ipsum Illyricum. Adducit quoque per incredibilem impudẽtiam, Petrum Lombardum, sanctum Thomam, Caietanum Cardinalem, Dominicum à Soto, Ruardum Taperum, & Albertum Pighium.

Ex Petro Lõbardo producit illa verba ex libro 2. sententiarum, distinctione 39. littera A. *Cum voluntas de naturalibus sit, quare ipsa nõ semper bonũ est. etsi aliquãdo vitiũ subiaceat? Ad hoc facilè respondent, qui dicunt, omnia quæ sunt in quantum sunt, bona esse, quia & ipsam volũtatem, in quantum est, vel in quantum voluntas est, vt suprà posuimus, bonum esse asserunt: sed in quantum inordinata est, mala est, & peccatum. Vbi potest ab eis rationabiliter quæri, si voluntas, in quantum inordinata est, peccatum est, quare ergo intellectus, ratio, & ingenium, & huiusmodi cùm inordinata sunt, peccata non sunt? inordinata verò sunt, sicut voluitas cùm ad rectum finem non tendunt, eorúmque actus præuaricationes existũt.* His Petri Lombardi verbis recitatis, triumphum canit Illyricus in hũc modum: *Hinc,* (inquit in libro de essentia imaginis Dei, & diaboli, pagina 254.) *liquidò perspicis, voluntatem, intellectum, rationem, & ingenium, quatenus inordinata sunt, esse peccata. Et quidem loquitur de ipsismet potentijs animæ rationalis, non de earum actionibus, aut motibus, actionibúsque. Manifestè ergo sensit mecum: quantumuis aliorum subtilitatibus, & vehementia non rarò ad illas sophisticas tenuitates abripiatur, quod peccatum sit accidens: aut etiam quoddam nihil.* Hæc Illyricus.

Sed vt intelligas quàm parum fidei sit habendum hæreticis, lege quæ Petrus Lõbardus immediatè post verba ab Illyrico allegata subiunxit. Sic enim ait: *Ad quod illi dicunt, voluntatis nomine aliquando vim, scilicet naturalem potentiam volendi, aliquando actum ipsius vis significari. Vis autem ipsa naturaliter animæ insita nunquam peccatum est, sicut nec vis memorandi, vel intelligendi: sed actus huius vis, qui & voluntas dicitur, tunc peccatum est, quando inordinatus est.* Et paulò infrà: *Ecce qualiter soluitur præmissa quæstio ab his, qui tradunt, omnia esse bona in quantum sunt. Qui verò dicit, voluntates malas peccata esse, & nullo modo bona, breuius respondent, dicentes, actum voluntatis non esse de naturalibus, sed vim ipsam, & potentiam volendi, quæ semper bonum est, & in omnibus est, etiam in paruulis, in quibus nondum est eius actus.* Vides, Lector, quãta sit impudentia hominis hæretici, qui in eo ipso loco affirmat Petrum Lombardum dicere, ipsam vim, & potentiam voluntatis peccatum esse, nó eius actum, in quo loco idem auctor disertis verbis dicit, non ipsam vim, & potentiam voluntatis, sed eius actum, cùm inordinatus est, esse peccatum.

Quod ad reliquos auctores attinet, quos pro se citat Illyricus, vno verbo responderi potest. Adducit enim duas eorum sententias. Vnam, quod concupiscentia sit pars materialis peccati originis: Alterum, quod concupiscentia sit pars animæ inferior. Ex his duabus deducit ipse tertiam, quod videlicet peccatum originis, saltem quoad vnam partem, sit ipsa animæ substantia.

Sed in hac sententia Theologorum explicanda, multis modis peccat. Primum enim Theologi partem materialem peccati originis non existimant esse peccatum proprie, sed ideò dici peccatum, quia est effectus peccati. Peccatum enim propriè in priuatione iustitiæ originalis constituunt. Deinde, ipsam concupiscentiam non vocant animæ partem, quasi sit pars essentiæ, vt Illyricus somniat, sed quia est potentia quædam animæ, ac proinde qualitas, non substantia. Vocant enim Theologi potentias partes animæ, sed potentiales, non substantiales. Tertio, non docent Theologi concupiscentiam esse potentiam animæ absolutè, sed vitiatam, siue deordinatam, ita vt non tam ipsa potentia, quàm vitium eius sit propriè concupiscentia. Itaque sanctus Thomas, eam febri similem esse, & languorem naturæ appellari dicit. Porrò febrem, & languorem, nemo sanus substantiam esse diceret. Denique Theologi concupiscentiam, quam aliquo modo peccatum appellari posse censent, in parte inferiore animæ constituunt: Illyricus autem superiorem tantùm, vel potius supremam animæ partem, quam nunc rationem, nunc liberum arbitrium, nunc ipsum cor appellat, peccatum originis esse cõtendit: nihil igitur commune habet Illyrici delirium cum Theologorum sententia. Multæ sunt aliæ obiectiones Illyrici, sed vsque adeò leues, vt me puduerit eas adferre.

CAPVT IIII.

Proponitur, & refellitur secundus error, qui est multorum Lutheranorum.

EXPLOSO errore Illyrici, sequitur vt ad sententiam cæterorum Hæreticorum huius temporis veniamus. Et quidem prima fronte videntur tam Lutherani, quam Caluinistę nec inter se, nec ab Ecclesia dissidere: nam ex aduersariis Philippus tum in Apologia Confessionis Augustanæ, articulo secundo, tum in locis communibus, titulo de peccato originali, & Ioan. Caluinus in libr. 2. Institut. capite primo, admittunt definitionem communem peccati originalis, quod sit videlicet priuatio iustitiæ originalis: Martinus quoque Bucerus in epistola ad Roman. testatur, se non videre, in quo scholastici, quoad peccatum originis ab orthodoxa sententia varient. Et ex nostris Io. Hoff. Meisterus in iudicio de 2. artic. Confess. Augustan. & Alphonsus Viruesius in tertia Philippica vix vllam agnoscunt dissensionem in hoc articulo inter nos & sectarios. Tamen si res tota diligenter expendatur: Duo quædam in doctrina aduersariorum inuenientur, quæ longissimè distant à vera sanaque doctrina Catholicorum.

ALTERVM est, quod plurimi eorum peccatum originis non distinguunt à peccato actuali. Alterum quod ea, quæ Catholici volunt esse vulnera naturæ, infirmitates, morbos ex peccato originali relictos, vel ignorantiam, difficultatem, concupiscẽtiam, ipsi verè, & propriè peccatum originis esse velint, & in hominibus per Christum iustificatis ita manere, vt natura sua damnare possit homines, si Deus illud imputare velit. Sed priorem errorem proponamus, & breuiter refellamus.

Igitur prior error extat apud Lutherum in assertione articuli tertij, vbi dicit, impossibile esse, vt fomes sit absque actuali peccato. Et suprà in assertione secundi articuli iam dixerat, fomitem, siue concupiscentiam esse peccatum originale. Rursus in assertione eiusdem tertij articuli: *Omitto*, inquit, *dicere, quod originale peccatum, vt omnia peccata, ita & incredulitas est.* Idem etiam Lutherus in commentario secundi capitis Geneseos, dicit, peccatum originale esse incredulitatem, desperationem, & alia similia, quæ sine dubio peccata actualia sunt. Idem in af-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sertione eiusdem articuli tertij, dicit fomitem esse rem A viuam, & quæ mouetur. Et tandem addit hæc verba: *Ideo fomes vere est actuale peccatum.*

Iam verò Philippus Melanchthon in locis communibus, editis anno M. D. XXII. titulo, Quid peccatum, sic ait: *Peccatum originale est natiua propensio, & quidam genitalis impetus, & energia, qua ad peccandum trahimur propagata ab Adam in omnem posteritatem.* Et paulò pòst: *Scriptura non vocat hoc originale, illud actuale peccatum. Est enim & originale peccatum planè actualis quædam prauæ cupiditas.* Idem Philippus, cùm in confessione Augustana articulo secundo potuisset peccatum originale esse, quod homines sint sine metu, & fiducia Dei, & Catholici in refutatione Confessionis, quæ extat apud Fabricium Leodium in Harmonia Confessionis Augustanæ, obiecissent, quod esse sine metu, & fiducia Dei, sint peccata actualia: Ille non aliter respondit in Apologia, nisi Cõfessionem Germanicam allegando, in qua non solùm actus, sed etiam propensio, & dona Dei ad efficientem timorem, & fiduciam hominibus in peccato natis denegantur. Itaque non negauit, peccata actualia pertinere ad originale peccatum, sed addit aliquid amplius.

Idem etiam in eadem Apologia dicit à scholasticis extenuari peccatum originis, & inter cætera sic loquitur: *Itaque*, inquit, *cùm de peccato originis loquuntur grauiora vitia humanæ naturæ commemorant, scilicet ignorationem Dei, contemptum Dei, vacare metu, & fiducia Dei, odisse iudicium Dei, fugere Deum iudicantem, irasci Deo, desperare gratiam, habere fiduciam rerum præsentium, &c.* Sic etiam in locis communibus, editis post annum M. D. XL. non dicit quidem apertè, peccatum originis esse actualem cupiditatem, vt antea dixerat, tamen explicans quid sit concupiscentia, siue ἀταξίαν (vt ipse loquitur) omnium potentiarum, in qua constituit rationem peccati originis, dicit ad eam pertinere ignorationem Dei, dubitationes, esse sine timore, sine dilectione, amare se magis, quàm Deum, &c. At profectò negari non potest, quin contemptus Dei, odium iudicij Diuini, irasci Deo, fugere iudicantem Deum, desperare gratiam, dubitare de misericordia Dei, amare se plus quàm Deum, sint verè peccata actualia.

Martinus Kemnitius in examine, sessione 5. Concilij Tridentini, pagina 456. docet illam sententiam Scripturæ, Genes. 6. *Omne figmentum cogitationis cordis eorum tantùm malum est omni tempore.* Sic enim ipse citat, intelligendam esse de peccato originali, & pertinere etiam ad pueros, & infantes, & probat, quia Genes. 8. repetitur hæc sententia, & additur, figmentum cordis humani esse malum à pueritia, & vox Hebræa quæ significat pueritiam, dicitur etiam de infantia, & tamen in sequenti pagina explicans quid sit figmentum, quod Hebraicè dicitur יצר *etzer*. *Significat* inquit, *vel in ius animo aliquid concipere, formare, & quasi effigiare: vel foris iuxta conceptam ideam aliquid fingere, seu formare.* Et infrà: *Significat igitur, quando mens primum concipit, & format cogitationes, ipsos primos motus, conatus, seu impetus cordis, quando homo est sine Spiritu sancto, iam esse res malas.* Et pagina 458. dicit, cogitationem, quæ deliberatione confirmata est, appellari etiam יצר *etzer* in Scripturis, & allegat Isai. cap. 26. Quare Kemnitius satis apertè ad peccatum originis refert actualem cogitationem, tum primam, & indeliberatam, tum etiam deliberatione, vt ipse loquitur, confirmatam.

Sed hic error tam est crassus, vt vix refutatione indigeat. Primum enim sequitur ex eo in infantibus, præsertim in vtero matris existentibus, aut recens natis, non esse originale peccatum, quod non solùm Scripturis sanctis, sed etiam ipsorum Lutheranorum doctrinæ & confessioni repugnat. Infantes enim in vteris matrum, aut recens nati, nullum habent vsum mentis, & ideò nec Deum contemnere, neque ab eo fugere, neque illi irasci, neque gratiam desperare, neque aliquid contra Dei legem appetere, vel cogitare possunt. Et contrà, fidem & timorem Dei actu habere nó tenentur, cum isti actus vsum rationis requirant, quo infantes carent. Proinde si peccatum originale sit carere fide, & metu Dei, & ista carentia in infantibus peccatum non sit, certè sequitur infantes peccato originali etiam ante Baptismum carere.

Quod si forte Lutherani respondeant, infantes eiusmodi vsum mentis habere, & re vera prauos motus cordis in illis existere, & carentiam bonorum actuum illis imputari. Non solùm pugnabunt cum sancto Augustino, qui lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione, cap. 35. ridet quosdam Pelagianos, qui in infantibus, recens natis, actualia peccata esse dicebant, sed etiam cum ipsa experientia: experimur enim infantes recens natos vsque adeò mentis vsu destituros esse, vt nec vbi sint sentiant, & iuxta se iacentibus mammis magis possint esurientes flere, quàm fugere, quippè qui nec mammas quidem ipsas, nec aliud aliquid nôrint. Qui verò nec mammas, nec matrem agnoscunt, quomodo credibile est ab B iis Deum agnosci? & qui Deum omnino cogitare non valent, quo pacto (quæso) illum contemnere, ab illo fugere, illi irasci, gratiam eius desperare, vel de misericordia ipsius dubitare queant?

Quid quod in ipso primo instanti conceptionis incipiunt homines peccatum originis habere, & tamen in illo primo instanti, forsasse etiam aliquanto tempore pòst, non solùm non habent vsum mentis, sed ne sensum quidem.

Denique nónne Scriptura diuina paruulos ab omni actuali peccato perspicuè liberat? Siquidem scribit Apostolus ad Rom. 9. *Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali.* Loquitur autem de Iacob, & Esau, nondum natis, sed iam conceptis, & in vtero existentibus, vt ex ipso loco epistolæ eius intelligi potest. Moses quoque de paruulis dicit, in primo capite Deut. *Filij tui, qui hodie ignoram distantiam boni, & mali.* Et Dominus Ionæ quarto, dicit in Ninive fuisse plusquam centum viginti millia hominum, qui ignorabant, quid esset C inter dexteram, & sinistram suam. Qui locus à sancto Hieronymo, & aliis refertur ad ignorantiam, quæ cernitur in infantibus.

Quod si paruuli in tam profundis ignorantiæ tenebris versantur, & distantia boni, & mali, & quid inter dexteram, & sinistram ipsorum sit, ignorent, multò magis Dei iudicium, misericordiam, gratiam, & similia eos ignorare necesse est. Qui verò ista ignorant, non possunt certè iudicium Dei fugere, de misericordia dubitare, gratiam Domini desperare, atque alia eiusdem generis agere.

Respondebunt fortasse, se non ponere in paruulis actiones aliquas mentis, repugnantes legi Dei, sed tantùm mentem ipsam spoliatam originali iustitia, & pronam ad actiones legi Dei repugnantes producendas, cùm rationis vsus aduenerit. Vocâsse autem se hoc vitium actuale peccatum, non quod sit actio aliqua, sed quod sit actua- D lis, & vera pronitas, siue morbus, ac defectus re ipsa, atq; actu in homine existens, & non mera negatio, aut relatio. Sic enim videntur explicare sententiam suam Lutherus in assertione articuli tertij, & Melanchthon in locis editis anno M. D. XXII. *Verè*, inquit Lutherus, *fomes est actuale peccatum, actualis priuatio, siue defectus eius rei, quæ adesse debet & actualis positio, seu præsentia infirmitatis, & aliorum affectuum, qui deesse debent.*

At si ita sententiam suam explicet, Primo aburuntur vocabulis contra scholarum omniũ consuetudinem. Nemo enim hactenus pronitatem, vel passionem appellauit actuale peccatum.

Deinde perperam dicũt, extenuari peccatũ originis, si quis ad id peccatũ pertinere nõ velit, irasci Deo, fugere iudiciũ Dei, dubitare de misericordia, desperare gratiã, & similia: ista enim non pronitates, sed actiones sunt.

Tertio, non rectè Apologia confess. Augustanæ dicit, peccatum originis non solùm esse priuationem actuum fidei, & timoris, sed etiam donorum, quibus illi actus efficiuntur. Nam priuatio actuum fidei, & timoris actuale peccatum est: non enim solus actus malus, sed etiam omissio actus boni dicitur actuale peccatum. Proinde necessariò sequitur, aut infantes habere peccatum actuale, saltem omissionis, quod absurdissimum est, aut carere etiam originali, quod fidei Christianę contrarium esse, ne ipsi quidem aduersarij negant.

Quarto, malè Luther. in assert. art. 3. scribit, fieri nó posse, vt fomes separetur ab actu, & motu, cùm sit res viua, & quæ semper mouetur, ac gignit malos actus. Nã siid fieri nequit, certè sequitur quod anteà dicebamus, ex doctrina Lutheranorum colligi, vt infantes vel careant fomite, ac per hoc, originali peccato, vel habeant malos actus, Deum videlicet contemnendo, fugiendo, &c.

Quinto, coguntur fateri, locum illum Genes. 8. *Figmentum cordis malum à pueritia*, non pertinere ad peccatum originis, cùm per figmentum cogitationes intelligi velint. Et tamen eum locum tanquam primarium pro peccato originis allegare solent.

Habemus igitur inconstantem esse doctrinam aduersariorum, & illud absurdum eos omninò sequi, vt vel paruulos à peccato originali immunes faciant, vel naturam peccati originalis non rectè explicent.

CAPVT V.

Proponitur tertius error, qui est communis omnibus Lutheranis, & Caluinistis.

Iam tertius error est is, quem initio capitis superioris dicebamus esse alterum ex duobus, in quibus Lutherani cum Catholicis non conueniunt. Est igitur sententia communis apud sectatores, corruptionem naturæ, siue concupiscentiam, qualis remanet in hominibus post iustificationem esse peccatum ex natura sua verè ac propriè, quamuis credentibus non imputetur. Intelligunt autem per naturæ corruptionem ea, quæ Catholici vulnera naturæ appellare solent, videlicet ignorantiam, difficultatem, propensionem ad malum, & similia.

Non est autem quæstio inter nos & aduersarios, sitne humana natura grauiter deprauata per Adæ peccatum. Id enim libenter fatemur. Neque etiam quæstio est, an hęc deprauatio aliquo modo ad peccatum originale pertineat, ita vt materiale eius peccati dici possit. Idem enim S. Thom. concedit in 1. 2. q. 82. art. 1. vbi dicit, peccatum originis esse habitum corruptum, id est, languorem, & D deprauationem totius naturæ, per modum habitus se habentem, & in art. 3. dicit, concupiscentiam esse peccatum originis materialiter.

Sed tota controuersia est, vtrum corruptio naturæ, ac præsertim concupiscentia per se, & ex natura sua, qualis inuenitur etiam in baptizatis, & iustificatis, sit propriè peccatum originis. Id enim aduersarij contendunt: Catholici autem negant, quippè qui, sanata voluntate per gratiam iustificantem, docent reliquos morbos non solùm non constituere homines reos, sed neque posse constituere, cùm non habeant veram peccati rationem.

Quocirca S. Thom. quem in primis Theologi Catholici sequuntur, dixit quidem in 1. 2. q. 82. art. 1. peccatum originis esse habitum corruptum, qui non solùm contineret priuationem iustitiæ, sed etiam peruersionem omnium potentiarum: tamen in ar. 3. diuisit habitum illum in partes duas, in auersionem mentis à Deo, & rebellionem partis inferioris à superiore, & addidit in sola auersione mentis à Deo consistere propriè & formaliter peccatum originis, in rebellione autè partis inferioris, quæ fuit effectus rebellionis mentis à Deo, non consistere peccatum, nisi materialiter. A

Porrò eam, quam diximus, fuisse communem sententiam Lutheranorum, & Caluinistarum, perspicuum est ex testimoniis ipsorum, quorum pauca (exempli gratia) hoc loco subiiciemus.

Igitur Lutherus in assertione articuli secundi, cùm multa dixisset, vt probaret, concupiscentiam in baptizatis, & iustificatis esse peccatum, ita sibi ipse obiicit: *Sed quod hic mihi opponi possit, scilicet omnia quæ dicta sunt, probare non peccatum, sed defectum, seu infirmitatem in nobis relinqui post Baptismum.* Et infrà: *Verum*, inquit, *quod defectum sic appellant, vt peccatum esse negent, & non culpam, sed pœnam tantùm peccati esse velint, admittere non possum.* Et infrà: *Interim*, inquit, *fauor Dei nos suscipit, & sustinet, non imputans ad mortem, quod reliquum est peccati in nobis: licet verè peccatum sit, & imputari possit.* B

Philippus Melãchthon in locis editis posteriore tempore, titulo de peccato originis, quærit, quod sit formale in peccato originis, ac dicit, esse reatum. Deinde quærit, quod sit fundamentum huius relationis, quę dicitur reatus, ac dicit, esse vitium nobiscum nascens. *Cum*, inquit, *quæritur, quod sit formale peccati originis, rectè respondetur, reatus. Deinde verò quærendum est fundamentum huius relationis: id verò est vitium nobiscum nascens, quod est malum pugnans cum lege Dei.* Ex quibusverbis intelligimus, vitium nobiscum nascens, id est, concupiscentiam naturą sua efficere reatum, quia est malum pugnans cum lege Dei, ac per hoc natura sua esse peccatum, tametsi per Baptismum tollatur reatus, & desinat esse peccatum, non re ipsa, sed per non imputationem.

Ioannes Caluinus libro 2. Instit. cap. 1. §. 8. sic definit peccatum originis: *Hæreditaria naturæ nostræ prauitas, & corruptio, quæ primum facit reos ire Dei, tum etiam opera in nobis profert, quæ Scriptura vocat opera carnis.* Quæ definitio facilè posset cum sententia S. Thomæ, & aliorum Catholicorum conciliari, nisi continuò hæc verba Caluinus adiungeret: *Atque id est proprie quod à Paulo sæpius peccatum nominatur.* Respicit enim ad caput sextum, & septimum ad Romanos, vbi B. Apostolus concupiscentiam carnis, quam in se quoque ipse, quamuis iustificatus, & sanctus experiebatur, peccatum frequenter appellat.

Ex quo intelligimus, peccatum originis Caluino esse naturæ corruptionem, etiam posteaquam præcipua pars eius corruptionis, id est, auersio mentis à Deo, per gratiam iustificantem sublata est. Quocirca idem Caluinus libro 3. Institutionum, cap. 3. multis locis sancti Augustini prolatis contendit, omnes cupiditates esse peccata, tametsi consensus desit.

Petrus Martyr in commentario capitis 5. ad Romanos, peccatum originis ita definit: *Totius hominis naturæ deprauatio à lapsu primi parentis in posteros traducta per generationem, quæ nisi beneficium Christi succurrat, omnes inde nascentes, infinitis propè malis, & eternæ damnationi adiudicat.* Deinde docet, hanc deprauationem continere priuationem rectitudinis omnium partium, & potentiarum, & præterea quædam positiua, propensionem ad malum, naturæ impetum contra verbum Dei, & alia id genus. Denique addit: *Quæ*, inquit, *superfunt in regeneratis, ad æternam mortem non imputantur, verum quæuis res ex eo iudicari debet, quod est in seipsa. Quare si quæratur ex nobis, an sit peccatum, quod manet in regeneratis, respondebimus esse peccatum.* C

Martinus Kemnitius in examine sessionis quintæ, Concilij Tridentini, pag. 454. non solùm concupiscentiam, sed ipsam etiam molem carnis, quamuis nondum formatis organis, vult esse verè, propriéque peccatum: *Cùm igitur*, inquit, *massa embrionis in primo ardore conceptionis primum inciperet vteri calore foueri, iam erat peccato contaminata, quæ contaminatio, iuxta Dauidis confessionem, habebat veram*

Universidad de Deusto
Biblioteca

gationem peccati, cum nonaum formata essent vel mentis, vel voluntatis, vel corporis organa. Et infrà pag. 464. quærit de concupiscentia in renatis quid sit per se, ex se, & ex sua natura. Et tandem post multa respondet, pagina 468. *Non* inquit, *fingere debent renati reliquam in membris suis concupiscentiam talem esse quæ per se, etiam si remota gratia, & remissione imputatio Deus in iudicium cum illa intrare vellet, non possit hominem exosum Deo facere, & damnare: sed agnoscant quale sit malum, & gratias agant Deo, qui propter Filium mediatorem malum illud non imputat ad damnationem.* In hanc sententiam loquuntur ferè omnes alij huius temporis sectarij.

CAPVT VI.

Refutantur calumniæ, & mendacia hæreticorum.

SED placet, antequam ad refutationem huius erroris veniamus, breuiter annotare calumnias, vel mendacia, ineptias, & contradictiones, quibus aduersarij suas disputationes in hac materia, vt in aliis omnibus, exornárunt.

PRIMVS, Lutherus in libro aduersus execrabilem bullam Antichristi, disserès de tertio articulo: *De hac*, inquit, *re prè habuiter disputani, nec hodie certus sum.* Et similia dicit de quarto, & tamen post vnam paginam ita scribit: *Ego his scriptis testor, me omnia damnata per bullam istam execrabilem confiteri pro Catholicis dogmatibus.* Et iam antea initio libri sic præfatus fuerat: *Asscro, & amplector fiducià tota spiritus mei anathemas per eam damnatos, asserendè, siue pronuncio omnibus Christianis sub pœna æternæ maledictionis.*

Itaque fomitem retardare animum exeuntem à corpore, ab ingressu cœli, etiamsi nullum adsit actuale peccatum (hic enim erat articulus tertius) Lutherus habet pro Catholico dogmate, & vult haberi ab omnibus sub pœna maledictionis æternæ: & tamè adhuc incertus est, quid agatur cum tali anima, retardetur necne ab ingressu cœli, & solùm probabiliter disputat.

Idem Lutherus in assertione omnium articulorū suorum, articulo secundo, imponit S. Augustino, quod dixerit, peccatum actu transire, reatu manere. Et rursus in extrema disputatione: *Concludamus*, inquit, *cum pulcherrimo verbo Augustini Peccatum* inquit, *remittitur in Baptismo, non vt non sit, sed vt non imputetur. Ecce est & remanet peccatum, sed non imputatur.* At nusquam sic loquitur S. Augustinus, neque vnum locum adhuc notare potuerunt aduersarij, vbi S. Augustinus dicat, peccatum actu manère, non reatu, vel esse in homine, sed non imputari. Dicit quidem cōcupiscentiam manere post Baptismum, sed addit, eam non solùm non imputari, sed neque esse peccatum, nisi ratio victa illi cedat. Testimonia S. Augustini habentur libro 1. de nuptiis, & concupiscentia, cap. 25. & 27.

Philippus Melanchthon in Apologia Confessionis Augustanæ, in defensione articuli secūdi, qui est de peccato originali, grauiter queritur de Scholasticis, in hæc verba: *Hos morbos, qui maximè aduersantur legi Dei non animaduertunt Scholastici, immo tribuunt interim humanæ naturæ integras vires, ad diligendum Deum super omnia.* Et paulò pòst: *Quod si has tantas vires habet humana natura, vt per se se possit diligere Deum super omnia, vt confidenter affirmant Scholastici, quid erit peccatum originis? quorsum autē opus erit gratia Christi, si nos possimus fieri iusti propria iustitia?*

At post vnam, vel alteram pagellam oblitus sui Scholasticos contrarium sentire dicit: *Itaque* inquit, *vetus definitio: cum inquit, peccatum esse carentiam iustitiæ, detrahit non solum obedientiam inferiorum virium hominis, sed etiam detrahit notitiam Dei, fiduciam erga Deum timorem, & amorem Dei, aut certè vim istà efficiendi detrahit. Nā & ipsi Theologi in scholis tradunt istà non effici sine certis donis & auxilio gratiæ.* Non igitur Scholastici tribuunt homini post lapsum integras vires ad diligendum Deum, & iustificationem, si sentiunt ista non effici sine certis donis, & auxilio gratiæ. Idem Philippus in locis cōmunibus editis anno M.D.XXII. titulo de peccato: *Nec est* inquit, *quod de stultis illis relationibus in peccato disputemus, prauus affectus, prauusque eorum motus est contra legem Dei peccatum.* At in locis iisdem, editis posteriore tempore, titulo eodem, docet, formale peccati esse reatum, reatum esse relationem: *Recte* inquit, *eruditi sciunt, vniuersaliter formale peccati esse reatum. Sed hæc relatio alicui mala accidit, &c.* Idem etiam paulò pòst: *Monachi*, inquit, *merudite omiserunt reatum, & dixerunt formale peccati esse defectum, & hunc tolli in renatis, ac manere materiale, quod intelligebant appetitiones ipsu conditas a Deo, quæ sunt res bonæ, sed quid dicerent, non intellexerunt, &c.*

Multa sunt in his paucis verbis errata. Primum, idem Philippus, qui in locis prioribus reprehendebat Scholasticos, quod relationes, id est, reatū in peccatis agnoscerent, in locis posterioribus defendit ipse reatum, & relationes aduersus Scholasticos.

DEINDE, repugnat apertè Luthero, in cuius verba iurauerat. Lutherus enim in assertione secundi articuli, reprehendit Scholasticos, quod concupiscentiam in renatis dixerint esse defectum. Philippus verò eosdē reprehendit, quod rem eandem negauerint esse defectum.

TERTIO, mentitur euidentissimè, nisi fortè Scholasticos non legerit, & non tam quod ipsi scripserūt, quàm quod ipse de illis somniauit, confutare decreuerit. Nam Scholastici, siue monachi, adeò non omiserunt reatū, vt Scotus, & Durādus vix aliud, quàm reatum, propriè peccatum esse dixerint. Sanctus autem Thomas tametsi præter reatum, agnoscit etiam maculam, tamen reatum nullo modo omisit, vt perspicuum est ex 1 2. quæst. 81. art. 3. ad 2. vbi dicit, peccatum originis per Baptismum tolli, quoad reatum, & remanere, quoad fomitem.

DENIQVE, illud etiam est apertissimum mendacium, quod Monachi dicant, concupiscentiam in renatis non esse defectum, sed rem bonam, id est, appetitiones, vt sunt à Deo conditæ. Ista enim nulli Monachi Catholici vnquam dixerunt, sed omnes summo consensu docent, post Baptismum in renatis manere cōcupiscentiam rebellem, & repugnantem legi mentis, & hanc esse malam, & morbum, ac defectum, non tamen peccatum propriè dictum, nisi rationalis voluntas desideriis eius assensum præbeat.

Ioannes Caluinus libro 2. Institut. cap. 1. §. 9. *Frigidum*, inquit, *& stultum est, corruptelam, quæ ex peccato Adæ manet, & peccatum istud esse sensualitatem, vel ad motus sensualitatis restringere. In quo crassam inscitiam detexit Petrus Lombardus, qui sedem quærens, & inuestigans, dixit in carne esse peccatum originis. Paulo teste, non quidem propriè, sed quia in carne magis apparet.* Sed in his verbis Caluinus aut mentiri, & imponere simplicioribus voluit, aut Petrum Lombardum nō legit, vel non intellexit. Nam Petrus Lombardus nusquā peccatū originis ad motus sensualitatis restrinxit: Quin potius docuit in illis motibus consistere non posse, quia esset actuale non originale. Sic enim loquitur in secundo libro Sentent. dist. 30. littera G. *Nunc superest videre, quid sit ipsum originale peccatum. Quod cum non sit actuale, non est alius, siue motus animæ, vel corporis.* Deinde idem Petrus non quærebat sedem peccati originis, cùm dixit illud esse in carne, sed causam. Nam dist. 30. littera B. proponit quæstiones a se tractandas, & dicit esse tres. Quid sit peccatum originale, quare dicatur originale, & quomodo traducatur. Quibus postea quartam addit dist. 32. littera A. Quomodo dimittatur in Baptismo. Quænam autem sit eius sedes, nusquam proponit, nusquam tractat, sed vbique tamquam notum assumit, esse animam. Nam vt ipse dicit distinct. 31. littera C. culpa non potest esse in re irrationabili.

Itaque cùm dicit, peccatum esse in carne, non intelligit esse in carne, tamquam in sede, vel subiecto, vt Caluinus somniat, sed tanquam in causa, quia videlicet per concupiscentiam carnalem traducitur. Sic enim ipse loquitur distinct. 31. littera B. *Quia dicitur manere in carne, non quia in anima sit, sed quia per corruptionem carnis in anima sit.* Et littera D. *Caro quæ in concupiscentia libidinis seminatur, nec culpam habet, nec actum culpæ, sed causam.* Denique quidquid Petrus Lombardus dicit, id totum ex sanctis Patribus Ambrosio, & Augustino probat. Quare Caluinus dum Petrum Lombardum crassæ inscitiæ reprehendit, Ambrosium & Augustinum crassæ inscitiæ reprehendit. Sed ista tanta calumniandi, vel mentiendi libido nulli magis, quàm auctori proprio apud æquos iudices nocet.

Iam verò Petrus Martyr in commentario 5. c. ad Rom. vt se in hac re, sicut in ceteris, falsum Martyrem esse probet, scribit, sententiam illam suam de peccato originis, esse etiam S. Augustini, S. Anselmi, S. Thomæ, S. Bonauenturæ, & Scoti. Quod certè falsissimum est: nullum enim testimonium horum Doctorum proferri poterit, quo probetur, morbos, qui supersunt in regeneratis, per se esse peccata, & reos mortis æternæ facere posse. Certè sanctus Augustinus quem alij sequuti sunt, in plurimis locis, quæ postea citabuntur, contrarium disertis verbis affirmat.

Martinus Kemnitius in Examine 5. sess. Concilij Tridentini, præter illud incredibile paradoxum, siue potius Illyrici, & Maniæi delirium, quo docet, ipsum embryonem nōdum animatum habere veram, & propriam peccati rationem, omninò tragicè exagitat, quod vir doctissimus Andradius dixerat, in Concilio Tridētino non esse definitum, in quo posita esset propria ratio peccati originalis, & ideo de hac re, salua fide, adhuc in scholis liberas esse disputantium opiniones. Atque hinc idem Kemnitius colligit à Concilio Tridentino libertatem esse relictam defendendi sententias omnes, quamuis prophanas, & cum sacris Scripturis apertè pugnantes. *Ad perpetuam* (inquit pagin. 436.) *rei memoriam notum sit toti orbi Christiano, prophanam Pighij sententiam (ne quid dicam durius) in decreto Tridentino non esse vel improbatam, vel damnatam, sed relictam esse cum aliis prophanis Scholasticorum de peccato originali disputationibus sub opinandi libertate.* At si Concilium diligenter legatur, facile apparebit, & verum esse quod Andradius scripsit, & tamē prophanas omnes opiniones tum Pighij, tum aliorum, à Concilio Tridentino fuisse damnatas. Siquidem eorum, quæ ad rationem peccati originalis pertinent, quædam ad fidem Catholicam necessaria sunt, quædam sine vllo fidei detrimento ignorari possunt. Concilium ergo definiuit ea, quę prioris generis erant, vt peccatum originis non solùm morbum, sed etiam peccatum verè, propriéque dictum esse, contra errores Zuinglij: Item in homine inhærere, ac proinde non substantiam esse, sed accidens, contra Illyrici somnia. Rursus non vnum in omnibus, sed vnicuique proprium inesse, contra sententiam minus rectam Pighij, & Catharini: nec solùm in infidelium, sed etiam in fidelium filiis locum habere, contra hæresim Buceri, Martyris, & Caluini. Denique per Baptismum ita deleri, vt in recens baptizatis nihil maneat quod habeat veram peccati rationem, contra communem Lutheranorum omnium Catholicæ fidei repugnantem doctrinam.

His autem erroribus explosis atque damnatis, noluit idem Concilium subtiliores Scholasticorum quæstiones excutere, quæ salua fide, in vtramque partem disputari poterant. Nam & sciebat, quod sanctus Augustinus in libro 1. de moribus Ecclesiæ, capite 22. scriptum reliquit, nihil esse hoc peccato ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius: & vestigiis veterum Conciliorum inhærere decreuerat, quæ de mysteriis fidei, nihil aliud explicare, & sub anathematis pœna credenda tradere consueuerant, nisi quod ad fidem conseruandam, & hæreses confutandas necessarium videbatur. Atque hæc pauca de aduersariorum calumniis, & mendaciis hoc loco sufficiant.

CAPVT VII.

Refutatur ex Scripturis tertius error, qui est apud Lutheranos communis.

SEQVITVR, vt errorem Lutheranorum, & Caluinistarum quinto capite expositum Scripturæ, & Patrum testimoniis confutemus.

Asserimus igitur, Naturæ corruptionem, siue concupiscentiam, qualis remanet post Baptismum in regeneratis, non esse peccatum originis, non solùm quia non imputatur, sed etiam quia imputari non potest, cùm nullum sit ex se, vel ex natura sua peccatum.

Primum argumentum ad hanc sententiā confirmandam duci potest ab illis verbis S. Iacobi, cap. 1. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem.* Hic enim Quatuor res distingui videmus ab Apostolo, Concupiscentiam, id est, porentiam appetendi pronam ad malū, & tres eius motus, Suggestionem, Delectationem, & Consensum. Sic enim eos motus appellāt Theologi post Gregoriū hom. 16. in Euangelia, & Bedam in commentario huius loci.

Suggestio est prima illa apprehensio rei delectabilis, quæ abstrahit, & illicit animam: & siquidem trahat ad delectationem cum aliquo imperfecto consensu, sequitur secundus motus de quo dicit Iacobus, Concupiscentia cùm conceperit, id est, cùm illexerit, parit peccatum. Denique si suggestio adiuncta delectatione, trahat ad perfectum consensum, existit tertius motus, de quo dicit Apostolus: Peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem. Non enim per consummatum peccatum intelligi debet solùm peccatum operis, sed quodcunque peccatum, cui plenus accesserit voluntatis assensus. Nam dubitari non potest, quin desiderium adulterij, si voluntarium sit, generet mortem, cùm Dominus dicat Matthæi 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam iam mœchatus est eam in corde suo.* Et eadem est ratio de aliis similibus.

Iam igitur concupiscētiam, id est, porentiam pronam, & primum eius motum non appellat B. Iacobus peccatum: Parrum imperfectum, hoc est, delectationem non plenè deliberatam peccatum vocat, sed non mortale: Denique partum perfectum, hoc est, desiderium cum pleno consensu, peccatum planè mortale esse definit.

Caluinus lib. 3. Institut. cap. 3. §. 13. & Beza in annotationibus ad hunc locum, respondent, beatum Iacobum illis verbis, *parit peccatum*, loqui de peccatis operum, siue actualibus: non autem sequi, vt cōcupiscentia, siue concupiscere nullum sit peccatum, quamuis peccatum operis, vel actuale non sit.

AT contra hanc eorum explicationem pugnant primùm verba sequentia: *Peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Nam peccatum operis, ordinariè plenè deliberatum esse solet, & consummatum ab omnibus dicitur. Cur ergo beatus Iacobus peccatum operis distinxit à peccato consummato, dicens: *Peccatum autem cùm consummatum fuerit, generat mortem?*

Respondet Caluinus, peccatum consummatum apud Iacobū dici totū cursum hominis peccatoris, quo finito nihil restat, nisi suppliciū mortis æternæ. At Iacobus nō loquitur de toto cursu peccatoris, ideò, de omnib. peccatis simul, sed de singulis peccatis, vt perspicuū est ex illis verbis: *Nemo cum tentatur dicat, quoniam a Deo tentatur.* Hic em̄ sine dubio loquitur de tētatione particulari, quæ certo tēpore in homine existit. Id nāq; significat illud, *cum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et de hac eadem loquitur, cùm subiungit: *Vnusquisque vero tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.* Iubet enim sanctus Iacobus, vt cùm exsurgit aliqua tentatio, nemo illam referat in Deum, sed in carnem suam. Ac de illa ipsa particulari tentatione subiungit, quod peccatum pariat, & de illo eodem peccato affirmat, quod cùm consummatum fuerit, generat mortem. Quia verò satis constat, non quodlibet peccatum, quamuis perfectum, & consummatum, perducere continuò, ac re ipsa ad mortem æternã, quæ est in alia vita: sequitur, vt loquatur Apostolus de morte animæ, quæ fit in hac vita, cùm gratia Domini anima destituitur. Peccatũ igitur generans mortem, est quodlibet peccatum mortale, siue sit operis, sixe linguæ, siue desiderij.

Deinde nulla est ratio cur peccatũ absolutè positum, cùm dicitur: *Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum:* Caluinus restringi velit ad peccatum operis. Nam cùm peccatum oris, vt blasphemia, vel periurium, & cordis, vt desiderium voluntarium coniugis alienæ, non minus peccatum sit, nec minus prohibeatur in Decalogo quàm furtum, vel aliud peccatum operis, quo iure vocabulum peccati, absolutè positum, ad solùm operis peccatum restringi poterit? peccatum igitur, quod concupiscentia parit, est omne peccatum actuale, siue cordis, siue oris, siue operis, sed illud, si plenum habeat consensum voluntatis, consummatum, & mortale dicitur, sin autem, imperfectum, & veniale nominatur.

Dicent fortasse, si peccatum, quod concupiscentia parit, est peccatum actuale, quid prohibet cur ipsa concupiscentia non sit etiam verum peccatum, si non actuale, saltem originale?

At cùm aduersarij dicunt, concupiscentiam esse peccatum, vel loquuntur de primo eius motu, qui dicitur à Patribus suggestio, vel de pronitate potentiæ concupiscibilis ad malum: si de suggestione loquuntur, illa non potest dici peccatum originale, quia est actio quædam, & proinde si peccatum esset, actuale esset. Et iam ostendimus eam peccatum actuale non esse.

Si loquuntur de pronitate, eadem ratione probatur, eam nullum esse peccatum. Nam si pronitas illa peccatum esset, siue actuale, siue originale, ideo nimirum esset, quia pugnare videtur cum lege Dei, vt aduersarij dicunt, ac præsertim Caluinus libro tertio Institut. ca. 3. §. 10. & Kemnitius in Examine 5. sess. Cõcilij Tridentini, pa. 454. at si pronitas peccatum esset, quia pugnare videtur cum lege Dei, multò magis actus eius, quamuis omninò inuoluntarius, esset peccatum, cùm magis pugnat cum lege actus, quàm pronitas ad actum. Habemus autem ex doctrina Apostoli, actum concupiscentiæ omninò inuoluntarium nullum esse peccatum, vt suprà ostendimus: efficitur igitur vt concupiscentia ipsa, id est, pronitas ad actum malum, nullũ sit omninò peccatum. Et confirmatur hęc nostra explicatio testimonij Apostolici ex Augustino, Cyrillo, & Beda, vt alios Patres interim omittamus.

S. Augustinus libr. sexto aduersus Iulianum, cap. 5. *Sed* inquit, *cùm dicit Apostolus Iacobus, vnusquisq; tentatur à concupiscentia sua, abstractus, & illectus: Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum: profectò in his verbis partus à pariente discernitur. Pariens enim est concupiscentia, partus peccatum. Sed concupiscentia non parit, nisi conceperit, non concipit, nisi illexerit, hoc est, ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis assensum.*

S. Cyrillus lib. 4. in Ioan. c. 51. *Voluptas quædam,* inquit, *ante omne peccatũ præcurrit, & feruens cupiditas ad delicta solet allicere, quæ ante peccandi actũ insidet, & mẽtis consensum arripit, persuadens facile hac via veniendum esse quo gliscimus. Quod verum Christi discipulus ostendit, dicens: Nemo qui tentatur, dicat à Deo se tentari, neminẽ enim Deus tentat. Sed vnusquisque à sua cupiditate abstractus, atq; seductus stẽtatur. Cupiditas deinde postquã conceperit, parit peccatum, porro consummatio mortem generat.*

Certè si ante omne peccatum voluptas quædam præcurrit, etsi cupiditas ad malum alliciens, ante peccandi actum insidet: non est veri nominis peccatum ipsa titillatio, & incitatio, etiam cum delectatione coniuncta, nisi aliquo modo consensum mentis obtineat. Quod si titillatio, quæ actus quidam est, peccatum non est, multò, minùs pronitas ad eum actum, peccatum esse poterit.

Beda in commentario huius loci distinguit suggestionem à delectatione, & delectationem à consensu: ac dicit, solam suggestionem, nisi trahat ad delectationẽ non solum non parere peccatum, sed è contrario parere coronam vitæ, iuxta verbum eiusdem Apostoli in eodẽ loco: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.*

Secundum argumentum principale sumitur ex ca. 7. epist. ad Rom. vbi B. Paulus sic loquitur: *Nunc autem non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Scio enim quia non habitat in me, id est, in carne mea bonum.* His enim verbis satis apertè docet Apostolus, concupiscentiam in homine iustificato non esse propriè peccatum, quod reum facere possit. Nam primùm dicit, motum concupiscentiæ non esse suum opus, ac per hoc non posse sibi imputari. Quo enim iure mihi imputari possit, quod meũ non est? Deinde addit eiusmodi malum non esse in se, sed in carne sua. Constat autem carnem non esse capacem peccati propriè dicti.

Sed Contra obiiciunt Caluinus lib. 2. Instit. ca. 1. §. 9. & ca. 2. §. vlt. & Beza in annotationibus ad 7. caput epistolæ ad Romanos, in hoc septimo capite epistolæ ad Romanos, carnem accipi pro toto homine, qualis est secundùm naturam corruptam. Quod probat Beza in annotationibus ad hunc locum, quia B. Paulus inter corruptissimas partes mentem numerat. 1. ad Tim. 6. & alibi. & ad Ephes. 4 iubet renouari spiritum mentis nostræ.

Respondeo, in multis locis diuinæ Scripturæ sine dubio per carnem intelligi omnes potentias tum inferiores, tum superiores per peccatum corruptas. Vnde etiam videmus ad Gal. 5. inter opera carnis hæreses numerari. Itaque non negamus etiam mentem per peccatum fuisse corruptam. Cæterùm in 7. ca. ad Rom. negamus, carnem sumi pro toto homine, atque asserimus, accipi pro altera parte tantùm, quæ vires inferiores complectitur. Nam in primis si per carnem intelligeretur totus homo, non verè diceret Paulus: *Non ego operor illud.* Quomodo enim non ipse operatur, quod eius caro, & animus, hoc est, ipse totus operatur? Sin autem reluctante ratione, quæ est potissima hominis pars, sola pars inferior operetur, verè dici potest, *Non ego operor illud.*

Deinde cum Apostolus dicit: *Scio, quia non habitat in me, id est, in carne mea bonum.* Quorsum attinet illa correctio, *in me id est, in carne mea:* Si in toto homine est illud malum, de quo loquitur? Tertio, nonne Apostolus distertis verbis distinguit carnem à mente, id est, vnam partem hominis ab altera, cùm dicit: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ? & ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati?*

At (inquit Beza) Mens non consideratur ab Apostolo simpliciter, vt aduersarij faciunt, sed vt opponitur membris, quia legi Dei consentit, quod in solis regeneratis accidit. Itaque vult, mẽtem accipi hoc loco pro mente renouata per gratiam, quæ opponitur membris, id est, toti homini, qualis est ex se, siue ex corruptione naturæ, & probat, quia ad Colossen. 2. vbi nos legimus: *Inflati sensu carnis suæ,* Græcè pro sensu est νὸς, id est, mens. & ad Romanos octauo eadem mẽs carnis dicitur φρόνημα σαρκὸς, id est, prouidentia carnis.

Sed hæc obiectio nihil concludit. Admittimus enim, mentem considerari à Paulo, vt renouatam per gratiam, & nos eodem modo illam consideramus: negamus autem illam opponi toti homini. Consequens enim est, vt mentem renouatam opponat parti non renouatæ, ideſt, carni,

carni, cuius redemptionem adhuc expectamus.

Et confirmatur Quarto, quia quod Apostolus hîc dixit in carne sua esse malum, clarius dixit, ad Romanos sexto, in corpore mortali ad malum esse, & in hoc ipso ca. 7. *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Per corpus autem mortale certum est, non posse intelligi omnes partes hominis, sed alteram tantùm.

Quinto, quia quod dicit: *Mente fermo legi Dei,* paulò antè dixit: *Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem.* Intelligimus autem ex ca. 4. posterioris ad Corint. exteriorem hominem esse corpus corruptibile, interiorem autem esse animam rationalem: *Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur is, qui intus est, renouatur de die in diem.*

Sexto, quia tametsi caro interdum accipiatur pro toto homine, tamen cum caro dicitur, in malam partem, non vsurpatur hæc vox in Scripturis, nisi cùm agitur de impiis, quorum animus carni obedit, vt Genes. 6. *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est.* Ioann. 4. *Quod natum est ex carne, caro est.* Ad Galat. 5. *Opera carnis sunt fornicatio, &c.* 1. ad Corint. 15. *Caro & sanguis regnum Dei non possidebit.* Et in illis etiam locis agitur de impiis, in quibus mens, vel prudentia tribuitur carni, quæ loca Beza citauerat. Iustificati autem, quia carnis desideriis fortiter resistunt, non solum non dicuntur caro, sed etiam dicuntur in carne non esse, vt patet ex capite octauo ad Romanos. Quare cùm in toto capite septimo loquatur Apostolus de se, aliisque iustificatis, sine dubio per carnem non intelligit totum hominem, sed tantùm partem hominis inferiorem.

Accedat auctoritas sancti Augustini, qui passim ita exponit hæc loca, ac præsertim in primo libro contra duas epistolas Pelagianorum, capite decimo, & toto primo libro de nuptiis, & concupiscentia, in quo libro capite sexto sic loquitur: *Ibi homo primùs Dei lege trãsgressus, aliam legem repugnantem suæ menti habere cœpit in membris, & inobedientiæ suæ malum sensit, quando sibi retributam dignissimè inobedientiam suæ carnis inuenit.*

Adde Vltimo quod etiam si cogeremur nomine carnis intelligere omnes animæ potentias etiam in septimo ad Romanos, tamen omninò dicẽdum esset, nomen carnis in iustificatis pertinere ad voluntatem, siue mentem, nisi quoad primos quosdam motus indeliberatos. Nam aperrimè opponit Apostolus consensum voluntatis desideriis carnis. Itaque etiam hoc modo concupiscentia non haberet sedem nisi in parte animæ, quæ non est capax peccati propriè dicti. Nam nec pars inferior, nec superior, vt præuenit suo motu iudicium rationis, peccati propriè dicti capax est. Ibi enim tantùm peccatum propriè dictum esse potest, vbi iustitia propriè dicta esse potest, non potest autem iustitia propriè dicta esse in parte inferiore, vel in superiore, vt præuenit iudicium rationis, igitur nec peccatum propriè dictum.

Tertium argumentum duci potest à testimonio beati Pauli in epistola ad Romanos capite octauo, vbi sic loquitur: *Nihil ergo damnationis est in iis, qui sunt in* CHRISTO IESV. Quo loco, cùm in sexto & septimo capite multa dixisset de concupiscentia, quam modò peccatum per metonymiam, modò legem membrorum appellauerat, tandem concludit, nihil esse timendum iustificatis in CHRISTO, etsi concupiscentiam illam adhuc sentiant in membris, repugnantem legi mẽtis. Nec tam significat, nullam esse condemnationẽ iustificatis in CHRISTO ob concupiscentiam, quàm nihil esse in eis condemnatione dignum, siue nullam esse causam condemnationis. Quod enim nondum essent actu, ac re ipsa condemnati, perspicuum erat, quia sententia damnationis non fertur, nisi post hanc vitam. Habemus igitur ex hoc loco, concupiscentiam, qualis remanet in renatis, non esse peccatum ex natura sua.

Respondent communiter aduersarij, Lutherus, Caluinus, Kemnitius, & cæteri, Apostolũ dixisse, nihil damnationis esse renatis ob concupiscentiam, non quod ea non sit damnatione digna, sed quod eius reatum Deus dimiserit in Baptismo.

At hæc responsio multis de caussis non est solida. PRIMVM enim si verè crederent aduersarij, reatum dimitti in Baptismo, fateri deberent consequenter, nihil esse in renatis, quod habeat veram peccati rationem. Siquidem reatus, & sancti Augustini testimonio, & ipsorum confessione est id, quod propriè dicitur peccatum. Sic enim loquitur sanctus Augustinus libro primo de nuptiis, & concupiscentia cap. 26. *Hoc est, non habere peccatum, reum non esse peccati.* Et Philippus in locis communibus, vt suprà citauimus tit de peccato, docuit, formale peccati esse reatum. Quod idem indicat Caluinus lib. 3. Instit. cap. 3. §. 11. cùm dicit, remisso reatu manere in homine peccati materiam. At certè sublata rei forma, non manet eius rei ratio, siue natura, cùm forma sit præcipua pars naturalis, immò ipsa ratio, & quidditas rei.

DEINDE, reatus est omninò inseparabilis ab eo, quod natura sua est dignum æterna damnatione, qualem esse volunt concupiscẽtiam aduersarij. Nam reatus, qui ab Augustino dicitur peccatum, & à Philippo formale peccati non est sola ordinatio ad pœnam: hęc enim est bona, & à Deo: sed est dignitas, siue meritum pœnæ, vt etiam sanctus Augustinus appellat: *Nemo nescitur* (inquit in Psalmum quinquagesimum) *nisi trahens pœnam, trahens meritum pœnæ.* Porrò iste reatus, vt rectè docet Philippus loco notato, est relatio, cuius proximum fundamentum est actus malus, siue iniquitas. Non potest autem relatio à fundamento proximo separari, quia ex ipso fundamento naturaliter, & necessariò sequitur. Neque enim fieri potest, vt qui genuit filium, non sit eius pater, & qui genitus est ab alio, non sit eius filius, quia posita generatione, quæ est fundamentum, necessariò consequitur in generante paternitas, in genito filiatio. Eodem modo quia scelus, exempli caussa, homicidij, fundamentum est reatus, fieri non potest, vt qui homicidium fecit, non sit reus, ideſt, dignus pœna, etiamsi fortè Iudex nolit illum punire, ac tunc præsertim separari non potest reatus à scelere, cùm adhuc manet actus, vel desiderium homicidij.

Iam igitur si concupiscentia, etiam in renatis, esset natura sua res digna morte sempiterna, vt aduersarij communiter docent, & (vt Philippus fatetur) fundamentum proximum eius relationis, quæ dicitur reatus, certè ab ea reatus seiungi nullo modo posset. Quomodo enim separari potest reatus, ideſt, dignitas, & meritum pœnæ ab ea re, quæ natura sua est digna pœna & meretur pœnam? Ergo si B. Paulus per damnationem intelligit reatum, eundẽ rer sequitur, vt vel falsum sit Apostoli testimonium, vel sit verum quod nos dicimus, concupiscentiam in renatis natura sua non esse rem dignam pœna, nec habere veram, ac propriam peccati rationem.

Tertio etiam si concederemus, fieri posse, vt concupiscentia esset res digna morte sempiterna, & tamen ab ea tolleretur reatus: tamen certum est ex Scripturis diuinis, Deum nunquam remittere reatum dum manet eius fundamentum. Nam *iudicium Dei secundùm veritatem est* „ ad Rom. 2. Et: *Odio habet Deus omnes qui operantur iniquitatem, & perdit omnes qui loquuntur mendacium.* Psalm. 5. Et: *Odio est Deo impius, & impietas eius.* Sap. 14. Denique Ezechielis decimo octauo demonstrat Deus æquas esse vias suas, quia manente iniquitate punit, remota illa ignoscit. Quare si re vera concupiscentia in renatis (vt aduersarij volunt) esset iniquitas digna morte sempiterna, numquam Apostolus dixisset: *Nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in* CHRISTO IESV. Neque enim tam citò oblitus fuisset eius, quod antea dixerat, iudicium Dei secundùm veritatem esse.

Quarto,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quarto,illa particula, *ergo*, cum Apostolus dicit: *Nihil ergo damnationis est,&c.*significat,eam sententiã deduci ex superioribus verbis. In superioribus autẽ verbis non dixerat beatus Paulus, Deum non imputare concupiscentiam,aut condonare eius reatum, sed ostenderat motus concupiscentiæ inuoluntarios non esse peccata, nec posse homini imputari.Id enim significat (vt suprà diximus) illud ad Romanos septimo: *Non enim quod volo bonum,hoc ago,sed quod odi malum,illud facio. Si autem quod odi malum,illud facio,iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.*Nam si verè dici potest(vt sine dubio potest) de motu concupiscentiæ inuoluntario, non ego operor illum,profectò nobis imputari non potest eiusmodi motus,quippe cuius nos auctores non sumus, & qui sit in nobis,sed non à nobis. Quod si motus ille nobis imputari nequit,multò minùs (vt suprà diximus) pronitas ad eum motum nobis imputari poterit.Quoniam igitur per Baptismum non solùm habemus remissionem omnium peccatorum,sed etiam gratiam,qua legi carnis fortiter ac B strenuè resistamus,& ideo concupiscentia in renatis non habet culpæ,sed pœnæ tantùm,& ægritudinis rationem, ideo beatus Paulus air: *Nihil ergo damnationis est iis qui sunt in* CHRISTO IESV. Et subiungit rationem similem superiori: *Qui*, inquit, *non secundùm carnem ambulant.*

Ex iis reiicitur etiam responsio Illyrici, qui cùm videret,quod Lutherus,Philippus,Caluinus dixerant de reatu remisso,non satis esse firmum, addit aliam responsionem in Apologia pro Confessione Antuerpien. capite tertio,quod videlicet, Nihil damnationis sit iis, qui sunt in CHRISTO, non simpliciter, & per se, sed per accidens, accidente videlicet assidua petitione remissionis peccatorum,tum actualium,tum etiam ipsius concupiscentiæ.Quæ responsio Illyrici absurdissima est.Nam nec pro remissione concupiscentiæ orare debent renati, vt sanctus Augustinus disertis verbis docet libro primo, capite decimo tertio, contra duas epistolas Pelagianorum,in epistola 200.ad Asellicum, & in libro de perfectione iustitiæ:nec admitti sine impietate potest, quod C Apostoli sententia non sit vera simpliciter, & per se, sed tantùm per accidens,Inde enim sequeretur, vt simpliciter,& per se falsa esset.

Sed accedit præterea ratio illa quarta, quam attulimus contra Lutheri,Philippi,& Caluini explicationem. Nam quemadmodum Apostolus illam conclusionem, *Nihil ergo damnationis,&c* non deduxit ex eo,quod cõcupiscentia non imputetur,ita eriã non deduxit ex eo quod peccatibus remittatur, sed ex eo,quod resistente voluntate per gratiam Dei iustificata motibus concupiscentiæ, motus illi nostri non sint,nec nobis imputari possint.

Quartum argumentum principale, sumitur ab historestimonii. Scripturarum,quæ docent,per Baptismum fieri veram peccatorum remissionem,ita vt nõ solùm condonetur debitum pœnæ, sed etiam maculæ ablnantur, putgentur,deleantur,tollantur,&c.Sed quoniam totum D hoc argumentum fusè tractauimus in secundo tomo de Sacramentis,libro primo de Baptismo,ca.13.ideo superuacaneum duximus hoc loco illud repetere.

CAPVT VIII.

Refellitur idem error ex testimoniis sanctorum Patrum.

ACCEDANT secundo loco testimonia veterum patrum,quæ ita in hac parte causæ nostræ fauent, vt id Caluinus facere coactus fuerit.Sic enim scribit libro 3.Inst.ca. 3.§.10.*Neque opus est multum inuestigando laborare,quia iste veteres sentiant, quando vnus Augustinus sufficere ad id potest,qui fideliter magnaque diligentia omnium sententias collegit.Ex illo igitur sumant Lectores si quid de sensu antiquitatis habere certi volunt, Porrò inter illum & nos hoc discrimen est,quod ipse quidem concupiscentiæ morbum peccatum ve-* A *care non audet,sed ad illum designandum infirmitatis nomine contentus,tum demum fieri peccatum docet,vbi vel opus,vel consensus accedit,Nos autem illud ipsum pro peccato habemus, quod aliqua omnino cupiditate homo titillatur.*

Quia tamen Lutherus,Kemnitius,& ipse etiam Caluinus errorem suum stabiliendum.Patrum testimoniis, ac potissimùm sancti Augustini, non minùs in hac controuersia,quàm in cæteris abuntur,operæpretium esse duxi,aliquot Patrum,tum Græcorum, tum Latinorum testimonia producere.

Primus ex Græcis sit sanctus Methodius, qui apud Epiphaniũ in hæresi Origenis, quæ est numero sexagesima quarta docet, concupiscentiam in nobis relictam esse ad agonem, vt per eam probemur, tanquam aurum in fornace.Constat autem aurum in fornace nullo modo inquinari, sed purgari.Addit etiam motus concupiscentiæ forinsecus contra nos instare. Ex quo intelligimus, eos nobis imputari non posse, cùm nostri non sint. Denique hortatur ad resistendum illis, ne fortè ob negligentiam capiamur,quasi dicat,nos capi non posse,ac per hoc nec peccare,nisi velimus:*Confidenter*,inquit,*ipsis*(scil. concupiscentias videlicet) *depellere oportet. Quò enim admittamur in regnum cœlorum per omnes voluptates,ac tristitias probati,si non immutati fuerimus,sed vbique velut aurum incorruptum, per ignem examinati à propria virtute non discesserimus, contingit hoc, vt à multis mens nostra infestetur.* Et infrà: *Vides*, inquit, *quod cogitationes propter inhabitans in nobis peccatum, forinsecus nobis instant,velut canes rabiosi,aut feri, aut audentes latrones,contra nos semper instigati à tyranno,ac principe iniquitatis probãtes nos an resistere ipsis possimus,& acie contra insurgere. Age igitur ô anima, fortiter resiste,ne forte remittens capiaris.*

Sanctus Basilius in libro de virginitate, vltra medium:*Naturalis*, inquit, *appetitus ad gulositatem, aut scortationem corpus titillat.* Et in lib.constitutionum Monasticarum,capite secundo,copiosè de hoc argumento disserẽs, docet,omnes carnis affectus esse naturales, & si quando in iis peccatur, totum esse ex negligentia animæ præ- C sidentis. Eumdem carnis affectum comparat equo pingui ac robusto,qui si forte sessorem deiiciat,non ipse accusandus est, sed is, qui habenas regebat. Certè si affectus carnis sunt naturales, non erit peccatum illos habere:sed eos non regere,vt oportet,eisque cedere,atque succumbere. Dicuntur autem à S. Basilio naturales immoderati concupiscentiæ motus, non quod fuerint natura nostra ante peccatum,vel quasi non sint pœna peccati,sed quia futuri fuissent in natura nostra, nisi Deus eam supernaturali dono iustitiæ originalis ornãsset: Et iam dono illo per peccatũ amisso, natura nostra ad eum statum redierit,in quo futura fuisset, si in puris naturalibus condita esset.

Sanctus Ioannes Chrysostomus homil.19.ad populum Antiochenum, vltra medium:*Nisi consuetudinem*,inquit,*vincamus,quomodo concupiscentiam vincemus, cuius radix habet à natura principium? Concupiscere enim naturales at male concupiscere iam est voluntatis.* Idem homil.17.in Matthæum:*Non simpliciter*,inquit,*dixit,qui concupierit, sed qui viderit mulierem ad concupiscendam,id est,qui concupiscentiam sibi conscierit,quia, nullo omnino cogente quiescenti cogitationem feram,sibiin immiserit. Hoc enim non iam naturæ est, sed propriæ desidiæ.* Idem homilia decimatertia in epistolam ad Romanos,*Ipsa*, inquit, *passiones in se peccatum non sunt, effrenata verò ipsarum immoderantia peccatum operata est. Et vt exempli gratia, vnam illarum tractem, concupiscentia quidem peccatum non est, quando verò egressa modum foras eruperit, tunc demum adulterium fit,non à concupiscentia,sed à nimio, & illicito luxu.* Istum autem nimium & illicitum luxum à voluntate habere,vt peccatum sit, docet Chrysostomus paulò pòst, exponens illud: Non quod volo bonum hoc ago: *Quæcunque*, inquit, *culpa esse potest, ea omnis voluntatis est.*

Auctor

Auctor operis imperfecti in Matthæum, exponens illa verba capitis quinti: *Qui viderit mulierem,ad concupiscendum eam*,homilia duodecima apertè docet, præceptum: *Non concupisces* non esse datum carni,sed animæ rationali,ac propterea sola carne concupiscere, ratione videlicet reluctante,nullum esse peccatum: *Non mandat*, inquit,*carni quæ mandat. Quis enim sapiens illi ponit præceptum, qui,etsi vult,non potest obaudire? sed animam alloquitur, & animæ mandat,&c.*

Sanctus Cyrillus libro quarto in Ioannem,ca.51. circa medium: *Voluptas quædam*, inquit, *ante omne peccatum præcurrit,&c.*Vide hunc locum supra citatũ,ca.superiore.

Ex Latinis sanctus Cyprianus (vel quicunque est auctor)in sermone de ablutione pedum: *Sic*, inquit, *abluit, quos paternalis labes infecerat,vt nec actualis, nec originalis macula post ablutionem illam vllæ sui vestigia derelinquat.*

Sanctus Hilarius in Psalmum centesimum decimum octauum, exponens versiculum vigesimum nonum: *Viam iniquitatis amoue à me*,satis apertè distinguit concupiscentiam à peccato, eamque non peccatum, sed viam ad peccatum esse docet:*Promptum* inquit,*fuerat dicere, iniquitatem amoue à me. Sed licet infirmitatis suæ conscius, cum meminerit in corpore suo viam inesse peccandi, tamen per timorem Dei à perpetratione peccati omnis alienus est. Viam igitur peccati,qua ad peccatum pergere promptum est,amoueri à se deprecatur.id est,omnia corporalium voluptatum desideria auferri, nec tentationem aliquam concupiscentiæ,aut ignorantiæ, qua tanquam per viam ad peccatum iter ingruere.*

Sanctus Ambrosius libro primo de officiis, capite vigesimo primo:*Non mediocre*,inquit,*est mitigare iracundiam non inferre,quam omnino non commoueri. Hoc nostrum est, naturæ illud. Illæ denique commotiones in pueris innoxiæ sunt, quæ plus habent gratiæ,quàm amaritudinis.* Idem in Psal. 4. exponens illud:*Irascimini,& nolite peccare.Si irascimini*, inquit, *nolite peccare,sed vincite ratione iracundiam.* Idem in libro de Sacramento regenerationis, vt citat sanctus Augustinus li.2.in Iulianum:*Beata* inquit,*mors,quæ nos peccato eripit, vt reformet Deo, Nunquid natura sine iustificatur à peccato aliquis? non vtique,quoniam qui peccato moritur, in peccato manet, ille autem iustificatur à peccato,cui per Baptismum peccata remittuntur omnia.* Errant igitur Lutherani, qui concupiscentiæ peccatum affirmant non posse tolli de medio,nisi per mortem.

S.Hieronymus in epistola ad Oceanum:*Quomodo*, inquit,*iustificati sumus,& sanctificati,si peccatum aliquod in nobis relinquitur?*

S.Prosper libro tertio de vita contemplativa, capit.4. *Peccatum*,inquit,*perpetrare non possum, nisi malæ delectationi consentiam.*

S.Gregorius libro nono, epistola trigesima nona, ad Theotistam patritiam,multis argumentis probat peccata omnia radicitùs in Baptismate extirpari:*Si qui sunt*, inquit, *qui dicunt,peccata in Baptismate superficie tenus diminui, quid est hac prædicatione infidelius,in qua ipsum fides Sacramentum festimani soluere? in quo principaliter ad cœlestis munditiæ mysterium anima ligatur,vt absoluta radicitùs à peccatis omnibus soli illi inhæreat,de quo Psalmista ait, Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Et infrà:*Totus mundus dici non potest,cui de peccato aliquid remansit:Sed nemo resistit voci veritatis,quæ ait, qui lotus est,mundus est totus:nihil ergo ei de peccati sui contagione remanet,quem totum fatetur mundum ipse,qui redemit.*

Sanctus Bernardus in serm.de sex tribulationib. *Peccatum*,inquit,*in foribus est,nisi ipse aperias non intrabit appetitus in cordis prurit,sed nisi sponte cesseris,nihil nocebit:consensum cohibe,ne præualeant hæc, & immaculatus eris.* Idem in serm. 56.in Cantica:*Cura*,inquit,*concupiscentiæ totis resistere viribus,vt non pertrahat in consensum,& omnis deinceps malignitatis machina euanescit. Nec est omnino quod sponsum prohibeat appropinquare tibi præter solum parietem corporis.*

Vltimo loco sanctus Augustinus accedat, quem præter cæteros patronum se habere iactant, Lutherus in assertione articuli secundi,Philippus in Apologia Confessionis Augustanæ,& alij. Porrò sanctus Augustinus non modò nusquam disertis verbis dicit, concupiscentiam propriè esse peccatum:sed etiam contrarium affirmat in omnibus tomis operum suorum.

Tomo 1.lib.2.de Genesi contra Manichæos, cap. 14. *Aliquando*,inquit,*ratio virtutis etiam eommotam cupiditatem refrenat,atque compescit. Quod cùm fit nõ habemur in peccatum, sed cum aliquam talem tentationem coronamur.* Idem lib. 1.Retract. ca.15.*Hoc peccatum,de quo sic est loquutus Apostolus,sæpe peccatum vocatur,quia peccato factum est,& pœna peccati est. Quandoquidem de concupiscentia carnis dicitur.*

Tom.2.in epist.200.ad Asellicum:*Quamuis insint, dum sumus in corpore mortis huius desideria peccati si nullo eorum adhiberemus assensum, non esset vnde diceremus Patri nostro, qui est in cœlis,Dimitte nobis debita nostra.* Et Lutherus tamen in assertione art.2.ex oratione dominica ducit argumentum ad probandum, concupiscentiam in renatis esse verè, propriéque peccatum.

Tom.3.lib.14.de Trinitate, cap:17. *Quemadmodum aliud est carere febribus,aliud ab infirmitate,qua febribus facta est reualescere:itémque aliud est infixum telum de corpore demere, aliud vulnus quod eo factum est,secunda curatione sanare:ita prima curatio est,causam remouere languoris, quod per omnium fit indulgentiam peccatorum.Secunda ipsum sanare languorem,quod fit paulatim proficiendo in renouatione huius imaginis: Quæ duo demonstrantur in Psalmo,vbi legitur: Qui propitiatur tibi omnibus iniquitatibus tuis,quod fit in Baptismo.* Deinde sequitur: *Qui sanat omnes languores tuos.quod fit quotidianis accessibus,cùm hæc imago renouatur.*

Tom.4.in libr.de continentia,cap. 7. *Languorem istum culpa meruit,natura nõ habuit: quam sane culpam per lauacrum regenerationis Dei gratia fidelibus iam remisit, sed sub eiusdem medici manibus adhuc natura cum suo languore confligit.* Et infrà: *Propitius sit iniquitatibus,cum peccata dimittit:sanat languores,cum desideria prauacompescit:propitius sit iniquitatibus,dando indulgentiam:sanat languores dando continentiam. Illud factum est in Baptismo confitentibus,hoc fit in agone certantibus.*

Tom.5.de Ciuitate Dei,cap.25. *Illa concupiscentialis inobedientia quanto magis absque culpa est in corpore non consentiente,si absque culpa est in corpore dormiente?* Item libro 20. ca.26.*Excepto vno mediatore, & post lauacrum regenerationis quibuscunque adhuc paruulis,nemo mundus à sorde, sicut scriptum est,nec infans,cuius est vita vnius diei super terram.* Comparat hoc loco sanctus Augustinus paruulos recens natos cum ipso Christo,quoad munditiam à sorde peccati.Quæ sane comparatio impia esset, si in paruulis baptizatis adhuc esset,vt Lutherani volunt,sordes vera peccati, quæ tametsi eis non imputaretur,tamen imputari posset.

Tom.6.in libro de bono coniugali,capite 11.*Opus nuptiarum ab omni crimine defendit Apostolus dicendo: Et si acceperis vxorem non peccasti.* At Lutherus in affertione secundi articuli in vltimis verbis, contendit libidinem ineuitabilem sanctorum parentum,dum generant, verum esse peccatum.

Tom.7.libro primo contra duas epistolas Pelagianorum,ca.10. *Nulla ergo damnatio est iis, qui sunt in Christo Iesu.Non enim damnatur, nisi qui concupiscentiæ carnis consentit ad malum.*Et cap. 13.*Dicimus Baptismo dare omnium indulgentiam peccatorũ,& auferre crimina,non radere,nec vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur,quasi rasorum in capite capillorum,vnde crescant iterum resecanda peccata. Sed de ista concupiscentia carnis falli eos credo,vel fallere,cum qua necesse est vt baptizatus,& hoc si diligentissimè proficit,& spiritu Dei agitur,pia mente confligat.Sed hæc etiamsi vocatur peccatum,non vtique quia peccatum est,sed quia peccato facta est,sic vocatur sicut Scriptura manus cuiusque dicitur, quod manus eam fecerit.* Idem repetit libro primo de nuptiis, & concupiscentia, ca.23.& addit,posse etiam dici peccatum,quia est causa

pecca

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccati: *Sicut frigus*, inquit, *dicitur pigrum, quia facit homines pigros.* Item libro sexto, in Iulianum, capite quinto: *Omnis peccato carent iustificati, sed non omni malo.* Idem habet cap. 11. & lib. 2. de peccatorum merit. & remiss. cap. 22.

Tom. 8. tract. in Psalm. 50. *Opus hoc casium in coniugé non habet culpam.* Et concione tertia in Psalm. 118. iterum docet, petitionem illam: *Dimitte nobis debita nostra*, nõ pertinere ad motus concupiscentiæ inuoluntarios.

Tom. 9. tract. 41. in Ioannem: *Nunquid, quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas?*

Tom. 10. sermone sexto, de verbis Apostoli: *Restat ergo cum carne consictus, quia deleta est iniquitas, sed manet infirmitas.* Vide etiam sermonem quintum, & duodecimum.

Ad hæc, & similia sancti Augustini testimonia variis modis respondere conantur aduersatij. Ac Primum Bucerus, & Kemnitius dicunt, sanctum Augustinum, vbi negat concupiscentiam esse peccatum propriè dictum, non loqui secũdùm morem Scripturarum: sed more vulgi, & politicè. Vulgò siquidem eæ solum actiones dicuntur peccata, quibus adest voluntatis assensus.

At si ea in re vulgus errabat, quis credat sanctum Augustinum cum vulgo errare voluisse? Deinde quis sibi persuadere poterit, sanctum Augustinum non solùm in concionibus, & epistolis, sed etiam in libris maximè seriis, in quibus ex Scripturis diuinis Pelagianos refellebat, vulgariter, & politicè contra Scripturarum veritatem loqui voluisse? Denique si vera esset istorum responsio, sanctus Augustinus pernicioso errore populum decepisset. Docuit enim, non esse orandum pro remissione morum concupiscentiæ, nisi eis præbeatur assensus. Pro qua tamen remissione orandum esset, si motus illi peccata essent, vt orari volunt Lutherus in assertione articuli secundi. Illyricus in Apologia Confessionis Antuerpiensis, capite tertio, & alij. Neque id excidit semel Augustino, sed frequenter ab eo repetitum, & inculcatum legimus in epist. 200. ad Asellicum: lib. 2. de peccat. merit. & remiss. ca. 4. lib. 1. contra duas epist. Pelagianorum, capite 13. libro de perfectione iustitiæ, & concione tertia in Psalm. 118.

Altera responsio est eiusdem Kemnitij, apud Augustinum, peccatum dupliciter accipi, vno modo pro eo quod facit reum, alio modo pro eo quod non facit reum, tametsi verum sit peccatum, & vera iniquitas. Atque huius generis posterioris esse concupiscentiam in renatis, sed Augustinum loqui de priore genere, cùm negat concupiscentiam esse peccatum.

At hæc distinctio omninò commentitia est: siquidem apud Augustinum *omne verum peccatum facit reum.* Sic enim ipse loquitur libro primo de nuptiis, & cõcupiscentia, cap. 25. hoc est, non habere peccatum, reum non esse peccati. Et ideo ipse idem, peccatum sublato reatu, dicit non esse peccatum, nisi tropicè, vt suprà citauimus ex libro primo de nuptiis, & concupiscentia, cap. 23. & idem ipse in Baptismo non solùm reatum, sed etiam iniquitatem tolli dixit tract. 41. in Ioannem.

Tertia solutio Caluini est, lib. 3. Instit. ca. 3. §. 12. & 13. sanctum Augustinum aliquãdo timuisse inuidiam, quam illi conflare studebant Pelagiani, quasi doceret, per Baptismum non remitti omnia peccata, & ideo abstinuisse à nomine peccati, quando de concupiscentia loquebatur: sed postea prostrato iam errore, & inuidia superata apertè vocasse concupiscentiam peccatum, libro 5. in Iulianum, cap. tertio, & tract. 41. in Ioannem, vbi ex propria sententia loquitur.

At licet quidem forasse ob metum inuidiæ aliquando celare veritatem, sed nunquam licet dicere falsitatem: præsertim in causa fidei, vt idem sanctus Augustinus docet in libro de mendacio. In testimoniis verò à nobis adductis non solùm non appellatur concupiscentia, peccatum: sed apertis verbis dicitur, non esse peccatum, nisi impropriè.

Præterea in illo tractat. 41. in Ioannem, vbi dicit Caluinus Augustinum loqui sine timore inuidiæ, & ex propria mente, nonne apertissimè dixit, concupiscentiam in renatis reliquam, esse infirmitatem, non iniquitatẽ? *Num quid*, inquit, *quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas?* Ex quo intelligimus eum de peccato impropriè loqui, cùm in eodem tractatu semel aut iterum concupiscentiam vocat peccatum, vtens verbis illis Apostoli ad Romanos sexto: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Et illis ad Romanos septimo: *Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.*

Denique si sanctus Augustinus in libro quinto in Iulianum, iam errorem prostrauerat, & ideo libere loquebatur: multò magis prostrauerat eundem errorem in lib. 6. & tamen in eo libro capite quinto, sic ait: *Tu autem qui putas, quod si malum esset concupiscentia, careret ea qui baptizatur: multum erras. Omni enim peccato caret, non omni malo.* Libri quoque retractationum posteriores sunt libris in Iulianum, & tamen libro primo, cap. 15. apertissimè scribitur, concupiscentiam infirmitatem esse, non autem peccatum, nisi per metonymiam. Denique liber de perfectione iustitiæ posterior est etiam libris retract. & tamen in eo libro extremo docet, adeò non esse peccata motus cõcupiscentiæ inuoluntarios, vt pro eorum remissione non sit opus dicere, *Dimitte nobis debita nostra.*

Quarta solutio est Kemnitij pag. 484. vbi postquam allegauerat pro se locum Augustini ex libro 5. in Iulianum, capite 3. subiungit hæc verba: *Hæc manifestissima est retractatio, seu explicatio eius, quod antea incommodius dixerat, reliquam concupiscentiam non esse peccatum, sed pœnam, & causſam peccati.*

At hæc solutio refellitur ex iis, quæ paulò antè sunt dicta. Nam si sanctus Augustinus libro quinto in Iulianum, c. 3. retractãsset sententiam illam, qua dixerat, concupiscentiam non esse propriè peccatum, quomodo hoc idem iterum dixisset libro sexto in Iulianum, cap. quinto, & libro 1. retractationum, cap. 15. in libro de perfectione iustitiæ?

CAPVT IX.

Refellitur idem error variis rationibus.

VLTIMO loco rationes varias ad eumdem errorem profligandum adferemus.

Prima ratio, Baptismus non liberat hominem à concupiscentia, igitur vel concupiscentia non est peccatum originis, vel Baptismus non liberat hominem à peccato originis.

Respondet Lutherus in assertione articuli secundi, per Baptismum remitti peccatum originis, quoad reatũ, non quoad actum. Sed hæc solutio exposa iam est suprà capite septimo. Respondent alij, per Baptismum non tolli quidem concupiscentiam, sed tamen tolli eius dominium. Id enim facit gratia, quæ per Baptismum confertur, vt concupiscentia non dominetur.

At hæc solutio facilè refutatur. Nam si concupiscentia esset peccatum originis, nõ esset propter dominium, sed propter repugnantiam ad rationem, vel pronitatem ad repugnandum. Siquidem peccatum originis est id, cum quo nascimur, & quod ab origine etiam infantes trahunt: nascimur autem cũ pronitate ad repugnandum rationi: dominium autem in infantibus non inuenitur, sed postea accedit ex consensu voluntatis, & ideo actuale, non originale peccatum est. Itaque Baptismus etiamsi dominium tollat, non tamen peccatum originis tollit, si concupiscentia est peccatum originis.

Porrò quod diximus, concupiscentiam non propter domin

dominium, sed propter repugnantiam, vel pronitatem esse peccatum originis, ex Augustino manifestè colligitur. Nam lib. 6. in Iulianũ, cap. 5. Sic ait: *Tale porrò, ac tam magnum malum tantum quia inest, quomodo non teneret in morte, & pertraheret in vltimam mortem, nisi & eius vinculum in illa, quæ sit in Baptismo, remissione peccatorum omnium solueretur?* Ibidem cap. 8. *Neque enim* inquit, *nulla est iniquitas, cùm in vno homine vel superiora inferioribus turpiter seruiunt, vel inferiora superioribus contra naturæ reluctantur, etiamsi viuere non sinantur.* Vide etiã lib. 2. de peccato originali, c. 39. Quemadmodũ autẽ intelligi debeat quod S. Augustinus dicere videtur concupiscentiã carnis esse peccatum originis, in solutione argumentorum explicabimus. Nunc solùm demonstrare volumus, eorum sententiam non congruere cum doctrina S. Augustini, qui dicunt, in Baptismo remitti peccatum originis, quia tollitur concupiscentiæ dominatus.

SECVNDA ratio, Concupiscentia est effectus, & pœna peccati originalis, ergo non est peccatum ipsum originale. Nam tametsi possit vnum, & idem & peccatũ esse, & pœna peccati, addo etiam, & causſa peccati: tamẽ hoc sine dubio intelligẽdum est per comparationem ad diuersa. Neque enim intelligi potest, vt res vna sit peccatum, & pœna, atque effectus eiusdem peccati, quia esset pœna, & effectus sui ipsius, ac per hoc prior, & posterior se ipsa.

Esse autem concupiscẽtiam pœnam, & effectum peccati originalis, probatur primo ex verbis illis Apostoli ad Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Habemus enim ex hoc loco mortem esse pœnam, & effectum peccati originalis: mors autem est pars corruptionis humanæ naturæ, altera verò pars eiusdem corruptionis est concupiscentia cum ignorantia, & aliis ei ãsdem generis naturæ nostræ inflictis vulneribus. Igitur eadem ratio videtur esse mortis, & concupiscentiæ. Quare sicut mors est pœna, & effectus peccati originalis, ita quoque & concupiscentia est pœna, & effectus eiusdem peccati originalis. Quod idem S. Augustinus multis in locis non obscurè significat libro 5. in Iulianum, cap. 3. *Concupiscentia* inquit, *pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis.* libr. 1. Retract. cap. 15. dicit, hominem nasci implicatum reatu Adæ, & ob id pœnæ obnoxium, & per pœnam intelligit concupiscentiam, de qua statim subiungit, eam per tropum vocari peccatum, quia est effectus peccati.

Sed apertissimè id habet S. Augustinus. lib. 14. de Trinitate, cap. 17. & lib. de continentia, cap. 7. quæ sunt à nobis citata capite superiore. Vbi comparat peccatum originale febribus, concupiscẽtiam languori, qui remanet sanatis febribus: *Aliud est* inquit, *carere febribus, aliud ab infirmitate, quæ febribus facta est, reualescere.* Et infrà: *Prima curatio est causſam remouere languoris, quod per omnium fit indulgentiam peccatorum, secunda ipsum sanare languorem, quod fit paulatim proficiendo, &c.* Vides, quàm aperte peccatum, quod remittitur in Baptismo, dicatur causſa, languoris, id est, concupiscentiæ remanentis. Non igitur ipsa concupiscentia potest esse peccatum originale, nisi idem sit causſa sui.

TERTIA ratio, Si homo non nasceretur ex Adamo, & tamen haberet concupiscentiam, quam nunc habet, non posset in eo concupiscentia propriè vocari peccatum, igitur concupiscentia non est ex se, & ex natura sua propriè peccatũ. Huius argumenti antecedens est S. Augustini lib. 3. in Iulianum, cap. 12. vbi concedit S. Augustinus Iuliano, hominem non posse iustè reprehendi, neque esse reum, vel peccatorem propter cõcupiscentiam, si cùm ea concupiscentia, quam habet, non propagetur ex Adamo, sed creetur à diabolo, & præter Augustini auctoritatem, res est omninò explorata, ac certa. Nam tunc concupiscentia res esset omninò naturalis, propter naturalia autem nemo iustè reprehendi potest, vt si quis cæcus nascatur, aut fatuus. Quod si concupiscentia non esset peccatum, si naturalis esset, profectò non est peccatum per se, & ex natura sua. Quod enim ex natura sua peccatum est, semper peccatum est, & vndecunque tamdem oriatur, siue ab homine, siue à diabolo semper facit reum.

QVARTA ratio, Concupiscentia si sumatur pro actu inuoluntario, id est, pro primis concupiscentiæ motibus, quibus mens resistit, nullum peccatum est: igitur multò minùs peccatum erit, si sumatur pro ipsa pronitate ad actum. Consequentiam huius argumenti aduersarij concedunt, quia pronitatem ideò peccatum esse volunt, quoniam existimant eam pugnare cum lege Dei: Certum autem est, eam non pugnare cum lege Dei, si actus eius cum eadem lege non pugnat. Probemus igitur antecedens, quod ipsi communi consensu negant. Concupiscentiam in pueris, amentibus, & dormientibus peccatũ non est, quia non est in potestate eorũ non cõcupiscere, vt docent S. Augustinus libro 10. Confess. cap. 30. S. Prosper lib. 3. de vita cõtemplatiua, ca. 6. & S. Ambrosius lib. 1. de officiis, ca. 21. At non est etiam in potestate virorum sapientium, & vigilantium, non habere primos illos concupiscentiæ motus, vt experientia docet: igitur illi peccata non sunt, & verè dixit B. Augustinus lib. 1. de Ciuit. Dei, ca. 25. *Quanto magis concupiscentialis inobedientia absque culpa est in corpore non consentientes, si absque culpa est in corpore dormientis?*

Præterea lex Domini non solùm non impossibilis, sed etiam facilis, ac suauis ex habentibus gratiã ipsius, Matthæi 11. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* 1. ad Cor. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* 1. Ioan. 5. *Et mandata eius grauia non sunt.* S. Basilius oratione in illud: *Attende tibi*, non procul ab initio, *Impium*, inquit, *est dicere, impossibilia esse spiritus præcepta.* S. Hieronymus lib. 3. aduersus Pelagianos, non lõge à principio: *Deus* inquit, *possibilia mandauit, hoc nulli dubium est.* S. Augustinus lib. 2. de pec. merit. & remiss. ca. 3. *Aeque*, inquit, *ibi videntur dicere ignari nostrum hoc vitium ignores, quod si nolumus non peccamus, nec præciperet Deus homini, quod esset humanæ impossibile voluntati.* S. Cyrillus lib. 3. in Iulianum, circa medium, significat impossibile videri præceptum illud: *Si quis viderit mulierem ad concupiscendum, &c.* sed continuò corrigit se his verbis: *Sed nõ ita*, inquit, *sapere nos sinit. Nam per gratiam Dei adimpletur ab iis, qui non secũdum carnem ambulant.* At impossibile est, nisi priuilegio singulari Dei, etiam iustis, & sanctis non habere motus cõcupiscentiæ, repugnantes legi mentis, vt notum est ex ipso Apostolo Rom. 7. & 2. ad Cor. 12. igitur motus illi peccata nõ sunt.

QVINTA ratio, Hæc aduersariorum sententia iniuriam facit Christo, & eius meritis. Nam si concupiscentia est verum peccatum, & semper manet in homine, quantumuis iustificato, certè sequitur, vt Christus nos nõ verè, sed imputariuè tantùm à peccatis redemerit, ac liberauerit, & sit diabolus Christo potentior, cũ ille verè potuerit inquinare, iste non potuerit verè mundare. Vnde etiam falla erũt testimonia illa Scripturarum Ioan. 8. *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* Et ad Rom. 8. *Sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obedientiam iusti constituentur multi.* Nam qui adhuc sunt in peccato, nec verè liberati dici possunt, nec verè sunt iusti constituti per Christi obedientiam, sicut verè, & nõ imputariuè tantùm iniusti sunt constituti per Adami inobedientiam. Sed de his plura suo loco in disputatione de iustificatione.

SEXTA ratio esse posset, quia sententia aduersariorũ seipsa destruit, cũ fieri nequeat, vt qui verè sunt iniqui, & peccatores, maneãt in illis videlicet perpetua legis diuinæ inobediẽtia, nõ sint rei diuinæ indignationis, & odij.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed hanc rationem suprà cap.7.satis fusè persequuti sumus. His igitur omissis,ad argumenta aduersariorum diluenda accedamus.

CAPVT X.

Solluntur argumenta aduersariorum,deprompta ex cap.6.7.& 8.ad Roma.

MVLTA sunt argumenta, quæ aduersarij Catholicis obijcere solēt. Vt igitur a Scripturæ sacræ testimoniis ordiamur. Primū, ac præcipuum argumentum sumunt Lutherus,Caluinus,Philippus,Kemnitius,& alij ex ca.6.7.& 8.epistolæ ad Rom. Sed quia sunt in his capitibus multæ sententiæ explicandæ, proponemus seorsim obiectiones,quæ ex his testimoniis colliguntur.

PRIMA obiectio. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore*,Rom.6.Non ait Apostolus,Non sit peccatum in vestro mortali corpore,sed non regnet,vt notauit etiā S.Augustinus tract.41 in Ioan. Igitur semper est in nobis peccatum,licet non semper regnet. Loquitur autem Apostolus de concupiscentia, vt patet ex sequentib. *Ad obediendum concupiscentijs eius*, concupiscentia igitur semper in nobis est,& semper peccatum est.

RESPONDEO, tum hoc loco,tum in sequenti capite sæpius, concupiscentiam appellari peccatum impropriè, per figuram metonymiæ, quod sit caussa peccati, si ei obediatur. Sed contra, exclamat Lutherus in assertione articuli secundi, non licere ipsis Angelis, ne dum hominibus verba Dei pro arbitrio interpretari, vt quod illa peccatum appellant, nos defectum, & non propriè peccatū esse dicamus. Nam si ita liceat pro arbitrio verba Dei exponere, vbique poterimus nomen peccati per defectum interpretari,& dicere,adulteriū non esse adulterium, furtum non esse furtū,& de cæteris eodē modo.

At frustrà Lutherus ita vociferatur. Nullus enim est, qui maiori licētia Scripturas peruertat,quàm ipse faciat. Scripturæ siquidem passim affirmant, peccata per Christum tolli. Isa.53. *Ipse peccata multorum tulit*. Ioan. 1. *Ecce agnus Dei,ecce qui tollit peccata mundi*. ad Rom.11. *Cum abstulero peccata eorum*,& Lutherus tamen in assertione eiusdem secundi articuli disertis verbis dicit, nullum peccatum tolli, sed tantùm remitti,id est,non imputari. Ipse igitur verè facit,quod ne angelis quidem licet.

Nos autem non negamus,concupiscentiam dici peccatum,vt Apostolus eam vocat,sed negamus dici peccatum proprie,quod nec Apostolus dixit. Et præterea colligimus explicationem nostram euidenter ex Scripturis. Nam Scripturæ testantur vocem *peccati* esse ambiguam, & nunc accipi pro culpa,nunc pro pœna,quæ est culpæ effectus, nunc etiā pro caussa peccati, nūc deniq; pro sacrificio, quod est peccati expiatio. Deuteronomij 9. *Peccatum vestrum,quod feceratis,id est,vitulum,igne combussi,& in frusta comminuens, in puluerem redegi*. Vbi manifestissimè vitulus dicitur peccatum, quia effectus & caussa peccati fuit. Zachariæ vltimo, loquens Deus de plagis Ægypti: *Hoc erit* inquit,*peccatū Aegypti*. id est,pœna peccati. Thre. 4.*Completa est iniquitas tua filia Syon,nō addet vltra Dominus, vt transmigres te*. Vbi etiam iniquitas pro pœna iniquitatis accipitur.ad Rom.7.*Lex peccatum est absit*. Hic omniū consensu peccatum accipitur pro caussa peccati. Quemadmodum paulò infrà eadē lex dicitur mors,id est,caussa mortis. 2.ad Corint.5.Christus vocatur peccatum, quia sacrificium fuit pro peccato. Vt etiam Oseæ 4.dicuntur Sacerdotes comedere peccata populi, quia comedunt oblationes pro expiatione peccati. Itaque certum est ex Scripturis, vocem peccati non semper accipi pro culpa, id est,pro peccato proprie dicto.

Rursus ex Scripturis cōstat, peccata propriè dicta verè tolli in iustificatione, vt ex locis,paulò antè adductis, perspicuū est:nec minus constat ex Scripturis, concupiscentiam in iustificatione non tolli,cùm Apostolus iustificatus,de se dicat,ad Rom.7.*Sentio aliam legem in membris meis,&c*. Igitur ex Scripturis constat,Scripturas,quæ cōcupiscentiam peccatum appellant, exponendas esse de peccato impropriè,id est,de caussa,vel effectu peccati.

Idipsum confirmari potest ex eodem loco Apostoli. Siquidem testatur Apostolus hoc peccatum esse in corpore,non in mente. Ait enim: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore*. Et ca.7.*Non habitat in me,id est,in carne mea, bonum*. At peccatum propriè dictum, non potest esse in corpore,sed in mente. Peccatum enim est iniustitia,& ibi solùm locum habere potest vera iniustitia,vbi locum habere solet vera iustitia. Quis autem iustitiam veram,propriéq; dictam in membris carnis vnquam posuit? Igitur Apostolus,cùm dicit, concupiscentiā esse peccatum, sed habitare in carne,non in mente, apertè significauit,eam non propriè,sed figuratè esse peccatum. Accedat auctoritas S.Augustini,qui (vt citauimus ca.8.) multis in locis scripsit,concupiscentiam ab Apostolo appellari peccatum,quia est effectus,vel caussa peccati. Quæ etiā sententia est Concilij Tridentini sessione 5. cuius Concilij auctoritas vel sola Catholicis sufficeret.

Porrò argumentario illa Lutheri, si hoc loco peccatū non accipiatur proprie,posse vbique non accipi propriè, ineptissima est,nam ex particulari propositione non colligitur propositio vniuersalis,quamuis contrà ex vniuersali rectè colligatur particularis. Quoniam particularis in vniuersali continetur, non contra. Itaq; si quis ostenderet,Peccatū vbiq; in Scripturis accipi propriè, rectissimè colligeret,hoc etiam loco accipi proprie: sed ex eo, quòd in hoc particulari loco certis de causssis peccatum accipiatur impropriè, non efficiet, vt vbique accipiatur impropriè.

Sed opportunè Kemnitius in examine Concilij Trid. sess.5.pag.476.Luthero suppetias ferens dicit,nullū esse meliorem interpretem verborum Pauli,ipso Paulo. Deinde ex ipso Paulo probat vocem,*peccatum*,accipi debere propriè hoc loco. Primo, quia Paulus concupiscentiam vocat non bonum. Secundo,quia vocat malum. Tertio, quia illud malum describit priuatiuè,per illud,perficere bonum non inuenio. Quarto, quia idem malū describit positiuè per illud,quod odi malum,illud facio. Quinto, quia dicit,concupiscentiam pugnare cum præcepto. *Non concupisces*. Sexto,quia dicit, illud malum esse crucifigendum,mortificandū,destruendum. Septimo,quia propter hoc malum exclamat,miser ego homo,&c. Respondeo, concupiscentia,quamuis non sit propriè peccatū,tamen est corruptio quædam incitans ad malum, & ideò rectè dicitur non bonum,& malum, & malum priuatiuum,& positiuum,& crucifigendum,ac destruēdum. Quomodo autem pugnet cum lege, & miserum faciat, paulò pòst explicabitur.

SECVNDA obiectio,ad Rom.7. *Peccatum non cognoui nisi per legem. Nam concupiscentiam nescieham, nisi lex diceret, Non concupisces*. Hic Apostolus apertè concupiscentiam testatur esse peccatum. Nam primùm dicit se cognouisse peccatum per legem, & postea declarat, peccatum illud esse cōcupiscentiam, & legem,per quam illud cognouit, dicit esse præceptum,Non concupisces. Neq; potest hoc loco accōmodari distinctio de peccato propriè, vel impropriè dicto. Nam concupiscentia ideò dicitur esse peccatū,quia est præuaricatio diuinæ legis,Non cōcupisces.

RESPONDEO, peccatum hoc loco propriè accipi, id est,pro vera legis præuaricatione: sed cōcupiscentiam non accipi pro fomite, sed pro actu voluntario concupiscendi,qui prohibitus est lege,Non cōcupisces. Id ita esse perspicuum est,tum ex cōtextu Apostoli, qui cùm dixisset,legem non esse peccatum,id est, causssam peccati, sed esse causssam cognitionis peccati, probauit ex eo, quod non

non cognoscebant homines actus interiores, vt desiderium vxoris, vel rei alienæ esse peccata, nisi lex dixisset,Non concupisces. Tum etiam ex loco illo Euangelij, Matth.5.*Dictum est antiquis: Non mœchaberis,ego autem dico vobis,quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo*. Dominus enim hæc dixit contra peruersas Pharisæorum opiniones qui adhuc docebant, flagitia interna non esse peccata. Quod etiam patet ex Iosepho lib.12.antiquit.cap.13.qui scribit,motum internum nō esse peccatum, nisi exterius se prodat. Item ex Dauide Kimhi in Psal.66.vers.17. vbi sic exponit illud: *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non audiet Dominus*, id est, non imputabit ad peccatum desiderium iniustum,si tantum sit in corde.

Itaque Dominus ignorantiam illam, quæ regnauerat ante legem, & rursus per Pharisæos inducta fuerat,destruere voluit,cùm ait: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum,&c*.& non sine caussa addidit, *in corde suo*, quia non concupiscentia carnis, sed cordis, id est, voluntaria prohibita est lege,Non concupisces. De eadem ignorantia loquitur Apostolus,cùm ait: *Concupiscentiam nescieham, nisi lex diceret, Non concupisces*. Itaque hoc B.Pauli testimonium cùm de peccato actuali intelligatur nihil iuuat causssam aduersariorum.

Vnum obiici posset cōtra nostram hanc solutionem, quod videlicet admittamus in eodem capite frequentes æquiuocationes in voce,peccati. Sed hoc nō est vitium, sed ornamentum, cùm æquiuocatio non obscurat sententiam. Et certè cogit nos euidentia rei, vt sic exponamus. Nam cùm Apostolus dicit: *Quid ergo dicemus lex peccatum est? absit. Sed peccatum non cognoui, nisi per legem*. Et mox: *Peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam*. Dubitari non potest,quin primo loco peccatum accipiatur pro caussa peccati,alioqui ineptè quereretur,an lex peccatum esset: Secundo loco pro peccato propriè dicto,quod repugnat legi: Tertio loco pro fomite,qui operatur omnem concupiscentiam. Vbi videtur Apostolus explicare, cur fomitem appellauerit peccatum, quia videlicet efficit peccatum, cùm operetur in nobis concupiscentiam,camq; voluntariam abstrahēdo, & illiciendo,vt B.Iacobus in epistola sua scribit.

TERTIA obiectio: *Scio enim,quia lex spiritualis est,ego autem carnalis sum,venundatus sub peccato*,Rom.7. Hoc loco B.Paulus fatetur se non seruare legem,quia illa spiritualis est,ipse verò carnalis, & non loquitur de lege prohibente actiones voluntarias: hanc enim legem Apostolus seruare se dicit, cùm ait: *Quod odi facio,& mente seruio legi Dei*. Igitur loquitur de lege prohibente cōcupiscentiam ipsam nobis insitam ex peccato Adæ: ac per hoc concupiscētia illa repugnat legi, & verè propriéq; peccatū est.

RESPONDEO, DVAS esse huius loci expositiones, & secundum vtramque rectè argumentum solui posse. PRIOR expositio est Chrysostomi, Theophilacti, Ambrosij, & aliorum in hunc locum,& Augustini lib.1. ad Simplicianum, q.1. qui existimant Apostolum non loqui de se,suisque similibus iustis: sed induisse personam hominum impiorum, qui non solùm fomitem habent, sed etiam ab ipso fomite vincuntur, & pertrahuntur in varia flagitia: qui rectè dicuntur venundati sub peccato, quia nondum redempti sunt per applicationem sanguinis Christi,quæ fit per fidem, & Sacramenta. Et secundum hanc expositionem, argumentum aduersariorum nullas vires habet. Quod verò dicit Apostolus: *Quod odi facio, & mente seruio legi Dei*, quæ videntur non conuenire hominibus nōdum iustificatis: intelligenda sunt de lumine rationis, & quodam appetitu boni,qui saltem in genere nulli homini deest. Nam etiam perditissimi quiq; norunt,malum esse furtum,homicidium,adulterium, & in aliis hæc ipsa scelera detestantur: *Video*, inquit ille, *meliora proboque, deteriora sequor*.

POSTERIOR expositio est S.Augustini in omnibus ferè libris contra Pelagianos,qui etiam illam priori præfert lib.2.Retract.c.1.& de prædestinatione Sanctorum, ca.4.Item Primasij, Anselmi,Thomæ, & aliorum in hūc locum. Quæ expositio posterior nobis etiam magis probatur, præsertim quia B.Paulus ex iis, quæ dixerat in 7. cap. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem &c, non ego operor illud,&c,mente seruio legi Dei*,& similibus,deducit illam conclusionem initio cap.8. *Nihil ergo damnationis est his,qui sunt in Christo Iesu,qui non secundū carnem ambulāt, &c*. Quę conclusio manifestè indicat, Apostolum in capite 7.de se, & cæteris per Christum renatis esse loquutum. Secundum hanc expositionem dicendū est, B.Paulum non velle significare,legem spiritualem,non seruari à iustificatis, quatenus opus est ad vitandum peccatum, sed nō seruari quantum ad quandā perfectionem, quę est finis præcepti,ac propterea propriè non est in præcepto.

Sciendum est enim in præceptis interdum significari solum media ad aliquem finem,vt cū dicitur, pugna cōtra hostes,fac medicinam ægroto. Hæc enim sunt media, illud ad victoriam, istud ad sanitatem. Interdum autem significari simul finem, & media, vt si quis dicat, vince hostes,sana ægrotum. Hic enim non solùm imperantur pugna,&curatio,quę sunt media,sedetiā indicatur finis, victoria,& sanitas. Cæterùm obligatio præcepti propriè in mediis,quæ imperantur,consistit,non in fine: & præuaricator est,qui media negligit,non qui finem non assequitur. Neque enim peccat, cui dicitur, vince hostes, si non vincat, modo viriliter pugnet, neque is peccat,cui dictum est,sana ægrotum, etiamsi sanare non possit modò curet appositè ad sanandum. Finis enim in præcepto indicari potest,propriè imperari non potest.

Præceptum igitur, *Non concupisces*, eius generis est vt simul media, & finem comprehendat. Media sunt, resistere concupiscentiis,eisq; nunquam assentiri,nunquam cedere: atque hæc ita obligant, vt qui non fecerit, continuò reus existat: finis est, funditus concupiscentias extirpare atque id efficere,vt nullus in carne motus oriatur contra rationem. Hunc autem finem lex proponit,vt intelligamus,quo sit nobis Deo iuuante tendendum, non vt rei simus,si id non faciamus,quod facere in nostra potestate non est, & quod ad felicitatem futuræ vitæ, non ad obligationem præsentis pertinet.

Sic enim S.Augustinus docet in epist. 200. ad Asellicum: *Hoc*,inquit,*lex posuit dicendo, Non concupisces,non quod hic valeamus,sed ad quod proficiendo tendamus*. Et libro 1.de nuptiis & concupiscentia,cap.29.*Multum*,inquit,*boni facit, quod scriptum est, post concupiscentias tuas non eas: sed non perficit quia non implet quod scriptum est, Non concupisces. Ad hoc ergo dixit lex,Non concupisces,vt nos in hoc morbo iacere intelligentes,medicinam gratiæ quereremus,& in eo præcepto sciremus, & quo debeamus in hac mortalitate conari, & quo possit à nobis in illa beatissima immortalitate peruenirī*.

Ait igitur B.Paulus: *Scimus quia lex spiritualis est*. Quia videlicet spirituales homines facit,& spirituales omnino requirit, vt perfectè,etiam quoad finem obseruetur. *Ego autem carnalis sum*. Quia nondum spirituale corpus habeo (inquit Augustinus lib.1.contra duas epistolas Pelagianorum,cap.10.) non enim carnalem se vocat Apostolus, quod secundùm carnē ambulet: nam id paulò infrà apertè negat,sed quod non sit totus spiritualis,qualis post resurrectionem erit. Neque enim absurdum est,vt sit in illa vita etiam caro spiritualis, si potuit esse in hac vita in his,qui adhuc carnalia sapiunt,etiam spiritus ipse carnalis. *Venundatus sub peccato*, non quia Christi sanguine redemptus non sim,sed quia (vt ad Rom.8.idem Apostolus dicit) *Et nos primitias spiritus habētes intra nos ingemiscimus adoptionem expectantes,redemptionem corporis nostri*. Itaque venundatus erat Apostolus cum cæteris in præuaricatione primi peccati, & quoniam redēptus erat quoad

Universidad de Deusto
Biblioteca

animam primitias spiritus habens. expectábat autem redemptionem corporis sui, ideò cõcupiscentias sentiebat, sed non consentiebat, & propterea adiungit: *Quod enim operor non intelligo.* id est, non scio, non approbo, vel prius id fit, quàm ratio in consilium aduocetu, & ideò me ignorante, & non consentiente fit: *Non enim quod volo bonũ, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio. Vbi facere se dixit* (inquit Augustinus loco citato) *non affectu consentiendi, & implendi, sed ipso motu concupiscendi.*

Quare B. Apostolus legem spiritualem, Non concupisces, non omninò perficiebat, qua parte adhuc carnalis erat: nec tamen peccabat, quia lex non obligat ad non sentiendum carnis motus, sed ad non cõsentiendum eis, vt suprà diximus, cùm hoc sit medium, illud finis. Atque hæc dicta sunt ad mentem S. Augustini, qui præcepto, *Non concupisces*, intelligit prohiberi aliquo modo motus omnes concupiscentiæ, etiam inuoluntarios: assensum verò his motibus prohiberi docet illo alio præcepto: *Post concupiscentias tuas non eas.* Eccles. 18.

Cæterùm probabile etiam est, quod alij docent, præcepto, *Non concupisces*, non prohiberi vllo modo motus inuoluntarios, sed assensum tantum, & hoc præcepto cõtineri solùm media, non autem finem. Quod probatur primo, quoniam ab Apostolo hæc vocatur lex mentis, Rom. 7. Quia non carni, sed menti data est. Secũdo, quia hoc præceptum habetur in Exodo cap. 20. in Deuteronomio cap. 5. & Matth. 5. cùm aliis præceptis Decalogi, *Non occides, Non mœchaberis*, & cæteris, quæ intelliguntur omnia de actionibus liberis, planeque voluntariis. Porrò illud, *Post concupiscentias tuas nõ eas*, intelligi commodè potest de opere externo, quo concupiscentiæ sentiuntur. Vnde mox sequitur: *Si enim præstiteris animæ tuæ concupiscentias suas faciet te in gaudium inimicis tuis.* Iuxta hanc expositionem præcepti, Non concupisces, dicendum est, Apostolum cum ait: *Lex spiritualis est, ego autẽ carnalis sum*, non significare, non perfici legem à se, sed causam peccati non esse legem, quæ spiritualis est, sed carnis nostræ corruptionem, quæ pullulat praua desideria, etiam reluctante ratione. Dixerat enim paulò ante: *Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum. quod ergo bonum est, mihi factum est mors? absit, sed peccatum, vt appareat peccatum per bonum operatum est mihi mortem, vt fiat suprà modum peccans peccatum per mandatum.* Et continuò, vt hoc probaret, adiunxit: *Scimus enim quod lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, &c.* Hoc est, lex non potuit mihi mortem operari, quia spiritualis est: sed radix peccati in me est, qui adhuc carnalis sum, venundatus sub peccato, quoad corpus. Vnde etiam me ignorante, vel inuito oriuntur in carne mea motus concupiscentiæ: qui allicere conantur ad assensum. Ex his obiectiones reliquæ facili negocio diluentur.

Qvarta obiectio Rom. 7. *Si quod nolo, facio, consentio legi, quia bona est.* Si mens Pauli consentiebat legi, certè idem volebant lex Domini, & mens Pauli, sed mẽs Pauli nolebat sentire motus concupiscentiæ (vt patet) quia inuitus eos sentiebat: igitur ex lege Domini nolebat eos motus existere, igitur motus illi, quamuis inuoluntarij, repugnabant legi, ac proinde peccatũ erant. Vnde S. Augustinus serm. 5. de verbis Apostoli: *Quid*, inquit, *dicis ô lex? Non concupisces, & ego nolo concupiscere, non implet legem infirmitas mea, sed legem laudat voluntas mea.*

Respondeo, si præceptum, Non concupisces, extendamus cum Augustino ad motus inuoluntarios, fatemur eos motus repugnare legi, sed negamus esse peccata, quia repugnant legi vt indicanti finem, non vt imperanti media, vt suprà explicatum est. Sin autem præceptum illud restringamus ad motus tantùm voluntarios, respondemus ad argumentum, cõsensum Pauli cum lege non consistere in eo quod rem eamdem velint, aut nolint Paulus, & lex: sed quod Paulus velit, aut nolit id quod lex iubet eum velle, aut nolle. Itaque consensum Pauli cùm lege in eo positum esse, quod lex iubeat eum resistere concupiscentiæ, & Paulus velit concupiscentiæ resistere, sic resistat.

Quare sensus verborũ Pauli hic erit, si qđ nolo, facio, cõsentio legi, quia bona est, hoc est, si inuitus cõcupisco, nõ repugno legi, sed ei cõsentio, ipsa. n. vult, vt egonolim cõcupiscere, ego nolo cõcupiscere, & cũ concupisco, id fit præter, & contra voluntatem meam. Posset etiam facilius dici, legem nolle concupiscentiam, vt obiectum, & similiter mentem Pauli nolle eamdem, similiter, vt obiectum. Quemadmodum si quis hominem casu, atque omnino præter intentionem occideret is verè dicere posset, Quod nolui, feci & ideò consentio legi, quæ ait, *Non occides*, quia bona est, nec tamen ex his verbis colligi deberet præceptum, *Non occides*, extendi ad homicidium omnino inuoluntarium, & reum esse, qui præter intentionem occiderit. Cædes enim inuoluntaria non est contra legem, nisi materialiter.

Qvinta obiectio, Rom. 7. *Inuenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam malum mihi adiacet.* Ex hoc loco ducit argumentum Caluinus. Videtur enim Apostolus dicere, velle se legem seruare, & ita bonum facere, sed nõ posse, propter malum adiacens, id est, concupiscentiam repugnantem legi.

Respondeo, locus hic sine dubio ita obscurus est, vt multi interpretes existimẽt aliquid deesse, & alius alio modo defectum resarcire studeat. Sed B. Augustinus libr. 1. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 10. satis commodum sensum indicauit, & in quo nihil subintelligi debeat. Vult enim illud, *bonum*, coniungi cum *lege*, non cum verbo, *facere*, vt hic sit sensus, Inuenio igitur legem bonum quoddam esse mihi volenti facere, id est, volenti bene operari, & secũdum legem viuere: ideò autem legem inuenio esse quoddam bonum, quoniam malum concupiscentiæ adiacet mihi. Dũ enim ab vna parte malum adiacens incitat ad peccatum: ab altera lex Domini bona retrahit à peccato. Itaque non potest ex hoc loco effici, non posse legem seruari, aut concupiscentiam inuoluntariam esse peccatum.

Sexta obiectio: *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati*, Rom. 7. Hoc loco videmus concupiscentiam repugnare legi, & captiuare, id est, seruum peccati facere, ac per hoc sine dubio esse peccatum.

Respondeo, non omne quod repugnat legi peccatum est, quamuis omne peccatum legi repugnet. Peccatum enim repugnat legi priuatiuè, quia est actio recedens à sua regula, cùm posset, & deberet cum sua regula conuenire. Multa verò legibus repugnare, quæ peccata non sunt, extra controuersiam est. Repugnat enim legi homo, qui peccat, & tamen homo nõ est peccatum proprie, nisi cum Illyrico delirare velimus. Item repugnat legi justæ lex iniusta, interdum etiam lex vnius Principis legi alterius contraria est, cùm tamen neutra videatur iniusta. Potest quoque lex iniusta legi item iniustæ repugnare. Nec tamen lex peccatum propriè dici potest, sicut nec virtus.

Iam igitur concupiscentia repugnat legi mentis, non vt actio recedens à regula cùm posset, & deberet regulæ congruere: sed repugnat vt lex contraria impellens ad malum, quomodo etiam legi repugnat diabolus, & quicquid incitat ad legis transgressionem. Itaque hoc ipso, quod Apostolus concupiscẽtiam vocat legem membrorum, significat eam non esse propriè peccatum.

Appositè autem legis nomine concupiscentia appellata est, quia lex nihil est aliud, nisi regula actionum. Et quemadmodum lex mentis est regula bonæ actionis, quam si sequaris, bene ages: ita concupiscentia regula est peccandi, quam si sequaris, omninò peccabis. Illud autem

autem, *captiuantem me in lege peccati*, rectè exponit S. Augustinus lib. 1. de nuptiis & concupiscentia, cap. 30. vbi docet, concupiscentiam dici captiuantem, id est, captiuare conantem, vel captiuantem secundum carnem, non secundum mentem, vt suprà dictum est de illis vocibus, ego autem carnalis, venundatus sub peccato.

Septima, obiectio, Rom. 7. *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?* Hoc etiam est Caluini argumentum, qui colligit, cõcupiscentiam esse peccatum, quia miseros facit homines.

Respondeo, Infelicitas, & miseria in Scripturis vt plurimum pœnæ potius tribuitur, quàm culpæ, vt Prouer. 14. *Miseros facit populos peccatum.* Et Psal. 11. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus.* Kemnitius (vt in 1. obiectione diximus) ex hoc loco probat, concupiscentiam esse peccatum propriè dictum, & rationem reddit, quia Paulus hoc dicens agnoscit, malum illud esse per se dignum morte æterna. Sed ineptissima ratio est, cùm Apostolus de corpore mortali, & passionibus obnoxio liberari cupiat, de morte verò æterna ne verbum quidem dicat. Nam quod in sequenti capite additur: *Nihil ergo damnationis, &c.* ibidem explicatur cur dictum sit, nimirum quia renati non secundum carnem ambulant, non autem quia cõcupiscentia quamuis peccatum, non imputetur.

Octava obiectio, Rom. 7. *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio.* At qui non perficit bonum, sine dubio peccat. Et hoc argumentum Caluini est.

Respondeo, vt quis peccet non faciendo aliquid, requiritur, vt debeat, & possit illud facere. Nam si quis debeat & non possit, miser est, non peccator: si possit, & non debeat, minus bonus est, non tamen malus. Id autẽ de quo agimus, id est, carne non concupiscere, non est in nostra potestate, & ideò velle adiacet nobis, perficere bonum numquam concupiscẽdi nõ inuenimus. Et ideò concludit Apostolus: *Infelix ego homo, &c.* Hinc S. Augustinus libro. 1. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 10. *Hoc est* inquit, *perficere bonum, vt nec concupiscat homo.*

Nona obiectio, Roma. 8. *Sapientia carnis inimica est Deo.* Vel, vt clariùs habent Græci textus, φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς θεόν, *inimicitia est in Deo, legi enim Dei non est subiecta.* Hunc locum passim adferunt aduersarij, vt probent concupiscẽtiam esse malum totius hominis, & inimicitiam aduersus Deum, & repugnantiam contra legẽ eius, ac proinde propriè, verissimeque peccatum.

Respondeo, Prudentia, siue sapientia, siue sensus carnis (nam his omnibus vocibus ad rem eamdem significandam vtitur Paulus) verè propriéque peccatum est, sed actuale, non originale. Non enim vocat Apostolus prudentiam carnis illud malum, quod cap. 7. dixit esse in carne, siue in membris. Nam illud malum in se quoque, & in alijs sanctis hominibus agnoscit Apostolus: prudentiam verò carnis non ponit, nisi in peccatoribus, qui terrena sapiunt, & secundum carnem ambulant. Sic enim loquitur: *Non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt: qui verò secundum spiritum sunt, quæ spiritus sunt sentiunt. Nam prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritus vita & pax: quoniam sapientia carnis inimica est Deo. Legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis.*

Prudentia igitur carnis est cura, & sollicitudo quædã nimia prouidendi, quæ carni sunt commoda, vtilia, suauia, neglecta cura, & sollicitudine eorum, quæ ad spiritũ pertinent. Talis autem sensus, siue affectus videtur enim verbum φρονεῖν, vnde est vocabulum φρόνημα, apud Apostolum magis ad affectum, quàm ad cognitionem pertinere) inimicus est Deo, quia nõ congruit cùm eius lege, neque congruere potest, dum talis est. Neque enim fieri potest, vt iniquitas cùm æquitate concordet, quamuis fieri possit, vt homo gratia Dei adiuuante, deponat prudentiam illam carnis, & ea, quæ spiritus sunt, gustare, & procurare incipiat. Hinc apparet aduersariorum temeritas, qui omnia confundunt, & miscent, & argumenta petunt ex his locis, qui nihil ad rem faciunt.

CAPVT XI.

Soluuntur obiectiones ex alijs Scripturæ locis depromptæ.

Constitvi loca omnia breuiter explicare, quæ proferunt aduersarij ad probandum concupiscentiam ex natura sua esse peccatum. Igitur præter loca illa ex epist. ad Romanos, quæ sunt à nobis superiore capite explicata, hæc etiam addunt.

Primvm proferunt Kemnitius & alij, testimonium ex Genes. cap. 6. & 8. vbi dicitur: *Cuncta cogitatio cordis humani intenta ad malum omni tempore.* Hebraicè autem dicitur, *ipsum figmentum cordis hominis totum, & semper esse malum.* Respondeo, locus ille Geneseos similis videtur ei loco, quem proximè explicuimus ex cap 8. ad Rom. describit enim Moses ingenium illorum, qui viuebãt tempore Noë, ac dicit omnes illos secundum carnem ambulasse, & quæ carnis sunt tantum cogitare, & sapere consueuisse. Itaq; dicitur figmentũ cordis, siue (vt habetur cap 6.) figmentum cogitationum cordis totum, & semper malum, quia nihil ferè homines illi cogitabant, nisi quod ad voluptatem, vel vtilitatem carnis pertineret.

Sed hoc peccatum erat actuale, non originale, nisi forte, (vt Latini codices habent,) admittant aduersarij cogitationem cordis hominum illorum, nõ tam fuisse actu malam, quàm pronã ad malum. Illam enim pronitatem ad malum concedimus esse vulnus ex peccato originali relictum, sed negamus esse propriè peccatum, nisi in actũ voluntarium prodeat. Tum verò peccatum quidem esse sed actuale, non originale, vt sæpe iam diximus, & probauimus.

Secvndvm, ex Psal. 18. *Delicta quis intelliget?* & Psal. 50. *Cor mundum crea in me Deus.* Hæc duo loca producit Lutherus in assert. 2. articuli, vt probet homines etiam iustificatos semper habere delicta, & cor immundum. Quod non potest esse nisi ratione concupiscentiæ, quæ remanet in iustificatis vsque ad mortem. Respondeo, hæc loca non pertinent vllo modo ad peccatum originale, neque ad concupiscentiam, quæ remanet post iustificationem, tum quia in iustificatione peccata omnia remittuntur, tum quia concupiscentia non est res occulta, aut obscura, vt dicendum sit, Delicta quis intelligit? tum denique quia non opus est orare pro concupiscentia, aut eius moribus inuoluntariis expiandis, vt S. Augustinus docet in epist. 200 suprà citata.

Loquitur igitur Dauid de peccatis actualibus, siue venialibus, quibus rarò caremus, sine mortalibus occultis, & de quibus non omninò certi sumus, an sint nobis remissa. Itaq; Dauid, quamuis iustificatum se esse speraret, rectè tamen dicebat: *Delicta quis intelligit? ab occultis munda me Domine.* Et: *Cor mundum crea in me Deus.* Petebat enim mundari cor suum à maculis quotidianis, vel etiam à grauioribus, si fortè esset iis quoque ignoranter inquinatus.

Tertivm, ex Hierem. 17. *Prauum est cor hominis.* At cordis prauitatem quis neget, inquit Cõfessio Saxonica, verè esse peccatum? Respondeo, prauum cor apud Hieremiam nõ est cor malum, siue inquinatum peccatis, sed callidum, ac difficilè, vt penetretur. Nam vox Hebræa est עקב *achob* non יע *raa* vnde etiam Septuaginta verterunt καρδία καβλα c. r profundum. Et consonat vocabulum sequẽs, & inscrutabile. Sed etiamsi intelligamus, cor hominis malum appellari, id ita accipiendum erit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quasi dictum sit, pronum ex natura corrupta ad malum. Pronitas autem non est propriè peccatum, vt sæpe diximus. Denique loquitur Propheta de impiis, quorum cor prauum, & immundum esse non negamus, cùm è contrario de iustis dicatur, Matth. 5. *Beati mundo corde.* Et 1. Tim. 1. *Finis præcepti caritas, de corde puro, &c.* Et Act. 15. *Fide purificans corda eorum.*

QVARTVM, ex Matth. 16. *Sola enim oratio Dominica* (inquit Lutherus in assert. art. 2.) *omnes concludit sub peccato. Quam qui orat vt fiat voluntas Dei, fatetur se non facere voluntatem Dei, qui petit, vt sanctificetur nomen Dei, agnoscit se polluere nomen Dei: qui cupit, vt adueniat regnum Dei, intelligit se sub regno esse diaboli.* Respondeo, Inanissima est obiectio. Nam (vt S. Cyprianus rectè exponit in serm. de orat. Dominica) *sanctificari petimus nomen Dei in nobis*, vt qui per baptismum sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus, perseueremus. Cupimus *vt adueniat regnum Dei*, quod post resurrectionem & iudicium expectamus, vt qui in præsenti vita Christo compatimur, in futura cum illo regnemus. Oramus, *vt fiat voluntas Dei in terra, sicut fit in cœlo*, vt infideles, qui terreni adhuc sunt, per fidem voluntatem Dei faciant, sicut eam faciunt fideles, qui cœlestes per eamdem fidem iam esse cœperunt.

Deniq; oratio Dominica vsq; adeò non convincit, in nobis perpetuò hærere originale peccatum, vt Lutherus somniat, vt & Christus, qui sine controuersia nullum omninò peccatum habuit, orauerit, vt fieret volùtas Dei, Matth. 26. & Augustinus dicat in epist. 200. & alibi nobis orationem illam Dominicam, *Dimitte nobis debita nostra*, non fore necessariam, si nullum aliud haberemus, nisi originale peccatum.

QVINTVM, ex Matth. 13. & Luc. 10. vbi *duabus parabolis* (inquit Lutherus loco citato) *ostendit Dominus non continuò hominem liberari ab omni peccato sed paulatim, ac per hoc, semper remanere aliquid peccati purgandum.* Prior parabola est de fermento misso in sata tria, quæ paulatim fermentata sunt. Posterior est de Samaritano, qui hominè à latronibus vulneratum duxit in stabulum, & plagas eius non in momẽto curauit, sed paulatim curari voluit.

RESPONDEO, parabolæ istæ nihil iuuant caussam Lutheri. Nam vt S. Augustinus rectè docet libr. 14. de Trinit. cap. 17. & alibi, cùm Scripturæ significant, hominem paulatim curari, & proficere, non loquuntur de remissione peccatorum, sed de curatione languoris ex peccato relicti. Sicut enim aliud est telum de corpore eruere, aliud vulnus per telum inflictum sanare: sic etiam aliud est peccatum tollere, quod fit in baptismo, aliud vulnus ex peccato factum, id est, concupiscentiam omninò sanare, quod fit paulatim dum imus de virtute in virtutem. Sed Lutherus caussam cum effectu, id est, peccatum originis cum vulneribus ex eo natis confundit.

SEXTVM ducit Lutherus ex cap. 15. Ioan. vbi dicit, discipulos esse purgandos, quos tamen capit. 13 dixerat esse mundos. Hinc enim sequitur, post iustificationem adhuc remanere peccata. Respondeo, purgatio in hominibus iustificatis necessaria quidem est, sed propter peccata actualia, ac præsertim venialia, quæ quotidie subrepunt, non propter originale, quod perfectè remittitur in baptismo. Vide Augustinum tractat. 80. in Ioannem.

SEPTIMVM sumit ex illo ad Galat. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum.* Sed iam suprà responsum est, concupiscentiam istam non esse propriè peccatum, dum ei spiritus reluctatur, quia non est, nisi in carne, quæ sedes peccati esse non potest. Verum enim peccatum non in carne, sed in mente quæri debet.

OCTAVVM ex illo ad Ephe. 4. *Renouamini spiritu mentis vestræ.* Non iuberet Apostolus iam renatis (vt obiiciunt Lutherus & Caluinus) vt renouarentur, nisi in eis vetustas aliqua superesset. Vetustas autem peccatum est ex primo homine contractum, sicut nouitas gratia est secundi hominis largitate donata. Respõdeo, vetustas in Scripturis duobus modis accipitur. Primo, pro peccato originis. Secundo, pro malis ex peccato relictis. Et ideò potest dici homo & perfectè renouatus per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, vt dicitur ad Tit. 3. & tamen egere renouatione, & renouari de die in diem.

Hinc S. Augustinus lib. 6. in Iulianum, cap. 5. *Exponens*, inquit, *verba mea non secundum meum sensum, sed secundum dolum tuum, dixisse me affirmas, quod gratia nõ perfectè hominẽ nouum faciat. Non hoc dico, attende quod dico. Gratia perfectè hominem nouum facit.* Et mox: *Nunc etiam perfectè innouat hominem, quantum attinet ad liberationem ab omnibus omnino peccatis, non quantum ad liberationem ab omnibus malis.* Adde quod vetustas, & nouitas dicuntur etiam in Scripturis de peccatis actualibus, & malis habitibus inde contractis, & liberatione ab iisdem. Sic enim accipienda videntur, quæ dicit Apostolus ad Col. 3. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, &c.* Et ad Ephes. 4. *Deponite vos secundum priſtinam conuersationem veterem hominem.* Item: *Deponentes mẽdacium loquimini veritatem, &c.*

NONVM ex illo Col. 3. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, &c.* Colligit hinc Lutherus, iustificatos, adhuc habere membra ista veteris Adami, quæ B. Paulus peccata esse dicit. Respondeo, per membra, quæ super terram sunt, intelligitur cõcupiscentia, quæ lex membrorum dicitur Rom. 7 eadem autem membra vocantur fornicatio, inuidia, &c. quia caussa istorum omnium est concupiscentia dum ei præbetur assensus. Iubẽtur autem iustificati mortificare hæc sua membra, ne fortè illiciendo ad consensum trahant. Quod est idem cum eo quod dicitur ad Rom. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum concupiscentijs eius.* Iustificatos autem nõ habere iam illa peccata, quę parit concupiscentia, cũ illi obeditur, docet idẽ Apostolus ibidẽ subiũges, *in quibus & vos ambulastis aliquando.*

DECIMVM sumit idem Lutherus ex illo Hebr. 12. *Deponamus omne pondus, & circumstans nos peccatum.* Respõdeo, non vocat Apostolus (vt Lutherus credidit) *circumstans peccatum* concupiscentiam penitus inhærentem. Nã cum ea deponi non possit, frustrà hortaretur ad eam deponendam. Et propterea B. Paulus per *circumstans peccatum* intelligit sine dubio aliquid extrinsecum, vt omnes ferè expositores docent. Concupiscentia autem non est quid extrinsecũ, sed res maximè interna. Ex quibus etiã refellitur expositio Bezæ in annotat. ad hunc locum. Vbi per circumstans peccatum intelligit naturæ prauitatem.

Igitur Apostolus ducit methaphoram ab iis, qui currunt, vel decertant in stadio, quibus duo præcipuè sunt cauenda, vt non grauentur aliquo onere, & vt non impediantur in certamine, vel cursu ab aliquo obstaculo. *Deponentes*, inquit, *omne pondus, & circumstans nos peccatum, curramus ad propositum nobis certamen, &c.* Et quidem per *pondus* intelligunt expositores curas inanes rerum temporalium: per *circumstans peccatum* intelligunt occasiones, & pericula peccati, siue ipsa peccata, quę nobis vndique insidiãtur. Vox enim Græca εὐπερίστατον significat id, quod facilè circumdat, & obsidet, qualia sunt quæ nobis per sensus corporis vndique ingeruntur, à quibus facillimè capimur, nisi diligentissimè caueamus.

Opponit autem B. Paulus eleganter *circumstans peccatum* circumpositæ nubi Sanctorum exemplorum, dixerat enim: *Habentes igitur tantam circumpositam* (Græcè τοσοῦτον ἔχοντες) *nubem testium deponentes omne pondus, &c.* significare volens ita nos vndique circumdari exemplis sanctorum Patrum, sicut circumdamur periculis, & occasionibus peccãdi, vt ad exẽpla illa aspicientes discutere possimus omnia iacula aduersarij. Ex quo intelligimus, verũ esse quod suprà diximus, per *circumstans peccatum* non posse intelligi concupiscẽtiam nobis insitam, sed extrinsecas

secas tentationes: sicut extrinseca sunt exempla Sanctorum, quæ circumstanti peccato Paulus opponit.

Vndecimum sumit idem Lutherus in assert. art. 3. ex illo Iacobi 1. *Vt simus initium aliquod creaturæ eius.* Philosophatur enim Lutherus, nos dici initium, quia imperfectè iustificamur, & semper aliqua ex parte peccatum in nobis remaner, ac si dictum esset, inchoatio quædam sumus, non complementum, partim iusti, partim peccatores. Respondeo, vox Græca apud Iacobum ἀπαρχὴν omnium consensu non opponitur complemento, sed primatium, & præcipuum significat. Quare multi vertunt, etiam ex aduersariis, *vt simus primitiæ creaturarum.*

Vult igitur Beatus Iacobus sanctos, & electos esse primitias, id est, partem perfectissimam creaturæ. Alioqui si Lutheri sententia vera esset, Christus ipse non perfectè, sed inchoatè tantum resurrexisset. Nam 1. Cor. 15. vbi legimus: *Christus resurrexit primitiæ dormientium.* Et rursus: *Omnes viuificabuntur, vnusquisque in suo ordine.* Primitiæ Christus, deinde ij qui sunt Christi, in vtroque loco nomine primitiarum in Græco habetur ἀπαρχὴ, quo vocabulo (vt diximus) vtitur Iacobus cum ait: *Vt simus initium aliquod creaturæ eius.*

Duodecimum sumit idem Lutherus ex illo 1. Ioan. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus.* Vbi notat, non esse dictum, habuimus, sed habemus. Nullum est autem peccatum semper in nobis manens, nisi concupiscentia. Respondeo, loquitur B. Ioannes de peccatis actualibus, sed quotidianis, ac minutis, quæ frequentissima sunt, vt docet S. Augustinus tract. 1. in epist. Ioan. lib. de natura & gratia, cap. 36. & alibi passim. Similis est sententia illa B. Iacobi cap. 2. *In multis offendimus omnes.* Vbi tamen clarius explicatur, hęc esse peccata actualia, non originalia.

Adde, posse fieri, vt saltem ad breue tempus aliquis careat omni peccato, etiam venialitamen quia verè Iob dicit, ca. 9. *Si iustus fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Ideo de se ipse nemo affirmare potest, se non habere peccatũ. Quare rectè B. Ioannes non ait, Si dixerimus, aliquem non habere peccatum. Sed, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus, &c.*

Kemnitius in Examine Concilij, pagin. 514. planè ridiculum se ostendit circa hunc locum. Clamat enim ingentem esse blasphemiam, si hunc locum de peccatis actualibus intelligendum esse dicamus, quoniam si ita esset ad infantes & dormientes ea sententia minimè pertineret. Quasi verò infantes, & dormientes vmquam dixerint, se peccatum non habere. An non ipse Ioannes, cùm ait, *Si dixerimus*, apertissimè testatur, se de iis tantum loqui, qui sermonis, & rationis vsum habentes falsò pronunciant, se esse quod non sunt: quod certè infantes, & dormientes facere non possunt.

CAPVT XII.

Soluuntur obiectiones ex Patribus.

EX Patribus aduersarij non pauca argumenta colligunt, præsertim Kemnitius. Nam Lutherus vno vel altero Augustini testimonio, eóque falsò citato contentus fuit. Caluinus Ambrosium Augustino adiunxit. Kemnitius Cyprianum, Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum produxit. Id quod necessario fecit: nam Concil. Trid. sess. 5. docet, per baptismum tolli quidquid in nobis peccati rationem habet: & concupiscẽtiam reliquam Ecclesiam Catholicam numquam intelexisse, veram peccati rationem habere. Ille igitur reprehendens hanc sententiam tenetur ostendere, Ecclesiam Catholicam sensisse concupiscentiam in renatis verũ, ac proprium esse peccatum: quod se facturũ prolatis vetustissimorum Patrum testimoniis, audacissimè pollicetur.

Ex Cypriano igitur Kemnitius in Examine Concilij Tridentini, pag. 481. quædam verba profert in medium, quæ sunt apud Augustinum li. 2. in Iulianum. Sic autem Kemnitius loquitur: *Et Cyprianus apud Augustinum malis moribus de origine venientibus fortiter resistens*, inquit: *ne quisquam sibi de puro atque immaculato pectore blandiatur, vt innocentia sua freetus medicinam non putet adhibendam esse vulneribus, cum scriptum sit, Quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse à peccatis? Si autem nemo sine peccatis esse potest, quisquis se inculpatum esse dixerit, aut superbus, aut stultus est.* Respondeo, incredibilem esse Kemnitij impudentiam, & nequitiam, cuius perpetuas in gehenna sine dubio pœnas luet.

Sciendum igitur est S. Augustino in 2. libro aduersus Iulianum, id propositum fuisse, vt ex testimoniis sanctorum Patrum euerteret quinque argumenta Pelagianorum. Sic enim ipse loquitur initio libri: *Nunc argumenta ipsa vestra quibus agitis, ne hominum prima natiuitas originale peccato crederetur obstricta, eloquiis sunt redarguenda sanctorum.* Et mox, enumerans illa argumẽta: *Dicitis*, inquit, *nos asserendo originale peccatum, diabolum dicere hominum nascentium conditorem, damnare nuptias, negare in baptismo dimitti vniuersa peccata, Deum crimine iniquitatis arguere, desperationem perfectionis ingerere. Hæc quippe omnia consequentia esse contenditis, si credamus nasci paruulos peccato primi hominis obligatos.* Deinde toto libr. recitat sanctorum Patrum varia testimonia, quibus modo vnum, modo alterum, modo plura simul ex prædictis argumẽtis euertit. Adfert igitur, præter cætera, testimonium Cypriani, vt euertat argumentũ quintũ, ac probet, posse hominem perfectè viuere, etiãi peccatum originale contraxerit, &, eo per baptismum remisso, relicta sit in membris nostris concupiscentia, cum qua sit perpetuo, dum viuimus depugnandum.

Testimonium Cypriani ex lib. de mortalitate, hoc est: *Cum auaritia nobiũ*, inquit, *cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitiis, cũ illecebris secularibus assidua, & molesta luctatio est, &c.* Post hoc testimoniũ sub iungit Augustinus: *Absit autem vt S. Cyprianum aut auaritiæ existimemus, quia cum auaritia: aut impudicũ, quia cum impudicitia: aut iræ subditum, quia cum ira: aut ambitiosum, quia cum ambitione: aut carnalem, quia cum carnalibus vitiis: aut seculi huius amatorem, quia cum illecebris secularibus confligebat. Immo verò ideo nihil eorum erat, quia his malis motibus partim de origine, partim de consuetudine venientibus fortiter resistebat.* His verbis docet Augustinus, S. Cyprianum virtutem fuisse vitiorum, & malos illos motus de vitiata origine venientes non solùm non fuisse in eo vera peccata, sed potius cotem fuisse virtutis, & materiam gloriosæ victoriæ.

Cæterum quia periculum erat, ne Pelagiani colligerẽt ex hac S. Augustini responsione, posse hominẽ ita perfectè viuere, vt in nullũ vmquam laberetur veniale peccatum: qui erat alius ipsorum error: idcirco idem Augustinus subiungit continuò: *Nec ideo tamen in tam periculoso labore ipsorum certamine nullo telo feriebatur hostili, cum dicat in epistola sua de eleemosynis: Nec quisquam sibi de puro, atque immaculato pectore blandiatur, vt innocentia sua freetus non putet medicinam adhibendam esse vulneribus, cum scriptum sit, Quis gloriabitur castum se habere cor, &c.*

Itaque S. Augustinus ex testimoniis Cypriani à Kemnitio etiam citatis, Duos confutat errores, qui sunt hoc tempore ipsi Kemnitio cum Lutheranis omnibus communes. Vnus est, non posse eum, qui habuerit originale peccatum, veram iustitiam operari. Existimant enim Lutherani omnia opera nostra esse peccata, quia contaminentur à concupiscentia, quæ est ipsorum sententia, verè propriéque peccatum. Alter est, nullum esse peccatum naturâ sua veniale, sed omnia per se esse mortalia.

Hinc igitur apparet multiplex Kemnitij impudentia. Primum enim ita coniunxit verba illa Sancti Augustini (*His malis motibus de origine venientibus,*) Cũ illis Cypriani (*Ne quisquã sibi de puro, atque immaculato pectore blandiatur, &c.*) vt videatur Cyprianus dicere malos illos motus vera esse peccata, etiam cùm eis resistitur. At priora verba non

Universidad de Deusto
Biblioteca

ba non sunt Cypriani, sed Augustini, qui (vt iam dixi- A
mus) probat ex libro Cypriani de mortalitate, eum qui
resistit malis moribus veram virtutem assequi: & non so-
lum non peccare, sed etiam coronam mereri. Posteriora
verba sunt Cypriani, sed ex alio libro, ex tractatu videli-
cet de eleemosyna, vbi Cyprianus ostendit, homines quã-
tumuis iustos, & perfectos non carere peccatis venialibus, & ideo eleemosynæ pharmaco indigere.

Deinde Kemnitius non solum perperam testimonia sanctorum Patrum vsurpat, sed etiam incredibili audacia illa ipsa pro se adducit, quibus error ipsius, vt iam ostendimus, manifestè planéque conuincitur. Denique addit ad impudentiam, cùm ob hæc testimonia Cypriani, & aliud Hilarij, quod mox citabimus, his verbis triumphum canit. *Obsecro autem lectorem, vt hæc Hilarij, & Cypriani verba conferat ad decretum Tridentinum: quod affirmat in baptismo ita tolli, quicquid habet veram, & propriam ra-* B
tionem peccati, vt renati efficiantur innocentes, immaculati, puri, innoxij. Patres certè contrarium dicunt: & tamen non verentur Tridentinum de consensu Catholicæ Ecclesiæ gloriari. Immò non veretur hæreticus peruertere verba Patrum, & cùm ceciderit in foueam, quam fecit, ita gloriari, quasi alios deiecisset. Sed videamus, quid ex Hilario Kemnitius proferat.

Hilarius, inquit Kemnitius, *vocat corpora nostra omnium vitiorum materiam. Mala quæ in nobis sunt malitiam per conditionem originis. Et vbi expressè de renatis, qui concupiscentiæ repugnant, Hilarius loquitur* inquit: *memores illa ipsa corpora nostra omnium vitiorum esse materiam, pro qua pollui, & sordidi nihil in nobis mundum, nihil innocens obtinemus.* Et paulò post: *Augustinus etiam hanc Hilarij sententiam citat: Nos in hoc terreni, & morticini corporis habitaculo, mundos esse non posse, nisi per ablutionem cœlestis misericordiæ emundationem consequamur, post* C
dem mutationem resurrectionis, terreni corporis nostri effecta gloriosiore natura. Rursus: *Ipse*, inquit, *Apostolis verbo iam licet fidei emundatis, atque sanctificatis, non deesse tamen malitiam, per conditionem communis nobis originis docuit dicens, si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris.*

Respondeo, in primo testimonio ex Hilario adducto habemus, corpora nostra propter morbum concupiscentiæ materiem esse omnium vitiorum, quia concupiscentia, quamuis ipsa propriè peccatum non sit, tamen caussa est peccatorum, dum ad peccata stimulat, & impellit. Et, quantum est ex parte concupiscentiæ, nihil mundum, nihil innocens in nobis est, sed variis peccatis polluti, & sordidi sumus. Sed quamuis ita se res habeat, tamen si gratia Domini adiuti fortiter concupiscentiæ resistimus: non solum non polluimur, aut sordidamur, sed coronam obtinemus, & à peccatis alias perpetratis per hanc victoriam emundamur. Sic enim loquitur idem Hilarius in eodem loco ab Augustino citatus: *Tanta* inquit, *& tam admirabilis in nos misericordia Dei bonitas est, vt per quem in Adæ offensa generositatem primæ, & beatæ illius creationis amisimus, per eum rursus id quod amisimus, obtinere mereamur: tunc enim diabolus inuidens nocuit, nunc autem cum nocere nititur, vincitur. Monet enim per infirmitatem carnis nostræ omnia potestatis suæ tela, cum ad lasciuiam accendit, cum ad ebrietatem illicit, cum ad odia stimulat, cum ad auaritiam prouocat, cum ad cædes instruit, cum ad maledicta exacerbat. Sed cum per infirmitatem animi horum omnium surrepentia incentiua reprimuntur, emundamur a peccato per huius victoriæ gloriam.* Hinc autem deducit per modum conclusionis verba illa, quæ citat Kemnitius: *Memores igitur*, inquit, *& conscij illa ipsa corpora nostra omnium vitiorum esse materiem, pro qua pollui, & sordidi nihil in nobis mundum, nihil innocens obtinemus, gaudeamus nobis esse hostem, in cuius concertatione quodam concertationis nostræ bello dimicemus.*

Vbi non dicit Hilarius nos absolutè pollutos, & sordidos esse, & nihil mundum, nihil innocens obtinere: sed ex parte concupiscentiæ, quæ materia est vitiorum, & semper incitat ad peccata, nihil nos nisi pollutionem, & sordes habere posse, tamen ex parte gratiæ, per quam vincimus concupiscentiæ incentiua non solum pollutionem, & sordes euadimus, sed magis etiam emundamur, atque purgamur. Alioqui si absolutè polluti, & sordidi essemus etiam quando resistimus concupiscentiæ (vt Kemnitius docet) non diceret Hilarius, gaudendum nobis esse, quod hostem habeamus (quæ verba studiosè Kemnitius prætermisit) nam si nihilominus polluimur, & sordidamur, & nihil mundum, nihil innocens obtinemus, certè non gaudendum, sed flendum nobis est. Neque verba illa: *Memores igitur*, &c. idem Hilarius tanquam conclusionem ex verbis illi deduceret, *emundamur a peccato per huius victoriæ gloriam*) quomodo enim emundamur per victoriam, si etiam pugnantibus nobis nihil mundum, nihil innocens obtinemus? Atque hæc de primo testimonio.

Alterum testimonium, & Tertium eiusdem Hilarij S. Augustinus ad peccata venialia refert. Postquam enim probauerat ex Cypriano, homines iustos in hac vita indigere mundatione à peccatis venialibus: idem probat ex Hilario, adductis duobus testimoniis, quæ sunt illa, quæ citauit Kemnitius. Quamuis enim renati puri, iusti, & innocentes (vt Concilium Tridentinum loquitur) re vera sint, & mundi à peccatis omnibus præteritis, siue originalibus, siue actualibus per baptismum, tamen in hac vita, quæ tota tentatio est, non possunt longo tempore viuere sine aliqua noua sorde peccati, saltem quotidiani, & venialis, vnde immundi, & mali dici possunt.

Possemus præterea duo hæc Hilarij testimonia exponere de pronitate ad malum, quæ tamen si proprij nominis p eccatum non sit, tamen malum quoddam est & immũdities, ac malitia dici potest. Certè verba illa Domini: *Si vos cum sitis mali.* Matth. 7. Quæ Hilarius citat, omnino commode referri possunt ad pronitatem, vt sensus sit, si vos qui ex natura corrupta proni estis ad malum, nostis bona dare filiis vestris: quanto magis pater cœlestis, qui ex natura sua pronus est ad benignitatem, dabit spiritum bonum petentibus se?

Sequitur testimonium S. Ambrosij, quod Caluinus & Kemnitius, ex eodem S. Augustini lib. 2. in Iulianum citant. Sed verba ipsa Kemnitij audiamus: *Ex Ambrosio*, inquit, *Augustinus vocat vitia nostra, quæ legi mentis ex lege peccati resistunt. Illorum reatus quidem in baptismo periit, infirmitas verò mansit.* Item: *Ambrosius vocat iniquitatem, non illam, quæ deletur in baptismo. Illa namque peccatorum, quæ fecimus fuit quæ cuncta remissa sunt, atque omnino non sunt. Istam verò legem peccati, cuius manentis reatus in sacro fonte remissus propterea vocauit iniquitatem, quia iniquum est, vt caro concupiscat aduersus spiritum, quamuis adsit in nostra renouatione iustitia.* Ibidem: *Ambrosius dicit quandam delectationem esse diuino mandato aduersam, & de illa Paulum loqui cum ait, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mẽtis meæ. Ambrosius igitur nostram sententiam ipsissimis verbis reddit, & exprimit.*

Respondeo tota Kemnitij obiectio in tribus vocibus posita est. Quod videlicet sanctus Ambrosius vocat concupiscentiam, quæ est in renatis, *vitium, iniquitatem, & delectationẽ mandato Dei aduersam.* Quod attinet ad vocabulum vitij, dico per eam vocem significari omnem corruptionem & lãguorem, etiamsi propriè non sit peccatum. Et hæc non mea, sed Augustini responsio est. Sic enim ipse loquitur in eodem 2. lib. in Iulianum: *Iam ne discernis, iam ne perspicis, iam ne respicis & in baptismate fieri omnium remissionem peccatorum, & cum baptizatis quasi ciuile bellum interiorum remanere vitiorum? non enim talia sunt vitia quæ ita peccata dicenda sint, si ad illicita opera spiritum concupiscentia non trahat, & concipat, pariatq; peccatum: passiones sunt, vitia sunt, frenandæ, cohibenda, sananda sint. sed dum eis animus non infesta sunt.*

Quod ad vocem Iniquitatis: dico vocari concupiscentiam ab Ambrosio iniquitatem, quia est deordinatio quædam, & peruersitas naturæ contra ordinem in prima creatione positum, non tamen propriè peccatum, cum eiusmodi

eiusmodi peruersitas non sit in voluntate, quæ sola ca- A
pax est peccati propriè dicti, sed in carne. Nam etsi nunc equus fræni impatiens deliciat sessorem, iniquitas est, quia secundum ordinem à Deo in creatione positum, debuerunt animantia omnia homini obedire. Quia tamen equus nec virtutis, nec vitij propriè capax est, ea non est iniquitas, nisi materialiter, & improprie.

Hoc modo intellectam esse in verbis Ambrosij ab Augustino iniquitatem, patet ex Tribvs, Primo quia dicit, hanc iniquitatem esse in carne, non in mente. Propterea, inquit, vocauit iniquitatem, quia iniquum est vt caro concupiscat aduersus spiritum. Secundo, quia cum hac iniquitate iustitiam in eodem homine esse testatur. *Quamuis*, inquit, *adsit in nostra renouatione iustitia.* Non potest autem iniquitas proprie dicta cum iustitia in eodem homine commorari. Tertio, quia idem Augustinus tract. 41. in Ioan. dicit, per baptismũ tolli omnem iniquitatem, & solum remanere infirmitatem. Ex quo sequitur, vt concupiscentia remanens nõ sit propriè iniquitas, sed B
infirmitas. Adde quod S. Ambrosius in libr. de Isaac & anima, cap. 8. vnde sumptum est testimonium, de quo agimus, satis apertè significat, per Iniquitatem se intelligere passionem corporis, quæ caret proprio nomine, & iniquitas dici potest per tropum, quia ad iniquitatẽ perducit. Nam comparat animam currui, Christum aurigæ, quatuor virtutes cardinales quatuor bonis equis, quatuor passiones quatuor malis equis: *Boni equi*, inquit, *virtutes sunt animi, mali equi passiones corporis. Boni equi prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia. mali equi iracundia, concupiscentia, timor, iniquitas.* Vbi vides opponi prudentiæ non vitium stultitiæ, sed passionem iracundiæ: temperantiæ, & fortitudini opponi vides non vitia contraria, sed passiones? sic igitur & iustitiæ nõ opponit vitium contrarium, quæ est iniquitas propriè dicta, sed passionem quamdam corporalem, quæ non est iniquitas, nisi impropriè.

Quod attinet ad vltimum vocabulum, id est, *delectationem diuino mandato aduersam*: supra copiosè respondimus, vbi demonstrauimus, concupiscentiam inuoluntariam legi Dei esse contrariam, solum materialiter, id est, vt obiectum, non vt actum. Lex enim propriè ipsi homini prohibet, ne consentiat in concupiscentiam, siue carnis delectationem. Et ideo consensus est propriè actus legi Dei contrarius: delectatio verò solius carnis, spiritu repugnante, non est contraria, nisi materialiter, ac per hoc neque peccatum est, nisi materialiter. Vide cap. 10. in refutatione quartæ obiectionis.

Ex his intelligi potest quã vana sit illa Kemnitij gloriatio: *Ambrosius igitur nostram sententiam ipsissimis verbis reddit, & exprimit.* Ipsissima enim verba Lutheranorum illa sunt, quod concupiscentia in renatis, per se, ex se, & ex natura sua sit verum, & propriè dictum peccatum, quod reum facere, & damnare in æternum possit, si Deus imputare velit, & propterea nulla sit in homine vera iustitia, sed omnia eius opera bona sint peccata mortalia, & similia, quæ nec in Ambrosio, nec in vllo alio sancto D
Patre reperiuntur.

Quarto loco producit Kemnitius S. Hieronymũ: *Hieronymus*, inquit, *in 7. cap. Matth. dicit προπάθειαν esse primos motus, quando ab initio mouent, & irritant: πάθος verò esse, postquam ad illos voluntatis consensus accesserit, & de primis motibus dicit, quamuis habeant culpam, tamen non teneri crimine.*

Respondeo, non loquitur S. Hieronymus in comm. cap. 5. Matth. (hic enim est locus, non in cap. 7. vt falsò Kemnitius citat) de concupiscentia, vt significat pronitatem, quam aduersarij peccatum originis esse volũt, sed de actu concupiscentiæ: & distinguit Duplicem actum, Vnum planè voluntarium, & hunc vocat *passionem* & *crimen*, id est, peccatum lethale, vt cùm quis consentit desiderio adulterij. Et hoc sine dubio peccatũ est, sed actuale, non originale. Alterum non omnino voluntarium, nec A
omnino inuoluntarium, vt cum quis visa muliere titillatur delectatione, quam videlicet præcauere potuisset, si diligenter oculos suos custodire voluisset, & hanc vocat *propassionem*, ac dicit vitij culpam habere, non tamen crimen, hoc est, peccatum esse veniale non mortale. Quod quidem verissimum est, & cum Kemnitij, & Lutheranorum cæterorum sententia manifestè pugnat, qui discrimen peccati mortalis, & venialis ignorant.

At pro sententia Kemnitij testimonium hoc S. Hieronymi, nullo colore adferri potest. Siquidem ipse cum Lutheranis cæteris concupiscentiam renatorum aut liberant ab omni culpa, si culpa pro reatu accipiatur, aut culpam mortalem, & damnantem illi tribuunt, si culpa pro eo accipiatur, quod natura sua imputari, & damnare potest. S. verò Hieronymus apertissimè distinguit inter *culpam vitij*, & *crimen*: & *propassionis* tribuit tãtum *culpam vitij*, quæ polluit aliquo modo, sed non damnat ex natura sua, cùm non sit crimen. *Passioni* autem, id est, concupiscentiæ omnino voluntariæ tribuit *crimen*, quod facit reum ignis æterni. Quod si, vt quidam volunt, in textu B. Hieronymi non legatur vitij culpam, sed initij, tum sensus erit, primos motus non esse peccata, sed originem, & causssam peccatorum.

CAPVT XIII.

Respondetur ad loca, quæ producuntur ex Augustino.

VENIAMVS nunc ad loca, quæ citantur ex Augustino. Primũ citat Lutherus in assert. 2. articuli duo loca, vnum ex lib. 1. de nuptiis & concupiscentia, ca. 25. vbi dimitti dicit peccatum in baptismo, *non vt non sit, sed vt non imputetur*, ac dicit vitij culpam habere, non tamen crimen, hoc est, peccatum esse veniale non mortale. Quod quidem verissimum est, & cum Kemnitij, & Lutheranorum cæterorum sententia manifestè pugnat, qui discrimen peccati mortalis, & venialis ignorant.

At pro sententia Kemnitij testimonium hoc S. Hieronymi, nullo colore adferri potest. Siquidem ipse cum Lutheranis cæteris concupiscentiam renatorum aut liberant ab omni culpa, si culpa pro reatu accipiatur, aut culpam mortalem, & damnantem illi tribuunt, si culpa pro eo accipiatur, quod natura sua imputari, & damnare potest. S. verò Hieronymus apertissimè distinguit inter *culpam vitij*, & *crimen*: & *propassionis* tribuit tãtum *culpam vitij*, quæ polluit aliquo modo, sed non damnat ex natura sua, cùm non sit crimen. *Passioni* autem, id est, concupiscentiæ omnino voluntariæ tribuit *crimen*, quod facit reum ignis æterni. Quod si, vt quidam volunt, in textu B. Hieronymi non legatur vitij culpam, sed initij, tum sensus erit, primos motus non esse peccata, sed originem, & causssam peccatorum.

CAPVT XIII.

Respondetur ad loca, quæ producuntur ex Augustino.

VENIAMVS nunc ad loca, quæ citantur ex Augustino. Primũ citat Lutherus in assert. 2. articuli duo loca, vnum ex lib. 1. de nuptiis & concupiscentia, ca. 25. vbi dimitti dicit peccatum in baptismo, *non vt non sit, sed vt non imputetur*. Alterum ex eodem libro ca. 27. vbi dicit, idem peccatum *reatu transire, actu manere*. Respondeo, Lutherus (vt supra diximus) crimẽ falsi commisit. Nusquam enim S. Augustinus dixit, peccatum in aliquo esse, sed nõ imputari, vel actu manere, reatu trãsire. Neque enim tam C
stupidus erat, vt non intelligeret, reatum à peccato separari non posse, cum in eodem lib. ca. 26. scripserit: *Hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati.* Loquitur igitur S. Augustinus in duobus locis citatis de concupiscentia, eámque dicit in renatis non esse peccatum, non imputati, nec reos facere, licet maneat quoad actum quia non cessat praua desideria excitare.

Sed contra solutionem est argumentum Melanchthonis & Caluini, & aliorum. S. Augustinus nõ solum in lib. 1. de nuptiis & concupiscentia, ca. 25. sed etiam lib. 2. in Iulianum, & alibi passim dicit concupiscentiam in baptismo remitti: *Lex*, inquit, *ista peccati & remissa est in regeneratione spirituali, & manet in carne mortali.* At nihil remittitur, nisi peccatum: igitur ipsa in se verè peccatum erat, antequam remitteretur. Sed manet in renatis eadem, quæ antea erat, quoad substantiam, ergo adhuc verè peccatum est, & solum remitti dicitur, quia non imputatur. Respondeo, S. Augustinus significat quidem concupiscentiam in non renatis esse peccatum, & propterea remitti per D
baptismum: sed intelligit eam peccatum esse, non ratione sui, sed ratione reatus peccati originalis, qui cum ea annexus manet vsque ad baptismum. Sic enim loquitur idẽ Augustinus lib. 1. de nuptiis & concupis. cap. 32. *Hæc itaque remissio peccatorum quamdiu non fit in prole, sic ibi est lex ista peccati, vt etiam in peccatum imputetur, id est, vt etiam reatus eius cum illi fit, qui eum teneat æterni supplicij debitorem.* Hæc ille, qui similiter loquitur in multis locis.

Sed hoc loco diligenter attendẽdum est, reatum concupiscentiæ Tribus modis intelligi posse. Primo, dici potest reatus concupiscentiæ, reatus qui ab ipsa oritur, & in ipsa fundatur, ita vt reus sit qui ipsam habet, quia ipsam habet. Sicut dicitur reatus furti is, quo propriè reus dicitur, qui furtum fecit. Secundo, dici potest reatus concupiscen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

piscentiæ, is, quo ipsa facta est, non quem ipsa facit, quo modo si quis sibi ipse manum abscinderet, diceretur esse reus manus abscisæ, non quod habere manum abscissam sit peccatum, vel reum faciat, sed quod abscindere sibi manum sit contra rationem, & reatum faciat. Sic igitur dicitur reatus concupiscentiæ, non quod ipsam habere, faciat hominé reum, sed quod ipsa nata sit ex reatu peccati Adami, qui factus Deo rebellis, meruit in se experiri cárnis suæ rebellionem. Tertio, dici potest etiam reatus concupiscentiæ is, quem ipsa facit si ad consensum pertrahat, vt non sit propriè homo reus, quia concupiscentiam habet, sed quia concupiscentiæ cedit.

Ex his Tribus modis aduersarij Primum eligunt, & ideo concupiscentiã propriè peccatum esse volunt. Nos autem Secundum & Tertium accipimus: & ideo concupiscentiam non tam peccatum, quàm effectum, & causam peccati esse contendimus. Potrò secundum illum, & tertium modum esse ex mente S. Augustini probamus ex verbis eiusdem in 2. libr. aduersus Iulianum, circa medium epilogi: *Quamuis*, inquit, *iam non eodem modo appelletur peccatum quo facit reum, sed quod sit reatu primi hominis factum, & quod reb llando nos trahere nititur ad reatum.* Rursus in eodem lib. paulò superius explicans testimonium Ambrosij de bonis, & malis equis, indicat modum tertium, his verbis: *An nondum fateberis, quod reatus eorum perierit, infirmitas manserit, non reatus, quo ipsa rea fuerant, sed quo nos reos fecerant in malis operibus, quo nos traxerant?* His enim verbis ostendit Augustinus vitia cum quibus nascimur, remitti in baptismo, quia reatus eorum remittitur, licet infirmitas remaneat. Per reatum autem dicit se intelligere reatum malorum operum, quæ fecimus concupiscentiæ assentiendo.

In eodem etiam libr. 2. in Iulianũ paulò ante medium libri, meminit secundi modi. Nam cùm dixisset, concupiscentiæ reatum, vt cætera peccata omnia solui in baptismate, & deinceps eam manere ad agonem: obiicit sibi dicturum Iulianum id malum, contra quod post baptismum dimicamus, non esse aliquid à parentibus tractum, sed malos habitus ante baptismum propriis actibus acquisitos. Deinde respondet his verbis: *Si hoc dicis, iam procul dubio vernis, atque concedis esse in homine aliquid mali, quod non ipsum, sed reatus, qui ex illo cœrt actus fuerat, auferatur in baptismo.* Quibus verbis similem esse docet S. Augustinus concupiscentiam, nobis innatam malo habitui multis malis actibus comparato: & quemadmodum in baptismo adultorum remittuntur omnia peccata, quibus comparatus est habitus, non tamen ipse habitus tollitur: ita quoque in baptismo paruulorum remitti peccatum originis, vnde cõcupiscentia nata est, non tamen ipsam concupiscentiam penitus extirpari. Iam verò certũ est, eum, qui malos habitus contraxit, non esse reum propriè, quia malos illos habitus habet, sed quia malos actus fecit, vnde mali habitus processerunt. Sic igitur qui concupiscentiam habet, non est reus propriè ratione concupiscentiæ, quasi peccatum sit illam habere, sed ratione peccati, quo ipsa concupiscentia facta est.

Atque hac ratione remitti dicitur concupiscentia in baptismo, non ratione sui, sed ratione annexi reatus, qui eius reatus dicitur, quia per eum, vt diximus facta est. Idem S. Augustinus libro 1. Retractationum, ca. 15. dicit, homines nasci implicatos reatu Adæ, & ob id pœnæ obnoxios, & paulò post eam pœnam, cõcupiscentiam esse docet: reatus igitur, qui soluitur in baptismo, non est propriè reatus, quem concupiscentia facit, sed reatus, vnde pœna ista processit. Reatus enim Adæ, quo & nos nascimur implicati, non fuit habere concupiscentiam, vt notum est, sed mente auerti à Deo, vnde nata est auersio carnis à ratione. Quocirca idem Augustinus libr. 14. de Trinitate, capit. 17. apertissimè scripsit, in baptismo remitti omnia peccata, non tamen extingui concupiscentiam, quia aliud est causam remouere languoris, aliud ipsum curare languorem: vbi cùm dicit in baptismo per remissionem peccati, siue reatus causam concupiscentiæ remoueri, euidenter ostendit, reatum concupiscentiæ, qui remittitur in baptismo, non esse reatum, quem concupiscentia facit, sed per quem concupiscentia facta est.

Denique idem S. Augustinus lib. 6. in Iulianum, ca. 5. dicit, in baptismo tolli reatum omnium malorum, non omnia mala, & ponit exemplum de corruptione corporis, & de ignorantia, & idem intelligit de concupiscentia, immò de ipsa præcipuè loquitur. At certum est reatum corruptionis corporis, qui tollitur in baptismo, esse reatum, quo ipsa corruptio facta est, nõ autem quem ipsa corruptio faciat, quasi peccatum sit esse mortalem.

Sed contra hanc nostram solutionem multa S. Augustini testimonia ab aduersariis adducuntur, quibus ipsi demonstrare nituntur, reatum concupiscentiæ qui soluitur in baptismo, accipiendum esse Primo modo superius explicato, id est, esse reatum, qui concupiscentiam ipsam comitatur, ita vt sit reus quicumque concupiscentiam habet, hoc ipso quod concupiscentiam habet, nisi per baptismum reatus huiusmodi remittatur. Libro 2. in Iulianum ante medium: *Non tamen*, inquit, *ideo multum hoc nihil nocuisset, etiamsi prius quàm in illo apparere cœpisset, paruulus ex hac vita exisset, quia reatu eiusdem mali, non quo reum malum est, sed quo reum facit, in quo est, sicut generatione contrahitur, ita nisi regeneratione non soluitur.*

Rursus in eodem libro circa medium epilogi: *Quamuis iam non eodem modo appelletur peccatum, quo facit reum, sed quod sit reatu primi hominis factum.* Vbi illud iam, satis apertè demonstrat concupiscentiam post baptismũ non habere reatum, quo ipsa faciat reum, sed ante baptismum habuisse. Item lib. 1. de nuptiis & concupiscentia, c. 23. *Hæc*, inquit, *concupiscentia, quæ solo Sacramento regenerationis expiatur, profectò peccati vinculum generatione traiicit in posteros, nisi ab illo & ipsi regeneratione soluantur.* Item lib. 6. in Iulianum, cap. 5. *Tale porro, ac tam magnum malum, tantum quia inest, quomodo non teneret in morte, & pertraheret in vltimam mortem, nisi & eius vinculum in illa, quæ fit in baptismo, remissione peccatorum omnium solueretur.* Et eodem lib. cap. 6. *Non*, inquit, *eam* (concupiscentiam) *malam dicimus, & manere tamen in baptizatis, quamuis reatus eius, non quo ipsa rea erat, neque enim aliqua persona est, sed quo reum hominem originaliter faciebat fuerit remissus, atque vacuatus.*

Item lib. 1. de nuptiis concupiscentia, cap. 26. Augustinus dicit, quod, *sicut adulter tum actu transit, remanet reatu, ita concupiscentia transit reatu, & remanet actu.* Vbi comparat reatum concupiscentiæ cum reatu adulterij. Reatus autem adulterij, est reatus quo ipsum adulterium reum facit hominem. Denique lib. 6. in Iulianum, capit. 8. Augustinus dicit, reatum esse ordinationem diuinæ legis, vt nulla iniquitas maneat impunita, nisi Christi sanguine expietur. Et mox subiungit concupiscentiam quæ est in renatis esse iniquitatem, & puniendam fuisse, nisi per baptismum expiata fuisset: *Neque enim*, inquit, *nulla est iniquitas si in vno homine, vel superiora inferioribus turpiter seruiãt, vel inferiora superioribus contumaciter reluctentur, etiamsi vincere non sinantur, &c.*

Respondeo, in Vltimo testimonio (vt ordine retrogrado procedamus) vocat Augustinus concupiscentiam iniquitatem, quia talis est, vel formaliter, si in mente sit, vt cùm superiora inferioribus turpiter seruiunt: vel certè materialiter, si in sola carne sit, vt cùm inferiora superioribus reluctantur, etiamsi vincere non sinantur. Nam non esse concupiscentiam solius carnis, quæ remanet in renatis, propriè, & formaliter iniquitatem, patet ex tract. 41. in Ioannem, vbi dicit Augustinus per baptismum toram deleri iniquitatem, & solam remanere infirmitatem. Hæc autem infirmitas, quæ est materialis

iniqui

iniquitas, rectè dicitur punienda, nisi expiata esset, propter reatum, quo facta est, qui cũ ipsa trahitur ex Adam, & cum ipsa manet donec remittatur, quo reatu ipsa concupiscentia dicitur hominem reum facere, non quod absolutè illam habere sit peccatum, sed quia peccatum est, illam habere ex propria culpa.

In testimonio penultimo non comparat Augustinus concupiscentię reatum cum reatu adulterij in omnibus, sed in eo tantum quod, vt separatur reatus adulterij ab adulterio: ita separatur reatus concupiscentiæ à concupiscentia. Nam alioqui idem Augustinus libr. 6. in Iulianum. ca. 7. dicit concupiscentiam similem esse habitui, non actui, & capite 8. dicit, non esse similem adulterio, vel sacrilegio, sed manenti qualitati.

Ad cætera loca dici posset per eum reatum, quo concupiscentia facta est, ab ipsa concupiscentia fieri hominem reum, donec non remittitur per baptismum. Potest etiam dici, in his locis loqui Augustinum de concupiscentia, quatenus ea efficit habitum totalem corruptum, vt supra diximus, verè enim ille totalis habitus, siue totalis illa naturę, & omnium potentiarum corruptio, facit hominem reum etiamsi tantum insit, & nihil operetur: vt in infantibus.

Cæterum in hoc totali habitu pars vna, id est, auersio mentis à Deo, est formaliter peccatum, & reum hominem propriè facit: altera, id est, rebellio partis inferioris à superiore non est peccatum nisi materialiter, nec facit propriè hominem reum, nisi illiciendo pertrahat ad consensum. Quoniam igitur ante baptismum concupiscentia coniuncta est in homine cum auersione mẽtis à Deo, ideo rectè dicitur habere reatum, non solum per quem ipsa facta est, si cõsideretur vt pars illius habitus corrupti, sed etiam quo facit reum, si cõsideretur, vt vnum quid cum altera parte eiusdem habitus corrupti. Post baptismum verò, quia pars illa formalis, id est, auersio mentis à Deo sanata, & sublata est, ideo sola remanet pars altera, id est, concupiscentia carnis, quæ non habet reatum, quo faciat reum, sed solum quo ipsa facta est, vel quem producit, si regnare finitur.

Et hoc modo cohærent inter se loca omnia S. Augustini: atque etiam excluditur admiratio illa Caluini in antidoto sess. 5. Concilij Tridentini, vbi miratur, Patres Concilij rem eandem, id est, concupiscẽtiam, dicere non esse post baptismum, id quod erat antea. Patres enim rectissimè dixerunt, concupiscentiam post baptismum manere, & tamen non esse peccatum, vt erat antea, quia videlicet separata ab auersione mentis non habet annexum reatum, quem habebat antea. Atque hæc de primo genere testi moniorum S. Augustini.

Alterum genus testimoniorum adducitur à Kemnitio, eorum videlicet, quæ non videntur habere magnas vires, & ideo breuiter perstringuntur: *Ipse Augustinus*, inquit Kemnitius, *reliquam concupiscentiam vocat malam: & quomodo hoc intelligi velit, declarat per antithesim: nam dicit esse non bonam, non sanctam, sed malam, contra Iulia. lib. 6. ca. 6. & lib. 5. c. 4.* inquit, *discerne mala quæ per patientiam sustinemus ab eis malis, quæ per continentiam refrenamus. Hoc est, affirmat concupiscentiam non tantum esse malum pœnæ, sed & malum culpa. ca. 5. vocat vitium, contra quod virtute pugnandum est. Est igitur vitium tale, quod virtuti opponitur. Lib. 2. contra Iulianum, lex repugnans legi mentis, quæ in tanti quoque Apostoli membris erat, remittitur in baptismate, non finitur. Lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, ca. 3. per baptismum Christi hoc agitur, vt caro peccati euacuetur. Non autem sic euacuatur, vt in carne concupiscentia innata non sit, sed non obsit mortuo, quæ inerat viuo. Tract. 41. in Ioannem, Augustinus vocat reliquam concupiscentiam languorem obluctantem saluti nostræ: alibi vocat infirmitatem succumbentem Legi Dei.* Hæc ille pag. 482. addit autem duo alia loca pag. 502. Vnum ex lib. 2. de bono perseu. c. 5. Alterum ex libr. 4. ad Bonifacium, ca. 7. in quibus Augustinus tribuit Pelagianis eam sententiam, quæ nunc est Catholicorum, quod videlicet per baptismum homines perfectè renouentur: & nullum habeant omnino peccatum.

Respondeo ad Primum, ex lib. 6. in Iulianum, ca. 6. rectè dicitur concupiscentia non bona, nec sancta, sed mala. Non tamen sequitur, eam esse propriè peccatum. Nam diabolus quoque, & Angeli eius non sunt boni, nec sancti, sed mali, & tamen non sunt propriè peccata, nisi iuxta doctrinam Illyrici. Itaque idem Augustinus in eodem lib. 6. in Iulianum, ca. 5. dicit, baptismum carere omni peccato, non tamen omni malo: & in ipso, ca. 6. dicit, per baptismum remitti omnia peccata, sed nõ sanari omnes languores. Vbi concupiscentiam vult esse malum, & languorem, non tamen peccatum.

Ad Secundum ex lib. 5. ca. 4. rectè distinguit Augustinus, mala quæ per patientiam tolerantur, vt febres, inopiam, persequutiones, & similia, quæ non incitant per se ad peccandum ab iis malis, quæ per continentiam refrenantur, vt passiones immoderatas, quæ propriè incentiua sunt vitiorum, quamuis autem hæc mala frænanda, & quoad eius fieri potest, debellanda sint, tamen non propterea culpæ, aut peccata propriè dici possunt. Idem enim S. Augustinus in 2. lib. contra Iulianum, de his malis ita scribit: *Non talia sunt vitia, quæ iam peccata dicenda sint, passiones sunt, vitia sunt, frænanda, cohibenda, sananda sunt.* Itaque glossa illa Kemnitij, hoc est, *affirmat Augustinus concupiscentiam non tantum esse malum pœnæ, sed & malum culpæ*, destruit textum. Dicendum autem fuisset, affirmari ab Augustino, concupiscentiam non tantum esse pœnam, sed esse etiam in se, & absolutè malam, quia est quid immoderatum, & vitiosum, quamuis non habeat propriam culpæ rationem: cùm non in voluntate, sed in carne sedem habeat.

Ad Tertium, ex lib. 5. in Iulianum, ca. 5. Rectè dicit S. Augustinus, contra eõcupiscentiam virtute pugnari: sed non omne quod virtuti opponitur, peccatum est propriè dictum: nisi fortè nouam dialecticam Kemnitius adinuenerit. Virtuti siquidem actus malus repugnat, vt castitati adulterium, & hoc est peccatum propriè dictum: repugnat etiam habitus malus, qui non peccatum, sed vitium dici solet. Repugnat denique passio, in qua moderanda, & coërcenda virtus occupatur. Porrò concupiscentia (ipso Augustino teste) vt paulò ante dicebamus, in 2. lib. aduersus Iulianum, vt passio, ac vitium, non vt peccatum virtuti repugnat.

Ad Quartum, ex libr. 2. in Iulianum, quis negat legem carnis repugnantem legi mentis remitti in baptismate, non finiri: sed vt nos fatemur, concupiscentiam ratione reatus annexi in baptismate remitti, & tamen ad agonem remanere: ita fateri (velit nolit) Kemnitius debet, post baptismum concupiscentiam non peccatum esse, sed vitium.

Ad Quintum, ex lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, c. 5. Non negamus concupiscentiam post baptismum non ita euacuari, vt non sit, sed vt non obsit mortuo ratione reatus annexi, quæ inerat viuo.

Ad Sextum, ex tract. 41. in Ioannem, concedimus, reliquam concupiscentiam obluctari saluti æternæ, quia allicere nititur ad peccatum, non quia ipsa in se propriè sit peccatum. Idem enim Augustinus in illo eodem tractatu disertis verbis dicit, in baptismo deleri totam iniquitatem, & solam remanere infirmitatem.

Ad Septimum, ex alio loco. Dico, negari nõ posse quin infirmitas nostra succumbat legi Dei, si non adiuuetur à gratia. Sed verum est tamen quod S. Augustinus ait in lib. 5. aduersus Iulianum, cap. 4. videlicet, esse concupiscentiam sub animi potestate, gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, in mortis corpore castigãdam, in morte corporis resoluendam, in corporis resurrectione, & mortis morte sanandam.

Ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad Octauum,ex lib.2.de bono perseuerantiæ,capit.5. A manifesta est Kemnitij impudentia. Siquidem S. Augustinus Pelagianis tribuit errorem illum, quod homo iustus in hac vita nullum habeat veniale peccatum. Kemnitius autem ita citat Augustinum,quasi Pelagiani senserint concupiscentiam inuoluntariam, quæ remanet post baptismum,verè,ac propriè esse peccatum.Loqui autem Augustinum de peccatis actualibus,sed venialibus, non de concupiscentia inuoluntaria perspicuum est ex eo, quod allegat verba Domini: *Dimitte nobis debita nostra*, quam orationem non esse dicendam pro concupiscentia inuoluntaria, idem Augustinus sæpissimè repetit epist. 200.& alibi.Hæc enim sunt verba Augustini à Kemnitio recitata.*Etiam hoc Pelagiani audent, audent dicere hominem iustum in hac vita nullum habere omnino peccatū: & in talibus hominibus esse iam in præsenti tempore Ecclesiam non habentem maculam,neque rugam: tanquam sponsa Christi non sit,* B *quæ per vniuersam terram quod ab eo didicit,dicit, Dimitte nobis debita nostra.*

Ad Nonum,ex lib.4.ad Bonifacium,c.7.Non dissimili impudentia Kemnitius abutitur testimonio S. Augustini. Ille enim non reprehendit Pelagianos, quod dicant, per baptismum perfectè hominem renouari: sed quod malo sensu hanc veritatem depraueant,dū ita volunt perfectè hominem innouari, vt deinceps nullum committat veniale peccatum. Kemnitius autem ita citat Augustinum, quasi ille senserit post baptismum remanere aliquid,quod verè,& propriè sit peccatum, & per hoc non perfectè per baptismum hominem renouari. Hæc autem sunt verba sancti Augustini integra, non truncata, vt à Kemnitio callidè allegantur: *Quid ei* (Pelagianis) *prodest, quod aduersus Manichæos,qui baptismα destruunt,isti dicunt baptismo perfectè homines innouari,atque ad hoc Apostoli adhibent testimonium,qui per lauacrum aquæ Ecclesiam de gentibus sanctam fieri,immaculatā que testantur:cum superbo sensu,atque peruersa contra orationes ipsius Ecclesiæ suas exerant disputationes?* C *Hoc enim dicunt,vt credatur Ecclesia post sanctum baptismum, in quo sit omnium remissio peccatorum,vlterius non habere peccatum,cum aduersus eos illa à Solis ortu vsque ad occasum omnibus fuit membris clamet,Dimitte nobis debita nostra.*

Quòd autem S. Augustinus contra Lutheranos doceat,per baptismum perfectè hominem renouari,perspicuum est ex illis eius verbis lib.6.in Iulianum, cap. 5.*Dixisse me affirmas,quod gratia non perfectè hominem nouum faciat, Non hoc dico,attende quod dico,gratia perfectè hominem nouum facit,quandoquidem & ad corporis immortalitatem, plenámque felicitatem ipsa perducit. Nunc etiam perfectè innouat hominem, quantum attinet ad liberationem ab omnibus peccatis, non quantum ad liberationem ab omnibus malis.*

Tertium genus testimoniorum producitur à Caluino & Kemnitio,Quod genus continet ea loca, quæ concupiscentiam propriè docent esse peccatum, siue inobedientiam legis,etiamsi illi à ratione,& spiritu resistatur. Lib.1.contra duas epistolas Pelagianorum,cap. 13. dicit D Augustinus: *Concupiscentiam vocari peccatum, non tātum quia ex peccato facta est,& quia peccatum facit, si vincit, sed etiam quia peccandi delectatione mouetur, etsi ei vincente delectatione iustitiæ non consentiatur.* Item lib.5.in Iulianum, ca. 3. *Concupiscentia carnis*, inquit, *aduersus quam bonus concupiscit spiritus*, *& peccatum est,quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis: & pœna peccati est,quia reddita est meritis inobedientis: & causa peccati est, defectione consentientis, vel contagione nascentis.* Atque ob hæc loca, maximè autem ob posteriorem triumphat Kemnitius,& Caluinus.

Addunt etiam aliud testimonium Kemnitius, & Caluinus ex tract.41.in Ioan.vbi contendunt Augustinum loqui ex propria mente. Loquens enim Augustinus de renatis: *Liberati*, inquit, *sunt a peccato,quia carēt crāminibus,& querela.Sed illa est inchoata non perfecta libertas:nondum est tota,nōdum pura libertas:quia video aliam legem in membris,&c.* Hinc enim apparet,adhuc renatos esse impuros propter concupiscentiam.Ibidem, *Quia deleta est tota iniquitas,nulla remansit infirmitas?certe si non remansisset,sine peccato hic viueremus.* Vbi ipsam infirmitatem remanentem appellat Augustinus peccatum.Ibidem: *Quamdiu vnus peccatum necesse est,esse in membris tuis, saltem illis regnum auferatur. Non fiat quod iubet.* Et ibidē tractans discrimen peccati regnantis,& non regnantis,inquit: *Non ergo Deus quædam peccata damnat,quædam iustificat,& laudat,nulla laudat sed odit omnia.* Hic videmus concupiscētiam vocari peccatum,quod *Deus odiō,& curando agit,vt consumatur*:vt ibidem Augustinus subiungit. Ex quo colligit Kemnitius falsò dixisse Concilium Tridentinum, Deum in renatis nihil odisse. Atque hæc tria testimonia sunt omnium præcipua in iis, quæ ab aduersariis producuntur.

Respondeo vtiturin primis duobus locis S.Augustinus nomine peccati largo modo, vt omnem corruptionem,& vitium significat. Quemadmodum etiam libr.2. in Iulian.vocauit iniquitatem. Id ita esse, probatur,Primo ex eo,quod S.Augustinus in primo loco monet,concupiscentiam non esse peccatum.Si enim ait: *Et ideo iam non sit peccatum, sed sic vocetur, sine quod peccato facta sit, siue quod peccandi delectatione moueatur, &c.* Vbi apertè ostendit, moueri delectatione peccandi non esse peccatum propriè,nisi consensus accedat. Nam alioqui perperam posuisset illam particulam aduersatiuam, *sed*. Quod autem in hoc loco dixit, moueri delectatione peccandi, in sequenti dixit, inesse inobedientiam contra dominatum mentis.Neutrum igitur est peccatum propriè, & formaliter,sed solùm largo modo,vel materialiter.

Secūdo idem probatur ex eo,quod (vt supra diximus) inobedientia carnis contra dominatum mentis, non potest propriè esse peccatum, donec mens resistit,quia caro non est capax peccati propriè dicti.Quare S.Augustinus cum rationem illam reddit, cur concupiscentia sit peccatum, quia videlicet inest illi inobedientia contra dominatum mentis;illa ipsa ratione significauit, concupiscentiam propriè non esse peccatum.

Tertio, quia S.Augustinus in eodem opere aduersus Iulianum lib.2.dicit,motus istos concupiscentiæ,passiones,& vitia esse,non tamen peccata.Et lib.6.cap.5.dicit, esse malum,non tamen peccatum; *Omni peccato*, inquit, *baptizati carent,non omni malo.*

Itaque ne S.Augustinum inconstantem faciamus, cogimur dicere ab eo aliquando concupiscentiam appellari peccatum,aliquando negari esse peccatum, quia nunc vocem(*peccati*)largo modo,& impropriè,nunc propriè, formaliterque accipiat.Neque verò hic habet locū,quod dicit Kemnitius,Augustinum in lib.5.in Iulian.ca.3. retractasse quod anteā dixerat. Nam quod anteā dixerat, iterum posteā repetiuit in lib.6,vt iam ante monuimus. Et si quod habetur in lib.5.esset retractatio: certè quod habetur in lib.6.esset retractatio retractationis.Sed quis credat,virum grauissimum lib.5.reuocasse quod scripserat li.2.& rursum lib.6 reuocasse quod scripserat lib.5.

At cur quæso(dicet aliquis)S.Augustinus nō fuit contentus in libro illo quinto, dicere concupiscentiam vocari peccatum,quia est pœna,& caussa peccati? cur addidit,ac dixit,*non solum eam pœnam,& caussam peccati.sed etiam esse peccatum?* Respōsio est in promptu, quia Iulianus ex eo quod Augustinus in libr.de nuptiis & concupiscentia dixerat, concupiscentiam esse pœnam peccati, collegerat eam esse bonam,& laudabilem. Voluit igitur sanctus doctor ostendere,non esse rem bonam aut indifferentem concupiscentiam,sed malam: & quia pœna (vt à Deo est)bona,& laudabilis est:& causa peccati, potest etiam esse res bona,aut indifferens,si sit caussa per accidens,vt sunt omnia obiecta sensuum delectabilia: propterea sanctus Augustinus coactus est dicere, concupiscentiam non solùm esse pœnam,& caussam peccati, sed etiam

etiam peccatum,id est,rem in se malam,& vitiosam,qualia sunt non solum peccata morum, quæ propriè peccata dicūtur,sed etiam peccata naturæ,vt cæcitas, & surditas,vel quælibet mōstrositas naturalis,quales sunt etiam habitus mali,qui vitia dici solēt,& ipsæ passiones immoderatæ, quæ in statu naturæ integræ locum nullum in homine habuissent.

Neque multum refert,quod idem S.Augustinus comparat concupiscentiam cum cæcitate cordis, quam dicit esse peccatum,quo in Deum non creditur, & simul pœnam,& caussam peccati. Nam propositum S. Augustino fuit, ostēdere posse id quod est pœna peccati, esse etiam peccatū, siue propriè,siue largo modo:& ideo varia profert exempla,non multum laborans,vtrum sint in omnibus similia,modo similia sint in eo,de quo agitur.

Iam verò testimonium ex tract.41. in Ioannem,si abesset peruicacia, nullo modo ab aduersariis proferretur. Nā in eo tractatu S. Augustinus disertis verbis dicit, per B baptismum tolli omne peccatū,ac totam deleri iniquitatem,nec remanere nisi languorē,& infirmitatem. Quod verò postea dicit,renatos nō esse sine peccato, interdum loquitur de peccatis venialibus,quę postbaptismū fiunt, interdum ipsam concupiscentiam cum Apostolo vocat peccatum per metonymiam,& ideo dicit,peccatum hoc esse in membris,non in animo.

Itaque cùm dicit,non esse in renatis purā libertatem, ideo dicit, quia non sunt puri à peccatis venialibus, & quia peccatorum venialium caussa est concupiscentia, ideo addit: *Quia video aliam legem in membris,&c.* Pari ratione cùm dicit, si nulla remansisset infirmitas, sine peccato hicviueremus,de peccatis loquitur venialibus,quorū caussa(vt diximus)plurimū est infirmitas.Deniq; non negamus cōcupiscentiam dici peccatū habitans in membris,& damnari,atque odio haberi à Deo,non vt peccatum propriè dictum,sed vt morbum,& languorem.Nam C etiam medici non solùm febrem, sed etiam remanentem infirmitatem oderunt,& pellere sua arte conantur.

Porrò in Concilio Tridentino rectè etiam dictum est, Deum in renatis nihil odisse,quia loquitur Concilium de odio,quod redūdet in personā.Sic enim nihil odit Deus, nisi peccatum. Vnde dicitur Sap. 14. *Odio est Deo impius, & impietas eius.* Odium autem concupiscentiæ, quod ponit Augustinus in Deo,non redundat in personam. Non enim Deus propter concupiscentiam,quæ est in renatis, vult renatos dānare,sed potius vult concupiscentiā paulatim cōsumere,vt renati perfectè sanētur. ac liberentur.

Caluinus in antidoto Concilij admittit, Deum, nihil in renatis odisse: sed non minus errat ipse,dum hoc admittit, quàm Kemnitius dum reprehendit. Nam si concupiscentia esset ex natura sua peccatū, vt ipse dicit,non esset verum,eam à Deo nō haberi odio, etiam in renatis. Vt enim S. Augustinus rectè ait in hoc ipso tract. 41. in Ioannem: *Deus omnia peccata odit.* Nihil igitur Deus in renatis odit,quia nihil remanet post baptismum, quod habeat veram peccati rationem. D

CAPVT XIV.

Soluuntur obiectiones ex ratione.

PRÆTER testimonia Scripturarum, & Patrum, proferunt etiam aduersarij aliquot rationes.

Prima Ratio, Motus cōcupiscentiæ sunt illiciti, etiamsi, nobis nolentibus fiant. vt ex Augustino colligitur lib.1.de nuptiis & concup. cap. 27. Igitur lege diuina prohibiti sunt, ac per hoc inobedientia legis,& peccatum est illos habere,quamuis iustis, & fidelibus non imputentur.

Respondeo, Motus concupiscentiæ dicuntur illiciti, quia non licet eis præbere consensum, non quia non liceat eos inuito animo pati, quemadmodum carnalis copula extra coniugium res est illicita,& tamen si quis per vim turpitudinē pateretur,aut omnino ignoranter committeret,nō peccaret. Itaque S.Augustinus loco notato,nō dicit eos motus esse illicitos, quia non liceat eos pati, sed quia non liceat eis obedire: *Non enim*, inquit, *si bona,& licita desideria essent,eis obedire prohiberet Apostolus, dicēs, Non regnet peccatū in vestro mortali corpore ad obediēdū desideriis eius.*

Secunda Ratio, Id quod per se trahit ad malū eadem lege prohibetur,qua prohibetur ipsum malū, vt perspicuum est de amplexibus,& oculis impudicis: concupiscentia autē,quantūuis inuolūtaria per se trahit ad malū, Iac.1.*Vnusquisque tentatur à concupiscētia sua abstractus,& illectus*,igitur eiusmodi concupiscentia lege diuina prohibita est,& legem violat qui cōcupiscit,quamuis inuitus.

Respondeo, id quod per se trahit ad malum eadē lege prohibetur, qua prohibetur ipsum malū:sed sicut ipsum malum non prohibetur propriè, ita vt reum faciat, nisi cum est in potestate nostra illud nō cōmittere: sic etiam, vel potius maiori ratione,id quod per se trahit ad malum non censetur propriè prohiberi,nisi quatenus in arbitrio nostro est illud assumere,vel reiicere.Nam si iure nō potest reprehendi, qui stuprum per vim oblatum patitur, quanto minus reprehendi poterit, qui complexum, vel osculum impudicū pati cogitur, etiam si inde se stimulari ad flagitium sentiat? Sic igitur concupiscentiæ motus, qui reluctante animo interdum exoriuntur in carne,non sunt illiciti, nec prohibiti nisi materialiter propriè verò, ac formaliter solus consensus intelligitur prohiberi.

Tertia Ratio contra solutionem superiorem. Qui cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest,& ideo facit contra præcepta iustitiæ, verè & propriè peccat,vt S.Augustinus docet lib.1 retract.cap.15.At in lege iustitiæ non solū prohibetur opus, vt adulterium, sed etiam desiderium,vt concupiscētia adulterij, igitur sicut opus est verè peccatum, etiamsi resisti bona voluntate non possit, ita concupiscentia ipsa verè peccatum erit, quamuis inuito animo oriatur.

Respondeo,multū interest inter motus concupiscentiæ carnalis inuoluntarios,qui in sola carne sedē habent, &desideriū voluntatis,siue opere cōpleatur siue nō compleatur. Nā motus ille carnis inuoluntarius nullo modo est in potestate nostra,& ideo nec peccatum propriè,sed tantùm per metonymiam,vt in illo ipso loco idē S.Aug. docet. Desiderium autē adulterij voluntarium,siue ipsum opus adulterij pariter voluntarium, aliquando non est in nostra potestate immediatè,quia diuino iudicio deserti non habemusvires,quibus cogenti cupiditati resistere valeamus tamen semper est in potestate saltem mediatè, quia possumus à Deo auxilium petere, & gratiā eius adiuuante tētationi resistere.*Et ideo* (vt ibidem Augustinus dicit)*tunc facere contra præcepta iustitiæ,siue opere,siue consensu, sic est peccatum,vt sit etiam pœna peccati.*

Quare eorum argumentum conceditur, si in consequente de concupiscentia illa sit sermo, quæ in ipsa voluntate per consensum oritur. Fieri enim potest, vt ea concupiscentia inuito animo oriri dicatur,si fortè nollet aliquis consentire,& tamen victus tentatione consentiat. Sin autem de concupiscentia carnis agatur, quo nullo modo consensum extorqueat, argumentum nihil omnino concludet;nam in antecedente dicitur esse peccatum id, quod fit cogente carnis cupiditate, quod non est in nostra potestate immediatè,sed tantùm mediatè.Ex quo nō sequitur,vt peccatū sit ipsa cupiditas carnis,quæ non est in potestate nostra neque mediatè,neque immediatè.

Quarta Ratio, Concupiscentiam, quæ remanet in baptizatis,Deus odit,vt S.Augustinus docet in Psal. 35. explicans illud: *Malitiam autem non odiuit.* Apostolus item illam odio habebat, Rom. 7. *Quod odi facio.* Et nos illam odio habere debemus,iuxta illud Iudæ: *Odientes eam,quæ carnalis est, maculatam tunicam.* At nihil odit Deus nisi

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccatum. Sap. 14. *Odio est Deo impius, & impietas eius.* Et cap 11. *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Fecit autem omnia Deus, præter peccatum. Quare concupiscentia remanens in renatis peccatum est.

Respondeo, iam suprà diximus in explicatione testimoniorum S. Augustini, concupiscentiam odio haberi à Deo, & à nobis odio esse habendam: quia tamen si proprio peccatum nō sit, tamen incitat ad peccatum, & cum ea bellum intestinum, & assiduum gerere cogimur.

Quod autē Scriptura dicit, Deum nihil odisse eorum, quæ fecit, verissimum est: sed illud est falsum, Deum omnia fecisse præter peccatum. Deus enim fecit, ac diligit omnia quæ sunt, quia omnia bona sunt. Vidit enim cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. Gen. 1. Proinde malum nullum fecit, & malum omne odit, quatenus malum non est res aliqua, sed rei alicuius priuatio. Itaque in eodem libro Sapien. cap. 1. legimus: *Deus mortem non fecit.* Et de concupiscentia Ioannes Apostolus in 1. epist. capite 2. dicit: *Eam non esse ex patre, sed ex mundo.* Odit igitur Deus in nobis concupiscentiam, non vt peccatum, sed vt languorem ex peccato relictum, eamque sanando quotidie minuit, donec penitus consumatur. Quomodo autem intelligendum sit, quod Concilium Tridentinum dicit Deum in renatis nihil odisse, explicatum est capite superiore.

Quinta Ratio, Concupiscentia non est à Deo, vt habetur 1. Ioan. 2. At omnis iusta pœna est à Deo, vt habetur Amos 3. Igitur concupiscentia non est solùm pœna, sed etiam culpa.

Respondeo, si argumentum hoc vires haberet, efficeret etiam mortem corporalem non esse tantum pœnam, sed etiam culpam. Nam mors non est à Deo, vt habetur Sap. 1. Et omnis iusta pœna est à Deo, &c. Dico igitur concupiscentiam non esse à Deo, quatenus illa est mala, & tamen esse à Deo, quatenus bonum est, vt eo malo puniatur hominis inobedientia. Item cōcupiscentiam non esse à Deo, quia non fuit ipse auctor peccati vnde illa manauit, tamen esse à Deo, quia in vltionem peccati abstulit donum originalis iustitiæ, quod carnem spiritui subiiciebat, quo, tanquam fræno quodam, sublato, continuò extitit in homine rebellio ista membrorum: *Quia dixit,* (inquit S. Augustinus lib. 1. in Iulian. cap. 7.) *inobedientiam carnis quæ in carne concupiscente aduersus spiritum apparet diabolico vulnere contigisse; & rursus hanc legem peccati repugnantem legi mentis à Deo esse illatam propter vltionem, & ideo pœnam esse peccati, hæc inter se asseueras esse contraria. Quasi filii non possit, vt idem malum, & diaboli iniquitate, & Dei æquitate peccantibus ingeratur. Neque hinc sibi ipsa diuina aduersantur eloquia, quia scriptum est, Deus mortem non fecit. Item scriptum est, vita & mors à Domino Deo. Quia deceptor hominis caussa mortis est diabolus, quam non vt primus auctor eius, sed vt peccati vltor inuluit Deus.*

Sexta Ratio, nulla est pœna huius vitæ, quæ ob finem bonum expeti non possit: at concupiscentia ob nullum finem rectè expeti potest: igitur concupiscentia non est solùm pœna, sed etiam culpa.

Respondeo, falsa est propositio. Nam ignorantia earum rerum, quæ ad salutem necessariæ sunt, sine dubio pœna peccati est, & tamen expeti, nisi imprudenter, & malè non potest. Pari ratione tentationes Satanæ expeti non possunt, cùm orare iubeamur: *Et ne nos inducas in tentationē*, Mat. 6. & tamen tētationes internæ, quibus Satanas imaginationem mouet, & inania, vel illicita interdum nos cogitare compellit, pœnæ peccati sunt. Denique nullas pœnas expetendas esse docet S. Augustinus, sed omnes tollerandas, cùm sic loquitur lib. 10. Confess. cap. 28. *Quis velit molestias, & difficultates pati: tolerare tubes eas, non amare. Nemo quod tolerat, amat, etsi tolerare amat. Quamuis enim gaudeat se tolerare, mauult tamen non esse quod toleret. Porrò concupiscētia eadem ratione expeti non debet, non quod peccatum sit, si non ei consentiatur, sed quod ad peccandum inducat, & quod molesta sit, & grauis, & ideo non amanda, sed toleranda sit, si debellari nequeat. Neque displicere debet iudicium Dei, qui eam ad agonem, & exercitium virtutis remanere voluit, & Apostolo suo dixit, sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur.* 2. Cor. 12.

Septima Ratio, Christus *per omnia tentari voluit, sed absque peccato*, vt Apostolus docet ad Hebr. 4. & ideo communes humanæ vitæ miserias omnes assumpsit vt fratribus per omnia similis fieret: At concupiscentiam carnis non assumpsit, neque tentationem eiusmodi, quæ à rebellione carnis oriretur, pati voluit: igitur concupiscentia non solùm pœna, ac miseria, sed culpa, & iniquitas est.

Respondeo, non solùm concupiscentiam, sed etiam ignorantiam, Christus assumere noluit, quamuis neutra sit peccatum, si sit omnino inuoluntaria. Cur autē ignorantiam, & concupiscentiam Christus habere noluerit docet sanctus Thomas in 3. par. q. 15. artic. 2. & 3. Tum quia duæ istæ miseriæ nihil proderāt ad redemptionem generis humani, sed potius oberant. Tum etiam quia plenum gratia, & veritate Christum esse oportebat, quibus duobus donis concupiscentia, & ignorantia manifestè repugnant. Vide S. Augustinum lib. 2. de peccatorum meritis & remissione, cap. 29. & lib. 5. in Iulianum, cap 9. vbi docet Christum fuisse ab ignorātia, & concupiscentia semper immunem.

Octaua Ratio sic proponitur à Kemnitio pagina 506. in Examine Concilij, Concupiscentia etiā in renatis est *ἀνομία*, propterea quod dissidet à norma legis, & cum illa pugnat: & quia lex est norma iustitiæ, & quicquid ab ea dissidet, & cùm ea pugnat, ratione peccati habet. Sed Petrus Martyr in commentario epistolæ ad Romanos magis artificiosè sic argumētum texit, Omne quod non est conforme legi diuinæ peccatum est, vt patet ex illo 1. Ioan. 3. *Et peccatum est iniquitas*, siue *ἀνομία*, vt habetur in Græco: At deprauatio naturæ humanæ non est conformis legi diuinæ, eique triplici, repugnat enim primo legi institutionis primæ, quia non est qualis eam Deus condidit. Secundo, legi naturæ, quia non potest viuere conuenienter rationi. Tertio, legi scriptę, *Non concupisces.* Igitur ea deprauatio peccatū est. Hoc argumētum Achilles est (vt vulgo dicitur) Philippi, Buceri, Petri Martyris, Caluini, Kemnitij. *Argumenti huius* (inquit, Kemnitius pag. 506.) *mole premi se omnes Pontificij sentiunt, ideo varias quærunt vmbras, vt elabantur.*

Respondeo, argumentum hoc ex iis, quæ dicta sunt facilè solui potest, & adeo nō premit sua mole Catholicos, vt à multis per iocū eludatur, quippe quod seria responsione non egeat, Nam concupiscentiam esse *ἀνομίαν* in renatis, largo modo, & materialiter suprà concessimus cum Augustino, & eadem ratione concedimus esse peccatum largo modo, materialiter, vel impropriè, quemadmodum omne vitium, omnisque recessus à regula, vel ordine, non solùm in moribus, sed etiam in natura, & arte dici potest esse peccatum. Sin autem concupiscentiam renatorum contendant propriè esse *ἀνομίαν*, quomodo hanc vocem accipit S. Ioannes, cùm ait, *& peccatum est ἀνομία*, siue *iniquitas* 1. Ioan. 3. negamus, cōcupiscentiam renatorum esse *ἀνομίαν*.

Neque bona est illa Kemnitij probatio. Concupiscentia etiam in renatis est *ἀνομία*, propterea quod dissidet à norma legis, & cùm illa pugnat. Nam non quod dissidet à legis norma, vel cum illa pugnat, est *ἀνομία*, sed ipsa discordia, siue repugnantia, vel recessus, ac deuiatio propriè est *ἀνομία*, & formaliter peccatum. Dissidet enim à lege diabolus tentans ad peccandum, sed non est ipse iniquitas, sed iniquitatis suasor. Dissidet etiam homo qui peccat, sed non est ipse, neque esse dicitur iniquitas, & peccatum, sed auctor peccati. Dissidet item à lege voluntas humana, cuius consensu peccatum perficitur, sed nec ipsa dicitur iniquitas, vel peccatum, sed principium, vel caussa peccati. Denique dissidet à lege actio humana cùm non est legi cōgruens, & ne ipsa quidem est iniquitas, sed iniqua. Iniquitas igitur (vt diximus) est ipsa recessio à norma legis, quæ melius explicatur Græca voce *ἀνομία*. Illa autem recessio, vel deuiatio à norma legis, immediatè inest in ipsa actione, quæ secundum legis normam fieri debuisset.

Iam verò concupiscētia repugnat quidem legi mentis vt Apostolus dicit ad Rom. 7. sed neque est ipsa formalis repugnantia: neque repugnat, vt actio recedens à norma legis, neque vt potentia, vel persona, quæ normam sequi teneatur, sed repugnat, vt incitans, & impellens ad prævaricandam legem, quemadmodum de diabolo diximus. Tentatur enim vnusquisque à concupiscentia sua, vt habemus Iacobi 1.

Est autem hoc loco notandum, haberi 1. Ioannis 3. peccatum esse *ἀνομίαν*, quod noster interpres vertit iniquitatem. Sed 1. Ioan. 5. non haberi omnem *ἀνομίαν*, esse peccatum, sed *πᾶσαν ἀδικίαν*, id est, omnē iniustitiam esse peccatum, nostrum autem interpretem in vtroque loco vertisse iniquitatem, quia non habebat vocabulum, quo propriè exprimeret *ἀνομίαν*, quæ est recessio à lege. Cæterùm quicquid sit de æquiuocatione Latinæ vocis, certum est non esse idem, omnem *ἀνομίαν*, esse peccatum, & omnem *ἀδικίαν* esse peccatum, vt Kemnitius contendit. Nam *ἀδικία* species est, *ἀνομία*, est genus. Omnis enim iniustitia est recessus à lege, non autem omnis recessus à lege est iniustitia. Et quod dicit S. Ioannes, omnem *ἀδικίαν* esse peccatum, verissimum est: quod autem dicit, & sæpissimè repetit Kemnitius, omnem *ἀνομίαν*, esse peccatum, nō est verū, nisi peccatū largo modo accipiatur, vt etiā peccata artis, & naturæ cōprehendit. Sed de his hactenus. Nam ad mendacia, & calumnias, & varia Kemnitij absurda, satis respondit Andradius, in quem propriè illa omnia Kemnitius effudit.

Iamverò ad argumentum, vt texitur à Petro Martyre, Respondeo, propositionem illam: *Omne quod non est conforme legi diuinæ peccatum est*, veram esse in vniuersum, si peccatum accipiatur largo modo, sin autem agatur de peccato in moribus, debere etiam restringi ad conformitatem legis præcipientis actus morales. Alioqui etiam mōstra, quæ sunt peccata naturæ, essent peccata propriè dicta, & puniri deberent quod certè est absurdissimū. Assumptionem verò illam: *At deprauatio naturæ humanæ non est conformis legi diuinæ*, dico etiam esse veram, si agatur de lege in vniuersum, non autē si agatur de lege, cuius prævaricatio inducat reatum, sitque peccatum propriè dictum de quo nos in præsentia disputamus.

Nam etsi deprauatio, quę est in volūtate, si accipiatur pro auersione à Deo, sit verè peccatū, vt postea dicemus, tamen deprauatio quæ est in intelligentia, vel in carne, nec non pronitas quædam voluntatis ad obsequendum desideriis carnis, & difficultas eiusdem ad obsequendum Deo, non est contra legem vllam, cuius prævaricatio sit peccatum propriè dictum. Et ideo nō est per se, & ex natura sua peccatum. Quod enim attinet ad legem primæ institutionis naturæ, non est ea lex moralis, cuius prævaricatio reum constituat transgressorem. Nō enim iussit Deus vt homo nasceretur cum iustitia originali, vel hoc, aut illo modo, sed instituit naturam, sicut voluit, & ornauit iis donis, quibus ei placuit illam ornare, & eidem attribuit principia, ex quibus propagari posset. Si quando autem cōtingit, vt aliter res oriatur, quam Deus instituerit, est quidē in ea re peccatum aliquod naturæ, sed non tale peccatum, quod supplicio dignum sit. Nam nō creauit Deus homines cœcos, vel surdos, aut claudos, & tamen cùm nascuntur aliqui cœci, vel surdi, aut claudi, nemo eos reprehendendos, aut castigandos censet, etiamsi non congruat eorū natura cùm lege primæ institutionis.

Quod verò attinet ad legem naturæ, quæ iubet, vt vitam agamus secundùm rationem, quam legē viribus naturæ corruptæ seruare non possumus, dico, posse legem illam Bifariam considerari, Primo, vt significat legē moralē, quæ propriè imperat voluntati, vt sequatur ductum rationis, non consentiat desideriis carnis, &c. & hoc modo vera lex est, sed eius prævaricatio non est peccatum originale, sed actuale, & ad rem præsentem nō pertinet. Secundo, vt significat ordinem, & congruentiam naturalē, quæ requirit, vt pars superior imperet, inferior subiiciatur, & voluntas sine difficultate rationi obediat, &c. Et hoc modo lex ista naturalis eadē est cum institutione naturæ, cōtra quam institutionē pugnāt rebellio carnis, & difficultas voluntatis, sed ea non sunt peccata propriè dicta, sed pœnæ peccati, & defectus consequentes materiam, quemadmodum se habet rubigo in cultro ferreo. Porro de lege scripta, *Non cōcupisces*, satis multa suprà diximus, vbi demonstrauimus, eam legem propriè nō prohibere, nisi desideria voluntaria, quæ sunt peccata actualia, non originalia.

CAPVT XV.

Refellitur eorum Catholicorum sententia, qui peccatum originis in quadam positiua qualitate constituunt.

REFVTAVIMVS, hactenus tres errores huius temporis hæreticorum. nunc refutandæ sunt duæ Catholicorum incommodæ sententiæ, quæ videntur etiam errores nominari posse.

Prima sententia eorum est qui duas esse docent in homine malas qualitates, vnam in carne, alteram in anima, quarū posterior à priore oriatur, (animam enim ex contactu carnis pollui existimant) vtramque autem concupiscentiam dici posse censent, sed solam posteriorem statuunt esse originale peccatum. Itaque peccatum originis nihil aliud esse volūt, nisi concupiscentiam, hoc est, morbidam in anima qualitatem praua desideria perpetuò excitantem. Ita docet Petrus Lombardus in 2. lib. sent. dist. 31. § 2. & 3. quem sequuti sunt Henricus Quodli. 2. q. 11. & Gregor. Arim in 2. d. 30 q. 1. & ex recentioribus Ioannes Driedo in 1. lib. de gratia, & libero arbitrio. Hoc tamen interest inter Henricū & Gregorium, quod Henricus arbitratur malam illam animę qualitatem esse propensionem ad omnia mala. Gregorius autem restringit ad inclinationem in bonū delectabile secundum carnem.

Hæc sententia tametsi conuenit ex parte cum errore Lutheranorum, tamen in eo differt quod Lutherani non agnoscunt vllam superadditam qualitatem, sed eam potius rident Philippus in Apologia cōfessionis, non procul ab initio: *De fomite*, inquit, *disputant, quod sit qualitas corporis, & vt suo more sint inepti, quærunt, vtrum qualitas illa contagione pomi, an exaffiatu serpentis contracta sit.* Hæc ille. Præterea differt etiā in eo, quod Lutherani concupiscentiam post baptismum, ex natura sua peccatum propriè dictum esse volunt, auctores autē illi Catholici minimè id concedūt.

Videtur autem nobis hæc sententia nullo modo defendi posse. Quod vt manifestū fiat, pauca quædam præmittenda erunt, ex quibus controuersiæ status omnino aperietur.

Sciendum est igitur Primo, concupiscentiam nō semper eodem modo accipi in Scripturis: Interdum enim significat appetitum boni in vniuersum, qua notione multæ bonæ concupiscentiæ inueniuntur, vt S. August. moner concione 8. in Psal. 118. nam cōcupiscentia sapiētiæ bona, & laudabilis est, quippe quæ, vt dicitur Sap. 6. deducit ad Regnum. Bona est item concupiscentia, qua spiritus aduersus carnem concupiscit, de qua loquitur Apostolus ad Gal. 5 rectè quoque concupiscebat, qui dicebat

Universidad de Deusto
Biblioteca

in Psal.118.concupiui desiderare iustificationes tuas.

Rursus concupiscentia aliquando significat actũ, aliquando potentiã. Nam & concupiscentiã dicimus ipsum desiderij motũ, vt patet ex Augustino lib.6.in Iulianum, cap.8.& ipsam potentiam, seu vim appetendi bona sensibilia, vt patet ex eodem Augustino lib.4.in Iulia. cap.14. & lib.6.ca.7.& hoc modo concupiscentia non est mala, sed bona, vel indifferens. Nam possumus per eandẽ vim appetendi, & benè & malè cõcupiscere, & sine dubio vis appetendi bona sensibilia fuit in Christo.& in primo homine ante peccatum,& rursus in nobis post resurrectionem erit. Itaque S. Augustinus locis citatis fatetur, non ita accipiendam esse concupiscentiam cùm agitur de peccato originis.

Est igitur alia notio concupiscentiæ, qua cõcupiscentia appellamus vitium, quo proni sunt homines ad appetenda bona sensibilia contra ordinẽ rationis. Et hoc modo accipitur concupiscẽtia passim ab Augustino in libris aduersus Pelagianos, lib.2. in Iulianũ ante medium, scribit concupiscentiam non esse substantiam, sed substãtiæ vitium,& apertius lib.6.cap.7. *Ego*, inquit, *tanquam valetudinem malam ex origine vitiata ingenitum esse dico homini vitium, quo caro concupiscit aduersus spiritum*. Et li.1. de nuptiis & concupisc cap.25. *Non enim*, inquit, *concupiscentia substantialiter manet, sicut aliquod corpus, aut spiritus, sed affectio est quidam male qualitatis sicut languor*. Et ca.31. *Carnem*, inquit, *appellauit vbi est quidam morbidus carnis affectus, non ipsam corporis conformationem*.

Sciendum est Secundo, istud vitium in carne potissimũ residere, hoc est in parte hominis inferiore, quæ sensualitas dicitur. Id quod suprà docuimus ex Apostolo Rom.7.vbi concupiscentiã dicit esse malum inhabitans in carne,& repugnare legi mẽtis,&c. Quocirca S. Augustinus in omnibus libris, quos aduersus Pelagianos scripsit, semper de concupiscentia loquens, ad vitium partis inferioris recurrit, lib.1.de peccat. meritis & remiss. cap. 29. *Quod igitur*, inquit, *in membris corporis huius mouetur, totumque animum in se deiectũ conatur attrahere, & neque cùm mens voluerit, assurgit, neque cùm mens voluerit, conquiescit, hoc est malum peccati, in quo nascitur omnis homo*. Et lib.4.in Iulia.c.14.dicit, libidinem, siue concupiscentiã esse vitium, quo apperimus immoderatè delectationem omnium sensuum, sed præcipuè gustandi & tangẽdi. Et li.6.c.8. *Huic chirographo*, inquit, *nascuntur obnoxij omnes in carne de carne carnaliter nati. Neque enim nulla est iniquitas, cùm in vno homine, vel superiora inferioribus tumultuantur, vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur, etiamsi vincere non sinantur*. Denique in omnibus libris contra Pelagianos directè scriptis, cùm in singulis ferè capitibus concupiscentiam sæpius nominet: semper ferè pro vitio partis inferioris, quæ rebellis est superiori, concupiscentiæ nomẽ accipit.

Cæterum negandum non est, etiam in parte superiore simile vitium inueniri. Nam ea quoque animi pars prona est ad concupiscendos honores, inanem gloriã & alias vanitates, &, etiamsi nolimus, interdum parit eiusmodi desideria. Quocirca B.Paulus in epist.ad Gala.cap.5.cùm dixisset carnem concupiscere aduersus spiritum, statim enumerans opera carnis, non solum nominauit fornicationem, ebrietatẽ, & alia id genus, sed etiã idololatriam, hæreses, inimicitias, &c. quod diligenter notauit S. Augustinus lib.14.de Ciu.c.2.3.& 4.vbi demõstrat, carnem interdum accipi pro toto homine, qualis est, sine gratia Dei, post lapsum Adam, & eum dici carnalẽ, qui secundùm se ipsum, non secundùm Deum viuit. Ex quo in explicatione Psal.79.dicit, omne peccatum oriri ex cupiditate malè inflammante, vel ex timore malè humiliante.

Itaque concupiscentiæ vitiũ licet præcipuè in sensualitate, tamen etiam in mente sedem habet S. autem Augustinus in libris cõtra Pelagianos, ideo penè vbique loquitur de vitio sensualitatis, quia in sensualitate magis

A hoc vitium se prodit, non quod ignoratet etiã in mente locum habere. Atque in his omnibus, nisi fallor, cum Pet. Lomb Henrico, Greg.& cæteris omnib.cõuenimus. Solùm quæstio manet de hoc vitio, sit ne positiua qualitas, an nõ, & vtrum hoc ipsum vitiũ sit propriè, ac forma liter originale peccatũ. Illi affirmãt vtrumq;, nos vtrumque negamus, Dicimus enim sensualitatem esse pronam ad concupiscẽdum etiam contra ordinem rationis, non ex aliqua insita qualitate eam inclinante, sed ex carentia iustitiæ originalis, quæ eam perfectè rationi subiiciebat. Quemadmodum si equus incitetur ad currendum, non quia admouentur ei calcaria, sed quia sublatum est frænum: & veluti si aliquid propendeat ad casum, non quia præmittur aliquo corpore graui superaddito, sed quia sublatum est aliquid quod prohibebat ne caderet. Quod autem dicimus de sensualitate, de voluntate quoque intelligendum est.

B His prænotatis probamus, non esse concupiscentiam positiuam qualitatem. Primo, testimoniis S. Augustini, quem aduersarij vel solum pro sua opinione patronum habere se putant. Is igitur in lib. 2. de peccato originis, cap 4. loquens de concupiscentia, cuius reatum dicit esse originale peccatum, vt patet ex capitibus sex præcedentibus, sic ait: *Comparatur homo pecoribus per vitium, non per naturam, non pecoris vitio, sed naturæ. Tanta namque excellentia est in comparatione pecoris homo, vt vitium hominis natura sit pecoris*. Item li.4.aduersus Iulian.cap.5. *Hæc autem libido*, inquit, *ideo malum non est in belluis, quoniam non repugnat rationi, qua carent*. Et cap.14. *ideo* inquit, *in pecoribus malũ non est concupiscentia, quia non aduersus spiritum concupiscit, sed eorum potius oblectat spiritum*. Et in Psal.103. cõcione 4. *Quod equo*, inquit, *natura est, homini crimen est*. in his locis S. Augistinus docet illud ipsum esse in homine vitium concupiscentiæ, quod est in animantibus rationis expertibus natura. Certum est autem in animantibus rationis expertibus nullam esse corruptam qualitatẽ, qua sint prona ad concupiscendum, sed solum appetitũ sensitiuum, qui rationi vtique repugnaret, si ratio in belluis esset. In homine igitur nulla est qualitas positiua, præter ipsam sensualitatem, sed ipsa sensualitas ideo vitiosa dicitur,& est in homine, quia deberet rationi obtemperare, quod etiam faceret, nisi homo propter peccatum iustitiam originalem amisisset.

Præterea idem S. Augustinus, lib.1. de nuptiis & concupiscentia, cap.25. dicit, concupiscentiam non substantialiter manere, sed sicut languorem. Et li.2 in Iulianum, ante medium, dicit, non esse substantiam, sed substantiæ vitium. Solet autem S. Augustinus per substãtiam intelligere id omne, quod est in rerum natura, id est, omne positiuum. Sic enim ait in Psalm.68. *Quod nulla substantia est, nihil omnino est*. Idem quoque auctor vbicunque concupiscentiæ causam explicat, semper recurrit ad priuationem, siue absentiam gratiæ. lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, cap.16. *Quando ergo*, inquit, *peccauit Adam non obediens Deo, tunc eius corpus gratiam perdidit, qua eius anima omni ex parte obediebat, sicut ille extitit bestialis motus pudendus hominibus, quem in sua erubuit nuditate. Ex hac igitur inobedientia carnis, ex hac lege peccati, & mortis, quisquis carnaliter generatur, regenerari spiritualiter opus habet*. Et lib.4.in Iulianum, cap.vl. *Quid*, inquit, *est gustato cibo prohibito nuditas indicata, nisi peccato nudatum quod gratia contegebat, gratia quippe Dei magna tibi erat, vbi terrenum, & animale corpus bestialem libidinem non habebat*. Idem repetit lib. 11. de Genesi cap.31.& lib.13 de ciuitate Dei, capite 13.

Vides in his locis, non solum ad gratiæ absentiam reuocari cõcupiscentiæ vitium, sed etiam vocari libidinem bestialem, quia illa ipsa libido est in homine vitium, quæ in bestiis est natura. Et rursus ideo magna Dei gratiã factum esse in paradiso, vt terrenum, & animale corpus libidinem non haberet, quia ex se, & ex natura sua libidinem

dinem habiturum fuisset, nisi magna illa gratia, ne haberet, impediuisset. Nõ igitur accessit mala qualitas aliqua, sed ipsa sensualitas, vt spoliata originali iustitia rationi repugnat, concupiscentia dicitur.

Deinde hoc ipsum rationibus confirmatur. Nã primo si concupiscẽtia qualitas esset positiua, positiuã causam habere deberet. Quæro igitur, quæ sit ista causa. Nã vel erit Deus, vel Diabolus, vel Serpens, vel ipse Homo, vel certè Pomum ipsum vetitum. Deus non potest esse, præsertim secundũ aduersarios, qui volunt concupiscentiam esse peccatum originis, nam tunc Deus esset auctor peccati. Et præterea si ea qualitas esset à Deo, vt à propria causa efficiente, sequeretur saltem Deum esse causam tentationis ad malum. Vnusquisque enim tẽtatur à concupiscentia sua, vt habetur Iacobi 1. Quod si concupiscentia infunditur à Deo certè sequitur vt Deus sit causa tentationis ad malum, quod tamen est contra eumdem Iacobum qui in eodem loco dicit, Deus intentator malorum est, ipse autem meminem tentat.

Sed nec Diabolus esse potest causa efficiens eius qualitatis. Neque enim potestatem habet diabolus aliquid producendi, nisi per motum localem applicando actiua passiuis, idque in rebus corporalibus tantum. Hæc autem qualitas spiritualis esse dicitur.

Multo minus Serpens corporalis causa esse potuit eiusdem qualitatis, tum quia serpens corporalis non potest afflare spiritualem qualitatem, tum quia nihil egit ille serpens in Adamũ, sed solũ cum Heua colloquutus est.

Ipse autem Adam per actum peccandi efficere potuit in se dispositionem aliquam ad similem actum, sed non talem qualitatem, quæ perpetuò hæreret, & ad omnia mala inclinaret, qualis est concupiscentia. Nam actus ille superbiæ fuit, & per eum gigni non potuit continuò habitus superbiæ, sed solùm leuis dispositio, quæ facillimè tolli potuisset, & multò minus gigni potuit habitus inclinans ad fornicationem, adulteria, homicidia, furta, &c.

C Denique neque in Pomum vetitum causa eius qualitatis reiici potest, neque enim pomum illud malum fuit, & ideo prohibitum, sed ideo malum, quia prohibitum, & alioqui ex natura sua bonum, vt cætera quæ Deus creauerat. vt S. Augustinus rectè docet lib.14. de Ciuita. Dei, cap.12.& etiamsi pomum vitiatum, & corruptũ fuisset, non tamen intelligi posset, quemadmodũ in anima qualitatem spiritualẽ efficere potuisset. Restat igitur vt mala concupiscentia, quæ causam positiuam non habuit, non sit qualitas positiua.

Præterea Secundo, si concupiscentiæ vitium qualitas esset positiua, per peccatum primi hominis in ipso primo homine exorta, non facilè posset ostendi, quẽadmodum trãsmitteretur ad posteros, neque enim habitus acquisiti traiiciuntur in prolem, vt perspicuum est de omnibus habitibus scientiarum, virtutum, artiũ, donorum. Quod si aliquando pater ingeniosus filium ingeniosum gignit, aliquando etiam contra accidit, vt pater sapiens filium insipientem generet, vt Scriptura testatur de Salomone, & filio eius Roboam.

Tertio, vel Deus est auctor positiuæ illius qualitatis, vel non, si est, igitur est auctor peccati. Istam enim concupiscentiam aduersarij peccatum esse contendunt: si non est, igitur Deus non est auctor omnium rerum, neque verum erit quod in Euangelio legimus, Ioannis 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*.

Quarto etiamsi concederemus, in carne qualitatem morbidam ex peccato primi hominis accessisse: tamen intelligi non posset, quomodo caro infecta animam inficeret. Neque enim corpus immediatè in spiritum agere, & spiritualem qualitatem producere potest.

Quinto, cùm illa qualitas, si ponatur, aduentitia sit & contra naturam, quomodo fieri potest, vt tam lõgo tempore non sit imminuta, vel penitus extincta.

A Sexto, videtur omnino superuacanea, nam ad hoc, vt caro concupiscat contra spiritum, satis est si habeat sentientem appetitum. qualem bestiæ habent, & non adsit frænum originalis iustitiæ. Vt autẽ animus sequatur corporis temperamentum, satis est quod in eadem animæ essentia radicem habeant sentiens appetitus, & voluntas, sensus & ratio. Hinc enim absque vllius qualitatis adiumento, ob solam corporis complexionem, & cõstitutionem aliqui sunt ingeniosi, aliqui hebetes, aliqui hilares aliqui tristes, aliqui proni ad vnum vitium, alij ad aliud, aliqui mites, aliqui iracundi, &c.

Septimo, qualitas ista positiua per baptismum nõ tollitur, vt notum est, ergo si peccatum originis est concupiscentia, & concupiscentia est qualitas positiua, certè sequitur, peccatum originis per baptismum nõ tolli. Quod in Ecclesia Catholica, vt exploratus error explodítur.

Neque satis faciunt duæ illæ solutiones, quod peccatum originis per baptismum dicatur remitti, tum quia B concupiscentia baptizatis nõ imputatur ad culpam, tum quia propter gratiam, quæ in baptismo confertur, concupiscentia non amplius dominatur. Nam Prior solutio Concilio Tridentino (cuius auctoritatem Catholici non spernũt) apertissimè aduersatur, damnat enim Cõcilium Lutheranorum errorem, qui dicunt peccatum originis post baptismum manere, sed non imputari, & affirmat idem Concilium, per baptismum tolli quicquid peccati rationem habet. Posterior solutio decretis eruditè Concilij manifestè repugnat. Nam cùm per baptismũ infunditur gratia, non tollitur dominium concupiscentiæ, sed ligatur, & impeditur ad tempus, & cùm per actuale peccatum amittitur gratia, iterum soluitur, ac redit idẽ concupiscentiæ dominiũ. Quare si concupiscẽtia dominans est peccatum originis, manifestè sequitur, peccatum originis per baptismum non verè tolli, vt Concilium docet. Nam si verè tollitur, vnde quæso idem peccatum in homine peccatore post baptismum existit, neque enim responderi potest, nõ esse idem, sed aliud. Nam eadem concupiscentia dominans est, quæ ante baptismum erat, & peccatum originis, nisi per originem carnalis generationis, quæ semel fit, existere non potest.

C His accedat, quòd hæc solutio non videtur consentanea doctrinæ S. Augustini. Ipse enim cùm dicit reatum concupiscentiæ esse peccatum originis, non recurrit ad concupiscentiam dominantem, sed dicit hoc malũ, tantũ quia ineat, etiamsi non dominetur, perducere ad æternã mortẽ, nisi reatus per eius baptismũ expietur, vt perspicuum est ex lib.2.de peccato originali, cap.29.& li.6. in Iulian.cap. 5.& 8.& alibi. Quemadmodum autem accipi debeat concupiscentiæ reatus, qui soluitur in baptismo, suprà explicuimus. Porrò argumenta aduersariorum præter ea, quæ sunt à nobis refutata in disputatione aduersus Lutheranos, sumũtur omnia ex testimoniis S. Aug.

D Primum igitur obiiciunt, quod S. Augustinus scribit cõcupiscentiam esse qualitatem, sic enim loquitur de ea lib.1.de nuptiis & concupiscentia, ca.25. *Non substantialiter manet, sicut aliquod corpus, aut spiritus, sed affectio est quædam malæ qualitatis, sicut languor*. Et cap.31. *Carnem*, inquit, *nunc appellauit, vbi est morbidus quidam carnis affectus, non ipsam corporis conformationem*. Deinde addunt, quod idem Augustinus lib.5.in Iulianum, cap.3. dicit, animã in corpore, tanquam in vase vitiato corrumpi, hoc est, ex mala qualitate carnis redundare malam qualitatem in anima.

Postremo adiiciunt quod in lib. 4. hypognosticiidem auctor docet, libidinem in homine ex afflatu serpentis esse natam.

Ad Primum Respondeo, vocari ab Augustino qualitatem, siue morbidum affectum, ipsam naturalem inclinationem sensualitatis vitiatam non aliqua positiua tabe, sed ex carentia iustitiæ originalis. Nam eodem modo S. Thomas in 1.2.quæst.82.art.1. vocat peccatum origi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis habitum corruptũ, in quo sit aliquid positiuum, ipsæ videlicet potentiæ animæ non benè dispositæ, & aliquid priuatiuum, nimirũ deordinatio ex carentia iustitiæ originalis cõsequuta. Quocirca tam S. Augustinus, quàm S. Thomas cõcupiscentię vitium sæpenumero naturæ languorem appellant. Languor autem significat humores corporis debita proportione, & harmonia priuatos.

Ad Alterum Respondeo, rectè dici animam in corpore tamquam in vase vitiato corrumpi, non quod sit in carne positiua qualitas, ex qua rursus in anima qualitas alia oriatur, sed quod anima non incipiat habere peccatum, nisi cùm infunditur corpori, tunc enim primum incipit esse homo filius Adami. Siquidem anima, vt prius naturâ intelligitur creari à Deo, nihil habet cum Adamo, ac per hoc non communicat eius peccato: sed cùm in corpore generato ex Adamo incipit habitare & cum ipso corpore vnum suppositũ facere, tunc (vt suprà fusius explicuimus) peccatum originis contrahit. Dicitur autem corpus ex Adamo generatum, etiam ante animationem, vas corruptũ, quia ex vi talis generationis debetur illi, vt sit morti, & variis passionibus obnoxium.

Ad Postremum ex libro hipognostici, vt omittam librum illum non censeri opus Augustini, Respondeo, verba illius auctoris intelligenda esse metaphoricè. Per afflatum enim serpentis persuasionem diabolicam significauit. Quod videlicet, vt ipse loquitur, magis sequutus sit Adam serpentem suadentem, quàm Deum præmonentem. Nam ex Genesi constat, flatum serpentis corporalis ad Adamum non peruenisse, sed solum diaboli persuasionem, & eam nó per serpentẽ, sed per mulierem. Sententia igitur illius auctoris est, quemadmodũ serpens corporalis afflando venenum hominum corpora interimit, ita serpentem spiritualem, id est, diabolum, suadendo peccatum, primo parenti necem animæ, & corporis attulisse.

CAPVT XVI.

Refellitur error Alberti Pighij, & Ambrosij Catharini.

Restat Vltimus error confutandus, qui est Alberti Pighij in prima controuersia de peccato originis, & Ambrosij Catharini in opusculo de lapsu hominis, & peccato originali, ca. 6. & videtur etiam fuisse quorumdam veterum, vt refert Petrus Lombardus in 2. lib. sent. d. 30. Hæc igitur sententia docet, peccatum originis, nihil esse aliud, nisi illam primam Adami inobedientiam, qua præceptum de ligno scientiæ nõ gustando violatum est, ex qua sententia deducuntur ab iisdem auctoribus Tres aliæ sententiæ. Prima, peccatum originis esse vnum, & idem in omnibus hominibus. Secunda, hoc vnum peccatum in primo homine re ipsa fuisse, in cæteris per imputationem. Tertia, nihil esse in paruulis re ipsa inhærens, quod habeat veram peccati rationem. Nam priuationem iustitiæ, maculam, reatum, & similia, pœnæ, non culpæ rationem habere, nisi fortè impropriè. Quomodo nomen caussæ accommodatur effectui.

Hæc sententia partim est vera, partim falsa. Verum est enim, & aduersus Lutheranos asserendũ, ac defendendum, peccatum primũ Adami, ad nos etiam pertinere, & nostrũ esse aliquo modo, vt paulò post explicabimus. Lutherani enim deprauationem naturæ humanæ propriè peccatum esse contendunt, etiam sine relatione ad peccatum Adami. Sed de hoc postea. Rursus Verum est, præter communicationem peccati Adami, esse in paruulis carentiam iustitiæ originalis, reatum, maculam, & similia. Quæ Albertus & Ambrosius cùm cæteris Catholicis doctoribus agnoscunt.

Falsum autem est, & hæreticum, peccatum originis nihil esse aliud, nisi primam Adæ trãsgressionem actualem, & nihil esse in paruulis, vnicuique proprium, & inhærens quod habeat veram peccati rationem. Extat enim apertissima Concilij Tridentini Oecumenici definitio, in 5. sess. vbi quatuor sententiæ leguntur de peccato originis, quæ sunt quatuor argumenta contra Pighij, Catharinique doctrinam.

Docet in primis Concilium, peccatum originis propagatione, non imitatione transfundi. At quod est vnum numero non propagatur, nec verè transfunditur. Sicut etiam propagari & transfundi non potest, quod statim per actum transiit, & iam nusquam est, & nihil est. Respondet Catharinus, peccatum illud vnum Adami propagari, & transfundi non in se, quod fieri nequit, sed in pœnis, quæ ex ipso natæ sunt, quæque saltem impropriè, & per metonymiam peccata dici possunt. At Concilium apertissimè distinguit peccatum originis, quod propagari dicit per generationem, à pœnis, quæ ex ipso peccato nascũtur. Nam primò damnat Pelagianos nouos, ac vẽteres, qui negabant peccãtum originis propagatione trãsfundi, & per baptismum deleri: deinde sub finem decreti admonet, fomitem non esse propriè peccatum, sed ita nominari interdum, quod sit ex peccato, & ad peccatum inclinet. Præterea si Concilium voluisset peccãtum originis propagari sõlum ratione pœnarum, Pelagianos, præsertim nouos, non cõdemnasset, neque enim illi negant, peccati pœnas propagari, & transfundi ad posteros.

Docet Secundo idem Concilium, peccatum originis inesse vnicuique proprium. At peccatum illud vnum Adami cõmune omnibus esse potest, proprium vnicuique esse non potest.

Tertio docet, per baptismi gratiam remitti paruulis id totum, quod habet in eis veram ac propriam peccati rationem. Erat igitur aliquid in paruulis, quod veram & propriam peccati rationem habebat, quod certè de peccato Adami dici non potest, cùm illud in paruulis non inhæreat.

Postremo docet, peccatum originis remitti, non esse, non imputari, sed verè tolli. At si peccatum originis nihil esset aliud, nisi peccatum Adæ posteris per imputationem communicatum, certè sequeretur, illud remitti, nihil esse aliud, nisi non amplius imputari. Habemus igitur sententiam Catharini & Pighij, cum Tridentino Concilio, non obscurè pugnare.

Porrò Concilij sententia Scripturis sanctis, & veterum Patrum testimoniis, & ipsi etiam rationi consentanea est. Nam B. Paulus in epistola ad Rom. cap. 5. comparat peccatum originis, quod à primo parente per generationem trahimus, cum iustitia, quam à Christo per regenerationem acquirimus. Nõ dicimur autem iusti propriè, & formaliter per iustitiam Christi, sed per eam, quã vnusquisq; in se habet. Sic igitur nec dicimur peccatores per peccatũ, quod fuit in Adamo, sed per id, quod in vnoquoque nostrum hæret. Deinde Scripturæ, quas in 1. lib. adduximus indicant, peccatum originis esse immunditiam, & labem nobis hærentem, quæ per baptismum ablui debeat, non solam imputationem peccati Adæ. Idem quoque sancti Patres suprà citati docent, sed apertissimè S. Augustinus scribit, peccatum nostrum originale esse distinctum ab actuali peccato Adami, vt effectum à caussa. Sic enim ait lib. 2. de nup & concup. c. 26. *Voluntarium peccatum hominis primi, originalis est caussa peccati.* Hæret igitur in nobis aliquid, & peccatum originale dicitur, quod non est illa prima Adami inobedientia, sed aliquid aliud, quod ab illa manauit.

Denique rationis lumen idem ostendit. Nam si paruuli non haberent in se proprium & inhærens peccatum, non possent dici absolutè, ac propriè peccatores. Et præterea non egerent ad peccati remissionem regeneratione, ablutione, gratiæ infusione, sed satis esset, si Deus illis Adæ peccatum non amplius imputaret. Quæ certè diuinis

diuinis Scripturis, Conciliorum decretis, & Patrum testimoniis manifestè repugnant. Neque verò argumenta Catharini & Pighij tantam vim habent, vt propter ea recedendum sit à communi Theologorum sententia. Nam ex his, quæ dicemus in sequentibus duobus capitibus nullo negotio diluentur.

CAPVT XVII.

Explicatur vera sententia de natura peccati originis.

Restat, vt erroribus refutatis ad explicandam veram sententiam accedamus.

Scie ndvm igitur est, peccati nomen Bifariam accipi solere. Vno modo pro libera trãsgressione præcepti. Alio modo pro eo quod remanet in anima peccatoris post actionẽ illã transgressionis præcepti. Nam quòd actio ipsa, qua præceptum transgredimur, & sit, & dicatur propriè peccatum, nemo est, qui neget, & perspicuũ est ex definitione peccati quæ est dictũ, vel factum, vel concupitũ, &c. quod autẽ post actionẽ peccati aliquid maneat, quod sit, & dicatur propriè peccatum, ex eo potest intelligi, quod qui peccatũ cõmiserunt, dicuntur ab omnibus post actionẽ peccati. propriè, & formaliter peccatores, itẽ dicuntur esse in peccato, habere peccatum, mundari à peccato, &c.

Quãuis autẽ id quod remanet post actionẽ, sit aliquo modo effectus einsdẽ actionis, tamẽ est etiã aliquo modo idẽ cum ipsa actione, & ideo nõ per figurã metonymiæ, sed propriè dicitur peccatũ: & duplex illa significatio peccati nó est significatio duarum rerum, siue duorum peccatorum, sed vnius, & eiusdem alio atque alio modo se habentis. Quemadmodum enim calefactio, & calor per calefactionem acquisitus, nó sunt duo calores sed vnus, qui calefactio dicitur, dum acquiritur, & fit: calor autem dum factus, & acquisitus permanet: sic etiã peccati peruersio, siue obliquitas, vt est in motu, dicitur peccatum in priore significatione, vt autẽ permanet in anima peccantis, dicitur peccatum in significatione posteriore. Nam sicut qui à Sole auertitur, manet auersus in tenebris, donec ad Solem iterum reuertatur: & qui ab aliquo recedit, manet in ea distantia, donec iterum accedat: sic etiam qui per peccatum à Deo auertitur & recedit, non solùm dum peccat, sed etiam postquam peccauit manet à Deo auersus, & longè distans, donec per pœnitentiam conuertatur. & reuertatur ad Deum.

Sciendum est Secvndo, has varias peccati significationes in peccato actuali, & personali ab omnibus agnosci: nó item in originali. Sed cùm originale peccatum non minus propriè & verè sit peccatum quàm personale: nihil est cur timeamus etiam ad originale illas extendere. Igitur cùm videamus in puero recens nato nihil esse quod peccatum in priore significatione dici possit, quippe in quo voluntas ab omni actione vacat: certè peccatum in priore significatione non in nobis, sed in prima tantum origine, id est, in primo parente quærendum est. Nec est aliud haud dubio, quàm inobedientia illa voluntariè ab eo commissa, per quam se, & suos posteros iustitia originali spoliauit, reos mortis effecit, turpes, & inuisos Deo reddidit.

Itaque peccatum in priore significatione vnum est, dumtaxat omnium hominum, sed in Adamo actuale, & personale, in nobis originale dicitur. Solus enim ipse actuali voluntate illud commisit: nobis verò communicatur per generationem eo modo quo communicari potest id, quod transiit. nimirum per imputationem. Omnibus enim imputatur. qui ex Adamo nascuntur, quoniam omnes in lũbis Adami existentes in eo, & per eum peccauimus, cùm ipse peccauit.

Et ad hoc peccatum Catharinus & Pighius respexerunt, neque propter hoc reprehensione digni sunt. Hoc enim oportuit dicere, sed aliud non tacere, quod ipsi tacuerunt: nos enim præterea dicimus, quemadmodum in Adamo præter actum illius peccati fuit etiam peruersio voluntatis, & obliquitas ex actione relicta, per quam peccator propriè & formaliter dicebatur, & erat, donec ei per pœnitentiam remitteretur: ita quoque in omnibus nobis, cùm primùm homines esse incipimus, præter imputationem inobedientiæ Adami, esse etiam similem peruersionem, & obliquitatem vnicuique inhærentem, per quam peccatores propriè & formaliter dicimur, donec per baptismum talis iniquitas remittatur, sed hanc obliquitatem in Adamo fuisse personale peccatum in posteriore significatione, in nobis originale in posteriore significatione etiam.

Atque huc respexerunt S. Anselmus in lib. de conceptu virginali, cap. 3. S. Thom. in 1. 2. q. 82 art. 3. S. Bonauent. Scotus, Durandus, Gabriel, & alij in 2. sent. distin. 30. qui peccatum originis esse voluerunt carentiam iustitiæ originalis debitæ inesse.

Sciendum est Tertio, auctores citatos conuenire in eo, quod peccatum originale sit carentia iustitiæ originalis debitæ inesse: tamen in modo explicãdi non omnino inter se cõuenire. Videtur enim priuatio doni illius esse potius pœna, quàm culpa, & ideo laborant omnes vt ostendant quomodo sit peccatum, & alij alia dicunt.

Qvidam existimãt peccatum originale esse carentiam iustitiæ originalis cum indignitate illam habendi, ita tamen vt formaliter peccatũ consistat in illa indignitate, quam etiam reatum appellare solent. Dicunt enim Adamum per actum peccati factum esse indignum dono iustitiæ, & ideo iustè illo fuisse priuatum: & similiter omnes posteros Adæ, quia peccauerunt in Adamo, indignos esse gratia Dei, & dignos odio, & pœna: quia verò indigni sunt gratia & odio, ac pœna digni, ideo non infundi illis iustitiam originalem à Deo, quæ alioquin infusa fuisset.

Alii sentiunt, carentiã iustitiæ originalis esse peccatum, quia debuit Adam sibi & nobis donum illud præstantissimum conseruare, quod quia nó fecit, reus factus est, & nos omnes reos fecit doni illius amissi.

Alii in ea sententia esse videntur, vt carentia iustitiæ originalis dicatur peccatum, quia per eum tamquam per effectum suum primarium actio ipsa primi peccati in nobis manet, & peccatores nos efficit.

Alii docent, per iustitiam originalẽ intelligi posse, tum ipsum donum à Deo infusum, tum rectitudinem voluntatis, & subiectionem ad Deum, quæ per donum illud efficiebatur: & quidem peccatum originale esse carentiam iustitiæ originalis, vt eo nomine significatur, nõ donũ à Deo infusum, sed rectitudo & subiectio volũtatis.

Alii denique carentiam ipsam doni diuini per actũ peccati effectam. siue ex actione illa manante, peccatum originale esse definiunt. Quæ sententia postrema nobis verissima esse videtur, & auctorem habet præter cæteros S. Tho. in 1. 2. q. 82. ar. 3. vbi docet formale in peccato originis esse priuationem iustitiæ originalis, quæ voluntatem subiiciebat Deo.

Si quis igitur à nobis quærat, quid propriè sit originale peccatum: Respondebimvs cum distinctione ad hunc modum. Si peccatum pro actione cum lege pugnante accipiatur: peccatum originale est prima Adami inobedientia, ab ipso Adamo commissa, nõvt erat singularis persona, sed vt personã totius generis humani gerebat. Si verò peccatum accipiatur pro eo quod residet in homine post actionem, & vnde idem homo nõ peccans, sed peccator nominatur peccatum originale est carentia doni iustitiæ originalis, siue habitualis auersio, & obliquitas voluntatis, quæ & macula mentem Deo inuisam reddens appellari potest.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XVIII.

Probatur sententia in superiori capite explicata.

VT sententiam iam explicatam per partes commodius probemus, DVAE propositiones statuendæ erunt.

PRIMA propositio, Prima Adami præuaricatio, quæ totius humani generis præuaricatio fuit, peccatum est originale, si peccatum pro actione accipiatur. PRIMO ex diuinis litteris, Rom. 5. *In quo omnes peccauerunt.* Ex quo loco intelligimus, nos omnes non solùm nasci peccatores, sed etiam aliquando peccauisse, quod idem Apostolus docet Rom. 3. cùm ait: *Omnes peccauerunt & egent gloria Dei.* Sed quia certum est, neminem nostrum peccauisse propria voluntate, antequam nati essemus, vt ipse idem B. Paulus testatur Rom. 9. Sequitur vt peccauerimus aliena voluntate. id est, Adami: quæ tamen voluntas nisi fuisset aliquo modo totius naturæ, ac per hoc etiã nostra, nullo modo verè peccauisse diceremur. Peccauimus igitur in primo homine, quando ille peccauit, & illa eius præuaricatio nostra etiam præuaricatio fuit.

Idem probant illa verba eiusdem cap. 5. ad Roman. *Per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi.* Et *Vnius delicto in omnes homines in condemnationem.* Non enim verè per Adami inobedientiam constitueremur peccatores, nisi inobedientia illius nostra etiam inobedientia esset, & ex illa profluxisset ea macula, & peruersio, quæ & in nobis inhæret. Neque iustè vnius delicto condemnaremur omnes, nisi delictum illud cómune fuisset omnibus. Atque ex his soluta manent argumenta Catharini, & Pighij ex Scripturis petita. Adducunt enim loca Apostoli iam citata: quæ tamen nõ probãt in nobis esse, quod peccatum dici possit, præter imputationẽ peccati Adami. sed tantum probant, quod nos diximus, illam Adami inobedientiam ad nos etiam pertinere, & ex illa fluxisse maculam, quæ vnicuique propria verè adhæret.

SECVNDO probatur eadem propositio testimoniis sanctorum Patrum. S. Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, cap. 10. *Certè*, inquit, *manifestum est alia esse propria cuique peccata, in quibus his tantum peccant, quorum peccata sunt: aliud hoc vnum, in quo omnes peccauerunt, quando omnes ille vnus homo fuerunt:* Idem in eodem opere lib. 3. cap. 7. *Vnde nec illud liquidè dici potest, quod peccatum Ade etiam non peccantibus nocuit, cùm Scriptura dicat, in quo omnes peccauerunt. Nec sic dicuntur illa aliena peccata, tamquam omnino ad paruulos non pertineant. Siquidem in Adam omnes tunc peccauerunt, quando in eius natura illa insita, in qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille vnus fuerunt: sed dicuntur aliena, quia nondum ipsi agebant vitas proprias: sed quidquid erat in futura propagine vita vnius hominis continebat.* Idem libro 16 de Ciuitate Dei, cap. 27. explicans illud Ge. 17. *Masculus, cuius caro præputij circumcisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo, quia testamentum meum dissipauit.* INTELLIGENDA, inquit, *sunt hæc diuina verba, tamquam dictum sit, Qui non fuerit regeneratus, interibit anima illa de genere suo, quia testamentum meum dissipauit, quando in Adam cum omnibus & ipse peccauit.*

Idem in epistol. 23. ad Bonifacium. *Traxit ergo reatum, quia vnus erat cum illo, & in illo, a quo traxit, quando quod traxit admissum est.* Idem in epistola 89. ad Hilarium, quæst. 3. & lib. 1. Retract. cap. 15. dicit, paruulos nasci reos illius peccati, quod Adam commisit, & in Psal. 118. concione 25. & lib. 2 de nuptiis & concupiscentia. cap. 11. dicit, etiam paruulos contineri inter præuaricantes, de quibus ait Dauid: *Præuaricantes reputauí omnes peccatores terræ:* quia legem in paradiso cum primo parente transgressi sunt.

Itaque de sententia beati Augustini dubitari non potest. Neque dissimilia in aliis Patribus inueniuntur. S. Basilius in oratione 1. de Ieiunio: *Primum*, inquit, *mandatum accepit Adam, de ligno scientiæ boni, & mali ne edatis.* Et mox: *Quandoquidem non ieiunauimus, exciditnus è paradiso.* Vbi dicit, nos non ieiunâsse, quia cum Adamo comedimus fructum prohibitum. Sanctus Gregorius Nazianzenus in oratione de Natali Domini: *At postquam*, inquit, *diaboli inuidia, mulier seque viri à transgressione, proh mea imbecillitatis (mea enim fuit primæui parentis) traditis mandati oblitus homo est, amaroque succubuit gustui, statuer & à vitæ ligno, & à Deo propter prauitatem exterris agitur.* Sanctus Ambrosius in c. 15. Luc. *Fuit*, inquit, *Adam, & in illo fuimus omnes. Periit Adam, & in illo omnes perierunt.* Sanctus Bernardus serm. 1. de Dominica prima post octauam Epiphaniæ, loquens de culpa originali: *Aliena*, inquit, *est, quia in Adam omnes nescientes peccauimus: nostra, quia etsi in alio, nos tamen peccauimus & nobis insto Dei iudicio imputabatur, licet occulto.*

Postremo probari potest eadẽ propositio euidentissima ratione. Nisi enim ponamus, nos in Adamo & cũ Adamo verè peccasse, nulla ratione explicari poterit, quomodo in paruulis recẽs natis sit aliqua culpa: & hoc Catholicum dogma non tam supra rationem, quàm contra rationem esse videbitur. Nam quidquid dicamus in paruulis ex peccato Adami hærere, siue reatũ, siue auersionem, siue gratiæ priuationem, siue quid aliud: illud nullo modo paruulis vitio dari, ac ne esse quidẽ poterit, nisi processerit ab actione libera, cuius actionis illi aliquo modo participes fuerint.

Ac reatus quidem cùm sit relatio consequens actionem qua ratione fieri potest, vt existat in eo qui non est particeps actionis? auersio habitualis, nisi præcesserit actualis, ne intelligi quidem potest. Nam si Deus per absolutam suam potestatem spoliaret hominem iustum gratiã, sine vlla eius culpa actuali, solo beneplacito suæ voluntatis, careret ille quidem conuersione habituali ad Deum, quam habitus gratiæ faciebat: sed non propterea diceretur à Deo auersus, sed tantùm non conuersus: quemadmodum si Deus hominem aliquem ex nihilo nunc produceret, & gratiæ habitum illi non infunderet, non haberet ille conuersionem ad Deum. sed neque auersionem, sed tantùm non conuersionem, quæ nomen culpæ nullo modo meretur.

Sed fingamus paruulum aliquem habere auersionem & reatum, & tamen non peccâsse cum primo parente, quis capere poterit eum, meritò reprehendi, & puniri debere? quam culpã habet in eo quod ita generatus est? num impedire poterit ne sic gigneretur? Quod verò quidam dicunt, an peccatum debeat esse voluntarium, nec ne, quæstionem esse originis, non essentiæ, & ideo vndecumque verum peccatum oriatur, modo insit, posse imputari ei, in quo inest: omnino improbabile est. Nã omne verum peccatum essentialiter habet ordinem ad voluntatem liberam, ita vt si aliunde quàm à libera voluntate nascatur, verum peccatum non sit. Quare enim blasphemia in furioso, vel Pisitacho non esse censetur, nisi quia non ducit originem à libera voluntate?

Itaque an peccatum voluntarium esse debeat, non solùm caussæ, sed etiam essentiæ quæstio est: nec vllo modo imputari potest ad culpam, quod nullo modo à libera voluntate processit. Quod autem alij dicunt, peccatum in paruulis recens natis esse necessariũ habituali paruulorum voluntate, quia non gerunt contrarium voluntatis arbitrium: atque ita verum esse peccatum etiam sine relatione ad peccatum Adami: non minùs est improbabile. Nam quod paruuli non gerant contrarium voluntatis arbitrium, non fit culpã ipsorum, neque ipsis est voluntarium, cùm non sit in eorum potestate. Quare non potest rectè dici paruulis peccatũ esse voluntarium habituali voluntate per hoc solùm, quod non gerunt contrarium voluntatis arbitrium.

DENIQVE non satis est ad culpã, vt aliquid sit voluntarium

tarium habituali voluntate, sed requiritur, vt processerit ab actu etiam voluntario. Alioqui voluntarium illud, habituali voluntate, naturale esset, & misericordiã, non reprehensione dignum. Certè si quis in puris naturalibus crearetur, is & gratia careret. & cõuersione ad Deum habituali, & carnem concupiscentem contra rationem haberet, nec gereret contrarium voluntatis arbitrium. & tamen verè, ac propriè peccator nec diceretur, nec esset. Quare sanctus Augustinus cùm quærit, vnde peccatum originale sit voluntarium, numquam recurrit ad habitualem paruuli voluntatem, sed ad voluntatem Adami, in quo omnes peccauerunt, vt lib. 1. Retracta. cap. 13. & 15. & lib. 2. de nup. & concupisc. c. 26. & 28. Maneat igitur quod suprà diximus, nõ posse in paruulis aliquid esse quod habeat culpæ rationem, nisi participes fuerint etiã ipsi præuaricationis Adæ.

CAPVT XIX.

Probatur altera pars eiusdem sententiæ.

SECVNDA propositio, priuatio doni iustitiæ originalis, quatenus est auersio mentis à Deo per modum habitus manens, peccatum est originale, si peccatum accipiatur pro eo quod remanet transeunte actu, & vnde habet homo, vt propriè & formaliter peccator esse dicatur. PROBATVR hæc propositio, PRIMO, ex refutatione aliarum sententiarum, quas numerauimus cap. superiore.

Nam PRIMA illa sententia, quæ peccati originalis essentiam in indignitate seu reatu constituebat, non videtur probabilis: TVM quia indignitas illa relatio quædam est, ac res positiua, peccatum autem, vnde homo formaliter & propriè peccator dicitur, non est relatio, nec res positiua, sed priuatio. Siquidem omne peccatum est malum: omne autem malum est priuatio boni: TVM quia indignitas non est mors animæ, nec iniquitas, nec malitia, nec fœditas, sed relatio consequẽs ista omnia: at peccatũ originis iuxta Scripturas & Concilia, mors est animæ, iniquitas, malitia, fœditas: & ideo necesse habent homines propter hoc peccatum renasci, iustificari, purgari, &c.

ALTERA sententia, quæ peccatum originis ponebat in præuaricatione præcepti de dono iustitiæ conseruando, videtur aduersari Scripturis, & rationi, SCRIPTVRÆ siquidem, iuxta Communem veterum Patrum explicationem, peccatum primi hominis, quod per generationem propagatur ad posteros, non aliud fuisse traditur, quàm inobedientiam illam qua præceptũ de ligno scientiæ boni, & mali violatum est. & RATIO idem ostendit, nam neque habuit Adã singulare præceptum de dono iustitiæ conseruando, neque libera voluntate elegit donum illud amittere, sicut reuera singulare præceptum habuit de ligno scientiæ non edendo, & libera voluntate elegit lignum illud attingere, atque edere. DENIQVE quia donũ gratiæ per transgressionẽ cuiuslibet præcepti perditur, non fuit opus, vt vllum daretur præceptũ singulare, & distinctũ à cæteris de gratia conseruandã, sed satis fuit, si in omnibus implicitè contineretur. Itaque reatus amissæ gratiæ, non est peccatum distinctum à cæteris, alioqui omnis qui peccaret, semper duo peccata cõmitteret, sed est vnus, & idem cum transgressione aliorum præceptorum.

TERTIA sententia, quæ peccatum originale esse volebat priuationem iustitiæ originalis, quatenus per eam, vt per effectum suum primarium, actio primi peccati in anima resident, & falsa esse potest, & vera. Nam si priuationem iustitiæ originalis ita velit esse effectum peccati, vt non sit etiam ipsa verè, propriéque peccatum, Concilio Tridentino manifestè repugnat, neque distingui potest à sententia Catharini, quam suprà reiecimus. Si verò priuationem iustitiæ dicat esse effectum primi peccati, non quòd non sit ipsa verè, propriéque peccatum, sed quia non esset verè peccatum, nisi ab actione peccati procederet: tum sententia verissima est, neque à nostra vlla ratione dissentit.

QVARTA sententia, quæ priuationem iustitiæ originalis peccatum esse dicebat, vt iustitia pro rectitudine voluntatis, non pro dono à Deo voluntati infuso accipitur: similiter falsa esse potest, & vera. Nam si omninò priuationẽ doni à Deo infusi à ratione formali peccati originalis excludat, repugnabit Concilio Tridẽtino, in quo sicut formalis caussa iustificationis impij definitur, esse gratia à Deo infusa, vt suo loco demõstrabitur, ita etiam formale peccati significatur eiusdem gratię esse priuatio. Quare idem Concilium sess. 5. peccatum esse dicit mortem animæ. Quid autem est mors animæ nisi priuatio gratiæ, sicut vita animæ omniũ consensu est ipsa gratia?

Sin autem auctores quartæ huius sententiæ non excludunt à ratione peccati originalis priuationem doni diuinitùs infusi: sed admonere volunt, priuationem iustitiæ à Deo infusæ præcisè sumptam non esse peccatum, cùm possit etiam sine vllo peccato contingere, sed tunc demum peccatũ esse, cùm ex auersione actuali procedit, idem omninò sentiunt quod S. Thomas sentit, & nos in conclusione posuimus.

Igitur priuatio doni iustitiæ originalis peccatum originale dicitur, quatenus idem est cum auersione à Deo habituali. Nam quemadmodum anima, seu volũtas, dono illo prædita, conuersa dicitur ad Deum, & iusta habitualiter: sic etiã dono illo priuata, non conuersa, & non iusta dicitur: & si ipsa se à Deo auerterit, & donum illud excluserit, auersa & iniusta optimo iure dicetur.

Probatur SECVNDO, quoniam ex omnibus quæ remanent in anima peccatoris, transeunte actu peccati, nihil est, quod propriam peccati rationem habere possit, nisi priuatio iustitiæ, siue auersio, & macula, quæ vnum & idem sunt.

Remanet in anima peccatoris. PRIMO, ordo quidam ad actum præcedentem, siue priuatio innocentiæ quæ in eo fita est, vt aliquis numquam peccauerit. SECVNDO, reatus culpæ, qui est dignitas odij, indignitas gratiæ, & meritum pœnæ. TERTIO, reatus pœnæ, id est, ordinatio, siue obligatio ad luendam pœnam. QVARTO, offensa, siue inimicitia eius, qui per peccatum est læsus. QVINTO, dispositio, vel habitus acquisitus. SEXTO, auersio, siue obliquitas voluntatis, manens per modum habitus, vt enim qui facié à Sole auertit, manet auersus donec iterum ad eumdem Solem faciem suam conuertat: & digitus sponte curuatus curuitatem retinet, donec iterum per actum contrarium dirigatur: sic etiam voluntas, quæ per actum peccati à Deo recessit in eo recessu permanet, donec iterum per pœnitentiam ad Deum accedat. SEPTIMO, priuatio gratiæ, siue iustitiæ à Deo infusæ. OCTAVO, macula, atque fœditas, quæ ex priuatione diuini nitoris, ac luminis oritur.

Ex his omnibus ordo ad actum præcedentem non est propriè peccatum. nõ enim facit vt homo peccatum habeat. sed vt habuerit, nec possit non habuisse. Quocirca iste ordo manet etiam post peccatum remissum. nec potest vlla ratione deleri. Innocentia enim semel amissa per nullam potentiam reparari potest.

REATVS CVLPÆ, id est, dignitas odij, indignitas gratiæ, & meritum pœnæ, non est propriè peccatum, sed effectus necessariò consequens, & aliquid manens post actũ peccati. Non enim homo est dignus odio præcisè, quia peccauit, alioquin numquam talis dignitas auferri posset, & peccatum esset irremissibile, sicut fieri non potest, vt qui peccauit, non peccauerit. Cõsequitur igitur ea dignitas odij, vel deformitatem, vel obliquitatem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem manentem, vel damnum datum, & nondum resarcitum: atque ita non est peccatum, sed effectus peccati. Præterea talis dignitas, vel indignitas non est aliquid recedens à lege, non est volùtaria, nõ deformat, vel occidit spiritualiter animã, non est priuatio boni, neq; habet aliquid aliud eorum, quæ propriè peccato conueniunt.

Reatus POENÆ, siue meritum, siue obligatio, siue etiam ordinatio dicatur ad pœnam, multò minus peccatum est, quàm reatus culpæ. Nam obligatio & ordinatio ad pœnã oriuntur ex merito, & dignitate pœnæ, & sunt à Deo obligante & ordinãte eum qui peccauit ad luendam pœnam. Quare tantum abest, vt reatus pœnæ sit peccatum, vt potius sit aliquid boni à Deo institutum ad reformandum, & restituendum ordinem iustitiæ, quem culpa turbauerat.

OFFENSA quoque non videtur propriè esse peccatum cùm sit in eo, qui per peccatum est læsus, non in eo, qui læsit. DISPOSITIO, vel habitus acquisitus vitium est, non peccatum. Nam & est qualitas positiua, & manet sæpenumero post culpam remissam.

Restat igitur auersio habitualis, quæ propriè peccatũ sit. Nam vt peccatum actuale est auersio actualis à Deo, & eius lege: ita peccatũ habituale est auersio habitualis à Deo, & eius lege. Et sicut peccatũ actuale est priuatio rectitudinis actualis: ita peccatũ habituale est priuatio rectitudinis habitualis, quæ est habitus gratiæ, & sicut peccatum actuale est voluntariũ actuali voluntate; ita peccatum habituale est voluntarium habituali voluntate.

Ex quo intelligimus, multum interesse inter habitum vitiosum acquisitum per actus frequentatos, & peccatum habituale. NAM habitus acquisitus est qualitas positiua: peccatum habituale est priuatio. ITEM habitus acquisitus non potest tolli per vnum actum voluntatis, quamuis efficacissimum, peccatum habituale sicut vno actu fit, ita vno actu tollitur. RVRSVS habitus acquisitus potest esse etiam valdè intensus cum actu contrario, & cum gratia Dei, peccatum habituale non potest, saltem de potẽtia ordinaria. Denique habitus acquisitus non potest dici propriè voluntarius, cùm maneat in nobis per aliquod tempus nobis inuitis, & repugnantibus: peccatum habituale voluntarium est, quia voluntariè in peccato manemus, & si efficaciter velimus non manere, non manemus.

Itaque differt habituale peccatũ ab habitu acquisito, quomodo qui curuus manet, quia ita vult manere, ab eo qui ob assuetudinem ita curuus est, vt nõ possit, nisi admodum difficulter erigi. Quia tamen peccatũ habituale non est voluntarium, nisi habitualiter, ideo potest manere etiam in dormiente, in amente, in infante.

Porrò, PRIVATIO gratiæ, & MACVLA, quæ erant duo postrema ex his, quæ diximus ex actu peccati relinqui in anima peccatoris, re non differunt ab auersione habituali. Nam cùm gratia Dei per modum habitus in voluntate inhærẽs, eam formaliter conuersam ad Deũ, iustam, rectam formosamque efficiat: eius priuatio voluntatem eamdem habitualiter auersam, iniustam, obliquam, & deformem facit. Vide S. Thomam & Caietanum in 1.2.q.86.art.2.

CAPVT XX.

Refelluntur obiectiones quæ fieri possunt contra doctrinam capitis superioris.

ADVERSVS ea quæ diximus, obiectiones quædam fieri solent, quas breuiter in hoc capite dissoluemus.

PRIMA obiectio, Peccatum originis est peccatum propriè dictum, at peccatum [illegible] dictum definitur à S. August. lib. 22. contra Faustum cap. 27. *Dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei* Igitur peccatum originis est dictum, vel factum, vel concupitum cõtra legem Dei, non potest autem fingi in peccato originis, aliud dictũ vel concupitũ, nisi factum primi parentis in comedẽdo cibo prohibito, igitur illud solùm, non autem priuatio iustitiæ originalis, aut auersio habitualis, vel macula, est peccatum originis.

RESPONDEO, hoc argumẽtum est id, quod Pighiũ, & Catharinum adduxit, vt crederent, peccatum originis nihil esse reipsa in nobis manens, sed tantùm inobedientiã primi parentis nobis imputatã. CÆTERVM facilè solui potest: nam peccatum propriè dictum non solùm dicitur de ipso actu transeunte, sed etiam de eo, quod post ipsum manet in anima peccatoris, vt suprà ostendimus: Siquidem eadem est malitia atque peruersitas, quæ est in actu malo per modum transeuntis, & in voluntate per modum habitus permanẽtis. Definitio autem sancti Augustini conuenit peccato, vt peccatũ significat actum transeuntem, non vt significat maculam permanentem. In ea enim significatione, quæ magis est nota, peccatum definiri solet.

SECVNDA obiectio, S. Augustinus in plurimis locis docet id, quod manet post actũ peccati nihil aliud esse, nisi reatum: igitur peccatum originis, vt etiam aliud quodcumque peccatum, non est priuatio iustitiæ, vel auersio habitualis, sed tantùm reatus. Libro primo de nuptiis, & concupiscentia capite 26. *Hoc est*, inquit, *non habere peccatum, reum non esse peccati. Nam si quisquam, verbi gratia, fecerit adulterium, etiamsi nusquam deinceps faciat, reus est adulterij, donec reatui ipsius indulgentiã remittatur. Habet ergo peccatum, quamuis illud quod admisit, iam non sit, quia cum tempore quo factum est, præteriit. Nam si à peccando desistere hoc esset, non habere peccatum, sufficeret, vt hoc nos moneret Scriptura: Fili peccãsti, non adijcias iterum: non autem sufficit: sed addidit, & de priscis delictis deprecare, vt tibi dimittantur. Manent ergo, nisi remittantur, sed quomodo manent, si præterita sunt, nisi quia præterierunt actu, manent reatu?*

Idem libro primo Retract. cap. 15. *Quasi verò*, inquit, *peccatum quod eos ex Adam dicimus originaliter trahere, id est, reatu eius implicatos, & ob hoc pœnæ obnoxios detineri, &c.* Idẽ libr. 6. in Iulian. cap. 8. fusè de hac re tractat: & tandem concludit his verbis: *Vbi ergo manet reatus, nisi in occultis legibus Dei, quæ sunt scriptæ quodammodo in mentibus Angelorum, vt nulla sit iniquitas impunita, nisi quam sanguis Mediatoris expiauerit: cuius signo crucis consecratur vnda Baptismatis, vt ea diluatur, reatus tanquam in chirographo, scriptus in notitia Spiritualium potestatum per quas pœna exigitur peccatorum, huic chirographo nascuntur obnoxij omnes in carne, de carne carnaliter nati, &c.*

RESPONDEO, S. Aug. nõ fuit sollicitus in his locis, explicare quid illud sit, quod hominem formaliter peccatorem efficit, neque etiam quot sint, & quæ, illa quæ transeunte actu peccati remanent in peccatore. Sed illud tantùm demõstrare voluit: transeũte actu aliquid remanere, ratione cuius remissio sit necessaria. Accepit autẽ ad hoc demonstrandũ, ipsum reatũ. TVM quia est effectus peccati notissimus, TVM etiam quia donec reatus non sit remissus, numquam dicitur plenè, atque perfectè peccatum remissum. Et contrà tunc peccatum omninò perfectè censetur remissum, cùm non solùm culpa, sed etiam omnis pœna fuerit remissa.

Non sensisse autem beatum Augustinum, transeunte actu, manere solùm reatum, sed etiam auersionem habitualem, siue iniquitatem, & maculam, hoc est, reatum cum suo fundamento, perspicuum est ex tractatu in Psalmum quinquagesimũ, vbi sic loquitur: *Quid est quod se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam? etiam ipsum vinculum mortis cum ipsa iniquitate concretum est.* Item ex lib. secundo de peccatorum meri. & remiss. c. 34. vbi de paruulo baptizando ait: *Quomodo conuerti ad Deum potest, a quo non est auersus?* loquitur contra Pelagianos, qui

qui existimabant paruulos non nasci iniquos, neque à Deo auersos. Ipse igitur in paruulis iniquitatem, & auersionem agnoscit, ob quam rei sunt, & iræ filij. Idem quoque Augustinus passim allegat illud Iob: *Non est mundus a sorde, nec infans cuius est vnius diei vita super terram*, Psa. 50. Lib. quinto Hypognostici, & alibi. Ex quo intelligimus, non solùm reatum, sed etiam maculam peccati, ab Augustino agnosci.

TERTIA obiectio, Priuatio iustitiæ originalis est effectus, & pœna peccati, vt sanctus Thomas docet q. 5. de malo. artic. 4. & 1.2.q.87.artic.7 præterea ista priuatio est à Deo, qui hominem spoliat dono isto, sicut ipse idem Deus eodem dono hominem in creatione vestierat: non igitur priuatio iustitiæ originalis est propriè ac formaliter peccatum originis alioqui peccatum propriè & formaliter esset à Deo.

RESPONDEO, iustitia originalis duas partes habebat. Nam & subiiciebat mentem Deo, & carnem spiritui. Ratione prioris partis priuatio iustitiæ est formale in peccato originis. Ratione posterioris eadẽ priuatio est materiale, vt idem S. Thomas affirmat in 1.2.q.82.art.3. ac per hoc ratione prioris partis non est effectus peccati originalis, sed ipsum peccatũ: Ratione posterioris est effectus. Rursus priuatio iustitiæ ratione prioris partis nõ est inuoluntaria, sed voluntaria: voluntariè siquidem primus homo à Deo recessit, atque ab eo se auertit: at ratione posterioris partis priuatio iustitiæ inuolũtaria est. Quis enim non molestè ferr, quod caro spiritui obtemperare nolit? Quis contumaecm seruum non inuitus patitur? Quare priuatio iustitiæ ratione posterioris partis propriè pœna dici potest, non item ratione prioris. Hoc enim interest inter culpam, & pœnam, quòd culpa omnis voluntaria, omnis autem pœna inuoluntaria sit.

DENIQVE donum iustitiæ ratione prioris partis non dicitur propriè à DEO tolli, sed ab ipso homine proiici quodammodo, & excludi, vt enim is, qui à Sole auertit faciem non dicitur tenebrescere: quia Sol non luceat super eum, sed quia ipse prohibet ne lumen ad se perueniat: sic etiam quod Deus non conseruet in homine donum iustitiæ, non est quia Deus nolit, sed quia homo impedimentum ponit. Quocirca sanctus Thomas in quæst. 4. de malo, arti. 1 in responsione ad 11. argumentum, dicit, quòd animæ non infundatur nunc originalis iustitia, non esse ex parte Dei, sed ex parte naturæ humanæ, in qua inuenitur contrarium prohibens: Quia nimirum tota natura in Adamo auertit se à Deo, & impedimentum gratiæ posuit. Et in 2.2.q.24. artic. 10. dicit, habitum caritatis, qui à solo Deo infunditur, & conseruatur, expelli non solùm demeritoriè, sed etiam effectiuè ab actu peccati mortalis, quia cum tali actu consistere non potest habitus caritatis.

At donum iustitiæ originalis ratione partis posterioris, licèt mediatè, & consequenter expellatur ab homine peccante, tamen dicitur etiam propriè tolli à Deo, tum quia posset consistere cum peccato, tum quia eius priuatio iusta est pœna peccati, & omnis iusta pœna est à Deo. Quare sanctus Augustinus nõ semel repetit in pœnam rebellionis, qua mens primi hominis Deo subiici noluit, factum esse, vt ipsi menti hominis non subiiceretur caro eius. Libr. 13. de Ciui. Dei, cap. 13. *Senserunt*, inquit, *nouum motum inobedientis carnis sue, tamquam reciprocam pœnam inobedientiæ sue.* Et lib. 14. c. 15. *In illius peccati pœna, quid inobedientia nisi inobedientia retributa est.* Et lib 15. c. 6. *Languor est quippe iste inobedientia primæ supplicium.* Vide in eamdem sententiam lib. 1. de nuptiis & concupiscentia, cap. 6. & lib. 5. in Iulian. c. 3.

QVARTA obiectio, Iustitiæ originalis priuatio est causa peccati originalis, vt sanctus Thomas docet in 1.2.q.82.art.2. non igitur est ipsum originale peccatum.

RESPONDEO, loquitur sanctus Thomas de causa formali, & si causa formalis peccati originalis est priuatio iustitiæ originalis, certè peccatum originale formaliter in priuatione iustitiæ originalis consistit, vt idem sanctus Thomas docet in eadem quæst. art. 3.

QVINTA obiectio, Iustitia originalis non restituitur in Baptismo, vt notum est, igitur aut Baptismus non tollit originale peccatum, aut peccatum originale non est priuatio iustitiæ originalis.

RESPONDEO, Non restituit Baptismus omnia quæ ad originalem iustitiam pertinebãt: tamen absolutè dici potest, originalem iustitiam restituere: quia restituit illud donum, quatenus mentem conuertebat ad Deum, & subiectam faciebat Deo. Id enim propriè dicebatur iustitia, & eius priuatio propriè dicitur iniustitia.

LIBER

Universidad de Deusto
Biblioteca

LIBER SEXTVS DE STATV PECCATI, QVI EST TERTIVS DE PECCATO ORIGINIS.

CAPVT PRIMVM.

Variæ sententiæ de pœna peccati originalis post hanc vitam.

RESTAT vltima Disputatio de malis consequentibus originale peccatum: quorũ ALIA patiuntur homines, si in infantia peccato nõdum remisso, fortè rapiantur: ALIA tolerare coguntur, si diutius hãc vitam ducant, siue peccatum dimissum fuerit, siue non fuerit. Ac, vt incipiamus ab iis, qui sine Baptismo in infantia de hac vita decedunt, neque reatum alium secum ferunt, nisi peccati originalis: QVINQVE numerantur sententiæ de supplicio eiusmodi infantium, quæ paulatim à summa lenitate ad summã seueritatem descendunt.

PRIMA sententia eorum fuit, qui regnum cœlorum infantibus non baptizatis promittere audebant, etiamsi non negarent eos in peccato originali conceptos & natos. Ita sensit quidã Vincentius, quem refellit S. August. in lib. 1. de orig. animæ. c. 9. & lib. 3. c. 13. In eundem errorem incidit nostro seculo Zuinglius in declara. de pec. orig. ad Vrbanum Rhegiũ, vbi docet probabile esse, per CHRISTVM vniuersam naturam humanã ita esse restitutam, vt etiã filij infidelium sine Baptismo decedentes saluentur. Id autem non solùm probabile, sed etiam certum esse de filiis fidelium: quem errorẽ quod attinet ad filios fideliũ: sequuntur multi sectariorũ, vt Bucerus, Martyr, Caluin. quos refutauimus in lib. de Baptism. c 4.

ALTERA sententia paulò quidẽ minus liberalis, sed tamen valdè mitis, fuit eorum, qui paruulos nõ baptizatos excludebant à regno cœlorum, & vita beata Sanctis promissa. Tamen eis dabãt vitam æternam & naturalem beatitudinem sine vlla molestia, aut dolore, extra regnũ Beatorum & procul à carcere dãnatorum, hoc est, in loco medio inter gehẽnam, & cœlum, qualis locus vix potest fingi alius, quàm terræ conuexum. Ita sensisse olim Pelagianos docet S. Augustinus in lib. de hæresibus, cap. 88. *Nã*, inquit, *etiã si non baptizentur, promittunt eis extra regnum quidem Dei, sed tamen æternam & beatam quandam vitã suam.*

Quod autem per regnum Dei intelligat August. non solùm domum cœlestem, sed etiã visionem Dei, & quod Pelagiani non promiserint paruulis non baptizatis vitã æternam supernaturalem, quæ consistit in visione Dei, sed solùm vitã æternam, siue beatitudinem naturalem, perspicuum est ex lib. 5. in Iulianum, cap. 8. vbi, August. teste, Pelagiani alienabant paruulos nõ baptizatos à vita Dei, cùm alienarent à regno Dei. Quid est autẽ vita Dei, nisi visio Dei? Sed neque ipsum regnum cœlorũ in Scripturis aliud significat, nisi felicitatem æternam, quæ in Dei visione consistit, iuxta illud: *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est. Matth. 18.* Et illud: *Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. 1. Ioan. 3.* Et illud: *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, &c. Ioann. 14.* Itaque Pelagiani non vitam æternã simpliciter, sed, vt Augũ. loquitur, *quamdam suam vitam æternam* infantibus non baptizatis promittebant.

Ad quem errorem proximè accessisse videntur Ambrosius Catharinus in libro de statu puerorum sine Baptismo decedẽtium: Albertus Pighius in prima Controuersia: & Hierõ. Sauonarola in lib. de Triũpho crucis. Docent enim infantes sine Baptismo morientes, futuros post iudicium beatos naturali beatitudine, & in quodã veluti Paradiso terrestri perpetuò, fœlicitérque victuros.

TERTIA sententia iam aliquanto seuerior, docet paruulos sine Baptismo decedentes damnari apud inferos æterna morte, sed tamen sic puniri carentia visionis Dei, quæ dicitur pœna damni, vt nullum patiantur omninò dolorem, neque internum, neque externum. Ita docet S. Thom. in quæstio. 1. de malo, art. 1. 2. & 3. & cum ipse, tũ alij aliquot Scholastici Doctores in 2. Sen. dist. 33.

QVARTA sententia superiore adhuc seuerior, liberat quidem paruulos eiusmodi à cruciatu ignis, & vermis, de quo legimus Marc. 9. *Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* quæ propriè dicitur pœna sensus, sed eos non liberat ab interno dolore, qui sequitur ex amissã beatitudine sempiternæ felicitatis. Ita docet Petr. Lõb. in 2. lib. Sẽt. dist. 33. lit. E. Eúq; nõnulli alij sequuti sunt, vt referunt S. Thom. S. Bonauentura, Gregorius Arimi-
nensis, & alij in co mment. eiusdem loci.

QVINTA sententia seueriſſima, atq; extrema, docet paruulos propter originale peccatũ vtroque pœnæ genere, damn. f. & sensus, in gehenna perpetuò cruciari: in hanc sententiã satis apertè propendet Greg. Arimi. in 2. Sẽ. dist 33. q. 3. & Io. Drie. in 1. li. de gr. & lib. arb. tr. 3. c. 2.

Hæretici nostri temporis extremis sententiis maximè delectantur, & ideo paruulos nõ baptizatos, aut in cœlo cũ beatis locãt, vt diximus de Zuinglio & Caluino: aut igni sempiterno illos addicũt. Quod manifestè colligitur tum ex Luthero, tum ex Melanchthone, & aliis, qui, vt ostendimus lib. superiore, peccatũ originale cum actuali confundunt: tum ex Tilmanno Heshusio, qui in lib. de sexcentis erroribus Põtificiorum, tit. de peccato, nu. 13. numerat inter errores sentẽtiam illam Scholasticorum, quæ docet, paruulos sine Baptismo decedentes, pœnam damni, non sensus apud inferos esse passuros, nunc prædictas sententias paulò diligentius excutiemus.

CAPVT

CAPVT II.

Refellitur prima & secunda sententia, atque asseritur, paruulos sine Baptismo decedentes, mortis æternæ pœnæ esse damnandos.

EX enumeratis sententiis prima & secunda, non solùm falsæ, sed etiam hæreticæ existimandæ sunt, & contra, fide Catholica tenendum est, paruulos sine Baptismo decedentes, absolutè esse damnatos, & non sola cœlesti, sed etiam naturali beatitudine perpetuò carituros. Quo loco illud præfandum esse videtur, misericordiam nostrã erga paruulos iam defunctos, nihil eis prodesse, & contra nihil eisdem obesse sententiæ nostræ seueritatem: multum autem nobis obesse, si ob inutilẽ misericordiam erga defunctos, pertinaciter aliquid contra Scripturas, aut Ecclesiam defendamus: idcirco non affectum quemdam humanum, quo plerique moueri solent, sed Scripturę, Conciliorum & Patrum sententiam consulere & sequi debemus.

Quod igitur attinet ad beatitudinem cœlestẽ & vitã æternam in regno cœlorũ, extat clarissima Domini sentẽtia Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ad quam rem confirmandam multa protulimus tum in lib. de Baptismo, c. 4. tum in 1. lib. de pec. orig. c. 14. ad quæ loca, ne frustra eadem repetamus, lectorẽ remittimus. Quod autem eiusmodi paruuli absolutè dãnati, & miseri, & ne naturali quidem beatitudine beati sint, his argumentis probamus.

PRIMVM argumentũ ex testimoniis diuinarũ Literarum ducitur, Ioan. 3. *Sicut Moses exaltauit serpentẽ in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum, non pereat sed habeat vitã æternam.* Et infrà: *Qui credit in filium habet vitam æternam, qui autem incredulus est filio, non videbit vitam sed ira Dei manet super eum.* Iam cùm paruuli nõ baptizati nullo modo respiciant in serpentem, id est, nõ credant in Christũ, neq; per se, neq; per alios, neq; actu neq; habitu, quid sequitur, nisi vt nõ habeãt vitã æternã, vt pereant in æternũ, vt non videant vitã, vt ira Dei maneat super illos. Rectè enim animaduertit S. Augustinus serm. 14. de verb. Apost. non esse dictũ: *Ira Dei veniet super eos*, sed, *manet super eos* vt intelligeremus, fidẽ in Christum necessariã esse, non solũ, ne incidamus in irã Dei, sed etiã vt liberemur ab ira, in quã incidimus per inobedientiam primi hominis. De qua dictũ est ab Apostolo ad Ephe. 2. *Eramus enim & nos natura filij iræ, sicut & cæteri.*

His accedit illud eiusdẽ Apostoli ad Rom. 5. *Per vnius delictũ in oẽs homines in condẽnationem.* Sunt igitur paruuli sine Baptismo decedentes, secundũ Scripturas à Deo cõdemnati, & iratũ contra se Deũ habent, & non videbunt in æternũ vitã beatã ac felicẽ: nam corporalẽ quidem vitam in cõmuni resurrectione percipient, sed non dicẽtur resurgere ad vitã, sed ad mortẽ, qui ideò resurgẽt, vt perpetuò sint miseri: & non est vera vita, nisi vbi feliciter viuitur, vt S. Augustinus docet in Enchirid. c. 92.

Deniq; in Apoc. cap. 20. *Beatus, & sanctus qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors nõ habet potestatem.* Et infrà: *Qui non est inuentus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* At paruuli non baptizati non habent partẽ in resurrectione prima, nec sunt scripti in libro vitæ, igitur in eos mors secunda habet potestatem, & missi sunt in stagnũ ignis. Est autẽ hoc loco notandũ. Cathari. in libro suo de statu puerorũ, &c. definire mortẽ secundã carentiã omnis felicitatis, tũ naturalis, tũ supernaturalis.

Alterũ argumentũ sumi potest ex definitionib. Conciliorũ. Cõcilium Palestinũ, teste S. August. in epist. 206. ad Paulin. compulit Pelagium anathematizare, infantes etiamsi non baptizentur, habere vitam æternam: *Hac autẽ*, inquit Augustinus, *negata, quid nisi mors æterna remanebit?*

A Concilium Carthaginense in epist. apud Augustinum 90. *Quicunque*, inquit, *negat paruulos a perditione liberari per Baptismum Christi, & saluũ percipere sempiternã anathema sit.*

Cõcilium Mileuitan. in epist. apud August. 92. similia repetit: *Pueros*, inquit, *paruulos si nullis inhiuentur Chri. liana gratiæ Sacramentis, habituros vitam æternam, nequam præsumptione contendunt.*

Concilium Florent. in vlt. sess. *Illorum*, inquit, *animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.*

Concilium Tridentinũ sess. 5. cõsentaneè ad antiquiora Concilia, disertis verbis docuit, paruulos sine Baptismo ad vitam æternam non peruenire.

TERTIVM argumentũ sumitur ex testimoniis summorum Pontificum. S. Innocentius I. in epist. ad Concilia Carthaginense & Mileuitanum, quæ sunt apud Augustinum 91. & 93. dum approbat decreta illorum Conciliorum simul reprobat Pelagianorum hæresim.

S. Siricius in epist. 1. ad Himerium, cap. 2. docet, infan-
B tes in periculo vitæ constitutos, continuò baptizari debere, & rationem reddens ait: *Ne regnum perdãt & vitam.*

S. Leo Papa in epist. 86. ad Nicetã iubet, Pelagianos ad Ecclesiam redire volentes, nõ esse recipiendos, nisi prius suos anathematizẽt errores, & inter cæteros, quod pueri sine Baptismo de seculo exeuntes, non possint damnari.

S. Gregorius lib. 9. moral. c. 16. *Nonnulli*, inquit, *prius à præsenti luce subtrahuntur, quã ad proferenda bona malave merita actiuæ vitæ perueniant. Quos quia à culpa originis Sacramenta salutis non liberant, & hic ex proprio nihil egerunt, & illuc ad tormenta perueniunt.* Et infrà: *Perpetua quippe tormẽta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccauerunt.*

Ioannes Papa, vt habetur 30. q. 1. can. Ad limina, laudat quẽdam laicũ, qui necessitate cogente propriũ filium baptizauit: *Quoniam* (vt ipse loquitur) *ne animã perpetua morte pereũte diuitteret, sacri vnda Baptismatis lauit, vt eum de potestate auctoris mortis, & tenebrarum eriperet, & in regnum Christi iam regnaturum sine dubitatione transmitteret.*

C QVINTVM argumẽtum à testimoniis Patrũ, S. Augustinus in epist. 106. ad Paulin. *Nempe*, inquit, *aliquando fatebuntur, paruulos non baptizatos vitam habere nõ posse, ac per hoc quamlibet tolerabiliùs omnibus, qui etiam propria peccata cõmittunt, tamen æterna morte mulctari.* Et lib. 1. de orig. animæ. cap. 9. *Non baptizatis paruulis nemo promittat inter damnationem regnúmque cœlorũ quietis vel felicitatis cuiuslibet atque vbilibet quasi medium locũ, hoc enim eis hæresis Pelagiana promisit.* Et lib. 2. c. 12. *Nouellos hæreticos Pelagianos iustissimè Conciliorum Catholicorum, & sedis Apostolicæ damnauit auctoritas, eò quòd aufi fuerint non baptizatis paruulis dare quietis & salutis locum, etiam præter regnum cœlorum.* Et libr. 1. de pec. mer. & remiss. c. 23. *Nulla salus æterna, præter baptismum Christi, promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura diuina humanis omnibus ingenijs præferenda.* Vide etiam in eodem lib. ca.
D 28. & lib. 2. de peccato orig. cap. 21. lib. 5. in Iulian. ca. 8. in Enchirid. cap. 93. serm. de verbis Apostoli.

S. Prosper li. 2. de vocat. gentium. c. 8. *Quid est*, inquit, *quod alienatur à salute perpetua tanta infantium multitudo, totq; in his ætatib. hominum millia extra vitam relinquuntur æternam?*

S. Fulgentius in lib. de fide ad Petrum, cap. 3. *Paruulos*, inquit, *quibus nulla possunt vel bona, vel mala inesse propria merita voluntatis, insolubili nexu æterna damnatio retinet.*

Auctor sermonum de operibus cardinalibus Christi, qui falsò inscribuntur Cypriano, cũ sint auctoris antiqui & docti, sed Cypriano, immò & August. sine dubio posterioris, in serm. de Circumcisione, loquens de pœna peccati originalis: *Supererat*, inquit, *post mortem carnis, animæ labor & afflictio spiritus: nec poterat vlla ratione absolui illa dãnatio, nisi morti omnium vita omnium subueniret, & pro generali morbo gratia Dei singulare propinaret Antidotum.*

Venerabilis Beda in comment. cap. 14. Ioan. *Respuendi*, inquit, *sunt, à corde Christiano, qui putant ideò dictum multas*

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse mansiones, quia extra regnum cœlorum erit aliquid, vbi beate manebunt innocentes, qui sine Baptismo ex hac vita migrarunt. Quia sine illo in regnum cœlorum ingredi non potuerunt.

S. Anselmus in libro de conceptu virginali, cap. 27. *Si originale, inquit, peccatum est aliquod peccatum, necesse est omnem hominem in eo natum, illo non dimisso damnari.*

S. Bernardvs in epist. 191. ad Innocentium, propè finem, dicit, *Infantes perire si non baptizentur.*

Qvintvm argumentum sumi potest ex rationibus quæ in Scripturis, & Patribus fundamentum habent. Prima ratio, paruuli non baptizati, tum in hac vita, tum in alia sunt captiui, & in potestate diaboli: nó igitur beati, ne naturali quidem beatitudine, sed absolutè infelices, & miseri. Et quidem quod infantuli, nisi baptizẽtur, sint in potestate diaboli, & captiui, certissimũ est. Nam Apostolus ad Colos. 1. dicit: *Nos per Christum eripi de potestate tenebrarum.* Ex quo sequitur, vt ante Baptismum simus omnes sub potestate tenebrarum. Quare Act. 26. Christus ipse dicit, se mittere Paulum *ad gentes & populos, vt aperiat oculos eorum, & conuertantur de tenebris ad lucem, & de potestate Sathanæ ad Deum.* Et Luc. 11. comparat Dominus Sathanam *forti armato custodienti atrium suum.* Et Ioan. 12. *Nunc*, inquit, *princeps huius mundi eijcietur foras.* Hanc autem diaboli expulsionem in paruulis fieri per Baptismum, docent exorcismi, & exsufflationes, quarum in Ecclesia semper fuit vsus.

S. Avgvstinvs lib. 1. de pec. mer. & remis. cap. 34. *Vellem*, inquit, *aliquis istorum, qui contraria sapiunt, mihi baptizandum paruulum adferret. Quid in illo agit exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur?* Et lib. 2. de pec. orig. cap. 40. *Ipse*, inquit, *sanctæ Ecclesiæ Sacramenta satis indicant paruulos a partu etiam recentissimos per gratiam Christi de diaboli seruitio liberari.* Et infrà: *Non solum ætate maiores, sed etiam pusillos eruit à potestate tenebrarum.* Et lib. 6. in Iulian. cap. 2. *Verum est*, inquit, *quod antiquitus veraci fide Catholica prædicatur, & creditur, per Ecclesiam totam: qua filios fidelium nec exorcizaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum, & à principe mortis eruere tet quod in libro meo, cui tu velut respondes, a me positum est. Sed id tu commemorare timuisti, tamquam ipse ab orbe toto exsufflandus esses, si huic exsufflationi qua princeps mundi, & à paruulis eiicitur foras, contradicere voluisses.* Et eodem lib. ca. 8. *Hoc ergo generi humano inflictum vulnus à diabolo, quidquid per illud nascitur, cogit esse sub diabolo.*

Denique lib. 1. de nup. & concupis. cap. 20. *Non enim*, inquit, *fides dubitat Christiana, quam nouæ hæretici oppugnare cœperũt, & eos qui lauacro regenerationis abluũtur, redimi de potestate diaboli, & eos qui nondum tali regeneratione redempti sunt, etiam paruulos filios redemptorum sub eiusdem esse potestate captiuos, nisi & ipsi eadem Christi gratia redimantur: ad omnes namque pertinere non dubitamus ætates illud, de quo Apostolus loquitur, beneficium Dei, qui eruit nos de potestate tenebrarũ, &c.* Et rursus lib. 2. de nup. & concupis. c. 10. *Accusat*, inquit, *Ecclesiam toto orbe diffusam, in qua vbique omnes baptizandi infantuli non ob aliud ex sufflantur, nisi vt ab eis princeps mundi mittatur foras, à quo necesse est vasa iræ possideantur, cum in Adã nascuntur, si in Christo non renascantur, & in eius regnum per gratiam facta vasa misericordiæ transferantur.*

Similia inuenies in omnibus Patribus, & in ipsis etiã Pontificum decret. vt in epist. Cœlest ad Gallos, in epist. Zozimi ad omnes Episcopos, in epist. Io. Papę, apud Gratian. 30. q. 1. can. Ad limina.

Ex quibus apparet omninò improbabiliter, ne quid grauius dicam, scripsisse Amb. Catha. in lib. de statu puerorum sine Baptismo decedentium, paruulos eiusmodi, post diem iudicij non fore amplius sub diaboli potestate. Quoniam, vt ipse ait, etiam pro illis diabolus eiectus erit foras. Nam, vt iam ex S. Augustino audiuimus, secundum fidem vniuersæ Ecclesiæ nó eruũtur infantes de potestate Sathanæ, neque eiicitur diabolus foras, nisi per regenerationem, quæ est in Christo: & necesse est vasa iræ esse sub diabolo, nisi per gratiam Dei in regnum Christi, facta vasa misericordiæ transferantur.

Quis autem negat, nisi manifestus hæreticus, paruulos in peccato decedentes, numquam per Christum regenerãdos, neq; in eius regnũ vllo vmquam tẽpore trãferẽdos? Quid, quod idẽ S. Augustinus diserris verbis scribit, etiam post iudicium paruulos sub diaboli potestate futuros? Nam in lib. 1. de nup. & concupis. c. 23. cum dixisset, *Hoc generi humano inflictum vulnus à diabolo quidquid per illud nascitur, cogit esse sub diabolo.* Et paulò pòst: *Non ita tenet homines diabolus, siue maioris, siue infantilis ætatis, propter quod homines sunt, sed propter quod immundi sunt, &c.* Subiũgit: *Maiores quidem pœnas vltimo iudicio, quanto est immundior, ipse passurus, veruntamen & quibus illa damnatione tolerabilius erit, huic sunt subditi veluti principi auctoríque peccati, quia nulla erit damnationis causa nisi peccatum.* Igitur paruuli non baptizati, cùm semper captiui sub principe diabolo futuri sint, non beati, sed miseri dicendi sunt.

Altera ratio sumitur ex loco, in quo paruuli degunt, & semper degent, siquidem locus eorum est carcer inferni, locus horridus ac tenebricosus, in quo qui degẽt, sine dubio beati esse non poterunt, cũ beatitudo definiatur status omniũ bonorũ aggregatione perfectus. Locũ autẽ talium infantium esse carcerẽ inferni, docent in primis ferè omnes Theologi Scholastici, S. Tho. S. Bonauentura, Scotus, Durand. Richard. Capreol. & alij in 2. Sent. d. 33. vel in 4. d. 45. & præterea Alex. Alen. in 2. part. Summæ, quæst. 122. membro 10. §. 1. & Albertus in 2. part. Summæ. q. 113.

Hoc solũ inter veteres istos Theologos interest, quod alij constituũt infantes in parte inferni altiore, quã limbum puerorum appellant, alij cũ cæteris dãnatis eos locum habere pronunciãt. Docent hoc idẽ Patres Concilij Florẽt. in decre. quod habetur in vltima sessione vbi simpliciter definiunt, animas eorũ qui in sõlo peccato originali, vel mortali actuali decedunt, in infernũ descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.

Neq; vlla est ratio, cur ex eo loco post vltimũ iudicij magni diẽ liberandæ sint, cũ post hanc vitã non sit locus misericordiæ, sed iustitiæ, & in Eccles. c. 11. scriptũ sit *Vbicumq, ceciderit lignũ, siue ad austrum, siue ad aquilonem, ibi erit.* Quem locum S. Hieronymus in commentario, & alij communiter exponunt de hominibus, qui in eo statu perpetuò erunt, in quo illos mors inuenerit.

Docẽt hoc ipsum deniq; sancti Patres, qui nó incerta opinione, sed fide certissima contra hæresin Pelagianorũ rem istam tenendã esse confirmant. S. Augustinus lib. 1. de pec. merit. & remis. c. 28. *Nec est*, inquit, *vllus vlli medius locus, vt possit esse nisi cum diabolo, qui non est cum Christo. Hinc & ipse Dominus volens auferre de cordibus malè credentium istã nescio quam medietatem, quam conãtur quidam paruulis non baptizatis tribuere, vt quasi meritò innocentiæ sint in vita æterna, sed quia non sunt baptizati, non sint cum Christo in regno eius, definiuam protulit ad hac ora obstruenda sententiam, vbi ait: Qui non est mecum, contra me est.* Et serm. 14. de verb. Apost. nõ lõgè ab initio: *Nullus*, inquit, *relictus est medius locus, vbi ponere queas infantes. De viuis & mortuis iudicabitur. aly erũt ad dexteram, alij ad sinistrã, non nouis aliud. Si ergo dextera erit & sinistra, & nullum medium locum in Euãgelio nouimus, ecce in dextera regnum cœlorum est. Percipite, inquit, regnum qui ibi non est, in sinistra est. Quid erit in sinistra? ite in ignem æternum.*

Auctor hypognostici, qui vel est Augustinus vel alius omnium consensu antiquus & doctus. lib. 5. vltra medium: *Primũ*, inquit, *locũ fides Catholicorũ diuina auctoritate regnum credidit esse cœlorũ, vnde, vt dixi, non baptizatus excipitur. Secũdum, gehennam, vbi omnis Apostata, vel a Christi fide alienus, æterna supplicia experietur. Tertium, penitus ignoramus: imò nõ esse in scripturis sanctis, inueniemus, finge, Pelagiane, locum ex officina peruersi dogmatis tui, vbi alieni à Christi gratia vitam requiei, & gloriæ possidere paruuli possint.*

S. Fvlg

S. Fulgentius in lib. de fide ad Petrũ, cap. 27. inter regulas fidei numerat, quod paruuli sine Baptismo decedentes in gehenna locum perpetuum sint habituri.

Venerabilis etiam Beda loco citato in commen. c. 14. Ioan. repellendum dicit esse à corde Christiano, quod sit aliqua mansio beatitudinis extra regnum cœlorum.

Accedat postremò etiam ratio, quæ nõ obscurè docet, infantes, qui non erũt in cœlo, non aliũ locũ habituros, quàm inferorũ subterraneas sedes. Siquidẽ omninò credibile est, post vltimi iudicij diem, elementũ aquæ, ad locum suum naturalẽ esse rediturũ, totamque terrã vndiq; cooperturũ: nam vt Theologi Doctores cõmuni cõsensu docent in 4. Sen. d. 47. post diem iudicij nullæ erunt amplius plantæ, nulla animantia, nulla corpora mixta, hominib. duntaxat exceptis. Neque enim perpetuò duratura sunt, nisi quę vel in toto, vel ex parte incorruptionẽ ab ipsa natura sortita sunt. Eiusmodi autẽ primùm corpora cœlestia, quæ & secũdum totũ, & secundũ partes incorruptibilia sunt. Deinde elementa quæ secundùm totum, licet non secundùm partes à natura incorruptionem habent. Deniq; homines, qui secundũ partẽ, quæ est anima rationalis, non secundùm totũ immortales sunt: cætera corpora sint omnia, tũ in toto, tum partib. corruptibilia.

Quare cũ aqua initio mundi totã ambiret terrã, vt natura eius postulare videbatur, ac deinde iussu Dei in locũ vnum cõgregata fuerit, vt esset locus in terra generationi animantium & plãtarũ: certè generatione ista sublata ratio ipsa & natura rerum postulat, vt aqua ad locum prisinum reuertatur, quæ cũ ita sint, non solùm ex Scripturis Conciliorũ & Patrum testimoniis, sed etiã ex rationis coniectura colligimus, locum infantiũ sine Baptismo decedentium, non alsiũ quã infernũ esse futurũ, ac per hoc nõ habituros illos beatitudinem vllã, etiã naturalẽ, cùm ad beatitudinem omnia bona, inter quæ nó minimũ est loci cõmoditas, & præstantia, sine dubio requirantur.

Tertia ratio principalis sumitur ex natura & ratione beatitudinis. Beatitudo. n. naturalis de hac siquidẽ tota quæstio est, requirit præcipuè perfectionẽ intelligẽtiæ per scientias, nõ erit autẽ huiusmodi perfectio in infantibus sine Baptismo decedentibus. Igitur non erit in eis vlla beatitudo.

Assumptio huius argumenti, quæ sola probatione indiget, sic probatur. Scientia rerũ, vel à Deo cœlitus infunditur, vel proprio labore acquiritur: non infunderur paruulis, de quib. agimus, vlla scientia, quia neque eã bonis operib. meruerunt, neque gratis eis donabitur, cùm post mortẽ nõ sit tẽpus gratię, sed iudicij, & ipsi prętereà sint vasa iræ, non misericordiæ. Quod autẽ attinet ad acquisitionem proprio labore, non potest ea non esse valdè tenuis & exigua, cũ neque in hac vita didicerint aliquid & in alia clausi perpetuò futuri sint in carcere tenebricoso, vbi ministerio sensuũ parũ admodũ iuuari poterũt.

Sed fortasse animę illorum, dum vsque ad diẽ iudicij à carnis onere liberæ sunt, sapientia & scientia repleri poterunt, non ita est: nam vt scribit S. Tom. in 1. q. 89. ar. 1. & seq. animæ separatæ, si priuilegium absit, intelligunt quidẽ aliquid, sed valdè imperfectè & cõfuse, & ideò naturaliter corpori vniuntur, vt eo tamquam instrumento vtantur ad res perfectè distinctéque intelligendas.

Eadẽ ratio est de virtutib. moralib. quarum perfectio ad naturæ felicitatẽ necessaria est. Nam vt ex hac vita discedunt infantes sine vitiis & virtutib. positiuis, cũ sola habituali auersione à Deo, ita semper erunt auersi habitualiter à Deo, neque proficient in virtutibus, nisi forte admodum imperfectè pro ratione imperfectæ cognitionis, quam in eo statu, (vt diximus,) assequentur.

Qvartam rationẽ adiungere placet propriè aduersus Pighium & Catharin. ex absurdo, quod ex eorum opinione cõsequitur: Nã si verũ esset, quod ipsi scribunt, paruulos cũ originali peccato decedentes, non solũ caturos omni dolore, tum interno, tũ externo, sed etiã beatos ac felices in quodã veluti terrestri paradiso perpetuò vitã acturos, plenos sapiẽtia & virtutib. sua sorte optimè contentos, Deum toto corde diligentes & laudates, Angelorum denique consortio & reuelationib. sæpè fruentes: si hęc, inquã, vera essent, sequeretur infantes melioris conditionis esse, quia peccauerunt in Adamo, quàm si in puris naturalib. decessissent. Non enim tãta bona debentur hominib. in puris naturalib. in infantia decedentib. Itaque paruuli isti præmium ex peccato referrent.

Sequeretur deinde paruulos debere baptizari vt adoptionẽ diuinã adepti admittantur ad regnũ cœlorũ, non autẽ quia periculum sit ne damnentur & pereant. Nihil enim eis adest mali prętęr carẽtiã visionis Dei, & nihil eisdẽ boni deest, nisi visio Dei, hoc est possessio regni cœlestis.

Atqui hæc ipsa est hæresis Pelagiana, nã vt S. Aug. refertur in li. 1. de ori ine animæ c. 9. non timebant Pelagiani paruulis dãnationem, si nõ baptizarentur, sed à regno exclusionẽ, vbi per dãnationẽ nõ intelligit Augustinus exclusionẽ à regno, sed aliquid aliud, nã si exclusio esset dãnatio, qui exclusionem timebant non baptizatis, damnationem quoque eisdem pariter timuissent. Quare idẽ Augustinus li. de hæres. c. 88. scribit, paruulos secundum hæresim Pelagij Baptismo indigere, vt regeneratione adoprati admittantur ad regnum Dei, & non vt non pereãt, sed vt de bono transferantur ad melius.

Nos igitur, vt à Pelagianorum errore, quã longissimè recedamus, nullã tribuimus paruulis sine Baptismo vitã beatam, eosque baptizandos asserimus, non tantùm vt à regno Dei non excludantur, sed etiam vt à peccato liberati, à potestate Sathanæ, & ab inferni carcere pariter liberentur, & vitam, ac requiem percipiant sempiternam.

CAPVT III.

Respondetur ad obiectiones contra doctrinã c. superioris.

Sed operæpretium erit respondere ad obiectiones aliquas Ambrosij Catharini, quas ille opponendas putauit doctrinę veterum Patrũ quã nos cap. superiore defendimus. Omittã argumenta, quib. ille probare nititur, paruulos non puniendos igni gehennæ (id. n etiam nos probabimus in sequenti capite) & ea solùm adducã, quibus effecisse se putat, paruulos non semper futuros in damnatione mortis, nec semper habituros sedem in locis subterraneis, & denique felicem, ac beatam vitam acturos extra regnum cœlorum.

Prima igitur obiectio talis est: Quod, inquit, *eterna damnatio non sit secundum omnem pœnam factum est per Iesum Christum Dominum nostrum, qui venit peccatum illud auferre: sicut enim dictum est a Paule, sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem sic & ab eodem dictum est, sic & per vnius iustitiam in oẽs homines in iustificationem vitæ. Non quod velim dicere, quod si pueri, nisi applicetur eis vita per Iesum Christum in Sacramento, iustificentur ad vitam æternam. Absit hæresis, sed non perpetuæ subdentur condemnationi mortis: quia & pro illis vltimo loco mimica destruetur mors, neque sub diaboli perpetuo potestate erunt. Quia & pro illis eiectus erit diabolus foras, in die nouissimorum nihil iuris habeat vlterius in illos. Illa ergo damnatio ob illud peccatum non erit perpetua.*

Respondeo, hæc argumentatio Catharini, Primum repugnat expressis testimoniis Patrum, quæ in capite superiore citauimus. Deinde sequitur ex ea, vt damnatio paruulorum nõ sit æterna, eadẽ ratione dãnatio maiorũ nõ videatur æterna. Nã quod ipse dicit, Christũ venisse, vt tolleret peccatum originis, & propter Christi iustitiã oẽs iustificari, & in nouissimo die inimicã mortẽ perituram: & diabolũ foras eiiciendum, æquè valet in maiorib. ac in paruulis. Christus. n. venit omnia peccata tollere: *Dedit n. semetipsum redemptionem pro omnib.* 1. Tim. 2. *Et ipse est propitiatio pro peccatis totius mundi.* 1. Ioan. 2, & propter eius iustitiã oẽs, non solùm paruuli, sed etiam adulti iustificabuntur. Nã iudicium quidẽ ex vno, delicto videlicet, in

Universidad de Deusto
Biblioteca

condẽnationem, gratia autẽ ex multis delictis in iustificationẽ, inquit Apostolus ad Rom. 5. & inimica destruetur mors, pro omnibus omninò non solùm paruulis, sed etiã maiorib. omnes enim resurgent, etiã grauissimi peccatores. Deniq; & diabolus eiicietur foras, sed Scriptura nusquam indicat, eum deinceps habiturum potestatem in maiores, non autem in paruulos.

Itaque si conclusio illa dãnationem videlicet non fore perpetuã, vera est de paruulorum dãnatione, vera etiam erit de dãnatione maiorum. Quod si dãnatio peccatorum non sit æterna, dubitari etiã poterit de beatitudine Sanctis promissa, ne fortè nõ sit æterna, vt S. Augustinus colligit lib. 21. de Ciuit. Dei, cap. 24. Sed his omissis respondeamus breuiter ad argumentum.

Quod igitur Catharin. dicit, Christũ venisse, vt peccatum originis tolleret, verum est quoad efficaciã, quia vt ex Io. citauimus, ipse est propitiatio pro peccatis totius mundi, à multis tamen non tollitur hoc peccatum, quia non applicatur eis precium redemptionis. Instrumẽtum enim applicationis pro paruulis nullum est, præter Baptismum, proinde paruuli sine Baptismo decedentes, experres sunt redemptionis.

Quod addit scriptum esse, *Per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ*: verissimum quoque est: sed intelligitur ex cõmuni Catholicorũ sensu atq; consensu, non in omnes simpliciter, sed in omnes, qui ex Christo per Baptismum renascuntur. Sicut. n. omnes, qui nascuntur ex Adamo, damnantur: ita omnes qui renascuntur in Christo, iustificantur, quare ad paruulos non baptizatos nihil hoc testimonium pertinet.

At in nouissimo etiã pro paruulis inimica destruetur mors. Si hic locus de resurrectione simpliciter intelligatur: destruetur quidem mors pro omnib. damnatis, quia omnes resurgent, sed nõ propterea desinent esse in morte æterna: nam resurgent nõ ad resurrectionem vitæ, sed ad resurrectionem iudicij, vt Dominus dicit Ioan. 5. hoc est, resurgent, vt miseri semper in damnationem viuant, & vt mors eorum numquam moriatur.

C Sin autem quod probabilius videtur, verba illa: *Inimica destruetur mors*, intelligantur de resurrectione ad veram vitã, nihil hæc promissio ad paruulos pertinet. Resurrectio. n. ad veram vitã, fidelium tãtum erit arq; Sanctorũ, vt S. Augustinus affirmat in epist. 146. ad Cosentium, qui etiã in epist. 28. ad Hieronymum paruulos in eorum numero ponit, qui resurgent non ad resurrectionem vitæ, sed ad resurrectionem iudicij, id est, damnationis.

Deniq; quod affert Cathar. de eiectione diaboli, nihil omnino probat: nã vt suprà ostendimus multis testimoniis, diabolus non eiicitur foras, nisi per Baptismũ cuius rei signũ est, quod in vniuersa Ecclesia ex antiquissima traditione paruuli baptizãdi exorcizãtur, & exsufflãtur.

Altera obiectio Cathar. pugnat pro tertio loco infantib. assignando ex c. 12. Dan. vbi sic legimus: *Et multi de his qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobriũ, vt videant semper. Attendite.* inquit Catharinus, *non dicit, oẽs qui dormiunt, sed multi de his qui dormiunt, vt clarè innuat, superesse aliquos dormientiũ, qui nec in vitã æternã, nec in opprobrium æternum vigilaturi sunt. Hi autem quinam esse possunt, nisi pueri isti? Alioquin dem nobis contradicentes, quinam hi sint. Certè hic locus irrefragabiliter contra eos concludit.*

Respondeo, S. Auguſt. lib. 20. de Ciui. Dei. c. 23 & Theodoret. in cõment. huius loci, nos admonent, vocem illã, *multi*, positã esse hoc loco pro voce, *omnes*, quia reuera multi erunt, qui resurgent, cũ omnes resurgẽt. Simile est illud Rom. 5. *Per inobedientiã vnius hominis peccatores constituti sunt multi*. Quos multos vocauit, etiam oẽs vocat, cùm ait: *In quo omnes peccauerunt*. Et: *Per vnius delictum in oẽs homines in condẽnationem*. Simile est etiã quod habetur Gen. 17. *Patrem multarũ gentiũ constitui te*. De quib. gẽtib. rursus dicitur c. 18, & 22. *In semine tuo benedicentur oẽs gentes terræ*.

Adde quod S. Auguſt. loco notato, S. Ambrosius in 1. Psal. & S. Hieronymus in c. 26. Isaiæ dicunt, locum istum Dan. idẽ omninò significare, quod multò pòst Dominus expressit Io. 5. cùm ait: *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij*. Vbi videmus, à Domino ipso declaratũ esse, per multos dormientes in terræ puluere intelligendos esse oẽs, qui in monumentis sunt. i. oẽs mortuos. Nõ igitur irrefragabiliter hic locus cõtra eos cõcludit, qui negãt paruulos extra cœlũ, & gehẽnam, sedẽ quãdam tertiã post iudiciũ habituros.

Tertia obiectio: *Si verũ fuerit* inquit Cathar. *quod Augustin. ad Renatum scripsit, videlicet his pueris meatũ assignare locum inter gehennæ supplicium, & cœlorum regnum, hæresim esse Pelagianam: consequens est, vt omnis schola hæresim Pelagianam defendat. At cur non potius fateamur, quod Augustinus humani aliquid passus est, & excessit in hoc dogmate?*

B Respondeo, S. Auguſt. in lib. ad Renatum, qui est primus de origine animæ. c. 9. non dicit, esse Pelagianam hæresim, assignare paruulis mediũ locum inter gehennæ supplicium & cœlorum regnũ, sed inter dãnationem regnumq; cœlorum. Paruulos autem verè esse dãnatos, ac per hoc non habere medium locum inter dãnationem, regnũq; cœlorum, nõ solùm Apostolus dicit ad Rom. 5. & omnis schola contra Pelagianos defendit, sed ipse etiam Cathar. in illo ipso suo libello confirmat. Sic. n. loquitur in responsione ad primum argumẽtum: *Fateor*, inquit, *quod nemo secũdũ fidẽ negare potest, oes in Adã peccasse, & ideo pueros oẽs illud vitium contrahere, ac secũ ferre dãnationem.*

Sed esto, scripsisset Augustinus in lib. ad Renatum, nõ posse assignari paruulis medium locum, nisi ex sententia Pelagianorum, inter gehennæ supplicium, & cœlorũ regnum, quod verè scripsit in serm. 14. de verbis Apostoli, & alibi: propterea consequens erit, vt omnis schola hæresim Pelagianam defendat. Nã tametsi Theologi Scholastici in eo ferè conueniant, vt paruuli sine Baptismo decedentes, non patiantur pœnam sensibilem ignis corporalis: tamen apertè docent, vt nos suprà citauimus, eos in inferno esse, & pœnã damni periculo luere: ac per hoc non assignant illis mediũ locum inter gehẽnę supplicių, & cœlorum regnum: Sed in ipsa gehenna mitiore pœna quàm cæteros puniendos esse confirmant. A qua sententia ne ipse quidem Augustinus multũ abhorret. Non igitur Augustinus aliquid humani passus esse, aut excessisse in hoc dogmate censendus est, sed illi planè humanum aliquid patiuntur, & excedunt, qui paruulos in superiore parte terræ, quasi in terrestri paradiso collocant, eosq; beatos ac felices dicunt.

Quarta obiectio: *Quia non erat conueniens* (inquit Catharinus) *vt quidquam fraudaretur suo fine. 1. illo qui ex secundùm naturã cõpetit: idcirco paruulos ea manebit felicitas, quã homini dignum est cõpetere, vt homo est. Ergo istis pueris, qui humanam naturam sine crimine habebunt, illa, quæ humanæ naturæ conuenit, & quodammodo ipso iure debetur felicitas. Nescent ergo quatenus naturalis cognitio se exẽdere poterit, Dominum Deum, & substãtias separatas longè super omnes Philosophos. Non enim vllum habebunt impedimentum ex corpore, neq; interius, neq; exterius, & in æternum viuentes proficient quasi in immensum.*

Respondeo, Multa sunt in hac ratiocinatione, quę meritò negari & reprehendi possunt. Primum, falsum est, non esse cõueniens, vt quidquã fraudetur suo fine. Quin potius conueniens est, vt summus prouisor omnium rerum, dirigat quidem omnia ad suum finem, sed tamẽ aliqua ab eo fine excidere permittat, vide S. Thomam in 1. p. q. 22. art. 2. & q. 23. art. 3.

Deinde falsum est, paruulos sine Baptismo decedẽtes, naturã humanã habere sine crimine, nisi per crimẽ actua le peccatũ intelligi velis. Sed quidquid sit de nomine, certum est, paruulos naturam habere peccato deprauatã, & esse filios iræ, ac per hoc nullo iure debere eis felicitatẽ.

Denique falsum est, naturalem esse felicitatem, viuere in æternum, cum corpore penitùs immortali, proficere in immen

in immensum, nullum impedimẽtum ex corpore habere, intelligere Deũ & substãtias separatas supra omnes Philosophos, idque sine labore, sine doctore, sine libris, aliisq; discendi instrumentis. Nihil n. horum natura humana per se requirit, quin potius naturale est homini corpus habere mortale, cibo ac potu indigere, pendere à sensibus corporalibus in scientiis acquirendis, non sine magno labore ad intelligentiam, quamuis exiguam, ac tenuem rerum incorporalium peruenire.

Quare non resurgent paruuli, de quib. loquimur, ad vitam immortalẽ, quod ita postulat eorum natura, vel quod ipsis id valdè vtile sit futurum, sed vt iustitia Dei in eorum perpetua dãnatione cernatur. Et ideò corpus habebunt, immortale quidem, sed non impassibile, non spirituale, nõ gloriosum: mentem quoque habebunt, non quidẽ actuali peccato inquinatã, sed habitualiter à Deo auersam, nullisque scientiis, aut virtutibus ornatam.

B Quinta obiectio: *Cum non sint futuri* (inquit Catharinus) *proprie exules à regno Dei, sed relegatis magis similes, probabile mihi videtur, quòd non carebunt Angelicis reuelationibus, & visitationibus, etiam eorum qui erunt in cœlis, qui sic recreabũt eos, & solabuntur ea præter diuinã visionem maiestatis, nihil eis deesse intelligamus.*

Respondeo, Inter exulem, & relegatum ea differentia constituitur. l. 2. ff. de pœnis, vt exules ius ciuitatis amittant, relegati retineãt: Quare si paruuli nõ baptizati, nõ exules à regno Dei, & ciuitate sancta Hierusalem cœlesti, sed relegati dicendi sunt: id sequetur, vt eiusmodi paruuli, ciues Sanctorum, domestici Dei, filij regni, & mẽbra corporis Christi haberi debeant: nã cum Ecclesia, quæ est in cœlis, nunc ciuitas sancta, nunc domus Dei, nunc cœlorum regnũ, nunc etiam corpus Christi esse dicatur, qui ciues Sanctorum sunt, idẽ domestici Dei, filij regni, & mẽbra Christi nominantur. At quis ferat Catholicus, vt homines sine fide & Baptismo dicantur mẽbra Christi? & filij iræ, sint filij regni? & qui scripti non sunt in libro vitæ, sint etiam post hanc vitã ciues sanctorũ, & domestici Dei?

C Nõ igitur relegatis, sed planè deportatis similes sũt paruuli sine Baptismo decedentes, & in locis subterraneis lõgissimè à sancta Ciuitate constituti, neq; Angelorum, neque hominum beatorũ visitatione fruũtur. Hic planè locum habet, quod scribit S. Augustinus in lib. 1. de peccat. merit. & remiss. c. 23. & relatum est in decretũ de consecratione, dist. 4. can. Nulla. *Nulla ex nostra arbitrio præter Baptismum Christi, salutæ æterna promittatur infantib. quem non promittit Scriptura diuina humanis omnibus ingenijs præferenda.*

Sexta obiectio: *Probabilissimum*, inquit, *iudicauit quod quidam dicũ habitationem eorũ fore super hanc terram, quia locus est proprius hominum, vbi contemplabuntur opera Dei. Et huc aspexit forsan qui dixit: Cœlum cœli Domino, terrã autem dedit filijs hominum. Et fortasse hoc est etiã quod dixit Apostolus, Instaurata per Iesum omnia quæ in cœlis, & quæ in terra, id est, quæ cœlestem habitationem habebunt, & quæ terrenam.*

D Respondeo, non est de reb. quæ pendent à diuina voluntate, aliquid asserendum, nisi Deus ipse in Scripturis sanctis tale aliquid reuelauerit. Scripturæ autem, vt S. Augustinus, à nobis suprà citatus, sæpiùs obseruauit, nusquam tradunt, post diem iudicij futuras hominũ sedes, nisi duas, vnam in cœlo cũ Angelis, alteram in inferno cum dæmonib. quæ sunt etiam duę ciuitates, Hierusalem, & Babylõ, de quib. tam multa scribit idem Auguſt. in lib. de Ciuitate Dei. Quare superior terræ facies proprius est hominum locus, dum mortales sunt, & egent aëre ad respirationem, & fructib. terræ ad alimentum, & pro hoc tempore loquitur Psal. *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum*, immortalibus autem pro ratione meritorum cœlum potius aut gehenna conueniet.

Quod autem Apostolus ad Ephes. c. 1. scribit, Christum instaurasse, quę in cœlis, & quę in terra sunt, significat per Christum reparatas in cœlo Angelorum ruinas, & in terra A gentes humanum de captiuitate redemptum. S. Augustinus in Enchirid. cap. 62. *Ita so*, inquit, *instauratur quæ in cœlis sunt, cùm id, quod inde in Angelis ruit est, ex hominibus reddituri, instauratur autem quæ in terris sunt, cùm ipsi homines, qui prædestinati sunt ad æternam vitam, à corruptionis vetustate liberantur.*

Alia est expositio S. Hieronymi in hunc locum, qui pro *instaurare*, legit, *recapitulare*, & sensum esse vult; in Christi cruce omnia mysteria diuersis temporibus prædicta, vel figurata, ad vnam veluti summam esse reuocata. S. Ioannes Chrysostomus aliam adfert expositionem, & quidem valdè consentaneam verbis Apostoli; verbum enim Græcum ἀνακεφαλαιώσασθαι, exponit, reducere ad vnum caput, vt sententia huius loci sit, factum esse per mysterium incarnationis, vt cœlestia, & terrena, id est, Angeli & homines, vnum caput, id est, Christum, habere inciperent, cum antea propter hominum peccata seiuncta, & separata essent à terrenis cœlestia. Quod aliis verbis idem Apostolus ad Colossen. cap. 1. scribit, cùm ait: *Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris siue quæ in cœlis sunt.*

Septima obiectio: *Est & alia ratio* (inquit Catharinus) *pro hoc non reijciendo, quam docti quidam induxere: Quoniam cum terra hæc mansura sit in æternum, & purgatior, & pulchrior, sicut scriptum est: Et vidi cœlum nouum, & terram nouam: sicut autem cœlum non mutè pro cœlo sumitur, absque habitatore, ita nec terra. Et vere valde incongruum videtur, locum talem & tantum fore perpetuo vacuum sine habitatore: & similiter terrenos homines carere habitatione sua propria, quæ est terra hæc: vnde fit, terra manere tales animos conuenientes eorum conditioni videtur.*

Respondeo, terra quidem manebit in æternum, & purgatior, sed aquis (vt suprà diximus) vndique cooperta, & ideò non erit conueniens habitationi hominum. Potrò cœlum nouum omninò sine habitatore intelligitur, nisi quis velit post iudicium aut dæmones, aut aues in cælo hoc degere. Nequè enim de cœlo lydereo, sed aëreo sermo est. Hoc enim cœlum innouabitur, & purgabitur, cum, vt loquitur S. Petrus in Epistola 2. cap. vltimo: *Cœli ardentes soluentur*. Quod si parum conueniens esset, terram perpetuò vacuam hominibus permanere, eadem ratione patuit esset conueniens, aquam piscibus, & aërem auibus perpetuò carituram. Denique condirioni hominum damnatorum optimè conuenit locus sub terra, id est, carcer siue ergastulum inferorum.

Octaua obiectio: *Quod si nũc animæ tenentur in limbo, sicut olim sancti Patres detenti sunt, qui loco sub terra esse merito creditur, hoc illi originali peccato datur: interim vsque ad diem magnæ resurrectionis. Quando enim totum Christi corpus resurrexerit, scilicet in Sanctis suis, tunc æquum erit & ipsos potiri perfectione sua.*

Respondeo, Si animæ paruulorum sine Baptismo decedentium, in pœnam originalis peccati detinentur in limbo subterraneo: & peccatum illud numquam dimittetur, vt Catholici omnes cõstanter credunt, certè sequitur, animas eorum paruulorum, ex limbo illo subterraneo nũquam egressuras. Porrò cùm totum Christi corpus resurrexerit, resurgent etiã & damnati omnes, tum pusilli, tum magni. Sed non ideò resurgent, vt ibi sint animæ, vbi fuerant corpora, sed contrà, vt ibi sint corpora, vbi fuerant animæ. Sequentur corpora suas animas, siue in cœlum siue in infernum.

Obiectio Vltima, quamuis non vltimo loco posita, sumitur ex Augustino qui in lib. 3. de libero arbitrio, cap. 22. sic ait: *Quis nouit quid paruulo, de quorum cruciatibus diuina maiorum cunctatur, aut exceptur fides, aut misericordia probatur, quis, inquam, nouit, quid ipsis parvulis in secreto iudicio rum suorum, bona compensationis reponat Deus?*

Respondeo, Idem sanctus Augustinus in epistola 28. ad Hieronymum, explicat hæc sua verba, ac dicit, ea se protulisse pro infantibus baptizatis, non autem pro iis, qui sine peccati originalis remissione decedunt.

CAPVT IIII.

Refellitur quinta opinio, atque asseritur, paruulos sine Baptismo decedentes, non puniendos pœna sensus, siue ignis sensibilis.

EXCVSSIMVS primam, & secundam sententiam, easque ex diuinis literis, & Ecclesiastica traditione refutauimus. Nunc ad aliud extremum, id est, ad quintam sententiã accedemus, quæ tantum abest, vt paruulis sine Baptismo decedentibus, vitam æternam promittat, vt etiam eos omni genere pœnæ, tum damni, tum etiam sensus, & in animo, & in corpore puniri velit. Quæ quidem sententia non videtur apertè ab Ecclesia Catholica reprobata: reiicitur tamen passim in scholis, & nobis etiam improbabilis esse videtur. Itaque sequentibus argumentis refutari potest.

PRIMVM sumitur ex diuinis literis. Legimus enim in Apocalyp. cap. 18. *Quantum se glorificauit, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* At paruuli nulla se ratione glorificauerunt, neque in deliciis vllis fuerunt: nullum igitur merentur tormentum, & luctum. Item Isaiæ vltimo, & Marci nono, coniungitur ignis cum verme: *Vermis*, inquit, *eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* Constat autẽ paruulos nullam passuros pœnam ex morsu vermis, id est, ex conscientia mali operis animum pungente, atque affligente: igitur credibile etiam est, nullam esse passuros ignis materialis pœnam.

ALTERVM argumentum sumitur ex epistola decretali Innocentij III. Pontificis grauissimi, atque doctissimi, quæ habetur in lib. 3. Decretalium, tit. de Baptismo, & eius effectu, cap. Maiores, vbi legimus, peccati originalis pœnam esse carentiam visionis diuinæ, actualis autem gehennæ perpetuæ cruciatum. Quo loco per cruciatum gehennæ non potest intelligi nisi pœna sensus, quæ opponitur pœnæ damni. Neque repugnat hęc tententia testimoniis Patrum, qui scripserũt, paruulos æternis pœnis in gehenna torqueri. Illi enim pœnam gehennæ accipiunt pro generali supplicio, quod tum ad pœnam dãni, tum ad pœnam sensus, tum ad vtramque simul referri potest. Innocentius autem gehennæ cruciatum non pro genere infernalium pœnarum, sed pro altera specie vsurpare maluit.

TERTIVM argumentum sumitur ex testimoniis sanctorum Patrum, quæ non possunt rectiùs conciliari eum testimoniis, quę sunè à nobis suprà citata, quàm si dicamus, paruulos non pati in gehenna pœnam sensus, sed solius damni.

S. Gregorius Nazianzenus, vir sine controuersia doctissimus, & in fidei dogmatibus integrè conseruandis diligentissimus, oratione in sanctum lauacrum, ante mediũ, tria genera hominum sine Baptismo decedentium esse dicit, quorum alij Baptismum contempserint, alij ex negligentia propria amiserint, alij, hoc est, infantes, aliorum negligentia illo caruerint. De horum omnium pœna post hanc vitam ita pronunciat: *Existimo*, inquit, *futurum, vt primi quidem cum aliorum scelerum, tum etiam Baptismi contempti pœnas luant: alij autem pœnas quidem, sed leuiores pendant, vt qui non tam animi prauitate, quam stultitia à Baptismo aberrarint: postremi denique nec cœlesti gloria, nec supplicijs à iusto iudice afficiantur, vtpote qui licet Baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc iacturam passi potius fuerint, quam fecerint. Neque enim quisquis supplicio dignus non est, protinus honorem quoque meretur. Quemadmodum nec quisquis honore indignus est, statim etiam pœnam promeretur.* Nõ negat hic sanctus Doctor, paruulos plecti pœna dãni, sed potius id fatetur, cùm ait, eos esse cœlesti honore indignos: negat autem eos plecti alia pœna, quæ dicitur sensus, quoniam ea propriè improbitati debetur, qua illi carent.

S. Ambrosius, vel quisquis auctor fuit commentariorũ in epistolas S. Pauli, quę Ambrosij nomen ferunt, explicas ca. 5. ad Rom. scribit, nos oẽs in Adamo tãquam in massa, peccasse, & tamen paulò infertus adiungit, neminẽ puniri morte secunda in gehẽna, nisi eã sibi propriis malis actib. acquirat. Vbi cùm fateatur, omnes peccãsse, nõ potest negare omnes quoque pariter puniendos, nisi remissionem obtineant: Sed certum pœnæ genus ab illis remouet, qui nihil propriis actib. meruerunt. Illud autem pœnæ genus non potest esse aliud, nisi pœna sensus.

S. Augustinus lib. 3. de libero arbitrio. c. 23. *Dicunt*, inquit, *qualis in futuro iudicio deputabitur, cui nec inter iustos locus est, quoniam nihil recte fecit, neque inter malos, quoniam nihil peccauit? quibus respondetur ad vniuersitatis complexũ & totius creaturæ, vel per locos, vel per tempora ordinatissimam connexionem nõ posse superfluo creari qualemcunque hominem, vbi folium arboris nullum superfluo creatur: sed sine superfluo quæri de meritis eius, qui nihil meruerit, non enim metuendũ est, ne vita esse potuerit media quadam inter rectè factum, atque peccatum, & sententia iudicis media esse non possit inter præmium, atque supplicium.*

Hanc sententiam S. Augustinus nusquã, quod ego quidem legerim, retractauit. Et tamen si hoc faciendum esse censuisset, habuit magnam occasionem, tum in 1. lib. Retract. c. 9. vbi diligenter examinat hos libros, tum in epist. 28. ad Hieronymum, vbi disputat de parte quadam huius ipsius c. 23. in quo habentur verba, quę paulò ante citauimus. Neque verò in his verbis S. Augustinus tribuit paruulis medium locũ inter cœlum, & infernum, sed mediam sententiam inter præmium, quod debetur iis, qui propria voluntate boni aliquid meruerunt, & supplicium, quod iis debetur, qui propria voluntate pœnam sibi ipsi pepererunt. Quare paruuli sine Baptismo decedẽtes non carebũt supplicio communi peccato originali, & actuali, quibus amittitur gratia Dei, quæ pœna est carentia visionis diuinę, sed liberi erunt ab ea pœna, quæ propria est peccati actualis, quæ pœna ignis, siue sensus appellatur.

Rursus idem Augustinus libr. 5. in Iulianum, cap. 8. sic loquitur: *Ego autem non duco paruulos, sine Christi Baptismate morientes, tanta pœna esse plectendos, vt eis non nasci potius expediret.* Et infrà: *Quis dubitauerit paruulos non baptizatos in damnatione omnium leuissima futuros? qua, qualis, & quanta erit, quibus definire non possum, non tamen audeo dicere, quod eis, vt nulli essent, quàm vt ibi essent, potius expediret.*

Ex hoc loco duo quædam colligimus, quæ ad rem nostram multum pertinent. Habemus primum, nõ fuisse ausum S. Augustinum pronunciare de paruulis morientibus sine Baptismo, sententiam illã Domini: *Melius erat ei, si natus non fuisset homo ille*: cùm tamen ea sententia de illis omnibus pronũciari posse videatur, qui sempiterno igne in gehenna cruciãtur. Deinde intelligimus, S. Augustinũ numquam affirmare voluisse paruulos illos, in specie, torqueri pœna sensus, sed tantùm in genere pœnam aliquam sustinere. Non enim dicit solùm, se definire non posse, quanta sit ea pœna, quod referri potuisset ad solam magnitudinẽ, sed ait: *Qua, qualis, & quanta sit, definire non possim.* Quę verba satis apertè indicãt, de ipsa specie pœnę Augustinum fuisse incertum. His accedit Petrus Lombardus cum omni schola Theologorum, qui in 4. Sent. distinct. 33. communi consensu docent, paruulos sine Baptismo morientes puniri apud inferos pœna damni, nõ autem pœna sensus, ac per hoc liberos esse omninò à supplicio ignis corporalis.

QVARTVM argumentum sumitur à ratione.

PRIMA ratio: peccatum originis non tollit in homine ordinem naturalem, sed supernaturalem, conuersionem videlicet ad Deum per donum gratiæ supernaturale: igitur æquum est, vt pœna peccati originalis sit priuatio boni supernaturalis, qualis est carentia visionis Dei, non autem inflictio pœnæ sensibilis, quæ naturam ipsam lædit.

SECVNDA ratio, propter habitualem carentiam virtutum, & habitualẽ pronitatẽ ad vitia, nemo puniri solet pœna positiua, ac sensibili, sed solũ propter culpã actualẽ, nõ enim suspenditur à magistratu, qui caret habitu iustitiæ: vel qui proni sunt ad furta, sed qui re ipsa furantur: possunt tamen qui carent virtutibus, & è contrario proni sunt ad mala reiici tamquam indigni ab aliqua dignitate adipiscenda: At peccatum originis est culpa solùm habitualis: sunt enim infantes propter id peccatum habitualiter auersi à Deo, & habitualiter proni ad concupiscendum contra rationem: igitur reiici possunt tamquam indigni à cœlesti beatitudine adeunda, non tamen puniri debent supplicio ignis, & sulphuris, quæ sunt pœnæ sensibiles, ac positiuæ.

Tertia ratio, propter originale peccatum non iniungitur in Ecclesia hominibus baptizandis, quamuis adultis, vlla satisfactio pœnalis, neque iubentur eiusmodi homines propter id peccatum, vllam animo tristitiam, dolorémue concipere: igitur credibile est, nullam ei respondere sensibilem pœnam in seculo futuro, sed carentiam tantùm, vt suprà dictum est, beatitudinis sempiternæ.

CAPVT V.

Respondetur ad obiectiones contra doctrinam capitis superioris.

SEd obiici possunt, ac solent, nec pauca, nec leuia argumenta aduersus ea, quæ diximus cap. superiore.

Prima obiectio, Matthæi tertio præcursor Domini de ipso Domino ita loquitur: *Cuius ventilabrum in manu eius, & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Sed paruuli sine Baptismo decedentes non sunt grana in horreum inferenda, igitur paleæ ignis inextinguibilis pabulum futuræ.

Respõdeo, hæc parabola nihil omninò ad paruulos pertinet. Siquidem area nihil est aliud nisi Catholica Ecclesia, in qua sunt boni malis admixti, vt grana paleis: omnes tamen fideles, nulli infideles, vt sanctus Augustinus docet in libro contra Donatistas, post collationem c. 10. paruuli sine Baptismo, non sunt in area, ac per hoc neque inter frumenta, neque inter paleas numerantur.

Secunda obiectio, Mat. 3. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excinditur, & in ignem mittetur.* At paruuli fructum bonum nõ fecerunt, & planè inutiles in hoc mundo fuerunt, igitur excisi in ignem mittentur.

Respondeo, loquitur Scriptura de adultis, qui fructum facere cùm possent, minimè fecerunt. Nam etiam arbores ante vnam diem vel alteram plantatę non mittuntur in ignem, etiamsi fructum non ferant.

Tertia obiectio Mat. 13. *Sic erit in consummatione seculi, exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent illos in caminum ignis.* At paruuli sine Baptismo iusti nõ sunt, sed mali & peccatores.

Respondeo, verba citata conclusio sunt parabolæ de sagena missa in mare bonos & malos pisces cõgregante. Porrò sagena illa non mundum vniuersum, sed Ecclesiam tantùm significat, in qua sunt homines boni & mali, sed fideles & baptizati, vt S. Augustinus explicat libro suprà citato, contra Donatistas, post collationem c. 4. Illa igitur verba: *Separabunt malos de medio iustorum, & mittent illos in caminum ignis*, ad infantes non pertinent, qui in sagena Ecclesiæ numquam fuerunt.

Quarta obiectio, Matt. 25. *Omnibus qui à sinistris erunt*, id est, omnibus malis dicetur: *Ite maledicti in ignem æternum.* Iudicium hoc sine dubio vniuersale erit, igitur etiam paruuli adesse cogentur. Non erunt autem paruuli à dextris: nam alioqui regnum cœlorum possiderent: erunt igitur à sinistris, & sententiã illam excipient: *Ite maledicti in ignẽ æternum.*

Respondeo, iudicium vniuersale erit, & omnes omninò aderunt pusilli cum magnis, fideles cum infidelibus, iusti cum peccatoribus. Sed nõ eadem forma omnes iudicabuntur: in Euangelio autem Mat. 25. solùm describitur forma, qua iudicabuntur ij, qui in Ecclesia sunt, atque ita hic locus ad paruulos non pertinet, qui in Ecclesia non sunt.

Describi verò solùm formam iudicij eorum, qui sunt in Ecclesia, perspicuum est. Primum ex Augustino libro citato contra Donatistas, capite 4. & libro de fide, & operibus, ca. 15. & in quæstionibus ad Dulcitium, quæst. 1.

Deinde ex ipsis Euangelij verbis: comparat enim Dominus bonos & malos ouibus & hædis, qui in eodem grege eiusdem pastoris numerantur. Constat autem gregẽ vnius pastoris nihil esse aliud nisi Ecclesiam, in qua sunt boni & mali, sed Christiani. Infideles enim lupis potius & canibus quàm hædis in Scripturis comparari solent. Illa etiam ratio æterni supplicij, *Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* satis apertè indicat, istam iudicij formã ad solos fideles esse referendam, quippe, qui non arguuntur, quod rectam fidem non habuerint, sed quod opera fidei non ostẽderint.

Denique cùm Euangelium ad solos fideles pertineat: neque enim fidem habent Euangelio nisi fideles: non erat opus in Euangelio describere formam, qua iudicabuntur infideles, sed satis fuit in genere dixisse: *Qui non crediderit, condemnabitur.* Marc. vlt. Et: *Qui incredulus est filio, non videbit vitam.* Ioan. 3. Et de paruulis: *Vnius delicto in omnes in condemnationem.* Rom. 5.

At inquies, sanctus Augustinus serm. 14. de verbis Apostoli, ex hoc loco Matth. 25. probat aduersus Pelagianos, paruulos sine Baptismo defunctos, ituros in ignem æternum, eò quod ad sinistram pertineant, cùm in dextera nulli sint nisi iusti, & nullus sit tertius locus præter dexteram & sinistram. Respondeo, ex loco Euangelij Matth. 25. tantùm colligitur, vt diximus, forma in specie, qua iudicabuntur mali Catholici: tamen potest etiam colligi, omnes omninò peccatores futuros in sinistra, & sententiam damnationis accepturos. Nam iudicium vniuersale erit, & mali Catholici ideo erunt in sinistra, quia ibi erunt dæmones, & infideles, & omnes operarij iniquitatis. Sic enim legimus Luc. 12. *Quod si dixerit seruus ille in corde suo, moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere seruos & ancillas, edere, & bibere, & inebriari, veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua nescit, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet.* Atque hoc solùm probare volebat Sanctus Augustinus in serm. 14. de verbis Apostoli, nimirum paruulos non habituros vitam æternam, sed futuros in sinistra, & damnandos.

Itaque cùm dicit. eos ituros in ignem æternum, accipit ignem æternum pro loco inferni, vbi est ignis æternus, siue pro damnatione, non autem proprie pro certa pœnæ specie, siue qualitate, nam disertis verbis lib. 5. in Iulian. cap. 8. scripsit, se definire non posse qualis, & quãta sit futura pœna, qua plectuntur paruuli sine Baptismo Christi moriẽtes.

Quinta obiectio, Apocalyp. 20. *Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem.* Et infrà, vt etiam capite 21. *Mors secunda* dicitur esse *stagnum ignis & sulphuris.* At paruuli non habent partem in resurrectione prima: igitur in eis potestatem habet mors secunda. quæ est, vt diximus, stagnum ignis & sulphuris. RVRSVS in eodem cap. 20. describitur vniuersale iudicium in quo iudicabuntur omnes pusilli & magni, secundùm opera ipsorum, & tamdem concluditur his verbis: *Qui non est inuentus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Certum autem est, paruulos in peccato originali defunctos, non esse in libro vitæ scriptos.

Respondeo, posset fortasse responderi, in his locis Scripturã non loqui nisi de adultis, qui secundùm opera propria iudicandi erunt. Nam in eodẽ ca. scriptum est: *Et libri aperti sunt, & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundùm opera ipsorum.* Et c. 21. declarat Scriptura, qui sint mittendi in stagnum ignis, & ait: *Timidis, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnib. mẽdacib. pars illorum erit in stagno ardẽti igne & sulphure, quod est mors secunda.* Sed certè probabilius est sententias istas esse generales. Nã ideo in c. 20. dicitur, pusillos & magnos stetisse ante thronũ iudicãdos, & vndique mortuos esse aduo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

catos, & propositio illa, *Quæ non præsumuntur in libro vitæ scripta*, ad præsumptionem æternam pertinet, quæ nō minus infantes, quàm adultos complectitur.

Denique S. Augustinus in lib. 1. in Iulia. ca. 4. docet, paruulos etiam iudicandos in die iudicij, secundum ea quæ gesserunt in corpore, iuxta illud Apost. 2. ad Cor. 5. *Vt referat vnusquisque propria corporis sicut gessit, siue bonum, siue malum.* Nam sicut ad baptizatos pertinet, quod crediderunt per alios, ita ad non baptizatos pertinet, quod peccauerunt per alium.

Potest igitur responderi, paruulos quidem iudicandos esse secundū opera ipsorum, nam etiamsi nihil egerint propria voluntate, tamen per Adamum, & in Adamo peccauerunt, & ideò mittendos esse in stagnum ignis, hoc est, in locum, vbi est ignis, nec tamen inflammandos illo igne, aut cruciādos, vel quod sint in parte aliore eius loci, vel quod ignis vim habeat eos detinendi, nō tamen vrēdi. Siquidem ignis post diem iudicij non habebit vim vrendi, nisi vt instrumentum diuinæ iustitiæ, & propterea alios magis, alios minus, alios etiam nihil lædet.

Sexta obiectio ex Symbolo Athanasij, *Omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem, & qui bene egerūt ibunt in vitam æternam, qui verò male in ignem æternum.*

Respondeo, omnes resurgent, etiam paruuli, cum corporibus suis, & reddent de factis propriis rationē, sed paruuli facilè se expedient, dicēt enim se nihil habere propriorum factorum. Nihil enim boni vel mali, cuiā Apostolo teste ad Rom. 9. se propria voluntatē gessisse. Quare quod sequitur: *Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò male in ignem æternum* ad eos non pertinet.

Quamuis autem non explicetur in symbolo, quid de iis futurum sit, qui propria voluntate nihil peccauerunt, sed tantum, vt loquitur S. Cyprianus in epist. 8. lib. 2. contra gium mortis antiquæ prima natiuitate traxerunt, tamen aliunde scimus illos nō habituros vitam æternam, & in ipso inferno pœna mitissima esse plectendos: sicut è cōtrario non explicatur in symbolo quid futurū sit de paruulis baptizatis, qui nihil boni propria voluntate fecerunt, sed per alios tantùm professi sunt, & in Christum se credere, & Sathanæ renunciare, & per Baptismum Christum induerunt: tamē aliunde scimus eos fratres Christi esse effectos, & per hoc hæredes, *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Sed profectò verisimilius est symbolum vniuersalē doctrinam tradere de præmio & supplicio omnium etiā paruulorum.

Dicuntur autem propria facta alicuius non solùm illa, quæ propria voluntate quis gessit, sed etiam quæ ad ipsum iam in corpore viuentem pertinent, vt S. Auguſt. docet lib. 6. in Iulia. c. 4. & in epi. 107. explicās illud Apostoli: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis sicut gessit.* Quod ergo dicitur ituros malos in ignem æternum, intelligendum est ituros in locum vbi est ignis æternus, sed puniendos pro varietate culparum, alios vsque, alios sola detentione.

Septima obiectio, ex Patribus Augustino, & Fulgentio. S. enim Augustin. satis aperte scribit, paruulos igni sempiterno cruciandos, in serm. 14. de ver. Apost. & idem firmissimè credi iubet sanctus Fulgentius libro de fide ad Petrum, capite 27.

Respondeo, videntur sancti isti Patres significare voluisse, paruulos cruciandos igni sempiterno per detentionem, non per vstionem. Nam id vnum tāquam certum, vbique tradit Augu paruulos sine Baptismo defunctos, futuros in eo loco, vbi est ignis æternus, cum diabolo & Angelis eius. Quæ autem, qualis, & quanta pœna eorum futura sit, se definire posse aperte negauit. Quod si B. Fulgentius fortè aliter sensit, non facimus illi iniuriam, si B. Gregorij Nazianzenum cum vniuersa schola Theologorū sequi malumus.

Octaua obiectio, paruuli puniuntur in hac vita pœnis sensus, cum sint obnoxii fami, siti, morbis, aliisque innumeris propemodum calamitatibus: igitur credibile est, eos in alia quoque vita pœna aliqua sensus esse puniendos.

Respondeo afflictiones huius vitæ non infliguntur propriè ac directè paruulis in pœnam originalis peccati, sed consequuntur naturam humanam originali iniustitia spoliatam: nam alioqui similia paterentur, si in puris naturalibus cōditi fuissent, quemadmodū similia patiuntur animantia rationis expertia, non aliquā suā culpa, sed ex conditione naturæ. At ignis & sulphuris cruciatus, in alia vita nō potest esse naturalis, sed solùm ex institutione diuinæ iustitiæ, & idcirco si tales pœnæ infligerentur paruulis, non indirectè & consequenter, sed directè & principaliter infligerentur.

Nona obiectio, paruuli post diem iudicij, non habebunt corpora gloriosa, sed passibilia, igitur sine dubio aliquid patientur: *in eu vero* (inquit S. Augustinus libr. 6. in Iulianum, cap. 5.) *qui non ad vitam resurgent, concupiscentia non feruebit, sed pœnaliter erit, non quia tunc qui quam ab ea mundabuntur, sed quia tunc malis non in delectamenta sed in tormenta vertetur.* Et in epist. 146. ad Consentium, quæstione prima: *Proinde*, inquit, *illi qui ad iudicium resurrecturi sunt, non commutabuntur in illam corruptelam, quæ nec doloris corruptionem pati poterit. Illa namque fidelium erit atque Sanctorum, isti verò perpetua corruptione cruciabuntur, quia ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum nō morietur.*

Respondeo, corpora damnatorum passibilia quidem erunt, tamen non patientur nisi secundùm ordinationem diuinæ iustitiæ & supernaturaliter. Nam cùm post iudicium cessare debeat ortus & interitus rerum naturaliam, tolletur à corporibus naturalibus vis agendi in alia corpora, ac per hoc non agent, nisi, sicut antea diximus, vt instrumenta diuinæ iustitiæ. Quare cùm diuinæ iustitiæ ratio id non exigat, vt corpora paruulorum ignem patiantur, immunia illa corpora à dolore erunt: quamuis alioqui non gloriosa, sed similia corporibus cæterorum damnatorum futura sint. Sanctus verò Augustinus in locis notatis non tractat quæstionem de paruulis, sed in genere de corporibus damnatorum loquitur. Quapropter verba eius verissima sunt, quoniā vt plurimū ita se res habet, vt ipse docet.

Decima obiectio, Christus pro peccato originis expiando pœnam sensus, & quidem grauissimam passus est, igitur pœna ei peccato debita, est pœna sensus.

Respondeo, Christus passus est non pœnam, quæ directè peccatis nostris debebatur: neque enim pœnā gehennæ sustinuit, sed aliam, quæ quoniam infiniti meriti & efficaciæ fuit, propter personæ patientis dignitatem, ideo pro peccatis omnibus plenissimè satisfecit. Adde quod non solùm pro peccato originis, sed etiam pro actualibus culpis Christus passus est. Culpæ autem actuales pœnam sensus sine dubitatione merentur.

CAPVT VI.

Refellitur tertia opinio, & asseritur, probabile esse, paruulos non baptizatos passuros interiorem animi dolorem, quamuis mitissimum.

RESTAT ad extremum, vt excutiamus opinionem Tertiam & Quartam, quarum prior paruulos eximebat ab omni dolore tum interno, tum externo, posterior internum eis relinquebat, ab externo penitus liberabat, & quidem prior probabilis est propter auctoritatem S. Thom. S. Bonauen. & aliorum multorū illustrium Theologorum. Sed posterior probabilior nobis videtur propter auctoritatem sanctorum Patrum, Augustini, Fulgentij, Gregorij, & aliorum, quos nonnulli etiam Scholasticorum Theologorum sequuti sunt.

Dicimus igitur paruulos sine Baptismo decedentes dolorem animi habituros, quod intelligēs se beatitudine priuatos, à consortio piorum fratrum & parentum alienos, in carcerem inferni detrusos, & in tenebris perpetuis vitam acturos.

Cæterum

Cæterum hunc dolorem in eis leuissimum, mitissimúmque multis de caussis futurum: Tum quod dispositionem ad beatitudinem non nisi remotissimam habuerint: Tum quod intelligent non propria negligentia, se tantum bonum amisisse, vnde etiam verme conscientiæ carebunt: Tum quod delicias, neque cœlestes, neque terrenas vmquam gustauerint. Facilè. n. iis bonis caremus, quibus numquā assueuimus: Tum deniq; quod videbunt plurimos esse in eodem gehennæ carcere se multò infeliciores, ad quorum sortē ipsi quoque pertinere potuissent, si diutius sibi viuere contigisset: quare S. Augustinus multis in locis affirmat, paruulos sine Baptismo deceden tes in damnatione omnium mitissima futuros. Vide lib. 1. de pec. merit. & remiss. c. 16. in Enchir. ca. 93. & libr. 5. in Iulian. c. 8. sed adferamus testimonia Patrum, ad probandum paruulos non vacaturos omni dolore animi.

Primum testimonium est S. Augustini libr. 1. de orig. animæ, c. 9. *Paruulis non baptizatis nemo promittat quietis aut felicitatis cuiuslibet, atque vbilibet, inter damnationem regnúmque cœlorum quasi medium locum, &c.* Negat hoc loco Augustin paruulos habere locum vllum quietis, aut felicitatis cuiuslibet. At si nullo omninò dolore nulla tristitia tangerentur nec interna, nec externa, neque corporis, neque animi, certè magna & perfecta quiete fruerentur.

Secundum testimonium eiusdem Augustini in epist. 106. ad Paulin. *Nempe fatebuntur paruulos non baptizatos, quamlibet tolerabilius omnibus qui etiam propria peccata committunt, tamen aterna morte mulctari.* At vox illa, *tolerabilius*, manifestè requirit vt paruuli aliquid habeant pœnale tolerandum: non dicitur autem tolerare, nisi qui sentit dolorem & laborat in perferendo.

Tertium testimonium eiusdem, lib. 6. in Iulian. cap. 4. vltra medium, vbi probat paruulis esse malum, non intrare in regnum Dei, & ipsos de hac re dolere: *Si hoc*, inquit, *eis non erit malum, non ergo amabunt regnum Dei, tot innocentes imagines Dei. Si autem amabunt, & tantū amabunt, quantum innocentes amare debent regnum eius, à quo ad ipsius imaginem creantur, nihil ne mali de hac separatione patientur?* addit etiam idem Augustin. lib. 5. in Iulian. ca. 8. paruulis pœnam esse futuram, quod seperabuntur à cōsortio piorum parentum. At certè separari à re quæ diligitur necessariò, dolorem affert.

Quartum testimonium eiusdem Augustini est in epis. 28. ad Hieronymum, in ser. 14. de verb. Apost. & alibi, vbi docet, paruulos in inferno pœnam, vel suppliciū esse passuros: quæ nomina vix intelligi possunt sine aliquo dolore.

Quintum testimonium est S. Fulgentij in libr. de fide ad Petrum, cap. 3. qui dicit, paruulos sine Baptismo decedentes interminabilia gehennæ sustinere supplicia, at supplicium sine dolore esse non solet.

Sextum est S. Gregorij lib. 9. moral. c. 16. vbi nō semel repetit paruulos perpetua gehennę tormenta percipere: quis autem tormentum sine dolore esse concedat?

Septimum est Cypriani, siue quicunque fuit auctor, in ser. de ratione circumcisionis, vbi loquens de pœna peccati originalis post mortem: *Supererat*, inquit, *post mortem carnis, animæ labor, & afflictio Spiritus.* quid clarius?

Ad hæc testimonia accedit, quod nullus hactenus eorum, qui contra sentiunt, congruentem rationem reddere potuit, cur infantes non tristentur dum cogitant, se cœlesti felicitate priuatos, & in carcerem inferni esse detrusos. Aliqui veterum Scholasticorum dixerunt, paruulos illos propterea dolorē nullum percepturos ex amissione beatitudinis, quod ignorabunt omninò eam se amisisse, cùm id nisi per fidem cognosci non possit, & ipsi fidem numquam habuerint: hanc rationem approbat S. Thom. in q. 5. de malo, ar. 3. Sed eamdem reprehendit in 2. Sent. dist. 33. q. 2. ar. 3. Defendit quidem eam Durandus in eamdem distinctionem eiusdem libri scribens.

Cæterum, S. Thomæ (vt dixi) & S. Bonauent. in Sententiarum scribentibus, aliisq; viris doctis iure non placuit, nam si ea ratio aliquid efficeret, sequeretur, barbaros adultos, qui multa & grauissima peccata ad vnum illud originale addiderunt, non habituros dolorē de amissa beatitudine, quādoquidem in hac vita de ea beatitudine, vel de Christo nihil vmquam audierunt. Cognoscent igitur esse aliquam beatitudinem, & eam se amisisse, quia cognoscent naturam suam, & in ea naturale desiderium boni adipiscendi ab auctore naturæ insertum esse non ignorabunt: nam vt loquitur S. Augustinus lib. 1. Confess. cap. 1. fecit nos Deus ad se, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in ipso. Itaque hac inquieti cordis tristitia homines illi vacare non poterunt.

Deinde nonne in die iudicij palam aspicient multos sui generis, & fortasse parentes, & fratres in cœlum, cum ingenti gloria ascendere: nonne in eodē iudicio, vt iustus Deus ab omnibus cōprobetur, ratio manifesta erit, tùm præmij, tùm supplicij omnium hominum? *Tunc enim illuminabuntur abscondita tenebrarum, & manifesta erum consilia cordium*, vt Apostolus scribit 1. ad Corin. 4. vide S. Thom. in 4. Sent. distinct. 43. quæst. 1. ar. 5. quæstiuncula 2. vbi docet, in iudicio omnibus notam esse futuram, tum sententiam suam, & aliorum, tum etiam rationem & causam eius sententiæ.

Quod autem Durandus respondet ad iudicium propriè non pertinere paruulos, sed solū adultos, qui actualia peccata cōmittunt. Repugnat Apostolo, qui ad Rom. 5. dicit: *Vnius delicto in omnes homines in condemnationem.* Neque enim condemnatur, qui non iudicatur. Repugnat symbolo Athanasij, in quo dicitur, omnes homines resurrecturos, & reddituros iudici rationem. Repugnat Augustino, qui serm. 14. de verbis Apostoli dicit, paruulos resurrecturos ad iudicium, & iudicandos.

Hac igitur ratione explosa, S. Bonauent. aliam excogitauit, scribit. n. homines illos simul consideraturos beatitudinem, quam amiserunt: & pœnas aliorum damnatorum, quas euaserunt: & quamquam prior consideratio dolorem, posterior gaudium adferre possit, tamen ita vnam temperandam per aliam, vt cōsideratio amissæ beatitudinis, impeditura sit gaudium de euasione pœnarū, & consideratio euasionis pœnarum, impeditura sit dolorem de priuatione beatitudinis, atque ita futurum, vt illi neque tristentur vmquam, neque lætentur.

Sed hæc etiam ratio non plenè satisfeciſſe videtur, nā si res ita se haberet, viderētur homines illi redacti ad naturam rerum non sentientium. Et sanè probabilius diceretur, eos non simul, sed per vices consideraturos, nūc amissam beatitudinem, nūc liberationem à grauioribus malis, atque eadem ratione, nunc tristes, nunc lætos futuros, aut certè cōsiderationem pœnarū quas euaserunt, non penitus sublaturam, sed ex parte mitigaturam tristitiā, quam secum consideratio amissæ felicitatis adferret.

S. Thom. aliam rationem adducit, nimirum homines illos nulla tristitia esse afficiendos, quòd probè intellecturi sint, nullam se proportionem adeam beatitudinem vmquam habuisse, cùm nec habuerint gratiā, nec vsum liberi arbitrij. Non enim tristantur qui recto iudicio vtuntur, si eo bono careant, ad quod nulla ratione inueniuntur idonei.

VERVM neque in hac ratione mens humana penitus acquiescit: Nam tametsi numquam in se paruuli decedentes sine Baptismo proportionem habuerint ad beatitudinem, tamen habuerunt in primo parente, & cognoscent, vt ostendimus, se primi parentis culpa tantùm bonum perdidisse.

Richardus in eamdem distinctionem 33. lib. 2. Sententiarum scribens, cùm videret prædictas rationes non plenè satisfacere, addit QVARTAM, atque ait, quod paruuli cognoscant se beatitudine excidisse, & tamen non inde tristentur, fieri singulari Dei prouidentia, qui dolorem ab eorum animis remouet.

Sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed hæc ratio nihilo videtur esse melior cæteris, nam cùm Deus non impediat, quo minus paruuli in hac vita patiantur dolores, qui sequuntur ex amissione iustitiæ originalis, cur impediret dolorem, qui post mortem naturaliter consequetur cognitionem amissæ beatitudinis. Si enim vlla caussa esset impediendi hunc dolorem, illa sine dubio esset, quia nó merentur paruuli eiusmodi dolorem, cùm nihil mali propria voluntate commiserint, at eadem ratione impedire deberet Deus tot mala, quæ nunc paruuli patiuntur.

CAPVT VII.

Respondetur ad obiectiones contra doctrinam capitis superioris.

ADVERSVS ea q̃ dicta sunt nónullæ obiectiones fieri solent, quas breuiter dissoluemus.

Prima obiectio, verba diuinę Scripturæ, quæ suprà ex Apocalypsi allata sunt *Quantum se glorificauit, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Si rectè probant, paruulos nó esse passuros pœnam sensus, certè etiã probant, non esse passuros dolorẽ animi, cùm paruuli nullas omninò delicias, neque corporis, neque animi degustare potuerint. Respondeo multum interest inter pœnã sensus, & dolorem animi. Nam pœna sensus post hanc vitam nulla esse potest, nisi à diuina iustitia directè, ac propriè infligatur, non autẽ æquum est, vt Scriptura docet, vt pœna directè infligatur ei, qui nullam habuit voluptatem. At dolor animi ex amissione beatitudinis nó proptiè ac directè infligitur, sed per se ac naturaliter sequitur. Itaque sicut in hac vita pœna directè inflicta propter originale peccatum, est ptiuatio iustitiæ originalis, quæ partem inferiorem superiori & corpus animæ subiiciebat, pœna autem indirecta & cõsequẽs sunt omnes labores, & dolores huius vitæ: sic etiam post mortẽ pœna directè inflicta propter originale peccatum, est carentia visionis Dei, pœna autem indirecta & consequens, est animi dolor, qui ex amissæ beatitudinis cognitione percipitur.

Secunda obiectio, paruulorum pœna post hanc vitam mitissima erit, vt S. Augustinus docet in Enchirid. ca. 93. & alibi: at dolor de amissa beatitudine grauissimus est, & multis partibus dolorem corporalem superat. Respõdeo, cùm S. Augustinus dicit, pœnam paruulorum fore mitissimam, non comparat pœnam animi cum pœna corporis, sed pœnam paruulorum cum pœna maiorum. Rectè autem dicit fore mitissimã tribus de caussis. Primo, quia maiores punientur pœna damni & sensus: paruuli pœna damni solius. Secundo, quia maiores ad pœnã damni annexum habebunt vermem conscientiæ, quo paruuli carebunt. Tertio, quia maiores dolorẽ de amissa beatitudine grauissimum percipient, paruuli contrà leuissimum. Tãto enim dolor de re amissa grauior est, aut leuior quãto quis maiorẽ aut minorem ad eam rem adipiscendam dispositionem habuit. Nulli autem damnatorum minorem dispositionem ad cœlestem beatitudinẽ habuerunt, quàm ij qui ante vsum rationis de vita migrárunt.

Tertia obiectio, concors Doctorum sententia in eam opinionem propendet, vt paruuli nullum omninò dolorem animi patiantur. Respondeo, non ita est, nam antiquiores Doctores Augustin. Fulgẽtius, Gregorius, auctor sermonum de Cardinalibus operibus Christi, magis propendent, vt ostendimus, in contrariam. Deinde Petrus Lombardus in 2. Sent. dist. 33. dum solùm remouet à paruulis ignem corporalem, & vermem conscientiæ: satis apertè relinquit carentiam beatitudinis cum dolore, qui inde consequitur. Innocentius quoq; in cap. Maiores de Baptismo & eius effectu, cùm dicit, pœnam peccati originalis esse carentiam visionis diuinæ, actualis autem, gehennæ perpetuę cruciatum: ignem corporalem, qui propriè gehennæ cruciatus dicitur, à pœna paruulorum excludit, non autem eam tristitiam, quę carentiam visionis Dei naturaliter comitatur.

At hæc sanctus Thomas, & sanctus Bonauẽtura testãtur, non defuisse suo tempore Scriptores, qui docerent, paruulos nó baptizatos passuros animi dolorem, quamuis mitissimum, ex carentia visionis Dei. Denique nostro seculo Ioan. Driedo, vt suprà diximus, non solùm dolorem internum, sed etiam externum paruulis non baptizatis tribuendum esse censuit. Et Dominicus à Soto lib. primo de natura & gratia, capite decimo quarto disputationem suam ita concluſit: *Quocirca vel dicendum est hanc causſam, qua fuerint expulsi, occultum sibi esse, quod magis probauerim, eo quod sit extra naturalem ordinem rerum: aut si eam cognoscunt, vt quidam volunt, vix possum intelligere, quomodo nulla inde eos tristitia molestet.* Vbi vir iste doctissimus, & insignis alioqui S. Thomę sectator, apertè fatetur paruulos dolorem internum passuros, si verum sit quod nos cùm sancto Thoma, sanctóque Bonauentura verissimum esse non dubitamus notam fore iisdem paruulis causſam, cur à beatitudine cœlesti exciderint.

Petrus quoque à Soto in lib. de institutione Sacerdotũ, lectione sexta de Baptismo, propè extrema, inter nouitates Catharini vitandas numerat, quod paruuli in die nouissimo recepturi sint integram & perfectã naturam solo dono originali, visioneque diuina carentem, sed quæ nullo modo eis afflictioni vel tristitiæ sit futura.

Quarta obiectio, paruuli post hanc vitam intelligent, iusta Dei ordinatione se priuari cœlesti beatitudine, igitur nó dolebunt, nec tristabuntur de ea priuatione, iam alioqui peruersæ voluntatis essent nó solùm habitu, sed etiam actu, & de diuinis iudiciis obmurmurarent, forte etiam blasphemarent. Quæ sunt omnia perabsurda, cùm constet eos non futuros peiores, quàm essent cùm hinc discesserunt. Respondeo, non est necessarium, vt qui iustum Dei iudicium in sua afflictione cognoscunt, aut non doleant, aut de Deo obmurmurẽt. Potest enim fieri, vt vere patiantur, sed patienter & sine querimonia, an in locis purgatoriis animæ non agnoscunt se, iusto Dei iudicio pœnas luere, aut dolores & quidem atrocissimos non sentiunt, aut de diuinis iudiciis obloqũtur, S. Iob, Christi martyres, Christus ipse in passione sua, nonne dolores grauissimos senserunt, & patientissimè pertulerunt, & Dei voluntate se pati certissimè cognouerũt, Sed de his hactenus.

CAPVT VIII.

Proponitur methodus futuræ disputationis de pœna peccati in hac vita.

DISSERVIMVS hucusque de pœna peccati originalis, quam ij patiuntur, qui vix dum nati ex hac vita sine huius peccati remissione decedunt. Nunc de pœna illa, vel potius de pœnis & calamitatibus illis diseremus, quas in hac vita patiuntur, qui aliquandiu superuiunt, & tum præsertim si ad vsum rationis accedant. Erit autem Tripartita hæc disputatio. Primũ enim per modũ simplicis narrationis enumerabimus incommoda huiusvitæ. Deinde propter Pelagianos quæremus, sint ne hæc incommoda pœnæ peccati originalis. Postremo, quid Lutherani de hac re sentiant excutiemus.

Quod igitur ad primum attinet, incõmoda huius vitæ S. August. ad duos veluti fontes reducit, ignorantiam & difficultatem, ex quibus alios duos fontes malorũ oriri dicit, errorem & dolorem. Ignorãtia enim parit errorem, difficultas dolorem. Vide August lib. 3. de libero arb. ca. 18. 19. & 20. In Enchir c. 24. & in lib. de nat. & gra. ca. 67. Theologi Scholastici paulo aliter hæc tradunt, scribunt enim quatuor esse vulnera naturæ, ignorantiã, malitiam, concupiscẽtiam, infirmitatem, quorum primũ in mente, secundum in voluntate, tertium in appetitu concupiscentiæ, quartum in irascente constituunt. Sed nos

operæ

operępreciũ esse duximus, maximè propter Lutheranos, qui extenuari à nobis effectus peccati originalis existimãt, si hæc omnia distinctius atque vberius explicemus.

Igitur mala huius vitæ, alia sunt interna, alia externa. Interna voco, quæ sunt in ipso homine, vt ignorantiam, concupiscentiam, & similia: externa quæ sunt extra hominem, vt habere Deum iratum, esse sub diaboli potestate, carere obedientia animantium rationis expertium: à cœlo, ab aëre, ab aqua, ab ipsa terra multas, & varias calamitates assiduè perpeti.

Sed rursus Interna alia sunt in parte animæ superiore, alia in inferiore, alia in corpore. In Superiore lęsa sunt intelligentia, & voluntas: in Inferiore sensus tum interni, tum externi, & vtraque appetendi facultas. In Corpore denique plurima sunt incommoda, & ad extremum ipsa mors. Itaque verè scriptum est in Concilio Arausicano, can. 1. & in Trident. sess. 5. totum hominem secundùm corpus, & secundùm animam per Adami præuaricationem in deterius esse mutatum.

CAPVT IX.

Enumerantur morbi siue vulnera mentis humanæ.

VT igitur à Prima animi nostri parte incipiamus, in Intelligentia seu mente humana, plurima sunt vulnera. Primum est ignorantia rerum necessariarum in infantib. tanta, quanta ne in bestiis quidem cernitur. S. Augustinus lib. 1. de pec mer. & remiss. ca. 38. *Multorum*, inquit, *pecorum pulli etiam minutissimi matres agnoscunt, nec fugendis uberibus cura, & ope admouentur aliena, sed ea ipsi in maternis corporib. loco abdito posita mirabili facilitate nouerunt. Contra, homini nato, nisi opere nutrientis admotis labris papillæ uberis ingerantur, nec ubi sint sentiunt, & iuxta se iacentibus mammis magis possunt esurientes fieri, quàm sugere.*

Secundum est faruitas, cum qua nonnulli nascuntur, nullum enim est animal, quod ita nascatur destitutũ omninò ab omni operatione naturæ suæ propria, vt hominum aliqui nascuntur. S. Augustinus deplorans hanc miseriam in epist. 28. ad Hieronymum: *Tam tardi*, inquit, *nonnulli sunt & obliuiosi, an ne prima quidem discere literarum elementa potuerint. Quidam vero tanta sunt fatuitate, vt non multum à pecoribus differant, quos morriones vulgò nominant.*

Tertium est difficultas discendi, nã sine labore ignoramus, cũ labore discimus. Támq; altè radices suas in quorumdam mentibus ignorantia iecit, vt malint illi semper in tenebris ignorantiæ viuere, quàm tantũ laboris, quantum ad discendum necessarium esse vident, omninò subire. S. Augustinus lib. 22. de Ciu. Dei. ca. 22. *Quid*, inquit, *aliud indicat horrenda quadã profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error exsistit, quis omnes filios Adam tenebrosa quodam sinu suscipiat, an homo ab illo liberari sine labore, dolore, timore non possit?*

Quartum est ignoratio vltimi finis, in cuius adeptione tota hominis beatitudo consistit: non enim solùm ignorant omnes homines, nisi diuinitùs adiuuentur finem supernaturalem, sed etiam maxima pars hominum abipso naturali fine intelligendo aberrat. Cuius rei testes esse possunt tam diuersæ Philosophorum sententiæ de summo bono. De quibus vide S. August. lib. 19. de Ciuit. Dei, ca. 1. & sequentibus. Quid autem miserius fingi potest, quàm ignoratio proprij finis, id est, veri ac summi boni?

Quintum est ignoratio mediorum ad finem. id est, earum rerum, per quas ad bonam beatámq; vitam peruenire potest. Nemo est enim tam prudens, qui non sæpenumero dubitet, hęsitet, cæcutiat in deliberatione rerum agendarum, ac præsertim, circa locum, tempus, modum, aliásq; rerum circumstantias: *Cogitationes* enim *mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ*, inquit Sapiens ca. 9.

Sextum est difficultas intelligendi naturas rerũ. Nam cùm hominis proprium munus esse videatur cõemplari res omnes, & ex earum cognitione ad conditoris cognitionẽ ascendere, & insitum sit homini à natura incredibile sciendi desiderium: vnde est illud Philosophi in 1. lib. Metaph. *Omnes homines naturâ scire desiderant.* Et illud M. Tullij in 1. Tuscul. *Natura insit mentibus nostris insatiabilis quædam cupiditas veri videndi*: tamen tanta est imbecillitas mentis humanæ, vt ne formicæ quidem naturã perfectè nouerit, vt S. Basilius scribit in epist. 168. ad Eunomium. Itaque verè dixit Ecclesiastes, c. 1. *Cuncta res difficiles, non potest eas homo explicare sermone.* Et c. 3. *Mundum tradidit disputationi eorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio vsque ad finem.* Quam autem obscuram ac tenuem de Deo notionem acquirere possit humanum studium, testãtur tot monstrosæ opiniones Ethnicorum, de natura Dei, qui eo vsque progressi sunt, vt etiam cæpis & alliis diuinitatem dare non dubitauerint.

Septimum est ignoratio propriæ mentis. Nam cæteræ mentes, angelicæ videlicet se ipsæ perfectè nôrunt, mens verò humana nihil minus quàm se ipsa cognoscit: nec solùm naturam suam, sed etiam opera sua ignorat. Hinc sanctus ille Propheta ingemiscés clamat in Ps. 18. *Delicta quis intelliget? ab occultis meis mũda me Domine.* incredibilis planè est infelicitas, vt ipse qui propria voluntate peccat, non possit sæpè discernere, an verè peccauerit? an deliberata voluntate consenserit? quoties, quantúmq; deliquerit. At quî fieri potest, vt vitam rectè instituat, & ægritudinibus suis medicinam faciat, qui se ipse non nouit, nec scit quo morbo laboret, ac ne id quidem intelligit, an laboret.

Octauũ est, quod mẽs humana ab ipso corpore, quod ei datum est pro instrumento ad scientias comparandas, Impeditur ne facilè perfectéq; intelligat: *Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam*, inquit liber Sapientiæ, capite nono, & *terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Certè autem nullum est aliud corpus quod impediat actionem præstantissimam propriæ formæ.

Nonum est curiositas quædam propemodum naturalis. Rari enim sunt, qui non libentius, ac diligentius, alicna facta, ac præsertim errata obseruent quàm sua. S. Ioannes Chrysostomus in 1. lib. de compunctione cordis affirmat, vix inueniri etiam inter eos qui perfectiorem vitam profitentur, qui non laborent eo vitio, vt videant festucam in oculo fratris, trabem autem in suo non videãt. Vnde data est occasio fabulæ de duabus manticis, quarũ anterior aliena vitia, posterior propria continet: *Sed non videmus*, inquit ille, *mãticæ quod in tergo est.* Et alius: *Sed præcedenti spectatur mantica tergo* magna est hæc miseria, nam propria vitia cognoscere semper est vtile, sæpè autem necessarium: aliena scrutari vix vmquam vtile, sæpenumero noxium, ac perniciosum fuit.

Decimum est, quod multa inania, leuia, inepta voluimus animo, vel inuiti, etiam alienissimo tempore. Deplorant hanc miseriam sancti Patres passim, atque inter cæteros S. Hieronymus in Dialogo aduersus Luciferianos, in aliorũ fortasse persona loquens, *Nunc*, inquit, *crebrrimè in oratione mea, aut per porticus deambulo, aut de fœnore computo, aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubescenda sunt, gero.* Et sanctus Augustinus in lib. 10. Confess. ca. 35. *Cum*, inquit, *in huiusce modi rebus conceptaculum sit cor nostrum, & portet copiosa vanitatis aeternas, hinc & orationes nostræ sæpe interrumpuntur atque turbantur, & ante conspectum tuum, dum ad aures tuas voce cordis intendimus, nescio vnde irruentibus nugatoriis cogitationibus res tanta præciditur.* Itaque quod ait Apostolus ad Roman. 8. *Vanitati creatura subiecta est non volens*, in ipsam etiam humanam mentem optimè quadrat.

His accedit. quod cùm mens æterna sit, & ei perpetua debeatur operatio: tamen dum est in corpore, ne mediam quidem temporis partem sibi vendicare potest: nam si detrahas infantiam, ac pueritiã, in quibus ætatibus mens, aut nihil, aut parum admodum operatur: si demas tempus, quod sibi corpus sumit tum ad somnũ, tum ad alias vitæ necessitates, quantulum est quod intelligentiæ ad opus suum relinquitur?

CAPVT

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT X.

De morbis, ac vulneribus voluntatis.

SEquitur Altera pars animi, quæ dicitur Voluntas: cuius vulnus est etiam multiplex.

Primum est illa, quam Græcè φιλαυτίαν, id est, amorem sui nominant. Omnes enim quærunt quæ sua sunt, nisi per Spiritum sanctum charitas Dei in eorum cordibus infundatur. Atque hinc nascuntur illa, quæ sanctus Augustinus enumerat in libro vigesimo secundo, de Ciuitate Dei, capit. 22. *Mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines, insana gaudia, discordiæ, lites, bella, insidiæ, rapacitates, inimicitiæ, fallacia, adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia, superbia, ambitio, inuidentia, homicidia, parricidia, crudelitas, scaitia, nequitia, luxuria, petulantia, impudentia, impudicitia, fornicationes, adulteria, incestia, & contra naturam utriusque sexus tot stupra, atque immunditiæ, quas turpe est etiam dicere, sacrilegia, hæreses, blasphemiæ, periuria, oppressiones innocentium, calumniæ, circumuentiones, præuaricationes, falsa testimonia, iniqua iudicia, violentiæ, latrocinia, & quidquid talium malorum in mentem non venit, ea tamen de vita hominum non recedit.* Verum hæc sunt hominum malorum: ab illa tamen erroris, & peruersi amoris radice venientia, cum qua omnis filius Adam nascitur.

Secundum est difficultas, quam experimur in vitiis superandis, & virtutibus excolendis. Nam finis hominis naturalis, quantum ad voluntatem, est viuere secundùm rationem. Proinde virtus secundùm naturam est, vitium contra naturam, & videmus res omnes libenter, & facilè moueri ad ea quæ naturæ suæ consentanea sunt, ægrè & difficulter ad ea, quę naturæ suæ repugnant. At homines *lætantur, cùm male fecerint, & exsultant in rebus pessimis*, inquit Sapiens in libro Prouerb. cap. 2. Et: *Bibunt*, vt inquit Iob ca. 15. *sicut aquam iniquitatem*, id est, sine molestia, & labore, facilè, suauiterque peccata committunt.

Testes huius rei sunt multiplices illæ pœnę, quas tum in paruulos, tum in maiores cogimur exercere, vt homines vel inuiti coërceantur à vitiis: *Quid enim* (inquit Augustinus loco citato) *sibi volunt multimodæ formidines, quæ cohibendis paruulorum vanitatibus adhibentur? quid pædagogi, quid magistri, quid ferulæ, quid loræ, quid virgæ, quid disciplina illa, qua Scriptura sancta dicit, dilecti filij latera esse tundenda, ne crescat indomitus, domarij, iam durus, aut vix possit, aut fortasse non possit? quid agitur his pœnis omnibus, nisi vt debelletur imperitia, & prauæ cupiditas reprimatur? cui quibus malis in hoc sæculo viuimus?*

Quid verò significant maiora illa tormenta, quas legum seueritas pro maioribus excogitauit, cruces, secures, patibula, rotæ, ignes, & alia id genus, nisi sęuitiâ tantam omninò esse necessariam contra pronitatę humanæ volùtatis ad malum? Nam cũ tanta abundantia vanę cupiditatis, quæ in pueris incipit apparere, in hanc vitam intramus, vt rarus omninò sit, qui si dimittatur, viuere vt velit, & facere quidquid velit: non in ea facinora & flagitia, quæ suprà commemorata sunt, vel cuncta, vel multa peruemat, quanta igitur hæc miseria est, non posse à magna miseria, nisi per aliam magnam miseriam liberari?

Tertium est incredibilis quædam negligentia in iis, quæ ad beatè viuendum, tum in hac vita, tum etiam post mortem pertinent. Nam cùm satis constet beatitudinem in hac vita, in virtute perfecta sitam esse, & simul experiamur viam ad perfectam virtutem esse difficilem: ratio postulat, vt magno studio in hanc rem incumbamus. Si enim qui magnum studium adhibent, non sine labore perueniunt, quid fiet de illis, qui nullum adhibent.

Rursus, cùm animam esse immortalem naturaliter cognoscamus, par esset, vt nihil sępius, nihil diligentius, nihil maiori cum sollicitudine tractaremus, quàm quid nobis sit euenturum post mortem. At contra pleriq; hominum nihil minus curât, quàm de parandis virtutibus, vel beatitudine sempiterna: &, quod magis est admirandum, ne in extrema quidem senectute, cùm certum est, mortem longè abesse non posse, studium incipiunt adhibere ad procurandam salutem: tanta videlicet obliuio, tantus sopor, tanta seueritas genus humanum merito primæ præuaricationis oppressit.

Quartum est immoderata sollicitudo in temporalibus lucris captâdis. Qui enim in veris & summis bonis quærendis supra modum negligentes sunt, iidẽ sunt in comparandis bonis falsis, inanibus, & fugacibus attentissimi. Quam sanè calamitatem generis humani non solùm noster Ecclesiastes multis in locis deplorat, sed etiam Ethnicus ille, qui Satyras suas ita cœpit: *O curas hominum: ô quantum est in rebus inane.* Et quoniam vt sanctus Augustinus loco notato scribit desidia, segnities, pigritia, negligentia vitia sunt, quibus labor fugitur: & tamen labor ipse etiam cùm est vtilis, pœna est: ideo siue labore desidiam vincimus, siue desidiâ laborem fugimus, semper miseri sumus.

Quintum est mira quędam peruersitas voluntatis humanæ, quæ ad verum Deum colendum tardissima est, etiam cùm is se per multa miracula, vel beneficia patefecit: ad colendos autem Deos falsos promptissima, tametsi nihil omninò de eorum diuinitate cognouerit. Certè Philosophi multi *per ea, quæ facta sunt*, vt Apostolus loquitur ad Romanos primo: *Deum cognouerunt, non tamen sicut Deum glorificauerunt.* Hebræi quoque Deum verum per innumerabilia signa & prodigia cognitum facillimè fastidiebant ac deserebant: & ad sacrificandum falsis Diis etiam filios proprios promptissimi accurrebant, quare Hieremiæ 2. Deus ipse Iudæis exprobrat inconstantiam Dei veri colendi, exemplo Ethnicorum qui in cultu falsorum Deorũ retinendo constantissimi erant.

Sextum est inconstãtia, instabilitas, pugna quędam & contẽtio voluntatis humanæ. nam res cæteræ tam superiores, vt Angeli, quàm inferiores, vt pecudes, semper idem volunt, aut nolunt, bonum prosequuntur, malum fugiunt. At homines rem eamdem modò volunt, modò nolunt, modò neque planè volunt, neque planè nolunt. Placet adulterium, dicit incontinens, sed nolo, quia lex prohibet. Neque solùm pars inferior cum superiore, sed superior secum ipsa confligit. *Vnde hoc monstrum*, inquit S. Augustinus Confess. lib. 8. c. 9. *& quare istud? luceat misericordia tua, & interrogem, si forte mihi respondere possint. Latebræ pœnarum hominum, & tenebrosissimæ contritiones filiorum Adam. Vnde hoc monstrum, & quare istud: imperat animus corpori, & paretur statim, imperat animus sibi, & resistitur.* Et c. seq. *Ego cũ deliberabam vt iam seruirem domino Deo meo, sicut diu disposueram. Ego eram qui volebam, ego qui nolebam. Nec plenè volebam, nec plenè nolebam: ideo mecum contendebam, & dissipabar a me ipso, & ipsa dissipatio me inuito quidem fiebat, nec tamen ostendebat naturam mentis alienæ, sed pœnam meæ.*

Septimum est fastidium propriį status. Magnum enim argumentũ est corruptionis volũtatis humanę, quod nemo sorte cõtentus viuat. Sed laudet diuersa sequentes, vt ille ait. Id enim signum est ægritudinis manifestæ, nã res cæteræ, si subsint quæ natura eorum requirit, facillimè acquiescunt, neque mutationem vllam experiunt. Proprium autem ægrotantiũ est nunc vnum, nunc aliud velle, fastidire cibos, lectum, modò huc, modò illuc impatiẽter se conuertere: *Nos*, inquit S. Gregorius homil. 36. in Euangelia, *nati in huius peregrinationis erumna, huc fastidiosi iam venimus, nescimus quid desiderare debeamus.* Et infrà: *Fastidio ergo nostro tabescimus, & longa inedia peste fatigamur.*

Octauum est, quod nullus, nisi per gratiam renouetur, peccata omnia mortalia vitare potest, venialia verò, ne renouati quidem possunt, nisi priuilegio singulari: quare ita proprium hominibus videtur esse peccarum, vt vulgò dici soleat, *humanum esse peccare.* Vnde ille peccatum excusans: *Persuasit*, inquit, *nox, amor, vinum, adolescentia: humanum est.* Et alius quidam: *Nemo sine crimine viuit, optimus ille est, qui minimis vrgetur.* Magna est hæc voluntatis ægritudo, vt cum nemo peccare possit, nisi velit, & nihil sit magis in potestate hominis, quàm velle, tamen nõ possit semper benè velle, & per hoc absque omni peccato viuere.

CAPVT XI.

De vulnere partis animæ inferioris.

IN Parte animæ inferiore, in qua sunt sensus, tum interni, tum externi, & duplex appetendi facultas, multa sunt etiam & grauia vulnera.

Primvm, quod multi nascantur cœci, aut surdi, aut muti, aut claudi, aut alio modo in hac parte læsi, nam sine dubio nihil vmquam tale accidisset, si primus homo non peccâsset. Neque in aliis animantibus ista cernimus, quæ in hominibus sæpè deflemus. Itaq; S. Augustinus lib. 6. in Iulianum, cap. 4. ad pœnam peccati originalis etiam hoc refert, quod tam multi orbi, morbidi, monstrosique nascantur.

Secvndvm est illusio somniorum, quæ per sensus interiores efficitur, quæ illusio ne partem quidem illam temporis liberam nobis relinquit, quæ ad aliquantulam quietem à natura concessa fuisse videtur: *Ipse somnus*, (inquit S. Augustinus lib. 22. de Ciuit. Dei. cap. 22.) *qui proprie quietis nomen accepit, quis verbis explicet sæpè somniorum visis quàm sit inquietus, & quàm magnis licet falsarum rerum terroribus, quas ita exhibet, & quodãmodo exprimit, vt à veris eas discernere nequeamus, animã miseram, sensusq; perturbet?*

Tertivm est, quod cùm interior sensus ideò nobis à natura sit attributus, vt menti ad contemplationem, intelligentiamque deseruiat: tamen sæpè mirum in modum intelligentiam impedit, & confundit, cùm importunissimo tempore varia figmenta suggerit animo, & à contemplatione rerum cœlestium ad suas nugas penè violenter auertit.

Qvartvm est infirmitas in appetitu, qui dicitur irascibilis, nam cùm hæc facultas homini data sit, vt imperanti rationi tamquam miles armatus obediat, & sit quasi neruus quidam animi (vt loquitur magnus Basilius in oratione de ira) fortitudinem, constantiamq;, ac robur ad res benè & ordine gerendas præbens. Contrà plerumque accidit, vt imperium animæ sponte inuadens hominem penitùs in feram conuertat, eumque cogat impetu ferri, insilire, rabie vt canes affici, pungere vt scorpiones, mordere vt serpentes. Nascitur nobiscum ista pestis, & in ipsa infantia incipit apparere: *An*, inquit Augustinus libro 1. Confessionum, cap. 7. *pro tempore etiam illa bona erãt, flendo petere etiam quod noxie daretur, indignari acriter non subiectis hominibus, liberis & maioribus, hisq; a quibus genitus est, multisq; præterea prudentioribus non ad nutum voluntatis obtemperantibus, feriendo nocere, nisi quantum potest, quia non obediuntur imperijs, quibus perniciosè obediretur? ita ambecillitas membrorum infantilium innocens est: non animus infantium. Vidi ego & expertus sum zelantem paruulum: nondum loquebatur, & intuebatur pallidus amaro aspectu collactaneum suum.*

Qvintvm est concupiscentia, quæ post amissam originalem institiam, soluta contra spiritum pugnat, & hinc nascitur intestinum illud bellum, quod vsque ad mortem finiri non potest, propter quod Apostolus clamat ad Roma. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* De quo malo integros libros scripsit Augustinus aduersus Pelagianos, & nos multa diximus in libro superiore, & aliquid etiam dicturi sumus circa finem huius libri.

Quantum autem imperium in rationem hic affectus acceperit, & contra, quàm debiles sint vires rationis, aduersus impetum huius indomitæ feræ, Testatur vita plurimorum adolescentium, qui tam immenso voluptatum turpissimarũ incendio flagrant, vt penè ad insaniam redigantur: Testantur nouæ & inauditæ libidinum adinuentiones, quibus concupiscentia hominum longè superat concupiscentiam bestiarum, vt ostẽdit Plutarchus in opusculo, quod bruta ratione vtantur: Testantur ieiunia, vigiliæ, sacci, humi cubationes, spinarum aculei, aliaque id genus, quibus viri sancti tamquam armis cœlestibus, vt hoc malũ reprimerent, vtebantur. Testantur horribiles tragœdiæ, quæ singulis ætatibus, & in omnibus mundi partibus occasione carnalis concupiscentiæ acciderunt. Certè in Scripturis sanctis horrorem incutiunt, quæ de Samsone, Salomone, & Dauide leguntur exempla, quorum primus fortitudine, secundus sapientia omnibus anteibat, tertius ad fortitudinem, sapientiam, sanctitatem & pietatem planè singularem adiunxerat.

CAPVT XII.

De miserijs hominum quoad corpus.

QVAM verò corporales miseriæ in hac lachrymarũ valle, planè innumerabiles sunt, quæ tamen nullæ fuissent, nisi peccatum eis aditum patefecisset.

Primvm, tot sunt morborum genera, vt nec libris Medicorum omnia comprehensa sint.

Deinde, in eorum pluribus ac penè omnibus etiã ipsa adiumenta & medicamenta tormenta sunt, inedia, pharmaca, sectiones, vstiones, vt multi sæpè leuius malum æstiment morbum, quàm medicinam.

Tertio, inopia cibi ac potus ad quantam rabiem homines interdum adducant: multa & in sacris & in prophanis auctoribus exempla declarant: *Nonne*, inquit Augustinus lib. 22. de Ciuit. Dei. cap. 22. *ad hoc perduxi sitientes homines ardor immanis, vt vrinam quoque humanã, vel etiam suam biberent? nonne ad hoc fames, vt à carnibus hominum abstinere se non possent, nec inuentos homines mortuos, sed propter hoc à se occisos, nec quoslibet alienos, verum etiam filios matres incredibili crudelitate, quam rabida esuries faciebat, absumerent?*

Qvarto, ad inopiam arcendam tantus est labor necessarius, vt Scriptura primo homini dictum fuisse testetur: *In sudore vultus tui vescaris pane tuo*, Genes. 3. Et rursùm alio loco propter eamdem caussam, ita dicitur *homo nascit ad laborem* quasi ad proprium quoddam munus, *vt auis nascitur ad volatum*, Iob 5. Itaque sicut miseria morbi per aliam miseriam sæpe grauiorem, id est, per medicamenta pellitur: sic etiam malum inopię per malum laboris, nec breuiùs, nec leuiùs temperatur. Non erat difficile Deo, qui pascit aues cœli, etiamsi non serant, neque metant, neque congregent in horrea, efficere, vt homines etiam sine labore victum quærerẽt: sed voluit in pœnam peccati, vt homines *à pœnali exitio*, vt loquitur Augustinus loco notato, *non nisi pœnali eruerentur auxilio.*

Qvinto accedit breuitas vitæ. Nam cùm homines ad scientiam rerum, quæ propria est hominis operatio, non nisi longo tempore, magnoque labore peruenianţ, æquum esse videbatur, vt diutissimè viuerent, alioqui futurum erat, vt penè nulli finem sibi proprium & naturalem attingerent. Contra tamen vita hominis breuissima est. Plurimi enim ante decedunt quã ad maturitatem venire cœperint, & qui longissimè viuunt, ad ætatem cęruorum, & cornicum minimè perueniunt.

Quare non defuerunt ex Ethnicis, qui de natura quærerentur, quod longiorem vitam cornicibus, quàm hominibus dedisset. Alius tũc vitam relinquere se dicebat, cùm discere, & vitam hominis propriam agere inciperet: Alius librum suum ab illis verbis exordiutur: *Ars longa, vita brevis.* quasi dicere vellet, non rectè agi cum natura humana, quæ propter vitæ breuitatem artes sibi proprias

Universidad de Deusto
Biblioteca

assertis, si non potest. Scriptura etiam diuina non tacet, vitam hominum esse breuissimam: *Homo natus de muliere* (inquit Iob cap. 14.) *brevi viuens tempore, repletur multis miseriis qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra.* Isaias verò Propheta cap. 40. & Apostolus Petrus in epist. 1. cap. 1. hominem fœno comparare non dubitarũt, quod ad primum Solis radium siccatur & cadit.

Accedit postremò timor continuus imminentis mortis. Nam tametsi vita humana amara est valdè: tamen adhuc amarior esse videtur interitus: *Nescit separat*, aiebat ille, *amara mors.* Et Apostolus 2. Cor. 5. *Ingemiscimus*, inquit, *grauati eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri, vt absorbeatur quod mortale est a vita.* Et ad Hebr. 2. dicit, Christum per mortem suam destruxisse eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolũ, vt liberaret eos, qui timore mortis, per totam vitam obnoxij erant seruituti. Animus certè immortalis, & qui naturalis forma corporis est, sine dubio corpus immortale desiderat. Proinde mors inimica naturæ, & omnium terribilium extremum rectè nominata est.

A

B

CAPVT XIII.

De miserijs naturæ humanæ, quæ extrinsecus accedunt.

EXPLICVIMVS breuiter eas miserias, quæ in homine ex ipso homine oriuntur: nunc de illis dicendum est, quæ extrinsecus accedunt.

PRIMA & summa est, quod homines post peccatum primi parentis, Deum iratum & inimicũ habent: *N. s. omnes* (vt Apostolus ait ad Ephes. 2.) *filij iræ.* Si autem Deus contra nos est, quis pro nobis esse audebit? & quid mirum, si armatur orbis terræ, cõtra hominem, cùm inimicus homini sit, qui fecit cœlum & terram?

SECVNDA est, quod traditi sumus in potestate principis tenebrarum, qui quidem multorum etiam paruulorum, corpora inuadit, eosq; miserabiliter vexat, & cruciat. Omnium autem mentes sollicitat ad peccatum, & mille nocendi artes habens, die noctuque tamquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret: Contra milleformes, (inquit Augustinus lib. 22. de Ciuit. Dei, ca. 22.) dæmonum incursus quis innocentiã sua fidit? quandoquidem ne quis fideret, etiam paruulos baptizatos, quibus certè nihil est innocentius aliquando sic vexãt, vt in eis maximè, Deo sinente, ista mõstretur huius vitæ flenda calamitas.

TERTIA est, quod homo homini hostis crudelissimus & immanissimus, omni loco & tempore insidiatur. Quis enim explicet, quanta patiantur homines ab hostibus, à pyratis, à latronibus? nónne ab eis & depredatio, & captiuitas, & vincula, & carcer, & exiliũ, & cruciatus, & amputatio membrorum, & priuatio sensuum, & oppressio corporis ad obscœnam libidinem opprimẽtis explendam, & alia multa horrenda sæpè contingunt?

QVARTA est inobedientia animantium rationis expertium: *præposuit* enim initio *Deus hominem bestijs terræ, volatilibus cœli, & piscibus maris*, vt Scriptura loquitur Genes. 1, & certè si primus homo ab imperio Dei non recessisset, omnia animãtia hominis imperio facilè paruissent. Nunc verò retinet quidem homo principatum in bestias, eisque iure suo ad sua commoda vti potest: sed libertam exequutionem propter peccatum amisit. Detrectant enim imperium, sæpè etiã in ipsum Dominum suum insurgunt, neque nisi magna industria, & labore subiiciũtur: quemadmodum Principes regunt aliquando populos rebelles, & Domini mancipia fugitiua.

C

Significauit hoc Deus Genes. 9. illis verbis ad Noë: *Terror vester, ac tremor sit super omnia animantia terræ, & super omnes volucres cœli, & cuncta quæ mouentur in terra.* Quo loco verba illa, terror ac tremor, indicant, in statu innocentiæ fuisse pacificum imperium, post peccatum autem futurũ violentum atque terribile. Obseruat autem S. Augustinus loco citato, non solùm multa homines pati ab agrestium bestiarum & ferarum, vel tantummodo molestis, vel etiam mortiferis morsibus: verum etiam interdum à mansuetis, & domesticis animalibus: propter rabiem enim, quæ contingit ex rabido cane, fit vt blanda & amica suo Domino bestia nonnumquam vehementius & amarius, quàm leones draconésque metuatur.

Quinta est calamitas, quæ à cœlo, terra, mari, non raro accidere solet. Nam vix dici potest, quanta ea detrimenta sint, quæ contingunt hominum generi, vt eiusdem Augustini verbis vtar, ab æstibus, & frigoribus, tempestatibus, imbribus, alluuionibus, corruscatione, tonitru, grandine, fulmine, motibus hiatibúsque terrarum, oppressionibus ruinarum: eruptionibus ignium, à totvenenis fruticum, aquarum, aurarum. Quæ mala patiuntur nauigantes, quæ terrena itinera gradientes? quæ hortorum agrorumque cultores? quot & quanti à cœlo, & terra, vel pernicijs animalibus casus timentur agrorum fructibus? solent tamen de frumentis tandem collectis & recõditis esse securi. Sed quibusdam, quod nouimus prouentum optimum frumentorum, fluuius improuisus, de horreis eiecit atque abstulit.

B

Sexta est, quæ nulla ratione prouidere potest ærumna casuum fortuitorum, quæ sicut in statu innocentiæ locum nullum habuisset, ita post peccatũ vndique occurrit: *Quis ambulat*, inquit AVGVSTINVS, *vbicumque non inopinatis subiacens casibus? de foro quidam rediens domum, sanis pedibus suis, cecidit, pedem fregit, & ex illo vulnere finuit hanc vitam. Quid videtur sedenti securius? de sella, in qua sedebat, cecidit Heli sacerdos, & mortuus est.* Hæc Augustinus. Quibus addi possent multa similia quæ leguntur apud Valerium libr. 5. cap. 12. & Plinium lib. 7. cap. 7. & 53.

C

CAPVT XIV.

Ostenditur contra Pelagianos concupiscentiam esse malam.

DE miseria humanæ vitæ, quam his quinque capitibus expositimus, controuersia cum Pelagianis duplex est, Altera an sint verè mala illa omnia, quæ nos inter miserias numerauimus. Altera an sint in homine ex merito peccati, an ex conditione naturæ. Pelagiani enim qui peccatum originale negabant, aliqua ex iis, quæ nos inter calamitates & vitia numerauimus, præcipuè verò concupiscentiam carnis, inter naturæ bona numerabãt. Alia, mala quidem, sed naturalia esse dicebant.

D

Aduersus hunc errorem pugnat acerrimè sanctus AVGVSTINVS in lib. de peccato originali, à cap. 34. vsque ad 39. in libris duobus de nuptiis & concupiscentia, in 1. libro contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 15. & tribus sequentibus lib. 3 contra Iulianum, cap 7. & sequentibus, & totis libris quarto & quinto contra eumdem Iulianum. NOS Augustinum sequentes demõstrabimus PRIMVM concupiscẽtiam, qualis in nobis est, verè esse malam, & vitium naturæ, non bonum naturæ nominandam. Deinde tum ipsam concupiscentiam, tum cæteras mala suprà explicata, ex peccato nata esse, non ex conditione naturæ.

Igitur concupiscentiam esse malam, PRIMO docet Apostolus ad Rom. 7. cùm ait: *Malum adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio.* Vbi per malum adiacens nihil aliud intelligi potest, nisi concupiscentia carnis, nam illud idem malum in eodem capite, idem Apostolus vocat

legem

legem membrorum, & legem peccati repugnantem legi mentis. At si concupiscentia esset bonum naturæ, quomodo ab Apostolo malum nominaretur?

A

SECVNDO, idem Apostolus in priore ad Corinth. cap. 7. *Qui non se continent nubãt, melius est enim nubere, quam vri.* Et rursus admonens coniugatos vt propter orationẽ ad tempus & ex consensu contineant, & rursus propter tẽtationis periculum reuertãtur in id ipsum: *Hoc*, inquit, *dico secundũ indulgentiam, non secundũ imperium.* Vbi S. Apostolus satis aperte declarat coniugium datum à Deo in remedium concupiscentiæ, & indulgẽtiæ opus esse, cum opus coniugij exercetur non amore prolis, sed ad satisfaciendum concupiscentiæ, siue, vt Ambrosius loquitur, non amore posteritatis, sed ardore libidinis: at certè remedio & indulgentia non egent res bonæ, sed malæ.

TERTIO, idem Apostolus 1. Cor. 9. castigat corpus suum & in seruitutem redigit, & 2. Cor. 12. ter Dominũ rogat vt auferatur à se stimulus carnis. At quod tantus Apostolus ita vehementer oppugnat, & precibus apud Deum, & asperitate vitæ in se, sine dubio malum est, & eo carere bonum?

QVINTO, idem Apostolus ad Galat. 5. dicit carnem concupiscere aduersus spiritum, spiritum autem aduersus carnem. At concupiscentiam spiritus bonam esse, testantur opera eius, quæ ibidem enumerantur, charitas, gaudium, pax, &c. igitur malam esse necesse est concupiscentiam carnis, quæ concupiscentiæ spiritus aduersatur. Vt interim omittam, quod cùm eius fructus, qui in eodem loco notantur, mali sint, non potest ipsa non esse mala, iuxta doctrinam Domini Matth. 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere.*

QVINTO, Apostolus Ioannes in epist. 1. cap. 2. concupiscẽtiam dicit non esse ex patre, sed ex mundo. Quomodo autem bonum est, quod non est à Deo à quo est omne bonum?

SEXTO, concupiscentia carnis eget fræno, alioqui fertur immoderatè in omnia flagitia: at frænum non ipsa sibi adhibet, sed à ratione illi imponitur, igitur ipsa ex se immoderata, ac per hoc mala & vitiosa est.

C

SEPTIMO, propter istam concupiscentiam omnis concubitus, etiam legitimus cum vxore, vitat aspectum, & nisi in latebris, vel in tenebris nunquam peragitur. At propter bona nemo erubescit, nemo tenebras quærit. Igitur concupiscentia sine dubitatione est mala: vide Augustinum lib. 14. de Ciuit. Dei. cap. 17. & sequentibus.

OCTAVO, malum est, vt inferiora superioribus reluctentur. Id enim cõtra æquitatem & rectam rationem est. At propter concupiscentiam pars animæ inferior superiori, id est, rationi repugnat. Quis igitur ambigat, an ea mala sit appellanda?

NONO, accedant testimonia Patrum, quos Augustinus citat libro 2. in Iulianum, Cypriani, Ambrosij, Hilarij, Hieronymi, Chrysostomi, qui malam esse concupiscentiam vno ore confirmant.

DECIMO, accedant testimonia Ethnicorum. Nam Augustinus lib. 14. de Ciuitate Dei, cap. 19. & lib. 4. in Iulianum. cap. 12. Tullium adducit in 3. lib. de republica dicentem, iracundiam & libidinem vitiosas esse animi partes. Clemens quoque Alexandrinus in tertio Stromatum Platonem citat, in primo de Republica dicentẽ, corporis voluptatem sapientiæ repugnare & esse dominam sæuissimam, à qua felicissimum sit posse liberari, similia ex Archita Tarentino, & Sophocle recitat M. Tullius in dialog. de senectute, & inter alia scribit, nullam capitaliorẽ pestem quàm voluptatem corporis hominibus à natura datam.

* * *

D

CAPVT XV.

Non solum concupiscentiam, sed omnes miserias humanæ naturæ pœnas esse peccati.

NVNC ordine, sed breuissimè demonstrabimus, omnes suprà numeratas humanæ vitæ calamitates, ex merito esse peccati, non ex conditione naturæ. De qua re diximus etiam aliqua in 1. lib. de gratia primi hominis. Possunt autem humanæ calamitates omnes ad decem præcipuas reuocari.

PRIMA est, ignorantia in mente. Hanc ortam esse ex peccato, testatur Dauid in Psal. 48. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis.* Adamum quoque ante peccatum nouisse naturas rerum, quas nunc ignoramus, satis aperte colligitur ex cap. 2. Gen. vbi nomina imposuit omnibus animantibus, vt natura vniuscuiusque exigere videbatur; denique in paradiso nullus fuisset error, nulla deceptio, nulla ignorantia earum rerum, quæ pro loco & tempore sciẽda fuissent: Nam ista omnia sunt mala & pœnæ peccati, vt S. Augustinus docet in Enchir. cap. 24. & 25. & in lib. 3. de libero arbitrio, cap. 18. nullum autem malum in paradiso fuisset si Adam non peccasset, vt idem auctor docet in lib. 14. de Ciuit. Dei, cap. 10.

B

SECVNDA, malitia in voluntate: hanc non fuisse in primis parentibus ante peccatum, & ex peccato natã esse testatur Ecclesiastes cap. 7. vbi dicit: *Hoc inueni quod fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus.*

TERTIA, concupiscentia in parte inferiore: hanc pœnam esse peccati docet Apostolus Rom. 7. cùm eam sæpissimè vocat peccatũ, quia videlicet ex peccato natã sit. Docet etiam verecundia primorum parentum, qui post peccatum erubuerũt nuditatem suam, eamq; frondibus, quæ primæ in promptu fuerunt, tegere festinarũt, Genes. 3. Docet postremò etiam ratio, nam (vt S. Augustinus ratiocinatur in 1. libro contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 17.) aut in paradiso fuisset libido & quotiescunque illa exurgeret, toties ei per concubitum satisfieret: aut fuisset quidem, sed per temperantiam frænaretur: aut denique non fuisset, & nulla existente libidine, vt cætera membra, quæq; ad opera sua, sic ad opus proprium etiam genitalia iussis volentium sine vlla difficultate seruissent. Sed duo priora respuenda sunt, quibus libidini aut seruitur, aut repugnatur. Nã illud primũ tam præclara status illius honestas, hoc autem secũdum, tam magnã felicitas non vult: restat igitur vt tertium solùm sit verum, & libido, quæ in primis parentibus ante peccatum non fuit, ex peccato sit nata, & ad nos per peccatum in quo concipimur, propagata descendat.

C

QVARTA calamitas, labor & dolor in corpore. Hãc ex peccato manasse Deus ipse testatur, cùm ait Gen. 3. *In sudore vultus tui vescêris pane tuo.* Vnde sunt illa Eccles. cap. 40. *Iugum graue super filios Adam, a die exitus de vtero matris ipsorum, vsq; in diem sepulturæ, in matrem omnium.*

D

QVINTA, est mors ipsa de qua B. Paulus ad Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors.* Et cap. 6. *Stipendia peccati mors.*

SEXTA, ira Dei, hanc autem esse pœnam peccati nulla ratione dubitari potest, nisi de ipsius Dei iustitia dubitetur. Nam *vultus Domini*, vt legimus in Psal. 33. non est, nisi *super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.* Et ad Rom. 1. scribit Apostolus: *Reuelari iram Dei de cœlo super omnem impietatem & iniustitiam.* Itaque non nasceremur filij iræ, quales nos nasci scribit Apostolus ad Ephes. 2. nisi in iniquitatibus conciperemur, & in peccatis parerent nos matres nostræ, vt legimus in Psal. 50.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SEPTIMA, captiuitas sub diabolo, hanc pœnam esse peccati docet B.Petrus in epist. 2.cap. 2. cùm ait: *A quo quis superatus est, huius & seruus est.* Deinde, vt rectè notat S. Augustinus in epist. 28. ad Hieronymum, non daret Deus homines diabolo tamquam natura inferiorem naturæ excellentiori, quomodo, tradidit homini bestias terræ. Nam etsi mortalis est homo, tamen est etiam rationalis, & Dei capax, & ideò non Angelorum seruus, sed conseruus est, & Deo non per Angelos, sed per se famulatū præstat. Quare quod diabolus princeps huius mundi nominetur in Scripturis, & homines captiuos teneat ad suam ipsius voluntatem, & nos Christi ope indigeamus, vt de potestate Sathanæ liberemur, nō potest aliundè, quàm ex peccato factum esse.

OCTAVA, crudelitas hominum in alios homines. Hanc verò ex peccato manare Iacobus Apostolus docet cùm in epist. sua cap. 4. dicit: *Vnde bella & lites in vobis? nonne ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris?* Concupiscentiam autem pœnam esse peccati, paulò antè monstrauimus. Itaque peccatum concupiscentiā procreauit, concupiscentia verò lites & bella: Neque hęc solùm, sed etiam seditiones, rixas, homicidia, veneficia, impudicitiam, & illa omnia mala, quæ opera carnis vocat Apostolus ad Galat. 5.

NONA, inimicitia & rebellio bestiarum. Non fuisse futurum hoc malum in statu innocentiæ, colligitur ex 3. cap. Genes. vbi serpens familiariter cum Heua colloquitur, & neque ipsa serpentem horret, neque serpens ipsam aut fugit aut ferit. Idem intelligi potest ex cap. 2. vbi Dei nutu animātia omnia venerūt ad hominē, vt ab eo tamquam à proprio Rege ac domino nomen acciperent, & subiectionem ac fidelitatem eidem quodammodo testarentur. Accedit etiam, quod multi sancti viri, vt magnus Antonius, sanctus Martinus, S. Franciscus, & alij quamplurimi, etiam in hac vita, miram animantium etiam ferocissimarum obedientiam habuerunt. Quod certè non aliunde fiebat, nisi quia in eis gratia Dei sanauerat magna ex parte naturam, & sicut inobedientia primi hominis erga Deum effecerat, vt bestię imperium hominis detrectarēt: sic etiam perfecta obedientia Sanctorum erga Deum faciebat, vt animantia bruta antiquum imperium recognoscerent.

DECIMA calamitas, sunt illa omnia mala quæ à cœlo, terra, mari, vel ante præuisa, vel omninò inopinata homines patiuntur. Hęc enim omnia ad peccati supplicium pertinere, docet liber Sapientiæ cap. 5. vbi dicit, armari creaturam ad vltionem inimicorum Dei, & pugnare cum eo orbem terrarum contra insensatos, neq; dubitari potest, quin ad has etiam calamitates Ecclesiasticus respexerit, cùm iugum graue impositum esse dixit super filios Adæ. Atque hactenus ex Scripturis demonstratum est, humanæ vitæ miserias, pœnas siue fructus esse peccati originalis.

Possumus rem eamdem ratione quoque & auctoritate humana probare. Nam tametsi calamitates humani generis ferè omnes potuerint esse naturales, quod accidisset, si Deus hominem sine originali iustitia in puris naturalibus condere voluisset: ex quo sequitur, vt remota reuelatione diuina, non possit certò statui corruptionem humanam pœnam esse peccati: tamen hac reuelatione iam habita & fide in animis nostris accēsa diuinitus, non mediocriter ratio naturalis fidē ipsam corroborat. Omnino enim verisimile est, non fuisse Deum optimum & nostri generis amantissimum cōditurum, hominem tam miserum, quàm nunc est, nisi peccati nostri magnitudo tale supplicium meruisset.

Quare plerique veterum Ethnicorum humanæ vitæ miserias ita deflent, vt vel de natura, tamquam de nouerca querantur, vel per has miserias, puniri peccata animarum in alia vita commissa suspicentur. De quibus rectè pronunciauit S. Augustinus lib. 4 in Iulianum, ca. 12. eos rem vidisse, caussam ignorasse, vide hæc Ethnicorum testimonia apud Theodoretum lib. 5. de curandis Græcorum affectionibus, non procul ab initio, & Augustinum lib. 4. in Iulianum. cap. 12. 13. 14. 15.

CAPVT XVI.

De effectu peccati originalis, quid sentiant nostri temporis hæretici.

QVÆ sunt huscusque à nobis disputata de malis consequentibus originale peccatum, Sectariis nostri temporis, ni fallor, displicere non possunt. Remanet autem controuersia inter nos, quod ipsi tres alios effectus peccati originalis esse volunt, quos Catholici non agnoscunt. Vnus est amissio liberi arbitrij, nos enim læsum, ipsi extinctum liberum arbitrium, per Adæ peccatum esse volunt. Alter est, tanta naturę corruptio, vt non possit homo, etiam iustificatus, non semper peccare. Nos enim libenter admittimus, non posse homines solis viribus naturæ corruptæ quidquam boni præstare, quod ad pietatem & vitam æternam pertineat: tamen viribus naturæ per gratiam reparatæ ac sanatæ, & ipso Deo semper cooperante & adiuuante, credimus hominem posse legē implere, benè viuere, vitam æternam mereri. Cæterùm his controuersiis duabus in sequentibus disputationibus non deerit proprius locus.

TERTIVS igitur effectus est odisse Deum, fugere iudicium Dei, dubitare de promissionibus Dei, desperare de remissione peccatorū & sempiterna salute. Hæc enim & similia nunc ipsum originale peccatum, nunc eius fructus esse volunt. Vide Confessionem Augustanam & Apologiam art. 2.

CÆTERVM non esse eiusmodi motus peccati originalis effectus, nisi fortè remotos ac mediatos, vt sunt omnia peccata, Duabus rationibus demonstrari potest. Primum, quoniam non existunt in homine tales motus, nisi mediante imperio voluntatis. Proinde, propria caussa eiusmodi peccatorum, vt etiam actualium cęterorum, est voluntas humana, vt cum Catholicis fatentur etiam aduersarij in ipsa Confessione Augustana art. 19 & Philippus in locis, tit. de caussa peccati. Deinde, quoniam isti motus inueniuntur in multis, in quibus non est originale peccatum, vt in dæmonibus: & in multis non inueniuntur, in quibus est originale peccatum, vt in infantibus. Fatemur tamen propensionem ad hæc peccata, & carētiam habituum, seu virtutum fidei, spei, & caritatis, quibus primus homo in paradiso ornatus fuerat, ad peccatū originis, vel eius effectus sine dubio pertinere,

LAVS DEO VIRGINIQVE
MATRI MARIAE.

Finis secundæ Controuersiæ generalis.

TERTIA

TERTIA CONTROVERSIA GENERALIS.

DE REPARATIONE GRATIAE PER IESVM CHRISTVM DOMINVM NOSTRVM.

QVAE TRES PRINCIPALES CONTINET, QVARVM PRIMA EST, DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO, in sex libros diuisa. SECVNDA, de Iustificatione, & bonis operibus generatim, quinque libris explicata. TERTIA, de bonis operibus in specie, tres libros complectens.

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM TERTIAE CONTROVERSIAE GENERALIS, QVAE IN TRES PRINCIPALES DIVIDITVR.

CONTROVERSIA PRIMA PRINCIPALIS DE Gratia & libero arbitrio, quæ sex libris explicatur.

Præfatio de libero arbitrio.

LIBER PRIMVS.

De Gratia, & libero arbitrio.

CAP. I. *De variis acceptionibus Gratiæ.*
II. *De partitionibus Gratiæ.*
III. *Gratiam gratum facientem esse qualitatem, per modum habitus in homine permanentem.*
IV. *Probatur veritas capite superiore explicata.*
V. *Soluuntur obiectiones.*
VI. *Gratiam gratum facientem re non distingui ab habitu caritatis.*
VII. *Soluuntur obiectiones.*
VIII. *Caritatem esse virtutem creatam, non ipsum Spiritum sanctum.*
IX. *Soluuntur obiectiones.*
X. *Soluuntur dubitationes quædam circa petitionem gratiæ, in gratis datam, & gratum facientem.*
XI. *Concedendam esse partitionem auxilij specialis, in sufficiens, & efficax.*
XII. *In qua re sita sit Gratiæ efficacia.*
XIII. *Soluuntur obiectiones quædam aduersus ea, quæ dicta sunt de Gratia efficaci.*
XIV. *Quæ sit propria Gratiæ operans.*

LIBER SECVNDVS.

De Gratia & libero arbitrio.

CAP. I. *Proponitur quæstio, an auxilium sufficiens omnibus detur.*
II. *Auxilium Gratiæ non expectare, sed præuenire voluntates nostras, neque aqualiter omnibus adesse.*
III. *Soluuntur argumenta Pelagianorum & Pelagianis fauentium, contra duas propositiones capitis superioris.*
IV. *Non posse Deum iniustitiæ accusari, si nõ daret omnibus auxilium sufficiens ad salutẽ, neq; de vllo desperandũ esse.*
V. *Auxilium sufficiens ad salutem pro loco & tempore omnibus dari.*
VI. *Auxilium Dei necessarium ad conuersionem, non adest peccatoribus omnibus momentis, sed certis temporibus, prout iudicat Deus munera sua esse distribuenda.*
VII. *Auxilium ad nouum peccatum euitandum semper omnibus adest.*
VIII. *Soluuntur argumenta contra doctrinam capitis quinti & septimi.*
IX. *Proponitur octaua propositio, & explicatur definitio prædestinationis.*
X. *Prædestinationis nullam esse causam in nobis, probatur ex diuinis literis.*
XI. *Idem probatur ex traditione Ecclesiæ.*
XII. *Idem probatur rationibus ex Scriptura & traditione desumptis.*
XIII. *Soluuntur argumenta contra propositionem octauam.*
XIV. *Soluuntur argumenta ex Patribus.*
XV. *Soluuntur argum. ex rationib. & simul ostenditur non solũ ad gratiã efficacẽ, sed etiã ad gloriã gratis homines eligi.*
XVI. *Causam reprobationis impiorum, partim ad solam Dei voluntatem, partim ad peccata præuisa referendam esse.*
XVII. *Quid interfit inter hominum & Angelorum electionem siue reprobationem.*

LIBER TERTIVS.

De Gratia & libero arbitrio.

CAP. I. *Præmittuntur aliqua ante ipsam tractationem, id est, argumentum totius operis, summa præcipuarum difficultatum & qui scripserint de libero arbitrio.*

II. *De*

II. *De nomine liberi arbitrij.*
III. *De liberi arbitrij definitione.*
IV. *Quænam libertas sit necessaria ad liberum arbitrium.*
V. *Probatur sententia communis quæ ad liberum arbitrium exigit libertatem a necessitate.*
VI. *Soluuntur argumenta contraria.*
VII. *An liberum arbitrium sit potentia, proponuntur variæ Theologorum sententiæ.*
VIII. *Probatur liberum arbitrium esse potentiam, videlicet ipsam voluntatem, eámque sic esse liberam, vt tamen determinetur à iudicio vltimo practicæ rationis.*
IX. *Soluuntur argumenta contra conclusiones capitis superioris.*
X. *Liberum arbitrium non esse potentiam tantum passiuam, nec partim passiuam, partim actiuam, sed simpliciter & absolutè actiuam.*
XI. *Soluuntur argumenta contra doctrinam capitis superioris.*
XII. *Per liberum arbitrium non expeti mala sed bona.*
XIII. *Liberum arbitrium esse tum præsentium, tum futurorum.*
XIV. *Liberum arbitrium non esse finis, sed mediorum ad finem.*
XV. *Subiectum liberi arbitrij non posse esse nisi naturam intelligentem.*
XVI. *Probatur Deum esse liberi arbitrij.*
XVII. *Soluuntur argumenta contraria.*
XVIII. *De fine liberi arbitrij, id est, quare Deus creauerit Angelos & Homines libero arbitrio præditos.*

LIBER QVARTVS.

De gratia & libero arbitrio.

CAP. I. *Exponitur ordo futuræ disputationis.*
II. *Posse cognosci viribus naturæ Deum esse, & esse vnum, & alia id genus.*
III. *Soluuntur obiectiones.*
IV. *Requiri & sufficere auxilium generale ad actiones naturales ac ciuiles efficiendas.*
V. *Proponitur quæstio principalis, an homo liberum arbitrium habeat in operibus naturalibus & ciuilibus, & notantur Lutheri & Melanchthonis contradictiones.*
VI. *Non posse ab insigni temeritate defendi modum loquendi aduersariorum, qui nomen liberi arbitrij in seruo arbitrij mutauerunt.*
VII. *Secundum fidem Catholicam hominem esse liberi arbitrij in rebus ciuilibus, probatur ex diuinis literis.*
VIII. *Probatur idem ex traditione veterum Patrum.*
IX. *Adferuntur testimonia ipsorum Patrum.*
X. *Euidens esse lumine rationis naturalis hominem liberi esse arbitrij in actionibus ciuilibus, & externis.*
XI. *Respondetur ad argumenta, quæ sumunt aduersarij, ex diuinis literis.*
XII. *Respondetur ad obiectiones ex testimoniis S. Augustini.*
XIII. *Respondetur ad obiectionem ex repugnantia præscientiæ & libertatis.*
XIV. *Refelluntur tres opiniones de concordia cooperationis diuinæ cum libero arbitrio.*
XV. *Explicatur vna ratio concordiæ diuinæ cooperationis cum libero arbitrio.*
XVI. *Explicatur altera ratio concordiæ libertatis cum cooperatione Dei, & soluitur obiectio capite duodecimo proposita.*

LIBER QVINTVS.

De Gratia & libero arbitrio.

CAP. I. *Proponitur quæstio de cognitione veri moralis.*
II. *Probatur posse hominem suis viribus cognoscere aliquod verum morale.*
III. *Soluuntur argumenta contra doctrinam capitis superioris.*
IV. *Proponitur quæstio, de viribus humanæ voluntatis circa bonum morale.*
V. *Non posse solis naturæ viribus adimpleri omnia præcepta moralia secundum substantiam operis.*
VI. *Soluuntur argumenta contra ea, quæ capite superiore dicta sunt.*
VII. *Non posse solis naturæ viribus vllam veram tentationem superari.*
VIII. *Soluuntur argumenta contra propositionem capitis septimi.*
IX. *Posse hominem sine fide cum auxilio speciali, & etiam sine illo, bonum aliquod morale perficere, si nulla tentatio vrgeat.*
X. *Soluuntur argumenta contra propositionem capitis superioris.*
XI. *Soluuntur argumenta ex Patribus.*
XII. *Soluuntur argumenta ex ratione.*
XIII. *Proponitur controuersia de libero arbitrio in moralibus, & Tilmanni ineptiæ ac mendacia referuntur.*
XIV. *Probatur libertas arbitrij in moralibus, argumento ducente ad impossibile.*
XV. *Adfertur & defenditur secundum argumentum pro libero arbitrio in rebus moralibus.*
XVI. *Proponitur & defenditur tertium argumentum pro libero arbitrio in moralibus.*
XVII. *Proponitur & defenditur argumentum quartum pro libero arbitrio in moralibus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

XVIII. *Prima classis Scripturarum pro libero arbitrio in moralibus.*
XIX. *Secunda classis Scripturarum pro libero arbitrio in moralibus.*
XX. *Tertia classis Scripturarum pro libero arbitrio in moralibus.*
XXI. *Quarta classis Scripturarum pro libero arbitrio in moralibus.*
XXII. *Quinta classis, &c.*
XXIII. *Sexta classis, &c.*
XXIV. *Præfatio ad testimonia Patrum pro libero arbitrio in moralibus.*
XXV. *Testimonia Græcorum Patrum adferuntur pro libero arbitrio in moralibus.*
XXVI. *Testimonia Patrum Latinorum pro libero arbitrio in moralibus.*
XXVII. *Adferuntur testimonia ex libris Augustini quos ille scripsit ante exortam hæresim Palagianam.*
XXVIII. *Adferuntur testimonia Augustini pro libero arbitrio scripta post exortam hæresim.*
XXIX. *Soluuntur argumenta aduersariorum ex verbo Dei petita.*
XXX. *Soluuntur argumenta ex testimoniis S. Augustini.*

LIBER SEXTVS.

De Gratia & libero arbitrio.

CAP. I. *Proponitur quæstio, an possint credi mysteria fidei sine auxilio speciali.*
II. *Non posse hominem sine speciali illustratione Dei credere mysteria fidei.*
III. *Soluuntur obiectiones contra doctrinam capitis superioris.*
IV. *Non posse voluntatem humanam aliquid velle in iis, quæ ad pietatem & salutem pertinent, sine auxilio gratiæ Dei.*
V. *Non posse hominem solis naturæ viribus ad gratiam recipiendam vllo modo se præparare.*
VI. *Soluuntur argumenta contra doctrinam duorum præcedentium capitum.*
VII. *Non posse sine auxilio gratiæ diligi Deum.*
VIII. *Soluuntur argumenta contraria.*
IX. *Proponitur sententia hæreticorum de libertate arbitrij, in iis quæ pertinent ad salutem.*
X. *Probatur ex diuinis literis liberum arbitrium in actionibus piis & salutaribus.*
XI. *Probatur libertas arbitrij in operibus pietatis, ex traditione Patrum.*
XII. *Probatur rationibus libertas arbitrij in operibus pietatis.*
XIII. *Diluuntur obiectiones aduersariorum deprompta ex diuinis literis.*
XIV. *Diluuntur obiectiones ex testimoniis S. Augustini.*
XV. *Compendium disputationis de cooperatione gratiæ & liberi arbitrij aliquot sententiis comprehensum.*

TERTIAE CONTROVERSIAE GENERALIS

Secunda Controuersia principalis, quæ est de Iustificatione, in quinque libros diuisa.

Ordo Disputationis.

LIBER PRIMVS.

De Iustificatione, qui est de fide iustificante.

CAP. I. *De nomine Iustificationis & Iustitiæ.*
II. *Explicantur causse Iustificationis.*
III. *Aperitur status quæstionis de fide iustificante, & indicantur auctores qui de Iustificatione scripserunt.*
IV. *Quid sit fides iustificans ex sententia tum hæreticorum, tum etiam Catholicorum.*
V. *Refellitur ex cap. 11. ad Hebr. hæreticorum error de notione fidei iustificantis.*
VI. *Fidem iustificantem non esse fiduciam probatur ex diuinis literis.*
VII. *Fidem iustificantem non tam esse notitiam quam assensum, probatur ex Scripturis.*
VIII. *Fides iustificantis obiectum non esse specialem misericordiam sed omma quæ Deus reuelauit, probatur ex diuinis literis.*
IX. *Probatur ex traditione Ecclesiastica fidem iustificantem non esse fiduciam misericordiæ, sed assensum ad omnia quæ in verbo Dei continentur.*
X. *Probatur idem rationibus.*
XI. *Refelluntur obiectiones aduersariorum.*
XII. *Proponitur secunda quæstio an fides sola iustificet.*
XIII. *Fidem iustificare sed non solam, idem enim facere timorem Spem, dilectionem.*
XIV. *Fidem solam non iustificare, probatur ex alio principio.*
XV. *Fidem veram posse re ipsa à dilectione aliisq; virtutibus separari, quæstio tertia.*
XVI. *Fidem non solam iustificare, probatur ex remotione causarum, quæ possunt reddi cur fides sola iustificet.*

Fidem

XVII. *Fidem non solam iustificare, probatur ex modo iustificandi ipsius fidei, vbi etiam tractatur quæstio quarta de valore & precio fidei.*
XVIII. *Fidem non solam iustificare, probatur ex causa formali iustificationis & necessitate operum bonorum.*
XIX. *Soluitur argumentum primum ex Scripturis depromptum pro sola fide.*
XX. *Soluitur alterum argumentum ex Scripturis petitum pro sola fide.*
XXI. *Soluitur argumentum tertium ex Scripturis desumptum pro sola fide.*
XXII. *Soluitur argumentum quartum ex Scripturis depromptum pro sola fide.*
XXIII. *Soluitur quintum argumentum ex Scripturis pro sola fide.*
XXIV. *Soluitur argumentum sextum ex Scripturis pro sola fide.*
XXV. *Soluitur argumentum ex traditione veterum Patrum pro sola fide.*

LIBER SECVNDVS.

De Iustificatione, qui est de iustitia inhærente.

CAP. I. *De variis erroribus circa formalem caussam Iustificationis.*
II. *Proponitur sententia Ecclesiæ, & aperitur status quæstionis.*
III. *Inhærentem esse iustitiam nostram formalem, probatur ex Scripturis.*
IV. *Fidem non esse integram formalem caussam Iustificationis.*
V. *Formalem caussam Iustificationis non esse iustitiam Dei essentialem ac diuinam.*
VI. *Iustificationem nostram non constare sola remissione peccatorum.*
VII. *Iustificationem non consistere in imputatione iustitiæ Christi.*
VIII. *Traditio veterum Patrum, ac potissimum Augustini de iustitia inhærente.*
IX. *Soluuntur argumenta aduersariorum ex epistola ad Romanos.*
X. *Soluuntur argumenta ex epistolis ad Corinthios.*
XI. *Soluuntur argumenta ex epistola ad Ephesios.*
XII. *Soluuntur argumenta ex Actis Apostolorum & ex parabola Publicani.*
XIII. *Soluuntur argumenta ex Patribus.*
XIV. *Soluitur argumentum petitum ex ratione.*
XV. *Iustitiam, qua formaliter iustificamur, habitualem esse non actualem.*
XVI. *Soluuntur obiectiones contra doctrinam capitis superioris.*

LIBER TERTIVS.

De Iustificatione, qui est de incertitudine mutabilitate & inæqualitate iustitiæ.

CAP. I. *De variis erroribus recentium hæreticorum circa Iustificationem.*
II. *Proponitur status quæstionis de incertitudine Iustitiæ.*
III. *Recensentur variæ sententiæ de proposita quæstione.*
IV. *Probatur testimoniis Salomonis incertitudo propriæ Gratiæ atque Iustitiæ.*
V. *Idem probatur testimonio & exemplo Iob, Dauidis & Pauli.*
VI. *Idem probatur ex variis locis Prophetarum & Apostolorum.*
VII. *Idem probatur testimoniis sanctorum Patrum.*
VIII. *Idem probatur rationibus variis.*
IX. *Soluuntur argumenta aduersariorum ex testimoniis Scripturarum deprompta.*
X. *Soluuntur argumenta ex Patribus.*
XI. *Soluuntur argumenta ex ratione.*
XII. *Refellitur error de certitudine Prædestinationis.*
XIII. *Soluuntur obiectiones.*
XIV. *Fidem ac iustitiam non esse propriam electorum, & semel habitam amitti posse.*
XV. *Soluuntur obiectiones.*
XVI. *Non esse omnes iustos inter se pares.*

LIBER QVARTVS.

De Iustificatione, qui est de iustitia operum.

CAP. I. *Quod hæretici huius temporis negent operum necessitatem.*
II. *Refutatur falsum discrimen Legis & Euangelij, & inde probatur operum necessitas.*
III. *Asseritur verum discrimen Legis & Euangelij, & inde necessitas operum comprobatur.*
IV. *Ostenditur alterum discrimen Legis & Euangelij.*
V. *Refellitur falsa libertas Christiana, & inde probatur necessitas operum.*
VI. *Asseritur vera libertas Christiana, & inde quoque probatur necessitas operum bonorum.*
VII. *Probatur ex Scripturis necessitas operum ad salutem.*
VIII. *Probatur operum necessitas ex traditione Ecclesiastica.*
IX. *Probatur operum necessitas ad salutem ex ratione.*
X. *Proponitur quæstio de veritate iustitiæ operum, & sententiæ referuntur Hæreticorum & Catholicorum.*
XI. *Legem Dei esse possibilem, probatur ex diuinis literis.*
XII. *Legem Dei non esse impossibilem, probatur ex Patribus.*
XIII. *Legem Dei non esse impossibilem probatur rationibus.*
XIV. *Soluuntur obiectiones hæreticorum.*
XV *Iustorum opera non esse peccata, sed iustitiam, probatur ex diuinis literis.*
XVI. *Opera bona non esse peccata, sed verè bona, probatur ex Patribus.*

Opera bona

Universidad de Deusto
Biblioteca

XVII. *Opera bona iustorum non esse peccata, sed vere bona, probatur rationibus.*
XVIII. *Opera bona non solum esse vere iusta, sed etiam iustificare, probatur ex cap. 2. Iacobi.*
XIX. *Opera iustificare, probatur ex aliis Scripturis & rationibus.*
XX. *Soluuntur obiectiones ex Scriptura contra veritatem iustitiæ actualis.*
XXI. *Soluuntur obiectiones ex Patribus contra veritatem iustitiæ actualis.*

LIBER QVINTVS.

De Iustificatione, qui est de meritis operum.

CAP. I. *Proponitur quæstio, sint ne opera bona iustorum meritoria salutis æternæ.*
II. *Probatur ex Scripturis, opera iustorum rectè vocari merita.*
III. *Opera iustorum meritoria esse vitæ æternæ, probatur ex diuinis literis.*
IV. *Idem probatur ex traditione Patrum.*
V. *Soluuntur obiectiones ex Scripturis contra merita operum bonorum.*
VI. *Soluuntur obiectiones ex Patribus.*
VII. *Quatenus fiducia in meritis collocari possit exponitur.*
VIII. *Licitum esse operari bona opera intuitu mercedis æternæ.*
IX. *Soluuntur obiectiones.*
X. *Ad meritum constituendum requiri liberum voluntatis arbitrium.*
XI. *Soluuntur obiectiones.*
XII. *Ad meritum requiri statum gratiæ & adoptionis filiorum.*
XIII. *Soluuntur obiectiones.*
XIV. *Requiri ad meritum vitæ æternæ promissionem Dei gratuitam.*
XV. *Bonum opus non esse meritorium vitæ æternæ, nisi ex caritate procedat.*
XVI. *Opera iustorum ex caritate facta, meritoria esse vitæ æternæ ex condigno.*
XVII. *Opera bona iustorum meritoria esse ex condigno, non solum ratione pacti sed etiam ratione operum.*
XVIII. *Soluuntur obiectiones contra doctrinam capitis superioris.*
XIX. *Deum remunerare opera bona supra condignum.*
XX. *Vitam æternam, etiam quoad primum eius gradum, reddi meritis operum bonorum.*
XXI. *Non gratiam iustificationis, sed eius incrementum cadere sub meritum de condigno.*
XXII. *Reparationem post lapsum, & perseuerantiam vsque in finem, non cadere sub meritum de condigno, sed solum de congruo.*

TERTIAE CONTROVERSIAE GENERALIS

Controuersia tertia, & vltima principalis, de bonis operibus in particulari, tribus libris comprehensa.

Ordo disputationis.

LIBER PRIMVS.

De bonis operibus, qui est de oratione.

CAP. I. *Definitio orationis breuiter explicatur.*
II. *De partitione orationis.*
III. *De necessitate & vtilitate orationis.*
IV. *De excellentia orationis Dominicæ.*
V. *De numero & ordine petitionum orationis Dominicæ.*
VI. *Exponitur oratio Dominica.*
VII. *Solius creaturæ rationalis proprium esse orare.*
VIII. *Non solum generatim, sed etiam in specie pro certis hominibus orari posse.*
IX. *De conditionibus quæ requiruntur ad impetrandum.*
X. *De nomine & definitione officij diuini siue horarum canonicarum.*
XI. *De partibus officij diuini, & de canonico tempore singularum partium.*
XII. *Referuntur Hæretici, qui horas canonicas reprehendunt.*
XIII. *Demonstratur antiqua & rationabilis institutio horarum canonicarum.*
XIV. *De antiquitate singularum partium officij Ecclesiastici.*
XV. *Antiphona Salue Regina ab hæreticorum calumniis asseritur.*
XVI. *Defenditur Cantus, qui in officio diuino adhiberi solet.*
XVII. *Soluuntur obiectiones aduersariorum.*
XVIII. *De iis, quæ requiruntur ad officium ritè persoluendum.*
XIX. *De iis, qui ex officio tenentur ad horas canonicas persoluendas.*

LIBER SECVNDVS.

De Ieiunio.

CAP. I. *De nomine & varia acceptione Ieiunij.*
II. *Vnicam in Ieiunio refectionem, eámque cœnam esse debere non prandium.*
III. *De ciborum delectu, referuntur sententiæ hæreticorum.*
IV. *Refellitur impudens calumnia hæreticorum circa ciborum delectum.*

Ad rationem

V. *Ad rationem ieiunij abstinentiam à certis cibis, ac potissimum à carnibus, pertinere.*
VI. *Ieiunium in genere lege diuina esse præceptum.*
VII. *Lege Ecclesiastica obligari fideles in conscientia ad certa quædam ieiunia & ciborum delectum.*
VIII. *Soluuntur argumenta ex Scripturis contra præceptum ieiunij & delectum ciborum.*
IX. *Soluitur obiectio ex historia antiquitatis.*
X. *Quinam excipiantur lege ieiunij.*
XI. *De fructibus & vilitate ieiunij.*
XII. *Soluuntur obiectiones.*
XIII. *Soluuntur obiectiones ex Patribus.*
XIV. *De origine & institutione ieiunij Quadragesimalis.*
XV. *De Quadragesimæ varietate.*
XVI. *De ratione instituendæ Quadragesimæ.*
XVII. *De Ieiunio Feriæ quartæ & Feriæ sextæ.*
XVIII. *De Ieiunio Sabbathi.*
XIX. *De Ieiunio Quatuor temporum.*
XX. *De Ieiunio Aduentus.*
XXI. *De Ieiunio Rogationum.*
XXII. *De Ieiuniis Vigiliarum & Stationibus.*
XXIII. *De diebus quibus ieiunari non debet.*
XXIV. *De fraudibus & corruptelis Kemnitij in historia antiquitatis.*

LIBER TERTIVS.

De Eleemosyna.

CAP. I. *Quid sit Eleemosyna.*
II. *De partitione Eleemosynæ.*
III. *Eleemosynas non sufficere ad salutem, sine Fide, Spe, dilectione pœnitentia aliisq; ad salutem præsidiis.*
IV. *Eleemosynas esse opera meritoria & satisfactoria, ac multos præterea fructus habere.*
V. *Vnde sumatur Eleemosynæ magnitudo.*
VI. *Esse præceptum aliquod de Eleemosyna facienda, idq; ad quartum præceptum Decalogi reuocari.*
VII. *Diuino præcepto diuites obligari ad ea pauperibus eroganda, quæ sibi superuacanea sunt.*
VIII. *Non solum superflua sed etiam necessaria interdum erogare, vel præceptum, vel consilium est.*
IX. *Quando ex male partis Eleemosyna fieri possit.*
X. *Diuitias non esse Christianis illicitas.*
XI. *Soluuntur obiectiones.*
XII. *Quis Eleemosynam facere, & cui Eleemosyna fieri debeat.*
XIII. *Quomodo sit Eleemosyna facienda.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE LIBERO ARBITRIO.

PRAEFATIO IN GYMNASIO ROMANO ante studiorum instaurationem habita.

PARVM OMNINO, AVDITORES, DEMENTIÆ, AC FVRORI HÆRETICORUM huius temporis videbatur, si Christo solum, atque omnibus Sanctis totique Catholicæ Ecclesiæ bellum indicerent, nisi etiam in ipsam naturam generis humani, atque adeo in sua ipsorum capita, atque viscera, infestas manus, gladiosque conuerterent.

Eripuerunt Christo innumerabiles virgines sacras, quas cœlesti thalamo iam addixerat, sibiq; ipse solenni cæremonia, ritúque desponderat. Detraxerunt beatis Angelis, & Hominibus cœlum cum Christo tenentibus prætonia, signa, basilicas, dies festos, mortalium vota, preces, imprecationes, omnia denique & illis debita, & nobis salutaria monumenta virtutum. Abstulerunt Ecclesiæ bonam Sacramentorum partem, non paucos libros sacros, diuinum, ac saluberrimum sacrificium, Apostolicas traditiones, atque Ecclesiasticas ceremonias vniuersas. Ad extremum Pontifices, auctoritate: Principes, imperio: populos, disciplina: pastores, gregibus: greges, pastoribus: veneratione, reliquias: reliquiis, aras: aris, templa: templis, religionem: religione terrarum orbem prædones importunissimi spoliauerunt.

Nec tamen his tot, ac tantis sacrilegiis perpetratis hæreticorum furor, ac rabies conquieuit, donec etiam vt se, ac suos, totámque naturam generis humani violarent, arbitrij libertatem nobis omnibus suis sententiis detraxerunt, séque ipsi non beluarum similes, sed beluas plane rationis expertes profiteri non dubitarunt. Quod ego, quando præfandi vsus in hoc nostro gymnasio veteri more iam est receptus, quàm breuissimè potero demonstrabo.

Quamquam, si verè ac sapienter iudicare volumus, non libertatem arbitrij tot libris, ac disputationibus hæretici vel in se, vel in nobis extinguunt, sed animum malè sanum produnt suum, & ex hoc vno stultissimo dogmate insigne adferunt vniuerso doctrinæ suæ corpori detrimentum.

Quis igitur istis fidem habere possit, dum de Deo, de Iustitia, de Sacramentis, déque aliis rebus grauissimis, atque abstrusissimis disputant: cùm eos videat de suorum animorum libertate, quam sentire, & experiri coguntur, tam peruersè iudicare? Quis non eos amentes, & furiosos, & simul ingratos diuino numini esse censeat, qui tam excellens, & præclarum Dei donum, quod nec ob magnitudinem contemni, nec ob vsum frequentissimum latere potest, cùm per singula penè momenta in aciem oculorum, & mentis incurrat, tamen obstinatissimè respuere, refutare, abiicere, execrari pergunt?

An verò non est eximium Dei munus libertas arbitrij, quod NISSENVS GREGORIVS, optimum quiddam, & omnium quæ sunt in homine præstantissimum *esse definit: quo solo & à brutis animantibus separamur, & proximè ad Angelorum naturam accedimus, & ipsius diuini numinis imaginem gerimus, & rebus omnibus, quæ sunt infra lunam, tamquam Dij quidam terrestres præsumus.*

Deinde si tollas arbitrij libertatem, nonne vides vnà repente concidere omnia penè hominum bona, quæ illa videlicet sede, illo fundamento nitebantur: & vbi quæso erit iustitiæ splendor? vbi temperantiæ decus? vbi virtutum cæterarum chorus? vbi laus benefactorum? vbi præmium meritorum? quid? quod nec sempiternæ felicitatis capax esse, si B. Augustino, & B. Bernardo credimus, nisi arbitrij libertas potest? Neque gratia (inquit AVGVSTINVS *libro Hypognostici 3.) sine libero arbitrio facit, hominem habere beatam vitam, nec liberum arbitrium sine gratia. Et B. BERNARDVS: Tolle, inquit, liberum arbitrium, non erit quod saluetur: tolle gratiam, non erit vnde saluetur. Quantum igitur Dei donum illud existimandum est, sine quo nec boni, nec beati, ac ne homines quidem vmquam esse potuissemus?*

Quod si de populari libertate, quæ regius dominatus excluditur, quæ melius vmbra quædam, & imago libertatis, quàm libertas dici potest, quæque diutius nisi summo labore non conseruatur, & raro salutaris, sæpius noxia esse solet, tamen M. Tullius dixisse verè putatur, tantum in ea libertate inesse boni, vt non solum ab hominibus, verum etiam optimus ille est qui minimis vrgetur. Magna est hæc voluntatis ægritudo, vt cum nemo peccare possit, nisi velit, & nihil sit magis in potestate hominis, quàm velle, tamen nō possit semper benè velle, & per hoc absque omni peccato viuere.

CAPVT XI.

De vulnere partis animæ inferioris.

IN Parte animæ inferiore, in qua sunt sensus, tum interni, tum externi, & duplex appetendi facultas, multa sunt etiam & gratia vulnera.

PRIMVM, quod multi nascantur cœci, aut surdi, aut muti, aut claudi, aut alio modo in hac parte læsi, nam sine dubio nihil vmquam tale accidisset, si primus homo non peccâsset. Neque in aliis animantibus ista cernimus, quæ in hominibus sæpè deflemus. Itaq; S. Augustinus lib. 6. in Iulianum, cap. 4. ad pœnam peccati originalis etiam hoc refert, quod tam multi orbi, morbidi, monstrosique nascantur.

SECVNDVM est illusio somniorum, quæ per sensus interiores efficitur, quæ illusio ne partem quidem illam temporis liberam nobis relinquit, quæ ad aliquantulam quietem à natura concessa fuisse videtur: *Ipse somnus,* (inquit S. Augustinus lib. 22. de Ciuit. Dei. cap. 22.) *qui proprie quietis nomen accepit, quis verbis explicet sæpè somniorum visis quàm sit inquietus, & quàm magnis licet falsarum rerum terroribus, quas ita exhibet, & quodammodo exprimit, vt à veris eas discernere nequeamus, animã miseram, sensusq; perturbet?*

TERTIVM est, quod cùm interior sensus ideò nobis à natura sit attributus, vt menti ad contemplationem, intelligentiamque deseruiat: tamen sæpè mirum in modum intelligentiam impedit, & confundit, cùm importunissimo tempore varia figmenta suggerit animo, & à contemplatione rerum cœlestium ad suas nugas penè violenter auertit.

QVARTVM est infirmitas in appetitu, qui dicitur irascibilis, nam cùm hæc facultas homini data sit, vt imperanti rationi tamquam miles armatus obediat, & sit quasi neruus quidam animi (vt loquitur magnus Basilius in oratione de ira) fortitudinem, constantiamq;, ac robur ad res benè & ordine gerendas præbens. Contrà plerumque accidit, vt imperium animæ sponte inuadens hominem penitùs in feram conuertat, eumque cogat impetu ferri, insilire, rabie vt canes æstuari, pungere vt scorpiones, mordere vt serpentes. Nascitur nobiscum ista pestis, & in ipsa infantia incipit apparere: *An* inquit Augustinus libro 1. Confessionum, cap. 7. *pro tempore etiam illa bona erãt, flendo petere etiam quod noxie daretur, indignari acriter non subiectis hominibus, liberis & maioribus, bisq; a quibus genitus est, multisq; preterea prudentioribus non ad nutum voluntatis obtemperantibus, feriendo nocere, nisi quantum potest, quia non obeditur imperiis, quibus perniciosè obediretur? ita inbecillitas membrorum infantilium innocens est: non animus infantium. Vidi ego & expertus sum zelantem paruulum: nondum loquebatur, & intuebatur pallidus amaro aspectu collactaneum suum.*

QVINTVM est concupiscentia, quæ post amissam originalem iustitiam, soluta contra spiritum pugnat, & hinc nascitur intestinum illud bellum, quod vsque ad mortem finiri non potest, propter quod Apostolus clamat ad Roma. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* De quo malo integros libros scripsit Augustinus aduersus Pelagianos, & nos multa diximus in libro superiore, & aliquid etiam dicturi sumus circa finem huius libri.

Quantum autem imperium in rationem hic affectus exerceat, & contra, quàm debiles sint vires rationis, admirorum adolescentium, qui tam immenso voluptatum turpissimarũ incendio flagrant, vt penè ad insaniam redigantur: Testantur nouæ & inauditæ libidinum adinuentiones, quibus concupiscentia hominum longè superat concupiscentiam bestiarum, vt ostédit Plutarchus in opusculo, quod bruta ratione vtantur: Testantur ieiunia, vigiliæ, sacci, humi cubationes, spinarum aculei, aliáque id genus, quibus viri sancti tamquam armis cœlestibus, vt hoc malũ reprimerent, vtebantur. Testantur horribiles tragœdiæ, quæ singulis ætatibus, & in omnibus mundi partibus occasione carnalis concupiscentiæ acciderunt. Certè in Scripturis sanctis horrorem incutiunt, quæ de Samsone, Salomone, & Dauide leguntur exempla, quorum primus fortitudine, secundus sapientia omnibus anteibat, tertius ad fortitudinem, sapientiam, sanctitatem & pietatem planè singularem adiunxerat.

CAPVT XII.

De miserijs hominum quoad corpus.

IAM verò corporales miseriæ in hac lachrymarũ valle, planè innumerabiles sunt, quæ tamen nullæ fuissent, nisi peccatum eis aditum patefecisset.

PRIMVM, tot sunt morborum genera, vt nec libris Medicorum omnia comprehensa sint.

DEINDE, in eorum pluribus ac penè omnibus etiã ipsa adiumenta & medicamenta tormenta sunt, inedia, pharmaca, sectiones, vstiones, vt multi sæpè leuiùs malum æstiment morbum, quàm medicinam.

TERTIO, inopia cibi ac potus ad quantam rabiem homines interdum adducant: multa & in sacris & in prophanis auctoribus exempla declarant: *Nónne,* inquit Augustinus lib. 22. de Ciuit. Dei. cap. 22. *ad hoc perduxit sitientes homines ardor immanis, vt vrinam quoque humanã vel etiam suam biberent? nónne ad hoc fames, vt à carnibus hominum abstinere se non possent, nec inuentos homines mortuos, sed propter hoc à se occisos, nec quoslibet alienos, verùm etiam filios matres incredibili crudelitate, quam rabida esuries faciebat, absumerent?*

QVARTO, ad inopiam arcendam tantus est labor necessarius, vt Scriptura primo homini dictum fuisse testetur: *In sudore vultus tui vescéris pane tuo.* Genes. 3. Et rursum alio loco propter eamdem causam, ita dicitur *homo nascí ad laborem* quasi ad proprium quoddam munus, *vt auis nascitur ad volatum,* Iob 5. Itaque sicut miseria morbi per aliam miseriam sæpe grauiorem, id est, per medicamenta pellitur: sic etiam malum inopiæ per malum laboris, nec breuiùs, nec leuiùs temperatur. Non erat difficile Deo, qui pascit aues cœli, etiamsi non serant, neque metant, neque congregent in horrea, efficere, vt homines etiam sine labore victum quærerét: sed voluit in pœnam peccati, vt homines *à pœnali exitio,* vt loquitur Augustinus loco notato, *non nisi pœnali eruerentur auxilio.*

QVINTO accedit breuitas vitæ. Nam cùm homines ad scientiam rerum, quæ propria est hominis operatio, non nisi longo tempore, magnoque labore perueniant, æquum esse videbatur, vt diutissimè viuerent, alioqui futurum erat, vt penè nulli finem sibi proprium & naturalem attingerent. Contra tamen vita hominis breuissima est. Plurimi enim ante decedunt quã ad maturitatem venire cœperint, & qui longissimè viuunt, ad ætatem ceruorum, & cornicum minimè perueniunt.

Quare non defuerunt ex Ethnicis, qui de natura quererentur, quod longiorem vitam cornicibus, quàm hominibus dedisset: Alius tũc vitam relinquere se dicebat, cùm discere, & vitam hominis propriam agere inciperet: Alius librum suum ab illis verbis exorditur: *Ars longa, vita breuis,* quasi dicere vellet, non rectè agi cum natura humana, quæ propter vitæ breuitatem artes sibi proprias

Universidad de Deusto
Biblioteca

effecqui non potest. Scriptura etiam diuina non tacet, vitam hominum esse breuissimam: *Homo natus de muliere* (inquit Iob cap. 14.) *brevi viuens tempore, repletur multis miseriis: qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra.* Isaias verò Propheta cap. 40. & Apostolus Petrus in epist. 1. cap. 1. hominem fœno comparare non dubitarut, quod ad primum Solis radium siccatur & cadit.

Accedit postremò timor continuus imminentis mortis. Nam tametsi vita humana amara est valdè: tamen adhuc amarior esse videtur interitus: *Siccine separat, aiebat ille, amara mors.* Et Apostolus 2. Cor. 5. *Ingemiscimus*, inquit, *grauati eo quod nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur, quod mortale est a vita.* Et ad Hebr. 2. dicit, Christum per mortem suam destruxisse eũ, qui habebat mortis imperium, id est, diabolũ, vt liberaret eos, qui timore mortis, per totam vitam obnoxij erant seruituti. Animus certe immortalis, & qui naturalis forma corporis est, sine dubio corpus immortale desiderat. Proinde mors inimica naturæ, & omnium terribilium extremum rectè nominata est.

CAPVT XIII.

De miserys naturæ humanæ, quæ extrinsecus accedunt.

EXPLICVIMVS breuiter eas miserias, quæ in homine ex ipso homine oriuntur: nunc de illis dicendum est, quæ extrinsecus accedunt.

PRIMA & summa est, quod homines post peccatum primi parentis, Deum iratum & inimicũ habent: *Nos imus enim omnes* (vt Apostolus ait ad Ephes. 2.) *filij iræ.* Si autem Deus contra nos est, quis pro nobis esse audebit? & quid mirum, si armatur orbis terræ, cõtra hominem, cùm inimicus homini sit, qui fecit cœlum & terram?

SECVNDA est, quod traditi sumus in potestate principis tenebrarum, qui quidem multorum etiam paruulorum, corpora inuadit, eosq; miserabiliter vexat, & cruciat. Omnium autem mentes sollicitat ad peccatum, & mille nocendi artes habens, die noctuque tamquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret: Contra milleformes, (inquit Augustinus lib. 22. de Ciuit. Dei, ca. 22.) dæmonum incursus quis innocentiã sua fidit? quandoquidem ne quis fideret, etiam paruulos baptizatos, quibus certè nihil est innocentius, aliquando sic vexãt, vt in eis maximè, Deo sinente, ista mõstretur huius vitæ flenda calamitas.

TERTIA est, quod homo homini hostis crudelissimus & immanissimus, omni loco & tempore insidiatur. Quis enim explicet, quanta patiantur homines ab hostibus, a pyratis, à latronibus? nonne ab eis & depredatio, & captiuitas, & vincula, & carcer, & exiliũ, & cruciatus, & amputatio membrorum, & priuatio sensuum, & oppressio corporis ad obscœnam libidinem opprimẽtis explendam, & alia multa horrenda sæpè contingunt?

QVARTA est inobedientia animantium rationis expertium: *præposuit* enim initio *Deus hominem bestijs terræ, volatilibus cœli, & pisibus maris*, vt Scriptura loquitur Genes. 1. & certè si primus homo ab imperio Dei non recessisset, omnia animãtia hominis imperio facilè paruissent. Nunc verò retinet quidem homo principatum in bestias, eisque iure suo ad sua commoda vti potest: sed liberam exequutionem propter peccatum amisit. Detrectant enim imperium, sæpè etiã in ipsum Dominum suum insurgunt, neque nisi magna industria, & labore subiiciũtur: quemadmodum Principes regunt aliquando populos rebelles, & Domini mancipia fugitiua.

Significauit hoc Deus Genes. 9. illis verbis ad Noë: *Terror vester ac tremor sit super omnia animantia terræ, & super omnes volucres cœli, & cuncta quæ mouentur in terra.* Quo loco verba illa, terror ac tremor, indicant, in statu innocentiæ fuisse pacificum imperium, post peccatum autem futurũ violentum atque terribile. Obseruat autem S. Augustinus loco citato, non solùm multa homines pati ab agrestium bestiarum & ferarum, vel tantummodo molestis, vel etiam mortiferis morsibus: verum etiam interdum à mansuetis, & domesticis animalibus: propter rabiem enim, quæ contingit ex rabido cane, fit vt blanda & amica suo Domino bestia nonnumquam vehementius & amarius, quàm leones draconésque metuatur.

Quinta est calamitas, quæ à cœlo, terra, mari, non raro accidere solet. Nam vix dici potest, quanta ea detrimenta sint, quæ contingunt hominum generi, vt eiusdem Augustini verbis vtar, ab æstibus, & frigoribus, tempestatibus, imbribus, alluuionibus, corruscatione, tonitru, grandine, fulmine, motibus hiatibusque terrarum, oppressionibus ruinarum: eruptionibus ignium, à torvenenis fruticum, aquarum, aurarum. Quæ mala patiuntur nauigantes, quæ terrena itinera gradientes? quæ hortorum agrorumque cultores? quot & quanti à cœlo, & terra, vel pernicios is animalibus casus timentur agrorum fructibus? solent tamen de frumentis tandem collectis & recõditis esse securi. Sed quibusdam, quod nouimus prouentum optimum frumentorum, fluuius improuisus, de horreis eiecit atque abstulit.

Sexta est, quæ nulla ratione prouidere potest ærumna casuum fortuitorum, quæ sicut in statu innocentiæ locum nullum habuisset, ita post peccatũ vndique occurrit: *Quis ambulat*, inquit AVGVSTINVS, *vbicumque non inopinatis subiacens casibus? de foro quidam redeuns domum, sanis pedibus suis cecidit, pedem fregit, & ex illo vulnere finitus hanc vitam. Quid videtur sedente securius? de sella, in qua sedebat, cecidit. Heli sacerdos, & mortuus est.* Hæc Augustinus. Quibus addi possent multa similia quæ leguntur apud Valerium libr. 9. cap. 12. & Plinium lib. 7. cap. 7. & 53.

CAPVT XIV.

Ostenditur contra Pelagianos concupiscentiam esse malam.

DE miseria humanæ vitæ, quam his quinque capitibus exposuimus, controuersia cum Pelagianis duplex est, Altera an sint verè mala illa omnia, quæ nos inter miserias numerauimus. Altera an sint in homine ex merito peccati, an ex conditione naturæ. Pelagiani enim qui peccatum originale negabant, aliqua ex iis, quæ nos inter calamitates & vitia numerauimus, præcipuè verò concupiscentiam carnis, inter naturæ bona numerabãt. Alia, mala quidem, sed naturalia esse dicebant.

Aduersus hunc errorem pugnat acerrimè sanctus AVGVSTINVS in lib. de peccato originali, à cap. 34. vsque ad 39. in libris duobus de nuptiis & concupiscentia, in 1. libro contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 15. & tribus sequentibus lib. 3. contra Iulianum, cap 7. & sequentibus, & totis libris quarto & quinto contra eumdem Iulianum. Nos Augustinum sequentes demõstrabimus PRIMVM concupiscẽtiam, qualis in nobis est, verè esse malam, & vitium naturæ, non bonum naturæ nominandam. Deinde tum ipsam concupiscentiam, tum cætera mala supra explicata, ex peccato nata esse, non ex conditione naturæ.

Igitur concupiscentiam esse malam, PRIMO docet Apostolus ad Rom. 7. cùm ait: *Mihi adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio.* Vbi per malum adiacens nihil aliud intelligi potest, nisi concupiscentia carnis, nam illud idem malum in eodem capite, idem Apostolus vocat legem

legem membrorum, & legem peccati repugnantem legi mentis. At si concupiscentia esset bonum naturæ, quomodo ab Apostolo malum nominaretur?

SECVNDO, idem Apostolus in priore ad Corinth. cap. 7. *Qui non se continent nubãt, melius est enim nubere, quam vri.* Et rursus admonens coniugatos vt propter orationẽ ad tempus & ex consensu contineant, & rursus propter tẽtationis periculum reuertãtur in id ipsum: *Hoc*, inquit, *dico secundũ indulgentiam, non secundũ imperium.* Vbi S. Apostolus satis apertè declarat coniugium datum à Deo in remedium concupiscentiæ, & indulgẽtiæ opus esse, cum opus coniugij exercetur non amore prolis, sed ad satisfaciendum concupiscentiæ, siue, vt Ambrosius loquitur, non amore posteritatis, sed ardore libidinis: at certè remedio & indulgentia non egent res bonæ, sed malæ.

TERTIO, idem Apostolus 1. Cor. 9. castigat corpus suum & in seruitutem redigit, & 2. Cor. 12. ter Dominũ rogat vt auferatur à se stimulus carnis. At quod tantus Apostolus ita vehementer oppugnat, & precibus apud Deum, & asperitate vitæ in se, sine dubio malum est, & eo carere bonum?

QVINTO, idem Apostolus ad Galat. 5. dicit carnem concupiscere aduersus spiritum, spiritum autem aduersus carnem. At concupiscentiam spiritus bonam esse, testantur opera eius, quæ ibidem enumerantur, charitas, gaudium, pax, &c. igitur malam esse necesse est concupiscentiam carnis, quæ concupiscentiæ spiritus aduersatur. Vt interim omittam, quod cùm eius fructus, qui in eodem loco notantur, mali sint, non potest ipsa non esse mala, iuxta doctrinam Domini Matth. 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere.*

QVINTO, Apostolus Ioannes in epist. 1. cap. 2. concupiscẽtiam dicit non esse ex patre, sed ex mundo. Quomodo autem bonum est, quod non est à Deo à quo est omne bonum?

SEXTO, concupiscentia carnis eget fræno, alioqui fertur immoderate in omnia flagitia: at frænum non ipsa sibi adhibet, sed à ratione illi imponitur, igitur ipsa ex se immoderata, ac per hoc mala & vitiosa est.

SEPTIMO, propter istam concupiscentiam omnis concubitus, etiam legitimus cum vxore, vitat aspectum, & nisi in latebris, vel in tenebris nunquam peragitur. At propter bona nemo erubescit, nemo tenebras quærit. Igitur concupiscentia sine dubitatione est mala: vide Augustinum lib. 14. de Ciuit. Dei. cap. 17. & sequentibus.

OCTAVO, malum est, vt inferiora superioribus reluctentur. Id enim cõtra æquitatem & rectam rationem est. At propter concupiscentiam pars animæ inferior superiori, id est, rationi repugnat. Quis igitur ambigat, an ea mala sit appellanda?

NONO, accedant testimonia Patrum, quos Augustinus citat libro 1. in Iulianum, Cypriani, Ambrosij, Hilarij, Hieronymi, Chrysostomi, qui malam esse concupiscentiam vno ore confirmant.

DECIMO, accedant testimonia Ethnicorum. Nam Augustinus lib. 14. de Ciuitate Dei, cap. 19. & lib. 4. in Iulianum. cap. 12. Tullium adducit in 3. lib. de republica dicentem, iracundiam & libidinem vitiosas esse animi partes. Clemens quoque Alexandrinus in tertio Stromatum Platonem citat, in primo de Republica dicentẽ, corporis voluptatem sapientiæ repugnare & esse dominam sæuissimam, à qua felicissimum sit posse liberari, similia ex Archita Tarentino, & Sophocle recitat M. Tullius in dialog. de senectute, & inter alia scribit, nullam capitalioré pestem quàm voluptatem corporis hominibus à natura datam.

* * *

CAPVT XV.

Non solum concupiscentiam, sed omnes miserias humanæ naturæ pœnas esse peccati.

NVNC ordine, sed breuissimè demonstrabimus, omnes suprà numeratas humanæ vitæ calamitates, ex merito esse peccati, non ex conditione naturæ. De qua re diximus etiam aliqua in 1. lib. de gratia primi hominis. Possunt autem humanæ calamitates omnes ad decem præcipuas reuocari.

PRIMA est, ignorantia in mente. Hanc ortam esse ex peccato, testatur Dauid in Psal. 48. *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis.* Adamum quoque ante peccatum nouisse naturas rerum, quas nunc ignoramus, satis apertè colligitur ex cap. 2. Gen. vbi nomina imposuit omnibus animantibus, vt natura vniuscuiusque exigere videbatur; denique in paradiso nullus fuisset error, nulla deceptio, nulla ignorantia earum rerum, quæ pro loco & tempore sciẽda fuissent: Nam ista omnia sunt mala & pœnæ peccati, vt S. Augustinus docet in Enchir. cap. 24. & 25. & in lib. 3. de libero arbitrio, cap. 18. nullum autem malum in paradiso fuisset si Adam non peccasset, vt idem auctor docet in lib. 14. de Ciuit. Dei, cap. 10.

SECVNDA, malitia in voluntate: hanc non fuisse in primis parentibus ante peccatum, & ex peccato natã esse testatur Ecclesiastes cap. 7. vbi dicit: *Hoc tantùm: quod fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus.*

TERTIA, concupiscentia in parte inferiore: hanc pœnam esse peccati docet Apostolus Rom. 7. cùm eam sæpissimè vocat peccatũ, quia videlicet ex peccato nata sit. Docet etiam verecundia primorum parentum, qui post peccatum erubuerũt nuditatem suam, eamq; frondibus, quæ primæ in promptu fuerunt, tegere festinarũt, Genes. 3. Docet postremò etiam ratio, nam (vt S. Augustinus ratiocinatur in 1. libro contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 17.) aut in paradiso fuisset libido & quotiescunque illa exurgeret, toties ei per concubitum satisfieret: aut fuisset quidem, sed per temperantiam frænaretur: aut denique non fuisset, & nulla existente libidine, vt cætera membra, quæq; ad opera sua, sic ad opus proprium etiam genitalia iussis volentium sine vlla difficultate seruissent. Sed duo priora respuenda sunt, quibus libidini aut seruitur, aut repugnatur. Nã illud primũ tam præclara status illius honestas, hoc autem secũdum, tam magna felicitas non vult: restat igitur vt tertium solùm sit verum, & libido, quæ in primis parentibus ante peccatum non fuit, ex peccato sit nata, & ad nos per peccatum in quo concipimur, propagata descendat.

QVARTA calamitas, labor & dolor in corpore. Hãc ex peccato manasse Deus ipse testatur, cùm ait Gen. 3. *In sudore vultus tui vescêris pane tuo.* Vnde sunt illa Eccles. cap. 40. *Iugum graue super filios Adam, à die exitus de ventre matris ipsorum, vsq; in diem sepulturæ, in matrem omnium.*

QVINTA, est mors ipsa de qua B. Paulus ad Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors.* Et cap. 6. *Stipendia peccati mors.*

SEXTA, ira Dei, hanc autem esse pœnam peccati nulla ratione dubitari potest, nisi de ipsius Dei iustitia dubitetur. Nam *vultus Domini*, vt legimus in Psal. 33. non est, nisi *super facientes mala*, vt *perdat de terra memoriam eorum.* Et ad Rom. 1. scribit Apostolus: *Reuelari iram Dei de cœlo super omnem impietatem & iniustitiam.* Itaque non nasceremur filij iræ, quales nos nasci scribit Apostolus ad Ephes. 2. nisi in iniquitatibus conciperemur, & in peccatis parerent nos matres nostræ, vt legimus in Psal. 50.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SEPTIMA, captiuitas sub diabolo, hanc pœnam esse peccati docet B. Petrus in epist. 2. cap. 2. cùm ait: *A quo quis superatus est, huius & seruus est.* Deinde, vt rectè notat S. Augustinus in epist. 28. ad Hieronymum, non daret Deus homines diabolo tamquam natura inferiorem naturæ excellétiori, quomodo, tradidit homini bestias terræ. Nam etsi mortalis est homo, tamen est etiam rationalis, & Dei capax, & ideò non Angelorum seruus, sed conseruus est, & Deo non per Angelos, sed per se famulatũ præstat. Quare quod diabolus princeps huius mundi nominetur in Scripturis, & homines captiuos teneat ad suam ipsius voluntatem, & nos Christi ope indigeamus, vt de potestate Sathanæ liberemur, nõ potest aliundè, quàm ex peccato factum esse.

OCTAVA, crudelitas hominum in alios homines. Hanc verò ex peccato manare Iacobus Apostolus docet cùm in epist. sua cap. 4. dicit: *Vnde bella & lites in vobis? nõne ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris?* Concupiscentiam autem pœnam esse peccati, paulò antè monstrauimus. Itaque peccatum concupiscentiã procreauit, concupiscentia verò lites & bella: Neque hęc solùm, sed etiam seditiones, rixas, homicidia, veneficia, impudicitiam, & illa omnia mala, quæ opera carnis vocat Apostolus ad Galat. 5.

NONA, inimicitia & rebellio bestiarum. Non fuisse futurum hoc malum in statu innocentiæ, colligitur ex 3. cap. Genes. vbi serpens familiariter cum Heua colloquitur, & neque ipsa serpentem horret, neque serpens ipsam aut fugit aut ferit. Idem intelligi potest ex cap. 2. vbi Dei nutu animãtia omnia venerũt ad hominẽ, vt ab eo tamquam à proprio Rege ac domino nomen acciperent, & subiectionem ac fidelitatem eidem quodammodo testarentur. Accedit etiam, quod multi sancti viri, vt magnus Antonius, sanctus Martinus, S. Franciscus, & alij quamplurimi, etiam in hac vita, miram animantium etiam ferocissimarum obedientiam habuerunt. Quod certè non aliunde fiebat, nisi quia in eis gratia Dei sanauerat magna ex parte naturam, & sicut inobedientia primi hominis erga Deum effecerat, vt bestię imperium hominis detrectarẽt: sic etiam perfecta obedientia Sanctorum erga Deum faciebat, vt animantia bruta antiquum imperium recognoscerent.

DECIMA calamitas, sunt illa omnia mala quæ à cœlo, terra, mari, vel ante præuisa, vel omninò inopinata homines patiuntur. Hęc enim omnia ad peccati supplicium pertinere, docet liber Sapientiæ cap. 5. vbi dicit, armari creaturam ad vltionem inimicorum Dei, & pugnare cum eo orbem terrarum contra insensatos, neq; dubitari potest, quin ad has etiam calamitates Ecclesiasticus respexerit, cùm iugum graue impositum esse dixit super filios Adæ. Atque hactenus ex Scripturis demonstratum est, humanæ vitæ miserias, pœnas siue fructus esse peccati originalis.

Possumus rem eamdem ratione quoque & auctoritate humana probare. Nam tametsi calamitates humani generis ferè omnes potuerint esse naturales, quod accidisset, si Deus hominem sine originali iustitia in puris naturalibus condere voluisset: ex quo sequitur, vt remota reuelatione diuina, non possit certò statui corruptionem humanam pœnam esse peccati: tamen hac reuelatione iam habita & fide in animis nostris accẽsa diuinitus, non mediocriter ratio naturalis fidé ipsam corroborat. Omnino enim verisimile est, non fuisse Deum optimum & nostri generis amantissimum cõditurum, hominem tam miserum, quàm nunc est, nisi peccati nostri magnitudo tale supplicium meruisset.

Quare plerique veterum Ethnicorum humanæ vitæ miserias ita deflent, vt vel de natura, tamquam de nouerca querantur, vel per has miserias, puniri peccata animarum in alia vita commissa suspicentur. De quibus rectè pronunciauit S. Augustinus lib. 4. in Iulianum, ca. 12. eos rem vidisse, caussam ignorasse, vide hæc Ethnicorum testimonia apud Theodoretum lib. 5. de curandis Græcorum affectionibus, non procul ab initio, & Augustinum lib. 4. in Iulianum. cap. 12. 13. 14. 15.

CAPVT XVI.

De effectu peccati originalis, quid sentiant nostri temporis hæretici.

QVÆ sunt huscusque à nobis disputata de malis consequentibus originale peccatum, Sectariis nostri temporis, ni fallor, dissplicere non possunt. Remanet autem controuersia inter nos, quod ipsi tres alios effectus peccati originalis esse volunt, quos Catholici non agnoscunt. Vnus est amissio liberi arbitrij, nos enim læsum, ipsi extinctum liberum arbitrium, per Adæ peccatum esse volunt. Alter est, tanta naturę corruptio, vt non possit homo, etiam iustificatus, non semper peccare. Nos enim libenter admittimus, non posse homines solis viribus naturæ corruptæ quidquam boni præstare, quod ad pietatem & vitam æternam pertineat: tamen viribus naturæ per gratiam reparatæ ac sanatæ, & ipso Deo semper cooperante & adiuuante, credimus hominem posse legẽ implere, benè viuere, vitam æternam mereri. Cæterùm his controuersiis duabus in sequentibus disputationibus non deerit proprius locus.

TERTIVS igitur effectus est odisse Deum, fugere iudicium Dei, dubitare de promissionibus Dei, desperare de remissione peccatorũ & sempiterna salute. Hæc enim & similia nunc ipsum originale peccatum, nunc eius fructus esse volunt. Vide Confessionem Augustanam & Apologiam art. 2.

CÆTERVM non esse eiusmodi motus peccati originalis effectus, nisi fortè remotos ac mediatos, vt sunt omnia peccata, Duabus rationibus demonstrari potest. Primum, quoniam non existunt in homine tales motus, nisi mediante imperio voluntatis. Proinde, propria caussa eiusmodi peccatorum, vt etiam actualium cęterorum, est voluntas humana, vt cum Catholicis fatentur etiam aduersarij in ipsa Confessione Augustana art. 19. & Philippus in locis, tit. de caussa peccati. Deinde, quoniam isti motus inueniuntur in multis, in quibus non est originale peccatum, vt in dæmonibus: & in multis non inueniuntur, in quibus est originale peccatum, vt in infantibus. Fatemur tamen propensionem ad hæc peccata, & carẽtiam habituum, seu virtutum fidei, spei, & caritatis, quibus primus homo in paradiso ornatus fuerat, ad peccatũ originis, vel eius effectus sine dubio pertinere.

LAVS DEO VIRGINIQVE
MATRI MARIAE.

Finis secundæ Controuersiæ generalis.

TERTIA

TERTIA CONTROVERSIA GENERALIS.

DE REPARATIONE GRATIAE PER IESVM CHRISTVM DOMINVM NOSTRVM.

QVAE TRES PRINCIPALES CONTINET, QVARVM PRIMA EST, DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO. in sex libros diuisa. SECVNDA, de Iustificatione, & bonis operibus generatim, quinque libris explicata. TERTIA, de bonis operibus in specie, tres libros complectens.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM TERTIAE CONTROVERSIAE GENERALIS, QVAE IN TRES PRINCIPALES DIVIDITVR.

CONTROVERSIA PRIMA PRINCIPALIS DE Gratia & libero arbitrio, quæ sex libris explicatur.

Præfatio de libero arbitrio.

LIBER PRIMVS.

De Gratia, & libero arbitrio.

CAP. I. *De variis acceptionibus Gratiæ.*
II. *De partitionibus Gratiæ.*
III. *Gratiam gratum facientem esse qualitatem, per modum habitus in homine permanentem.*
IV. *Probatur veritas capite superiore explicata.*
V. *Soluuntur obiectiones.*
VI. *Gratiam gratum facientem re non distingui ab habitu caritatis.*
VII. *Soluuntur obiectiones.*
VIII. *Caritatem esse virtutem creatam, non ipsum Spiritum sanctum.*
IX. *Soluuntur obiectiones.*
X. *Soluuntur dubitationes quædam circa petitionem gratiæ, in gratis datam, & gratum facientem.*
XI. *Concedendam esse partitionem auxilij specialis, in sufficiens, & efficax.*
XII. *In qua re sita sit Gratiæ efficacia.*
XIII. *Soluuntur obiectiones quædam aduersus ea, quæ dicta sunt de Gratia efficaci.*
XIV. *Quæ sit propria Gratia operans.*

LIBER SECVNDVS.

De Gratia & libero arbitrio.

CAP. I. *Proponitur quæstio, an auxilium sufficiens omnibus detur.*
II. *Auxilium Gratiæ non expectare, sed præuenire voluntates nostras, neque æqualiter omnibus adesse.*
III. *Soluuntur argumenta Pelagianorum & Pelagianis fauentium, contra duas propositiones capitis superioris.*
IV. *Non posse Deum iniustitiæ accusari, si nõ daret omnibus auxilium sufficiens ad salutẽ, neq; de illo desperandũ esse.*
V. *Auxilium sufficiens ad salutem pro loco & tempore omnibus dari.*
VI. *Auxilium Dei necessarium ad conuersionem, non adest peccatoribus omnibus momentis, sed certis temporibus, prout iudicat Deus munera sua esse distribuenda.*
VII. *Auxilium ad nouum peccatum euitandum semper omnibus adest.*
VIII. *Soluuntur argumenta contra doctrinam capitis quinti & septimi.*
IX. *Proponitur octaua propositio, & explicatur definitio prædestinationis.*
X. *Prædestinationis nullam esse causam in nobis, probatur ex diuinis literis.*
XI. *Idem probatur ex traditione Ecclesiæ.*
XII. *Idem probatur rationibus ex Scriptura & traditione desumptis.*
XIII. *Soluuntur argumenta contra propositionem octauam.*
XIV. *Soluuntur argumenta ex Patribus.*
XV. *Soluuntur argumenta ex rationib. & simul ostenditur non solũ ad gratiã efficacẽ, sed etiã ad gloriã gratis homines eligi.*
XVI. *Causam reprobationis impiorum, partim ad solam Dei voluntatem, partim ad peccata prauisa referendam esse.*
XVII. *Quid interfit inter hominum & Angelorum electionem siue reprobationem.*

LIBER TERTIVS.

De Gratia & libero arbitrio.

CAP. I. *Præmittuntur aliqua ante ipsam tractationem, id est, argumentum totius operis, summa præcipuarum difficultatum & qui scripserint de libero arbitrio.*

II. *De*

II. *De nomine liberi arbitrij.*
III. *De liberi arbitrij definitione.*
IV. *Quænam libertas sit necessaria ad liberum arbitrium.*
V. *Probatur sententia communis quæ ad liberum arbitrium exigit libertatem à necessitate.*
VI. *Soluuntur argumenta contraria.*
VII. *An liberum arbitrium sit potentia, proponuntur uariæ Theologorum sententiæ.*
VIII. *Probatur liberum arbitrium esse potentiam, videlicet ipsam voluntatem, eámque sic esse liberam, vt tamen determinetur à iudicio vltimo practicæ rationis.*
IX. *Soluuntur argumenta contra conclusiones capitis superioris.*
X. *Liberum arbitrium non esse potentiam tantum passiuam, nec partim passiuam, partim actiuam, sed simpliciter & absolute actiuam.*
XI. *Soluuntur argumenta contra doctrinam capitis superioris.*
XII. *Per liberum arbitrium non expeti mala sed bona.*
XIII. *Liberum arbitrium esse tum præsentium, tum futurorum.*
XIV. *Liberum arbitrium non esse finis, sed mediorum ad finem.*
XV. *Subiectum liberi arbitrij non posse esse nisi naturam intelligentem.*
XVI. *Probatur Deum esse liberi arbitrij.*
XVII. *Soluuntur argumenta contraria.*
XVIII. *De fine liberi arbitrij, id est, quare Deus creauerit Angelos & Homines libero arbitrio præditos.*

LIBER QVARTVS.

De gratia & libero arbitrio.

CAP. I. *Exponitur ordo futuræ disputationis.*
II. *Posse cognosci viribus naturæ Deum esse, & esse vnum, & alia id genus.*
III. *Soluuntur obiectiones.*
IV. *Requiri & sufficere auxilium generale ad actiones naturales ac ciuiles efficiendas.*
V. *Proponitur quæstio principalis, an homo liberum arbitrium habeat in operibus naturalibus & ciuilibus, & notantur Lutheri & Melanchthonis contradictiones.*
VI. *Non posse ab insigni temeritate defendi modum loquendi aduersariorum, qui nomen liberi arbitrij in serui arbitrij mutauerunt.*
VII. *Secundum fidem Catholicam hominem esse liberi arbitrij in rebus ciuilibus, probatur ex diuinis literis.*
VIII. *Probatur idem ex traditione veterum Patrum.*
IX. *Adferuntur testimonia ipsorum Patrum.*
X. *Euidens esse lumine rationis naturalis hominem liberi esse arbitrij in actionibus ciuilibus, & externis.*
XI. *Respondetur ad argumenta, quæ sumunt aduersarij, ex diuinis literis.*
XII. *Respondetur ad obiectiones ex testimoniis S. Augustini.*
XIII. *Respondetur ad obiectionem ex repugnantia præscientiæ & libertatis.*
XIV. *Refelluntur tres opiniones de concordia cooperationis diuinæ cum libero arbitrio.*
XV. *Explicatur vna ratio concordiæ diuinæ cooperationis cum libero arbitrio.*
XVI. *Explicatur altera ratio concordiæ libertatis cum cooperatione Dei, & soluitur obiectio capite duodecimo proposita.*

LIBER QVINTVS.

De Gratia & libero arbitrio.

CAP. I. *Proponitur quæstio de cognitione veri moralis.*
II. *Probatur posse hominem suis viribus cognoscere aliquod verum morale.*
III. *Soluuntur argumenta contra doctrinam capitis superioris.*
IV. *Proponitur quæstio, de viribus humanæ voluntatis circa bonum morale.*
V. *Non posse solis naturæ viribus adimpleri omnia præcepta moralia secundum substantiam operis.*
VI. *Soluuntur argumenta contra ea, quæ capite superiore dicta sunt.*
VII. *Non posse solis naturæ viribus vllam veram tentationem superari.*
VIII. *Soluuntur argumenta contra propositionem capitis septimi.*
IX. *Posse hominem sine fide cum auxilio speciali, & etiam sine illo, bonum aliquod morale perficere, si nulla tentatio vrgeat.*
X. *Soluuntur argumenta contra propositionem capitis superioris.*
XI. *Soluuntur argumenta ex Patribus.*
XII. *Soluuntur argumenta ex ratione.*
XIII. *Proponitur controuersia de libero arbitrio in moralibus, & Tilmanni ineptiæ ac mendacia referuntur.*
XIV. *Probatur libertas arbitrij in moralibus, argumento ducente ad impossibile.*
XV. *Adfertur & defenditur secundum argumentum pro libero arbitrio in rebus moralibus.*
XVI. *Proponitur & defenditur tertium argumentum pro libero arbitrio in moralibus.*
XVII. *Proponitur & defenditur argumentum quartum pro libero arbitrio in moralibus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

XVIII. Prima classis Scripturarum pro libero arbitrio in moralibus.
XIX. Secunda classis Scripturarum pro libero arbitrio in moralibus.
XX. Tertia classis Scripturarum pro libero arbitrio in moralibus.
XXI. Quarta classis Scripturarum pro libero arbitrio in moralibus.
XXII. Quinta classis, &c.
XXIII. Sexta classis, &c.
XXIV. Præfatio ad testimonia Patrum pro libero arbitrio in moralibus.
XXV. Testimonia Græcorum Patrum adferuntur pro libero arbitrio in moralibus.
XXVI. Testimonia Patrum Latinorum pro libero arbitrio in moralibus.
XXVII. Adferuntur testimonia ex libris Augustini quos ille scripsit ante exortam hæresim Pelagianam.
XXVIII. Adferuntur testimonia Augustini pro libero arbitrio scripta post exortam hæresim.
XXIX. Soluuntur argumenta aduersariorum ex verbo Dei petita.
XXX. Soluuntur argumenta ex testimoniis S. Augustini.

LIBER SEXTVS.

De Gratia & libero arbitrio.

CAP. I. Proponitur quæstio, an possint credi mysteria fidei sine auxilio speciali.
II. Non posse hominem sine speciali illustratione Dei credere mysteria fidei.
III. Soluuntur obiectiones contra doctrinam capitis superioris.
IV. Non posse voluntatem humanam aliquid velle in iis, quæ ad pietatem & salutem pertinent, sine auxilio gratiæ Dei.
V. Non posse hominem solis naturæ viribus ad gratiam recipiendam vllo modo se preparare.
VI. Soluuntur argumenta contra doctrinam duorum precedentium capitum.
VII. Non posse sine auxilio gratiæ diligi Deum.
VIII. Soluuntur argumenta contraria.
IX. Proponitur sententia hæreticorum de libertate arbitrij, in iis quæ pertinent ad salutem.
X. Probatur ex diuinis literis liberum arbitrium in actionibus piis & salutaribus.
XI. Probatur libertas arbitrij in operibus pietatis, ex traditione Patrum.
XII. Probatur rationibus libertas arbitrij in operibus pietatis.
XIII. Diluuntur obiectiones aduersariorum deprompta ex diuinis literis.
XIV. Diluuntur obiectiones ex testimonijs S. Augustini.
XV. Compendium disputationis de cooperatione gratiæ & liberi arbitrij aliquot sententijs comprehensum.

TERTIAE CONTROVERSIAE GENERALIS
Secunda Controuersia principalis, quæ est de Iustificatione, in quinque libros diuisa.

Ordo Disputationis.

LIBER PRIMVS.

De Iustificatione, qui est de fide iustificante.

CAP. I. De nomine Iustificationis & Iustitiæ.
II. Explicantur causse Iustificationis.
III. Aperitur status quæstionis de fide iustificante, & indicantur auctores qui de Iustificatione scripserunt.
IV. Quid sit fides iustificans ex sententia tum hæreticorum, tum etiam Catholicorum.
V. Refellitur ex cap. 11. ad Hebr. hæreticorum error de notione fidei iustificantis.
VI. Fidem iustificantem non esse fiduciam probatur ex diuinis literis.
VII. Fidem iustificantem non tam esse notitiam quàm assensum, probatur ex Scripturis.
VIII. Fides iustificantis obiectum non esse specialem misericordiam, sed omnia quæ Deus reuelauit, probatur ex diuinis literis.
IX. Probatur ex traditione Ecclesiastica fidem iustificantem non esse fiduciam misericordiæ, sed assensum ad omnia quæ in verbo Dei continentur.
X. Probatur idem rationibus.
XI. Refelluntur obiectiones aduersariorum.
XII. Proponitur secunda quæstio an fides sola iustificet.
XIII. Fidem iustificare sed non solam, idem enim facere timorem Dei, & dilectionem.
XIV. Fidem solam non iustificare, probatur ex alio principio.
XV. Fidem veram posse re ipsa à dilectione aliisq; virtutibus separari, quæstio tertia.
XVI. Fidem non solam iustificare, probatur ex remotione causarum, quæ possunt reddi cur fides sola iustificet.

XVII. Fidem non solam iustificare, probatur ex modo iustificandi ipsius fidei, vbi etiam tractatur quæstio quarta de valore & precio fidei.
XVIII. Fidem non solam iustificare, probatur ex causa formali iustificationis & necessitate operum bonorum.
XIX. Soluitur argumentum primum ex Scripturis depromptum pro sola fide.
XX. Soluitur alterum argumentum ex Scripturis petitum pro sola fide.
XXI. Soluitur argumentum tertium ex Scripturis desumptum pro sola fide.
XXII. Soluitur argumentum quartum ex Scripturis depromptum pro sola fide.
XXIII. Soluitur quintum argumentum ex Scripturis pro sola fide.
XXIV. Soluitur argumentum sextum ex Scripturis pro sola fide.
XXV. Soluitur argumentum ex traditione veterum Patrum pro sola fide.

LIBER SECVNDVS.

De Iustificatione, qui est de iustitia inhærente.

CAP. I. De variis erroribus circa formalem causam Iustificationis.
II. Proponitur sententia Ecclesiæ, & aperitur status quæstionis.
III. Inhærentem esse iustitiam nostram formalem, probatur ex Scripturis.
IV. Fidem non esse integram formalem causam Iustificationis.
V. Formalem causam Iustificationis non esse iustitiam Dei essentialem ac diuinam.
VI. Iustificationem nostram non constare sola remissione peccatorum.
VII. Iustificationem non consistere in imputatione iustitiæ Christi.
VIII. Traditio veterum Patrum, ac potissimum Augustini de iustitia inhærente.
IX. Soluuntur argumenta aduersariorum ex epistola ad Romanos.
X. Soluuntur argumenta ex epistolis ad Corinthios.
XI. Soluuntur argumenta ex epistola ad Ephesios.
XII. Soluuntur argumenta ex Actis Apostolorum & ex parabola Publicani.
XIII. Soluuntur argumenta ex Patribus.
XIV. Soluitur argumentum petitum ex ratione.
XV. Iustitiam, qua formaliter iustificamur, habitualem esse non actualem.
XVI. Soluuntur obiectiones contra doctrinam capitis superioris.

LIBER TERTIVS.

De Iustificatione, qui est de incertitudine mutabilitate & inæqualitate iustitiæ.

CAP. I. De variis erroribus recentium hæreticorum circa Iustificationem.
II. Proponitur status quæstionis de incertitudine Iustitiæ.
III. Recensentur variæ sententiæ de proposita quæstione.
IV. Probatur testimoniis Salomonis incertitudo propriæ Gratiæ atque Iustitiæ.
V. Idem probatur testimonio & exemplo Iob, Dauidis & Pauli.
VI. Idem probatur ex variis locis Prophetarum & Apostolorum.
VII. Idem probatur testimoniis sanctorum Patrum.
VIII. Idem probatur rationibus variis.
IX. Soluuntur argumenta aduersariorum ex testimoniis Scripturarum deprompta.
X. Soluuntur argumenta ex Patribus.
XI. Soluuntur argumenta ex ratione.
XII. Refellitur error de certitudine Prædestinationis.
XIII. Soluuntur obiectiones.
XIV. Fidem ac iustitiam non esse propriam electorum, & semel habitam amitti posse.
XV. Soluuntur obiectiones.
XVI. Non esse omnes iustos inter se pares.

LIBER QVARTVS.

De Iustificatione, qui est de iustitia operum.

CAP. I. Quod hæretici huius temporis negent operum necessitatem.
II. Refutatur falsum discrimen Legis & Euangelij, & inde probatur operum necessitas.
III. Asseritur verum discrimen Legis & Euangelij, & inde necessitas operum comprobatur.
IV. Ostenditur alterum discrimen Legis & Euangelij.
V. Refellitur falsa libertas Christiana, & inde probatur necessitas operum.
VI. Asseritur vera libertas Christiana, & inde quoque probatur necessitas operum bonorum.
VII. Probatur ex Scripturis necessitas operum ad salutem.
VIII. Probatur operum necessitas ex traditione Ecclesiastica.
IX. Probatur operum necessitas ad salutem ex ratione.
X. Proponitur quæstio de veritate iustitiæ operum, & sententiæ referuntur Hæreticorum & Catholicorum.
XI. Legem Dei esse possibilem, probatur ex diuinis literis.
XII. Legem Dei non esse impossibilem, probatur ex Patribus.
XIII. Legem Dei non esse impossibilem probatur rationibus.
XIV. Soluuntur obiectiones hæreticorum.
XV Iustorum opera non esse peccata, sed iustitiam, probatur ex diuinis literis.
XVI. Opera bona non esse peccata, sed verè bona, probatur ex Patribus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

XVII. *Opera bona iustorum non esse peccata, sed verè bona, probatur rationibus.*
XVIII. *Opera bona non solum esse verè iusta, sed etiam iustificare, probatur ex cap. 2. Iacobi.*
XIX. *Opera iustificare, probatur ex aliis Scripturis & rationibus.*
XX. *Soluuntur obiectiones ex Scriptura contra veritatem iustitiæ actualis.*
XXI. *Soluuntur obiectiones ex Patribus contra veritatem iustitiæ actualis.*

LIBER QVINTVS.

De Iustificatione, qui est de meritis operum.

CAP. I. *Proponitur quæstio, sint ne opera bona iustorum meritoria salutis æternæ.*
II. *Probatur ex Scripturis, opera iustorum rectè vocari merita.*
III. *Opera iustorum meritoria esse vitæ æternæ, probatur ex diuinis literis.*
IV. *Idem probatur ex traditione Patrum.*
V. *Soluuntur obiectiones ex Scripturis contra merita operum bonorum.*
VI. *Soluuntur obiectiones ex Patribus.*
VII. *Quatenus fiducia in meritis collocari possit exponitur.*
VIII. *Licitum esse operari bona opera intuitu mercedis æternæ.*
IX. *Soluuntur obiectiones.*
X. *Ad meritum constituendum requiri liberum voluntatis arbitrium.*
XI. *Soluuntur obiectiones.*
XII. *Ad meritum requiri statum gratiæ & adoptionis filiorum.*
XIII. *Soluuntur obiectiones.*
XIV. *Requiri ad meritum vitæ æternæ promissionem Dei gratuitam.*
XV. *Bonum opus non esse meritorium vitæ æternæ, nisi ex caritate procedat.*
XVI. *Opera iustorum ex caritate facta, meritoria esse vitæ æternæ ex condigno.*
XVII. *Opera bona iustorum meritoria esse ex condigno, non solum ratione pacti sed etiam ratione operum.*
XVIII. *Soluuntur obiectiones contra doctrinam capitis superioris.*
XIX. *Deum remunerare opera bona supra condignum.*
XX. *Vitam æternam, etiam quoad primum eius gradum, reddi meritis operum bonorum.*
XXI. *Non gratiam iustificationis, sed eius incrementum cadere sub meritum de condigno.*
XXII. *Reparationem post lapsum, & perseuerantiam vsque in finem, non cadere sub meritum de condigno, sed solum de congruo.*

TERTIAE CONTROVERSIAE GENERALIS

Controuersia tertia, & vltima principalis, de bonis operibus in particulari, tribus libris comprehensa.

Ordo disputationis.

LIBER PRIMVS.

De bonis operibus, qui est de oratione.

CAP. I. *Definitio orationis breuiter explicatur.*
II. *De partitione orationis.*
III. *De necessitate & vtilitate orationis.*
IV. *De excellentia orationis Dominicæ.*
V. *De numero & ordine petitionum orationis Dominicæ.*
VI. *Exponitur oratio Dominica.*
VII. *Solius creaturæ rationalis proprium esse orare.*
VIII. *Non solum generatim, sed etiam in specie pro certis hominibus orari posse.*
IX. *De conditionibus quæ requiruntur ad impetrandum.*
X. *De nomine & definitione officij diuini siue horarum canonicarum.*
XI. *De partibus officij diuini, & de canonico tempore singularum partium.*
XII. *Referuntur Hæretici, qui horas canonicas reprehendunt.*
XIII. *Demonstratur antiqua & rationabilis institutio horarum canonicarum.*
XIV. *De antiquitate singularum partium officij Ecclesiastici.*
XV. *Antiphona Salue Regina ab hæreticorum calumniis asseritur.*
XVI. *Defenditur Cantus, qui in officio diuino adhiberi solet.*
XVII. *Soluuntur obiectiones aduersariorum.*
XVIII. *De iis, quæ requiruntur ad officium rite persoluendum.*
XIX. *De iis, qui ex officio tenentur ad horas canonicas persoluendas.*

LIBER SECVNDVS.

De Ieiunio.

CAP. I. *De nomine & varia acceptione Ieiunij.*
II. *Vnicam in Ieiunio refectionem, eámque cœnam esse debere non prandium.*
III. *De ciborum delectu, referuntur sententiæ hæreticorum.*
IV. *Refellitur impudens calumnia hereticorum circa ciborum delectum.*

V. *Ad rationem ieiunij abstinentiam à certis cibis, ac potissimum à carnibus, pertinere.*
VI. *Ieiunium in genere lege diuina esse præceptum.*
VII. *Lege Ecclesiastica obligari fideles in conscientia ad certa quædam ieiunia & ciborum delectum.*
VIII. *Soluuntur argumenta ex Scripturis contra præceptum ieiunij & delectum ciborum.*
IX. *Soluitur obiectio ex historia antiquitatis.*
X. *Quinam excipiantur lege ieiunij.*
XI. *De fructibus & vilitate ieiunij.*
XII. *Soluuntur obiectiones.*
XIII. *Soluuntur obiectiones ex Patribus.*
XIV. *De origine & institutione ieiunij Quadragesimalis.*
XV. *De Quadragesimæ varietate.*
XVI. *De ratione instituendæ Quadragesimæ.*
XVII. *De Ieiunio Feriæ quartæ & Feriæ sextæ.*
XVIII. *De Ieiunio Sabbathi.*
XIX. *De Ieiunio Quatuor temporum.*
XX. *De Ieiunio Aduentus.*
XXI. *De Ieiunio Rogationum.*
XXII. *De Ieiuniis Vigiliarum & Stationibus.*
XXIII. *De diebus quibus ieiunari non debet.*
XXIV. *De fraudibus & corruptelis Kemnitij in historia antiquitatis.*

LIBER TERTIVS.

De Eleemosyna.

CAP. I. *Quid sit Eleemosyna.*
II. *De partitione Eleemosynæ.*
III. *Eleemosynas non sufficere ad salutem, sine Fide, Spe, dilectione pœnitentia aliisq; ad salutem præsidiis.*
IV. *Eleemosynas esse opera meritoria & satisfactoria, ac multos præterea fructus habere.*
V. *Vnde sumatur Eleemosynæ magnitudo.*
VI. *Esse præceptum aliquod de Eleemosyna faciendâ, idq; ad quartum præceptum Decalogi reuocari.*
VII. *Diuino præcepto diuites obligari ad ea pauperibus eroganda, quæ sibi superuacanea sunt.*
VIII. *Non solum superflua sed etiam necessaria interdum erogare, vel præceptum, vel consilium est.*
IX. *Quando ex male partis Eleemosyna fieri possit.*
X. *Diuitias non esse Christianis illicitas.*
XI. *Soluuntur obiectiones.*
XII. *Quis Eleemosynam facere, & cui Eleemosyna fieri debeat.*
XIII. *Quomodo sit Eleemosyna facienda.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE LIBERO ARBITRIO.

PRAEFATIO IN GYMNASIO ROMANO ante studiorum instaurationem habita.

PARVM OMNINO, AVDITORES, DEMENTIÆ, AC FVRORI HÆRETICORUM huius temporis videbatur, si Christo solum, atque omnibus Sanctis totique Catholicæ Ecclesiæ bellum indicerent, nisi etiam in ipsam naturam generis humani, atque adeo in sua ipsorum capita, atque viscera, infestas manus gladiosque conuerterent.

Eripuerunt Christo innumerabiles virgines sacras, quas cœlesti thalamo iam addixerat, sibique ipse solenni ceremonia, ritúque desponderat. Detraxerunt beatis Angelis, & Hominibus cœlum cum Christo tenentibus præconia, signa, basilicas, dies festos, mortalium vota, preces, imprecationes, omnia denique & illis debita, & nobis salutaria monumenta virtutum. Abstulerunt Ecclesiæ bonam Sacramentorum partem, non paucos libros sacros, diuinum, ac saluberrimum sacrificium, Apostolicas traditiones, atque Ecclesiasticas ceremonias vniuersas. Ad extremum Pontifices, auctoritate: Principes, imperio: populos, disciplina: pastores, gregibus: greges, pastoribus: veneratione, reliquias: reliquiis, aras: aris, templa: templis, religionem: religione terrarum orbem prædones importunissimi spoliauerunt.

Nec tamen his tot, ac tantis sacrilegiis perpetratis hæreticorum furor, ac rabies conquieuit, donec etiam vt se, ac suos, totámque naturam generis humani violarent, arbitrij libertatem nobis omnibus suis sententiis detraxerunt, séque ipsi non beluarum similes, sed beluas plane rationis expertes profiteri non dubitarunt. Quod ego, quando præfandi vsus in hoc nostro gymnasio veteri more iam est receptus, quam breuissime potero demonstrabo.

Quamquam, si verè ac sapienter iudicare volumus, non libertatem arbitrij tot libris, ac disputationibus hæretici vel in se, vel in nobis extinguunt, sed animum male sanum produnt suum, & ex hoc vno stultissimo dogmate insigne adferunt vniuerso doctrinæ suæ corpori detrimentum.

Quis igitur istis fidem habere possit, dum de Deo, de Iustitia, de Sacramentis, déque aliis rebus grauissimis, atque abstrusissimis disputant: cùm eos videat de suorum animorum libertate, quam sentire, & experiri coguntur, tam peruersè iudicare? Quis non eos amentes, & furiosos, & simul ingratos diuino numini esse censeat, qui tam excellens, & præclarum Dei donum, quod nec ob magnitudinem contemni, nec ob vsum frequentissimum latere potest, cùm per singula penè momenta in aciem oculorum, & mentis incurrat, tamen obstinatissimè reluere, refutare, abiicere, execrari pergunt?

An verò non est eximium Dei munus libertas arbitrij, quod NISSENVS GREGORIVS, optimum quiddam, & omnium quæ sunt in homine præstantissimum esse definit: quo solo & à brutis animantibus separamur, & proximè ad Angelorum naturam accedimus, & ipsius diuini numinis imaginem gerimus, & rebus omnibus, quæ sunt infra lunam, tamquam Dij quidam terrestres præsumus.

Deinde si tollas arbitrij libertatem, nonne vides vnà repente concidere omnia penè hominum bona, quæ illa videlicet sede, illo fundamento nitebantur? & vbi quæso erit iustitiæ splendor? vbi temperantiæ decus? vbi virtutum cæterarum chorus? vbi laus benefactorum? vbi præmium meritorum? quid? quod nec sempiternæ felicitatis capax esse, si B. Augustino, & B. Bernardo credimus, nisi arbitrij libertas potest? Neque gratia (inquit AVGVSTINVS libro Hypognostici 3.) sine libero arbitrio facit, hominem habere beatam vitam, nec liberum arbitrium sine gratia. Et B. BERNARDVS: Tolle, inquit, liberum arbitrium, non erit quod saluetur: tolle gratiam, non erit vnde saluetur. Quantum igitur Dei donum illud existimandum est, sine quo nec boni, nec beati, ac ne homines quidem vmquam esse potuissemus?

Quod si de populari libertate, qua regius dominatus excluditur, quæ melius vmbra quædam, & imago libertatis, quàm libertas dici potest, quæque diutius nisi summo labore non conseruatur, & raro salutaris, sæpius noxia esse solet, tamen M. Tullius dixisse verè putatur, tantum in ea libertate inesse boni, vt non solum ab hominibus, verum etiam

verum etiam à bestiis expetatur, ac non immeritò rebus omnibus anteponatur: quid nos tandem de naturali illa, & germana libertate dicere par est, quæ animis nostris à Deo conditore insita, & impressa, nihil esse videtur aliud (vt S. ait BERNARDVS serm. 81. in Cantica) nisi diuinum quiddam præfulgens in animo, tanquam gemma in auro, quod & summum naturæ nostræ splendorem, atque ornamentum adfert, & nullis criminibus aboleri, nullis calamitatibus minui, nulla externa vi labefactari, destruiuè potest?

Sed forte nimis abdita, atque abstrusa res est libertas arbitrij, nec nisi à paucis, isq; acutissimis, & doctissimis perspici potest. Nolo verbis meis respondere, S. AVGVSTINVM, quem vnum ex omni vetustate sobrium in hac causa fuisse Caluinus dicit, si placet audiamus. Is in eo libro, quem de duabus animabus contra Manichæos scripsit, de libero arbitrio in hæc verba loquitur: Neque hic, inquit, libri obscuri mihi scrutandi erant, vnde discerem, neminem vituperatione, supplicioue dignum, qui id non faciat quod facere non potest, nonne ista cantãt & in montibus pastores, & in theatris poëtæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magistri in scholis, & antistites in sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum? Et in libro de vera religione. Atque adeo, inquit, hoc est manifestum, vt nulla doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Quid potuit clarius de huius quæstionis claritate dici?

Quis igitur eorum siue stuporem, siue furorem non admiretur, qui magistri orbis terrarum haberi volunt, & vel id ignorant, quod & pastores in montibus, & in theatris poëtæ, & indocti in circulis decantant? vel falsum esse contendunt, quod & docti in bibliothecis, & magistri in scholis, & Pontifices in templis, & ipsum genus humanum in orbe terrarum clarissima voce, summáque animi consensione verissimum esse testatur? Quid? quod communem hunc sensum, & consensum orbis terræ, ac præcipuè veterum Patrum, maiorum nostrorum non ignorant huius temporis hæretici: & tamen sine vllo pudore, inusitato genere superbiæ incredibilique audacia paucitatem suam, multitudini generis humani: imperitiam suam, sapientiæ omnium Patrum: nouorum dogmatum vanitatem, auctoritati grauissimæ vetustatis totius, ac seculorum omnium anteponunt. Ac ne aliquid me fingere, vel augere pluspuam oporteat arbitremini, eorum ipsorum, quorum de stultitia verba facimus, testimonia proferamus. Ordiamur si ita videtur, ab historicis, quorum præcipua laus est veritas.

Matthias Illyricus in illa sua centuriata historia, centur. 2. cap. 4. col. 59. cum Iustini, Irenæi, atque aliquot aliorum Patrum vetustissimorum sententias de libero arbitrio retulisset, hæc verba subiecit: Eodem modo Clemens Alexandrinus liberum arbitrium vbique asserit, vt appareat in eiusmodi tenebris (sic enim liberi arbitrij confessionem vocat) non tantum fuisse omnes eius seculi doctores, verùm etiam in posterioribus eas subinde creuisse.

Non est autem hoc loco prætereundum, eos doctores, de quibus in eo libro Illyricus agit, illos esse, qui vel Apostolos ipsos loquentes audierunt, vel certè Apostolis proximè successerunt. Quod si doctores illi, omnes ad vnum (vt aduersarij confitentur) liberum arbitrium vbique asseruerunt, neque fieri potest, vt reliquus cœtus fidelium aliud senserit in dogmatibus fidei, quàm quod à doctoribus suis didicerat, certè omnis illa prima Ecclesia, quæ Christi sanguinem adhuc propè calentem excepit, quæque ardore fidei ad confessionem promptissima, & fortissimorum martyrum coronis, & triumphis celeberrima fuit, illæ, inquam, fidelium primitiæ, omnes omnino (Illyrici testimonio) eam de libero arbitrio fidem tuebantur, quam ipse Illyricus cum Lutheranis cæteris oppugnat.

Neque solum prima illa ætas, verum etiam posteriores omnes (eiusdem Illyrici testimonio) doctrinam eandem incredibili consensu tenuerunt. Id enim illa verba significant: Vt appareat in eiusmodi tenebris non tantum fuisse omnes eius seculi doctores, verum etiam in posterioribus eas subinde creuisse. Possem & alia, si per tempus liceret ex eadem historia testimonia decerpere: sed ad cæteros auctores festinat oratio.

Philippus Melanchthon in eo libro, quem de locis communibus primum edidit: In hoc, inquit, loco, cum prorsus Christiana doctrina à philosophia, & humana ratione dissentiat, tamen sensim irrepsit philosophia in Christianismum, quia receptum est impium de libero arbitrio dogma, & obscurata Christi beneficentia per prophanam illam, & animalem rationis nostræ sapientiam: vsurpata est vox liberi arbitrij, à diuinis literis, à sensu & iudicio spiritus alienissima, qua videmus sanctos viros non raro offensos esse. Additum est è Platonis Philosophia vocabulum Rationis, æquè perniciosum. Nam perinde atque his posterioribus Ecclesiæ temporibus Aristotelem pro Christo sumus amplexi, ita statim post Ecclesiæ auspicia per Platonicam philosophiam Christiana doctrina labefactata est: ita factum est, vt præter canonicas Scripturas nullæ sint in Ecclesiæ sinceræ literæ. Redolet philosophiam quicquid omnino commentariis proditum est. Hæc ille, qui quidem, nescio an apertius poterat indicare, se bellum cum omnibus Ecclesiæ Patribus & Doctoribus, gerendũ suscepisse, & aliam omnino fidei doctrinam à se tradi, aliam esse eam, quam vniuersa Christi Ecclesia iam inde ab Apostolicis temporibus didicerit semper & docuerit. Nec enim alia de causa nullas esse dicit in Ecclesia sinceras literas, & philosophiam redolere omnes veterum commentarios, nisi quia negare non poterat, omnibus omnium Patrum libris, commentariis, historiis, concionibus, liberum arbitrium liberrimè atque apertissimè prædicari.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iam verò Philippum sequutus Iohannes Brentius in Apologia pro Confessione sua VVirtembergensi, Pater, *inquit*, è cœlis clamauit, non de Hieronymo, non de Augustino, non de Bernardo, non de Concilio Arausicano, sed de filio suo Domino nostro Iesu Christo, hunc audite. *Quasi vero de sanctis Ecclesiæ pastoribus & doctoribus, quales in primis Hieronymus, Augustinus, Bernardus, omnésque Arausicani Concilij Patres fuerunt, Christus ipse non dixerit, Qui vos audit me audit.*

Sed ad cætera progrediamur, & omisso aliis, quos nimis longum esset singulos recensere: Ioannis Caluini testimonio, ac sententia contenti simus. Is lib. 2. Institut. cap. 2. §. 4. posteaquam philosophos omnes incredibili consensione liberum arbitrium asseruisse professus esset, ita subiunxit: Tametsi Græci præ alijs, atque inter eos singulariter Chrysostomus in extollenda humanæ voluntatis facultate modum excesserunt: veteres tamen omnes, excepto Augustino, sic in hac re aut variant, aut vacillant, aut perplexè loquuntur, vt certi ferè nihil ex eorum scriptis referre liceat, qui postea sequuti sunt, dum pro se quisque in humanæ naturæ defensione argutiæ laudem captat, sensim alij post alios in deterius continuò delapsi sunt. *Hæc ille. Ex cuius verbis nemo veritum (opinor) non facile colligit, propterea scriptores omnes (Augustino excepto) tam veteres, quàm recentes Caluino minus placere, quod sententiæ ipsius de seruo arbitrio nimis liberè aduersentur. Alioqui quid sibi vult querimonia illa, quæ paulo post in eodem libro sequitur?* Nimis, *inquit*, philosophicè hac de re loquuti sunt, qui se Christi iactabant esse discipulos. Nam quasi adhuc integer staret homo, semper apud Latinos liberi arbitrij nomen extitit. Græcos verò non puduit multò arrogantius vsurpare vocabulum. Siquidem αὐτεξουσίαν dixerunt, ac si potestas sui ipsius apud homines fuisset.

Ac ne solum de nomine liberi arbitrij, sed etiam de re ipsa loqui eum existimetis, audite quid cap. 3. §. 11. dicat: Ac voluntatem, *inquit*, Deus, mouet, non qualiter multis seculis traditum est, & creditum, vt nostræ postea sit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari: sed illam efficaciter efficiendo. Illud ergo toties à Chrysostomo repetitum repudiari necesse est, quem trahit, volentem trahit. *Itaque non modo Caluini testimonio liberi arbitrij nomen in Ecclesia semper fuit, sed etiam dogma, & doctrina Chrysostomi ætate extabat, ac deinceps multis seculis tradita, credita, propagata, confirmata est.*

Sed à partibus suis Augustinum Caluinus habet, eiúsque viri longe doctissimi patrocinio fretus, cæteros omnes meritò despicit. Omitto primum quod etiamsi B. Augustinus Caluino faueret, tamen neminem tam iniquum iudicem esse oporteret, qui vnum quamuis doctissimum, omnium seculorum Patribus & Doctoribus, totíque Ecclesiæ, atque adeo orbis terræ consensui anteferret. Taceo deinde quod B. Augustinus in libro de gratia & libero arbitrio, cap. 2. Clarissimis verbis Caluinum hæreticum pronunciat, cum ait: Est igitur liberum arbitrium, quod quisquis esse negauerit, Catholicus non est. *Id quod sexcentis aliis in locis repetit, vt suo loco palam faciemus. Nihil etiam dico, quod in eodem libr. Caluinus parum ingenuè, ne dicam impudenter, ab illo ipso Augustino recedit, quem sibi solum ex omni vetustate patronum reliquerat. Sic enim ait cap. 3. §. 7.* Sed erunt fortè qui concedent voluntatem à bono suopte ingenio auersam, solo Domini virtute conuerti, sic tamen vt præparata suas deinde in agendo partes habeat. Quemadmodum docet Augustinus, omne bonum opus gratiam præcedere, & id comitante, non ducente: pedissequa, non præuia voluntate. *Et paulò infrà, hanc ipsam Beati Augustini sententiam refellens:* Sed quia, *inquit*, reformata opus est Domini, hoc perperam homini tribuitur, quod gratiæ præuenienti pedissequa voluntate obsequatur. *Quid clarius? & vbi nunc est illud, excepto Augustino? vbi tua Caluine iactatio?*

Sed his prætermissis, illud vnum dicam, quod silere nullo modo possum, adeo parum vero, ac simplici testimonio B. Augustini confisum esse Caluinum, vt ausus non fuerit locum vnum, eúmque diu quæsitum, & ex omnibus selectum proferre, nisi multis fucatum coloribus, mendacíisque bene fussultum, ac diligentissime fraudibus obuolutum. Sic enim loquitur ad finem eiusdem cap. 3. Audiamus, *inquit*, nunc Augustinum suis verbis loquentem, ne ætatis nostræ Pelagiani, hoc est, Sorbonici sophistæ, totam vetustatem nobis aduersam pro suo more criminentur. Libro de correptione & gratia ad Valentinum fusius exequitur, quod breuiter, eius tamen verbis referam, gratiam persistendi in bono, Adæ fuisse datam, si vellet: nobis dari vt velimus, ac voluntate concupiscentiam superemus. Habuisse ergo illum posse si vellet, sed non velle vt posset: nobis & velle dari, & posse. Primam fuisse libertatem, posse non peccare: nostram multò maiorem non posse peccare. Ac ne de futura post immortalitatem perfectione loqui putetur (sicuti perperam Lombardus eo trahit) scrupulum hunc paulò post eximit. Tantum quippe, inquit, Spiritu sancto accenditur voluntas sanctorum, vt ideo possint, quia sic volunt: ideo velint, quia Deus operatur vt sic velint. *Hæc ille.*

Numerate mendacia. Primum, illa verba: Primam libertatem fuisse, posse non peccare, nostram esse multò maiorem non posse peccare: *nusquam in toto Augustino, ne dum in eo libro, inueniuntur. At, si non verba, certe sententia inuenitur. Cur ergo dixisti:* Audiamus nunc Augustinum suis verbis loquentem? *cur addidisti*, quod ille fusius, ego breuiter, eius tamen verbis referam? *cur B. Augustini verba pollicitus, tua postmodum nobis obtrudis?*

Quid?

Quid? si nec sententiam inueniri demonstrauero nonne S. Augustinus in libro suo de hæresibus, Iouiniano hæresiarchæ tribuit hanc sententiam, homines iustos etiam in hac vita non posse peccare? nonne in libro de spiritu, & litera extremo atque aliis in locis passim docet, neminem esse tam iustum, qui non aliquando peccet? Quis igitur credat Augustino verba illa excidere potuisse, quæ Iouiniani sententiam continent, quæque omnibus ferè libris eiusdem Augustini maximè repugnant? Atque hoc est mendacium primum.

Alterum deinde in illis verbis continetur, vbi Lombardum reprehendit, quod S. Augustini verba de secunda libertate perperam traxerit ad eam perfectionem, quæ post hanc vitam erit. Ad quod mendacium refellendum ipsa per se B. Augustini verba sufficiunt. Hæc enim sunt vera Augustini verba: Prima libertas erat, posse non peccare: nouissima erit multò maior, non posse peccare. Prima immortalitas erat, posse non mori: nouissima erit multò maior, non posse mori. Prima erat perseuerantiæ potestas, bonum posse non deserere: nouissima erit felicitas perseuerantiæ bonum non posse deserere. Nunquid, quia erunt bona nouissima potiora, atque meliora, ideo fuerunt illa prima, vel parua, vel nulla? *Vbi non ait Augustinus (vt vult Caluinus) nostra libertas est non posse peccare: sed nouissima libertas erit non posse peccare. Quò quæso pertinet illud,* nouissima? *quò illud*, erit? *nisi ad tempus futurum? & si (vt Augustinus dixit) illorum erit non posse peccare, quorum erit non posse mori: quis nisi insanus dicat, nostrum esse non posse peccare, qui non modo possumus mori, sed etiam non possumus non mori? denique si bonum non posse deserere, perseuerantiæ mercedem, atque ipsam felicitatem futuram Augustinus dicit, qua fronte, quo ore Caluinus illud ipsum ad huius vitæ breuissimæ, atque infelicissimæ statum trahere conatur?*

Iam verò cùm negat Caluinus vetustatem sibi aduersari, quod, idem & in libro aduersus Pighium, & in præfatione Institutionis, & alibi passim repetit, non solùm prodigè mentitur, sed etiam egregiè secum pugnat. Nam si veteris Ecclesiæ ea sententia fuit, quæ nunc Caluini est, ex necessitate omnia fieri, nullam esse libertatem, nullam contingentiam, quo pacto semper in Ecclesia liberi arbitrij nomen extitit? qui fieri potuit, vt veteres omnes (ne Augustino quidem excepto) nimis philosophicè loquuti sint, atque in defensione humanæ mentis virium, modum excesserint?

Dicturi sunt fortasse, sententiam suam, sententiam Christi, & Apostolorum esse, quorum literæ omnium Patrum commentariis quemadmodum auctoritate, sic etiam antiquitate præstant. At ego libenter ab eis vicissim quærerem, vtrum tamdem Christum, & Apostolos arbitrentur doctrinam suam prædicatione, & miraculis propagasse, an vero inutiliter, & sine vllo fructu rem egisse. Non erunt, opinor, tam ingrati, vt Christum, & Apostolos, atque ipsum etiam Spiritum sanctum, qui per ipsorum linguas loquebatur tanto tempore, tot concionibus, tot signis & prodigiis nihil egisse dicant.

Quod si doctrinam suam Christus, & Apostoli, vt res est, plurimis hominibus persuaserunt, & longè, latéque ad fines vsque orbis terræ propagarunt: eáque doctrina ita philosophorum placitis aduersatur, vt liberum arbitrium (vt Caluinus dicit) tamquam impium quoddam figmentum penitus tollat, ac destruat: cur obsecro semper in Ecclesia, vt idem ait Caluinus, liberi arbitrij nomen extitit? cur nomen serui arbitrij ante Lutheri tempora numquam est auditum? cur illi omnes Patres & Doctores, qui Apostolis proximè successerunt, quemadmodum ex Centuriis Illyrici iam didicimus, liberum arbitrium, & non seruum potius docuerunt? cur statim post Ecclesiæ auspicia (vt Philippus loquitur) libertas arbitrij iuxta sententiam Philosophorum prædicari cæpta est? quo cemento quæso, quo glutino poterunt sententiæ istæ ita coniungi, vt aliquo modo inter se cohæreant? Christus & Apostoli populis, gentibus, nationibus, orbi terrarum vniuerso nullum esse in homine liberum arbitrium persuaserunt: & tamen nemo vmquam id credidit, semper in Ecclesia liberi arbitrij nomen extitit: veteres omnes in defensione liberi arbitrij modum excesserunt: philosophiam redolet quidquid omnino commentariis proditum est.

Quamobrem nemini dubium esse iam debet, quin huius temporis hæretici, dum contra liberum arbitrium tam audacter disputant, eam doctrinam in Ecclesiam inuehant, quam ipsimet intelligunt, & confitentur omnibus veteribus Patribus, toti antiquæ Ecclesiæ, orbi terrarum vniuerso omnium gentium sensui, & consensui repugnare.

Quod quidem eiusmodi est, vt ego dum in eorum libris verba ipsorum paulò attentius lego, ita vehementer admirer, vt vix oculis meis credam. Quis enim non obstupescat? quis credat existere potuisse homines tam proiectæ audaciæ, tam incredibilis superbiæ, tam insolentis arrogantiæ, vt se Doctoribus omnium gentium, & omnium seculorum Græcis, Latinis, sacris, profanis, veteribus, recentioribus anteponant? & qui post mille, & quingentos annos dicant, nullæ sunt in Ecclesia sinceræ literæ: omnes Patres errauerunt: nos soli sapimus: nos soli videmus: cæteri hallucinantur, & delirant vniuersi?

Quæ cum ita sint, nulla sane fides, eiusmodi monstris tam absurdè delirantibus debetur: præsertim si illud addamus, doctrinam de seruo arbitrio primum locum inter aduersariorum dogmata obtinere. Sic enim loquitur Lutherus in assertione art. 36. qui est de arbitrij libertate: In cæteris, *inquit*, articulis de Papatu, Conciliis, Indulgentiis, aliísque non necessariis nugis: ferenda est leuitas, & stultitia Papæ, & suorum: sed in hoc articulo, qui omnium optimus, & rerum nostrarum summa est, dolendum, ac flendum est, miseros sic insanire. *Hoc*

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum rerum addendum superarat ad cumulum furoris, vt non solùm ipsi furerent, sed etiam eos omnes, qui non pariter furunt, insanire arbitrarentur.

Sed profectò si in eo articulo, qui ipsorum iudicio omnium optimus, & rerum Lutheranarum summa est, adeò manifestè vehementérque delirant, vt nullam omninò fidem, nisi fortè ab iis, qui pariter insaniant mereantur, multò certè minus in rebus cæteris vlla eis fides ab hominibus sanis, & sobriis haberi deberet.

Quia tamen iustissimo Dei iudicio, peccata hominum castigante, ac puniente, non defuerunt, nec desunt permulti, à quibus noua ista hæreticorum dogmata, licet absurda & incredibilia sint, auidissimè tamen excipiantur, & approbentur: nostræ partes erunt, totum hunc locum diligentissimè pertractare, & tam in statuenda, & confirmanda veritate, quàm in euertendis ac refutandis erroribus contrariis operam, laborem vigilantiam quantam maximam poterimus collocare: quod effecturum me omnino confido, si Dei primùm benignitate, ac fauore, deinde etiam vestra alacritate, & studiis adiuuabor.

CONTRO-

CONTROVERSIA TERTIA GENERALIS.

DE REPARATIONE GRATIAE.

Ordo Disputationis.

DE GRATIAE REPARATIONE, QVAE EST POTISSIMA TOTIVS huius operis pars, tria disputanda se offerunt: PRIMVM *enim de Gratia & libero arbitrio differendum erit. Hæc enim sunt fundamenta totius ædificij reparandi.* Tolle *(inquit S.* BERNARDVS *in libro de Gratia & libero arbitrio)* liberum arbitrium, non est quod saluetur, tolle gratiam, non est vnde saluetur. DEINDE *de ipsa reparatione Gratiæ, id est, de iustificatione impij disputandum erit.* POSTREMO *addendum de consequentibus iustificationem, id est, de fructibus & bonis operibus iustificatorum.*

Porrò de Gratia & libero arbitrio sex erunt libri. PRIMVS, *de Gratiæ acceptionibus & partitionibus.* SECVNDVS, *de Gratiæ communicatione & prædestinatione.* TERTIVS, *de natura liberi arbitrij.* QVARTVS *de viribus arbitrij, & Gratiæ necessitate in naturalibus.* QVINTVS, *de iisdem in moralibus.* SEXTVS, *de iisdem in supernaturalibus.*

CONTROVERSIA PRIMA PRINCIPALIS.

DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO.

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

De variis acceptionibus Gratiæ.

DE gratia, & libero arbitrio, Deo iuuante, A scripturus, ab ipsa gratia meritò incipiendum esse video.

Igitur gratia inde nomen accepit, quod gratis detur: *Gratia*, inquit S. Augustinus tractat in Psal 43. *merito sic nomen habet, quia gratis datur.* Opponitur autem debito, dicente Apostolo, ad Rom. 4. *Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Et ad Rom. 11. *Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia.*

Porrò Tres sunt in sacris literis huius vocabuli notiones, accipitur Primum amplissima significatione pro quouis beneficio Dei, siue illud naturale sit, siue naturæ ordinem gradúmque transcendat: qua significatione accipitur gratia in illis verbis Sapient. cap. 16. *Propter hoc & tuine in omnia transfigurata omnium nutrici gratia tua deseruiebant.* Quo loco gratiam vocat Scriptura illam Dei benignitatem, & prouidentiam, quæ tamquam nutrix omnia quæ ab ipso creata sunt, conseruat & fouet: sic etiam S. Augustinus in Psal. 144. in illud: *Et iustitia tua exultabunt. Attendamus*, inquit, *gratiam Dei non solùm qua fecit nos, verùm etiam qua refecit.* Et in epistola nonagesima quinta: *Quidam*, inquit, *non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus, & de hoc tanto beneficio gratias agere debemus. Vnde merito & ista gratia dici debet, quia non præcedentium aliquorum operum nostrorum, sed gratuita Dei bonitate donata est.* B

Cæterùm hæc acceptio gratiæ non multùm ad rem nostram facit, neque solent Theologi, cùm de gratia Dei disputationem aduersus hæreticos Pelagianos instituũt, gratiæ nomine dona naturalia significare Pelagiani enim gratiam, hoc primo modo accepram, nõ negabant, quin etiam hinc hæreses suas quasi quodam pallio regere conabantur cùm dicerent, sine Dei gratia nihil nos agere posse: gratiæ autem nomine liberum arbitrium, atque alia id genus naturalia dona intelligi volebant, vt S. Augustinus testis est in libro de gratia Christi, cap. 3. & seq.

Accipitur Secundo gratia Dei pro solis illis beneficiis diuinis, quæ naturæ superaddita, neque ad rei naturam constituendam, aut cõseruandam sunt necessaria, neque ex ipsa fluunt, aut ipsi quoquo modo debentur. Intelligimus autem hoc loco gratiam Dei vocari supernaturalia beneficia generali quadam significatione, vt etiam illa cõprehendantur, quæ non ex merito Christi, sed ex sola Dei liberalitate, neque in indignos, & peccatores, sed in non dignos, & non iustos conferuntur, quæque non tam indebita, quàm non debita nominanda sunt. Eiusmodi fuisse iustitiam originalem, & gratiam gratum facientem primo nostro parenti in creatione collatam, paulò pòst demonstrabimus. De qua gratia, vt etiam de gratia Angelorum, quæ ad hoc idem genus pertinet, disputat sanctus Augustinus, cùm alibi, tùm in libro de correptione & gratia, capite decimo, & vndecimo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Huc etiam referri potest gratia, quam in Christi humanitate fuisse Scripturæ testãtur,Psalmo quadragesimo quarto: *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Lucæ secundo: *Gratia Dei erat in illo.* Ioannis 1. *Plenum gratiæ & veritatis.* De qua etiam sic loquitur sanctus Augustinus libro primo de prædestinatione Sanctorum, capite decimo quinto: *Ea gratia sit ab initio fidei suæ bono quicunque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus: de ipso Spiritu & hic renatus, de quo est ille natus: eodem Spiritu sit in nobis remissio peccatorum, quo Spiritu factum est, vt nullum haberet ille peccatum* Hæc Augustinus.

Accipitur Tertio gratia Dei maximè propriè pro solis illis Dei beneficiis, quæ non modò supernaturalia & non debita sunt, sed etiã indignis hominibus ex CHRISTI merito conferuntur, ad Romanos tertio: *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in* CHRISTO IESV. Vbi non satis esse credidit Apostolus, si dixeret: *Iustificati gratis*, sed addidit: *Per gratiam ipsius.* Et: *Per redemptionem quæ est in* CHRISTO, nimirum, vt significaret, iustificationem post lapsum Adæ, non solùm gratis dari, sed etiam indignis,& peccatoribus dari, qui nisi per secundum Adamum redimerentur, iræ filij, & serui Sathanæ æterno tempore permanerent.

Idem quoque beatus Apostolus, cùm dixisset ad Romanos sexto: *Stipendia peccati mors*, non adiunxit stipendium iustitiæ vita æterna, quod antithesis requirere videbatur,&quod sine dubio adiunxisset,si de homine ante lapsum loqueretur, vt sanctus Augustinus disputat in Enchiridio,capite centesimo sexto. & centesimo septimo,sed adiunxit: *Gratia Dei vita æterna.* Tametsi enim, vt loco citato scribit Augustinus,vita æterna certa sit merces operum,eam tamen gratiam appellare maluit sanctus Apostolus,vt intelligeremus,ipsa etiam nostra merita esse Dei munera,neque id solùm,quod sine Dei gratia nulla esse possint liberi arbitrij bona merita, sed quia post illam Adæ ruinam noua quadam & singulari Dei gratia liberandum fuit liberum arbitrium, à captiuitate ac seruitute peccati.

CAPVT II.

De partitionibus gratiæ.

IAM verò gratiæ Secundo & Tertio modo acceptæ,de qua in sequentibus disputationibus multa,Deo iuuante,scripturi sumus,multæ partitiones sunt:Prima partitio est in gratiam æternam ac temporariam. Gratia Æterna ille est amor, quo nos Deus ante mundi constitutionem ab ipsa æternitate dilexit,in cuius gratiæ laudem & gloriam nos à Deo prædestinatos esse atque electos in adoptionem filiorum testatur Apostolus ad Ephesios primo: *Prædestinauit*, inquit, *nos in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Gratia Temporaria dicuntur beneficia vocationis,&iustificationis,quę ex æterna gratia,vt effectus ex caussa, deriuantur. Nam *quos prædestinauit,hos & vocauit,quos vocauit, hos & iustificauit*:ad Roman.8.

Altera partitio est gratiæ temporariæ in gratiam gratis datam, & gratiam gratum facientem. Quæ partitio non sic accipienda est, quasi aliqua sit gratia non gratis data,sed vni speciei,quod proprio nomine careat, relinquitur nomen generis. Gratia gratis data est donum supernaturale, absque vllo debito,ad aliorum spiritualem salutem præcipuè collatum, prima ad Corinthios duodecimo: *Diuisiones gratiarum sunt,&c.* Gratia gratum faciés est donũ supernaturale absque vllo debito, ad propriam vniuscuiusque spiritualem salutem potissimum datum, 2.ad Corinthios 12.*Sufficit tibi gratia mea.*

Supernaturale donum vtraque gratia dicitur, quia non consequitur naturam, sed supra naturam conceditur diuinitus: idque absque vllo debito, quia neque debetur naturæ,neque cadit sub meritũ personę.Quamuis autem ex gratia gratis data interdum beneficia corporalia consequantur, vt bona valetudo ægrotantis: tamen quia finis vltimus omnis gratiæ gratis datæ,est sanitas animæ sempiterna,ideo ad spiritualem salutem eas referri diximus.

Denique addidimus in definitione gratiæ gratis datæ, ad aliorum præcipuè salutem,hoc genus gratiæ pertinere, quia licet commune sit gratiæ gratis datæ cum gratia gratum faciente vt tam propriæ, quàm alienæ saluti conducant:tamen illud interest,quod gratia gratum faciens datur potissimùm ad propriam vniuscuiusque salutem,secundariò ad aliorum,nimirum,vt nos ipsi primum iusti perfectique efficiamur,deinde cæteri videant opera nostra bona,& glorificent Patrem nostrum qui in cœlis est.

Contra verò gratia gratis data, alienam salutem spectat præcipuè,eorum videlicet, qui prædicatione & miraculis vel ad fidem, vel ad pœnitentiam pertrahuntur: propriam autem secundariò,quia dum per ea dona solerter in proximorum salutem incumbimus, Deum nobis conciliamus, atque ab eo audire meremur: Euge serue bone, & fidelis,&c. Sicut enim Philosophi duo genera virtutum esse volunt, quasdam priuatas, & necessarias vnicuique,vbicunque viuat,vt temperantiam & continentiam,quasdam communes, & necessarias in Republica,propter aliorum societatem,vt iustitiam,& liberalitatem:ita etiam Deus in Republica Christiana duo esse voluit genera adiumentorum,priuatum, quo quisque fit bonus:& commune, quò indigemus ad aliorum iuuandam salutem

Tertia partitio est gratiæ gratum facientis, in gratiam permanẽtem,siue habitualem, & gratiã auxilij specialis. Gratia Permanẽs dicuntur habitus infusi fidei,spei,caritatis, ac præcipuè caritatis, vt paulò pòst demonstraturi sumus. Gratia Auxilij specialis definiri posse videtur his verbis:Est motio Dei qua homo ad operationes quæ naturam suam aliquo modo superant adiuuatur. Motio dicitur vt distinguatur ab infusis ac permanentibus qualitatibus neque enim auxilium speciale est habitus infusus,aut permanens qualitas, sed actio qua Deus hominem mouet ad operandum,vel cum eo operatur: non est autem hoc auxilium necessarium ad operationes, quæ vires naturæ non superant,quales sunt intelligere,& apperere res humanas,ad huiusmodi enim sufficit auxilium generale: sed necessarium est ad eas operationes, quæ quoquomodo naturæ vires excedunt.

Porrò Tribus modis operatio aliqua vires naturæ superare potest, Primum simpliciter, & absolutè, vt si ex genere suo operatio sit ordinis altioris quam sunt res naturales, quales sunt actus virtutum Theologicarum, fidei,spei, & caritatis, quæ non acquiruntur per iteratos & frequentatos actus, sed diuinitùs in animam infunduntur.

Secundo,non simpliciter, sed ratione status peccati: quemadmodum enim homo ægrotus mouere non potest ingentem aliquam molem,nisi iuuetur ab alio:quam ipse idem si sanus esset,solus mouere potuisset:sic homo, per peccatum debilitatus, multa non potest sine auxilio speciali efficere,quæ in statu innocentiæ, sine tali auxilio,facilè effecisset.

Tertio,ratione modi, loci, temporis, personæ, aut alterius cuiuslibet circumstantiæ: sæpè enim accidit, vt id, quod neque ex genere suo, neque ratione status, vires naturæ superat, easdem tamen superet ratione circumstantiæ: ac, vt in exemplo posito perseueremus, poterit homo sanus per se molem quamdam loco mouere, non tamen poterit sine alterius auxilio, si alteram manum tantùm adhibere cogatur, aut si loco parum commodo, vel moles, vel ipse sit constitutus: ita

ita poterit homo iustus præceptum aliquod Decalogi facile adimplere, si nulla extrinsecus diabolica tentatio accedat: si verò tentatio eiusmodi accedat, sine speciali auxilio id facere non poterit.

Ex his autem facile erit colligere, quid interfit inter auxilium Dei generale, & auxilium speciale: Generale siquidem datur ad actus omnes tam bonos,quàm malos: nam & in malis actibus id quod materiale & positiuum est,bonum est,nec fieri nisi Deo cooperante potest.Speciale autem non datur nisi ad actus bonos.

Rursus,Generale auxilium datur à Deo, vt auctore naturæ, ad ea opera, quæ per naturales potentias exercentur, & ad finem, qui cum natura proportionem habeat,referuntur:Speciale verò præstatur à Deo,vt gloriæ donatore,ad ea opera, quæ naturæ vires excedunt,& ad finem sempiternæ beatitudinis ordinantur.

Ad hæc, Generale auxilium, quamuis non sit debitum simpliciter, est tamen debitũ aliquo modo ex hypothesi,cũ D.Deus res creatas extare, & operari voluerit, æquũ est, vt eis non deneget auxilium, sine quo nec se ipsæ mouere, nec aliquid omnino possent efficere: Speciale autem nulla ratione est debitum,sed ex noua quadam, & infinita Dei liberalitate donatur: præsertim si loquamur de prima gratia hominem præueniente & excitante: quare nomen gratiæ magis propriè conuenit auxilio speciali, quàm generali sicut etiam magis propriè habitus fidei, spei, & caritatis, quàm intelligendi, volendique facultates dona gratiæ nominantur.

QVARTA partitio est auxilij specialis, in auxilium excitans, & auxilium adiuuans: ad gratiam Auxilij excitantis diuinæ illustrationes, atque inspirationes pertinent, quibus Deus cor nostrum pulsat, vt à somno peccati, vel negligentiæ in bonis operibus excitemur: ad gratiam Auxilij adiuuantis spectat diuina cooperatio, directio, ac protectio,quibus iuuamur,tum vt eligamus, tum vt faciamus quod Deus præueniens inspirauit: Apocalypsis cap.tertio: *Ecce sto ad ostium & pulso,si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, introibo ad illum, &c.* Hinc est illud in precibus Ecclesiæ: *Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præueni, & adiuuando prosequere.* Et illud sancti Augustini libro secundo de peccatorum meritis & remissione,capite decimo octauo: *Quod ad Deum nos conuertimus, nisi is excitante & adiuuante non possumus.* Et illud beati BERNARDI in libro de gratia & libero arbitrio: *Conatus nostri & cassi sunt, si non adiuuentur,& nulli si non excitentur.* Quibus congruit illud Concilij Tridentini, sessione sexta,capite sexto: *Disponuntur ad iustificationem, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes,&c.*

QVINTA partitio est auxilij,siue gratiæ,in auxilium siue gratiam sufficientem, & efficacem. Auxilium sufficiens dicitur,quo Deus ita hominem vocat,& excitat,& iuuare dirigendo,protegendo, cooperando, paratus est, vt re vera possit ille sic excitatus,& vocatus velle credere, velle conuerti,velle bonum aliquod facere,tamen re ipsa non credere velit, aut conuerti,aut bonum illud facere. Auxilium efficax dicitur, quo Deus ita hominem vocat,& excitat,& iuuare dirigẽdo,protegendo,cooperando paratus est,vt infallibiliter re ipsa velit ille,qui sic excitatur, & vocatur, & re ipsa credat, conuertatur, bonum faciat.

SEXTA Partitio est gratiæ efficacis in operantem & cooperantem: est gratia Operans, quæ facit vt velimus, Cooperans verò, quæ facit, vt quod voluerimus, impleamus. Quæ partitio sumpta est ex verbis illis sancti Augustini libro de gratia & libero arbitrio, capite decimo septimo: *Ipse vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Et infrà: *Sine illo vel operante vt velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus:* De his duabus partitionibus in fine huius libri plenius disseremus.

Solet adferri alia quædam partitio gratiæ in præuenientem, & subsequentem, cùm in Psalmo quinquagesimo octauo legamus: *Misericordia eius præuenit me.* Et in Psalmo vigesimo secundo: *Misericordia tua subsequetur me*: Sed hæc partitio nihil noui continet, sed superiores dumtaxat includit: siquidem gratia excitans dici potest præueniens:& adiuuans, subsequens, iuxta illud: *Actiones nostras aspirando præueni, & adiuuando prosequere.* Rursus gratia operans est etiam præueniens: & cooperans subsequens: *Nolentem* (inquit sanctus Augustinus in Enchiridio, capite trigesimosecundo. *Præuenit vt velit, volentem subsequitur, ne frustra velit.* Et sanctus Gregorius homilia nona in Ezechielem: *Nos*, inquit, *præuenit, vt velimus, & volentes subsequitur, ne inaniter velimus.* Denique omnis gratia prior, præueniens dici potest, si comparetur ad posteriorem: *Præuenit* (inquit sanctus Augustinus libro de natura & gratia, capite trigesimo secundo) *vt sanemur, & subsequitur, vt sanati vegetemur: præuenit vt vocemur, & subsequitur vt glorificemur: præuenit, vt pie viuamus, & subsequitur, vt cum illo semper viuamus.*

CAPVT III.

Gratiam gratum facientem esse qualitatem, per modum habitus in homine permanentem.

EX Partitionibus præmissis quædam sunt, quæ nonnullas pariunt quæstiones. Ac Primum de partitione gratiæ in gratiam habitualem, & gratiam auxilij specialis, duæ sunt quæstiones, Vna,sitne gratia aliqua habitualis, Altera,vtrum ea gratia sit qualitas à caritate distincta.

Quod ad Primum attinet, non instituimus hoc loco disputationem de iustitia inhærente, vel imputatiua, quam in tractatu de iustificatione impij suo loco prouiribus, Deo iuuante, tractabimus. Sed solùm, an detur gratia habitualis gratiam faciens habentem, non enim desunt, qui non admittãt gratiam gratum faciẽtem,quæ sit habitus,aut certè qualitas per modum habitus in anima permanens. Ioannes Caluinus in Antidoto Concilij Tridentini, sessione sexta, capite septimo: *Falsum*, inquit, *esse contendo, vllam iustitiæ partem in qualitate sitam esse vel habitu, qui in nobis resideat, sed gratuita acceptione nos esse iustos.* Martinus Kemnitius in Examine Tridentini Concilij, prima parte, pagina 640. editionis anni M. D LXVI, in parua forma (de qua editione semper intelligendæ sunt citationes paginarum in meis libris) reprehendit Concilium Tridentinum, quod in qualitatibus & virtutibus infusis iustificationis gratiam constituerit. Tilmannus Heshusius in libro de sexcentis erroribus Pontificiorum, (qui liber, vt alibi etiam monui, multò verius inscriberetur de sexcentis mendaciis Lutheranorum, cùm nihil ferè contineat aliud, nisi apertissima, crassissimáque mendacia) loco sexto, numero secundo, reprehendit Catechismum Concilij Tridentini, quod gratiam gratum facientem esse definiat qualitatem diuinam in anima inhærentem.

Ad hanc sententiam accessit Albertus Pighius, Catholicus alioqui Doctor, sed in nonnullis quæstionibus vt ante nos Ruardus Tapperus,virdoctissimus annotauit ex lectióe librorũ Caluini miserè seductus.Sic.n.Pighius

Universidad de Deusto
Biblioteca

loquitur in quinto libro de libero arbitrio. *Gratiæ acceptionem veritatem non ex Scholis sed ex diuinis Scripturis petemus. Quanquid. m in illis fere imaginantur gratiam Dei qualitatem aliquam increatam animæ nostræ à Deo, vel eamdem cum caritate habitu, vel distinctam ab eodem. Quæ commentitia vniuersa existimo, nec ex Scripturis vllam auctoritatem habere.* Hæc ille.

AT sententia communis Theologorum tum in primum Sentent. distinctione decima septima, tum in secundum, distinct. 26. & 27. constanter docet, habitum aliquem supernaturalem à Deo nobis infundi, quo anima exornetur, & perficiatur, atque adeò iusta Deóque grata & accepta reddatur. Quamuis enim Petrus Lombardus in primo libro Sentent. distinct. decima septima, caritatem non habitum aliquem, sed ipsum Spiritum sanctum esse dicere videatur, tamen in eodem hb. distin. 37. docet cum sancto Augustino Spiritum sanctum non solùm eos inhabitare, qui eum actu cognoscunt, & B diligunt, sed etiam paruulos baptizatos, qui eum actu neque cognoscunt, neque diligunt: ex quo sequitur, vt crediderit, Spiritum sanctum per habitum aliquem in paruulis habitare.

Idem etiam Petrus in secundo libro Sentent. distinct. vigesima septima docet, gratiam esse virtutem nobis à Deo infusam: virtutem autem esse bonam animi qualitatem: quare Ioannes Scotus in primo Sententiarum, distinctione decima septima, quæstione prima, articulo tertio, rectè exponi, ac defendi posse docet, sententiam illam magistri. Quia tamen sanctus Thomas in Secunda Secundæ, quæstione vigesima tertia, articulo secundo, & cæteri Theologi Magistri sententiam reprehendunt, quasi is negauerit habitum caritatis: nos vtrumque, Deo volente, probabimus, & gratiam in genere, & caritatem in specie esse habitum: siue qualitatem creatam.

Neque verò hæc sententia, quæ habitus infusos defendit, solum Theologorum Scholasticorũ, sed etiam Ecclesiæ totius sententia est: nam extant duorum Conciliorum generalium de hac re decreta. Concilium enim VIENNENSE sub Clemente V. Pontifice Maximo in Galliis celebratum, vt habemus in Clementina prima, de summa Trinitate, & fide Catholica, cùm de hac re variæ Theologorum circumferrentur opiniones, statuit eam esse recipiendam, quæ asserit infundi in Baptismo tum paruulis, tum adultis habitus gratiæ & virtutum.

Concilium TRIDENTINVM sessione sexta, quamuis definire noluerit, sitne gratia gratum faciens, habitus propriè dictus, an qualitas alia: tamen esse qualitatem permanentem per modum habitus, atque animæ inhærentem satis apertè definiuisse videtur, cùm ait capite septimo, iustificationem non esse solùm remissionem peccatorum, sed etiam sanctificationem, & renouationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum. Et cùm paulò infrà in eodem capite addit, in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum simul infundi fidem, spem, & caritatem, eaque animæ inhærere. Et cùm canone tertio distinguit gratiam iustificationis ab actibus fidei, spei, dilectionis, & pœnitẽtiæ. Et cùm canone vndecimo definit iustificationis gratiam non esse tantum externum Dei fauorem, sed etiam caritatem in corde diffusam, eique inhærentem.

DENIQVE hanc fuisse Tridentini CONCILII mentem, præter alios auctores, testatur Catechismus eiusdem Concilij, in tractatu de Sacramento Baptismi, his verbis: *Est autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum, pœnâ anathematis proposita, decreuit, non solum per quam peccatorum sit remissio, sed diuina qualitas in anima inhærens, ac veluti splendor quidam & lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, easque animas pulchriores & splendidiores reddit.* Ac ne A quis fortè conetur, per diuinam qualitatem intelligere actionem: non habitum: paulò pòst idem auctor scribit, per eam qualitatem, quæ in cordibus nostris diffunditur, ad omnia Christianæ pietatis officia nos habiles reddi. Et paulò infrà adiungit, ex ea pias honestasque actiones proficisci.

CAPVT IV.

Probatur veritas capite superiore explicata.

HÆC igitur vera & communis apud Orthodoxos sententia probanda est testimoniis Scripturæ, & Patrum. Primum igitur eo potissimùm testimonio probari mihi videtur, quo eam refellere conatur Caluinus in Antidoto Concilij, loco citato. Scribit enim Caluinus, non posse iustitiam esse qualitatem nobis inhærentem, sed imputationem solùm iustitiæ Christi, propter illud Apostoli ad Roma. 5: *Per obedientiam vnius hominis iusti constituentur multi.*

AT nos per obedientiam vnius Christi iustos multos constitui existimamus in eo sensu, vt merito obedientiæ Christi reconcilietur nobis Deus, & ab eo iustitia donemur, quæ sit qualitas animæ nostræ infusa, & inhærens. Id quod ex antithesi verborum Apostoli manifestè probamus: dixerat enim B. Paulus: *Quemadmodum per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi.* Et continuò adiecit: *Ita per obedientiam vnius hominis iusti constituentur multi.* Constat autem nos non constitui peccatores per imputationem iustitiæ quæ fuit in Adamo, sed per iustitiam nobis verè inhærentem per modum habitus, quam contraximus ob inobedientiam primi hominis, cuius filij sumus: igitur iustitiam constituimur, si quid Apostoli antithesis valet, non per imputationem iustitiæ quæ est in Christo, sed per iustitiam nobis verè inhærentem per modum habitus, quæ nobis infunditur ob Christi obedientiam, cuius per lauacrum regenerationis filij efficimur.

SECVNDO, probatur hæc veritas ex verbis illis Domini, Ioannis quarto: *Aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Fons enim iste Spiritus sanctus est per gratiam inhabitans, siue gratia à Spiritu sancto inhabitante diffusa, vt colligitur TVM ex capite septimo Ioannis, vbi cùm Dominus dixisset: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ:* subiunxit Euangelista: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem acceperi erant credentes in eum:* TVM ex Patribus, qui hæc loca communiter exponunt de Spiritu sancto, siue de gratia eius viuificante: hæc enim duo in idem recidunt, cùm Spiritus sanctus non inhabitet, nisi per effectum aliquem creatum, id est, per gratiam & caritatem: neque caritas & gratia sine Spiritu sancto inhabitante esse possit. D

Itaque fontem istum aquæ viuæ Cyrillus libro secundo in Ioannem, capite octuagesimo secundo, & Theophylactus in caput quartum Ioannis, gratiam Spiritus sancti vocant. Hieronymus in caput quinquagesimum quintum Isaiæ, & Basilius in Psalmum quadragesimum quintum, Spiritum sanctum esse dicunt. Ambrosius libro primo de Spiritu sancto, capite decimo nono, & Ioannes Chrysostomus homilia trigesima prima in Ioannem, modò Spiritum sanctum, modò Spiritus sancti gratiam appellant: neque ab his dissentiunt sanctus Augustinus, & alij huius loci interpretes.

Sed quamquam, vt diximus, in idem recidat, siue Spiritum sanctum, siue gratiam eius, fontem illum esse dicamus, tamen magis propriè videtur hic locus exponi

exponi de ipsa gratia creata, quàm de Spiritu sancto creatore. TVM quia Dominus ait. *Fiet in eo fons aquæ*: Siquidem fieri ad rem creatam pertinet: TVM etiam quia eiusdem sunt generis fons & aqua ex fonte manans, & sancta opera, quæ intelliguntur per aquã ex fonte fluentem, magis conueniunt cum habitu gratiæ, quàm cum Spiritu sancto, vt notum est.

Porrò dubitari non potest quin per fontem intelligatur aliquid permanens, & fixum, ac per hoc significetur gratia inhærens animæ per modum habitus permanentis, vnde fluant riui bonorum operum, qui saliant in vitam æternam, aqua enim tam altè ascendit, quàm est altus locus, vnde descendit: & quoniam fons iste de cœlo descendit, ideò aquæ eius ad cœlum vsque perueniunt, hoc est, merentur opera iusta regnum cœleste, quoniam ex gratia cœlesti ac diuina proueniunt.

Tertio, probatur ex illis Scripturæ testimoniis, quæ B significant gratiam diffundi, siue effundi in cordibus, ad Romanos cap. quinto: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Et ad Titum 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè.* Certè enim tunc Spiritus sanctus abundè effunditur, cùm abundanter gratia eius donatur: effusio autem & diffusio gratiæ, siue caritatis in corda hominum, non ad actionem hominis, sed ad donum Dei collatum homini referri debet. Actiones enim effunduntur ex cordibus. *De corde enim* (ait Dominus Matthæi decimoquinto) *exeunt cogitationes malæ, &c.* non effunduntur, aut diffunduntur in corda, neque donum in corde effusum, externus Dei fauor propriè dici potest, sed aliquid ipsum contingens, purgans, & renouans, vt Apostolus loquitur.

Quartò, huc pertinent etiam illa loca, vbi gratia comparatur pignori, sigillo, vnctioni vel semini, rebus videlicet, creatis, & permanentibus, 2. ad Corinthios primo: *Qui vnxit nos Deus, & signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Et prima Ioannis secundo: *Vnctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis.* Et capite tertio *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen eius manet in eo.* Quid enim, quæso, est aliud semen Dei in nobis manens, nisi charitas habitualis, ex qua fructus operum bonorum nascuntur.

Addamus nunc testimonia veterum, qui tametsi non apertè nominent habitum, vel qualitatem: tamẽ ita rem describunt, vt pauco negotio possit intelligi, verum esse quod ait Concilium Viennense, hanc sententiam testimoniis veterum esse conformem.

Sanctus DIONYSIVS AREOPAGITA capite secundo, prima parte, libri de Ecclesiastica Hierarchia: *Primus*, inquit, *ad diuina motus, Dei dilectio est: Porro sacræ dilectionis ad diuina mandata faciendo principalis omnino progressus est secretissima illa & ineffabilis operatio, qua diuinus in nobis status efficitur.* Quid, quæso, diuinus status esse potest, nisi diuinum quoddam esse nobis collatum. D

Sanctus IRENÆVS libro quinto, capite sexto, aduersus hæreses: *Cùm autem*, inquit, *Spiritus commixtus animæ, vnitur plasmati, propter effusionem Spiritus spiritalis, & perfectus homo factus est. Et hic est, qui secundum imaginem & similitudinem factus est Dei.* Et infrà, sæpius repetit, hominem perfectum tribus constare, corpore, anima, & Spiritu Dei, id est, donis & gratia Spiritus sancti. Et certè vocabula commixtionis & infusionis, & hoc, quod est esse quasi partem hominis, rem permanentem demonstrant.

Sanctus CYPRIANVS in epistola secunda libri secundi ad Donatum: *Postquam*, inquit, *vndæ genitalis auxilio, superioris eui labe detersa in expiatum pectus, ac purum desuper se lumen infudit, postquam cœlitus spiritu hausto in nouum me hominem natiuitas secunda reparauit: Scis ipse* A *profectò, quid detraxerit nobis, quid-ve contulerit mors ista crimium, vita virtutum?* Infusio luminis, & haustus spiritus, & inde renouatio hominis aliquid permanens in homine significat.

Sanctus BASILIVS in libro de Spiritu sancto, capite vigesimo sexto, explicans quemadmodum Spiritus sancti gratia hominem inhabitet, sic loquitur: *Sicut cernendi vis est in oculo sano, sic & operatio Spiritus in anima purgata: & quemadmodũ ars est in eo qui nactus est illam, ita gratia Spiritus in eo qui recepit, semper quidem præsens, at non perpetuo operans.* Similitudo virtutis cernendi, & artis, sine dubio, gratiam per modum habitus inesse animæ ostendunt.

Sanctus AMBROSIVS libro sexto Hexameron, capite octauo: *Vtrum* inquit, *iustificatio secundum corpus, an secundum animam tibi conferri videatur, quæso, respondeas. Sed dubitare non potes cum iustitia, vnde iustificatio deriuata est, mentis tuæ viuaue, non corporis sit. Pictus es ergo, ô homo, & pictus à Domino Deo tuo, bonum habes artificem, atque pictorem. Noli bonam delere picturam non fuco, sed veritate fulgentem, non cera expressam, sed gratia.* Pictura res est permanens, ac per hoc gratiam permanentem demonstrat.

Sanctus GREGORIVS Nazianzenus oratione in sanctum lauacrum, ante medium, loquens de effectu gratiæ quæ confertur in Baptismo: *Nouos*, inquit, *ex veteribus, ac Dei similes efficit absque igne conflans, & sine confractione irradians.*

Sanctus HIERONYMVS præfatione Commentariorum in Threnos Hieremiæ, describens animam peccatricem: *Nuda*, inquit, *est domus Dei omnibus ornamentis suis, cunctisque quæ diuinitus consecuta fuerat, spoliata muneribus, remansit deformis ac turpis.* Et in Commentario epistolæ ad Philemonem extremo: *Cùm*, inquit, *in Spiritu gratia fuerit, totum facit hominem spiritualem, vt & caro spiritui seruiat, & anima non vincatur à carne, & redacta simul in substantiam spiritualem, adhæreant Domino, quia qui adhæret Domino, vnus spiritus est.*

Sanctus IOANNES CHRYSOSTOMVS homilia quadragesima in epistolam priorem ad Corinthios: *Itaque*, inquit, *qui crimine, Regis beneficio, absolutus est, inquinatum animum seruat: quem abluit Baptisma, non item. sed Solis radiis puriorem mentem habet.* Et homilia ad Neophitos, quam citat sanctus Augustinus libro primo contra Iulianum, scribit etiam, infantibus per Baptismum conferri sanctitatem, & iustitiam, quæ sanè nisi habitualis esse non potest.

Sanctus AVGVSTINVS lib. 1. de pecca. merit. & remiss. c. 9. *Ille*, inquit, *in quo omnes viuificabuntur, præter quam quod se ad iustitiam exemplum imitantibus præbet, dat etiam suis Spiritus occultissimam gratiam, quam etiam latenter infundit & paruulis.* Hìc sanè negari non potest, quin sanctus Augustinus de gratia habituali loquatur, quæ & occultissima est, & cuius solius capaces sunt animi paruulorum. Idem auctor in eodem libro cap. 34. dicit, paruulos per Baptismum conuerti ad Deum, cùm antea essent auersi, quod intelligi nequit, nisi de conuersione habituali per infusum habitum charitatis.

Sanctus CYRILLVS Alexand. lib. 4. Commenta. in Isaiam, Orat. 2. explicans illa verba cap. 44. *Memento horum, Iacob, & Israël, quia puer meus es tu, formaui te puerum, &c.* sic loquitur: *Formatur item in filium Dei, intelligibiliter informatus diuinarum legum scientia ad speciem effigiémque excellentem, quæ virtutum ornatu in animis hominum inhæret, ac insidet, hac autem pulchritudo intelligi potest spiritualis, formatur etiam veluti in Christo per Sancti Spiritus participationem ad ipsius speciem. Scribit siquidem ad Gala. Paulus, Filioli quos iterũ parturio, donec formetur Christus in vobis. Formatur autẽ in nobis Christus S. Spiritu nobis diuinam quamdam formam*

Universidad de Deusto
Biblioteca

formam per sanctificationem & iustitiam indente, sic enim in animis nostris elucet character substantiæ Dei, ac Patris reformante, vt dixi, sancto spiritu nos per sanctificationem in ipsum. Hæc ille, qui vix poterat apertius de qualitate diuina in mentibus nostris inhærente loqui, cùm eam & formam appellet, & in animo inhærere scribat.

Eusebius Emissenus, siue potius Cæsarius Arelatensis in Sermone illo pulcherrimo de corpore Domini, qui inscribitur sermo quintus de Paschate. *Teipsum*, inquit, *qui iam renatus, interroga, dudum alienus à vita, peregrinus à misericordia, à salutis via, intrinsecus mortuus, exulabas. Subito innutrit Christi legibus, & salutaribus mysteriis innoutus, in corpus Ecclesiæ non eundo, sed credendo transisti, & de filio perditionis adoptiuus Dei fieri, occulta pietate meruisti, in mensuram visibilis permanes maior factus es teipso inuisibiliter, sine quantitatis augmento, vt exteriore nihil additum est, & totum in interiore mutatum est.* Atq; hæc ex Patribus hoc loco sufficiant. Addemus plura cùm ventum fuerit ad Controuersiam de Iustificatione.

Probatur Vltimò hæc eadem veritas rationibus. Prima ratio ex parte Dei. Deus diligit iustos, & odit peccatores, vt Scripturæ passim loquuntur: nulla autem mutatio in ipso Deo cogitari potest: igitur mutatio fit in homine, cùm ex nõ dilecto incipit esse dilectus: quare concedendum est, in homine iusto esse pulchritudinem aliquam veram & spiritualem, ob quam oculis Dei gratus efficitur, præsertim cùm Deus non possit decipi, aut errare, vt diligat iniustum pro iusto, & deformem pro formoso. Præterea Dei dilectio efficax est, igitur cui Deus vult bonum, continuò ille verè efficitur bonus: nihil enim aliud est diligere, nisi velle bonũ, & quidé hominos multa bona cupiunt amicis, quæ tamen ipsi cõferre non possiunt: at Dei voluntas omnipotens & efficacissima est.

Secunda ratio ex parte hominis, homo ad supernaturalem gloriam cõditus, opera supernaturalia operari debet, quibus ad finem illum tendere, ac tandem peruenire queat: sed opera supernaturalia prærequirũt esse supernaturale, siue formã supernaturalem: talia enim sunt opera, qualis est forma, siue essentia, vnde opera ipsa procedunt, quod in rebus omnib. cernimus, igitur dat Deus hominibus, quos iustificat, formam supernaturalem, quam habitum gratiæ nominamus. Et fortassè huc respexit sanctus Petrus cùm ait in epistola posteriore, capite primo: nos effici diuinæ consortes naturæ. Certè hæc est ratio sancti Dionysij Areopagitæ, quem suprà citauimus, is enim apertissimè dicit in libro de Ecclesiastica Hierarchia, c. 2. par. 1. non posse hominẽ diuina operari, nisi diuinum quẽd tm statum antè recipiat: quẽadmodũ nec humana opera facere valemus, nisi homines simus.

Præterea non est homo iustus & sanctus eo tempore solùm, quo iusta & sancta opera facit, sed etiam dum cessat, dum quiescit, dum dormit: non igitur ab opere, sed ab habitu permanente iustus & sanctus dicitur. Ipse etiã Aristoteles in secundo libro de moribus, capite quarto, vidit, & docuit, non posse verè & propriè nominari iustum, qui aliquod opus iustum fecerit, sed qui iustitiæ habitum acquisierit.

Tertia ratio ex parte instrumentorum iustificationis, quæ sunt cœlestia Sacramenta: Baptismus non solùm homines, qui vsum habent rationis, sed etiam infantes, amentes, dormientes quandoque iustificat, ac de infantibus quidem suprà citauimus Chrysostomum & Augustinum, & possent plurimi alij hue adduci si opus esset. At in infantibus, & cæteris, qui vsu rationis carent, nulla ineſſe potest iustitia actualis: erit igitur habitualis.

Præterea Baptismus nõ quomodocumq; iustificat, sed per modũ regenerationis. sic enim legimus Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c.* Et ad Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* At regenerari nõ est aliquid agere, sed nouam naturam & diuinam ac supernaturalem formam accipere, vnde filij Dei nominemur & simus: iustitia igitur quæ per Baptismum acquiritur, non est actualis, sed habitualis, quæ per modum formæ in anima inhæreat, eámque ad esse quoddam diuinum & supernaturale euehat.

Denique Sacramenta saltem ex communi Catholicorum sententia gratiam conferunt & efficiunt, vt instrumenta Dei, non autem efficiunt actualem in nobis iustitiam, vt experientia in plurimis non obscurè testatur: efficiunt igitur habitualem. His igitur argumentis efficimus gratiam iustificantem esse qualitatem: quemadmodum autem idem probetur de caritate, vide infrà caput octauum, neque enim probare necesse est caritatem esse habitum creatum, nisi antea constet gratiam iustificantem idem esse cum caritate.

CAPVT V.

Soluuntur obiectiones.

Aduersvs ea quæ capite superiore confirmata sunt, Duæ obiectiones fieri solent. Prima obiectio sumitur ex verbis sancti Augustini, qui de gratia ita loquitur, vt videatur velle eam non esse habitũ quo nos viuamur, sed potius ipsum Spiritum sanctum, qui nos regat & moueat, nam in libro tertio hypognostici, comparat liberum arbitrium nostrum iumento, gratiam Dei sessori, à quo iumentum gubernatur & regitur. & in epist. 106. scribit in operibus gratiæ voluntatem nostram comitem esse, non ducem pedissequam, non præuiam.

Respondeo, sanctum Augustinum loqui de gratia simul creata, & increata, id est, de Deo, qui per dona sua creata sedet in nobis, & variis modis nos ducit, regit, moderatur, & gubernat, non secus ac sessor iumentũ. Quod Apostolus ad Romanos octauo illis verbis admonuit: *Qui Spiritu Dei agumur, hi sunt filij Dei.* Hinc autem non tolluntur habitus creati, & infusi, sed potius asseruntur, & confirmantur, nam Deus per habitus illos habitat in nobis, quod de fide testatur Apostolus, cùm ait ad Ephe. 3. Christvm *habitare per fidem in cordibus nostris*, & de caritate ad Rom. 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Et sanctus Ioannes in epistola prima, capite quarto, *Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ipse etiam sanctus Augustinus in epistola 106. citata, dicit: Gratiam in nobis augeri, & perfici, id quod nisi de gratia creata intelligi nequit. *Gratia*, inquit, *meretur augeri, vt quæ mereatur & perfici, comitante, non ducente pedissequa, non præuia voluntate.*

Et quamuis habitibus, qui sunt in nobis, vtamur cùm volumus, tamen indigemus, præterea diuina cooperatione, directione, protectione, sæpe etiam noua inspiratione nouóque impulsu, & ideo rectè sanctus Augustinus dicit, in operibus gratiæ voluntatẽ nostrã comitem, potiùs quàm ducem, & pedissequã magis esse q̃ præuiã.

Secunda obiectio sumitur ex verbis eiusdẽ Augu. qui dicere videtur, Pelagianorum sententiã fuisse necessariã esse gratiam habitualẽ, per quam euehantur homines ad statum filiorum Dei: nam lib. 1. de pecca. merit. & remiss. c. 18. sic loquitur: *Sed illi* (Pelagiani videlicet) *mouent & aliquid consideratione ac discussione dignum videntur adferre, qui dicunt parulos recens viua eductos visceribus matrum, nõ propter remittendum peccatum percipere Baptismum, sed vt spiritualem procreationem non habentes, creentur in Christo, ipsius regni cœlorum participes, fiant eo modo filij & hæredes Dei, cohæredes autẽ Christi.* Quã sententiã Pelagianorũ refert idem Aug. lib. 2. contra duas epist. Pelag. c. 6. & li. 4. c. 2. & in lib. de hæresib. cap. 88. refellit autem eam sententiam lib. 6. in Iulianum, cap. 4. vbi dicit, nullam esse caussam cur infantes excludantur à regno Dei, si nullum habent peccatum, quamuis non regenerentur in Christo.

Respond

Respondeo, nusquam ab Augustino reprehendi Pelagianos, quod regenerationem & adoptionem filiorum Dei paruulis necessariam esse dicerent ad regnum cœlorum obtinendum: sed quod negarent necessariam etiam esse ad peccatum originale purgandum. Pelagiani siquidem tum in paruulis, tum in adultis gratiæ necessitatem aliquam non negabant, sed non integrè, & perfectè, vt oportebat, agnoscebant in paruulis gratiam adoptionis, gratiam remissionis peccati originis non agnoscebant. fatebantur adultis necessariam esse gratiam remissionis peccatorum: gratiam quæ naturam sanaret, & in bonis operibus faciendis, peccatisque vitandis iuuaret, minimè farebantur.

Quod autem Augustinus non reprehendat Pelagianos, quod attinet ad necessitatem Baptismi in paruulis propter regnum cœlorum, perspicuum est ex illis verbis libr. 6. contra Iulian. cap. 4. *Agimus gratias, quia non hoc putatis, non enim ad regnum Dei natos, nisi perfundantur, id est, baptizentur, admittis, atque ita perfundi multò melius iudicatis, quam nasci.* Et ex illis in eodem cap. *Enumeras quæ fides vera non dubitet Christiana, in quibus ea commemoras, quæ penè omnia prædicamus & nos.* Et in lib. 2. contra duas epist. Pelag. c. 6. *Si paruulos*, inquit, Pelagianos alloquens, *negatis attrahere, quod in Baptismo remittatur originale peccatum, tamen in illo regenerationis lauacro adoptari ex filiis hominum in filios Dei non negatis.* Non igitur hanc adoptionem & exaltationem naturæ humanæ per Christum August. in Pelagianorum sententia reprehendit.

Quid igitur, inquies, sibi vult: cùm lib. 6. in Iulia. ca. 4. absurdum putat, si paruuli non baptizati excludantur à regno, si iuxta Pelagianorum sententiã nullum habeant originale peccatum? Respondeo, non iudicari absurdum ab Augustino, si paruuli non adoptati in filios Dei, quamuis omni peccato carentes, excludantur à regno: sed si non adoptentur, cùm nulla sua culpa meruerint excludi ab adoptione, & per hoc à regno: præsertim cùm alij permulti sine vllis suis meritis gratiam adoptionis, & participationem regni cœlestis acquirãt. Nũc enim cùm quæritur, cur ex paruulis alios Deus per Baptismum ad regnum cœlorum adducat, alios sine Baptismo mori, & à regno excludi permittat: respondere solemus, vt in illis misericordiam, in iſtis iustitiam suã demonstret. At si nulla sint peccata, mirum profectò erit, si Deus infantes aliquos innocẽtes atque ad imaginẽ suam creatos, nolit in regno suo, atque vt eos ibi non habeat, sine Baptismo interire sinat, cùm alios item infantes & similiter innocentes per Baptismum adoptet in filios, & in regnum suum perducat, non sine dolore aliorum, qui excluduntur.

Hanc esse beati Augustini sententiam perspicuum est ex verbis eius, sic enim loquitur lib. 6. in Iulian. c. 4. respondẽs ad verba Iuliani, qui dixerat, Deum infantibus nihil boni, vel mali merentibus regenerationis gratiam tribuisse. *Quid*, inquit, *eum offenderunt, quos pariter innocẽtes, mundos, à se ad imaginem suã creatos innumerabiles ab isto munere (regenerationis videlicet) alienat, nec eorum voluntatem huius ineffabilis præuenit beneficij largitate, separans tot imagines suas à regno suo: si hoc eis non erit malum, non ergo amabunt regnum Dei, qui innocentes imagines Dei: si autem amabunt, & tantum amabunt, quantum innocentes amare debent regnũ eius, à quo ad ipsius imaginem creantur, nihil ne mali de hac ipsa separatione patietur? Postremò vbilibet sint, quomodolibet sint, sub Deo iudice, qui nec fato premitur, nec personarum acceptione corrumpitur, in illius regni felicitate non erunt, vbi erunt qui pariter nihil boni, mali-ue meruerunt: sed si nihil meruissent mali, numquam priuarentur in communi caussa communione tanti boni.*

Aliæ nonnullæ obiectiones soluendæ essent: sed eæ propriè pertinent ad quæstionem illam, vtrum iustificemur per imputationem iustitiæ Christi, an per iustitiam nobis inhærentem: & ad illã: vtrũ ad meritũ vitæ æternæ requiratur vt opus procedat ex habitu gratiæ gratũ facientis, an satis sit, vt opus sit conforme legi Dei. Itaque in iis locis, obiectiones cæteras, Deo iuuante, diluemus.

CAPVT VI.

Gratiam gratum facientem re non distingui ab habitu caritatis.

Altera quæstio supereſt, vtrum habitus gratiæ, de quo hactenus disseruimus sit idẽ cum habitu caritatis. Quæ controuersia, cùm ad fidem Catholicam non pertineat, inter ipsos Catholicos Doctores, salua fide, disputari solet: sed mihi ea de caussa tractanda fuit, vt intelligatur in controuersiis consequentibus, quid per habitum gratiæ gratum facientis intelligi velim.

Igitur Qvatvor sunt apud Theologos de hac quæstione sententiæ. Qvidam enim volunt, gratiam gratum facientem esse habitum, re & ratione à caritate distinctum, & gratiam quidem in ipsa animæ substantia, tamquam in subiecto sedem habere, caritatem in voluntate. Existimant enim ita se habere gratiam ad virtutes infusas, quemadmodum se habet anima ad suas potentias, & sicut anima dat esse naturale corpori, ex ipsa autẽ potentiæ fluunt, quæ sunt actionum instrumentæ. Sic etiã gratiam dare animæ esse quoddam supernaturale, ex ipsa verò quodammodo fluere habitus virtutũ infusarum, qui sint principia proxima operationis supernaturalis: Ita docet sanctus Thomas in 1. 2. q. 110. art. 3. & 4. & q. 27. de verit. artic. 2. in 2. Sentent. distinct. 26. q. 1. art. 3. & libr. 3. contra gentes, cap. 150. Eadem est sententia Capreoli in commen. lib. 2. Sent. Caiet. in comment. ad 1. 2. Ferrar. in explicatione librorum contra gentes, Domin. à Soto lib. 2. de natura & gratia, cap. 17. & 18. & aliorum.

Alii distinctionem inter gratiam & caritatem, non realem, sed formalem constituunt, vt Alexan. Alensis in Summa Theologica, parte tertia, quæst. 69. memb. 2. art. 4. Albertus Magnus in 2. Sent. dist. 26. artic. 3. & fortasse S. Bonauen. in 2. Sentent. distinct. 26. quæst. 5. & in 3. distin. 27. art. 3. q. 1. is enim nõ satis explicat, an velit re ipsa, an solùm formaliter distingui gratiam à caritate in eo tamen apertè diffidet à sancto Thoma, quod tum gratiam, tum caritatem in voluntate constituit.

Alii gratiam & caritatem neque re ipsa, neque formaliter, sed tantùm ratione distinguũt. Docent enim vnũ atq; eumdem habitũ, qua parte subiectum respicit, atque hominem ipsum, in quo inest, exornat, Deoque gratum & amabilẽ reddit, gratiam nominari, qua parte respicit opus, & voluntatem promptam efficit ad Deum super omnia diligendum, dici propriè caritatẽ. Hæc sententia est Alexandri Alensis, qui fortè mutauit opinionem in Summa Theologica, quæstione 112. de pœnitẽtia, mem. 3. Richardi in 2. Sentent. distinctione 26. quæst. 4. item Scoti, Maytonis, Gabrielis, Maioris, & aliorũ in eam dem distinctionem. Henrici à Gandauo quodl. 4. quæst. decima, & ex recentioribus Andreæ Vegæ lib. 7. in Concil. Tridentin. cap. 25. & duobus sequentibus.

Alii denique nihil omninò interesse volunt inter gratiam & caritatem, soloque nomine distingui affirmant, ita Durand. in 2. dist. 26. quæst. 1. num. 8.

Quamuis autem duæ priores sententiæ, & quarta probabiles sint, & auctores insignes ac doctissimos habeãt: tertia tamen probabilior mihi esse videtur: & cum Scripturis, & Patribus. & cum ipso Tridentino Concilio magis congruere.

Et quidem sententia quarta Durandi satis refelli videtur, Tvm auctoritate omnium aliorũ Theologorum, qui distinctionem aliquam inter caritatẽ & gratiã agnouerunt: Tvm etiam, quia si gratia facit hominem Deo dilectum

Universidad de Deusto
Biblioteca

dilectum & caritas facit eumdem dilectoré Dei, vt communis conceptio,& nomina ipsa testantur: profectò aliquid interest inter caritatem, & gratiam: neque verum est quod scribit Durandus,fieri hominem Deo per gratiam gratum, per caritatem carum: & ideo non magis esse distincta caritatem & gratiam, quàm esse carum & gratum. Nam si propriè loqui velimus, per caritatem, quam quisque in se habet, non est alteri carus,sed habet alterum carum: est enim caritas virtus, qua diligimus, non qua diligimur: quamuis possit ipsa esse ratio,cur ab altero diligamur: amor enim amorem maximè prouocat. Quare gratia qua sumus Deo cari,siue grati, distinguitur saltem ratione à caritate,qua Deum habemus carum. Priores autem illæ sententiæ, quæ distinctionem realem aut formalem inter gratiam & caritatem ponebant,his argumentis refelluntur.

PRIMO Concilium Tridentinum, tametsi non voluit quæstionem istam, vt quæ ad fidem non pertineat, definire: tamen satis aperte indicâsse videtur, cui sententiæ magis faueret. Nam sess. 6. cap. 7. vbi propriè de hac re agit, simpliciter affirmat vnicam esse formalem causam iustificationis, eámque in fide, spe,& charitate consistere: *Demum*, inquit, *vnica formalis causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, &c.* Et paulò pòst explicans quid sit illa iustitia: *Quamquam*, inquit, *nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis Domini nostri Iesu Christi communicantur: id tamen hac impij iustificatione fit, dum eiusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffundatur in cordibus eorum qui iustificantur, atque ipsis inhæret. Vnde in ipsa iustificatione, cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo, per Iesum Christum, cui inseritur per fidem spem, & charitatem: nam fides nisi ad eam spes accedat & charitas, neque vnit perfectè cum Christo, neque corporis eius viuum membrum efficit.* Et paulò pòst, hanc fidem viuam, id est, cum spe & charitate coniunctam, esse dicit id quod ex traditione Apostolica petunt cathecumeni ab Ecclesia, cùm petunt fidem vitam æternam præstantem. Et mox adiungit hanc ipsam fidem viuam esse veram & Christianam iustitiam, quam ceu primam stolam per Adami peccatū amissam, & per Christi obedientiam recuperatam, candidam & immaculatam iubentur renati conseruare.

At certè si gratia iustificans à virtutum Theologicarum habitibus distingueretur,iure Concilium reprehendi posset,quod hoc loco nullā de istiusmodi gratia mentionem fecisset: An non esset imperfecta & manca tanti Concilij doctrina,si in explicatione iustificationis illud omisisset,quod est in iustificatione præcipuū? Adde quòd cap. 10. idem Concilium docet,iustitiæ incrementum ab Ecclesia postulari,cùm ita orat: Da nobis Domine, fidei, spei,& charitatis augmentum.

ALTERVM argumentum sumitur à doctrina veterum Patrum,qui perpetuò iustitiam,qua coràm Deo iustificamur, eique grati, atque accepti sumus,in virtute, ac præsertim in caritate constituunt. AVGVSTINVS lib. de natura & gratia,ca. quadragesimosecundo. *Caritas*, inquit, *est verissima, plenissima, perfectissimaque iustitia.* Et in Psal. 118. concione 26. *Iustitia*, inquit, *virtus est magna animi, præcipuèque laudabilis.* Et mox exponens illud: *Feci iudicium & iustitiam. Iustitia*, inquit, *nomine, hoc loco non ipsa virtus sed opus eius significatum est, quid enim fecit in homine iustitiam, nisi qui iustificat impium, hoc est, per gratiam ex impio facit iustum? Vnde ait Apostolus, iustificati gratis per gratiam ipsius. Facit ergo iustitiam, id est, opus iustitiæ, qui habet in se iustitiam, id est opus gratiæ.*

Quo loco S. Augustinus apertissimè docet, iustitiā, qua iustificamur à Deo, esse virtutem diuinitùs infusam, per quam operamur opera iusta: proinde non vult esse habitum aliquē in essentia animæ, qui nihil operetur, sed habitum virtutis in potentia operatrice. Vide præterea testimonia veterum, quæ citauimus in libro de statu innocentiæ, ca. 2, ad explicandum discrimen inter imaginem & similitudinem Dei: Docent enim ea testimonia conditum fuisse hominem ad imaginem & similitudinem Dei, & imaginem in natura, similitudinem in probitate & iustitia sitam esse: per iustitiam autem virtutes, ac potissimum charitatem intelligi oportere, non dubium est.

TERTIVM argumentum peti potest ex diuinis literis, in quibus videmus ea omnia tribui charitati, quæ ab auctoribus contrariæ sententiæ tribuuntur gratiæ, non solùm absolutè, sed etiam vt eam distingui ipsi docent à charitate. Profectò autem si in charitatem, secundum Scripturas, conueniunt ea omnia, quæ soli gratiæ iure tribui solent, alterum necesse est, vel in Scripturis falsam doctrinam, quod fieri non potest, contineri, vel, quod nos contendimus, gratiam à charitate aut nullo modo, aut sola ratione distingui.

Gratiæ proprium esse volunt, vt à charitate ipsorum opinione distinguitur, dare animæ quoddam esse supernaturale, ex quo dicatur homo filius Dei per participationem, & diuinæ consors naturæ. Id verò totum Scriptura apertissimè tribuit charitati. 1. Ioannis tertio. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus.* Et cap. 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.*

PRÆTEREA tunc accipit homo illud esse supernaturale, cùm regeneratur, ac renascitur, nouáque efficitur creatura. Id autem fieri per caritatem ex Scripturis, ita probatur, Semen ex quo regeneramur, est verbum Dei, 1. Petri, primo: *Renati non ex semine corruptibili, sed ex incorruptibili per verbum Dei viui.* Et Iacobi 1. *Genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius.* Verbum autem propriè fidem in nobis gignit, eámque viuam, quæ per dilectionem operatur, ad Rom. 10. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Fides igitur viua, id est, cum charitate, est id per quod renascimur, & proinde ipsa dat illud esse diuinum & supernaturale, vnde dicimur filij Dei.

Et confirmatur hoc ipsum ex illis Apostoli verbis ad Galat. 3. *Omnes enim filij Dei estis per fidem.* Loqui autem beatum Paulum de fide viua, perspicuum est ex capite 5. vbi cùm dixisset: *Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, ex gratia excidistis.* Subiungit explicans quid sit ista gratia & quid faciat filios Dei. *Nam*, inquit, *in Christo Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur.* Et c. sexto hanc ipsam fidem viuam appellat nouam creaturam, cùm ait: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura.* De qua noua creatura dicit idem Apostolus ad Eph. 2. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis.*

Et confirmatur rursus ex parte eorum, qui nos regenerant, qui sunt Euangelij prædicatores, 1. ad Corint. 4. *Per Euangelium ego vos genui.* Ad Galat. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Christus autem in nobis per fidem formatur & habitat, ad Ephes 3. *Christum habitare per fidem in cordibus vestris.* Fidem autem istam debere esse viuam, & caritate formatam, dubium esse non potest. Quare S. Ioan. 1. epist. cap. 4. dicit, Deum per caritatem in nobis manere: *Deus caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Sunt præterea multa alia, quæ tribui solēt gratiæ, quæ omnia in Scripturis tribuuntur caritati. Neque aliquid afferri potest ita gratiæ proprium, vt non conueniat etiā caritati: quare nulla est causa, cur distincti habitus ponantur gratiæ, & caritatis, percurramus breuiter singula.

PRIMO, gratiæ proprium esse dicunt, facere hominem Deo dilectum, at Prouerbiorum octauo legimus: *Ego diligentes me diligo.* Et Ioann. 14. *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo.*

SECVNDO

vocat, vt videt sequuturos. Et ideò verè non potest fidelis aduersus infidelem gloriari aut inflari, quia qui eum principaliter discernit ab infideli, non est ipse per liberū arbitrium, sed Deus per gratiam efficacem, quam ei dedit: & alteri non dedit. Vide Augustinum libro de prædestinatione Sanctorum, cap. 5.

DICES, si ponamus id quod ponit Augustinus lib. 12 de Ciuit. Dei, cap. 6. duos videlicet in omnibus pares, tentatos eadem tentatione, eodem modo, loco, tempore, & æquè affectos, & tamen vnus resistat alter cadat: nónne causa diuersitatis referēda erit in liberum arbitrium? vel eo loco refert Augustinus: nam sine dubio etiam gratia, æqualis, si vocatio data est vtrique eodem modo, loco, & tempore, & cum essent æque affecti, alioqui non fuissent in omnibus pares.

RESPONDEO, caussam diuersitatis referendam esse in liberum arbitriū, vt Augustinus eo loco rectè probat, sed nó primam caussam: nam prima caussa fuit, quia Deus vni dedit inspirationem, quam præuidit ab illo per liberum arbitrium amplectandam, alteri dedit eamdem, sed quam præuidit ab eo per liberum arbitrium reiiciendam.

CAPVT XIV.

Quæ sit propriè gratia operans.

DE SEXTA partitione gratiæ in operantē & cooperantem, non leuis est quæstio, quā sanè peperit obscuritas verborum sancti Augustini, à quo eam participationem Theologi acceperunt, & Apostoli Pauli, vnde eam Augustinus accepit. Apostoli verba sunt in epistola ad Philippenses cap. 2. *Deus est qui operatur in vobis velle, & perficere, pro bona voluntate.* Quę verba sic explicat Augustinus in libro de gratia & libero arbitrio, cap. 17. *Ipse vt velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Et mox: *Vt velimus, sine nobis operatur: cum autem volumus, & sic volumus, vt faciamus, nobiscum cooperatur.* Multæ sunt huius partitionis expositiones.

PRIMVM enim Theologi scholastici, gratiam operantem vocant ipsum habitum gratiæ, vt formaliter nos iustos & gratos Deo facit: id enim Deus in nobis sine nobis facit. Gratiam cooperantem esse volunt eumdem habitum, vt operis meritorij principium est, cùm enim opera bona facimus, non sola gratia operatur in nobis, sed & nos ipsi vere operamur.

Hæc doctrina verissima est, & eam inferius suo loco aduersus hæreticos propugnabimus: sed tamen nó propriè partitio gratiæ operantis & cooperantis, vt ab Apostolo & Augustino accepta est, ad habitum gratiæ, sed potius ad auxilium speciale pertinere videtur. Neque enim Apostolus & Augustinus tribuunt gratię operanti, vt faciat hominem iustum, sed vt faciat eum velle & desiderare iustitiam: neque efficientia siue operatio propriè dici potest, id quod gratia non efficienter, sed formaliter facit.

Est igitur alia explicatio, quod gratia operans non distinguatur à gratia excitante, neque cooperans ab adiuuante, & quia gratia excitans inspirat initium quoddam bonæ voluntatis, ad quod non liberè concurrimus, gratia adiuuans iuuat ad assensum præstandum, & eligendum, quod Deus inspirauit, in quo planè liberi sumus: ideò dictum esse volunt auctores huius sententię, Deum in nobis sine nobis efficere vt velimus, nobiscum autem cooperari cum volumus: vbi per illud, *vt velimus*, intelligunt imperfectum & indeliberatum desiderium: per illud, *cùm volumus*, intelligunt perfectam & deliberatam electionem.

Hæc explicatio non videtur satisfacere verbis Apostoli & sancti Augustini: vterque enim tribuit gratiæ operanti, tamquam effectum proprium, non illud velle indeliberatum & imperfectum, sed velle deliberatum, vnde opera bona nascuntur: *Deus*, (inquit Apostolus) *operatur in nobis velle & perficere.* Vbi non distinguitur velle indeliberatum à velle deliberato, sed voluntas ab executione. Et factus Augustinus: *Vt velimus* inquit, *sine nobis operatur: cum autem volumus, & sic volumus vt operemur, nobiscum cooperatur.* Vbi cooperatio adiungitur operi nostro ex perfecta, ac per hoc, deliberata voluntate prodeunti.

Alia explicatio aliorum est, gratiam operantem esse eam, quæ tribuit actum internum, cooperantem quę tribuit externum. Quæ videtur esse S. Thomæ in prima secundæ, quæstione 111. art. 2.

Sed non videtur requiri gratia aliqua specialis ad actū externum: vbi enim aliquid efficaciter volumus, membra corporis ad nutum obediunt, & ideò sanctus Augustinus in eodem libro de gratia & libero arbitrio, cap. 16. dicit, petendum esse à Deo, vt tantum velimus, quantum necesse est, vt volendo faciamus, & capite 17. dicit, eos qui volunt mandata seruare, & non possunt, ideò non posse, quia paruam habent voluntatem. Et breuiter, in vtroque capite hoc docet, posita efficaci voluntate, nullam remanere difficultatem: itaque sufficit auxilium generale ad opus externum perficiendum, quod auxilium non dicitur propriè gratia, neque operans, neque cooperans.

DICENDVM igitur est, gratiam operantem illam esse, quæ efficit in homine primum actum deliberatæ voluntatis, qualis est conuersio, siue ab infidelitate ad fidem, siue à peccatis cæteris ad pœnitentiam: gratiam verò cooperantem esse illam, quæ efficit consequentes actus voluntatis, quales sunt, velle orare, velle quærere sacerdotem, velle bona opera facere, & alij similes. Quos continuò sequuntur actus externi, ita vt gratia operans nihil sit aliud, nisi auxilium speciale efficax respectu primi actus voluntatis: gratia verò cooperans sit auxilium speciale respectu actuum sequentium.

Sed quæstio est, caque non leuis, quomodo sit intelligendum, quod S. Augustinus ait, primum actum deliberatæ voluntatis fieri sine nobis. Quomodo enim fit sine nobis, quod nostra libera deliberatione & electione efficitur. Neque enim audiendi sunt Lutherani & Caluinistæ, qui contendunt actus bonos internos ita fieri sine nobis, vt non sint actus liberi arbitrij: neq; nos eos propriè faciamus, sed immissos à Deo necessariò recipiamus. Hunc enim errorem posteà suo loco copiosè refellimus.

Neque dubitari potest quin ista eorum sententia alienissima sit à mente sancti Augustini, de cuius verbis nùc laboramus. Nam in lib. 1. ad Simplicianum. quæst. 2. *Vt velimus* inquit, *& suum esse voluit, & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo.* Item lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 8. *Homo*, inquit, *præparat cor, non tamen sine adiutorio Dei, qui tangit cor.* Et paulò pòst: *Quamuis nisi adiuuante illo, sine quo nihil possumus facere, os non possimus aperire, tamen, os aperimus illius adiumento, & opere nostro: nam quid est præparare cor & os aperire, nisi voluntatem præparare?* Item tractatu 72. in Ioannem: *Credenti in eum qui iustificat impium, deputatur eius fides ad iustitiā, in hoc opere facimus opera Christi, quia & ipsum credere in Christum opus est Christi. Hoc operatur in nobis, non tamen sine nobis.* Item in eodem loco: *Operanti in se Christo cooperatur homo ad saluitem æternam ac iustificationem suam.* Hæc ille. Non igitur dubitari potest, quin S. Augustinus nihil commune habuerit cum sententia hæreticorum, qui nos passiuè tantum concurrere existimant ad actus pietatis internos.

Cæterùm si hæc ita se habent, quæstio initio proposita magis iam implicata videtur: nam ex eodem Augustino audiuimus ipsum, vt velimus, Deū operari sine nobis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& non operari sine nobis: Deum solùm id operari, & nos A
ei cooperari, & alia, quæ pugnantia esse videntur.

Igitur obseruandum est, Deum, secundùm quoddam genus causæ, esse mouentem respectu ipsius velle deliberati, & voluntatem non esse mouentē, sed tantum motam, cùm tamē secūdùm aliud causæ genus, ad eumdem actum volendi producendum Deus concurrat vt mouens, voluntas autem tum vt mota, tum vt mouens, & ideò vtrumque verum esse, Deum operari ipsum velle deliberatum sine nobis, & non operari sine nobis.

Nam si consideremus causam efficientem & physicā illius actus, ea non solùm est Deus per auxilium speciale, sed etiam voluntas per liberum arbitrium, & hoc modo illud velle, est Dei & nostrum, & nos in eo cooperamur Deo, & Deus illud operatur non sine nobis, vt S. Augustinus loquitur in locis paulò antè adductis contra hæreticos.

At si consideremus causam illius eiusdem actus mo- B
talem, id est, causam mouentem suadendo, hortando, consulendo, ea solus est Deus: voluntas autem secūdùm hoc genus causæ non est mouens, sed tantum mota. Nō enim ipsa se voluntas impellit suadendo & hortando, vt velit quod non vult, sed Deus per inspirationes suas intus animæ loquens ei suadet & persuadet, vt velit. Hæc est igitur gratia operans, quæ præuenit conatum & industriam nostram, & operatur vt velimus, quod antea nolebamus, sine nobis operantibus vt velimus, non tamen sine nobis liberè consentientibus dum volumus.

Atque hinc intelligemus, cur ad primum actum voluntatis tantum, requiratur gratia operans, ad reliquos autem non sit necessaria operans, sed cooperans: nam posteaquam cœpimus velle conuerti ad Deum, iam nos ipsi non tātum per liberum arbitrium producimus Deo iuuante reliquos actus, sed etiam nos incitamus & im- C
pellimus, Deo cooperante, ad eos.

At vt corporali similitudine rem illustremus, si aliquis cui expediat nauigare in Orientem, & tamen nolit id fatere: si quis ad eum accedat eique multis allatis rationibus tandem persuadeat, & de nolente volentem faciat: deinde vbi eum velle nauigare cognouerit, procuret illi nauem, pecunias, & cætera, quæ nauigantib. sunt necessaria, is profectò verè dicere poterit, ego solus feci, vt iste nauigationem susципere vellet: nam etiamsi alter rationes allatas audierit, atque apud se expenderit, & tandem assensum præbuerit: non tamen ipse sibi persuasit, neque se ipse mouit, sed amicus eius illum mouit eique persuasit.

Cæterum quod attinet ad exequutionem voluntatis, non potest amicus ille dicere, Ego solus deduli istum in Oriētem, sed solùm, ego illum adiuui & cooperatus sum vt commodè nauigaret. Siquidem ille qui ab amico persuasus nauigare decreuit, sine dubio non sibi ipse defuit, D
sed cogitare cœpit, quid facto opus esset, & conatum atque industriam adhibere ad futuram nauigationem.

Hanc esse veram huius distinctionis explicationem ex ipso Augustino colligi potest: nam in libro de gratia & libero arbitrio, cap. 5. sic loquitur: *Vt apostolus Paulus de cælo vocaretur, & tam magna & efficacissima vocatione conuerteretur, gratia Dei erat sola, quia merita eius erant magna, sed mala.* Vbi soli gratiæ tribuitur conuersio beati Pauli, ac per hoc fuit illa gratia operans, non quia Paulus non cōcurrerit liberè consentiendo, & per liberū arbitrium actum illum conuersionis actiuè producendo, sed quia merita eius erant magna, sed mala, id est, quia non præcesserat ante conuersionem vllum meritum, siue studiū, aut conatus ad conuersionem: solet enim Augustinus meritum appellare quemlibet actū bonum, ratione cuius aliquid aliud accipimus, vt perspicuum est ex epist. 105. & 106. vbi dicit, solam fidem dari sine vllo merito præcedente, quia eam nullus bonus actus præcedit: remissionem verò peccatorum non dari sine merito, quia fides orando illam meretur. Itaque in lib. de gratia & libero arbitrio, cap. 14. *Fides*, inquit, *& non petita conceditur, vt ei petenti alia concedantur.* Et paulò ante dixerat, se fidem appellare voluntatem credendi.

Itaque gratia operans est, quæ facit nos velle credere, quia id in nobis fit sine nobis petentibus, ac multò minus laborantibus & conantib. gratia cooperans est, quæ facit nos velle orare, ieiunare, eleemosynas dare, & Sacramenta requirere, quia id non fit, nisi conatu atque industria nostra cooperante. Hinc idem Augustinus in eodem libro cap. 17. non dicit, Deum operati velle nostrum sine nobis, sed operari, vt velimus sine nobis: nos enim cooperamur Deo volendo, id est, liberè producendo actū volendi, sed non cooperamur faciendo, vt velimus. Quia non ipsi nos mouemus & incitamus ad volendū, sed ipse solus interna inspiratione nos mouet atque impellit.

Fortasse etiam S. Thomas non est alienus ab hac expositione, quamuis enim loco citato 1.2. quæst. 111. art. 2. retulerit gratiam operantem ad actum internum, cooperantem ad externum: tamen probabile est, per internum actum eum intellexisse primū internum, per externum autem intellexisse alios consequentes, quos externi sequuntur: nam in eodem articulo docuit, gratiam operantem necessariam esse in conuersione, cùm voluntas primò de mala fit bona, & ibidem docuit gratiam cooperantem esse necessariam ad actus exteriores, quia ij fieri non possunt, nisi Deus confirmet voluntatem in bono, & præbeat facultatem benè operandi.

Non igitur S. Thomas voluit, gratiam cooperantem simpliciter referri ad actus exteriores, sed ad interiores, vt ex iis pendent exteriores, & hoc modo cùm B. Paulus dicit Deum operari in nobis velle & perficere, per vocem, *perficere*, non est intelligenda sola exequutio externa, sed tam interna quàm externa opera, quæ nascuntur ex primo actu voluntatis. Et cùm S. Augustinus scribit Deum operari in nobis vt velimus, cooperari autem cum ita volumus vt faciamus, per illud, *faciamus*, nō est accipienda actio tantum externa, sed etiam opus internum, vt oratio, contritio, &c.

LIBER

LIBER SECVNDVS
DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO.

CAPVT PRIMVM.

Proponitur quæstio, an auxilium sufficiens omnibus detur.

EXPEDITIS quæstionibus circa partitiones gratiæ, tractanda est grauis illa controuersia, de commutatione gratiæ & prædestinatione diuina, videlicet an gratia sufficiēs ad salutem detur omnib. hominib. &, si ita sit, quomodo saluetur gratuitè prædestinationis veritas. Cuius controuersiæ explicatio omninò necessaria est, ad sequentes disputationes, de libertate arbitrij & gratiæ necessitate. Sunt autem duæ sententiæ contrariæ de proposita quæstione inter quas media incedit veritas. A

PRIMA sententia Pelagianorum est, & eorum qui Pelagianis in Gallia occultè fauebant, Fausti, Cassiani, & aliorum. Docet hæc sententia, gratiam Dei omnib. hominib. paratam esse, modo ipsi eā petere & excipere velint, posse autē vnumquemq; ex virib. liberi arbitrij sine alia prænieńte gratia, ipsam gratiam expetere, inuocare, ex- B
cipere. Refert hanc sententiam siue potius hæresim S. Augustinus in lib. 1. ad Bonifacium cōtra duas epistolas Pelagianorum, cap. vlt. & in epist. 106. & 107. & in libro de prædestinatione Sanctorum, cap. 1. & 2. eamdem referūt Hilarius & Prosper in epist. ad Augustinū, & Petrus Diaconus in libro de incarnatione & gratia Christi, cap. vlt.

ALTERA sententia priori contraria est eorum omnium, qui non agnoscunt distinctionem inter auxilium efficax & sufficiens, in quorum numero sunt Lutherus in assertione art. 36. & Caluinus lib. 2. Institutionū, c. 22. §. 10. & c. 24. §. 15. & 16. hi enim docēt multis deesse sufficiens auxilium ad salutem, omnib. iis videlicet, qui non sunt à massa perditionis diuina prædestinatione discreti.

Inter has contrarias pugnantes sq; sententias incedunt Theologi Catholici quamplurimi, ac fere omnes, qui do- C
cent omnib. hominib. pro loco & tempore sufficiens auxilium non deesse, & tamen sine præueniente gratia, neminem posse gratiam desiderare, petere, vel accipere. Vide Alexandrum Alensem in 3. p. summæ. q. 69. memb. 5. art. 3. Albertū Magnum in 2. Sent. dist. 28. art. 1. S. Thomam in 1. 2. q. 109. art. 8. ad 1. & in lib. 3. contra Gentiles, c. 159. S. Bonauenturam in 2. Sen. dist. 28. art. 1. q. 3. Scotum in 1. Sent. dist. 46. & ex recentioribus. Adrianum Papā in q. 3. de præiect. Joannem Roffensem in refutatione art. 36. Franciscum Ferrarien. in commentario lib. 3. contra Gentiles, c. 159. Ioan. Driedonem in lib. de captiuitate, & redemptione generis humani tract. 5. Ruardum Tappe- D
rum in explicatione articuli de libero arbitrio, Dominicum à Soto lib. 1. de natura & gratia, c. 15. & 18. Andreā Vegam lib. 13. super Concilium Tridentinum, cap. 13.

Quoniam autē explicatio propositæ quæstionis multa continet capita, neque vna responsione absolui potest, per aliquot propositiones rē totā expedire conabimur.

CAPVT II.

Auxilium gratiæ non expectare, sed præuenire voluntates nostras, neque æqualiter omnibus adesse.

SIT igitur prima propositio: *Auxilium gratiæ Dei non ita offertur omnibus hominibus, vt Deus expectet homines, qui illud desiderent vel postulēt, sed præueniat omnia desideria & omnem inuocationem.* Hęc propositio est contra Pelagianos, & Pelagianorū reliquias, & habetur in Cōcilio Arausicano can. 3. & 4. vbi sic legimus: *Si quis per inuocationem humanam, gratiā dicit posse conferri, non autem ipsam gratiā facere, vt inuocetur a nobis, contradicit Isaiæ Prophetæ, vel Apostolo idem dicenti: Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant.* Itē: *Si quis vt a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem, vt etiam purgari velimus per sancti Spiritus infusionem & operationem fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui sancto per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas à Domino, & Apostolo salubriter prædicanti, Deus est, qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate.* Vide quæ scripsimus in 6. lib. c. 2. 4. & 5. nam illa omnia hanc propositionem confirmant.

SECVNDA propositio: *Auxilium gratiæ Dei non æqualiter omnibus adest.* Hæc propositio in diuinis literis ita luculēter habetur, vt mirum videri possit ab vllo vnquam fuisse negatam. Vrget S. Augustinus illud Sap. 4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum illius aut ne fictio loqueretur animam eius.* Certè enim non omnibus hoc præstat Deus, vt eos rapiat, antequam in peccata labantur. Vrget etiam illud Matth. 11. *Si in Tyro & Sidone hæc facta fuissent, in cinere & cilicio pœnitentiam egissent.* Vbi videmus Deum mirabili- C
ter iusto, & sibi soli noto iudicio non solùm non æqualiter omnib. gratiæ auxilia subministrare, sed etiā iis, quos credituros præuidebat, si miracula Christi vidissent, ea miracula non ostendisse, & eadem illis ostendisse, quos præuidebat quibuscumque visis miraculis, minimè credituros.

Huc pertinet etiam illud Matth. 13. *Vobis datum est nosse mysteriam regni Dei, cæteris autem non est datum.* Et illud Rom. 9. *Cuius vult misereatur, & quem vult indurat.* Et Rom. 12. *Vnicuique Deus diuisit mensuram fidei.* Et 2. Thess. 3. *Non omnium est fides.* Et Philipp. 2. *Vobis donatum est, vt in illum credatis.* D

Denique, vt alia innumerabilia prætermittam, si gratia æqualiter omnib. adest, quomodo Deus in præteritis generationib. permisit omnes ingredi viās suas, nunc autem annunciat vt pœnitētiam agant, vt legimus Act. 14. & 17. cur Paulus illo ipso tempore, quo spirabat minas

Universidad de Deusto
Biblioteca

& cædes in discipulos Domini, diuino miraculo, Christo ipso eum vocante, conuertitur, cum tam multos minus fortasse malos in delictis suis Deus iacere permittat? Cur ex paruulis morientibus interdum filius optimi viri sine Baptismo decedit & perit, filius adulteri, vel incestuosi Baptismo absolvitur & regno potitur æterno? Cur demum inscrutabilia esse dicit Apostolus iudicia Dei, & inuestigabiles vias eius in electione & reprobatione mortalium, si gratia æqualiter omnibus adest, & ex arbitrio hominum pendet vt ea capiant, vel abiiciant? vide S. Augustinum in libro de prædestinatione Sanctorum, Prosperum in libro contra Collatorem, Petrum Diaconum in libro de incarnatione & gratia Christi, Fulgentium in libro eiusdem argumenti, Ioannem Maxentium in professione fidei, & totum Arausicanum Concilium, vbi diligentissimè totus hîc Pelagianorum error euertitur.

CAPVT III.

Soluuntur argumenta Pelagianorum & Pelagianis fauentium, contra duas propositiones capitis superioris.

ARGVMENTA, quibus error Pelagianorum confirmari solet, facilè solui possunt.

PRIMVM sumitur ex ca. 6. Sap. *Aequaliter est illi cura de omnibus.* RESPONDEO, vox *æqualiter*, nõ videtur hoc loco referenda ad ipsam curam, quasi Deus non magis curet rem vnam quàm aliam, sed ad res ipsas, quæ curantur, vt sensus sit, nihil omnino subtrahi à prouidentia Dei, sed res omnes, nullâ prorsus excepta, quamuis infimâ & vili, diuina prouidentia gubernari. Quod significantiùs exprimit vox Græca, quæ habetur hoc loco, videlicet κοινῶ, id est, communiter.

Sed fac illud, *æqualiter*, referri ad curam & prouidentiam, nihil tamen Pelagiani inde lucrantur: nam non loquitur Sapiens de beneficio gratiæ, sed de retributione præmiorum atque pœnarum. Præcedit enim illud: *Horrendè & cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum, in his qui præsunt fiet.* Itaque sententia huius loci est, in extremo iudicio Deum non acceptarum personas Regum & Principũ, sed ex æqualitate iustitiæ sententiã esse laturũ.

SECVNDVM argumentũ sumunt ex illo Ioan. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Vbi videtur Christus conferri cum Sole, qui lucem suam in omnia loca æquè diffundit. Respondeo, posset hic locus non incommodè referri ad naturalem illustrationem, quæ fit in nobis, cùm in creatione lumen intelligentiæ & rationis accipimus: Tamen quoniam Chrysostomus & Cyrillus in commentario exponunt de lumine gratiæ. Respondeo, sensum huius loci esse, à Christo illuminari omnes homines, non quod omnes illuminentur, cùm multi in infidelitate remaneant, sed quoniã nemo illuminatur, nisi per ipsum, vel, si magis placeat, illuminari dicas omnes homines per Christum, quoniã omnibus præbet auxilium sufficiens, quo conuerti & credere possint, quamuis nec lumen æquale omnib. præbeat, neq; expectet vt homines illuminari cupiant, & experãt, sed ipse desideria & preces illuminãdo præueniat.

Porrò similitudines non in omnibus rebus conuenire debent, ac per hoc neque necesse est, vt si Sol non illuminat cœcos, id etiã non faciat Christus, & si Sol nõ aperit fenestras domus, neq; Christus aperiat fenestras cordis, & si Sol lucem suam æqualiter vbiq; diffundit, Christus quoq; nõ diuidat vnicuiq; mensuram fidei & donorum, sed æqualiter omnib. hominib. gratiæ suæ dona tribuat.

TERTIVM sumunt ex illo Ioan. 1. *Quotquot receperunt eum, dedit illis potestatem filios Dei fieri.* Hic enim videmus Deum expectare vt recipiatur, & tum demũ his, qui se recepetint, dare gratiam, per quam filij Dei fieri possint. Respondeo, verè Deus expectat vt recipiatur, vt det susципientibus se potestatem filios Dei fieri.

Cæterùm, quia recipere Deum in hoc loco Euangelij nihil est aliud, nisi credere, vt ibidẽ declaratur, cùm subditur, *his qui credunt in nomine eius*: nemo autem potest credere nisi Deus fidẽ illi donauerit, dicente Apostolo Philipp. 1. *Vobis donatum est vt in illum credatis.* Ideò nemo potest eum recipere, nisi gratia eum diuina præueneret. *Gratia estis saluati* (inquit Apostolus Ephes. 2.) *per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Ac si diceret, gratiã potestatem accepistis vt filij Dei efficeremini, quoniam per fidem recepistis Deum, quæ fides donum ipsius est, vide Augustinum lib. 1. ad Bonifacium, cap. 3.

QVARTVM sumunt ex illa promissione: *Petite, & dabitur vobis, omnis enim qui petit accipit.* Et: *Dabit spiritum bonum petentibus se.* Luc. 11. Respondet S. Augustinus lib. 4. in Iulianum, cap. 8. non posse peti spiritum bonum, nisi prius spiritus bonus fidem infundat, & per eam excitet ad petendum. Nam *quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt*, Rom. 10. Et: *Postulet in fide nihil hæsitans*, inquit Iacobus c. 1. fidẽ autem donũ esse Spiritus sancti, docet idẽ Apostolus 1. Cor. 12. *Alteri datur fides in eodem spiritu*, itaq; *spiritus adiuuat infirmitatem nostram, quid enim oremus sicut oportet, nescimus*, Rom. 8.

QVINTVM sumunt ex illa Christi vocatione: *Venite ad me omnes qui laboratis, &c.* Matth. 11. Respondeo, inuitat Christus omnes vt veniant, non quod possint homines solis naturæ viribus venire, cùm scriptum sit Ioan. 6. *Nemo potest ad me venire, nisi Pater qui misit me traxerit eum.* Sed vt admoneat, vt gratiæ præuenienti cooperentur, & non resistant Spiritui sancto.

SEXTVM sumunt ex illis Scripturis, quæ testantur, Deum non esse acceptorem personarum, Act. 10. Rom. 2. 1. Petri 1. &c. hinc enim sequi videtur, vt Deus nõ magis ex se faueat vni, quàm alteri: sed volentes curari, sanet, non volentes, deserat. Respondeo, acceptio personarum vitium est contra iustitiam, & ideò locum non habet in donis gratiæ.

Itaq; in iis rebus quæ quoquomodo iustitiam sapiũt, Deus æquus est omnib. neq; personas accipit, sed vnicuique reddit secundùm opera sua: at in donis gratiæ nemini facit iniuriam, si vni dat quod alteri negat. Immò in ipso iudicio quamuis acceptio personarum esset alicui minus præmium dare, quàm iusto iudicio mereatur, vel maiori supplicio afficere, quàm dignus sit reus: tamen si alicui maius præmium aut minorem pœnam dare voluerit, non erit acceptor personarum: etiamsi id non cum omnibus seruet, quoniam hoc non est iustitiæ, sed liberalitatis, iuxta illud Matt. 20. *Amice non facio tibi iniuriam, tolle quod tuum est & vade: volo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi: an non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* vide Augustinum in epist. 105. non procul ab initio & lib. 2. ad Bonifacium, cap. 7.

SEPTIMVM sumitur ex illo 1. Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Nimirum, inquiũt, si ipsi voluerint. Respõdeo, loquitur Apostolus de resurrectione corporali iustorum: nam, vt rectè explicat S. Augustinus in epist. 89. q. 3. non dicuntur viuificari in Christo, nisi illi qui resurgunt ad vitam beatã, quæ sola vita dicenda est: impij enim resurgent quidem, sed ad mortem, id est, ad miseriam sempiternam. Itaque hic locus non facit ad propositum, cùm de gloria æterna, non de gratiæ beneficiis intelligi debeat.

Sed instat Faustus, Apostolus comparat Adamum cum Christo, seu potius Christum cum Adamo, sed in Adam mortui sunt omnes homines, igitur in Christo viuificabuntur omnes homines, non autem viuificantur omnes vitã gloriæ, ergo debet intelligi hic locus de vita gratiæ, quam Christus omnibus paratus est dare, modo ipsi velint.

SED

Sed facilis est responsio: nam in Adam non moriuntur omnes homines, sed ij tantum qui ex Adamo nascũtur, quo etiam modo non viuificantur in Christo omnes homines, sed ij tantum, qui per ipsum renascũtur. Quod si de vita gratiæ Apostolus loqueretur, promptum esset respondere, omnes in Christo viuificari, non quod omnes homines viuificentur, sed quia nemo viuificatur, nisi per Christum, sicut nemo perit, nisi per Adamum, hoc est, nisi ex Adamo originem trahat.

Denique posset etiam Fausto concedi in Christo viuificari vitã gratiæ omnes homines, modo ipsi velint: sed addendum esset, neminem velle per Christum viuificari, nisi Deus eum præueniens, faciat eũ velle. Deus est enim qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate, Philipp. 2.

OCTAVVM sumunt ex illis locis quę testantur Deũ velle omnium hominum salutem vt 1. Timoth. 2. *Vult omnes homines saluos fieri.* 1. Timot. 4. *Qui est saluator omnium hominum.* 2. Petri 3. *Neminem vult perire, sed omnes ad agnitionem veritatis venire.* Respondeo, hæc loca parum ad rem faciunt. Solùm. n. significant, Deum nõ impedire quemquam à salute. Immò remedia & auxilia pro omnibus in commune instituisse, prædicationem Euangelij & Sacramenta voluisse omnibus esse cõmunia, &c. sed ex his nemo rectè colliget, Deum expectare vt homines suis viribus velint salui fieri.

Sed, inquiunt, si Deus vult omnes saluos fieri, cur non fiunt omnes salui, nisi quia ipsi nolunt? Respondeo, verissimum est, nõ fieri omnes saluos, quia ipsi nolunt: nam si vellent, Deus eis vtique nõ deesset. Cæterùm nemo vult saluus fieri, nisi Deus, præueniendo ac præparando voluntatem faciat eum velle: cur autem Deus non faciat omnes velle, quis nouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? itaque sicut verum est, non omnes saluos fieri, quia ipsi non volunt, sic etiam verum est, nõ omnes saluos fieri, quia Deus nõ vult voluntate illa beneplaciti, de qua scriptum est in Psal. 113. *Omnia quæcumque voluit fecit in cœlo & in terra.* Et tamen simul etiam verum est, Deum velle omnes saluos fieri voluntate illa, quam rectè Theologi antecedentem vocant.

POSTREMVM argumentum adferri potest ex ipso Augustino, à quo vel inuito, vt aiunt quidam, testimonium extorsit veritas: nam in commentario Psalmi 45. tractans illud: *Deus in medio eius non commouebitur*, sic air, *quid est Deus in medio eius? hoc significat, quod æquus est omnibus Deus & personas non accipit: quomodo enim illud, quod in medio est, paria habet spacia ad omnes fines, ita Deus medius esse dicitur æqualiter omnibus consulens.*

RESPONDEO, loquitur in eo loco S. Augustinus de iis tantum auxiliis, quæ aliquo modo sunt debita, & iustitiam sapiunt, vbi locum habere posset acceptio personarum: in his enim Deus omnib. est æquus, & non accipit personas, & qualiter omnib. consulit, quia neminem impellit ad malum, omnes hortatur ad bonum, neminem punit nisi malum, neminẽ remuneratur nisi bonum, nulli subtrahit communia auxilia: alia verò ratio est donorum gratiæ, quæ nemini sunt debita.

CAPVT IV.

Non posse Deum iniustitiæ accusari, si non daret omnib. auxilium sufficiens ad salutem, neque de vllo desperandum esse.

SIT iam tertia propositio: *Nulla esset in Deo iniustitia, si non solũ aliquibus, sed etiam omnibus hominibus auxilium sufficiens ad salutem negaret.* Hæc certissima est apud eos, qui ex diuinis literis peccatũ originale nouerũt: nam cùm per peccatu primi hominis nascamur omnes filij iræ (vt Apostolus docet ad Ephes. 2.) nihil nobis iure debetur, nisi pœna. Hinc Sap. 12. dicit Spiritus sanctus: *Quis stabit contra iudicium tuum, aut quis resistet impetui tuo si peccauerint gentes quas tu fecisti?* Et Apostolus ad Rom. 9. demonstrat, solã esse misericordiã, qua Deus ex massa perditionis aliquos vasa facit in honorẽ, vnde etiã vasa misericordiæ appellat. Et ea causa est, vt S. Augustinus docet in epist. 105. cur pauci sint qui saluantur, vt nimirũ intelligamus, quid omnib. deberetur: denique prima gratia datur immerenti, ac per hoc modis omnib. est indebita: nulli igitur fieret iniuria si ea gratia nemini præberetur. Itaque S. Augustinus. lib. de bono perseu. c. 8. *Nõsmus ergo, quod tam multos liberat misericors Deus de tam debita perditione, vt si inde neminem liberaret, non esset iniustus.*

QVARTA propositio: *Siue detur sufficiens auxilium omnibus, siue tantũ aliquibus, nos tamen de nullius salute, quamdiu in hac vita fuerit, desperare debemus, neq; ab illo subtrahere correptionem, exhortationẽ, & alia caritatis officia.* Hæc quoq; sine cõtrouersia recipitur ab omnib. nam tametsi nonnulli ita desererentur à Deo, omniq́ue auxilio prorsus destituerentur, vt nulla ratione conuerti possent: nos tamen qui nescimus qui sint illi, de omnib. benè sperare debemus, ac dicere cũ Propheta Ioële: *Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus, & relinquat post se benedictionem?* Ioël. 2. Et Apostolum Paulum audire, qui iubet vt mansueti simus ad omnes, & cũ patientia & modestia corripiamus eos, qui resistunt veritati, ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendã veritatẽ & resipiscant à diaboli laqueis.

Hinc S. Augustinus lib. de correp. & gratia, ca. 15. *Nescientes*, inquit, *quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus caritatis affectu, vt omnes velimus saluos fieri.* Et c. 16. *Quantum ad nos pertinet, qui prædestinatos à nõ prædestinatis discernere non valemus, & ob hoc omnes saluos fieri velle debemus omnib. ne pereant, adhibenda est a nobis medicinaliter seuera correptio.* Quod idẽ repetit in 1. lib. retract. c. 19. Sanctus quoque Leo in serm. 4. de Epiphania: *Dum* inquit, *hoc in corpore viuitur, multus desperãda regnatio, sed omnium est optanda correctio, auxiliante Domino, qui erigit elisos, soluit compeditos & illuminat cœcos.*

CAPVT V

Auxilium sufficiens ad salutem, pro loco & tempore, omnibus dari.

VINTA propositio: *Auxilium sufficiens ad salutem, pro loco & tempore, mediate vel immediatè omnibus datur.*

Dicimus, *auxilium sufficiẽs ad salutem*: nam de auxilio sufficienti ad non peccandum, alia ratio est, vt infra suo loco patebit. Itaque hìc tantum differimus de auxilio sufficienti ad resurgendum à peccato, atque ad iustificationem & salutem comparãdam.

Dicimus, *pro loco & tempore*, quoniam non definimus hoc loco, vtrum omni tempore, omniq́ue momento tale auxilium adsit: de hac enim re paulò post agemus, sed tantum id asserimus, nullum esse, qui non aliquando salutem hoc auxilium habeat.

Dicimus denique, *mediatè vel immediatè*, quoniam iis, qui vsu rationis vtũtur, immitti credimus à Deo sanctas inspirationes, ac per hoc immediatè illos habere gratiam excitantẽ, cui si acquieuerint, possint ad iustificationem disponi, & ad salutem aliquando pertingere: iis autem qui rationis vsum non habent, quales sunt infantes vel ab infantia mente capti, mediatè auxilium donari censemus, quoniam parentes eorum non solùm sibi ipsi prospicere, sed etiam filiis suis, præsertim rationis vsu carentibus, Baptismum procurare possũt, si volunt.

Hæc igitur propositio sic explicata probatur primum ex diuinis literis Psal. 18. *Non est qui se abscondat a calore eius.* Augustinus in hunc locũ: *Nullum* inquit, *mortalium permissa excusare si de umbra mortis & ipsam enim penetrauit verbi calor.* Item Psal. 24. *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Videtur enim hoc loco significare Spiritus sanctus, omnibus hominib. primum à Deo exhiberi misericordiam, deinde si ea non vtantur, exhiberi iudicium: non potest autem rectè dici, agi cum aliquo misericorditer, quod attinet ad salutem, nisi detur ei sufficiens auxilium ad salutem, neque iustè puniri potest, qui ex diuino auxilio non proficit, si auxilium non fuit sufficiens.

Item Prouerb. 1. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba sua dicēs, vsquequo paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient, & imprudentes odibunt scientiā? conuertimini ad correptionē meam. Ecce proferā vobis spiritum meū, & ostendā vobis verba mea. Quia vocaui & renuistis, extendi manum meā, & non fuit qui aspiceret: ego quoq; in interitu vestro ridebo.* Hęc certè prædicatio generalis & comminatio item generalis satis apertè significat Dei sapientiam, nullum ita deserere, quin aliquan do eum vocet & auxilium sufficiens illi præbeat.

Item Sap. 11. *Misereris omnium, quia omnia potes & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam: diligis enim omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti. Nec enim odiens aliquid constituisti aut fecisti. Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt Domine qui amas animas.* Hæc certè vix intelligi possunt, nisi fateamur omnib. tribui sufficiens auxilium: quomodo enim misereretur omnium, & parcit omnibus, si nō dat saltem eis auxilium, quo ad reconciliationem possint peruenire si velint? Neq; debēt hæc restringi ad electos, nam ratio cur Deus omnibus pareat, & omnium misereatur, redditur hoc loco ex creatione, quia Deus omnes creauit, & quoniam amat animas, & res à seipso factas: at creatio communis est omnibus absolutè.

Item Sap. 12. *Si inimicos seruorum tuorum, & deditos morti, cum tanta cruciatū attentione, dans tempus & locū per quæ possent mutari à malitia, cum quanta diligentia iudicasti filios tuos?* At frustra Deus daret tempus & locū peccatoribus, per quæ possent mutari à malitia, nisi auxilium etiam præberet, sine quo mutari non possunt.

Item Ezech. 33. *Sic locuti estis dicentes, iniquitates nostræ & peccata nostra super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus, quomodo ergo viuere poterimus? dic ad eos viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem impij sed vt conuertatur impius a via sua & viuat: conuertimini, conuertimini, & quare moriemini?* illa exhortatio, cōuertimini, cōuertimini, irrisoria videretur, nisi Deus dedisset illis vires, quibus cōuerti possent. Non fuisse autē irrisoriam siue ironicam exhortationem, testatur iuramentum illud, *viuo ego dicit Dominus, nolo mortem impij, &c.*

Item illud Matth. 5. *Qui Solem oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Monet S. Ambrosius serm. 8. in Psal. 118. intelligendum esse etiam de Sole iustitiæ & pluuia gratiæ. Illa item inuitatio: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis* Matth. 11. Ne sit frustra, requirit omninò, vt sicut vocatio est generalis, ita & auxilium quo possint homines venire, sit generale.

Illud item Ioan. 1. *Illuminat omnem hominem*, suprà diximus ex commentario Chrysostomi & Cyrilli, referri ad lumen gratiæ, quò nemo omninò priuatur. Illud quoque 1. Timoth. 2. *Vult omnes saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* Et 2. Pet. 3. *Non vult aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam conuerti.* Exponitur quidem variis modis à S. Augustino, sed illa expositio videtur maximè congruere Apostolicæ sententiæ, quam habet in lib. de spiritu & litera, cap. 33. vbi exponit quæstionem, cur Deus non det omnibus velle credere, cum velit homines omnes saluos fieri. Et respondet Deum velle omnes saluos fieri, sic tamen, vt non adimat eis liberum arbitrium, quo vel benè vel malè vtentes iustissimè iudicentur, & addit, infideles contra Dei voluntatē facere, cū non credunt Euangelio, tamen non vincere Dei voluntatē, quoniā experiētur in suppliciis potestatē eius, cuius in donis misericordiā cōtemserunt. Et ponit similitudinem Domini, qui vult vt omnes serui laborent in vinea, sic tamen vt si qui operari noluerint, detrudantur in pistrinum.

Ex his intelligimus hanc fuisse Augustini sententiam de hoc loco Apostoli, Deū velle omnes saluos fieri, quia dat omnib. vnde possint velle credere & saluari, sic tamē vt si ipsi noluerint, non saluentur, sed ad supplicia destinentur æterna, quæ fuit etiā expositio S. Prosperi li. 2. de vocatione gentiū, c. 23. 25. & 28. Itē cōmentariorum qui tribuuntur Ambrosio, itē Chrysostomi, Theophilacti & Oecumenij, qui dicunt Deū velle oēs saluos fieri, si & ipsi velint, nimiru si velint cooperari diuinę gratiæ pueniēti.

Illud itē 1. Tim. 4. *Qui est saluator omnium hominum maximè fidelium.* Vix potest aliter exponi, quàm vt exponit S. Prosper in lib. 2. de vocatione gentiū, cap. 10. vt videlicet intelligamus, Deum saluatorem esse omnium. Quia dat omnibus, vnde saluari possint, sed maximè fidelium, quia dat illis non solùm, vt saluari possint, sed etiā vt saluētur.

Denique illud 1. Cor. 15. *Pro omnibus mortuus est Christus.* Et 1. Tim. 2. *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Et 1. Ioan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris non solū autem nostris, sed etiam totius mundi.* Quomodo potest verum esse, si nō datur omnib. aliquid vnde Christi mortis participes fieri queant? nam cùm non possit vllus sine præueniente dono particeps esse mortis Christi & precij redemptionis huius, frustrà Christus pro omnib. precium soluit, si noluit omnibus viam aperire, qua ad redemptionem peruenire possent.

Probatur secundo eadem sententia testimoniis Patrū. S. Dionysius Areopagita in li. de cœlesti hier. c. 9. *Nempe, inquit, & alys gentibus ex quibus & nos ad immensum & infinitum diuini luminis Pelagus, quod semper paratum est, & parcit omnibus ad participandum, ex præterita erroris cæcitate respiratimus, ad quod sane obsequentes ducebant Angeli præpositi singulis gentibus.* Quærit eo loco Dionysius cur soli Iudæi Deū verum aliquando coluerint, gentes autem penè omnes ad idola defluxerint. Respondet verò, id factum esse ex desidia & nequitia gentilium, qui noluerunt diuinum lumen aspicere, aut in eo permanere, cū ipsum lumē omnibus pateat ad participandum, & Angeli singulis gentibus à Deo præpositi muneri suo nequaquam desint, vbi quod dicit B. Dionysius diuinū lumen paratū esse, & patere omnibus ad participandum, non significat diuinum lumen offerri volentibus suis viribus illud excipere, vt Pelagiani delirant, sed paratum esse & patere omnibus, quoniam Deus omnibus porrigit auxilium, quo possint, si velint, oculos cordis aperire & illuminari.

S. Irenæus li. 4. c. 71. *Vis inquit, a Deo non fit, sed bona sententia adest illi* (homini videlicet) *semper, & propter hoc consilium quidē bonū dat omnibus: potest autē in homine potestatem electionis, abijcientes igitur bonum, & quasi effluentes meritò omnes iustum iudicium incident Dei.* Vbi per consiliū bonum, quod Deus dat omnib. debet intelligi interna suasio cū aliis omnib. quæ necessaria sunt ad conuersionem, alioqui enim non iustè iudicarentur tamquam contemptores consilij diuini; nisi vires à Deo accepissent, quibus illud amplecti & exequi possent.

Clemens Alexandrinus in oratione exhortatoria ad gentes, vitra medium: *Audite, inquit, qui estis longè, auribus qui prope, nullis celatum est verbum lux est communis, omnibus illucescit hominibus nullus est in verbo Cimmerius.*

Origenes lib. 3. de principiis c. 1. multis argumentis & similitudinib. hoc ipsum probat, oēs homines posse saluari, & soluit argumenta contraria, explicans ferè omnia testimonia Scripturarum, quę ad hunc locum pertinent. Et quamuis Origenis libri de principiis non paucos errores contineant, tamen neque Epiphanius, neque Hieronymus, neque Philastrius, neque Augustinus hāc sententiam inter errores Origenis numerant.

S. Hilarius li. 1. de Trin. ante mediū: *Esse inquit, filios Dei non necessitatē esse, sed potestatē, quia proposito vniuersis Dei munere, nō natura gignēdis affuratur, sed voluntas præmiū cōsequatur.*

S. Ambrosius serm. 8. in Psal. 118. explicans illud: *Misericordia*

sericordia Domini plena est terra. Sol inquit, iustitia omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passis est, & omnibus resurrexit, si quis autē non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat, vt si quis clausis fenestris radios Solis excludat.

S. Ioannes Chrysostomus hom. 7. in Ioan. *Si illuminat, inquit, omnem hominem venientem in hunc mundum, quonam pacto tot homines sine lumine permanent, neque enim omnes Christum cognouerūt, quomodo ergo illuminat omnem hominem? illuminat profectò quantum in ipso est, si qui autē sponte sua mentis oculis connitentibus ad huius lucis radios aciem dirigere noluerint, non ex luminis natura in tenebris perstiterunt, sed ex malitia, qui sponte tanto se dono indignos reddiderunt.*

S. Cyrillus idem docet iisdem ferè verbis, in lib. 1. in Ioan. c. 11. quæ frustra repetenda non videntur.

S. Paulinus in epi. 1. ad Apium: *Hinc, inquit, in omni loco plura quotidie mirabilia soluto signa crebrescunt, vt omnem, quantum in ipso est, hominem saluum faciat: ostendit in variis quod omnibus, si velint, prosit: sufficit enim vniuersorum institutioni forma paucorum, quæ in vtrumque proponitur, vt credentibus exemplo sit, indurantibus testimonio.*

S. Augustinus præter locum citatum ex lib. de spiri. & lit. c. 33. habet alium locum apertissimum in lib. 3. de libero arbitrio, c. 19. quem iisdem verbis repetit & cōfirmat in lib. de natura & gratia, ca. 67. ne fortè dicatur reuocatus post exortam hæresim Pelagianam. Hæc igitur sunt eius verba, quibus respondet querimoniæ hominū dicētium, se non posse vincere concupiscentiam & ignorantiam, &c. *Quibus inquit, breuiter respondetur vt quiescant, & aduersus Deum murmurare desistant. rectè enim fortasse quererentur, si erroris & libidinis nullus victor existeret, cùm verò vbique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi domino seruientem, auersum vocet, docens credentem, consolatur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adiuuet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam, quod inuitus ignoras, sed quod negligis quærere quid ignoras: neque illud, quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis.* Sed mentem S. Augustini adhuc apertius ex diligentissimo eius discipulo & sectatore discemus.

S. Prosper in 2. lib. de vocatione gentium, cap. 14. *Neque, inquit, ob hoc excusabiles sunt nationes, quæ alienatæ à conuersatione Israël. spem non habētes, & sine Deo in hoc mundo sub ignorantiæ tenebris perierunt: quia hæc abundantia gratiæ, quæ nunc vniuersum mundum rigat, pari antea largitate non fluxit. Adhibita enim semper est vniuersis hominibus quædam superna mensura doctrinæ, quæ & si parcioris occultioris q; gratiæ fuit: sufficit tamen sicut Dominus iudicauit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium.*

Et cap. 26. *Gratia quidem Dei in omnibus iustificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationib. monēdo exēplis, terrendo periculis incitando miraculis, dando intellectū, inspirādo consilium, cord. ipsum illuminando, & fidei affectionib. imbuendo.*

Et infrà: *Quæ opitulatio per innumeros modos, siue occultos, siue manifestos omnibus adhibetur: & quod à multis refutatur, ipsorum est nequitia, quod autem à multis recipitur, & gratiæ est diuinæ & voluntatis humanæ.*

Et infrà cap. 26. *Fit inquit, manifestum, quod diuersis atque innumeris modis oēs homines vult Deus saluos fieri, sed qui veniūt Dei auxilio diriguntur, qui nō veniunt sua pertinacia reluctantur.*

Et inf. c. 31. *Et laboratū est, quantū Dominus viuit, vt nō solū in nouissimis diebus, sed etiā in ciuitate retro seculis probaretur, gratiā Dei omnib. hominibus adfuisse, quoniā siue manifestè siue occultè, ipse est, vt Apost. ait saluator omniū hominum, maximè fidelium.*

Nec solū adultis, sed etiā paruulis auxiliū ad salutem non deesse idem auctor docet in eodem lib. c. 23. *Non irreligiosè inquit, arbitror credi, quod isti paucorū dierū homines ad illam pertineant gratiæ partē, quæ semper vniuersis est impēsa nationibus, qua vtique si bene vterentur eorum parentes, etiam ipsi per eosdem iuuarentur. omnia namque exordia paruulorū, totāque illa principia, nondum rationalis infantiæ sub arbitrio iacent voluntatis alienæ, nec vllo modo eis, nisi per alios consuli potest: &*

consequēs est, illos ad eorū pertinere cōsortiū, quorum vel rectō, vel prauo aguntur affectu: sicut enim ex aliena confessione credunt, sic ex aliena infidelitate vel dissimulatione non credunt. Et cum ipsi, nec præsentis vitæ desiderium habuerint, nec futuræ, quam ipsorum factum est nasci, tam ipsorum efficitur non renasci.

Habemus igitur ex Scripturis & Patribus satis probabiliter piéque credi, nemini deesse, aut vmquam defuisse auxilium sufficiens ad salutem. Argumenta cōtraria soluentur commodius paulò infrà cap. 22.

CAPVT SEXTVM.

Auxilium Dei necessarium ad conuersionem, non adest peccatoribus omnibus momētis, sed certis temporibus, prout iudicat Deus munera sua esse distribuenda.

SEXTA propositio: *Auxilium Dei sufficiēs & necessarium ad resurgendum a peccato, etsi nulli desit pro loco & tempore, non tamen adest omnibus momentis.* Hæc propositio non à nobis primū asseritur, sed ante nos confirmarunt eandem Alphonsus Episcopus Abulensis in ca. 4. Exodi. q. 12. Adrianus VI. Papa in q. 3 de pœnitentia. Thomas Cardinalis Caietanus in 1. q. ientaculi 8, Ioannis Roffensis in refutatione art. 36. Lutheri. Ioannes Driedo in lib. de cap. & redemptione generis humani tract. 5 & Ruardus Tapperus in explicatione arti. 7. Louanienſium, qui sic loquitur: *Mihi certum est nō omnibus & singulis semper adesse huiusmodi auxilium, quo opus est vt conuertatur aut conuerti possit peccator.* Andreas Vega in lib. 13. in Concil. Trid. ca. 19. dicit quidē peccatores omni momento posse cōuerti, sed addit, non posse omni momento eam potentiam in actum deducere, itaque in re non dissentit à cæteris.

Probatur igitur hæc propositio ex diuinis literis Eccle. 7. *Considera opera Dei, quod nemo potest corrigere quem ille despexit.* Certè qui hoc dixit, pro comperto videtur habere, aliquos à Deo interdū ita despici ac deseri, vt cōuerti nequeant. Itē Ioan. 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorū.*

Quo loco notandum est, illud, *non poterant credere*, non esse dictum solùm propter certam præscientiam futurorum, id est, quia præuiderat Isaias eos non credituros, quomodo possemus dicere, non poterat Petrus non negare Saluatorem, quandoquidem Christus, qui mentiri nō poterat, eum negaturum fuisse prædixerat. Nam hoc paulò antè significauerat Ioannes illis verbis: *Cum autem tanta signa fecisset, non credebant in eum, vt sermo Isaiæ impleretur, Domine quis credidit auditui nostro?* ibi igitur causſam reddidit cur non crederēt ex prædictione Isaiæ sed mox adiungit aliam causſam ab excæcatione, & de ea dicit: *Et propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, excæcauit oculos eorum.* Porrò excœcati nō solùm non vident, sed etiam videre durante excœcatione non possunt.

At, inquies, quamuis excœcati videre non possint, tamen remouere possunt excœcationem, si cooperentur gratiæ præuenienti, & sic absolutè videre possunt. Fateor, excœcatos posse remouere excœcationem, si gratiæ præuenienti cooperentur: sed gratiam præuenientem non esse adesse confirmo, idque colligi dico ex loco Euangelij iam citato: nam cùm adest gratia præueniens, incipit homo videre, aut certè posse videre. gratia enim præueniens illuminat cor, proinde non est ille simpliciter excœcatus, cui gratiæ diuinæ lumen affulget: & si semper adesset graria præueniens, per quam possent omnes peccatores semper videre nulli essent simpliciter excœcati: quod certò repugnat Scripturæ allegatæ, aliisque quamplurimis.

Præterea B. Paulus in posteriore epist. ad Tim. c. 2. admonet, patienter ac māsuetè corripiendos esse peccatores, & causſam reddens ait: *Ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendā veritatē, & resipiscant à diaboli laqueis.* Quo loco videmus donū pœnitētiæ non semper adesse,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed dari à Deo quando & quibus ipse voluerit, alioqui A non diceret Apostolus, ne quando det, si semper daret.

Secundo probatur idem ex Patribus. S. Augustinus lib. 4. in Iulianum. cap. 8. *Qui iam vtuntur*, inquit, *libero voluntatis arbitrio, nisi eo volente ac subueniente à quo præparatur voluntas, velle non possunt: vbi si dixeris mihi, cur ergo non conuertit omnium nolentium voluntates? Respondebo, cur non omnes morituros adoptat lauacro regenerationis infantes?* vides hîc Augustinum affirmare non posse homines sine gratia præueniente velle conuerti, & simul admittere, non semper dari gratiam istam præuenientem.

S. Gregorius li. 11. mor. c. 5. *Cain*, inquit, *diuina voce admoneri potuit, & mutari nō potuit, quia exigente culpa malitia ita intus Deus cor reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat.*

S. Fulgētius in lib. de incarnatione & gratia Christi. c. 17. *Vt homo in Deū* inquit, *credere incipiat à Deo accipit pœnitentiam ad vitam, ita vt omnino credere non possit, nisi pœnitentiam dono Dei miserantis acceperit.* Et paulò ante dixerat: *Re vera, secundum Apostolum, Deus quibus voluerit dat pœnitentiam, ad cognoscendam veritatem* Ex quibus locis intelligimus, auxilium necessarium ad credendum, ac per hoc, ad conuersionem & salutem, non semper omnibus adesse.

S. Isidorus in lib. 2. de sum. bono, c. 15. & 19. & S. Anselmus in comm. ad c. 12. Mar. apertè dicunt, aliquos non posse conuerti, quod intelligēdum est pro tempore, quo carent auxilio necessario ad conuersionem.

Probatur Vltimo ratione, nam non potest vllus conuerti sine gratia præueniente, cùm scriptum sit Ioann. 6. *Nemo potest ad me venire, nisi pater qui misit me traxerit illum*: gratia verò ista præueniens non semper adest, vt vel experientia ipsa testatur: non enim sentimus assiduè nos illuminari à Deo, aut immitti bona desideria quibus excitemur ad conuersionem: non igitur semper habemus auxilium sufficiens ad conuersionem.

Respondent ad hanc rationē duobus modis: dicunt enim alioqui, Deum quidem perpetuò pulsare ad ostium cordis, & peccatores vocare, sed eos aliis rebus intentos nō percipere vocationē Dei. Alij dicunt, Deum quidem C non semper vocare, sed paratum esse id facere, si velimus.

At posterior hęc responsio, manifestè incidit in errorē Cassiani & Fausti, quē refutauimus c. 2. & omnino tollit è medio gratiam preuenientē, quomodo enim gratia preueniens est, si semper expectat vt à voluntate humana præueniatur? Sed neq; trahi dicendus est, qui antequam trahatur, voluntatē habet eundi. Denique, expectat qui dē ille, qui pulsat ad ostium cordis, vt aperiatur, & ideo dicit: *si quis aperuerit mihi, introibo ad eum*: sed non expectat, vt inuitetur ad pulsandum, sed ipse preuenit pulsando & vocando, vt definitum est in Concilio Arausicano, can. 4.

Prior autem responsio cum ipso experimento apertissimè pugnat: nam cum vocatio, pulsus, tractus, excitatio illa Dei, sit actio nostra, quamuis nō libera, nimirum bona cogitatio, bonúmque desiderium repentè ac diuinitus immissum: quomodo potest fieri vt non sentiatur à nobis, si fit non solùm in nobis, sed etiam à nobis? Præterea D si semper adesset talis gratia preueniens, semper actu bona cogitaremus & vellemus: quis autem hoc sanus dicere audeat: quare in Psal. 94. cum Spiritus sanctus dicit: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra*, ideo nominat hodie, & conditionem addit, si audieritis, quia non quotidie, nec sine intermissione sonat vox eius, sed certo tempore nos visitat atque excitat.

At contra Obiicit aliquis, Primo, Scripturas, quę hortantur homines ad conuersionem, eosque reprehendūt, qui non celeriter conuertuntur, Ezech. 33. *Conuertimini, conuertimini*. Eccles. 5. *Ne tardes conuerti ad Dominum*.

Secundo, decretum Concilij Lateranēsis, quod habetur in ca. firmiter. de summa Trin. & fide Catholica, quo docemur semper posse hominem lapsum per veram pœnitentiam reparari.

Tertio, sententiam S. Thomæ, qui in 3. par. q. 86. art. 1. dicit erroneam esse opinionem illorum, qui sentiunt aliquem in hac vita pœnitentiam agere, & mores suos emendare non posse.

Sed hæc nullo negocio dissoluuntur: Scripturæ siquidem dum hortantur homines ad conuersionem, id monent, vt cùm à Deo vocantur & excitantur, non resistant Spiritui sancto, iuxta Psalmum paulò ante citatum, *hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

Concilium verò Lateranense Sacramentorū doctrinā tradit, ac docet, post baptismum esse aliud Sacramentum, videlicet pœnitētiæ, per quod sæpe reparari possunt qui illud ritè susciпiunt, non autem Concilium negat, requiri gratiam præueniētem ad verā pœnitentiā, eāmque gratiam non semper, sed pro loco, & tempore dispensari.

Denique S. Thomas ipse se loco notato exponit, scribit enim errorem esse, si quis dicat, ita esse aliquos in hac vita obduratos, vt per Dei gratiam emolliri non queant, B quasi inflexibile iudicium & voluntatem habeant. Id enim repugnat, vt rectè idem ait, statui viatorum: at non requirit status viatorum, vt singulis momentis habeant gratiā præuenientem, sed vt ea præsente possint conuerti, & non conuerti, & vt non ita certò & absolutè per omnem vitam destituantur auxilio Dei, vt de salute desperare possint.

CAPVT VII.

Auxilium ad nouum peccatum euitandum, semper omnibus adest.

SEPTIMA propositio: *Auxilium sufficiens ac necessarium ad vitanda peccata, omnibus hominibus & omni tempore, vel immediate vel mediate à diuina benignitate præstatur.* Dicimus *ad peccata vitanda*, non ad resurgendum à peccato, multum enim inter hæc interest, & ideo nō pugnat hæc propositio cum superiore: nam, vt quis possit a peccato resurgere, requiritur necessario interna excitatio, quæ, vt C ostendimus, non semper adest: vt autem possit quis vitare peccatum, nō est necessaria interna illa inspiratio, sed satis est si vel vires ad uersarios minuatur, vel remoueatur tentationis occasio, vel terror aliquis iniiciatur, vel aliquid magis alliciens offeratur. Quod si etiā ad omne peccatum vitandum excitatio illa requireretur, adhuc multum interesset inter vitationem peccati & conuersionem à peccato, nam, vt quis posset semper cōuerti requireretur vt semper haberet gratiam illam excitantem, quam tamen non semper haberi experientia ipsa testatur: vt verò quis posset semper vitare peccata, non requireretur vt semper haberet gratiam excitantem, sed tunc solum cùm adesset peccandi periculum, quod periculum nō semper adest, cum aliquando nullum occurrat præceptum affirmatiuum, & nulla tentatio contra negatiua.

Dicimus deinde *mediate vel immediate* quoniam certum est aliquos non habere sufficiens auxiliū, quo possint im- D mediatè resistere tentatori, & euitare peccatū, tamen habere auxilium, quo possint à Deo maiorē gratiam, maioresq; vires, maiora deniq; præsidia impetrare, quibus adiuti omnino tentationi resistent, & peccata vitabunt.

Id perspicuum est, Tum ex Scripturis, quæ iubent nos orare, ne intremus in tentationē, Matt. 6. & 26. Tū ex Innocentio in ep. ad Concil. Cartagin. vbi docet, non posse vinci à nobis tentationes, nisi gratia Dei in nos implorata descendat, & ex Cælestino in epist. ad Gallos. ca. 6. vbi docet iustos etiam homines, ne dū peccatores, sine oratione ad Deum, nō esse vincendis tētationibus pares: Tū denique ex Augustino qui in lib. de nat. & gratia. cap. 43. *Admonet*, inquit, *nos Deus, facere quod possumus, & petere quod non possumus.* Et lib. de gratia & libero arb. *Ideo*, inquit, *quia dū iubet quæ non possumus, vt sciamus quid ab illo petere debeamus.*

His notatis, probatur nostra propositio, Primo ex re-

stimonio

stimonio Scripturæ Eccles. 15. *Non dicas per Deum abest.* A Significat enim his verbis Spiritus sanctus neminem posse culpam peccati sui reiicere in Deum, quasi per illum fiat, quo minus peccata vitemus. Cui loco similis est ille alius apud Oseam 13. *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum.*

Secundò, idem probatur ex testimoniis Patrum. S. Ioan. Chrysostomus homil. 16. in epist. ad Hebræ. *Non potes*, inquit, *dicere non possum, neque accusare conditorem. Si enim impotentes nos fecit, & deinde imperat, culpa eius est: quomodo ergo, inquis, multi non possunt? quomodo ergo multi nolunt? si enim voluerint, omnes poterunt; habemus quippe cooperatorem & adiutorem Deum; tantum velimus, tantum opere accedamus ad rem ipsam.*

S. Hieronymus in epist. ad Cyprianum: *Homo*, inquit, *à principio conditionis, Deo vtitur adiutore, & cùm illius sit gratia, quod creatus est, illius est, misericordia, quod subsistit & viuit: nihil boni operis agere potest absque eo, qui ita concessit liberum B arbitrium, vt suam per singula opera gratiam non negaret.*

S. Innocentius in ep. ad Con. Cart. *Quotidiana*, inquit, *præstat ille præsidia, quibus nisi freti confisiq, nitamur nequaquam humanos vincere poterimus errores.*

S. Augustinus initio tractat. in Psal. 56. *Non imperaret hoc*, inquit. *Deus vt faceremus, si impossibile iudicaret, vt hoc ab homine fieret. Si considetans infirmitatem tuam, deficis sub præcepto, confortare in exemplo, sed etiam exemplum multum est ad te, adest ille qui præbuit exemplum, vt præbeat & auxilium.*

S. Leo serm. 16. de passione Domini: *Iustè* inquit, *instat præcepto, qui præcurrit auxilio.*

Probatur Tertio ratione, quæ in Scripturis & Patrū testimoniis fundamentum habet, nulli sunt, quāuis excæcati & obdurati, qui non verè propriéque peccent, si deliberato animo transgrediantur præcepta Dei, nemo autem peccat in eo, quod vitare non potest, igitur nulli sunt, quamuis excæcati & obdurati, qui non possint Dei mandata non transgredi. cùm autem id nō possint virib. C propriis, vt nunc assumimus tamquam certum, & suo loco infrà probabimus, sequitur vt possint per auxilium Dei, quod semper illis sit paratum ac promptum.

Propositio huius argumenti videtur esse cōtraria sententiæ S. Augustini, qui in expositione quarumdā propositionum ep. ad Rom. propos. 62. scribit, Pharaonem obduratum non peccasse in eo, quod non obediebat Deo, quoniam obdurato corde obedire non poterat. Sed tamen probatur: nam Ioan. 15. Christus dicit de Iudæis, *Si non venissem & loquutus fuissem peccatum non haberent, nūc autem excusationem non habent de peccato suo.* Et infrà: *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum nō haberent.* Et tamen de istis iisdem dixerat Ioan. 12. *Cum tanta signa fecisset, non credebant in eum.* Et infrà: *Propterea non poterant credere quia iterum dixit Isaias excæcauit oculos eorū, &c.* Videsq; quomodo isti excæcati erant, & tamen peccatū habebāt. Imò excusationem non habebant de peccato suo: item D Apostolus Rom. 1. posteaquam dixerat, *tradidit illos in reprobum sensum, &c.* eos grauissimè reprehēdit, & pœna dignissimos fuisse demonstrat: *Cùm iustitiam*, inquit, *Dei cognouissent, nō intellexerunt, quoniā qui talia agūt, digni sunt morte.*

Præterea S. Augustinus tracta. 53. in Ioan. differens de Iudæis excœcatis & obduratis, monet, ne quisquam propter eiusmodi excœcationem audeat negare liberum arbitrium, aut excusare peccatum. Et lib. 5 in Iulianū, ca. 5. apertissimè dicit, eos fieri & verè propriéque peccare illos etiam, qui deserti à Deo, suis cupiditatibus cædunt; à diabolo superantur atque vincuntur.

Ad hæc, communis est sententia Patrum & Scholasticorum, & ex diuinis literis apertè colligitur, sæpè numerò peccatum pœnam esse peccati: atqui id verum non esset, si excœcati atque obdurati peccare non possent.

Denique multa sequerentur absurda, si non peccarent excœcati, qui pleno iudicio mandata Dei violare nō dubitant: nam prodesset eis excœcatio, quoniam faceret illos impeccabiles: item iniustè punirentur, quoniamomnis pœna si iusta est, pœna peccati est. Postremò viderentur ante mortem ad terminum peruenisse, quoniam suis operibus, nec benè nec malè mereri possent.

Igitur S. Augustinus cùm ait, Pharaonem non peccasse, quādo iubenti Deo non parebat videtur significare voluisse, nō potuisse Pharaonē obedire ex corde, ita vt conuerteretur, & ideo non fuisse illi imputatū in peccatum, quod non conuerteretur, quoniam pro eo tempore conuerti obdurato corde non poterat, cum quo tamen benè cohæret, vt potuerit Pharao facere secundū substantiam operis, id quod Deus iubebat, & ideo peccasse, quia non fecit. Fortasse etiā S. Augustinus postea mutauit sententiā: nam in aliis locis à nobis citatis, longè aliter loquitur de peccatis obduratorum, quàm in eo li. loqui videatur.

Assumptio eiusdem argumenti, quod videlicet nemo peecet in eo, quod vitare non potest, certissima est, & habetur apud Augustinum lib. 3. de lib. arb. ca. 18. & 19. & li. 22. contra Faustum, c. 78. li. 1. de peccatorum meritis & remiss. c. 35. & alibi. Quare vera est illa propositio, nemini vmquam deesse auxiliū, quo possit vitare peccata.

Ad hoc argumentum duplex responsio adhiberi solet, Vna est multos homines, ac præsertim eos, qui dicuntur in Scripturis excœcati vel obdurati, non habere auxiliū, quo possint tentationi resistere, tamē verè peccare, propterea quod eorū impotentia non sit antecedens, sed cōcomitans: cū ipsi non ideo peccent, quia non possunt nō peccare, quamuis re vera non possint, sed quia non volunt, nec vellent etiamsi possent, quod ex eo perspicuum est quia nesciunt se non posse imò existimant se posse tales videntur fuisse illi, de quibus in Euangelio Ioan. 9. Dominus ait: *Si esseris cæci, non haberetis peccatum, nunc autem dicitis, quia videmus, peccatum ergo vestrum manet*, hoc est, si re vera ex ignorantia peccaretis, peccatum vobis nō imputaretur: sed quoniam putatis vos non ignorare, & tamen agitis contra id quod faciendum existimatis, peccatum vestrum manet. Atque hinc dicit Hug de S. Victore lib. 2. de Sacram. par. 14. capite 6. *Quando homo non potest si vult, propter voluntatem impossibilitas non imputatur: si autem non vult propter impossibilitatem voluntas non excusatur.*

Hæc responsio non videtur solida. Nam licet ignorantia cōcomitans non excuset à peccato, & similiter impotentia exequendi concomitans, tamen impotētia volendi concomitans omnino excusat. Ac, vt rem totam breuiter explicemus, rectè dicunt Theologi, ignorātiam antecedentem excusare peccatum, ignorātiam concomitantem non excusare. Quoniam ignorantia antecedens efficit inuoluntarium, cum sit caussa vt homo velit, quod alioqui non vellet: ignorantia verò concomitans, relinquit omnino liberū actum voluntatis, cùm non sit caussa eius, sed solùm per accidens cum illo concurrat. Exempli gratia, si quis ex ignorantia occidit hominem, existimans esse feram non peccat, quia ignorantia facit inuoluntarium, nūmquam enim ille facere voluisset quod fecit, nisi ignorantia laborasset: sin autem aliquis occidat feram existimans esse hominem, manifestissimè peccat: quoniam ignorantia illa non fuit caussa malæ voluntatis, qua voluit hominem interficere.

Idem dici potest de impotentia ex parte potentiæ exequutiuæ, nam si illa impotentia sit antecedens, efficit actum inuoluntarium, & à peccato excusat: si sit concomitans, non attingit actum voluntatis, sed per accidens cum illo coniungitur, & ideo non excusat: vt si quis non liberet proximum à periculo mortis, quia non potest, inuoluntaria & innocens est illa omissio. At si non liberet eum, quia non vult, non cogitans posse ne, an nō possit, omissio est volūtaria, & nō immeritò deputatur ad culpā.

At impotentia ex parte ipsius voluntatis numquā potest esse ita concomitans, vt non sit etiam antecedens, quia semper impedit libertatem, vndecumque veniat: & talis est impotentia voluntatis, cùm destituitur auxilio Dei necessario. Tūc enim nō est libera ad vtrūlibet, cùm non possit velle, nisi vnum, id est, tentationi acquiescere

Quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quod autem existimet aliquis se posse, cùm re vera non possit, non tollit necessitatem, neque reddit libertatem, sed auget miseriam & impotentiam, non enim ideo est liber, quia putat se esse liberum, quomodo qui somniant se libere peccare, non ideo libere peccant, & ideo neque peccant.

Neque obstat locus Euangelij ex cap. 9. Ioan. nam, vt S. Augustinus eo loco rectè exponit, cæci dicuntur à domino, qui agnoscunt suam cæcitatem, videntes autem qui sibi lumen arrogant, cùm re vera cæci sint. Itaque sententia Domini hæc est, si essetis cæci apud vos ipsos, non haberetis peccatum, quoniam agnoscetes morbum curreretis ad medicum, & curaremini. nunc autem quia videntes vos esse censetis, non quæritis medicum, & ideo peccatum vestrum non sanatur, sed manet.

Hugo verò de S. Victore loquitur de impossibilitate, ex parte potentiæ exequutiuæ: tũc enim cum homo non potest imperatã rem exequi, & tamen cupit exequi, propter bonam voluntatem impossibilitas non imputatur, vt si quis cupiat eleemosynam inopi petẽti dare, sed non habeat vnde det, si verò non potest rem exequi, neque vellet etiamsi posset, tunc propter impossibilitatem voluntas mala non excusatur, nam impossibilitas exequutionis non impedit voluntatem, quo minus liberè possit velle & nó velle. At impossibilitas, quæ in ipsa voluntate est, de qua nos in præsenti loquimur, omnino impedit ne possit liberè velle & non velle.

Est igitur Alia responsio aliorum, qui dicunt, hominem peccare etiam in eo, quod vitare nõ potest, quando illa impotentia ex peccato nostro siue actuali, siue originali oritur, & quoniam ij qui destituuntur auxilio necessario, in pœnam peccati originalis destituuntur, ideo dicunt eos non posse nõ peccare, & tamen peccatum eis imputari, quoniam ob peccatum suum vires amiserunt, quibus poterant non peccare.

At neque hæc solutio solida est, nam peccatum intrinsecè requirit liberam voluntatem, nec potest intelligi quomodo aliquid sit propriè peccatum si non sit propriè liberum. Proinde actio, quæ non est libera in se, sed solùm in causa sua, non habet malitiam distinctam à malitia suæ causæ. Quare S. Augustinus in li. 22. contra Faustum, ca. 44. disputans de incœstu Loth cum filiabus, qui non fuit voluntarius nisi in causa, id est, in ebrietate, dici: eum incœstum non fuisse putandum, quantum merebatur incœstus, sed quantum merebatur ebrietas, quia videlicet non fuit peccatum distinctum à causa sua.

Quod si omnia peccata excœcatorum & obduratorũ nó essent peccata, nisi in causa. i. in peccato originali, nõ possent certè puniri in gehenna, nisi pœnâ mitissima, nã peccatũ originale ex doctrina S. Augustini li. 1. de peccatorum meritis & remiss. c. 16. & li. 3. in Iulianũ, cap. 8. mitissimam pœnã meretur, & ex communi Theologorum sententia non meretur pœnã sensus, sed solum damni: at quis credat peccata obdurarorum, quæ grauissimè reprehenduntur in Scripturis, non esse puniẽda grauius, quàm si isti in solo originali peccato decessissent.

At, inquiunt, peccata obduratorum non sunt peccata solum in causa, sed etiam in se & distincta à sua causa. quamuis impotentia resistendi tentationibus orta sit ex peccato originali. Contra, nam peccatum in se & distinctum non potest esse, nisi fuerit volitum & intentum in se. At primus homo cum peccauit, non voluit nec intendit priuare se, & posteros potentia resistẽdi, & multò minus nos eius posteri, cùm peccatum originale contraximus, voluimus, aut intendimus hanc impotentiam resistendi, vel peccata quæ inde sequuntur: sicut ille qui ex intemperantia cibi incidit in morbũ, ob quẽ non potest orare, ieiunare, Ecclesiam frequentare, atq; alia id genus facere, quæ alioqui facere debuisset, non cẽsetur propriè reus, quia hęc non facit, quãuis sua culpa in morbum inciderit, & impotentiã ad hæc facienda contraxerit, quoniam non ideo in morbum incidit, vt hæc non faceret: sed præter eius voluntatem impotentia intemperantiam consequuta est.

Itaque rectè S. Aug. in li. 3. de lib. arb. c. 19. scribit ea, quæ volumus rectè facere, & ob ignorantiã aut difficultatem ex peccato originali natã non possumus, non dici peccata nisi impropriè & per figuram metonymiæ, quomodo linguam appellamus verba, quę per linguam efferuntur, & manum, scripturam quã manu formamus, & c. 18. dixerat, illa sola verè ac propriè dici peccata, quæ per liberum arbitrium vitari possunt. & in lib. 1. de peccato. merit. & remiss. c. 35. distinguit peccatum originis à peccato vitæ propriæ, quod illud aliena voluntate, hoc propria contrahatur: *Sine propria* inquit, *voluntate, nullum vitæ propriæ potest esse peccatum*: neque per propriã voluntatem intelligit actum voluntatis quẽcumque, sed solùm actũ liberum, qui sit in nostra potestate, nã opponit propriam alienæ, aliena autem nimirum Adami libera fuit, & ideo propriè causa peccati: igitur etiam propria libera esse debet, vt sit eodem modo propriè causa peccati.

Adde quod nõ rectè dicitur propria voluntas, nisi quæ nostræ potestatis est, nec enim pecudes propria voluntate operari dicuntur, etiamsi sponte & libenter aliquã faciant, Denique idem Augustinus in li. 22. contra Faustum, ca. 78. *Sine iniquitate*, inquit, *sine iustitia, nisi esset in voluntate, non esset in potestate: porrò si in potestate non esset, nulla pœna iusta esset, quod non sapiat, nisi qui desipit.* Restat igitur, vt omnes homines semper habeant auxiliũ necessarium ad nõ peccandum, aut certè non possint non peccare, ac per hoc peccando non peccent, nec iustè puniri queant.

CAPVT VIII.

Soluuntur argumenta contra doctrinam capitis 5. & 7.

NVNC argumenta soluẽda sunt, quę fieri solent contra propositionẽ 5. & 7. quibus docuimus, neminem esse, qui non habeat auxilium sufficiens pro loco & tẽpore ad conuersionem à peccatis commissis, semper autem ad ea vitanda quæ solẽt tentatione vrgente cõmitti.

Primum argumentũ sumunt ex locis illis, quæ testantur homines à Deo indurari & excœcari Exod. 9. Isa. 6. Mat. 13. Io. 12. & Ro. 1. nã excœcari & indurari homines, nihil est aliud, nisi deseri ac destitui à Deo, vt à Satana superentur ac vincantur, vt exponit S. Chrysostomus in c. 1. ad Rom. & S. Augustinus lib. 5. in Iulianum, cap. 3.

Respondeo, excęcati & obdurati, vt diximus in c. 6. & fusius in li. 2. de statu peccati, c. 14. non possunt conuerti durante excœcatione & obdu ratione, neque habent singulis momentis auxilium sufficiens, quo tollere possint excœcationem, & indurationem: tamen piè credimus, Deũ pro loco & tempore istos etiã visitare, & ad cor eorum pro sua benignitate pulsare, atq; ita porrigere auxilium, quo possint cœcitatẽ & duritiam à suo corde repellere: tunc autem maximè tempus est opportunum, cùm non possunt sine conuersione vitare peccatum. Itaq; in tali temporis articulo Deus numquam deest, & si non præbet auxilium, quo peccator possit immediatè conuerti, aut seruare mandatum, quod tunc seruandum occurrit, tamen præbet saltem auxilium, quo possit desiderare, & petere maius auxilium, quod si non facit, suã culpa illud non habet, & suã culpa in tentatione succumbit.

Secundum argumentum sumunt ex ca. 14. & 17. Act. vbi dicitur Deus in præteritis generationibus dimisisse omnes gentes ingredi vias suas, & despexisse tempora illa, quæ idcirco tempora ignorantiæ nominantur.

Respondeo hęc testimonia significant gratiã Dei non ita largiter antiquis temporibus fluxisse, vt postea fluxit, sed nõ propterea defuit vmquam ea mensura gratiæ, quę diuinæ prouidentiæ sufficiens & necessaria visa est. Itaque dimisit Deus gentiles ingredi vias suas, quia non misit ad eos Patriarchas & Prophetas, neque legẽ scriptam eis

eis dedit: tamen nõ sine testimonio semetipsum reliquit, vt eodem loco dicit Apostolus, qui etiam addit, potuisse eos Deum quærere & inuenire, & ideo Rom. 1. idẽ Apostolus inexcusabiles fuisse confirmat eosdem gentiles, quia cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.

Tertium argumentũ sumunt ex cap. 10. ad Rom. *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? quomodo credent sine prædicante? quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Initium salutis est fides, inde enim nascitur inuocatio, & ex inuocatione salus: omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini saluus erit. At multi non habent auxilium sufficiens, quo possint credere, cùm nondum illis sit Euangelium prædicatum: & multò plures nó habuerunt olim hoc auxilium, cùm nondum ad illos prædicatio euangelica peruenisset.

Respondeo, hoc argumentũ solùm probat, non adesse omnibus auxiliũ, quo possint immediatè conuerti & credere: nõ tamen probat simpliciter defuisse aliquibus auxilium sufficiens ad salutẽ. Possunt enim gentiles quibus nondum est Euangelium prædicatũ cognoscere per creaturas Deum esse, & proinde possunt à Deo per gratiam præuenientem excitari ad credẽdum de Deo, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit: & ex tali fide excitari possunt eodem dirigente & adiuuante Deo ad orandum & eleemosynas faciendas, & eo modo impetrandum à Deo maius fidei lumen, quod Deus per se, vel per Angelos, vel per homines facilè communicabit.

Ira respondet S. Thomas in q. 14. de verit. ar. 11. ad 1. & adfert exemplũ Cornelij, qui ex fide vnius Dei orabat & eleemosynas faciebat, & eo modo impetrauit, vt per Angelicam admonitionẽ & Apostolicã prædicationẽ Christi fidẽ audiret, & ipsum etiam sacrũ baptisma susciperet.

Quartum argumentũ sumunt ex c. 11. Mat. & ex c. 16. Act. legimus enim Tyrios & Sidonios potuisse conuerti, si Dominus apud eos miracula facere voluisset, & tamen noluisse Dominum apud eos vlla signa facere, legimus item expresè prohibitum fuisse Apostolum Paulum à Spiritu sancto, ne verbum Domini in Asia loqueretur.

Respondeo, Tyriis & Sidoniis non dedit quidẽ Deus auxilium illud, per quod re ipsa conuersi fuissent: tamen quia auxilium eis, quo conuerti potuerint, Dominus dederit, ex Euangelio non colligitur. Porrò B. Paulus prohibitus fuit aliquando verbũ Dei loqui in Asia, quoniam volebat Deus vt anteà prædicaret in Macedonia, vt perspicuum est ex eodem cap. nam alioqui in Asia quoque longo tempore prædicauit plurimósque conuertit.

Quintum argumentum sumunt ex c. 6. Ioan. *Nemo potest ad me venire nisi pater, qui misit me, traxerit eum.* Et infrà: *Omnis qui audiuit a Patre meo, & didicit, venit ad me.* Ex hoc loco tale texitur argumentum, nemo potest venire per fidem ad filium nisi pater traxerit eum, pater autem non omnes trahit: igitur nõ omnes possunt venire. Probatur assumptio, nam omnis qui trahitur venit, omnis, inquit, qui audiuit & didicit venit: sed non omnes veniunt, igitur non omnes trahuntur.

Respondeo falsa est assumptio, quæ dicit, pater autem non omnes trahit, trahit enim omnes pater, sed pro loco & tempore: at non omnes veniunt, licet re vera possint: non enim trahere vellet pater, nisi dare disponeret auxilium quo venire possent si vellent. At omnis qui audiuit & didicit venit, igitur omnis qui trahitur venit. Respondeo, trahi esse audire. non autẽ venit omnis qui audit, sed omnis qui audit & discit: nam si omnis qui audit, veniret, non diceret Psalmus: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Itaq; omnes aliquando audiunt, quia omnes Deus pro loco & tẽpore vocat: sed illi soli discunt & veniunt, quibus Pater ita suadet, vt persuadeat. Et hæc est gratia efficax: posse tamen omnes credere, ac proinde omnes à Deo audire, & trahi perspicuum est, ex illo eodem c. 6. Ioan vbi Dominus hortabatur omnes ad fidẽ, quod non feciſſet, nisi sciuisset omnes potuisse credere.

Potest tamen alia etiã responsio adhiberi, quæ, vt verum fatear, magis cõgruere videtur Euangelicæ sententiæ si dicamus Dominum loqui de gratia efficaci, quæ ita suadet, vt persuadeat. Dicitur autem nõ posse venire, qui non trahitur per efficacem gratiam, non quod absolutè non possit, sed quia infallibiliter non veniet: sicut etiam contra qui trahitur, potest absolutè non venire, tamen infallibiliter venit.

Itaque Dominus cùm Iudæis murmurantibus ait: *Nolite murmurare inuicem, nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum*: non significauit, illos non potuisse credere, sed indicauit, fidem esse donum Dei, nec haberi industriã humana, sed reuelatione diuina, & ideo nó opus esse murmuratione, sed oratione: quia omnis qui petit accipit: & ideo S. Aug. tract. 26. in Ioann. exponens hunc locum ait, si non traheris, ora vt traharis.

DICES, quomodo potest quis orando impetrare fidem, cùm nemo possit orare, nisi habeat fidem. Facilis est responsio, nam isti quibus Dominus loquebatur, iam nouerant & credebant vnum esse Deum, sed IESVM filium esse Dei, verum Messiam in lege promissum, nondum credebant. Quare poterant ex fide in vnum Deum orare, & impetrare fidem. qua IESVM filium Dei, & CHRISTVM esse crederent.

Ex his, ad argumentum initio factum Respondemus, eo argumento solùm concludi, non habere omnes auxilium efficax, quo re ipsa credant, non tamen concludi nõ habere omnes saltẽ pro loco & tempore auxiliũ quo possint credere, vel certè quo possint petere, & dicere, Credo Domine, adiuua incredulitatem meam.

Sextum argumentum sumunt ex verbis Apostoli, 1. Cor. 4. *Quis te discernit? quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Ex hoc loco videtur manifestè colligi, non dari omnibus auxilium sufficiens ad salutẽ: nam si daretur omnibus, discretio fidelis ab infideli, & iusti ab impio, tota penderet à libero arbitrio. Nam ille esset fidelis & pius, qui auxilio sufficienti cooperari vellet: ille maneret infidelis & impius, qui eidem auxilio cooperari nollet.

Respondeo, discretio fidelis ab infideli, & iusti ab impio, referenda est, tamquam in primariã causam, in gratiam efficacem, vt S. Aug. ostẽdit in lib. de prædest. Sanct. c. 5. quãuis enim possint omnes credere, & conuerti, qui habent auxiliũ sufficiens, tamen re ipsa non credunt nec conuertuntur, nisi qui ita vocãtur, vt Deus vidit aptum fore, vt sequantur vocãtem: Sed de hac re diximus suprà, & dicemus etiã paulò infrà. Præter hæc loca Scripturarum proferunt etiam varia testimonia S. Augustini.

Primum testimonium ex lib. 1. Retra. c. 15. *Qui autem cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, iam hoc ipsa peccatum est, vt sit etiam pœna peccati.* Quod si aliqui cogenti cupiditati resistere non possunt, certè non habent auxilium sufficiens ad non peccandum. Rursus ibid. *Quantum est*, inquit, *quod valet voluntas, nisi forte si pia est, vt oret auxilium?* Ergo si voluntas non sit pia, non habet auxiliũ sufficiens ne ad orandum quidem?

Respondeo, nõ desunt, qui cogẽti cupiditati resistere non possunt, manente ea cupiditate, tamen non necessariò ea cupiditas in ipsis hæret: possunt enim cum auxilio Dei illam exuere. Quod auxilium nemini deest, quo tempore præceptum obseruandum occurrit: *Iustè enim iubet præcepto, qui præcurrit auxilio*, ait S. Leo. At si volũtas nõ est pia, non potest ne auxiliũ quidem petere. Ita est, tamen potest fieri pia, si gratiæ præuenienti consentire voluerit.

Secundũ testimoniũ ex li. de perfect. iust resp. 15. *Peccatum est cum vel non est caritas quæ esse debet, vel est minor q. debet, siue hoc voluntate vitari possit, siue non possit, quia si potest præsens volũtas hoc facit, si non potest præterita voluntas hoc facit.*

Respondeo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Respondeo, loquitur S. Augustinus de eo quod non A
potest vitari non absolutè, sed ex hypothesi, quia videlicet non potest vitari, dominante prauæ cupiditate, sed potest per gratiam Dei dominatus cupiditati auferri, vt non regnet peccatum in nostro mortali corpore. Certè qui odit aliquem, non potest illi ex animo benefacere, durante odio, tamen absolutè potest, quia potest odium deponere. Sic intelligitur illud Euangelij: *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis*, Et illud Prophetæ: *Quomodo vos potestis benefacere, cum didiceritis malè*. Sicut etiã intelligit August. illud Ioan. 12. *Non poterant credere, quia dixit Isaias, excecauit oculos eorum*. Dicit enim tractat. 53. in Ioan. illos non potuisse credere durante cœcitate mentis, tamen potuisse remouere cœcitatem. Et in loco contra nos citato, ex lib. de perfectione iustitiæ, posteaquam dixerat, peccatum esse, siue vitari possit, siue non possit, subiungit continuò: *Et tamen vitari potest, non quãdo superba voluntas laudatur, sed quãdo humilis adiuuatur.*

Tertium testimonium ex lib. de correptione & gra- B
tia, cap. 11. *Dederat*, inquit, *adiutorium primo homini, sine quo non posset permanere si vellet.* Et infrà, *Si autem hoc adiutorio in ei defuisset, non vtique sua culpa cecidisset, nunc autem quibus deest tale adiutorium, iam pœna peccati est, quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum.* Videtur enim hoc loco S. Augustinus apertissimè dicere, adiutorium necessarium ad non peccandum non omnibus dari, nam si omnibus daretur, non esset in vllo pœna peccati eius carentia. At Augustinus dicit, quibus autem deest, iam pœna peccati est. Et præterea distinguit Augustinus duo genera hominum, vnum eorum, quibus hoc adiutorium in pœnam peccati, id est, ex iustitia non datur, alterum eorum, quibus ex misericordia & gratia datur: non igitur omnibus datur.

Respondeo, non loquitur S. Augustinus de adiutorio necessario ad viranda singula peccata, sed de adiutorio necessario ad vitanda omnia, hoc est, ad perseuerandum sine omni peccato, & per adiutorium intelligit gratiam habitualem, vt ostendimus in lib. de gratia primi homi- C
nis. Dedit igitur Deus primo homini gratiam habitualem, per quam poterat perseuerare in bono, & sine qua nõ poterat, quamuis enim posset vitare singula sine dono habituali, tamen nõ poterat omnia, & sine dubio aliquando cecidisset, itaue verò hoc adiutorium gratiæ habitualis sine quo nõ possunt vitari omnia peccata, etiam lætalia, quibus deest, pœna peccati est, quibus autem datur secundùm gratiam datur, non secundum debitum.

Dices, ergò non sua culpa cadunt nunc homines, quia deest auxilium sine quo non possunt aliquando non cadere. Respondeo, suâ culpa cadere, quoniam possunt vitare singula, atque ita quandocunque peccant id faciunt quod potuissent non facere.

Dices, at etiã primus homo poterat vitare singula, & tamen dicebatur non suâ culpa fuisse casurus, si auxilium defuisset, quo posset vitare non solùm singula, sed etiam omnia: Respondeo, primum hominem non sua D
culpa fuisse casurum, quoniam necessitas aliquando cadendi fuisset ei naturalis, & meritò de auctore naturæ queri potuisset si dedisset ei naturam, quæ non posset aliquando non cadere, & tamen imperaret, vt numquam caderet. At nos culpã nostra cadimus, non solùm quia possumus vitare singula, sed etiam quia necessitas aliquando cadendi nõ est nobis naturalis, sed pœna peccati.

Atque hîc verè locum habet, quod quidam dicunt, impotentiam ex peccato originali natam non excusare peccatum, si videlicet loquantur de impotentia vitandi omnia simul, non de impotentia vitandi singula, quia prior impotentia non tollit liberum arbitrium, sicut re vera illud tollit impotentia posterior.

Quarum testimonium ex epist. 107. ad Vitalem: *Scimus*, inquit, *gratiam Dei non omnibus dari.*

Respondeo, loquitur de gratia quæ discernit fideles ab infidelibus, & iustos ab impiis, sicut etiam loquitur in lib. 1. de prædestinatione Sanctorum, ca. 5. vbi vocat gratiam ipsam fidem & caritatem, siue illam internam persuasionem, quæ facit nos re ipsa velle credere & cõuerti.

Quintum testimonium ex libr. de gratia Christi, cap. 46 & 47. vbi S. Augustinus gratiam Dei necessariam esse dicit, non solùm vt possimus velle & facere, sed etiam vt velimus & faciamus: at non habent omnes gratiã Dei, qua velint & faciant, igitur non habent omnes gratiam necessariam.

Respondeo, Pelagiani distinguebant posse, velle & facere, & posse quidem dicebant nos habere ex dono Dei, quoniam à Deo habemus liberum arbitrium, in quo est ipsa possibilitas, at velle facere dicebãt esse nostrum, neque in iis egere nos gratia Dei. Vide eundẽ Augustinum hæc referentem in eodem lib. de gratia Christi cap. 4.

Contra hùc errorem scribit Augustinus gratiam Dei non solùm dare nobis posse, quia videlicet dat arbitrij libertatem, sed etiam dare velle & facere, quia liberum B
arbitrium non potest suis solis viribus velle & facere. Itaque aliter accipit eo loco S. Augustinus *posse*, quàm nos accipimus. Nos enim per *posse*, intelligimus quod ipsum velle & facere sit in potestate voluntatis à Deo præparatæ & adiutæ. Ille verò per *posse*, intelligit ex mente Pelagianorum solas vires liberi arbitrij.

Sextum testimonium ex eadem epistol. 107. vbi Sanctus Augustinus probat fidem esse donum Dei, ex orationibus, quas pro infidelibus fundit Ecclesia, quæ, vt ipse dicit, superuacaneæ essent, si possent infideles sine Dei auxilio velle credere: At idem absurdum sequi videtur, si dicamus auxilium sufficiens omnibus dari. Quorsum enim oramus pro infidelibus, si iam habent omnes auxilium, quo possint credere si velint.

Respondeo, S. Augustinus efficacissimè Pelagianos & Pelagianorũ reliquias ex orationibus Ecclesiæ. Illi enim docebant Deum non præuenire homines gratiâ sua, sed expectare vt ipsi veniant & petant gratiam Dei; quod si ita esset, frustra Ecclesia peteret, vt Deus nolẽtes credere converteret ad fidem, & ex nolentibus volentes faceret.

At contra nos argumentum illud ex orationibus Ecclesiæ nihil omnino concludit. Fatemur enim gratiam Dei sæpè efficere vt infideles etiam obstinati conuertantur & credant & quamuis piè credamus, Deum omnium corda pro tempore & loco pulsare, tamen rectissimè petimus à Deo, vt sæpè ac sæpius pulset, & non solùm pulset, sed etiam per efficacem gratiam aperiat corda pertinacium, & obduratorum, præsertim cùm sciamus Deum velle multa beneficia in homines conferre, sed simul velle pro iisdem orari & supplicari, & non nisi per orationes sanctorum ea velle concedere.

Septimum testimonium ex lib. 4. contra Iul. capite 8. vbi S. Augustinus falsum esse docet, Deum velle omnes saluos fieri, si & ipsi velint, & probat quoniam si res ita se haberet, Deus esset benevolentior sceleratissimis, D
quàm innocentissimis, quoniam vellet saluos fieri omnes adultos, quorum multi sunt qui nolunt, & non vellet saluos fieri omnes paruulos, quorum nemo est qui nolit.

Respondeo, dissert Augustinus contra Iulianum, qui existimabat Deũ non velle absolutè vllum saluare, sed omnes sub conditione, si & ipsi velint, præueniendo videlicet Deum sua voluntate, qui quidem error euidenter refellitur ex prædestinatione paruulorum, qui per baptismum saluãtur, cùm tamen Deum sua voluntate minimè præuenerint. Rursus docebat Iulianus paruulos nullum habere peccatum, & si decedebant absque baptismo, habituros suam quandam vitam æternam extra regnum cœlorum, & ideo solum de adultis dicebat, Deum velle omnes saluare, si & ipsi velint. Hunc errorem accommodatè refellit Augustinus illo argumento, quod Iulianus faciat Deum benevolentiorẽ sceleratissimis quàm innocentissimis & purissimis ab omni labe peccati.

At

At ex nostra sententia non sequitur hoc absurdum, A
PRIMO, quia nos paruulos non baptizatos non censemus esse innocentes, sed peccatores.

SECVNDO, quia non dicimus Deum non velle saluare vllum absoluta voluntate, immò, vt paulò post explicabimus, credimus Deũ absoluta voluntate velle saluare multos, tum paruulos tum adultos, & absoluta voluntate alios non velle saluare, tum paruulos tũ adultos.

TERTIO, non dicimus Deum antecedente voluntate saluare velle solum adultos, sed etiam ad paruulos hãc voluntatem extendimus, quamuis, vt suprà ex doctrina S. Prosperi docuimus, aliter Deus paruulis, aliter adultis sufficientia remedia prouideat. Nam paruulis in parentibus suis præbet auxilium, adultos autem per se ipse vocat, excitat, illuminat.

Illud tamen est verum, neque à S. Augustino negatur, Deum interdum esse beneuolẽtiorem aliquibus adultis, & sceleratissimis: quàm multis paruulis minus malis: quis enim inficiari audebit, beneuolentiorem fuisse Deum Paulo, Matthæo, Magdalenæ, latroni in cruce secũ pendenti, quàm plurimis paruulis sine baptismo morientibus, cùm tamen eos adultos longè deteriores fuisse istis paruulis non liceat dubitare. B

AT si Deus vult antecedente voluntate omnes saluos fieri, non solùm adultos, sed etiam paruulos, cur S. Augustinus loco citato contendit per illam vocem (*omnes*) intelligi multos, id est, omnes, qui saluantur non omnes absolutè?

RESPONDEO, quia voluit hunc locum exponere C
de voluntate absoluta, secundùm quam Iulianus existimabat Deum neminem velle saluare: alioqui autem ipse etiam Augustinus in lib. de Spiritu & litera, cap. 33. vt supra ostendimus hunc eumdem locum de antecedente voluntate exposuit.

CAPVT IX.

Proponitur octaua propositio, & explicatur definitio prædestinationis.

OCTAVA propositio: *Quamuis gratia sufficiens omnibus detur, tamen prædestinationis diuinæ nulla ratio ex parte nostri assignari potest.* Hæc propositio necessariò addenda fuit, quoniam nõ desunt qui existiment, nõ posse defendi prædestinationem merè gratuitam, si con- D
cedatur dari omnibus auxilium sufficiens ad salutem.

Dicimus autem, nullã rationem assignari posse, vt excludamus non solum merita propriè dicta, sed etiã bonũ vsum liberi arbitrij, aut gratiæ, aut vtriusque simul à Deo præuisum, etiamsi non dicatur esse meritum, nisi de congruo, & etiamsi non dicatur vera causa, sed tantum conditio sine qua non prædestinaretur is qui prædestinatur.

Addimus verò illud, *ex parte nostra*, quoniam ex parte Dei assignari potest causa in genere, vt ostendatur misericordia & iustitia ipsius: in particulari quoque dubitari nõ potest, quin Deo non desit sua ratio, cur istũ potius quàm illum prædestinare voluerit ad vitam, quamuis ea nobis occulta sit: *Eorum* (inquit Augustinus in lib. 1. ad Simplic. q. 2. *non miseretur, quibus gratiam non esse præbendam, æquitate occultissima, & ab humanis sensibus remotissima iudicat, quam non aperit sed admiratur Apostolus dicens, ô altitudo diuitiarum.* Et in ep. 105. ad Sixtum: *Cur*, inquit, *illum potius quã illũ liberet aut non liberet, scrutetur qui potest iudiciorum eius tam magnum profundum: tamen caueat præcipitiũ.* E

Idem tamen Augustinus in Enchirid. c. 95. affirmat, in æterna beatitudine manifestum nobis futurum cur ille potius, quàm iste, fuerit assumptus, cum vna causa esset ambobus: & cur apud quosdam non factæ sint virtutes, quæ si factæ fuissent, egissent illi homines pœnitentiam: & factæ sint apud eos, qui non fuerant crediturí.

Operæ precium autem erit, antequam ad probandam propositionem nostram accedamus, breuiter explicare, quid sit prædestinatio, vt si qui fortè Scholasticæ Theologiæ non assueti in has nostras disputationes inciderint, intelligant quid sit de quo quæritur.

Igitur S. AVGVSTINVS lib. de bono perseuer. c. 14. prædestinationem ita definit: *Est præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberãtur.* Sed posset paulò plenius ex doctrina eiusdẽ Augustini ita prædestinatio definiri. *Prædestinatio est prouidentia Dei, qua certi homines ex massa perditionis misericorditer selecti, per infallibilia media in vitam diriguntur æternam.*

Dicitur *prouidentia*, quoniã prædestinatio species est prouidentiæ, & rectissimè ponitur genus initio bonæ definitionis. Dicitur *Dei*, quoniam prædestinare ad vitam æternam non potest esse actio nisi Dei, qui solus vitam æternam communicare potest: *Gratiã enim & gloriã dabit Dominus.* Psal. 83. Dicitur *certi homines*, quoniam prouidentia ad res omnes, prædestinatio de qua nũc agimus ad solos homines pertinet: nam etiamsi Angeli quoque dicuntur à S. Augustino prædestinati: tamẽ alia ratio est prædestinationis Angelorum, alia hominũ. Addimus autẽ *certi*, quoniam non omnes homines prædestinantur ad vitam, sed solum aliqui, & ij non confusè, sed distinctè, tales ac tales, Petrus, Andreas, Iacobus, &c. Dicitur, *ex massa perditionis*, quoniam prædestinatio ex sententia S. Augustini, & Scripturarum diuinarum non præcessit, sed sequuta est præuisionem peccati originalis, ob quod vniuersum genus humanum factũ est quasi quædam massa damnata. Vnde est illud Apostoli ad Rom. 9. *An non habet potestatem figulus ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?*

Quod autem S. Augustinus scribit lib. 1. retract. c. 13. si Adam non peccasset, non fuisse nascituros homines, nisi vsque ad certum numerum prædestinatorum, significat quidem futuram fuisse prædestinationem, etiamsi Adam non peccasset, si nimirum præuidisset Deus hominem non peccaturum, tamen absolutè prædestinatio, qualis nunc est, præuisionem peccati sequitur.

Dicitur, *misericorditer selecti*, quoniam (vt in propositione nostra asserimus) nihil inuenit Deus in iis quos eligit ad gloriam, nisi meritũ mortis, & propterea misericorditer eos liberat, nõ reddens eis debitam pœnam, sed donans indebitam gratiam. Dicitur *per infallibilia media*, quoniam prædestinatio certissima est. Nemo enim rapere potest electas oues de manu pastoris omnipotentis, vt ipse dicit Ioan. 10. Dicitur *in vitam diriguntur æternam*, quoniam in hoc propriè ratio prædestinationis consistit, vt sit directio & quasi transmissio rei prædestinatæ per certa media ad suum finem.

Ex hac nostra definitione sic explicata, perspicua erit definitio Augustiniana. Significat enim August. nihil esse aliud prædestinare, nisi præscire quibus mediis infallibiliter certi homines saluari possint, & velle efficaciter ea media præparare.

Ex quo rursus intelligi poterit, prædestinationẽ partim ad intellectum pertinere, partim ad voluntatem. Nã præscire, disponere, dirigere, opera sunt intelligentiæ: seligere, velle, misereri, voluntatis. Quod etiã in diuinis literis obseruare licet. Nã ad intelligentiã pertinet illud Apostoli ad Rom. 9. *Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit.* Et illud 2. Tim. 2. *Firmũ fundamentum Dei stat, nouit Dominus qui sunt eius.* Ad voluntatem verò illud Rom. 9. *Vt secundum electionem propositum Dei maneret.* Et illud Luc. 12. *Complacuit patri vestro dare vobis regnum.*

Disputant quidem Theologi, vtrũ prædestinatio magis ad intelligentiam quàm ad voluntatẽ pertineat. SED nobis placet sententia S. Thomæ & Cajetani, Cardinalis in 1. par. q. 23. art. 1. qui docent, prædestinationem esse potius intelligentiæ, quàm voluntatis, quoniam eadẽ est

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam S. AVGVSTINI sententia in lib. de bono perseuerantiæ, c. 17. vbi sic loquitur: *In sua quæ falli mutarique non potest præscientia opera sua futura disponere, id omnino neque aliud quicquam est, nisi prædestinare.* Eadem est sententia auctoris Hipognostici lib. 6. qui prædestinare nihil aliud esse dicit, nisi prouidere, & præordinare. Idem significant ipsa nomina, tum Græca, tum Latina, nam προορίζειν, qua voce vtitur Apostolus frequentissimè, quid est nisi prædefinire, ac prædecernere? sicut etiam vox Latina, *prædestinare*, idem significare videtur, quod præmittere, siue præordinare.

Ita secundùm modum nostrum intelligendi, iste fuisse videtur ordo prædestinationis in mente diuina. PRIMVM præuidit Deus, si hominem conderet, eum lapsurũ cũ omni posteritate, & simul vidit, posse se variis modis liberare vel omnes, vel aliquos pro arbitratu suo. DEINDE voluit hominem cõdere, ac, vt laberetur, permittere, & quosdam ex numero lapsorum misericorditer liberare, aliis in massa perditionis iustè relictis. TERTIO, excogitauit remedia, saluãdis electis idonea, in quibus primũ locũ habuit incarnatio, & passio Saluatoris. QVARTO approbauit ea remedia, & tunc elegit Christũ, & nos in ipso ante mundi constitutionem. QVINTO disposuit, ordinauit, & quodammodo imperauit vt ita fieret.

Ex quibus actibus primus fuit intelligentiæ, secundus voluntatis, tertius intelligentiæ, quartus volũtatis, quintus intelligentiæ. Itaque primus, medius, & vltimus ad intelligentiam pertinent, & in vltimo potissimum prædestinationis ratio, essentiaque consistit.

CAPVT X.

Prædestinationis nullam esse causſam in nobis, probatur ex diuinis literis.

ROBANDA nunc est octaua illa cõclusio, PRIMVM ex diuinis literis, DEINDE ex traditione Ecclesiastica, POSTREMO ex ratione, quæ tamen in Scripturis, & patribus fundamentum habeat.

Scriptura igitur docet, quosdam electos esse ex omni genere humano, eósque electos esse ad regnũ cælorũ, & electos efficaciter, vt infaliibiliter ad regnum peruenirãr, denique electos omninò gratis, & ante omnem operum præuisionem. Esse aliquos electos docent hæ Scripturæ: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Matt. 20. & 22. *Congregabunt electos eius a quatuor ventis.* Mat. 24. *Quis accusabit aduersus electos Dei?* ad Rom. 8. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, ad Ephes. 1.

Esse electos ad regnum, docet Dominus Luc. 12. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Item Apostolus ad Romanos 11. *Reliquiæ secundum electionem gratiæ salua factæ sunt.*

Esse infallibiliter saluandos, docet idem Dominus Matt. 24. *Propter electos breuiabuntur dies illi.* Et: *Dabunt signa & prodigia, vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiã electi.* Et Ioan. 6. *Hæc est voluntas Patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam, sed resuscitem in nouissimo die*, hoc est, vt nullum perdam, sed omnes resuscitem. Et Ioã. 10. *Nemo rapiet eos de manu mea.* Et iterũ: *Nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego & Pater vnum sumus.* Et Apostolus ad Rom 11. *Sine pœnitentia*, inquit, *sunt dona & vocatio Dei.* Et ad Rom. 9. *Quos prædestinauit, hos vocauit*, nimirum secundum propositum: *& quos vocauit*, videlicet secundum propositum, *hos iustificauit: & quos iustificauit*, item secundum propositum, *hos magnificauit.*

Esse electos ex mera Dei gratia, & misericordia, docet imprimis Dominus Luc. 12. *Cõplacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Certè vox illa, *Complacuit*, indicat puram Dei benignitatem, sed manifestius Ioan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructũ adferatis, & fructus vester maneat*: nõ igitur elegit Deus homines, quia videt se eligendum ab eis, ipsosque boni operis fructum allaturos, & in bono opere perseueraturos, sed eligit vt faciat benè operantes, & in bono perseuerantes.

Et adhuc manifestius Apostolus Paulus ad Rom. 11. *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genu ante Baal, sic ergo in tempore reliquiæ secundum electionẽ gratiæ saluæ factæ sunt.* non dicit relicti sunt, aut remanserunt, sed, *ego reliqui mihi.* & ideo reliquias dicit saluari secundũ electionem gratiæ, id est, non debitã sed gratuitã.

Et clarius ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi cõstitutionem, vt essemus sancti & immaculati.* Et *qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum secundũ propositũ voluntatis suæ in laudẽ gloriæ gratiæ suæ*, nó ait, elegit nos, qui sanctos vidit futuros, sed *vt essemus sancti.* neque ait, elegit nos propter bonum vsum liberi arbitrij, aut gratiæ, sed *secundum propositum voluntatis suæ*, & hoc *in laudem gloriæ gratiæ suæ*, vt laudaretur, & glorificaretur gratia ipsius.

Addit etiam in eodem c. *In quo nos sorte vocati sumus prædestinati secundum propositum eius*, vbi ostẽdit, vocationem electorum respectu ipsorum hominum dici posse fortuitam, quoniam ipsi nihil agebant, vt vocarentur; ac ne cogitabant quidem de vocatione: sed respectu Dei non esse sortem, sed determinatã electionẽ & propositũ.

Esse DENIQVE electos, non solum gratis, sed etiam absque vlla præuisione operum, docet idem Apostolus ad Rom. 9. *Cum nondum nati essent, aut aliquid boni vel mali egissent, vt secundum electionẽ propositum Dei maneret, non ex operibus sed ex vocante dictũ est ei, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et ad Rom. 11. posteaquam dixerat, *Reliquiæ secundùm electionẽ gratiæ salua factæ sunt*, addit continuò: *Si autem gratia iam non ex operibus, alioqui gratia iã non est gratia.* Et 2. ad Tim. 1. *Collabora Euangelio secundum virtutem Dei, qui nos liberauit & vocauit vocatione sua sancta, nõ secundùm opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo ante tempora secularia.*

Sed explicemus paulò fusiùs illum locũ primarium ex c. 9. ad Rom. quoniã illũ præcipuè Ambrosius Catharin. & alij quidam recentiores non rectè exponũt. Propositũ erat Apostolo demonstrare, adoptionem filiorum Dei non pendere ex carnali generatione Abrahami, vt Iudæi existimabant, neque ex operibus nostris, aut parentũ nostrorũ: sed ex mero Dei beneplacito. Itaque vt hoc demõstraret, attulit figuram Iacob & Esau, & quorũ priorẽ Deus dilexit, posteriorẽ odio habuit; cum essent inter se omninò pares, nam pares fuisse, demonstrat, quia orti ex iisdem parentibus, & eodem cõcubitu generati, & eodẽ partu editi. ne fortè diceretur, vni profuisse merita parẽtum, alteri non profuisse. Et non tantùm pares fuisse dicit, quantũ ad parentes, sed etiã quantum ad se, quoniã nihil boni aut mali egerant, neque agere potuerant, quãdo dictũ est de eis, Iacob dilexi, Esau odio habui. Cũ igitur inter sẽ pares essent, tantã illam discretionẽ, nõ ex operib. eorum, aut parentum profectam esse concludit Apostolus, sed ex voluntate Dei, vt secundum electionem propositum Dei maneret, id est, vt decretum Dei perficeretur, quo vnum elegerat, alterum reprobauerat.

Quoniã autẽ videri posset hoc, aliquo modo, iniustãe obicit sibi ipse B. Paulus: *Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum?* & respondet, *absit. Moysi enim dicit, misebor cuius misereor, & misericordiam præstabo, cui misebor.* Et, *ô homo tu quis es, qui respondeas Deo? annon habet potestatẽ figulus luti facere aliud vas in honorem, aliud in cõtumeliam?* At si ex operib. præuisis Deus vnũ diligeret, alterã odio haberet, promptum fuisset B. Paulo hoc dicere, & omnẽ suspicionem iniustitię Dei, vno verbo, de medio tollere. Cùm autem hoc non fecerit, sed omnia reuocauerit ad voluntatem Dei, qui, miseretur, cuius voluerit, & cuius non voluerit, non miseretur: certum esse debet ex Apostoli sententia, prædestinationem, & electionem, siue discretionẽ, ex massa perditionis, nó pẽdere ex vlla præuisione operũ nostrorum, sed ex mero beneplacito Dei.

Ad hoc testimoniũ Apostoli responderi posset, illud: *Maior seruiet minori.* Et: *Iacob dilexi, Esau odio habui*, non intelligi de personis illis singularib. Iacob & Esau, sed de duob. populis, Israelitico & Idumæo. Et, quod dicitur de odio & amore, non intelligi de electione, & reprobatione æterna, sed de bonis malisq; temporalib. huius vitæ. Nam Gen. 25. cum Rebecca consuleret Deum, cur paruuli quos gerebat in vtero, inter se colliderẽtur. Responsum est ei: *Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populusq; populũ superabit, & maior seruiet minori.* Et Malach. 1. cũ dixisset, Deus, Iacob dilexi, Esau autẽ odio habui, explicat, quomodo dilexerit & oderit, dicens: *Posui montes eius*, nimirũ Esau, *in solitudine, & hæreditatẽ eius in dracones deserti.* Itaq; dilexit Deus Iacob, quoniam dedit ei terrã fluentem lacte & melle: odio habuit Esau, quoniam dedit ei terram sterilem & desertam.

Quamuis autem Apostolus hæc videatur spiritualiter accipere, & transferre ad mysteria Christiana: tamẽ non trãstert ad electionẽ & reprobationem singularum personarum, sed ad electionem gentilitatis, & reprobationẽ Iudæorum, quo sensu etiam accipienda videntur, quæ dicuntur ad Rom. 11. & ad Ephe. 1. alioqui sequeretur omnes illos & singulos, ad quos Paulus scribebat, fuisse prædestinatos. Nã in genere loquitur de prædestinatione, & electione omnium qui ad Ecclesiam vocati fuerant. Solum igitur ex locis allegatis colligi posse videtur, Deum ex mera sua misericordia prædestinasse gentiles ad fidẽ Christi recipiendam, & per hoc etiam ad salutem.

RESPONDEO, non disputare nos hoc loco de testimonio Gen. aut Malach. sed solum de testimonio Apostoli ad Rom. 9. Apostolus enim apertissimè loquitur de adoptione filiorũ Dei, & de mysteriis regni cœlorum: & per Esau intelligit reprobos: per Iacob electos: per terram promissionis vitam æternam cum Deo: per solitudines draconum mortẽ æternam cum diabolo: & quãuis ex mystico sensu non soleat fieri solidum argumentũ ad probanda dogmata fidei: tamen cum mysticus sensus in ipsa Scriptura exponitur, solidissimum argumentum conficitur, illa enim expositio mystici sensus, Scripturæ veteris testamenti non est mystica, sed literalis sententia Scripturæ noui testamenti.

Atnõ loquitur Apostolus de electione & reprobatione singulorum hominũ, sed gentilitatis & Iudaismi. Non ita est, imò loquitur de electione & reprobatione singulorum, tum ex gentilitate tũ ex Iudaismo: sed quoniã Iudæi existimabant, se solos ad Deũ pertinere gentiles autẽ omninò esse exclusos: ideo sæpè B. Paulus cõcionatur de vocatione gentium, & indurationè Iudæorum, & cõcludit filios Abrahæ non debere existimari eos, qui nascuntur ex carne Abrahæ, sed qui sectantur fidem Abrahę siue gentiles sint, siue Iudæi: nam in hoc ipso cap. 9. dicit Apostolus, *Vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordia, quæ præparauit in gloriam, quos & vocauit, nos non solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus.* Et cap. 11. *Numquid Deus repulit populum suum? absit, nam & ego Israelita sum, ex semine Abrahæ, de tribu Beniamin: non repulit Deus plebem suam, quam præscinit.*

Quod autem loquatur Apostolus de electione & reprobatione singulorum in particulari, perspicuum est ex illa similitudine figuli, massæ, & vasorum in honorem & in cõtumeliam. Neque enim vasa in honorẽ dici possunt soli gentiles, cùm multi ex Hebræis salui sint: neque soli Hebræi, cùm plurimi ex gentilibus saluentur: neque etiã contra, vasa in contumeliam dici possunt soli Hebræi, vel soli gentiles, eadem ratione. Vasa igitur in honorem sunt omnes electi, vasa in contumeliam omnes reprobi, siue Iudæi, siue gentiles.

Idem etiam patet ex induratione Pharaonis, qui particularis homo erat, & cuius exemplum hoc eodem loco proponit Apostolus. Rursus idem probatur ex eo, quod omnes electi certò saluantur, vt suprà ostendimus ex Scripturis. At non certò saluãtur omnes gentiles ad Ecclesiam vocati, & per Baptismum in eam admissi: sed solum aliqui, vt notum est. Illi igitur soli verè sunt, & dicuntur electi.

Denique B. Paulus, qui gente Iudæus erat, semper se in numero electorum ponit, cùm de prædestinatione loquitur, ad Rom. 8. 9. & 11. & ad Ephes. 1. non igitur per electos intelligit solos gentiles, neque loquitur de prædestinatione Ecclesiæ gentium in genere, sed de singulis prædestinatis, & electis: Quod autem in hoc numero videatur ponere omnes Christianos, ac præsertim in 1. c. ad Ephes. non repugnat iis quæ diximus. Id enim facit Apostolus, quod benè speraret de omnibus, quos videbat ad fidem vocatos: non quod affirmare vellet omnes illos verè ac propriè esse electos.

CAPVT XI.

Idem probatur ex traditione Ecclesiæ.

SECVNDO loco probari potest veritas prædestinationis gratuitæ, ex traditione Ecclesiastica: nam quamuis ante exortã hæresim Pelagianam veteres Patres quęstionem illã non adeò accuratè tractauerint, sed rãtùm occasione oblata breuiter sententiam suam aperuerint, vt S. Augustinus docet lib. de bono perseuerant. cap. 20. qui tamen cap. 10. Cyprianum, Ambrosium, & Nazianzenum pro hac sententia citat.

Cæterum post illam hæresim exortam omnes omninò, qui sanctitatis nomine in Ecclesia claruerunt, hanc ipsam sententiam apertissimè docuerunt, vt perspicuum est ex sancto Augustino in libro de prædestinatione Sãctorum, & de bono perseuerantiæ, in libro de correptione & gratia, in epistola 105. ad Sixtũ, & alibi passim. Ex sancto Prospero in 2. lib. de vocatione gentium, ca. 1. & vltimo, in libro contra Collatorem extremo, & in respõsione ad capitula Gallorum. Ex sancto Fulgentio in lib. de incarnatione & gratia Christi extremo. Sancto Gregorio lib. 1. dialogorum, c. 8. Sancto Anselmo, Beda, Primasio, Sedulio, & aliis in c. 9. ad Rom. Sancto Bernardo in serm. 23. & 78. in Cantica, Sancto Thoma in 1. part. quæst. 23. & Sancto Bonaventura in 1. Sentent. dist. 41. quæst. 2. quo loco scribit quidem S. Bonauentura, Deum prędestinare homines ob certas causſas, soli sibi notas, & non ob solam voluntatem suam: sed eas causſas nõ dicit, esse ex parte operum præuisorum: intelligit autem voluntatem Dei non esse irrationalem, sed cum sapientia & consilio coniunctam, vt etiam loquitur Augustinus in Enchiridio, capite 95.

Neque solum sancti isti Patres hoc affirmant, sed antiquiores & doctiores ex ipsis, quos cæteri posteà sequuti sunt, ad fidem Catholicam hanc sententiam pertinere tradunt, & contrariam ad Pelagianos reiiciunt. Notabo aliqua loca, vt si qui fortè contra sentiunt, intelligant ex iudicio sanctissimorum Patrum, in quam manifesto errore versentur.

S. AVGVSTINVS in libro de bono perseuerãtiæ, c. 18. *Hoc*, inquit *scio, neminem contra istam prædestinationem, quã secundum Scripturam sanctam defendimus, nisi errando disputare potuisse.* Et cap. 23. *Prædestinationis*, inquit, *huius fidem, quæ contra nouos hæreticos noua sollicitudine nunc defenditur, numquam Ecclesia Christi non habuit.*

S. PROSPER in respõsione prima ad obiectiones Gallorum: *Prædestinationem*, inquit, *Dei nullus Catholicus negat.* Et in epist. ad Ruffin. de libero arbitrio: *Prædestinationem*, inquit, *tam impium est negare, quam ipsi gratia cõtrairе.* Neque respondeti potest, eum loqui de prædestina-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tione in genere, non de prædestinatione merè gratuita: loquitur enim de prædestinatione, quam S. Augustinus defendebat, & quam Cassianus, & alij quidam in Gallia oppugnabant.

S. Petrvs Diaconvs in libro de incarnatione & gratia Christi extremo: *Anathematizamus*, inquit, *Pelagium & Cœlestinum, simulq; Iulianum Edanensem, & qui illis similia sapiunt, præcipue libros Fausti, Galliarum Episcopi, qui de monasterio Lirinensi prouectus est, quos contra prædestinationis sententiam scriptos esse non dubium est.*

S. Fvlgentivs in libro item de incarnatione & gratia Christi, cap. vlt. in ipso epilogo: *Cuius*, inquit, *prædestinationis veritatem, qua nos ante mundi constitutionem prædestinatos in Christo testatur Apostolus, si quis detrectat cordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre, si ante vltimũ diem vitæ præsentis impietatis suæ contumaciam, qua Deo viuo & vero rebellis obstitit, non abiecerit, manifestum est, eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Christo ante mundi constitutionem gratis elegit, & prædestinauit ad regnum.*

His accedit publica Ecclesię approbatio. Cõstat enim delatam fuisse ad Apostolicam sedem, Cælestino Pontifice, à Prospero & Hilario querimoniam, quod in Gallia presbyteri quidam doctrinam S. Augustini de prædestinatione reprehenderẽt. Quid autẽ Cælestinus rescripserit, perspicuum est ex epist. eius ad Gallos, in qua inter cætera, posteaquam magnis laudibus S. Augustinum extulit, ita subiunxit: *Vnde resistatur talibus, quos malè crescere videmus: nefas est hæc pati religiosas animas, quarum afflictione, quia membra nostra sunt, nos quoque conuenit macerari.*

Et quoniam Galli respondebant, fuisse quidem à Põtifice cõmendatam S. Augustini doctrinã, sed nõ approbatos in specie libros illos duos de prædestinatione Sãctorum, & de bono perseuerantiæ: Contrà, S. Prosper in lib. contra Collatorem, extremo, demõstrat, Pontificem nõ potuisse hos libros non approbare, cùm August. doctrinam probauerit, & hi libri à cæteris non dissentiant: nam sententia de prædestinatione gratuita, quæ in his libris accuratè defenditur, difertis verbis habetur etiam in Enchir. in epist. 105. ad Sixtum, & 106. ad Paulinum.

Deinde Cælestinus in ea epist. cap. 2. ita laudat Augustinum, vt dicat, eum semper habitum à Romana Ecclesia pro Magistro optimo, & nunquam eum fuisse saltem rumore sinistræ suspicionis aspersum. At quomodo ista dicere potuisset Cælestinus, si Augustinus falsò scripsisset, fidem prædestinationis in Ecclesia Catholica semper fuisse: & contra eam neminem nisi errando disputare potuisse? Nam si August. de prædestinatione sententia falsa esset, non posset idem Augustinus ab ingenti temeritate defendi, quippè qui non solùm tam acriter pro falsitate certasset, sed etiam eam pro fide Catholica vẽditare ausus esset. Quomodo igitur Cęlestinus eos, qui pro hac ipsa re Augustinũ temeritatis & erroris dãnabãt, ita reprehẽdit, vt dicat, nefas esse talia audire, & Augustinum pro Magistro optimo semper habitum, nec vmquã fuisse saltẽ rumore sinistræ suspicionis aspersum; nisi hanc ipsam de prædestinatione doctrinam, secundùm Augustini sententiam, veram esse credidisset.

Post illa Cælestini tẽpora, cùm nondũ factio illa Gallorum cõquieisceret, S. Leo Pontifex misit ad Concilĩ Arausic. certa capitula de gratia, & libero arbitrio, ex libris S. August. verbatim decerpta, quæ voluit ab Episcopis illis recipi, & subscribi, vt etiam factum est. Porrò in illis capitulis continentur omnia fundamenta sententiæ de prædestinatione gratuita, vt non possit vllus prædestinationem negare, nisi velit illis capitulis contraire.

Denique S. Gelasivs in Concilio 70. Episcoporum, non solùm probauit omnia scripta S. Augustini, & S. Prosperi: sed etiam contrà damnauit libellos Ioan. Cassiani, & Fausti Regiensis: cùm tamen non ignoraret, potissimam contentionem inter Prosperum & Cassianũ, ac deinde inter Fulgentium, & Faustum, descriptis S. Augustini de prædestinatione Sanctorum, & bono perseuerantiæ fuisse.

Itaque sedes Apostolica non tantùm semel, sed etiam secundò, & tertiò aduersus Pelagianorum reliquias pro defensoribus gratiæ & prędestinationis sẽtẽtiam tulit, vt iam hæc sententia non quorumuis doctorum opinio, sed fides Ecclesiæ Catholicæ dici debeat: id quod in sequenti capite adhuc apertius, Deo iuuãte monstrabitur.

CAPVT XII.

Idem probatur rationibus ex Scriptura, & traditione depromptis.

Proponamvs vltimo loco rationes, nõ ex sola speculatione nostra, sed ex ipsis sacrarum literarum, & traditionis Ecclesiasticæ fontib. deriuatas.

Prima ratio, fine fide nemo saluari potest: *Qui enim non crediderit, cõdemnabitur.* Marci vlt. Fides autem donum Dei est, quod non omnibus datur, sed iis tantùm, quibus eam Deus donare voluerit: *Vobis enim* (inquit Apostolus ad Philip. 1.) *donatum est pro Christo, nõ solum vt in illum credatis, sed etiã vt pro illo patiamini.* Igitur soli illi saluantur, quos Deus gratis saluari decreuerit. Præsciuit verò Deus ante mũdi constitutionẽ, quibus salutem gratis daturus esset, & hoc ipsum ab ipsa æternitate decreuit, & præordinauit, cum Dei scientia & propositum æterna & immutabilia sint. Igitur vera est sententia S. Augustini de gratuita præscientia, & prædestinatione diuina.

Ad hanc rationem Dvobvs modis respõderi solet, sic tamen vt modus vtérque & Scripturis repugnet, & à Pelagiana hæresi non recedat. Primvm igitur aliqui respõdent, fidem esse donum Dei, sed hoc donũ iis omnibus dari, quos Deus præuidit per bonum vsum liberi arbitrij, dispositos fore ad illud donum recipiendũ, hoc est, qui fecerint ante, quod in se est, ex viribus naturæ.

Hæc responsio manifestè incidit in illam damnatam sententiam Pelagianorum, gratiam secundũ merita nostra dari, vt copiosè tractabimus in 6. lib. c. 4. 5. & 6. meritum enim appellant Patres in hac quæstione quodlibet opus bonum, ratione cuius gratia, vel auxilium homini datur, vt patet ex Augustino in libro secundo ad Bonifacium, cap. 8. & ex Prospero lib. contra Collatorem, capit. 6. & præter alia argumenta, refellitur ista solutio ex orationibus Ecclesiæ, quæ funduntur pro infidelibus, & persequutoribus. Si enim Deus ordinariè fidem donaret iis, quos ex bono vsu liberi arbitrij dispositos esse videret, fruſtrà oraretur pro infidelibus, maximè obstinatis, & persecutoribus. Præterea si res ita haberet, initium salutis esset ex nobis, & petenti Apostolo: *Quis te discernit? quid habes quod non accepisti.* 1. ad Cor. 4. respõderi posset, discernit me bonus vsus liberi arbitrij, & hoc habeo quod non accepi, & hoc modo gratia non omninò esset indebita, ac per hoc non omninò esset gratia.

Dicunt ergo Alii, fidem esse donum Dei, sed non omnib. dari, quia non omnes eam volunt accipere: Deũ enim omnes vocare, & auxilium sufficiẽs omnib. præbere, quo possint credere, si velint, proinde prædestinationem pendere ex præuisione boni vsus gratiæ sufficientis: Illos enim esse prædestinatos, quos Deus præuidit cooperaturos gratiæ sufficienti, & inde credituros: illos esse reprobatos, quos præuidit gratiæ sufficienti non cooperaturos, & inde non credituros.

At hæc solutio repugnat apertè sacris literis. Nam tametsi piè credamus, omnib. dari pro loco & tẽpore auxilium sufficiens, quo possint credere: tamen Scriptura docet, re ipsa non credere nisi illos qui habent auxilium efficax, quo fit vt homo non solum possit credere, sed etiã credat, & hoc auxiliũ non omnib. dari: nã imprimis Io. 6.

Domi

Dominus ait: *Omnes qui audiuit à Patre meo: & didicit, venit ad me.* Et ibid. *Omne quod dat mihi Pater, veniet ad me.* Et Ioan. 10. *Vos nõ creditis, quia non estis ex ouibus meis.* Vbi videmus caussam reddi, cur Iudæi isti nõ crederẽt, nõ quia non haberent auxilium, quo possent credere: quorsum enim Dominus illis prædicaret, signa coram eis faceret, hortaretur eos ad fidẽ, reprehẽderet, & inexcusabiles diceret, si nõ dedisset eis auxiliũ, quo possent credere? Sed quia nõ haberẽt gratiã illã, quæ ita suadet, vt persuadeat, & ideo nõ habuisse gratiã illã quia non erant de electis ouibus, neque dederat eos Pater filio, & ideo ibidem addidit? *Nemo potest ad me venire*, id est, sine dubio nullus veniet, nisi pater traxerit eum. Nam (vt diximus) venire poterant absolutè, sed dicuntur nõ posse, quia certũ erat, & infallibile, non venturos. Quare ibid. Dominus citans Isaiam ait: *Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei.* Quorum verborum ille est sensus, omnes qui credunt, docentur à Deo, proinde nemo credit, nisi à Deo doctis, id est, tractus & persuasus à Patre.

Deinde Mat. 11. idẽ Dominus ait: *Confiteor tibi Pater, Domine cœli ac terræ, quia abscondisti hæc à sapientib. & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.* Et: *Nemo nouit filium, nisi Pater, neque Patrẽ quis nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Hic verò non agitur de reuelatione per externã prædestinationẽ, nam eo modo reuelauerat Deus multis aliis mysteria fidei, non solis iis, qui tunc crediderãt. Palam. n. Christus prædicabat in tẽplo, & in synagogis: sed loquitur de interna illa reuelatione, quæ persuadet fidẽ, quæ non datur omnibus, sed quibus placitũ est ante Deũ. De qua etiam dicitur Matt. 16. *Beatus es Simon Bar-Iona, quia non reuelauit tibi caro & sanguis, sed pater meus qui in cœlis est.*

Præterea cũ B. Paulus multis prædicaret, Act. 16. certè omnes poterant credere, alioqui non peccassent, non credendo: tamẽ sola credidit Lidia purpuraria, cuius rei caussam reddens S. Luc. ait: *Aperuit Dominus eius cor intẽdere his, quæ dicebantur à Paulo.* Cur autem aperuit Dominus cor eius, & non aliorum, nisi quia ex eo numero sola ipsa præordinata erat ad vitam æternam, vt idem Lucas dicit de aliis, qui crediderunt, Act. 13.

Item, cùm idem Paulus tam sæpè repetit, fidẽ esse donũ Dei, & nõ omnium esse fidem, vt ad Ephes. 2. Philip. 1. 2. ad Thess. 3. & alibi, nõ negat, omnes posse credere, si velint cooperari gratiæ præuenienti, & sufficienti, neque dicit donum Dei esse fidem, quia Deus præbeat auxiliũ sufficiens ad credendum, id enim est donũ cõmune omnibus, ac præsertim secundùm aduersarios. Nihil igitur significat aliud, nisi donum Dei esse ipsum velle credere, & re ipsa credere, quod non habent, nisi qui credũt quoniam eis solis Deus dignatur ita suadere, vt persuadeat.

Denique quod ait idẽ Apostolus 1. ad Cor. 4. *Quis enim te discernit? quid habes quod non accepisti?* non solũ probat, non discerni fidelem ab infideli, per bonum vsum liberi arbitrij, præcedentem gratiam, sed etiam non discerni principaliter per liberam cooperationem gratiæ præuenientis, quasi ipsa cooperatio nõ sit donum Dei, nam adhuc posset fidelis inflari, ac dicere, discernit me cooperatio mea: ego enim cooperatus sum, ille cooperatus nõ est, cũ eãdem præuenientẽ gratiam haberemus. Vult autẽ Apostolus amputare omnem inflationis occasionem, & vt fideles intelligant, hoc ipsum quod fideles sunt, donum esse Dei sibi gratis datũ, aliis autẽ minimè datum.

Altera ratio ducitur à dono perseuerantiæ, hoc modo, sine perseuerantia nemo saluari potest: *Qui* enim *perseuerauerit vsque in finẽ, hic saluus erit.* Matt. 10. & Apoc. 3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam:* At perseuerantia donum est Dei, quod non datur ex meritis, sed ex gratia, & quamuis omnes iusti perseuerare possint, si velint: tamen soli illi perseuerant, qui habent hoc donũ perseuerandi, vsque in finem, ac per hoc salus, & prædestinatio ad salutem ex voluntate Dei simpliciter pendet.

Probatur assumptio huius argumẽti. Primvm enim Dominus Ioan. 13. cùm dixisset: *Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea*, subiungit, *non de omnibus vobis dico: ego scio quos elegerim.* Vbi satis indicauit, non omnibus dari, vt perseueranter faciant, sed solùm electis, & c. 15 loquens istis, quos elegerat: *Ego posui vos*, inquit, *vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Quod est idẽ ac si dixisset, ego dabo vobis benè operari, & perseuerare in bono opere, vsque in finẽ. Et Apostolus ad Rom. 9. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Vbi ponit homines velle & currerẽ, id est, credere, & operari, ac per hoc habuisse gratiam credendi, & operandi, & tamẽ quia videbat, nõ peruenturos ad brauium, nisi eos, qui ex peculiari misericordia haberent perseuerantiã: ideo dixit: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.*

Et certè, si solùm ex Dei misericordia diceretur pendere perseuerentia, quia sine Dei auxilio, non posset homo perseuerare, nõ autem quia faceret hominẽ ipsa misericordia infallibiter perseuerare, alioqui non perseueraturum: sicut dicitur: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*: ita contrà dici posset, non miserentis Dei, sed volentis, & currentis est hominis. Nam sine voluntate & actione hominis non perficit misericordia Dei, quod intẽdit. Quod si nemo audebit ita inuertere verba diuina, ne Spiritui sancto aperrissimè contradicat, planè sequitur id quod diximus, vt ideo dicatur miserentis esse Dei, non volentis, & currentis hominis, quoniam illi soli ex volentibus & currentibus perueniunt, quos Dei misericordia perseueranter volentes & currentes faciẽt.

Item Philipp. 2. *Cum metu*, inquit, *& tremore salutem vestram operamini, Deus enim est, qui operatur in vobis velle, & perficere, pro bona voluntate.* Quæ est ista consequutio, *cum metu operamini, quia Deus est, qui operatur*, nimirum Apostolus monet, vt quamuis benè operemur, nõ tamen nobis certò perseuerantiam promittamus, sed cum metu, & tremore Deo subiecti simus, à cuius manu pendet perseuerantia nostra. Ipse est enim qui in iis, qui perseuerant, operatur velle & perficere pro bona voluntate.

Denique, vt alia multa testimonia diuina præteream, S. Ioannes in epist. 1. c. 2. *Ex nobis*, inquit, *prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum.* Quem locum ita edisserit S. Avgvstinvs in lib. de bono perseuerantiæ, c. 8. *Quid est, quod non erant ex nobis? nonne vtique à Deo creati, vtique ex Adã nati, vtique de terra facti erant, & ab eo, qui dixit, omnem flatum ego feci, vnius ciusdẽq; naturæ animas acceperãt? nonne postremo vtiq; vocati fuerant, & vocanti sequuti, vtique ex impijs iustificati, & per lauacrum regenerationis vtique renouati? Sed si hæc audiret ille, qui sciebat procul dubio quod dicebat, respondere posset, & dicere, vera sunt hæc: secundum hæc omnia erant ex nobis: veruntamen secundum aliam quandam discretionem non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum, quanã est ista discretio? non erant ex eis, quia non erat in Christo electi ante mundi constitutionem.* Hæc ille.

Dicet fortasse aliquis, loqui Apostolum Ioannem de discretione ex præscientia bonorum operũ, vt sensus sit, non erãt ex nobis in præscientia Dei, quia Deus præuideret eos non perseueraturos. At hæc intelligentia nimis frigidam, & quasi puerilem reddit Apostolicam sententiam. Idẽ enim est, non erant ex nobis in præscientia, & non erant perseueraturi. Vnde sequitur inepta illa cõsequutio, nã si fuissent perseueraturi, vtique perseuerassent. Quæ consequutio nihil arcani, aut diuini continet.

Dicet rursus alius, illud: *Non erant ex nobis*, posse intelligi de simulatione fidei, vt sensus sit, videbãtur exteriorib. signis Christiani atque Catholici, sed iam præcisi erant corde à nobis. Ita enim exponit idem S. Aug. tract. 3. in epist. Io. Respondeo, vtrũque verum esse, & inter se optimè cohærere: nam qui prædestinati non sunt, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

perhoc in prædestinatione discreti ab aliis, qui sunt in Ecclesia electi ac prædestinati: sæpè etiã prius corde præciduntur, quàm corpore, & verum est, illos nõ esse ex nobis etiam cùm videntur esse ex nobis, tum quia non sunt ex numero electorum, tum etiam quia sunt à nobis iam corde præcisi. Cæterùm hanc Apostolicam sententiam præcipuè ad prædestinationem referendam esse, ex eo constat, quod Ioannes ita securè affirmant: *Si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum.* Non enim id certò asseuerari potest de quibuscunque sinceris, verisque Catholicis, nisi de numero sint eorum, de quibus Dominus dicit: *Non rapiet eos quisquam de manu mea.* Ioan. 10.

Ad hæc testimonia, quibus speciale donũ perseuerantiæ comprobatur, addi possunt DVAE solidissimæ rationes: ALTERA sumitur ab orationibus, quas iubemur assiduè fundere pro dono perseuerantiæ: Nam si perseuerantiæ donum nihil esset, nisi auxilium, quo perseuerare possimus, non esset opus tãta precum assiduitate: id enim donum semper habent, qui iusti sunt: non enim deserit Deus, nisi prius ab homine deseratur. Sic etiamsi donum perseuerantiæ semel impetratum, amitti non posset, hoc est, si ante mortem re vera obtineretur: non esset opus vsque ad mortem donum illud à Domino petere: iubemur autem quotidie, quantumuis proficiamus, semper dicere: *Sanctificetur nomen tuum, Fiat voluntas tua, Ne nos inducas in tentationem, Libera nos à malo.* Quibus omnibus verbis quid aliud petimus, nisi, vt sanctus CYPRIANVS loquitur in sermone sexto: *Vt in eo, quod esse cœpimus, perseueremus?* Itaque rectè S. AVGVSTINVS in libro de bono perseuerantiæ, cap. 17. *Restat,* inquit, *in his bonis, vsque in finem perseuerantia, quæ frustra quotidie à Domino petitur, si non eam Dominus per gratiam suam in illo, cuius orationes exaudit, operatur.*

ALTERA ratio sumitur à termino ac periodo vitæ humanæ, quæ nõ ab alio quàm ab ipso hominũ cõditore statuitur: *Ipse* enim *cõstituit terminos, qui præteriri nõ possunt,* Iob 14. *Ipse aufert spiritũ principum,* Psal. 75. *Ipse* denique *mortificat & viuificat.* 1. Regũ 2. Cùm igitur in manu Dei sit, iustum rapere, antequã malitia illũ deprauet, & peccatorem expectare, donec ad sanitatem redeat: & contrà, iustum in vita relinquere, donec iterum labatur, & pereat, & peccatorem, antequam conuertatur, de medio tollere, quis non videt perseuerantiam donum esse Dei? *Videte,* inquit AVGVSTINVS loco citato, *à veritate quã sit alienum, negare donum Dei esse perseuerantiam vsque in finem huius vitæ, cum vita huic, quando voluerit ipse, det finem: quem si dat ante imminentem lapsum, facit hominem perseuerare vsque in finem.*

TERTIA ratio ducitur à paruulorũ diuersitate, quorũ aliqui rapiuntur statim a Baptismo, alij paulò antè Baptismũ, quorũ priores ad gloriã prædestinatorũ, posteriores ad pœnam reproborũ pertinere non dubium est, nec possunt hic vlla merita prævisa, vllusue bonus vsus liberi arbitrij aut gratiæ fingi. Faciunt autẽ hoc argumentum multò adhuc firmius, & solidius apperere vanæ responsiones, quas nonnulli magno labore tandem repererunt: *Mirum est,* inquit S. AVGVST. in epist. 105. ad Sixtum, *cum his coarctantur angustiis, in quanta se abrupta præcipitent, metuentes retia veritatis.*

Respondebant igitur olim quidã, prædestinatos esse paruulos secundùm opera, quæ Deus eos fecturos fuisse præuiderat, si diutius illis viuere contigisset. SED refellit hanc responsionem idem August. in lib. de prædest. Sanctorum, c. 12. ex eo, quod Apostolus definit 2. ad Cor. 5. omnes homines iudicãdos à Christo secundùm propria corporis, id est, prout in hac vita corporali se gesserunt. Item ex eo, quod parum profuisset cuidam, rapi antequã malitia immutaret intellectũ eius, vt dicitur Sap. 4. & cõtrà, multum profuisset Tyriis, & Sidoniis, fuisse credituros, si Christi signa vidissent, vt dicitur Matth. 11. si iudicandi sumus secundùm opera, quę facturi eramus.

Respondent igitur ALII, aliam esse rationem paruulorum, aliã adultorum: quoniam adulti, si non saluantur, in æternum pereunt: paruuli, si non saluantur, non tamen pereunt, sed habebunt extra regnum cœlorũ suã quamdam vitam æternam & beatam. SED hanc solutionẽ incidere in hæresim Pelagianã, docet S. Aug. in lib. de bono perseuerantię. cap. 11. & 12. & nos etiam contra hunc errorem disseruimus in lib. 6. de statu peccati. Et certè fidelibus satis esse deberet, quod Apostolus ad Rom. 5. tam apertè dicat, vnius delicto, omnes homines in condemnationem missos esse.

Respõdent ALII postremò, casu fieri quod ex paruulis alij baptizẽtur, alij sine Baptismo decedãr, quia videlicet alij nascantur apud Christianos, alij apud infideles, alij debiliores sint ex naturalibus caussis, quàm vt ad Baptismũ vsque viuere possint: Alij meliorẽ nacti sint corporis constitutionem, & ideo ad lauacrũ, regenerationémque perueniant. SED hæc responsio non videtur digna Christianis, qui prouidentiã Dei erga homines ex sacris literis & Ecclesiastica traditione didicerint: Nã si non cadit passer in terrã, sine patre nostro, qui in cœlis est, vt Saluator affirmat, quanto magis nos apud Deũ pluris sumus illis? & si non disponeret Deus limites vitæ & mortis hominũ quomodo diceret Psal. 54. *Viri sanguinei, & dolosi non dimidiabũt dies suos?* Quomodo, quod sæpè citauimus, libro Sapient. 4. diceret: *Raptus est, ne malitia immutaret intellectum eius?* Quomodo in Scriptura testamenti veteris tam sæpè repeteretur, eos qui casu videbantur occisi, traditos esse à Deo in manu hostium, aut ferarum? quomodo in ipsa lege diuina promitteretur iis, qui parentes colunt, vt debent, vita diuturna super terram?

Deus igitur non mutat quidem cursum naturæ, sinitque res omnes agere motus suos, tamen ante mundi cõstitutionem sine dubio vidit, quid ab initio vsque ad finẽ accideret, si hoc aut illo modo rerum caussas, totiusque naturæ cursum, ordinẽq; disponeret. Et cũ in manu eius essent omnia, neque aliquid, nisi eo iubẽte, aut permittẽte fieri posset, proculdubio res ita disposuit, vt omnia cooperarentur in bonum his, qui secundùm propositum vocati sunt sancti.

Quod igitur paruulorum alius baptizetur, alius sine Baptismi gratia rapiatur, proxima caussa referri poterit in caussas naturales, vt parentum diligentiam, corporis complexionem, aliáque id genus: primaria tamen caussa non alia esse potest, nisi diuina voluntas.

QVARTA ratio sumitur ab exemplo CHRISTI, qui caput est & princeps omnium electorum: *CHRISTVS enim prædestinatus est filius Dei in virtute,* vt Apostolus loquitur ad Rom. 1. & prædestinatus est omninò gratis, nó propter opera aliqua prævisa: non enim aliqua opera facere potuit homo Christus, vt filius Dei fieret, cum ex illo cœperit esse filius Dei, ex quo cœpit esse homo. Nam filium Dei vnicum fœmina illa gratia plena concepit, non hominem aliquem, qui postea accedentibus meritis, ad personam filij Dei assumeretur.

Vt igitur Christus ipse gratis omninò prædestinatus est, ita membra Christi gratis prædestinata sunt: prædestinamur enim nos, *vt conformes efficiamur imagini filij Dei,* vt ait Apostolus ad Rom. 8. itaque sicut ille homo prædestinatus est, esse filius Dei naturalis, nullis præcedẽtibus meritis: ita nos etiã prædestinamur, vt simus filij Dei, per adoptionem, nullis præcedentibus meritis. Vide hãc rationem eleganter tractatam ab Augustino in libro de prædestinatione Sanctorum, cap. 15. & de bono perseuerant. cap. vlt. & de correp. & grat. cap. 11.

QVINTA ratio sumitur à fine prædestinationis. Prædestinatio pro fine habet *ostensionẽ diuitiarũ gratiæ Dei, in vasa misericordiæ, & laudẽ gloriæ gratiæ suæ,* vt Apostolus testatur ad Rom. 9. & 11. & ad Eph. 1. at si prædestinaret homi

homines Deus propter bonum vsum liberi arbitrij, gratiæue prævisum: non ostenderet diuitias gratiæ, sed iustitiæ, aut æquitatis.

AT, inquiũt, hæc ipsa ingens est gratia, quod Deus ad æternã gloriam homines prædestinare voluerit, propter bonũ vsum liberi arbitrij, vel gratiæ, nõ enim tenebatur Deus hoc facere, sed dimittere poterat oẽs homines in massa perditionis, & ne sufficiens quidẽ auxiliũ vlli cõcedere. SED si hæc sola esset gratia prædestinationis, non diceret Apostolus: *Deum ostendere voluisse diuitias gratiæ in vasa misericordiæ.* Nec diceret, *reliquias secundùm electionẽ gratiæ saluas fieri.* Nec diceret, *nos in Christo prædestinatos in laudẽ gloriæ gratiæ suæ.* Nã prædestinare vellẽ eos, qui benè operabũtur, gratia est cõmunis toti generi humano, non propria valorũ misericordiæ, neque dici potest electio gratiæ, sed iustitiæ, illa electio, qua eliguntur qui præuidentur benè operaturi, quamuis gratia dici possit, brauium hoc decertaturis proponere voluisse. Itaq; non dubium est Apostolo repugnare sententiam illorum, qui electionem saluandorum merè gratuitam negant.

SEXTA ratio, discretionẽ electorũ à reprobis Scripturæ referunt inter arcana & Sacramẽta altissima, & inscrutabilia, vt patet ex illo, Rom. 11. *O altitudo diuitiarum scientiæ, & sapientiæ Dei, quam incõprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Quod enim eo loco tantoperè admiratur Apostolus, est, *quod Deus omnia conclauserit in incredulitatẽ, vt omniũ misereatur,* id est, permiserit omnes fieri incredulos, prius gẽtiles, posterius Iudæos, vt omnium misereatur, id est, gentium & Iudæorum, & inde factum sit, vt aliquando ex gẽtilibus pauciss imi, ac ferè nulli saluarentur, nunc plurimi saluentur. Et contrà, ex Iudæis multi saluarentur aliquando, nunc pauciss imi saluentur, & rursus in fine seculi iterum multi saluandi fiut.

At si vera esset aduersariorum sententia, nullum hic esset mysterium, nulla caussa admirationis: diceremus. n. Deum antiquis temporib. non misisse prædicatores, nisi ad Iudæos, quoniam videbat pauciss imos fuisse inter gẽtiles, qui prædicatoribus fidem habituri essent, nunc autẽ contra eos mittere ac misisse, quia videbat plurimos futuros qui hoc tempore fidem reciperent. Et idem dici posset de Iudæis: non est autem mirum, si Deus non saluare, sed dãnare decreuit eos, quos minimè credituros, maléque operaturos fuisse præuidit: sicut nemo miratur, si videat à iudice puniri noxios, liberari innoxios.

Apostolus aũt admiratur, & exclamat: *O altitudo diuitiarũ,* quoniã videt in eadẽ caussa Deũ, qui non est acceptor personarũ, aliorum misereri, aliorum non misereri, gentiles hoc tempore facilè conuerti ad fidẽ, quia Deus misereturi eorũ, & antea nó credidisse, quia Deus eorum nó miserebatur: & Iudæos, qui nunc increduli sunt, in fine credituros, quia Deus eorũ nunc non misereatur, sed in fine miserebitur, ita ait: *Sicut aliquando vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiã consequuti estis propter illorũ incredulitatẽ: ita & isti nunc nõ crediderunt in vestrã misericordiã, vt & ipsi misericordiã cõsequantur:* id est, sicut nũc Deus patitur Iudæos manere incredulos, vestri aũt misereatur, vósq; cõuertit ad fidẽ, sic in fine mũdi illorũ etiã miserebitur. cósq; cõuerter, & ideo post exclamationẽ illã: *O altitudo diuitiarum,* rursum addit, *quis prior dedit ei, & retribuetur illi? quoniã ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia,* vt ostendat, Deũ præuenire omnia merita nostra, & omnem bonũ vsum liberi arbitrij, & propterea iure mirandum esse, & inter arcana inscrutabilia habendum, cur Deus huius misereatur, illius non misereatur.

POSTREMA ratio hæc esse potest, si Deus prædestinaret propter bonum vsum liberi arbitrij, gratiæue prævisum, certè in huius prædestinationis exequtionẽ prædicatores ad eos omnes dirigeret, quos præuidet benè vsuros Euangelio, atque apud omnes signa fieri vellet, quos ex iis signis conuertendos, saluãdosq; prænoscit: at Deus ad Ezechielem ca. 3. dicit: *Si ad populum ignotæ linguæ mitterem te, audirent te, domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me.* Et Dominus Matt. 11. *Si in Tyro & Sidone facta fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent.*

Quid hic, obsecro, responderi potest? si prædestinat Deus ex prævisо bono vsu liberi arbitrij, vel gratiæ, cur non prædestinauit populos illos ignotæ linguæ, de quibus loquitur Ezechiel, & Tyrios, & Sydonios, de quibus loquitur Dominus? istos enim benè vsuros fuisse libero arbitrio, & gratia, veritas ipsa testatur, & tamen extra cõtrouersiã est, hos non fuisse prædestinatos, sed cum cæteris contumeliæ vasis in massa perdita derelictos. Addi possent & aliæ rationes, quas Theologi Scholastici egregiè texunt. Sed hæ potissimæ nobis vitæ sunt.

CAPVT XIII.

Soluuntur argumenta contra propositionem octauam.

ADVERSVS octauã nostram propositionẽ de prædestinatione gratuita, non desunt argumenta tum ex Scripturis, tum ex Patribus tum ex ratione de prompta.

PRIMVM Scripturæ testimonium sumunt ex verbis illis Apostoli ad Romanos 8. *Quos præscisit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.* Videtur enim hac sententia significari, Deum prædestinasse illos, quos præsciuit conformes futuros imaginis filij sui, ita vt præscientia futurę probitatis, siue probitas futura pręcognita prædestinationis caussa fuerit.

RESPONDEO, deprauatio est ista nõ explicatio Apostolici testimonij, non. n. dicit D. Paulus cõformes futuros, sed, *fieri conformes,* nõ autem rectè coniungitur, *fieri conformes.* cum verbo *præscisit,* sed cũ verbo *prædestinauit:* Nõ enim rectè diceretur *præscisit fieri,* sicut rectè dicitur *prædestinauit fieri.* Deest quidẽ in textu Græco verbũ *fieri,* & solùm est nomen *συμμόρφους,* tamen magna est apud nos auctoritas veteris interpretis, qui explicandi gratia addidit, *fieri,* non autem *futuros.*

DEINDE quid opus est hyperbato, cũ possimus recto ordine omnia planissimè interpretari. Itaque sensus est eorũ verborũ, quos Deus præsciuit, id est, quos præsciuit scientiã approbationis, quos dilexit, quos voluit, illos & prædestinauit cõformes fieri, id est, vt conformes fierent imaginis filij sui. Nã scire, & præscire in Scripturis non raro pro scientia approbationis accipitur, vt patet ex illo ad Rom. 11. *Non repulit Deus plebem suam, quam præsciit.* 2. ad Tim. 2. *Cognouit Dominus qui sunt eius.* Matt. 25. *Non noui vos.* Psalm. 1. *Nouit Dominus viam iustorum.* Ioan. 10. *Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas.*

ALTERVM testimonium sumũt ex illis verbis, 2. ad Timoth. 2. *In magna domo sunt vasa aurea & fictilia, alia in honorem, alia in contumeliam. Si quis emundauerit se ab istis, erit vas in honorem, vtile Domino, &c.* Videmus enim hoc loco vasa in contumeliam posse per liberum arbitrium, & Dei gratiam, mutari in vasa in honorem. Non igitur ad Rom. 9. per vasa in honorem, & in cõtumeliam intelliguntur prædestinati, & reprobi, sola Dei voluntate, sed per opera prævisa, alioqui falli posset prædestinatio, cum possint, vt idem Apostolus ait, vasa mutari, & de vasis contumeliæ fieri vasa in honorem.

RESPONDEO, non dicit Apostolus, vasa in contumeliam per emundationem fieri vasa in honorem, sed ostendit, quo signo possint cognosci vasa in honorem, ac dicit, vasa in honorem habere duo signacula, VNVM internũ, quod à nobis in hac vita cerni non potest, notitiã videlicet diuinę approbationis, ALTERVM externũ, vitationẽ iniquitatũ & errorũ. Cùm. n. Deus ita prædestinauerit homines, vt per bona opera eos peruenire velit,

ad gloriã,signum est prædestinationis, diligenter vitare A peccata,& præsertim hæresum inquinationẽ. Itaq; cùm dixisset Apostolus,Hymeneũ, & Philetũ hæreticos subuertisse quorundã fidẽ, addit , non esse periculũ,ne omnium fidem subuertant , quoniam fundamẽtum Dei firmum consistit, in electis videlicet,& addit signa electorum:*Habens*,inquit,*signaculum hoc , cognouit Dominus qui sunt eius*.Et: *Recedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini*.Vbi illud: *Recedat ab iniquitate* , non significat ex iniquo fiat iustus,sed caueat ab iniquitate patranda,conseruet iustitiam,quam semel accepit.

Deinde addit, non esse miranda , si aliqui recedunt à fide,& inter reprobos numerandi videantur:*Nam in magna domo sunt vasa aurea & argentea , & lignea , ac fictilia, alia in honorem,alia in contumeliam*. Voluit enim Deus ad B ostendendas diuitias gratiæ vasa habere in honorem , & ad iram suam iustam in impios declarandam , tolerare etiam vasa in contumeliam.

Denique repetit signum , quo possint vtcumque cognosci vasa in honorem , & ait:*Si quis ergo mandauerit se ab his* , id est , si quis non adhæserit huiusmodi hæreticis, sed mundum se ab eorum sordibus , & pollutione seruauerit,*erit vas in honorem,&c*.

At,INQVIES,saltem homines ipsi se vasa in honorẽ efficiunt , non igitur prædestinatione sunt vasa in honorẽ,nisi prædestinatio pendeat ex præuisione operũ.SED facilis est responsio. Nam Apostolus non dicit , Si quis emundauerit se ab his,fiet vas in honorẽ,sed , *erit vas in* C *honorem*,id est,cognoscetur esse vas in honorem. Deinde non est absurdũ,homines,& prædestinatione,& propriis actionib.fieri vasa in honorẽ. Deus enim prædestinauit, quos voluit,vt essent vasa in honorẽ,sed efficit postea,vt sint tales,& gratia sua,& opere ipsorũ.& nõ ideo pendet prædestinatio ab operibus,sed opera à prædestinatione. Nã *quos prædestinauit, hos vocauit , quos vocauit hos iustificauit. quos iustificauit,hos magnificauit*,ad Rom.8. Itaq; sunt opera bona effectus prædestinationis,licet Deus nos iustificet,concurrente libero arbitrio, & cooperante gratiæ eius,vt infrà suo loco docebimus.

TERTIVM testimonium sumunt ex Apoc. 3. *Tene quod habes,ne alius accipiat coronam tuam*.At certè si corona potest amitti per mala opera,non prædestinauit Deus D vllum ad coronam , nisi præuisis operibus eius nisi fallax & mutabilis prædestinatio esse queat.

RESPONDET S.Thom.in 1.p.q.23.art.6.ad 1.coronam gloriæ duplici titulo debitã esse posse,titulo prædestinationis,& titulo meritorum, & quãuis , vt debita est priore titulo,simpliciter nõ possit amitti, tamẽ vt posteriore titulo debita est,ea ratione posse amitti.Sãctus autẽ Augustin.in lib.de correp.& grat.ca.13. rectissimè monet , coronam gloriæ præparatã electis ante mundi constitutionem , amitti non posse,tamen vt non amittatur, Deum efficere variis modis. Horum vnum esse timores ac terrores,quibus sollicitudo ac vigilantia excitatur.

Itaq; dicitur prædestinato : *Tene quod habes,ne alius accipiat coronã tuã*,quia reuera si nõ perseueraret tenẽdo iu- F stitiã suã,amitteret coronã suã , sed hac admonitione & comminatione perterritus is , cui adhuc incerta est prædestinatio sua , tenebit sine dubio fortissimè q̃ habet , & eo modo tandẽ perueniet ad coronam,quam non habet.

QVARTVM testimoniũ sumunt ex illo Matt. 25. vbi paterfamilias *destribuit vnicuiq; talenta secũdũ propriã virtutem*.Videtur enim Deus omnib.gratiã præbere.sed variã pro varia dispositione naturæ,quam in hominibus inesse videt. Quod autẽ Deus facit , id se facturũ ante prædestinauit , igitur prædestinatio ex præuisa dispositione naturæ,non ex sola Dei voluntate dependet.

RESPONDEO,nomine talẽtorũ gratię gratis datę intelligũtur,quæ cõmunes sunt electis cũ reprobis,vt gratia sanitatũ,donum linguarũ,interpretatio sermonũ , & alia id genus : nomine autem proprię virtutis non significatur dispositio naturæ,sed gratia vnicuique data,vt talento sibi credito benè vti possit.

Sed esto , nomine propriæ virtutis intelligatur dispositio naturæ,quis,quæso,disposuit naturam,nisi qui fecit naturã?ille igitur qui facit,vt prędestinatis omnia cooperẽtur in bonũ.ille,inquã, electis suis nõ solùm gratiã tribuit,sed etiã naturã disposuit,atque ita prædestinatio radix & origo est omniũ bonorũ.Quãuis.n. prædestinatio prærequirat aliquo modo rẽ esse , quæ prędestinatur, tamen nõ prærequirit eã esse talis , vel talis naturæ,nisi cõditionaliter.Deus enim,vt suprà diximus,antequam absolutè aliquid vellet,vidit omnia, quæ accidere poterãt, quibuscunque modis rerum ordo constitueretur.

Itaq; vidit.exempli gratia,si talem prædestinaret,eum talis esse naturæ,vt parum aptus videatur, ad id,ad quod eligitur , sed in arbitrio eius fuit , vel cum non prædestinare vel alio modo eius temperare naturam,vel naturam quocunque modo dispositam corrigere, atque emendare per gratiam , atque ita cùm eum prædestinauit , simul constituit,vt cùm natura, tum gratia,& quidquid illi vnquam accidere posset,ei cooperaretur in bonum.

QVINTVM testimoniũ sumunt ex illo Matt. 20.*Voca operarios,& redde illis mercedẽ*.Et c.25.*Percipite regnũ, esurivi.n.& dedistis mihi manducare,&c*.Deus autem id facit in tempore,quod se ante omnia tẽpora facturũ esse constituit. igitur constituit Deus ab æterno regnum cęlorum illis dare,quos bona opera facturos fuisse præuidit.

RESPONDEO,alia ratio est prędestinationis,alia exequutionis.Cõstituit.n.in prędestinatione.regnum cœlorum dare certis hominibus,quos absque vlla operũ præuisione dilexit:tamen simul cõstituit , vt quoad exequtionem,via peueniendi ad regnum,essent opera bona.

Itaque illa propositio, Deus ab ęterno prędestinauit hominibus dare regnũ per opera bona præuisa,potest & vera esse,& falsa.Nam si illud:*Per opera præuisa*.referatur ad verbũ *prædestinauit*,falsa erit,significabit enim Deum prædestinasse homines, quia opera illorum bona pręuideratisi referatur ad verbũ,*dare*,vera erit, quia significabit exequutionẽ futuram esse per opera bona , siue quod est idem , glorificationem effectum esse iustificationis, & operum bonorũ , sicut ipsa iustificatio effectus est vocationis,& vocatio prædestinationis.

SEXTVM testimoniũ sumũt ex illis locis:*Illuminat omnẽ hominẽ venientem in hunc mundum*,Ioan.1. Et:*Vult omnes homines saluos fieri*.1.ad Tim.2.Et: *Neminem vult perire*.2.Petri 3. Sed hæc explicata sunt cap. 3. Et satis commodè intelligi possunt de antecedente voluntate.

SEPTIMVM sumũt ex illis locis,quę testãtur,Deũ nõ accipere personas,Act.10.Rom.2.& alibi,quę sunt etiã loco citato,quantum satis esse videbatur , exposita. Nam cùm acceptio personarum sit vitium iustitiæ cõtrarium, non habet locũ in gratiæ donis, quale est prædestinatio.

CAPVT XIV.

Soluuntur argumenta ex Patribus.

PRAETER Scripturas , adferunt etiam testimonia Patrum. Neque est hoc nouum argumentum,sed antiquissimum. Scribit enim S. Prosper in epist. ad S. Augustin. Gallos , qui sententiam eiusdem Augustini de prędestinatione calumniabantur, illud potissimum obiicere solitos. quod ea sententia veterum doctrinę videretur esse contraria.

Sed respondet idem August. in lib. de bono perseuerantię,veteres Patres,qui ante Pelagium floruerũt, quęstionem istam nũquam accuratè tractasse, sed incidenter solũ.& quasi per transitum illã attigisse. Addit verò , eos in fundamẽto huius sententię,quod est gratiam Dei non pręueniri ab vllo opere nostro,sed cõtra , ab illa oĩa nostra

stra opera prævenĩri,ita vt nihil omninò boni , quod at- A tinet ad salutem,sit in nobis,quod non sit nobis ex Deo, conuenire Catholicos omnes. Et ibid. citat Cyprian. Ambrosium , & Nazian. quibus addere possumus Basilium,& Chrysostomum.

BASILIVS enim in orat. de humilitate : *Nihil* , inquit,*reliquit tibi,ô homo,ad arrogantiam,cui gloriatio , ac spes est in mortificando omnia tua , & quærendo in Christo vitam futuram,cuius primitias habentes iam in his fumus , in totam in gratia viuentes,& dono Dei*.

CHRYSOSTOMVS hom.12.in 1.ad Corinth.tractãs illud:*Quis enim te discernit,&c.Igitur*,inquit, *quod accepisti habes,neq; hoc tantum,aut illud,sed quidquid habes.Non enim merita tua hæc sunt,sed dona Dei*.Et hom.24. in eãdẽ epist. scribit , omnem nostram possibilitatem esse positam in B auxilio Dei,cui totum est tribuendum.

Ex his aliisque similibus Patrum sententiis rectè collegit August.gratuitæ prædestinationis sententiã, & fidẽ in Ecclesia Catholica semper fuisse. Neq; enim defendi potest prædestinatio ex operibus præuisis , nisi aliquid boni ponatur in homine iusto,quo discernatur ab impio quod non sit illi à Deo , quod sanè Patres omnes summa cõsensione reiiciũt.Sed videamus,quid ex Patribus particulatim obiici soleat , & qua ratione sit explicandum.

PRIMVM igitur profertur S.IRENAEVS,qui in lib. 4.c.48.ita loquitur: *Quotquot scit non credsturos Deus,cũ sit omniũ præcognitor,tradidit eos infidelitati eorũ,& auertit faciẽ ab huiusmodi,relinquens eos in tenebris,quas ipsi sibi elegerunt*.

RESPONDEO,hæc sententia verissima est,quoniam docet,Deum esse iustum.& non punire nisi propter peccatũ,quæ verissima sunt,non autẽ negat,Deũ esse misericordem,& quibusdã reddere bona pro malis,eruẽdo eos per gratiã ab infidelitate ipsorũ. Itaq; Irenæus id ipsum dicit,quod antè eũ Apostolus dixerat ad Rom. 1. nimirum,Deum tradidisse quosdã in reprobũ sensum,quoniã ita meruerant eorum peccata , cùm oblatam Dei cognitionem, & fidẽ recipere noluissent. Et quemadmodũ in tempore Deus illos tradidit fidelitati ipsorum , qui credere noluerunt , sic in ęternitate ab illis auertit faciem, eosque in suis tenebris dereliquit , quos minimè credituros fuisse præuidit. Denique hæc sententia ponit causã in homine,cur reprobetur,non ponit cur prædestinetur.

SECVNDO loco profertur S.IOANNES CHRYSOSTOMVS.qui hom.31.in Matt.scribit,Matthæũ tũc vocatum esse a CHRISTO, cũ CHRISTVS vidit cũ non repudiaturũ vocationẽ. Et idẽ dicit de vocatis ad vineã; D hom.56.Rursus idẽ auctor in commentario ad c.9.epist. ad Romanos:*Multi*,inquit,*Matthæo meliores esse videbantur ab apparenti operũ argumẽto, verum qui arcana nouit,quique cogitationis aptitudinem probare potest,is & in cœno margaritam iacentem nouit , omissisque aliis admiratus huius pulchritudinem,illum elegit , voluntatis,nobilitati suam cum adiunxisset gratiam,prabatum illum esse pronunciauit*.

RESPONDEO, illa ipsa fuit gratia prædestinationis, quod CHRISTVS tunc vocare voluerit Matthæũ, cùm eum præuidit non repudiaturum esse vocationem. Cur enim nõ sic vocauit Tyrios,& Sidonios,& Capernaitas, aliosque tam multos,qui nõ crediderũt,nisi quia non eos prædestinauerat ? neque enim defuisset CHRISTO sapientia,qua tali tempore & modo illos vocaret , quo sciret infallibiliter sequuturos,si eos ita vocare voluisset. E

Itaque nõ dicit Chrysostom. CHRISTVM prædestinâsse Matthæum.quia præuidit eum non reluctaturũ vocationi,sed dicit,CHRISTVM vocâsse Matthæum,quãdo vidit eum non reluctaturum. Loquitur enim de exequutione prædestinationis,non de ipsa prædestinatione: effectus igitur prædestinationis fuit,vt Matthæus , vocãte se CHRISTO,ita dispositus esset,vt CHRISTI voci,& Spiritus sancti lumini non resisteret.

Illa verò pulchritudo & nobilitas volũtatis, atq; aptitudo ad Apostolatũ,quã in Matthæo CHRISTVM admiratum esse Chrysost.dicit,nõ est aliquid naturale , sed ipsa gratia prædestinationis,quæ in Matthæo , quãuis feneratore lucebat , sicut enim Ioan.10.CHRISTVS vocat oues suas homines Ethnicos & peccatores , cùm ait: *Alias oues habeo,quæ non sunt ex hoc ouili , & illas oportet me adducere,& vocẽ meã audiẽt* , quoniam in prædestinatione oues erant,quãuis reipsa tunc lupi essent; & sicut Ioan. c. 11.cũ scribit,CHRISTVM moriturũ fuisse,vt filios Dei qui erant dispersi , congregaret in vnũ,filios Dei nominat ratione prædestinationis eos,qui reipsa tunc filij diaboli erãt:ita CHRISTVS Chrysostomo teste,vidit Matthæum in telonio esse margaritam in cœno , quoniam in prædestinatione margarita erat , qui re ipsa tunc vnus ex B publicanis & peccatoribus erat.

Proinde admiratus CHRISTVS eam pulchritudinẽ, & nobilitatẽ volũtatis, quæ in Matthæo vt dixi , ex prædestinatione lucebat,illum elegit,quem à Patre , iam ante mundi constitutionem electum sciebat,& cùm gratiæ prædestinationis,gratiã vocationis & iustificationis adiunxisset,probatum illum iure pronunciauit. Ita igitur Chrysost. sententia rectè exponi potest , præsertim cum ipse,vt paulò antè diximus,hom. 12. in 1.ad Cor. totum quod in nobis est boni,Dei gratiæ tribuat.

TERTIO loco proferunt S.AMBROSIVM in comment.ad c.8.ad Rom.vbi sic ait : *Illi secundum propositum vocantur,quos credentes præscisit Deus , vt antequam crederet sciretur.Quos enim præscisit sibi deuotos futuros,ipso elegit ad æterna præmia*.Item in cap.9.*Eius*, inquit, *miserebor , quem præscius post errorem recto corde reuersurum ad me*.

C RESPONDEO,cõmentarios istos falsò tribui S.Ambrosio,viri docti nõ sine caussa iudicant. Sed cuiuscunq; sint,satis cõmodè potest huius auctoritatis sentẽtia explicari.Nã in priore loco,nõ loquitur auctor iste de prædestinatione,sed de vocatione,quæ est prędestinationis effectus. Verissimum autem est , Deum vocare secundum propositum eos, quos præscit credituros , sibique deuotos futuros, crediturosque autẽ & deuotos futuros præuidit,quoniam scit se eos prædestinasse, ac per hoc etiam eis præparasse gratiam, qua sine dubio crederẽtes & deuoti efficerentur. Dicit enim S.Ambrosius in lib. 7. in Lucam:*Quos dignatur,vocat,& quem vult,religiosum facit,& si voluisset,Samaritanos de indeuotis deuotos fecisset*.

AT,INQVIES,tametsi auctor ille loquatur de vocatione,cùm ait,illi secũdum propositũ vocãtur,quos credens præscisse : tamen paulò post loquitur de electione, D cùm subiũgit:*Quos.n. præscisse sibi deuotos futuros,ipsos elegit ad æterna præmia*.Igitur Deus nõ eligit prædestinatos ad gloriam,nisi prius opera ipsorum bona præuideat.

RESPONDEO,illud,*elegit*,fortasse intelligẽdum esse de electione,quæ fit in tempore,cũ homines, a Deo vocantur, de qua Christus dicit : *Ego vos duodecim elegi*. Et: *Ego elegi vos de mundo*.Et: *Non vos me elegistis,sed ego elegi vos*.Hęc enim electio idẽ est cũ vocatione secũdum propositũ,& nõ est prædestinatio,sed prædestinationis effectus.Sed si quis cõtendat,accipiendum esse de electione æterna,dicendũ erit,electionẽ æternã DVOBVS modis cõsiderari posse,VNO modo,vt est intẽtio dandi gloriã, ALIO modo.vt est dispositio exequutionis , & quasi exequutio in mente diuina.Nã priore modo electio est merè gratuita,& nullam prærequirit præuisionem operum bonorum:& de hac dicit Dominus Luc. 12. *Complacuit Patri vestro dare vobis regnũ*. Posteriore modo præexigit præuisionẽ meritorũ.Nõ.n.vitã æternã sub ratione præmij Deũ dare dispositum,nisi iis, quos benè operaturos esse præuidit.Et de hac iste auctor rectè dicit,quos præscisse sibi deuotos futuros,ipsos elegit ad æterna præmia.

Vt autẽ id melius intelligatur, cõsiderandum est gloriã,in genere caussæ finalis , priorẽ esse bonis operibus. Ipsa enim est finis,illa sunt media ad finẽ: in genere autẽ caussæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

causſæ efficientis priora eſſe opera bona, quã ſit ipſa gloria, quoniam illa ſunt cauſſæ, ipſa eſt effectus. Deus igitur prius vult electis gloriam, quàm bona opera, quoad intentionem, ideo enim vult illis dare bona merita, quia vult dare coronam gloriæ. nam prior eſt finis in intentione, quàm media, cùm nõ intendantur media, niſi propter finem, & hoc modo non eligit ad gloriam, ex præuiſione meritorum, ſed contra eligit ad merita ex præuiſione gloriæ. At quoad voluntatem exquutionis, quæ reſpicit gloriam, vt effectum meritorum, prius vult Deus electis dare bona merita, quã gloriæ coronã, & hoc modo elegit Deus ad gloriam, ex præuiſione operum bonorum.

Atque hac diſtinctione poterunt explicari plurima dicta Patrũ, ac præſertim Græcorũ, Theodoreti, Theophylacti, Oecumenij in cap. 8. & 9. ad Rom. qui dicunt, Deum prædeſtinaſſe ad gloriam eos, quorum bonum propoſitum ante prænouerat. Accipiunt enim prædeſtinationem & electionem pro voluntate dandi vitã æternam propter merita, id eſt, pro diſpoſitione exequutionis, vt diximus: Patres enim cùm ad populum verba facerent, ea dicebant, quæ vtiliora videbantur ad excitandos homines ad opera bona.

Illud autem quod vltimo loco obiiciebatur ex prædicto auctore: *Eius miſerebor, quem præſciu: poſt errorem toto corde reuerſurum ad me* difficultatem nõ habet. Significat enim eo loco miſericordia propoſitum iuſtificationis: illos enim Deus iuſtificare diſpoſuit, quos præſciuit toto corde, id eſt, verè & ex animo cõuertendos. Nulli autem toto corde conuertuntur ad Deũ, niſi quos ille præueniendo, excitando, & adiuuando cõuertit, proinde illorum miſerebitur Deus eos iuſtificando, quorum miſertus fuerit eos vocando ſecũdum propoſitum, & illorũ miſerebitur eos vocando ſecundum propoſitũ, quorũ miſertus fuerit eos prædeſtinando. Atq; hoc eſt quod ad Moſẽ dictũ fuiſſe teſtatur Apoſtolus ad Ro. 9. *Miſerebor cuius miſertus fuero, & miſericordiam præſtabo cui miſerebor.*

Quarto, profertur S. Hieronymus, qui in epiſt. ad Hedibiam quæſt. 10. ſic ait: *Vaſa miſericordiæ non ſolùm populus gentium eſt, ſed etiam qui ex Iudæis credere voluerunt.* Ex quo oſtenditur, non gentes eligi, ſed hominum volũtates. Item lib. 1. in epiſt. ad Galat. tractans illa verba: *Cum placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero, &c. Ex Dei præſcientia*, inquit, *euenit, vt quem ſcit iuſtum futurum prius diligat, quam oriatur ex vtero.* Idem quoque repetit in comment. ad c. 1. Malach. Proferunt etiam aliqui commẽtaria Hieronymi in c. 8. & 9. ad Rom. ſed ea non Hieronymi eſſe, ſed Pelagij, aut Pelagiani alicuius, non dubiũ eſt.

Respondeo, in priore teſtimonio loquitur S. Hieronymus de electione ad iuſtificationem, per quam homines efficiuntur vaſa munda, & in honorem. Eligit autẽ Deus ad iuſtificationem, quos præuidet credituros, ſed illos præuidet credituros, quibus fidem ſe donaturum eſſe prænouit. Pari ratione diligit Deus homines, vt dicitur in poſteriore teſtimonio, quos præſcit iuſtos futuros, ſed illos præſcit iuſtos futuros, quos prius dilexit vt iuſti fierent.

Postremo, adduci ſolent duo loca S. Avgvstini. Primvs locus eſt in lib. de prædeſtinat. & grat. ca. 15. vbi videtur Auguſt. diſcretionem iuſtorum ab iniuſtis referre, tãquam in vltimam cauſſam, in eorum liberã voluntatẽ. Alter locus eſt in lib. 83. quæſtionũ, quæſt. 68. vbi habentur hæc verba: *Cui vult miſereatur, & quẽ vult indurat: ſed hæc voluntas Dei iniuſta eſſe non poteſt, venit enim de occultiſſimis meritis, quia & ipſi peccatores ſunt: cum propter generale peccatum vnam maſſam fecerint: tamen non ideo nulla inter eos diuerſitas præcedit: ergo aliquid in peccatoribus, quo, quamuis nondum iuſtificati ſint, digni efficiantur iuſtificatione, & item præcedit in aliis peccatoribus, quo digni ſint obtuſione.*

Respondeo, liber de prædeſt. & grat. non iudicatur ab hominibus doctis ſancti Auguſtini opus, cùm nulla eius fiat mentio in retractationibus, neque in inculo Poſsidij. Sed quiſquis fuerit eius libelli auctor, non videtur, meo quidẽ iudicio, ab Auguſt. ſententia diſſentire. Nam, vt omittam alia multa loca, ſic loquitur c. 16. *Hãc*, itaque, *diuinam electionem non meritis reddi, ſed ſolã voluntatis munificentia donari hominibus. Moſes cùm iam tũc quibuis carnalem populum doceret, oſtendit, &c.* In loco igitur nobis obiecto, refert quidem ille auctor diſcretionem iuſti ab impio in hominum voluntates, ſed mox adiungit, vltimam reſolutionem fieri in Dei voluntatem, qui vnum miſericorditer adiuuit, alterum iuſtè deſeruit.

Quod attinet ad Alterum locum, Petrus Lombardus in 4. lib. Sentent. diſt. 41. exiſtimat ſanctum Auguſtinum retractaſſe hũc locum, cùm alia ſimilia retractauit. Sed non eſt opus ad retractationis aſylũ confugere: non enim differit eo loco ſanctus Auguſtinus de prædeſtinatione, quæ nullam habet cauſſam ex parte hominum, ſed de obduratione, & iuſtificatione, quæ habent cauſſas ex parte hominũ, quamuis ſæpè, vt ipſe dicit, ſecretiſſimas. Obdurat enim Deus homines propter peccata, & iuſtificat propter merita. Sic enim vocat Auguſtinus & hoc loco, & alibi paſſim diſpoſitiones ad iuſtificationem, quæ tamen merita non ſunt in illis, niſi ex gratia: *Gratia enim* (vt idem Auguſtin. ait in epiſt. 106.) *meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici.*

CAPVT XV.

Soluuntur argumenta ex rationibus, & ſimul oſtenditur, non ſolum ad gratiam efficacem, ſed etiam ad gloriam, gratis homines eligi.

Sequvntvr obiectiones deprompte ex ratione: Prima ratio, electio prærequirit diſparitatem, in iis, qui eligendi ſunt: vnuſquiſque enim, qui in eligendo non erat, id eligit, quod melius eſt, non igitur electio ſaluãdorum facta eſt ſine aliqua præuiſione operum, aut diſpoſitionis ex parte noſtri. Et confirmatur ex Auguſtino in lib. 1. ad Simplicianum, quæſt. 2. qui ſic ait: *Nemo eligitur, niſi iam diſtans ab illo, qui reiicitur: Vnde quod dictum eſt, quia elegit nos ante mundi conſtitutionem, non videõ quomodo ſit dictum, niſi præſciendo.* Et confirmatur iterum idem argumentum, quoniam ſecundùm Scripturas vita æterna eſt vera merces operum: igitur non datur, nec promittitur, nec deſtinatur, niſi propter opera ſaltem præuiſa.

Propter hoc argumentum non defuerunt, qui diſtinguerent prædeſtinationem ab electione, ac dicerẽt, prædeſtinationem eſſe priorem electione, & prædeſtinatione quidem præparari certis hominibus infallibilia media ad ſalutem: electione verò præparari gloriam. Denique prædeſtinationem eſſe planè gratuitam, electionem autem à bonorum operum præuiſione pendere. Horum ſententia non eſt vllo modo errori Pelagianorum, aut Caſsiani, & Fauſti affinis, & videtur aliquando ipſius etiam Auguſtini fuiſſe: nam in lib. 1. ad Simplicianum, q. 2. ſic ait: *Non quia inuenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ideo manet propoſitum iuſtificationis ipſius, ſed quia illud manet, vt iuſtificet credentes: ideo inuenit opera, quæ iam eligat ad regnum cœlorum, &c.*

Veruntamen eſt hæc opinio, parum cõgruẽs cũ Scripturis, & libris Auguſtini poſterioribus, & ipſa ratione. Scriptura enim Luc. 12. apert efacit electionẽ ad regnũ merè gratuitã: cùm ait: *Nolite timere puſillus grex, quia cõplacuit Patri veſtro, dare vobis regnum.* Nam & verbũ cõplacuit, & nomen, *Pater*, & vocabula illa, *puſillus grex*, apertè indicant gratiam, non iuſtitiam. Sic etiam Apoſtolus ad Rom. 8. cum ait: *Quos præſciuit, & prædeſtinauit, conformes fieri imaginis filij ſui*, ſignificat dilectionem, ac per hoc voluntatẽ glorificandi priorem eſſe prædeſtinatione, non poſteriorem, vt illa opinio docet: Illos enim prædeſtinauit conformes fieri Chriſto, quos præſciuit præſcientia approbationis, vt ſuprà diximus. Quare etiam c. 9. dicit, vaſa in honorem præparata in gloriam, ex ſola miſericordia ſeparata eſſe à vaſis factis in contumeliam, atq; aptatis in interitũ. Deniq; ad Ro. 11. dicit, reliquias ſecũdum electionẽ gratiæ ſaluas fieri, vbi videmus non ſolum prędeſtinationem, ſed etiam electionem eſſe opus gratiæ.

Porrò S. Aug. cùm ſcripſit libros ad Simplicianum, adhuc iuuenis erat, neq; multa inuenerat in hac difficillima quæſtione, quæ poſteà maiori diligentia inueſtigauit, & reperit. Itaque cùm incidiſſet in illa verba ad Rom. 9. *Vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret*, & non poſſet intelligere, quomodo Deus eligeret, ſi nulla eſſet diſparitas in rebus eligendis, ſuſpicatus eſt mutandam eſſe interpunctionẽ, & Apoſtolũ non velle dicere, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, ideo nõ ex operibus, ſed ex vocante dictum eſſe, maior ſeruiet minori: ſed velle dicere, Iacob & Eſau nihil boni aut mali egiſſe, vt inde ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret. Ex qua mutatione interpunctionis colligit, non propoſitum Dei ſecundùm electionẽ manere, ſed contrà, electionem manere ſecundum propoſitum Dei.

Sed poſteà intellexit, hanc expoſitionẽ eſſe violentam, & extortam, & nõ fuiſſe neceſſarium redigi ad has angustias, cùm dici potuiſſet, Deum diligendo, vel eligendo facere diſparitatem: ſic enim ait in epiſt. 105. ad Sixtum: *Qui ſint iſti, qui reſpondent Deo, quando quidẽ ille Rebeccæ habenti geminos ex vno concubitu patris noſtri Iſaac, cùm illi nondum nati, nihil egiſſent boni vel mali, vt ſecundùm electionẽ propoſitum eius maneret, electionẽ ſuã dicet gratiæ, non debiti, electionẽ, qua eligendos facit ipſe, nõ inuenit, nõ ex operibus, ſed ex vocãte dicit, &c.* Et in epiſt. 106. ad Pauli. *Nõ ex operibus, ſed ex vocante dictũ eſſe intelligatur, vt ſecundùm electionẽ propoſitũ Dei maneret, non meritũ hominis antecineret: non. n. dicit electionẽ voluntatis humanæ, ſiue naturæ, cùm par eſſet in vtroque mortis dãnatione ſui, conditio. ſ. de electionem proculdubio gratiæ, quæ non inuenit eligendos, ſed facit, de quã & in conſequentibus eiuſdem epiſtolæ loquens ait: Sic ergo & in hoc tempore, reliquiæ per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt.* Vides quam aliter ſapiat Auguſt. ſenex, quã Auguſt. iuuenis? nam ſenex ſcripſit ad Sixtum, & Paulinum, iuuenis ad Simplicianum.

Idem etiam in lib. de correp. & grat. c. 7. iterũ exponit, vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, ideo nõ ex operibus ſed ex vocante dictum eſſe, maior ſeruiet minori. Et ibid. loquẽs de ipſa electione, quæ nõ ex operibus, ſed ex vocãte eſt, ait: *Electi ſunt autẽ ad regnandũ cũ Chriſto.* Et infrà c. 13. Hæc, inquit, *de his loquor, qui prædeſtinati ſunt in regnũ Dei.* Et in li. 22. de Ciu. Dei, c. 24. *Quid dabit eis, quos prædeſtinauit ad vitã, qui hæc dedit eis, quos prædeſtinauit ad mortẽ?* Et infrà: *Vnde Apoſtolus de ipſis in regnũ illud prædeſtinatis loquens, &c.* vbi prædeſtinationem, quam vbiq; prædicat, merè gratuitam, non ſolum dicit eſſe ad gratiam, vt vult illa opinio, quam refutamus, ſed etiam ad vitam. & ad regnum.

Postremo, repugnat illa opinio rationi. nam media, vt media, non poſſunt appeti, niſi propter finem: non igitur potuit Deus velle dare certis hominibus media infallibilia ad ſalutem, niſi prius dare vellet iiſdem hominibus ipſam ſalutem.

Hac igitur opinione repudiata, Respondemvs ad argumentum initiò poſitum, diſparitatẽ inter eligẽdos facere ipſam Dei electionẽ. Quos. n. Deus eligere dignatus eſt, illi fuerũt digni, qui eligerẽtur: nã eodẽ modo amari nõ poſſunt, niſi boni, & tamẽ Deus amãdo facit bonos. Ad confirmationẽ ex Auguſt. iam eſt reſponſum,

Ad Alteram confirmationem ex ratione mercedis, Respondeo, vitam æternam verè propriéque eſſe mercedem, & meritis operum bonorum acquiri; nam hoc ipſum eſt in prædeſtinatione, vt per merita acquiratur.

At, Inqvies, nemo dicitur acquirere, quod iam aliunde ei debetur, ergo ſi iure prædeſtinationis debetur electis beatitudo, certè illã meritis non acquirunt. Respondeo, ex prædeſtinatione non acquiri ius vllum electis ad beatitudinẽ, neq; eis deberi, niſi poſtquã illã ſibi benè merendo pepererint. Oritur quidẽ ex prædeſtinatione certitudo & infallibilitas gloriæ electorũ, quoniam quod Deus propoſuit ac decreuit, omninò fiet, ſed fiet eo modo, quo ipſe voluit fieri. Simile eſſet, ſi inſignis aliquis medicus certò ſciret tali pharmaco febrem curari, & intrẽdens aliquẽ curare, eiuſmodi pharmacũ illi præberet. Tunc enim certa eſſet ſalus ægroti ex voluntate, atque intentione Medici, & tamen verè ac propriè pharmacum illud adhibitum eſſet cauſſa ſanitatis.

Secvnda obiectio, omnes homines habent ſatis in pro loco & tempore auxilium, quo cõuerti poſſint, ſi velint, vt ſuprà nos etiam ipſi docuimus, omnes iuſti ex doctrina Eccleſiæ perſeuerare poſſunt vſq; ad mortẽ, ſi velint: igitur aut pẽdet ex præuiſione operũ, aut incerta eſſe poteſt & fallax electio, nam ſi poteſt, qui fortè non eſt electus, cõuerti, ſi velit, & poſt cõuerſionẽ perſeuerare ſi velit, quid impedit, quo minus cõuertatur, & perſeueret? & contrà, ſi poteſt, qui fortè eſt electus, non conuerti, aut non perſeuerare, ſi nolit: quid prohibet, quo minus conuerti aut perſeuerare nolit? & ſi vel ille velit, vel iſte nolit, nonne diuina vacillabit electio?

Respondeo, habẽt omnes pro loco & tẽpore ſufficiens auxiliũ, quo poſſint cõuerti, ac deinde etiã perſeuerare, ſi velint: ſed reipſa nemo cõuertitur, nemoq; perſeuerat, niſi qui habet ſpeciale donũ pœnitẽtiæ, & perſeuerãtię, quod nõ omnib. datur, ſed iis tantũ, quibus Deus dãdũ eſſe iudicauerit. Vnde autẽ fiat, vt cùm omnes poſſint conuerti, aut perſeuerare, illi ſoli conuertantur, & perſeuerẽt, qui habẽt iſta dona, explicatũ eſt lib. ſuperiore, vbi tradita eſt diſtinctio gratiæ ſufficientis, & efficacis.

Sed inſtant nonnulli: ponatur aliquis electus in extremo vitæ, qui vſque ad illã horam in tenebris vixerit, vel poteſt iſte liberè gratiam conuerſionis repudiare, vel nõ poteſt, ſi poteſt igitur poteſt electus non ſaluari: ſi non poteſt, igitur electio tollit arbitrij libertatem.

Respondeo, poteſt ille liberè gratiam repudiare, ſed certum eſt nõ repudiaturum, quia Deus vocabit illũ, ſicut videt congruum illi eſſe, vt vocantem non reſpuat. Hoc enim modo gratia Dei vera à nullo duro corde reſpuitur, quoniam ad hoc datur, vt cor emolliat. Neque periculum eſt, ne fortè ſapientiæ diuinæ ratio deſit, qua poſſit vnicuiq; homini perſuadere quidquid ei libuerit.

Tertia obiectio, ſæpè gloria beatorum pendet ex peccatis impiorũ, vt gloria martyrum ex malitia perſequutorũ, gloria doctorum, ex perfidia hæreticorũ, gloria virginum ex tentationibus impudicorum: Deus autẽ nõ poteſt eſſe cauſſa peccati, igitur non eligit Sãctos ad gloriam, niſi poſt certaminum victoriæq; pænotionem.

Respondeo, propter hoc argumentũ non deſunt, qui doceãt, Deum ex prædeſtinatione nõ decreuiſſe electis, niſi gradũ vnũ gloriæ, eũ videlicet, qui datur paruulis per Baptiſmum, reliquos autem gradus poſt præuiſionem totius vitæ, atque omnium certaminum ſtatuiſſe. Sed non eſt opus ad illa confugere, ſi modò teneamus, quòd ſuprà diximus, Deum, antequam aliquid abſoluta voluntate decreuerit, præſciuiſſe quidquid vnquam accidere poſſet, ſi hæc aut illa ponerentur. Ex hac enim conditionali prænotione potuit Deus in prædeſtinatione definire vnicuique electorum omnem illã gloriam, ad quam eum peruenire decerneret, ac deinde

merita

Universidad de Deusto
Biblioteca

merita illi cõueniẽtia præparare. Neque sequitur ex hac A sententia, vt Deus decernat ac velit peccata, sine quibus non possunt Sancti habere merita, quæ illis Deus in prædestinatione decreuit: nam satis est ad certitudinẽ eiusmodi meritorũ, vt Deus præuiderit fore, vt à persequutoribus martyres occidantur, si ipse permiserit.

Neq; solùm opinio illa, quæ distinguit gradus glorię, qui dantur sine præuisione meritorum, ab iis qui dantur ex præuisione, non est necessaria, sed neque probabilis nobis esse videtur. Nã qua ratione Deus prius eligit paruulos ad gloriam, quàm Baptismũ eorum præparet, quoniam gloria est finis, & Baptismus est medium ad finem, & prius in intentione est finis, quàm medium, eadem ratione prius Deus eligit martyres ad palmam martyrij, quàm victoriam eorum præparet, quoniam palma est fi- B nis, & victoria est medium.

Deinde ex hac opinione sequi videtur, vt aliquorum prædestinatio simpliciter ab operũ præuisione depẽdeat: Nã cũ aliqui non baptizãtur, nisi in sanguine suo, quod S. Emerẽtianæ contigisse legimus, illis certè non datur alius gradus gloriæ, nisi quẽ per martyrium sibi ipsi acquirunt, illũ autẽ gradũ ex præuisione martyrij dari, non ex gratuita prædestinatione opinio illa contendit.

Qvarta obiectio, Deus nõ reprobat ante præuisionem operũ, quia reprobatio ad iustitiã pertinet, ex sententia Augustini, igitur neque prædestinat ante præuisionem operum, quoniam qui non est reprobus, hoc ipso est prædestinatus. C

Respondeo, reprobat Deus ante præuisionẽ operũ, quatenus nõ vult aliquẽ ex massa peccati liberare. Et hoc modo, qui nõ est reprobus, hoc ipso est prædestinatus ante præuisionẽ operũ, reprobat tamen post operum præuisionẽ quatenus vult aliquẽ cõdẽnare, neq; est eadẽ ratio electionis & reprobationis hoc modo posteriore consideratæ, quoniã electio est opus gratiæ, reprobatio opus iustitiæ, vt copiosius ostendemus in c. sequenti. Itaque quos reprobat, iustè reprobat, quia peccatum ipsorũ id meretur, quos prædestinat, ad vitam misericorditer prædestinat, quia natura peccato originali infecta, pœnam non gloriam merebatur.

Qvinta obiectio, si Deus absque operũ nostrorum præuisione prædestinaret, sine dubio aut omnes, aut maiorẽ partem hominũ prædestinaret ad vitã, cũ sit naturã bonus, & misericordia eius sit super omnia opera eius: at pauci sunt qui saluantur, vt ex Euãgelio colligitur, Matt. 7. igitur non prædestinat Deus, nisi secundùm præuisionem operum, siue boni aut mali vsus liberi arbitrij.

Respondeo, hoc argumentũ aliquid fortasse concluderet, si prædestinatio non præsupponeret originale peccatũ. Nã in Angelis ita factũ videmus, vt maior pars ad vitã prædestinata fuerit. Cæterũ, cũ vniuersum genus humanũ dãnationẽ iustissimam per peccatũ primi hominis incurrisset, magna est misericordia Dei, quod multis indebitã gratiã donare voluerit, cur autem Deus, cũ posset etiã post peccatũ, omnes liberare, minorẽ partẽ liberandam esse decreuerit, rationem esse dicit S. Augustin. in F epist. 157. vt intelligeremus quid omnibus deberetur.

Sexta obiectio, hæc de prædestinatione sentẽtia videtur impedimẽtum adferre correptioni, exhortationi, orationi, industriæ, diligentiæque, &, quod est omnium grauissimũ, desperationem adferre, vt non libeat aliquid boni agere, sed contra omni generi flagitiorũ, & corruptelarum se dedere. Qui enim prædestinatus ad vitam non fuerit, sed reprobus quidquid egerit, & quomodocũque vixerat, saluari non poterit, qui verò fuerit prædestinatus ad vitã, quidquid tandem egerit, & quomodocumque vitam traduxerit, sine dubitatione saluabitur.

Respondeo, hoc argumentũ præclarè dissoluit S. Augustin. in lib de bono perseueran. extremo, nos breuiter respondemus, tantùm abesse vt hæc sententia de prædestinatione correptiones, exhortationes, orationes, industriã diligentiã, & ipẽ bonã impediat, vt potius hæc omnia ponat, atque confirmet. Deus.n. prædestinauit homines, sed ita prædestinauit, vt per hæc media pertingãt ad finẽ. Neq; verũ est, reprobũ quidquid egerit, damnãdũ: & prædestinatũ, quidquid egerit, saluandũ. Non.n. dãnabuntur, nisi mali: neq; saluabuntur nisi boni. Sed hoc tamen est verũ oẽs reprobos, malos, & oẽs electos, bonos aliquando futuros, & quoniam dum hic viuimus, incerta est tum electio, tum reprobatio: sicut nemo salutem desperare, ita etiam nemo certò debet de sua felicitate præsumere, sed cum metu & tremore salutem suam operari.

CAPVT XVI.

B Causam reprobationis impiorũ partim ad solã Dei voluntatẽ, partim ad peccata præuisa referendam esse.

Nona propositio. *Reprobatio, quam August. prædestinationẽ ad interitũ vocat, duos actus cõprehendit, alterũ negatiuũ, cuius nulla est caussa ex parte hominũ, alterũ positiuũ, cuius caussa est peccati originalis, actualisve præuisio*, de hac nona propositione hoc loco breuiter disseremus, quoniã maxima pars li. 2. de statu peccati, in hac ipsa re explicãda consumpta est: nã quemadmodum prædestinationẽ, siue electionem gratiæ contra Pelagianos defendimus, ita reprobationem iustissimam contra Caluinianos defendere cogimur, qui cùm homines ante præuisionem C peccati ad peccatum & mortem æternam prædestinatos esse contendant, cum ipsa Dei iustitia pugnant, & omnia hominum scelera in Deum auctorem refundunt. Sed de hac re satis multa loco notato: nunc propositionem nostram breuiter explicemus.

Dicimus igitur Primvm, reprobationẽ à S. August. prædestinationẽ ad interitũ nominari. Sic enim ipse loquitur in Enchir. c. 100. *Implet ipse quod vult benè vtens & malis, tanquã summè bonus, ad eorũ dãnationẽ, quos iustè prædestinauit ad pœnã, & ad eorũ salutẽ, quos benignè prædestinauit ad gratiã.* Vs° tamã iã Scholarũ obtinuit, nõ vt dicãtur prædestinati, nisi qui ad gloriã sunt electi, & verè in Scripturis nõ inuenitur hoc nomen, nisi in bonã partem. Reprobos autẽ Theologi præscitos vocare solent, nõ quod hoc nomen non sit commune cũ electis, cùm Apostolus dicat: *Quos præscíuit & prædestinauit, &c.* ad Roman. 8. sed reliquerunt eis nomen commune, vt illos ab iis distinguerent, qui propriè prædestinati dici meruerunt.

Dicimus Deinde, reprobationẽ duos actus cõprehendere, alterum negatiuũ, alterum positiuum, siquidem reprobi opponuntur electis contradictoriè, & cõtrariè. Primvm. n. nõ habet Deus volũtatẽ illos saluãdi. Deinde habet volũtatẽ eos dãmnandi, & quidẽ, quod attinet ad priorẽ actũ, nulla datur eius caussa ex parte hominũ, sicut neq; prædestinationis. Posterioris autẽ datur caussa præuisio peccati. Vtrumque breuiter probandum est.

Igitur non dari caussam ex parte hominũ reprobationis negatiuæ, probatur primò ex Apostolo ad Rom. 9. *Antequã aliquid boni vel mali egissent, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori.* Et: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Illud enim: *Antequã aliquid boni vel mali egissent*, non solum referri debet ad bona & mala coram hominibus, sed etiam ad bona & mala in præscientia Dei, quoniam alioqui daretur causa prædestinationis ex parte hominum, quod suprà improbatum est.

Dices, Deũ nõ odisse Esau propter opera mala præuisa, sed propter originale peccatum. Contra: nã originale peccatum erat commune vtriq;, igitur si propter originale peccatum odio habuit Deus Esau, debuit etiã propter idem peccatum odisse Iacob.

Dices. poterat Deus iustè odisse etiam Iacob, sed ex misericordia voluit eũ diligere. At, hoc est, quod quæritur,

ritur, cur Deus vnum dilexerit, vt liberaret, alterum odio A habuerit, vt non liberaret, cum vtérq; odio dignus, & amore indignus esset. Non.n. responderi potest, vnũ non diligi, quia dignus est odio, cùm vtérq; dignus sit odio.

Restat igitur, vt huius discretionis caussa sit voluntas Dei, quæ vnum liberat, quia sic ei placet: alterũ non liberat, quia non placet. Et hoc ipsum confirmat ibidẽ Apostolus, cùm dicit: *Miserebor cuius misereor, &c.* Et: *An non habet potestatẽ figulus luti, &c.* Et: *Cuius vult miseretur, & quẽ vult indurat.* Vbi tamẽ obseruãdum est, vocabula illa, quæ sonant aliquid positiuum, vt odio habere, & indurare, accipiẽda esse pro negatione, nã odio habere, hoc loco, est, non velle diligere: & indurare, est, non velle misereri, vt Aug. docet in epist. 105. & tract. 53. in Io. & in li. 1. ad Simpli. q. 2. vbi dicit, nihil esse aliud idurare, nisi nõ misereri.

At, inquies, induratio est pœna peccati, vt patet ex A- B postolo ad Rom. 1. & ex Aug. lib. 5. in Iul. c. 3. non igitur oritur ex sola Dei volũtate. Respondeo, induratio vtrũque habet, nã & est pœna peccati præcedentis, quatenus Deus alicui negat auxilium & gratiam, quia propter peccata præcedentia dignus est tali desertione: & tamen est simul effectus huius negatiuæ reprobationis. Deus. n. quia non vult eũ saluare, punit tali desertione peccatum eius præcedens, quod nõ faceret, si eũ saluare decerneret: atq; ideo Apostolus ad voluntatẽ Dei recurrit, cùm ait, cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat: nec tamen vlla est in hac re iniquitas, quoniam non tenetur Deus peccatorem liberare, aut eum emollire, atque conuertere.

Sed dices, quãuis odio habere, & indurare possint exponi per negationẽ, tamen facere vasa in cõtumeliã non videtur posse accipi nisi positiuè. Quomodo igitur Apo- C stolus hoc etiã reuocat ad voluntatem Dei, cùm dicit, an nõ habet potestatẽ figulus luti, facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliã. Respondeo, facere vasa in cõtumeliam, potest accipi Dvobvs modis, Vno modo pro eo, quod est facere vasa, qualia requirit cõditio massæ, & ea sic relinquere, hoc est, formare homines, quales requirit natura corrupta, neq; aliquid addere: & hoc sonat aliquid negatiuum, & pertinet ad priorẽ actum reprobationis, & hoc modo loquitur Apostolus. Altero modo accipi potest, facere vasa in contumeliã, pro eo, quod est deputare illa ad contumeliã, id est, ad confusionem ęternã, & hoc pertinet ad posteriorẽ actum reprobationis, & hoc modo intellexit facere vasa in contumeliam S. Aug. in epist. 106. cuius verba paulò infrà citabimus.

Probatur Secvndo ex testimonio S. Aug. is enim in D epist. 105. ad Sixtum, sic ait: *Cur illum potius quã illum liberet, aut non liberet, scrutetur qui potest iudiciorum eius tam magnum profundum, veruntamen caueat præcipitium.* Vbi vides, non solùm non posse sciri caussam, cur illum aut illum liberet, sed etiam cur illum aut illum nõ liberet. Idẽ etiam in lib. de correct. & grat. c. 8. & 13. scribit, referendum esse inter occulta iudicia Dei, cur Deus quibusdam iustificatis donum perseuerantiæ dare nolit: non enim ista negatio doni perseuerantiæ pœna peccati dici potest, cùm iustificati talem pœnam non mereantur, ac per hoc non est pœna, sed effectus reprobationis negatiuæ.

Probatur Vltimo ratione, nã hoc ipso quod aliquis nõ prædestinatur, intelligitur reprobatus negatiua reprobatione: at prædestinatio facta est ante præuisionem operũ, E neq; habet vllo modo caussam ex parte hominum, igitur etiam reprobatio negatiua facta est ante præuisionem operum, neq; ex parte hominum vllam caussam habet.

Iã verò reprobationis positiuæ, id est, alterius illius actus quo Deus vult reprobos æternis suppliciis addicere, caussã esse peccata hominũ, non autẽ solã Dei voluntatẽ, probatur, Primo ex Scripturis, quæ passim docent, pœnã æternã iusto Dei iudicio peccatis hominũ reddi. Matt. 25. *Ite maledicti in ignem æternum, esuriui enim & non dedistis mihi manducare, &c.* Et ad Rom. 2. *Ira & indignatio in* *omnem animã operantis malũ, &c.* Quãuis enim eadẽ Scriptura doceat, vitã æternam iusto Dei iudicio reddi bonis hominũ meritis, tamen potuit Deus prædestinare ad vitã æternam sine præuisione operum, quia potuit auctor esse prædestinatis, vt bona opera facerent, non autem potuit sine præuisione operum damnare ad gehennam, quæ est pœna peccati, secundum Scripturas, quia non potuit auctor esse reprobis, vt mala opera facerent.

Secvndo, idẽ probatur ex Aug. in lib. 3. aduersus Iul. c. 18. vbi sic loquitur: *Bonus est Deus: iustus est Deus: potest sine bonis meritis liberare, quia bonus est: nõ potest sine malis meritis damnare, quia iustus est.* Itẽ in epist. 106. ad Paul. *Hæc massa si esset ita media, vt quẽadmodũ nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur miquitas, vt ex ea fierent vasa in contumeliam: cum verò per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem vniuersa defluxerit, proculdubio quod ex ea fiunt vasa in honorem, non ipsius iustitiæ, quæ gratiam nulla præcessit, sed Dei misericordiæ: quod verò in cõtumeliã, non inquitati Dei, quæ absit vt sit apud Deum, sed iudicio deputandum est.*

Probatur Vltimo ratione, nam condemnare aliquẽ sine caussa, est punire sine culpa, q iniustum esse, & Deo, qui iustissimus est, conuenire non posse, extra controuersiã est. Nam vt eleganter August. scribit in lib. de grat. & lib. arb. cap. 23. *Deus reddit mala pro malis, quia iustus est: bona pro malis quia bonus est, bona pro bonis, quia bonus & iustus est: solùm non reddit mala pro bonis, quia iniustus non est.*

Adiecimus in nostra propositione, caussam reprobationis esse præuisionẽ peccati originalis, vel actualis, quia non oẽs Deus reprobat positiuè propter originale peccatum, cũ illud verè nõnullis reprobis per Baptismi gratiam remittatur, sed alios propter originale tantũ, vt paruulos non baptizatos, alios propter actuale tãtùm, vt baptizatos adultos, alios propter vtrũq;, vt infideles adultos. De qua re vide Aug. in lib. de correp. & grat. c. 13. & Prosperum in respon. ad 2. c. Gallorum. Quod si B. Aug. vt plurimum reprobationis caussam referre videtur ad peccatũ originale, ratione cuius totũ genus humanũ factum est quasi quædam massa damnata, propterea id facit, quoniam inde incipit omniũ reproborũ damnatio. Tametsi enim aliqui eruuntur ex massa per Baptismũ, & ad ædificium transferuntur, vt ipse etiam Aug. scribit in epist. 54. ad Dardan. q. 2. tamen iterum per actuale peccatum reuertuntur ad massam, & ideo sic habentur à Deo, quasi numquam ab ea massa separati fuissent.

Quare idem Aug. in lib. de correpț. & grat. cap. 7. dicit eos, qui tandẽ perituri sunt, quamuis rectè pieq; viuant, non esse à massa damnationis præscientia Dei, & prædestinatione discretos, non quòd eos Deus tunc oderit, & damnare velit, cùm rectè pieq; viuunt, sed quia illos non elegit ad regnũ, ante mũdi cõstitutionẽ, & præsciuit ante vitę finẽ relapsuros ad massã, & ppter peccata, quę videt eos ,pculdubio cõmissuros, dãnare decreuit ad pœnas.

Porro qui ob solũ originale peccatũ à Deo præuisum, oẽs reprobos damnationi perpetuæ addictos fuisse contendunt, quæstionem planè insolubilem sibi ipsi faciunt, neq; enim intelligi potest, quomodo Deus propter originale peccatũ dãnare velit eos, quibus in Baptismo peccatum ipsum verè, proprieq; dimisit: nam etiamsi dimissa culpa originali, non continuò tollantur concupiscentia, ignorantia, mortalitas, aliæque id genus miseriæ, tamen propter ista non potest Deus hominem velle damnare, cùm Apostolus de iustificatis dicat: *Nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu*, ad Rom. 8.

CAPVT XVII.

Quid interfit inter hominum & Angelorum electionem siue reprobationem.

Decima propositio: *Quamuis Angeli quoq; sancti gratis prædestinati sint ad vitam, Angeli verò mali, partim ex sola Dei voluntate, partim ob præuisa pec-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

cata reprobati: tamen diuitiæ, gratiæ, & iustitiæ Dei, magis ostenduntur in electione & reprobatione hominum, quam Angelorum. Hæc decima propositio erit huius disputationis, totiusque libri postrema conclusio.

Esse autem Angelos electos ac prædestinatos, docet Apostolus, cùm ait, scribens ad Tim. in 1. epist. c. 5. *Testor coram Deo, & Christo Iesu, & electis Angelis, vt custodias hæc, &c.* Docet etiam S. Aug. in Enchir. c. 100. vbi sic ait: *Hæc sunt magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius, & tam sapienter exquisita, vt cum Angelica & humana natura peccâsset, id est, non quod ille, sed quod voluit ipsa, fecisset, etiâ per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est, quod creator noluit, impleret ipse quod voluit, bene vtens & malis, tanquam summè bonus, ad eorum damnationem, quos iustè prædestinauit ad pœnam, & ad eorum salutem, quos benigne prædestinauit ad gratiam.* Idem quoq; Aug. lib. 1. Retract. c. 13. indicat, homines fuisse etiã prædestinandos, si Adã non peccâsset, & sine dubio eadem ratio est de Angelis, & de hominibus ante peccatum: *Vtrij, ad certum,* inquit, *Sanctorum numerum, quem prædestinauit Deus, nascerentur homines, non parentibus successuri morientibus, sed cum viuentibus regnaturi.*

Porrò non solùm prædestinatos atq; electos esse sanctos Angelos, sed etiam gratis, id est, ante bonorũ operũ præuisionẽ prædestinatos electósq; fuisse, probari potest hac ratione. Antequã Deus Angelos absolutè creare, vel prædestinare vellet, sine dubio cognouit eos benè vsuros libero arbitrio, & gratia, & tandẽ saluandos, si eam gratiã illis præberet, quam re ipsa præbuit, hæc enim cognitio necessaria est in Deo, ac per hoc prior est, quàm absoluta voluntas creandi, vel prædestinandi Angelos, quæ non est necessaria, sed libera: necessaria enim priora sunt liberis, secundùm modum nostrum intelligendi: igitur cùm Deus voluit Angelos creare, & eam gratiã illis præbere, quam præbuit: tũc dubio voluit etiam illos infallibiliter saluare: nam si id nõ voluisset, eam gratiam non dedisset, per quã eos infallibiliter saluandos esse præuiderat. Prius autem est velle gratiam Angelis præbere, quàm videre opera ex illa gratia procedentia, vt notum est, cùm causa sit prior effectu, igitur prius voluit absolutè Deus Angelos saluare, quàm eorum opera futura præuiderit.

Eadem ratione probari potest, reprobationẽ Angelorum negatiuam, non pendere ex præuisione peccati, nam prouidit Deus Angelos, qui perierunt, infallibiliter perituros, si eam solam gratiam illis daret, quam re ipsa illis dedit: ergo cùm eam solã gratiam illis dare voluit, simul voluit eos non prædestinare ad gloriam, sed permittere, vt exciderent à salute: nam si eos Deus absolutè saluare voluisset, non defuisset eius sapientiæ ratio, qua id faceret. Nulla igitur causa reddi potest, cur Deus aliis Angelis dare voluerit gratiam, per quam videbat infallibiliter saluandos, aliis verò per quam videbat infallibiliter non saluandos, nisi quia voluit illos saluare, istos non voluit saluare. Cur autem voluerit, Angelos malos positiuè damnare, sine dubio causa fuit peccatum eorum præuisum. Non enim iustè pœna damnationis infligitur, nisi vbi culpa præcesserit.

Atq; hæc ratio habet etiã locum in prædestinatione, & reprobatione hominum: & potest hac similitudine illustrari: si rex aliquis proponat brauium obtinendum per cursum, & reuelatione diuina prænoscat, si cursu equorũ certetur, talem hominem adepturũ brauium: si bigis, talem: si pedibus, talem: si nauibus, talẽ. Deinde instituat, vt certetur bigis, & omnibus, qui decertaturi accesserint, bigas aptissimas ipse præbeat: nonne iustum erit certamen, & iustè priuabuntur brauio, qui currendo victi fuerint, & ille iustè coronabitur, qui alios curredo superauerit? & tamen quis ambigere potest, quin rex omninò gratis prædestinauerit ad brauium illum, qui victor euãlit? nulla enim causa reddi potest, cur voluerit cursu bigarum contendi, non alio genere pugnæ, cùm certò sciret, si bigis contenderetur, illum solum fore victorem, qui reipsa fuit: nisi quia voluit ei gratificari.

Quod si rex ille, qui bigas omnino similes, & æquales decertaturis dedit, dicitur gratis prędestinâsse, quem voluit ad brauium, quanto magis Deus gratis prædestinâsse dicetur electos, cùm eis maiorem gratiam, quàm aliis, dederit? nam de hominibus quidem dubitari non potest, vt suprà probatum est: de Angelis autem id sanctus AVGVSTINVS testatur in lib. 12. de Ciuit. Dei, c. 9. *Aut minorem,* inquit, *acceperunt amoris diuini gratiam, quam illi, qui in eadem perstiterunt, aut si vtrique boni æqualiter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adiuti ad eam beatitudinis plenitudinem peruenerunt.* Idem etiam lib. de correp. & gratia, c. 10. cùm dicit, Deum in Angelis prius ostendere voluisse, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde, quid posset suæ gratiæ beneficium, iustitiæq; iudicium: apertè significat ad gratiæ beneficium pertinere beatitudinem bonorum Angelorum, quoniam gratis ad eam electi sunt, & inde perseuerantiæ donum acceperũt, quod non acceperunt Angeli mali, qui non perseuerârunt, & iusto Dei iudicio in æternũ exitium corruerunt.

Iam verò maiores diuitias cùm gratiæ, tùm iustitiæ Deum ostendisse in electione, & reprobatione hominum, quàm Angelorum, facilè demonstrari potest. Nam quod attinet ad gratiam, Deus prædestinauit homines quosdam ad gloriam, qui non solùm gloria indigni, sed etiam pœna dignissimi erant, cùm essent naturâ filij iræ, sicut & cæteri: Angeli verò neque pœna digni, neq; gloria indigni, sed solùm non digni, antequam prædestinarentur, erant.

Deinde homines, qui naturâ sunt Angelis inferiores, prædestinauit Deus ad æqualem gloriam cum Angelis: æquales enim nos Angelis futuros, veritas ipsa promisit, Mat. 22. Immò verò naturam nostram, ratione incarnationis Christi, ad gloriam longè excellentiorem prædestinatam esse scimus, quàm Angelorum, siquidem in illa superna Hierusalem, caput omnium hominum, & Angelorum, non aliquis Angelus erit, sed Christus Iesus, Deus & homo. Itaque Deus, vt ostenderet immensas diuitias gratiæ suæ, naturam humanam ex profundiore abysso miseriæ eduxit, & ad altius fastigium gloriæ perduxit, quàm Angelorum.

Denique, electis Angelis Deus non aliam gratiam dedit, nisi habitualem, qua fieret, vt possent perseuerare, si vellent: non autem dedit gratiam illam excitantem, qua fieret, vt vellent, sed vt vellent, in eorum reliquit libero arbitrio, vt S. Augustinus docet in libro de correptione, & gratia, c. 11. & 12. hominibus autem electis Deus non solùm gratiam habitualẽ donat, qua possint benè operari, & perseuerare si velint, sed etiam ita illos excitat, eisq; intus in corde persuadet efficaci vocatione, vt faciat illos etiam velle. Quocirca idem beatus Augustinus in loco citato scribit, ipsam beatitudinem hominibus nunc esse donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat, sicut fuit Angelis sanctis, si primus homo stare voluisset. Vide quæ scripsimus in libro de gratia primi hominis, c. 4. & 7.

Quod verò attinet ad iustitiam, longè maior iustitiæ rigor apparet in reprobatione hominum, quàm Angelorum, tum quia maximam partem hominum, minimam Angelorum reprobauit, tũ etiam, quoniam Angelorum nullum Deus pœnæ sempiternæ addicit, nisi propter culpam propria voluntate commissam: hominum autem plurimos damnat, propter solum originale peccatum, quod aliena voluntate commissum fuisse non dubium est. Quare non solùm cum Angelis, sed etiam præ Angelis misericordiam, & iudicium Deo nostro cantare possumus, & debemus.

LIBER

LIBER TERTIVS, DE GRATIA, ET LIBERO ARBITRIO.

CAPVT PRIMVM.

Præmittuntur aliqua ante ipsam tractationem, id est, argumentum totius operis. Summa præcipuarum difficultatum, & qui scripserint de libero arbitrio.

DISSERVIMVS DE GRATIA, ET PRÆdestinatione, nũc de libertate arbitrij, quatuor capita consideranda sunt. PRIMO, quæ sit ratio, & natura, quod subiectũ, quod obiectum, quis actus, quis finis liberi arbitrij. SECVNDO, quæ sunt vires liberi arbitrij & quæ necessitas gratiæ in operibus naturalibus. TERTIO, Quæ sint in moralibus. QVARTO, Quæ in supernaturalibus. Sunt autem sex præcipuæ quæstiones obscurissimæ in tractatione de libero arbitrio, quos variis in locis, prout ordo disputationis exiget, enodabimus.

PRIMA est de concordia liberi arbitrij cum determinatione iudicij practici. Nã si voluntas pẽdet in electione à iudicio rationis practico, cùm nihil possit voluntas eligere, nisi quod ratio iudicauerit omnibus consideratis, hoc loco, & tempore, esse bonum, & expetendum: ratio autem non sit in iudicando libera, sed necessariò pendeat ab obiecto, nec possit aliter iudicare, quàm res se habeat, remota ignorantia, & perturbatione, quæ sine dubio ad libertatem non necessariò requiruntur: vbi, quæso, est arbitrium voluntatis?

ALTERA quæstio est de concordia liberi arbitrij, cum præscientia Dei. Nam si Deus omnia nouit, antequam fiant, nec potest eius cognitio falli: non poterit aliquid pro arbitrio hominis fieri, aut non fieri, sed necessariò id fiet, quod Deus futurum esse prænouit.

TERTIA, de concordia liberi arbitrij, cum determinatione diuinæ voluntatis. Nam si liberum arbitrium, vt omnes aliæ secundæ causæ, nihil agere potest sine concursu primæ causæ: prima verò causa, quæ est diuina voluntas, prius naturâ operatur, & applicat secundas causas ad operandum, nec vlla ratione efficientia eius impediri potest: vbi nam est ea libertas, quę voluntati relinqui dicitur, & à qua liberum arbitrium nominatur?

QVARTA, de concordia liberi arbitrij, cum deprauatione naturæ, quæ ex peccato primi parentis in homine reperitur. Nam quemadmodum curua tibia, non potest non semper claudicare: sic etiam humana voluntas per peccatum peruersa, & curua effecta, non videtur posse in vllo opere vitare peccatum.

QVINTA, de concordia liberi arbitrij, cum prædestinatione diuina. Nam si prædestinatio certissima est, nec ab operibus nostris, sed à diuina voluntate dependet, certè nec prædestinati videntur posse non benè agere, nec non prædestinati benè agere. Proinde tollitur libertas ad bona, & mala, nisi ratio inueniatur, qua prædestinatio cum libertate concilietur.

SEXTA, de concordia liberi arbitrij cum gratia efficaci. Nam si gratia efficax facit hominem credere, sperare, diligere, pœnitentiam agere, benè operari, neque potest eiusmodi gratia reiici, quoniam alioqui non verè gratia efficax diceretur, & (vt Aug. alicubi dicit) ipsa facit, ne reiiciatur: nullæ videntur partes esse liberi arbitrij in his operibus, quæ ad salutem, & pietatem pertinent.

Ex his quæstionibus prima soluetur in hoc tertio libro cap. 8. & 9. Secunda, & tertia in quarto libro, cap. 11. 12. 13, & 14. Quarta, in li. 5. cap. 10. 11. & 12. Quinta, & Sexta, in li. 6. cap. 14 & 15.

Scripserunt de libero, siue potius seruo arbitrio ex aduersariis Ioannes VViclefus in Trialogo lib. 1. & 3. Martinus Lutherus in lib. de seruo arbitrio, & in assertione art. 36. & alibi. Martinus Bucerus in libro de concordia, in art. de libero arbitrio, Philippus Melanchthon in locis, tit. de causa peccati, & tit. de libero arbitrio. Illyricus cum sociis Centuriatoribus, centuria 2. 3. 4. & sequentibus, cap. 4. Io. Brentius in Apologia pro Confessione VVirtemberg. Io. Caluinus li. 2. Institutionum, ca. 2. in Antidoto Concilij Tridentini, & in responsione ad Pighium. Martinus Kemnitius in Examine sessionis sextæ Concilij Tridẽtini, & alij, quos mihi videre nõ licuit.

Ex Catholicis scripserunt de libero arbitrio plurimi, ac primùm ex Græcis antiquis Origenes in li. 3. de principiis, Eusebius Cæsariensis in toto li. 6. de præparatione Euangelica. Sanctus Basilius in oratione de libero arbitrio, & in alia de causa mali. Sanctus Gregorius Nyssenus li. 5. 6. 7. & 8. de Philosophia. Sanctus Ioãnes Chrysostomus in quinque orationibus de Prouidentia, vel fato. S. Ioannes Damas. li. 2. de fide Orthodoxa, c. 25. & seq.

Ex Latinis antiquis, sanctus Augustinus in tribus de libero arbitrio, & in alio de gratia, & libero arbitrio. Sanctus Prosper in libro de libero arbitrio ad Ruffinum. Faustus Rhegiensis in duobus libris de libero arbitrio. Boëtius Seuerinus in 5. li. de consolatione Philosophiæ. Sanctus Anselmus in libro de concordia gratiæ, & liberi arbittij, & in dialogo de libero arbitrio. Sanctus Bernardus in libro de gratia, & libero arbitrio. Petrus Lombardus in lib. 2. Sentent. dist. 24. & 25. & cum eo Doctores Theologi, qui Scholastici dicuntur.

Ex recentioribus, qui proprie contra hæreticos nostri temporis, pro liberi arbitrij defensione scripserunt, multi numerari possunt. Eorum, quos videre potui, nomina per alphabeti ordinem adscribam. Albertus Pighius scripsit libros decem de libero arbitrio contra Caluinũ. Alphonsus à Castro li. 9. aduersus hereses, eamdem materiã tractat. Item Eamdem Andreas Vega li. 2. in Concilium Trid. c. 12. & seq. Bartholomæus Camerarius in lib. de libero arbitrio contra Caluinum. Christophorus à Capite fontium, in lib. de libero arbitrio. Conradus Clingius in

Universidad de Deusto
Biblioteca

locis communibus, li. 1. c. 5. & sequentibus. Censura Colonienſium contra Monhemium, artic. 3. Dieghus Payua li. 4. Inſtitutionum. Dominicus à Soto li. 1. de natura, & gratia, c. 15. & ſequentibus. Franciſcus Orantius li. 1. cap. 27. & ſequentibus, locorum Catholicorum. Franciſcus Ferrarienſis in li. de Euangelica libertate, c. 1. & 2. Hieronymus Hangeſtus in li. de libero arbitrio. Iacobus Laomus contra ſecũdum articulum Lutheri. Ioannes Cochlæus in libro de libero arbitrio. Ioannes Driedonis in libro de concordia liberi arbitrij, & prædeſtinationis, & in li. de gratia & libero arbitrio. Ioannes Eckius in Enchiridio, art. 32. Io. Roffenſis contra art. 36. Lutheri. Iodocus Tiletan. in Apologia pro Concilio Tridentino, ſeſſ. 6. Io. Antonius Panthuſa in libro de libero arbitrio, & operibus. Petrus à Soto in Inſtitutione Sacerdotum. Raphaël Venuſtus in libro de prædeſtinatione, gratia, & libero arbitrio. Ruardus Tapper in explicatione artic. 7. Louanienſium. Thomas VValdenſis tomo primo li. 1. art. 1. cap. 28. & ſequentibus. VVilhelmus Lindanus li. 3. Panopliæ, c. 14. & ſequentibus.

CAPVT II.

De nomine liberi arbitrij.

NOMEN liberi arbitrij TRIBVS modis ab auctoribus explicatur. ALIQVI exiſtimãt, nomen liberi arbitrij ſignificare coniunctionem duorum actuum, id eſt, iudicij rationis, & electionis voluntatis: & ratione iudicij, nominari arbitrium, ratione electionis, appellari liberum. Itaque volunt, liberum arbitrium nihil eſſe aliud, niſi iudicium cum electione, ſiue electionem cum iudicio. Ita videtur hoc vocabulum accepiſſe auctor Hypognoſtici li. 3. & poſt eum Petrus Lombardus in 2. li. Sent. diſt. 24. lit. E.

ALII volunt, nomen liberi arbitrij dici propriè de actu rationis, id eſt, de iudicio. Arbitrari enim idem eſt, quod iudicare. Cur autem iudicium rationis dicatur liberum, DVAE cauſſæ reddi ſolẽt: PRIOR eſt ſancti Bernardi in li. de gratia, & libero arbitrio, qui docet, iudiciũ rationis dici liberum, quia liberè iudicat de actu ſuæ voluntatis. POSTERIOR eſt Ruardi Tapperi in explicatione articuli ſeptimi Louanien. qui cenſet, iudicium appellari liberum, tum quia eſt indifferens ad multa, tum quia in rebus dubiis, ac præſertim in particulari iudicamus, vt volumus.

ALII denique, quorum videtur eſſe optima, veriſſimaq; ſententia, per liberum arbitrium ſolius voluntatis actum ſignificari docent. Nam is ſolus verè, & propriè liber eſt. Atq; hæc eſt ſententia ſancti Thomæ 1. par. q. 83. art. 3. ad 2. & ſanctorum Patrum, qui paſſim ad nomen arbitrij, addunt voluntatis nomen, ac dicunt liberum voluntatis arbitrium. Adferamus aliqua teſtimonia.

Sanctus AMBROSIVS li. 2. de fide, c. 3. *Operatur*, inquit, *prout vult, id eſt, pro libero voluntatis arbitrio.* Sanctus AVGVSTINVS li. de gratia, & libero arbitrio, c. 2. *Reuelauit nobis Deus per Scripturas ſanctas, eſſe in homine liberum voluntatis arbitrium.* Et li. 5. de ciu. Dei, c. 9. *Ex his duobus*, inquit, *elegit liberum voluntatis arbitrium*, Sanctus PROSPER li. 1. de vocatione gentium, ca. 3. *Iudicium*, inquit, *voluntatis, deprauatum eſt, non ablatum.* Concilium ARAVSICANVM can. 13. *Arbitrium voluntatis in primo homine, &c.* Neque mirum videri debet, nomen arbitrij accommodari voluntati, cùm propriè ad intellectum pertineat. Nam electio voluntatis eſt quaſi ſententia quædam, & iudicium vltimum ipſius voluntatis. Vnde etiam vulgò dicimus, in meo arbitrio eſt hoc facere, id eſt, in mea electione, & poteſtate.

Dicitur autem arbitrium potius, quàm iudicium. Quoniam hoc intereſt inter iudices, & arbitros, quod arbitri multò ſunt liberiores, quàm iudices. Siquidem iudices tenentur ſequi leges: & ſi non iudicant ſecundum leges, ab eis appellari poteſt. Arbitri verò ſoluti ſunt, & liberi, & ſententiam ferunt, prout volunt, neque vlla datur appellatio. Itaque propriè Iuſtinus loquutus eſt, cùm initiò primi libri ſcripſit, primis mundi temporibus arbitria Principum pro legibus fuiſſe. Sic igitur libera optio, ſiue electio voluntatis rectius arbitrium, quàm iudicium nominatur.

CAPVT III.

De liberi arbitrij definitione.

DEFINITVR liberum arbitrium à Clemẽte (ſi tamen is eſt auctor, in li. 3. Recognitionum) his verbis: *Liberum arbitrium eſt ſenſus animi, habens virtutem, qua poſſit ad quos velit actus inclinari.* In libro de Eccleſiaſticis dogmatibus (qui inter opera ſancti Auguſtini habetur) c. 21. Liberum arbitrium definitur *rationalis voluntas.* Petrus Lombardus li. 2. Sent. diſt. 24. hanc definitionem adfert: *Liberum arbitrium eſt facultas rationis, & voluntatis, qua bonum eligitur gratia aſſiſtente, vel malum eadem deſiſtente.* Quæ definitio deſumpta eſſe videtur ex Enchiridio ſancti Auguſtini c. 106. vbi legimus, liberum arbitrium per ſe poſſe malum eligere. Bonum autem non poſſe, niſi gratia adiuuante. Item Petrus Lombardus in eodem li. 3. diſt. 25. ſcribit à Philoſophis liberum arbitrium definiri, liberum de voluntate iudicium. Sanctus Anſelmus in libro de libero arbitrio, cap. 3. rem eamdem ita definit: *Liberum arbitrium eſt poteſtas ſeruandæ rectitudinis voluntatis, propter ipſam rectitudinem.* Sanctus Bernardus in li. de gratia, & libero arbitrio, liberum arbitrium eſſe dicit conſenſum ob voluntatis inamiſſibilem libertatem, & rationis indeclinabile iudicium. Vel breuius habitum animi liberum ſui.

Sed quia longum eſſet, minimeque neceſſarium, has omnes definitiones defendere, vel explicare, proponemus aliam, noſtro iudicio, pleniorem, ex doctrina ſancti Thomæ collectam, hoc modo: *Liberum arbitrium eſt libera poteſtas ex his, quæ ad finem aliquem conducunt, vnum præ alio eligendi aut vnum & idem acceptandi, vel pro arbitrio reſpuendi, intelligenti naturæ ad magnam Dei gloriam attributa.* In qua definitione duæ illæ voces primæ, *libera poteſtas*, explicant formam ipſam, & rationem liberi arbitrij. Eſt enim liberum arbitrium potentia quædam, non habitus, vel actus: & potentia non qualiſcunq;, ſed indeterminata, & libera, qualem ſolã voluntatem eſſe ſuo loco demonſtrabimus. Itaq; nomen illud, *potentia*, ſeu, *poteſtas*, in definitione indicat genus: illud, *libera*, differentiam.

Quia verò potentia omnis eſt accidens, & omne accidens pendet à ſubiecto, in quo eſt, & rurſus, omnis potentia habitudinem habet ad actum, & obiectum, ideo in definitione plena, & perfecta explicandum fuit ſubiectum, actus, & obiectum. Et quidem ſubiectum liberi arbitrij ſignificatum eſt in illis verbis: *Intelligenti naturæ.* Omnes enim, & ſolæ naturæ illæ, quæ intelligentia præditæ ſunt, liberum habent voluntatis arbitrium, Deus videlicet, Angeli, & homines. Obiectum liberi arbitrij illis verbis indicatur: *Ex his, quæ ad finem aliquem conducunt.* Siquidem liberum arbitrium non verſatur circa finem, ſed circa media. Electio enim, quæ, vt ſtatim dicturi ſumus, eſt proprius actus liberi arbitrij, eſt quaſi concluſio conſultationis: Conſultatio autem omnis de mediis ad finem eſt, non de ipſo fine.

Itaque hoc intereſt inter voluntatem, & liberum arbitrium, quod eadem appetendi potentia rationalis, vt reſpicit finem, dicitur voluntas, vt reſpicit media, dicitur liberum arbitrium. Quemadmodum etiam eadem potentia intelligendi, vt reſpicit prima principia, dicitur intellectus, vt reſpicit concluſionem, quæ per diſcurſum ex principiis colliguntur, dicitur ratio.

Actus

Actus liberi arbitrij continetur in illis verbis: *Vnum præ alio eligendi, aut vnum & idem acceptandi, vel etiam pro arbitrio reſpuendi.* Actus enim liberi arbitrij proprius eſt electio. Sed ea DVOBVS modis fieri poteſt, VEL ſeligendo vnum ex duobus, aut pluribus propoſitis: quæ dici ſolet libertas contrarietatis, ſiue ſpecificationis: VEL vno tantùm propoſito, illud acceptando, vel reiiciendo, quæ dicitur libertas contradictionis, ſiue exercitij. Itaq; ad ſignificandum actum liberi arbitrij prioris generis dictum eſt in definitione, *vnum præ alio eligendi*: ad ſignificandum actum generis poſterioris, dictum eſt, *aut vnũ & idem acceptandi, vel pro arbitrio reſpuendi.*

Adiecimus vltimò etiam finem, cuius gratia liberum arbitrium naturæ intelligenti attributum eſt, cùm diximus: *Ad magnam Dei gloriam.* Hæc igitur eſt definitio liberi arbitrij, quæ in ſequentibus capitibus per partes commodius declarabitur, & probabitur.

CAPVT IV.

Quenam libertas ſit neceſſaria ad liberum arbitrium.

PRIMA definitionis particula, quæ excutiẽda nobis eſſe videtur, eſt, *libera*. Quæritur, igitur quenã libertas ſit, à qua dicitur liberũ arbitrium: ſiue, vt in definitione poſuimus, potentia libera. Triplex enim libertas diſtinguitur à ſancto Bernardo in libro de gratia, & libero arbitrio, & Petro Lombardo lib. 2. Sentent. diſtinct 25. vna à neceſſitate, altera à peccato, tertia à miſeria. Prima dicitur libertas naturæ, ſecunda libertas gratiæ, tertia libertas gloriæ. De prima ſcribit Apoſtolus in priore epiſtola ad Corinthios, cap. 7. *Non habens neceſſitatem, ſed poteſtatem habens ſuæ voluntatis.* De ſecunda, in epiſtola ad Rom. cap. 6. *Liberati à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ.* De tertia, in eadem epiſtola, cap. 8. *Tunc & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorũ Dei.* Cæterùm, ſatis conſtat inter auctores libertatem, à qua dicitur liberum arbitrium, non eſſe niſi primam. Neque enim carent libero arbitrio homines impij, quãuis ſerui ſint peccati, & corruptionis, ac per hoc careant ſecunda, & tertia libertate.

Sed rurſus libertas naturæ duas in ſpecies diuidi poteſt. Eſt enim libertas, quæ opponitur ſimplici coactioni, & eſt libertas, cui non ſola coactio, ſed etiam neceſſitas repugnat. Quæ partitio deſumpta eſt ex doctrina Philoſophi in libro tertio Ethicorum, capite quarto, & quinto. Dicuntur autẽ illa eſſe libera à ſimplici coactione, quæ, tametſi neceſſariò fiant, nec poſſint non fieri, tamen ſponte, voluntariè, & libenter fiunt, vt cùm ita volumus eſſe felices, & infelices eſſe nullo modo velle poſſimus. Illa verò dicuntur eſſe libera à neceſſitate, quæ pro arbitrio poſſumus velle, & nolle, ſiue etiam velle, & non velle, vt cùm ambulamus, & loquimur, quando ſedere, & tacere potuiſſemus.

Quæritur igitur, An ad liberum arbitrium conſtituẽdum requiratur libertas à neceſſitate, an verò ſufficiat ea, quæ eſt à coactione. Non deſunt ex hæreticis huius temporis, qui libertatem à coactione ſatis eſſe iudicent. MARTINVS BVCERVS in libro de concordia doctrinæ ſcribit, libero arbitrio ſolam coactionem repugnare. Et quoniam Lutherani non negant liberum arbitrium, ſi ſola requiratur libertas à coactione, ideo ſe viã ad concordiam reperiſſe per hanc diſtinctionem Bucerus exiſtimat. Quod enim Catholici dicunt, hominem eſſe liberi arbitrij, intelligi iubet de arbitrio libero à coactione, non à neceſſitate: Quod verò dicunt Lutherani, hominem non eſſe liberi arbitrij, accipiendum eſſe docet de arbitrio libero à neceſſitate, non à coactione.

IOANNES etiam CALVINVS libro ſecundo Inſtitutionum, capite ſecundo, §. 6. ſcribit, hominem eſſe liberum à coactione, non à neceſſitate. Et addit, hanc ipſam fuiſſe mentem Petri Lombardi in 2. Sentent. diſtinctione vigeſima quinta: *Pronunciat*, inquit, *tandem Lombardus, non liberi arbitrij ideo non eſſe, quod ad bonum, & malum, vel agendum, vel cogitandum peræque polleamus, ſed duntaxat, quod coactione ſoluti ſimus.* Cæterum Caluinus pro ſuo more non ſolùm perperam exponit Lombardi ſententiam, quod in ſequenti capite demonſtrabimus, ſed etiam ſecum ipſe pugnat. Nam in eodem libro, capite tertio, §. 5. ſic ait: *Lombardus, cùm neceſſitatem à coactione diſtinguere neſciret, perniciioſo errori materiam dedit.* At ſi Lõbardus neceſſitatem à coactione diſtinguere neſciebat: quomodo paulò antè pronunciauit, non ideò nos eſſe liberi arbitrij, quod ad malum, & bonum vel agendum vel cogitandum peræquè polleamus, ſed dũtaxat, quod coactione ſoluti ſimus? Idem quoque Caluinus in ſecundo libro aduerſus Pighium, diſertis verbis pronunciat, ſe pro hæretico habiturum, ſi quis neget liberum arbitriũ à coactione, modò non aſſerat liberum à neceſſitate.

Ad eandem ſententiam acceſſiſſe videtur Alphonſus de Caſtro, lib. 9. verbo libertas: tractans enim de libertate, vnde dicitur liberum arbitrium: *Eſt*, inquit, *libertas, quæ opponitur neceſſitati, vel, vt verius dicam, coactioni.* Cæterum Alphõſus in eodem loco ſatis apertè indicat, ſe per coactionem intelligere quamlibet determinationem ad vnum, dicit enim, hominem per libertatem à coactione poſſe facere, & non facere, velle, & non velle, &c. Itaque ſolùm in modo loquendi à communi ſententia receſſiſſe videtur, quæ eſt, ad liberum arbitrium conſtituendum omninò requiri libertatem à neceſſitate, neque ſufficere libertatem à coactione.

CAPVT V.

Probatur ſententia communis, quæ ad liberum arbitrium exigit libertatem à neceſſitate.

IGITVR libertatem à neceſſitate omninò requiri ad liberum arbitrium, neque ſatis eſſe libertatem à coactione, demonſtrari poteſt ex teſtimonio Scripturæ, ex definitione Eccleſiæ, ex traditione Patrum, ex lumine rationis.

Ex diuinis literis habemus imprimis illud Eccleſi. 15. *Deus reliquit hominẽ in manu conſilij ſui, adiecit mandata & præcepta: Si volueris mandata ſeruare, ſeruabunt te. Appoſuit tibi ignem, & aquam, ad quod volueris, porriges manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum & malum: quod placuerit ei dabitur illi.* Neque verò aliquid intereſt, vtrum hæc verba conueniant homini pro eo tempore, quo erat in paradiſo ante peccatum, an verò pro tempore, quo iam in peccata deciderat. Non enim diſputamus nunc de libero arbitrio hominis lapſi, ſed in genere. Apertiſſimè autem per Eccleſiaſticum Spiritus ſanctus docet, quid ſit eſſe in manu conſilij ſui, id eſt, liberi arbitrij, cùm dicit, hominem poſſe, ſi velit, ſeruare legem, & nõ ſeruare, ſi non velit. Et rurſus ex duobus contrariis, poſſe alterum eligere, ignem, vel aquam: bonum, vel malum: vitam, vel mortem. Atque ita eſſe libertatem in homine tum volendi, & non volendi, quæ eſt libertas contradictionis: tum ex duobus contrariis vnum eligendi, alterum recuſandi, quæ eſt libertas contrarietatis. Alia multa teſtimonia adduci poſſent, ſed ea neque hoc loco neceſſaria ſunt, & in quarto libro commodius adferentur.

Ex definitione Eccleſiæ habemus Concilium ARAVSICANVM, canone 25. vbi declaratur, poſſe hominem baptizatum, ſi velit, benè viuere: Conſtat autem experientiâ, poſſe eum, ſi velit, etiam non benè viuere. Proinde poteſt velle, & non velle: benè viuere, & malè

Universidad de Deusto
Biblioteca

viuere. Concilium item TRIDENTINVM, quod saltē apud Catholicos magnam habere debet auctoritatem, sessione sexta, capite quinto, docet, hominem liberè consentire diuinæ inspirationi, quippè quam reiicere etiam potest. Et canone 4. dicit, liberum arbitrium concurrere in dispositione ad iustificationem, quia sicut consentire, ita etiam & dissentire potest. Quo loco non est omittendum, Concilium hoc postremo, sine dubio aliquid voluisse declarare aduersus errores nuper exortos. Nullus autem est, nec fuit, qui doceret, hominem non esse liberū à coactione, sed tota quæstio est de libertate à necessitate, quam solam hæretici negant. Igitur hanc ipsam Concilium astruere voluit. Et sanè qui potest consentire, vel dissentire: acceptare, vel reiicere: non solùm à coactione, sed etiam à necessitate liberum se esse demonstrat.

Adde quod etiam extat decretum Pij Quinti Pont. à Gregorio XIII. rursus innouatum, in quo damnātur sententiæ illæ: *Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit.* Et: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Vbi Pontifices illi non voluerunt docere, id quod volūtariè, sed necessariò fit, nullo modo liberè fieri: Sed non fieri ea libertate, quæ ad liberum arbitrium constituendum requiritur. Nam de hac libertate quæstio erat.

Iam ex Patribus idē probatur. ORIGENES lib. 3. de principiis, cap. 1. dicit, liberum arbitrium esse facultatē discernendi bonū à malo, & eligendi quod probauerit.

S. GREGORIVS NAZIANZENVS in Apologetico, non procul ab initio: *Arbitrij libertas*, inquit, *parem in vtramque partem motum habet.*

S. GREGORIVS NYSSENVS libro 7. de Philosophia, ca. 1. probat, hominem esse liberi arbitrij, quia humanæ actiones non fiunt necessariò. sed possunt etiā non fieri. & cap. 2. explicat, quid sit in liberò arbitrio, & dicit esse, ire & non ire, dare, & non dare: concupiscere, & non concupiscere: lætari, & non lætari, & similia. & cap. 3. dicit, omnem electiuam potestatem, qualis nimirum est liberum arbitrium, esse in opposita.

Sanctus IOAN. DAMASCENVS lib. 2. de fide. cap. 25. & 26. idem repetit, & verbis ferè iisdem.

S. HILARIVS in commentario Psal. 2. *Vnicuique*, inquit, *nostrum libertatem vitæ, sensumq; permisit, non necessitatem in alterutrum affigens.*

S OPTATVS MILEVITANVS lib. 7. aduersus Parmanianum, in ipso ferè principio: *Voluntas*, inquit, *habet pœnam, necessitas veniam. Homicida scelus potest facere, potest etiam non facere, & catera huiusmodi, in quibus liberum habetur arbitrium.*

S. AMBROSIVS lib. 2. de fide, c. 3. *Pro voluntatis*, inquit, *arbitrio, non pro necessitatis obsequio.*

S. AVGVSTINVS lib. 2. contra Faustum, cap. 5. *Et nos* inquit, *sub fato stellarum nullius hominis geneſim ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis, quo vel benè, vel male viuitur, propter iustum iudicium Dei ab omni necessitatis vinculo vindicemus.* Item libro tertio de libero arbitrio, cap. 1. 2. & 3. perpetuò libertati necessitatem idem Augustinus opponit. & libro de vera religione, cap. 14. *Si necessitate*, inquit, *id fecissent, nullo peccati vinculo tenerentur.* Denique in epistola 46. & 47. ad Valentinum dicit, quæstionem de concordia gratiæ, & liberi arbitrij, esse obscurissimam, & à paucis penetrari. & libro de gratia Christi, cap. 47. dicit, quæstionem hanc adeò esse implicatam, vt cùm gratia defenditur, liberum arbitrium negari videatur: & contrà, cùm defenditur liberum arbitrium, negari videatur gratia. At si liberum arbitrium non aliam exigeret libertatem, quàm à coactione, quæstio esset facillima, vel potius nulla.

Sanctus BERNARDVS in lib. de gratia & libero arbitrio: *Est verò*, inquit, *ratio data voluntati, vt instruat illam, non vt destruat. Destrueret autem si necessitatem ei vllam imponeret, quo minus liberè pro arbitrio sese voluerit, siue in malum, consentiens appetitui, siue in bonum gratiam sequens.*

PETRVS LOMBARDVS (cuius sententia necessariò adferenda, & consideranda est propter calumniam Caluini) in 2. lib. Sentent. dist. 25. lit. A *Potestas*, inquit, *ipsa, quam supra diximus esse liberum arbitrium, libera est ad vtrumlibet, quia liberè potest moueri ad hoc, vel ad illud.* Item lit. B. dicit, liberum arbitrium non esse præsentium, vel præteritorum, sed futurorum tantùm, quia præsentia, & præterita determinata sunt ad vnum. Liberum autem arbitrium indeterminatum ad vtrumlibet esse debet. Lit. G. quærit, quomodo in Deo sit liberum arbitrium, cùm ille non possit nisi benè agere, & liberum arbitrium requirat potestatem in opposita. Lit. D. respondet, in Deo esse liberum arbitrium, quia licet non possit malè agere, tamen non necessitate agit, quod agit, & potuisset illud non agere. Lit. E. concludit his verbis: *Vnde si diligenter inspiciatur, liberum videtur dici arbitrium, quia sine coactione, & necessitate valeat appetere, vel eligere, quod ex ratione decreuerit.* Lit. F. dicit, libertatem à necessitate fuisse ante peccatum, & remansisse etiam post peccatum. Libertatem autē à peccato, & à miseria, fuisse ante peccatum, non posteā. Vides igitur (Lector) quàm apertè mentiatur Caluinus, cùm scribere audet, Petrum Lombardum pronunciare, nos duntaxat à coactione solutos esse.

Sequuntur autem Petrum Lombardum Theologi Scholastici omnes vt Albertus in 2. Sentent. distinct. 24. Alexander in 2. parte, quæst. 72. membr. 3. artic. 5. Sanctus Bonauentura in 2. dist. 25. Sanctus Thomas cùm alibi, tum in quæstione sexta, de malo, quæ est de electione, articulo vnico scribit, hæresim esse non solùm apud Theologos, sed etiam apud Philosophos, affirmare ad liberam electionem non requiri libertatem à necessitate, sed satis esse eam, quæ est à coactione. Et rectè hoc dicit. Nam & Philosophus lib. 3. Ethicorum, cap. 4. & 5. distinguit voluntarium à libero, quod ad liberum pertineat, posse facere, & non facere: & naturalis ratio idem ostendit.

PRIMVM enim si ad liberum arbitrium constituendum sufficeret libertas à coactione, sequeretur etiam in pecoribus esse liberum arbitrium. Nam & illa sine coactione vlla sponte sua feruntur ad pabulum.

SECVNDO sequeretur, in pueris, furiosis, somniantibus esse vsum liberi arbitrij, eadem ratione. Isti enim omnes sponte agunt, ex Aristotele lib. 3. Ethic. cap. 2.

TERTIO sequeretur, Deum per liberum arbitrium, & ex electione genuisse filium: quoniam non coactus genuit. Atqui id perabsurdum est, vt sancti Patres passim docent. Vide Epiphanium hæresi 69. & Ambrosium lib. 4. de fide, cap. 4. & alios.

QVARTO, nulla fuisset vnquam quæstio de libero arbitrio, & neque Aristoteles reprehendi posset, quod scripserit, Deum ex necessitate agere: neque vlla cum hæreticis cōtrouersia remaneret. Nam neque Aristoteles, neque Manichæi, neque Lutherani, aut vlli alij negarunt vnquam, vel Deum, vel homines liberos esse à coactione.

DENIQVE, pugnantia videtur dicere, qui affirmat, liberum arbitrium à coactione, non à necessitate solutū esse. Siquidem liberum arbitrium (vt ex Gregorio Nysseno didicimus) non est simplex voluntas, sed voluntas, vt est principium electionis. Porrò voluntas simplex potest quidem intelligi cum libertate à sola coactione: talis enim est voluntas beatitudinis, saltem quo ad specificationem: at potestas electiua non videtur intelligi posse cum determinatione ad vnum, & necessitate. Electio enim est inter multa, & ideo electionem præcedit consultatio. At si necesse habeo vnum aliquid velle, aut facere, vbi est consultatio? vbi electio?

CAPVT

CAPVT VI.

Soluuntur argumenta contraria.

SED IAM argumenta soluenda sunt, quæ aduersus ea, quæ diximus, ab aduersariis adferuntur.

PRIMO loco testimonium obiicitur sancti AVGVSTINI ex Enchiridio, cap. 105. vbi sic legimus: *Neque culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, qua beati esse sic volumus, vt esse miseri non solum nolimus. Sed nequaquam prorsus velle possimus.* Ex hoc enim loco videtur posse colligi, nō requiri libertatē à necessitate, sed solū à coactione, vt volūtas libera dici possit. Nam beatitudinem necessariò volumus, nec possumus eā non velle, & tamen liberè volumus, quia non coacti, sed sponte, & libenter volumus.

RESPONDEO, voluntas nostra, tametsi libera non sit in appetenda felicitate, quoad specificationem, quia non potest velle miseriam: tamen libera est in hac vita, quoad exercitium, quia potest appetere felicitatem, & cessare ab appetendo. Præterea tum in hac vita, tum in alia libera est voluntas, non solum quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem, in aliis rebus eligēdis, quæ non sunt necessariò cum felicitate connexæ. Hoc igitur est, quod sanctus Augustinus dicit, posse voluntatem liberam remanere, licet in aliqua re, vel aliquo genere libertatis, libera non sit. Nam in aliis rebus, vel in iisdem, alio genere libertates liberrima erit. Et pro arbitrio poterit agere, & non agere, velle, & non velle.

SECVNDO, obiicitur aliud eiusdem AVGVSTINI testimonium ex eodem cap. 105. Enchiridij, & ex li. 22. de Ciuit. Dei, cap. vlt. vbi sic loquitur Augustinus de hominibus beatis in alia vita: *Nec ideo liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt. Magis quippe erit liberum a delectatione peccandi, vsque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum.*

RESPONDEO, non vult sanctus Augustinus significare, beatos habituros liberum arbitrium ad peccādum, & non peccandum: Id enim pugnaret cum eo, quod dicit, eos tales futuros, vt non possint vlla ratione peccare. Sed indicare voluit, per necessitatem non peccandi non tolli liberum arbitrium beatorum, immò potius confirmari. Qui enim peccare non possunt, liberrimi sunt in eligendo bono, & possunt eligere hoc, aut illud bonum, vel vnum & idem eligere, vel non eligere, sine vllo periculo errandi. Posse autem eligere malum, non est virtus liberi arbitrij, sed defectus, nihil enim aliud est, nisi posse in eligendo falli, & errare. Itaque hoc defectu remoto non perit, sed fortius, liberiusque efficitur liberum arbitrium beatorum.

TERTIO, obiicitur illud eiusdem AVGVSTINI ex lib. de natura, & gratia, c. 46. *Perquam absurdum est, vt ideo dicamus non pertinere ad voluntatem nostram, quod beati esse volumus, quia id omnino nolle non possumus. Nec dicere audemus, Deum non voluntatem, sed necessitatem habere iustitiæ, quia non potest velle peccare.* Quo loco velle videtur Augustinus, Volūtatem nostrā in eo esse liberā, quod vult beatitudinem, quamuis eam necessariò velit: & Deum liberè velle iustitiam, licet necessariò eam velit. Respondet enim Pelagio, qui dixerat priuari eum libero arbitrio, qui necessitate constringitur. Et contra ipsa asserit, non priuari libero arbitrio eum, qui necessitate constringitur. Et probat duobus exemplis, hominis liberè volentis beatitudinem, & Dei liberè volentis iustitiam, quamuis vterque ad ea volenda necessitate pariter constringatur.

RESPONDEO, significat eo loco sanctus Augustinus, eum qui vult beatitudinem, constringi quidem necessitate quoad specificationem, quia non potest velle miseriam: tamen non ideo priuari libero arbitrio, quia potest quoad exercitium velle, & non velle beatitudinē.

Pari ratione Deum velle iustitiam ex necessitate: quoad quādam specificationem, quia non potest velle iniquitatem: sed non ideo priuari libero arbitrio, quia potest, & quoad exercitium, quædam iusta facere, & non facere: & quoad specificationem ex multis iustis vnum alteri præferre, illudque eligere.

At (INQVIES) non videtur id contrarium sententiæ Pelagij, is enim cùm ait, priuari libero arbitrio eum, qui necessitate cōstringitur, loquitur de libertate, & necessitate respectu eiusdē rei, & modi, nō autem respectu diuersorū. RESPONDEO, Verba Pelagij esse ambigua, & sententiam veram, & falsam habere posse, & ideo à sancto Augustino non simpliciter reprehendi, sed solum qua parte falsa esse poterant. Itaque non ait Augustinus, verum non esse quod Pelagius dixerat, sed inquit, *Et hic non nulla quæstio est.* Ac deinde ostendit, quomodo possit fieri, vt aliquis necessitate constringatur, & tamen libero arbitrio non priuetur.

QVARTO, obiicitur aliud testimonium ex lib. 5. de ciuitate Dei, cap. 10. vbi sic legimus, *Si illa definitur necessitas, secundum quam dicimus necesse esse, vt ita sit aliquid, vel ita fiat, nescio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis. Neque enim & vitam Dei, & præscientiam Dei sub necessitate ponimus. Si dicamus, necesse esse Deum semper viuere, & cuncta prescire.*

RESPONDEO, sanctus Augustinus in principio capitis, distinguit necessitatem in duas species. Dicit enim esse quandam necessitatem, quæ facit, vt res nō sit in potestate: qualis est necessitas moriendi. Non enim est in potestate nostra mori, aut non mori. Aliam autem esse necessitatem, quæ non facit rem nō esse in potestate. Ac priorem quidem necessitatē fatetur Augustinus pugnare cum libertate, & ideo non esse dicendum voluntatem nostram esse sub tali necessitate: posteriorem dicit, non pugnare cum libertate, & ideo non esse timendum, ne talis necessitas, si admittatur, libertatem auferat voluntatis.

Huius posterioris necessitatis quatuor ponit exempla. PRIMVM est de vita Dei. Necesse enim est, Deum semper viuere, & tamen non ponimus vitam Dei sub necessitate, quæ tollat libertatem. Vbi per vitā Dei intelligimus actionem: viuit enim Deus, dum intelligit, & vult. Et quāuis necesse sit, Deum semper viuere, id est, intelligere, & velle: tamen nō tollitur libertas eius, quia multa liberè vult, & proinde etiam liberè intelligit practicā intelligentia. Itaque necessitas semper viuendi cadit super actum intelligendi, & volendi, non super modum operandi. Necessariò enim Deus semper intelligit, & vult, sed non necessariò applicat hunc actum ad hoc, aut illud faciendum, sed liberè.

ALTERVM exemplum est de præscientia Dei. Necesse enim est, Deum cuncta præscire: & tamē præscientia Dei non ponitur sub necessitate tollente libertatē, quia necessitas præsciendi est ex hypothesi, nō absoluta. Posito enim, quod Deus velit aliquid esse futurū, necessariò præscit illud esse futurum: sed sicut poterat Deus absolutè non velle illud esse futurum: ita poterat absolutè non præscire esse futurum.

TERTIVM est de potentia Dei, quod ponitur ad illustranda duo superiora. Necesse enim est Deum non posse mori, aut falli: & tamen est omnipotens. Sicut igitur non minuitur potentia Dei per hoc, quod non potest mori, aut falli, sic etiam non minuitur eius libertas per hoc, quod necesse est eū semper viuere, & cūcta præscire.

QVARTVM exemplum maximè facit ad rem, *Necesse enim est* (inquit AVGVSTINVS) *vt homo quicquid vult, libero velit arbitrio, & tamen non propterea liberum arbitrium ponitur sub necessitate tollente libertatem, nā illa necessitas, de qua dicimus, necesse esse hominem liberè velle, nō solū non facit, vt opera liberi arbitrij non sint libera, sed eo ipso vt sint libera, nō*

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum cadit illa necessitas super opera, sed super modum, & est ex hypothesi non absoluta. Non enim necesse est absolutè, vt homo hoc velit, aut illud, sed est in eius potestate velle hoc aut illud, & velle hoc, aut non velle, tamen posito quod velit, necesse est eū libere velle, quia talem modum operandi eius natura postulat. Vides igitur ex Augustino manifestè colligi, libertatem arbitrij requirere, vt opus sit in potestate, & pugnare nō solum cum coactione, sed cū omni absoluta necessitate.

QVINTO obiicitur testimonium sancti BERNARDI ex sermone 81. in Cantica, vbi sic loquitur, *Nescio quo pravo, & miro modo ipsa sibi voluntas peccato quidem in deterius mutata necessitatem faciat, vt necessitas, cum voluntaria sit, excusare non valeat voluntatem, nec volūtas cum sit illecta, excludere necessitatem.* Et infra, *Ita anima miro quodā modo, ac male libera necessitate & ancilla tenetur, & libera: ancilla propter necessitatem, libera propter voluntatem, & quod magis mirum, magisque miserum est, eo rea quo libera, eoque ancilla, quo rea, ac per hoc eo ancilla quo libera.*

RESPONDEO, loquitur sanctus Bernardus de necessitate conditionata, quæ non repugnat libertati, non autem de absoluta, quæ simul cum libertate consistere nō potest. Nam quemadmodum non potest arbor mala bonos fructus facere (vt Dominus ait Matth. 7.) dum videlicet est mala: potest tamen fieri bona, & tūc bonos fructus facere: sic etiam qui illectus est visco prauæ cupiditatis, durante affectu illo, necessariò peccat, quia nō potest non seruire prauæ cupiditati, à qua tenetur quodammodo captiuus: tamen absolutè potest non peccare, & si peccat, liberè peccat, quia potest deponere prauū affectum, si velit gratiæ Dei cooperari. Hoc igitur modo peccator est seruus, & liber, & ideo seruus quia liber. Nam si verè liber non esset libertate naturæ, nunquam verè proprieque peccaret, ac per hoc seruus peccati esse non posset.

Porrò sanctum Bernardum non existimauisse liberū arbitrium opponi soli coactioni, non autem necessitati, perspicuum est ex eodem sermone 81. in Cantica, vbi sic loquitur: *Vnde liberum arbitriū nominatur, quod liceat auersari in his pro arbitrio voluntatis inde homo ad promerendum potis. Omne enim quod feceris bonum, malumne, quod quidem non facere liberū fuit, meritò ad meritū deputatur, & vt meritò laudatur, nō is tantū, qui potuit facere mala, & non fecit, sed & qui potuit non facere bona, & fecit: ita malo non caret merito tam is, qui potuit non facere mala, & fecit, quàm qui potuit facere bona, & non fecit. Vbi autem non est libertas, nec meritum. Propterea quæ sunt ratione carentia animalia nihil merentur, quia sicut deliberatione, ita & libertate carent.* Ex hoc loco apertissimè constat, sanctum Bernardum requirere ad liberum arbitrium libertatem, quæ est ad vtrumlibet, quæ dicitur à necessitate, qua sola bestiæ carent.

SEXTO, Obiicitur testimonium sancti Thomæ, qui in quæst. 10. de potentia, artic. 2. ad 5. scribit, solam coactionem repugnare naturali libertati voluntatis.

RESPONDEO, loquitur eo loco sanctus Thomas de voluntate simplici, non de voluntate, vt est principium electionis, quæ sola liberum arbitrium nominatur. Adde, quod videtur idem auctor in modo loquendi. locum istum reuocasse, in prima parte summæ, quæst. 41. art. 2.

SEPTIMO, Obiicitur idem sanctus THOMAS, qui in 1. part. quæst. 83. art. 2. ad 3. dicit, per peccatum periisse libertatem gratiæ, sed non libertatem naturæ, *quæ est* (inquit) *a coactione.*

RESPONDEO, Accipit eo loco sanctus Thomas coactionem pro necessitate, siue determinatione ad vnum. Nam in corpore articuli dixerat, liberiū arbitrium non esse habitum, sed potentiam: quia per habitus inclinamur ad vnum: liberum autem arbitrium indeterminatum est ad multa etiam opposita.

CAPVT VII.

An liberum arbitrium sit potentia, proponuntur variæ Theologorum sententiæ.

NVNC discutienda est illa definitionis particula, qua dicitur liberum arbitrium esse *potentia.* Cogemur autem multa hic adferre, quæ non sunt apud hæreticos in controuersia, sed tamen ad controuersias, quæ in quarto & quinto libro disputandæ sunt, necessaria esse videntur. Neque enim de cōtrouersiis circa liberum arbitrium rectè iudicari potest, nisi natura ipsa, & ratio liberi arbitrij probè intelligatur.

Quæritur igitur, an liberum arbitrium sit potentia, & quæ potentia. Sunt autem de hac re multæ Theologorum sententiæ, quas breuiter enumerare placuit, vt ex earum collatione rei veritas planius eluceſcat.

PRIMA sententia est eorum qui docent, liberum arbitrium propriè in actu consistere, non in habitu, vel potentia. Ita docuit Herueus in primo quodlibeto, quæst. 1. qui in iis actibus intellectus, & voluntatis liberū arbitrium ponit, qui præcedunt deliberationem, vel deliberationis cōclusionem. Ratio eius hæc est. Liberum arbitrium est id, per quod habet homo actum aliquē in potestate, ita vt possit illum facere, vel eius cōtrarium, vel eundem facere, & non facere. Primus autem actus, qui est in potestate hominis, est deliberatio, vel eius conclusio, non enim ante deliberationem vlla esse potest libertas. At ipsam deliberationē necessariò præcedit voluntas deliberandi, & volūtatem deliberandi præcedit cogitatio aliqua, igitur per hos actus, qui necessariò deliberationem præcedūt, habet homo deliberationem in potestate. Ac per hoc in his actibus consistit libertas arbitrij.

SECVNDA sententia est sancti Bonauenturæ, qui liberum arbitrium in habitu quodam naturali consurgente ex ratione, & voluntate constituit. Scribit enim in 2. sentent. dist. 25. art. 1. q. 2. 3. & 4. liberum arbitrium esse facilitatem quandā operandi, quæ oritur ex cōiunctione rationis, & volūtatis, quomodo potestas totalis benè administrandæ familiæ est in patre, & matre simul iunctis: & in neutro seorsim reperitur. Ratio eius est, quoniam à sancto Bernardo liberum arbitriū definitur habitus animi, liber sui: & à Petro Lombardo dicitur esse facultas rationis, & voluntatis. Facultas enim, & facilitatem, & habitum magis, quam potentiam sonat.

TERTIA sententia est Alberti in summa part. 2. q. 91. memb. 1. & 2. & in 2. sentent. dist. 24. art. 5. qui docet, liberum arbitrium esse potentiam perfectam per habitū superadditum. nō tamen acquisitum, sed naturalem. Ratio eius est tum illa, qua vtitur sanctus Bonauentura, tum etiam alia: quia liberum arbitrium ex sententia sancti Augustini, per peccatum est amissum, vel imminutum, non autem amitti, vel minui potest potētia, sed habitus.

QVARTA sententia est, liberum arbitrium esse potētiam quandam vniuersalem, continentem sub se potentias omnes animæ intelligentis, & sentientis. Ratio est, quia in his omnibus potentiis inueniuntur actus liberi, vel eliciti, vel imperati. Referunt hanc sententiam sine nomine auctoris sanctus Bonauentura loco citato, & sanctus Thomas in quæst. 24. de Veritate, art. 5.

QVINTA sententia est Alexandri Alensis, in 2. par. summæ quæstio 72. membro 1. articulo 3. qui docet, liberum arbitrium esse potentiam particularem, & distinctam à ratione, & voluntate. Ratio eius est, quoniam in anima humana est imago Trinitatis: & quidem mens, seu ratio rectè refertur ad filium, qui est Verbum, & sapientia Patris: voluntas ad Spiritum sanctum, qui est bonitas: igitur debet esse potentia aliqua motrix aliarū, quæ respondeat Patri, cui tribuitur potentia, & hæc potentia

potentia motrix est id, quod dicimus liberum arbitrium.

SEXTA sententia est Durandi, in 2. sent. distin. 24. q. 3. qui docet, liberum arbitrium esse ipsas potentias rationis, & voluntatis, sed magis rationis. Ratio est, quia tam ratio, quam voluntas est potentia formaliter libera, sed ratio prius, & magis est libera.

Esse autem vtramque potentiam formaliter liberam, probat Durandus PRIMO, quia Philosophus scribit in li. 9. Metaph. cap. 3. potentias rationales esse liberas. SECVNDO, quia definitur communiter liberum arbitrium facultas rationis, & voluntatis. TERTIO, quia nec ratio, nec voluntas potest cogi, & vtraq; est indifferēs ad agendum, & non agendum, & ad agendum hoc aut illud. Nam licet ratio in rebus necessariis non possit iudicare aliter, quàm res se habeat, tamen in rebus probabilibus, & dubiis, de quibus solis est consultatio, non tenetur adhærere vni parti potius, quàm alteri. QVARTO, quia si ratio non esset libera in conclusione iudicij, nec voluntas esset libera in electione, neque enim potest voluntas aliud eligere, nisi id quod post deliberationem ratio concludit esse faciendum.

Esse autem rationem prius, & magis liberam quàm voluntatem, probat idem Durandus PRIMO, quia si potentiæ rationales sunt liberæ, vt Philosophus docet: certè illa prius, & magis erit libera, quæ prius & magis est rationalis: talis autem dubitari non potest, quin sit ipsa ratio. SECVNDO, quia liberū dicitur esse id, quod est gratia sui. & independens ab aliis, vt Philosophus docet in 1. lib. Metaph. c. 2. Voluntas autem dependet à ratione, nō contra, vt notum est. Igitur ratio magis est libera, quàm voluntas. TERTIO, quia primi liberi actus sunt conclusio iudicij, & electio: at conclusio iudicij, quæ est rationis, præcedit electionem, quæ est volūtatis, & rursus conclusio iudicij liberior est, quàm electio, cùm electio determinetur à conclusione iudicij, non contra. Igitur ratio prius & magis est libera quàm voluntas. QVARTO, quia radix libertatis est in notitia contingentiæ mediorum ad finem. Notitia autem est in ratione, igitur radix libertatis est in ratione. Quare cùm ratio non solum sit libera, sed etiam sit causa cur voluntas sit libera, sequitur, vt ratio & prius, & magis libera dicenda sit, quā voluntas.

SEPTIMA est Henrici in 1. Quodli. q. 16. & Scoti in 2. sent. dist. 25. qui docent, liberum arbitrium esse potentiam vnam, & particularem, ipsam videlicet voluntatem, eamq; ita esse liberam, vt non pendeat, nec determinetur à iudicio practico rationis: probant, quia illa est potentia libera, quæ omnibus positis, quæ requiruntur ad agendum, potest agere & non agere: at volūtas est libera omnium consensu: igitur omnibus positis, quæ requiruntur ad agendum, quorum vnum est Iudicium rationis: potest agere, & non agere. Addunt iidem auctores, rationem non esse liberam, nec formaliter, nec radicaliter: non formaliter, quia necessariò ratio iudicat vt res est, remota ignorantia, & errore: non radicaliter, quia nomen radicis significat veram causam: ratio autem non est vera causa libertatis voluntatis, sed solum conditio, sine qua non esset in voluntate libertas.

OCTAVA sententia est sancti Thomæ in 1. part. summæ, quæst. 83. art. 1. 2. 3. & in 1. 2. quæst. 13. in 2. sent. dist. 24. q. 1. & de Veritate quæst. 24. Item Richardi, & Capreoli in 2. sent. dist. 24. denique Caietani, Conradi, & aliorum, qui sanctum Thomam sequi solent, qui docent liberum arbitrium esse quidem potentiam vnam, & particularem, ipsam videlicet voluntatem, vt superior sententia continebat, sed addunt, radicem libertatis esse in ratione, & voluntatem pendere, ac determinari à iudicio vltimo practicæ rationis, quæ sententia quoniam verissima nobis esse videtur, in sequenti capite comprobabitur.

CAPVT VIII.

Probatur liberum arbitrium esse potentiam videlicet ipsam voluntatem, eámque sic esse liberam, vt tamen determinetur à iudicio vltimo practicæ rationis.

EXPLICATIS sententiis aliorum, restat, vt quid nobis ad veritatē propensius videatur, aliquot propositionibus complectamur.

PRIMA propositio, *Liberum arbitrium non est actus.* Probatur. Nam liberum arbitrium est aliquid à natura insitum homini, quod nulla ratione tolli potest, vt sanctus Bernardus in li. de gratia, & libero arbitrio, & alij Patres communiter docent: non igitur est actus, qui modo adest, modo abest, & non à natura inest, sed à nobis producitur. Alioqui sæpe homines, etiam sani, & vigilantes libero carerent arbitrio: neque enim perpetuò actus illos producunt, in quibus liberum arbitrium constituebat Herueus.

Neque mouere nos debet, quod nomen liberi arbitrij actum sonare videatur. Nam commune est multis aliis rebus, vt nomen accipiant ab actibus, cum tamen principia potius, & causæ actuum sint, quàm actus ipsi: sic enim intelligentiam, & rationem nominamus ipsam mentem, quæ principium intelligendi, & ratiocinandi est. Adde quod actus, illi, in quibus Herueus liberum ponit arbitrium, neque ipsi sunt liberi, vt eis nomen liberi arbitrij conuenire possit: neque faciunt nos liberos, cum determinent ad aliquid cogitandum, & volendum.

SECVNDA propositio, *Liberum arbitrium non est habitus, sed potentia.* Probatur. Nam vel is habitus esset naturalis, vel acquisitus: non naturalis, quia cùm habitus sit inclinatio ad aliquid, si liberum arbitrium esset habitus naturalis, naturaliter inclinati essemus ad vnum, atque ita periret libertas ad oppositа: non etiam acquisitus, quia liberum arbitrium habemus, vt diximus, à natura, proinde cum illo nascimur, non accedente ætate illud acquirimus. Itaque rectè admonet sanctus Thomas, habitus acquisitionem repugnare naturalitati (vt sic loquamur) liberi arbitrij: habitus verò naturalitatem repugnare arbitrij libertati.

At (INQVIES) potentia quoque est inclinatio quædam ad suum obiectum: cur igitur liberum arbitriū non potest esse habitus naturalis, si potest esse potentia naturalis? RESPONDEO, causam esse, quia potentia est inclinatio determinata ad bonum in vniuersum, indifferens autem, & indeterminata ad bona particularia: habitus verò, si propriè loqui velimus, est inclinatio ad vnum aliquod particulare bonum, vel malum apprehensum sub ratione boni. Et ex eo fit, vt per potentias non dicamur boni, vel mali, sed capaces vtriusque, at per habitus bonos dicimur boni, per malos mali. Quod si sanctus Bonauentura, & Albertus per habitum naturalem intelligant inclinationem naturalem ad bonum in commune: de solo nomine erit quæstio, vel potius (vt sanctus Augustinus monet) cùm de re constet, non erit de nomine litigandum.

TERTIA propositio, *Liberum arbitrium non est potentia vniuersalis.* Probatur. Nam tametsi potentiæ cæteræ, præter voluntatem, sint actuum liberorum capaces: tamen non sunt actus earum liberi, vt ab ipsis procedunt, sed vt procedunt à voluntate, à qua imperantur. Proinde non sunt potentiæ illæ liberæ, nec liberi arbitrij nomen merentur. Illa enim sola potentia rectè dicitur libera, quæ est domina sui actus, quoq; pro arbitrio potest illum producere, vel non producere. Adde quod si liberum arbitrium esset potentia vniuersalis, tot essent libera arbitria, quot sunt potentiæ, quod est planè inauditum.

QVAR

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVARTA propositio, *Liberum arbitrium non est potentia quædam tertia distincta à ratione, & voluntate.* Probatur. Nam nullus est actus, qui tertiæ isti potestati respondeat. Quod enim aliqui dicunt, proprium actum huius potentiæ esse, mouere intelligentiam, & voluntatem: nihil facit ad rem. Nam voluntas est, quæ se, & alias omnes potentias mouet. Itaque illi ipsi dicunt, actum tertiæ illius potentiæ esse, volo iudicare, volo eligere. Sed forte Alexander per tertiam potentiam intellexit voluntatem, vt est motrix, & vt distinguitur à simplici voluntate, quæ est etiam impossibilium. Et tum solum de nomine quæstio esset: & inter se summi illi Theologi Alexander, Albertus, sanctus Bonauentura, & sanctus Thomas, quod attinet ad rem, facilè conuenirent.

QVINTA propositio, *Libertas formaliter non est in ratione, sed in sola voluntate.* Probatur. Nam in primis sacræ B literæ voluntati libertatem tribuunt. Eccl. 15. *Si volueris mandata seruare, conseruabunt te, ante hominem vita, & mors, quicquid placuerit ei dabitur illi.* 1. Cor. 7. *Non habens necessitatem, sed potestatem habens suæ voluntatis, &c.*

Deinde sancti Patres (vt citauimus c. 2.) ideo liberum voluntatis arbitriũ nominant, vt ostendant in voluntate libertatem esse. Præterea Gregorius Nyssenus, lib. 7. de Philosophia. Et Io. Damascenus lib. 2. de fide c. 25. scribunt, liberum arbitrium esse potestatem eligendi: constat autem electionem voluntatis esse, non rationis. Denique multi ex Parribus, cum de libero arbitrio loquuntur, voluntatem ipsum appellant, vt perspicuum est ex Optato lib. 7. contra Parmenianum, Augustino lib. 3. de libero arbitrio cap. 1. 2. 3. &c. Et Bernardo lib. de gratia, & libero arbitrio.

His accedunt rationes ex absurdis petitæ, nam si formaliter esset in ratione libertas, sequeretur PRIMO, hominem peccare ante consensum voluntatis. SECVNDO, eumdem bis peccare, cùm primò iudicat esse faciendum id, quod non licet, & deinde id ipsum eligit. TERTIO, ignorantiam planè inuoluntariam à peccato non excusare. Nam ad peccandum non requiritur, nisi libertas: libera enim transgressio legis peccatum est. Quare si ante cõsensum voluntatis, libertas est in ratione, ante consensum voluntatis ratio peccare poterit, & cùm postea accedit consensus, erit aliud peccatum, & ignorantia erit libera, quamuis sit inuoluntaria. Hæc autem absurda esse nemo negare potest, cùm repugnent communi sensui generis humani, & sanctus Augustinus dicat, in lib. de vera religione, cap. 14 peccatum, adeo esse debere voluntarium, D vt si non sit voluntarium non sit peccatum. Accedat deinde ratio etiam ostensiua, qua demonstrari potest, rationem non esse liberam vllo genere libertatis, id est, neque à coactione, neque à necessitate, neque quoad specificationem, neque quoad exercitium.

Primùm igitur, non esse liberam rationem à coactione eo modo, quo à coactione libera est voluntas, probatur, nam voltas libera esse dicitur â coactione, quia fieri non potest, vt voluntas aliquid velit contra inclinationem suam, vel totius suppositi: nã ipsa inclinatur ad omne bonum, proinde non potest aliquid velle contra suam inclinationem: & rursus ipsa est inclinatio totius suppositi, ac per hoc non potest velle aliquid contra inclinationẽ totius suppositi. Ita nullo modo potest cogi, quia non E potest fieri, vt velit quod non vult. At ratio inclinatur quidem ad omne verum intelligendum, tamen eius inclinatio non est inclinatio totius suppositi, & ideo potest cogi ad iudicandum, & credendũ contra inclinationem non quidem suam, sed totius suppositi. Ita dæmones credunt vnum esse Deum coacti, & idcirco etiam contremiscunt, vt ait sanctus Iacobus c. 2. Et sæpenumerò qui ægrotant, coguntur credere se breui esse morituros, quod omnino refugiunt, & si fieri posset, nollent credere. Falsum est igitur, quod scribit Durandus, rationem A esse liberam à coactione æquè ac voluntatem.

Rursus non esse liberam rationem à necessitate quoad specificationem, probatur. Ratio enim, si ei proponantur argumenta necessaria, necessariò assentitur: si probabilia, necessariò opinatur, id est, cum formidine credit: si contraria æquè probabilia, necessariò dubitat, nisi accedat inclinatio voluntatis. Hæc autem ita esse, testatur Philosophus in 2. lib. de anima, text. 153. vbi scribit, nos imaginari posse quod volumus, non autem opinari, nisi id, quod argumenta concludunt esse opinandum. Et in 7. lib. Ethic. capit. 2. scribit, syllogismum captiosum necessariò inducere dubitationem, cùm ab vna parte videatur incredibile quod concluditur, ab altera non possit contemni argumentum, donec solutio non apparet. Testatur idem experientia. Nemo enim consultat, vtrum debeat veritati cognitæ assentiri, nec ne, sed simpliciter eò accedit, quò argumentorum vis ducit. Testatur etiam fides Catholica, quæ propterea requirit pium voluntatis affectum, quoniam alioqui mens nostra non facilè posset adduci, vt crederet, quæ rationem ipsam superant, sæpe etiam (quamuis non ita sit) eidem repugnare videntur.

Iam verò non esse rationem liberam, quoad exercitium, facili negotio probari potest. Nam omnis actio fit ex appetitu alicuius boni, vt Philosophus docet in 1. lib. Ethic. cap. 1. Et post eum sanctus Thomas 1. part. q. 80. art. 1. & 1. 2. q. 1. art. 2. Appetitus autem boni in anima ratione prædita nihil est, nisi voluntas. Ipsa igitur voluntas rationem applicat ad intelligendum, vel etiam ab actu intelligendi reuocat. Quod si inclinatio rationis ad intelC ligẽdum appetitus etiam nominetur, certum est eiusmodi appetitum esse naturalem, & inclinare ad perpetuum actum. Proinde quod ratio nunc exerceat actum speculandi, vel iudicandi, vel alium quemcumque, nunc verò quiescat, non potest referri in ipsam rationem, sed in appetitum totius suppositi, qui non est alius, nisi voluntas.

Postrema ratio sumitur ex fine. Siquidem ad finem animæ rationalis non cõducebat, vt in ratione esset libertas. Ratio enim est regula actionum humanarum, regula autem debet esse immobilis, vniformis, determinata, necessaria: alioqui pernicioſa esset, & Lesbiæ regulę similis, quæ (vt Philosophus testatur lib. 5. Ethic. cap. 10.) quod plumbea esset, facile flectebatur in varias partes.

SEXTA propositio, *Voluntatis electio pendet necessariò ab vltimo iudicio practica rationis.* Probatur, Nam volũtas non potest aliquid velle sine præcedenti iudicio rationis: ergo si iudicium sit indeterminatum, & ipsa erit indeterminata, si iudicium determinatum sit, & ipsa determinata erit: at iudicium vltimum practicum est omnino determinatum: dicit enim tunc ratio, hoc nunc (omnibus consideratis) est faciendum: igitur voluntas necessariò eliget id quod vltimum iudicium practicum determinauit esse eligendum.

Probatur antecedens primæ consequutionis manifestis rationibus. PRIMO, Voluntas est appetitus rationalis: & ex Aristotele libro tertio, Ethic. capite secundo electio est appetitus intellectiuus. Ex Augustino libro 8. de Trinitate capite quarto nemo potest amare incognitum: igitur sine rationis actu præcedente nulla E esse potest electio. SECVNDO, Voluntatatis obiectum est bonum apprehensum, & iudicatum conueniens: quocirca si voluntas aliquid vellet sine præcedente cognitione, & iudicio, operaretur sine obiecto, quod fieri non potest. TERTIO, quicquid homo agit, propter aliquem finẽ agit, ac proinde fieri nequit, vt moueatur ad eligendum aliquid, nisi ratio dicter illud esse mediũ cõueniens ad propositum finem. DENIQVE experientia idem docet. Nemo enim est, qui, si quæratur ab eo, cur aliquid agat, non respondeat, quia iudicat ita esse faciendum.

Ille

Ille etiam qui dixit, sit pro ratione voluntas, non excusit A iudicium ab electione, sed iudicauit, bonum sibi esse contra rationẽ agere. Itaq; rectè sanctus BERNARDVS in lib. de gratia, & libero arbitrio: *Haber* (inquit) *voluntas quocunque se voluerit semper comitem rationem, non quod semper ex ratione, sed quod nunquam absque ratione moueatur.*

Probatur nunc illa consequutio, qua colligebamus, si iudicium sit determinatum, & electionem fore determinatam. Nam si cum est iudicium planè determinatum ad vnum, voluntas possit aliud eligere, aut illud non eligere, nulla reddi poterit ratio, cur voluntas aliud non iudicatum elegerit, aut illud iam iudicatum non elegerit, atque ita dabitur electio sine iudicio, & actio sine obiecto, quod fieri non posse iam ostendimus.

DICES, Illum qui contra determinationem vltimi iudicij practici aliquid eliget, posse reddere rationem elB ectionis suæ, quod videlicet id fecerit, vt ostenderet suam libertatem. RESPONDEO, Hoc ipsum tunc futurum vltimum Iudicium practicum omnibus consideratis, bonũ mihi est nunc contra rationem agere, vt me liberum esse demonstrem. Atq; ita falsum erit, posse reddi rationem, cur aliquis egerit contra determinationem vltimi iudicij practici: nec non & illud erit falsum, posse fieri, vt quis agat aliquid, repugnante vltimo iudicio rationis.

Confirmatur hæc ratio à simili. Nam appetitus bestiarum ideo est determinatus ad vnum, quia cognitio sensuum est determinata ad vnum: rursus: voluntas humana, respectu vltimi finis, determinata est ad vnum, saltem quoad specificationem, quia iudicium rationis determinatum est ad vnũ, nec potest repræsentare vltimũ finem, nisi sub ratione boni: denique, voluntas beatorum etiam C quoad exercitium determinata est ad vnum, quoad appetitum vltimi finis, quia rationis iudicium repræsentans illum finem, tãtum sub ratione boni, semper est præsens, & perfectè applicatum mentibus beatorum, ergo à simili, in quacunque re particulari eligenda, voluntas erit determinata ad vnum, quoad specificationem, & quoad exercitium, & re ipsa necessariò eliget, quando aderit præsens iudicium practicum particulare dictans hic, & nunc absolutè omnibus consideratis, hoc est eligendum. Nam tale iudicium repræsentat rem, tantum sub ratione boni, pro eo tempore, vt est præsens, & perfectè applicatum.

DICES, In mediis ad finem conducentibus numquam datur tale iudicium ita determinatum ad vnum, vt non simul etiam adsit aliud iudicium, quod alia quoque D sint media vtilia ad illum finẽ. RESPONDEO, Iudicium vltimum nõ pati secum aliud iudicium simile, quia essent contradicentia, & repugnantia iudicia. Itaque vltimum iudicium non negat, quin alia sint media vtilia ad eumdem finem, sed dicit, omnibus consideratis hic & nunc, hoc vnum esse accipiendum tanquam vtilissimum, ac per hoc absolutè, & simpliciter melius cæteris, quare si voluntas tunc eligeret aliquid aliud, haberet quidem rationem, cur eligeret illud tale medium, quia nimirum est vtile, sed non haberet rationem vllam cur omitteret illud aliud quod hic & nunc, & simpliciter est iudicatum melius. Non enim nunc habet nisi vnum vltimum iudicium, nec potest habere, quia contradicentia essent, nimirum, omnibus consideratis hoc est melius, & omnibus consideratis hoc non est melius.

Accedat ad has rationes, quod si posset fieri, vt quis eligeret contra dictamen vltimi iudicij practici, posset etiam fieri, vt in voluntate esset peccatum sine vllo errore, vel defectu in ratione, siue intelligẽtia. Quod quidem aduersarij coguntur admittere. Sed certè videtur esse contra illud Salomonis, Prou. 14. *Errant qui operantur malum.* Et manifestissimè pugnat cum sententia Philosophi, lib. 3. Ethic. cap. 1. 3. & 5. lib. 6. cap. 12. & 13. lib. 7. c. 3. & in lib. 3. de Anima, tex. 58.

SEPTIMA propositio, *Et si voluntas sola sit formaliter libera, radix tamen libertatis eius in ratione est.* Probatur, Nã voluntas ideo est libera, quia est appetitus rationalis: sicut è contrario appetitus in bestiis, ideo non est liber, quia non est rationalis: igitur causa libertatis est ipsa ratio. Præterea appetitus non potest in aliquid ferri, nisi proponatur ei à potentia cognoscente tanquam bonum, & conueniens, nec potest ab aliquo refugere, nisi proponatur ei, vt malum, & noxiũ: igitur si potentia cognoscẽs sit determinata ad vnum, id est, non proponat nisi vnum, siue bonum, siue malum, appetitus necessariò tendet in illud, aut ab eo refugiet, vt videmus accidere in bestiis, quorum cognitio est per sensum, ac per hoc determinata ad vnum: at si potentia cognoscens sit indeterminata, & proponat varia obiecta, ostendens in singulis esse rationem boni, & rationem mali, ac denique viam aperiat ad B opposita, qualis est ratio nostra respectu mediorum, quæ non habent necessariam connexionem cum fine, tunc appetitus erit liber, & poterit inclinari in varias partes. Voluntas igitur ideo libera est, quia sequitur rationem, quæ varia, & contingentia media ad finem obtinendum ei proponit.

DICES, si voluntas libera est propter indeterminationem rationis, cur propter eamdem causam non est libera etiam ratio? RESPONDEO, Quia potentia cognoscens non est capax libertatis, sicut est potentia appetens. Nam potentia cognoscens ex natura sua, pendet ab obiecto, & ab illo immutatur per speciem, quam ab ipso recipit. Vnde non potest ei conuenire libertas circa suum obiectum: appetitus autem est independens, cùm ab obiecto nihil recipiat, nec ab eo patiatur: & ideo suâ natura capax est libertatis. Præterea non erat necessaria libertas potentiæ cognoscenti, quia cùm verum verò non repugnet, sine vllo detrimento potest apprehendere omnia, & omnibus assentiri: at appetitui necessaria erat, quia sæpè bona sunt inter se pugnantia, nec simul expeti possunt, vt virginitas, & matrimonium: voluptas, & sanitas: actio, & contemplatio, & similia. Itaque voluntas quia est appetitus, capax est libertatis: quia est rationalis, habet re ipsa libertatem.

CAPVT IX.

Soluuntur argumenta contra conclusiones capitis superioris.

SED iam argumenta soluenda sunt, quæ pugnant contra superioris capitis propositiones, quæq; iam fuerunt in cap. 7. breuiter indicata.

PRIMVM igitur argumentum probare nitebatur, liberum arbitrium esse actus rationis, & voluntatis, qui deliberationem præcedunt. Erat autem hæc ratiocinatio: liberum arbitrium est id, per quod habet homo actum aliquem in potestate: habet autem homo in potestate actum deliberandi (is enim est primus actus liber) per actum quo vult deliberare, & per cogitationem, quę hanc ipsam voluntatem præcedit: igitur in his duobus actibus deliberationem præcedentibus liberum arbitrium consistit.

E RESPONDEO, Primum falsum est, ante omnem electionẽ præcedere deliberationẽ, & ante deliberationem præcedere actum volendi deliberare. Sæpe enim homo rem oblatam cõtinuò amplectitur, & liberè, quia tamersi non deliberauit, tamen deliberare potuisset, si voluisset. Itaq; nõ omnes actus indeliberati sunt inuoluntarij, sed illi tantum, qui deliberari nõ potuerunt. DEINDE, non rectè tribuitur nomẽ liberi arbitrij omnibus illis rebus, quæ sunt necessariæ ad liberè eligendum, sed illi tantum rei, quæ est principium productiuum actuum libe-

rorum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

rorum, per quod propriè domini sumus actuum nostrorum. Tale autem principium est voluntas, quæ producit eliciendo, vel imperando actus liberos.

SECVNDVM argumentum probare conabatur, liberum arbitrium non esse potentiam, sed habitum, vel certè potentiam cum habitu. Nam liberum arbitrium definitur à sancto Bernardo habitus animi: & à Petro Lombardo Facultas rationis, & voluntatis: & ex sententia Augustini est amissum, vel imminutum.

RESPONDEO, sanctus Bernardus non accipit nomen habitus more scholastico pro qualitate superaddita potentiæ, sed pro ipsa potentia, quæ est inclinata, & habilis ad operandum, etiam quando nihil operatur. Sic etiã Petrus Lombardus nomen facultatis non pro facilitate, sed pro potestate vsurpat. Denique sanctus Augustinus liberum arbitrium amissum dicit, non quod est à necessitate, sed quod est à peccato. Serui enim peccati facti sumus per Adæ peccatum, vnde etiam Liberatore, ac Redemptore opus habemus. Porrò imminutum dicitur liberum arbitrium, non quoad essentiam, sed quoad operationem, & vires. Multa enim non possumus operari in statu naturæ corruptæ, quæ potuissemus in statu naturæ integræ.

TERTIVM argumentum contendebat, liberum arbitrium esse potentiam distinctã à ratione, & voluntate, nimirum potẽtiam motricem, vt esset in homine aliquid quod compleret imaginem Trinitatis. Nam Ratio, Verbi: Voluntas, Spiritus sancti imaginem gerit: deerit autem imago patris, nisi ponatur tertia potentia quæ illum aliquo modo referat.

RESPONDEO, Imago Trinitatis consistit in memoria, mente, & voluntate ex doctrina sancti Augustini, lib. 15. de Trinitate, cap. 3. certum autem est, nomine memoriæ non posse intelligi tertiam illam potentiam motricem, sed esse eamdem mentem, vt retinet notitiam iam acceptam: atque ita fœcunda est, & parit Verbum, vt idẽ sanctus Augustinus docet in lib. 14. de Trinit. cap. 3. 4. & 6. Porrò sanctus Thomas in 1. par. q. 93. art. 7. satis appositè explicat imaginem Trinitatis, dum mentem comparat Patri, notitiam à mente productam, Filio, amorem ex notitia mẽtis procedentem, Spiritui sancto. Perspicuum igitur est, tertiam illam potentiam non esse necessariam ad complendam imaginem Trinitatis.

Adde quod si ponerentur in anima rationali tres potentiæ distinctæ, quarum singulæ suos actus producerẽt, daretur occasio magno errori, quasi in Deo, ad cuius imaginem factus, est homo, tres essent processiones, non duæ tantum, ac per hoc personarum non Trinitas, sed Quaternitas.

QVARTVM argumentum cum aliis tribus probare tentabat, potentiam intelligentem esse formaliter liberam, & ideo liberum arbitrium esse potentiam intelligentem. Sic igitur texebatur obiectio, Potentiæ rationales sunt liberæ ex Aristotele lib. 9. Metaphys. c. 3. at potentia intelligens est rationalis, igitur libera.

RESPONDEO, Non dicit Philosophus, potentias rationales esse liberas, sed esse ad opposita, nec loquitur de ratione, & voluntate, sed de artibus, & scientiis, quas potentias vocat rationales, quia possumus actus earum producere, quando volumus: & dicit esse ad oppositã, quia eadem est scientia contrariorum. Itaque etiamsi liberas eiusmodi potentias appellasset, non tamen cogeremur fateri eas formaliter esse liberas, sed intelligeremus, liberas esse nominatas, quòd liberos actus producerent, quãuis non ideo liberi essent, quoniam ab eis producerentur, sed quoniam à voluntate imperarentur. Idem enim Philosophus in lib. eodem, cap. 6. scribit, determinari omnes istas potentias ab electione: electionem autem satis constat esse actum voluntatis, non intelligentiæ.

QVINTVM argumentum, liberum arbitrium est facultas rationis, & voluntatis, vt communiter definitur: igitur etiam ratio est formaliter libera, & liberum arbitrium nominatur.

RESPONDEO, liberum arbitrium dicitur facultas rationis, & voluntatis, quia ratio est libera radicaliter, voluntas formaliter.

SEXTVM argumentum, ratio non potest cogi, & est indifferens ad multa, igitur libera est non solum à coactione, sed etiam à necessitate.

RESPONDEO, Iam hoc explicatum est in quinta propositione capitis superioris, vbi demonstratum est, rationem posse cogi ad iudicandum contra inclinationem totius suppositi: item sic esse indifferentem in rebus probabilibus, vt tamen necessariò opinetur, vel hæreat, nisi accedat inclinatio voluntatis.

SEPTIMVM argumentum, Nisi mens in iudicando sit verè, ac formaliter libera, neque voluntas in eligendo libera esse poterit. Non enim potest voluntas aliud eligere, quàm id quod ratio iudicat eligendum.

RESPONDEO, Voluntas in eligendo libera est, non quòd non determinetur necessariò à iudicio vltimo, & practico rationis, sed quoniam istud ipsum iudicium vltimum, & practicum in potestate voluntatis est.

Sciendum est enim, per cognitionem boni in vniuersum mox existere in voluntate inclinationem aliquam in illud, nõ tamen plenam electionem: deinde cùm proponuntur à ratione varia media, & ostenditur quid boni, & quid mali sit in vnoquoq;, voluntatem inclinari modò in vnam partem, modò in aliam: & in eius potestate esse, vt finat se moueri, vel resistat, non quidem actu positiuo, sed negatiuo, non finendo videlicet se moueri. Per hoc enim quod voluntas finit se moueri ab vna ratione proposita, fit vt mens omissa alia inquisitione pergat, & concludat iudicium particulare, ad quod continuò sequitur electio. Itaque libertas voluntatis in eo propriè sita esse videtur, quod propositis variis rationibus non necessariis, finat se moueri, ab vna, & non ab alia.

Atq; hinc est quod Philosophus dicit in 3. lib. Ethic. cap. 5. virtutes, & vitia esse in nostra potestate, licet omnes apperant id, quod bonum eis videtur, quia vnusquisque sibi quodammodo causa est, vt hoc, aut illud sibi videatur. Vbi Philosophus ponit in nostra potestate virtutes, quia in nostra potestate sunt bonæ electiones, ex quarum frequentatione generantur habitus: ipsas autem electiones ponit in nostra potestate, quia iudicia, seu visiones, ad quas electiones sequuntur, sunt in nostra potestate.

Hinc est etiam quod boni, vel mali habitus multum conferunt ad bonam, vel malam electionem, quia quomodo vnusquisque affectus est, vt ibidem Philosophus docet, ita de rebus ipsis iudicat. Hinc quoque sanctus Thomas in quæst. 1. de malo, artic. 3. rectè dixit, causam peccati esse, quod homo operetur non attendens ad regulam diuinæ legis: huius autem quod est non attendere ad regulam, non esse quærendam aliam causam, cùm ad hoc sufficiat libertas voluntatis humanæ. Vbi sanctus Thomas in eo ponit libertatem, & causam peccati, quod voluntas cùm ab vna parte trahitur ad peccandum à voluptate per sensum, & rationem apprehensa, & proposita vt bona: ab altera reuocatur à peccato per rationem proponentem legem Dei, & repræsentantem voluptatem illam, vt noxiam, ipsa finit se moueri à sensu, & attendit ad bonum propositum in voluptate, & non finit se moueri à ratione proponente legem Dei, & sic non attendit ad veram regulam bonæ actionis.

Denique ex his etiam refutantur quatuor illa argumenta, quibus Durandus efficere nitebatur, rationẽ nõ solum esse formaliter liberam, sed etiã liberiorẽ ipsa voluntate.

OCTAVVM argumentum, pugnat cum sexta propositione, ac probat, voluntatem posse eligere contra iudicium vltimum, & practicum rationis. Nam hoc est discrimen inter potentias naturales, & liberas, quod naturales

rales non possunt non agere, præsente obiecto, & aliis, quæ ad agendum requiruntur, liberæ autem possunt. Id quod certum est, tũ experientia, tũ ex doctrina Philosophi, lib. 9. Metaphys. cap. 6. Voluntas autem est potentia maximè libera: igitur potest non agere, quantumuis habeat obiectum præsens repræsentatum per iudicium vltimum rationis.

Et confirmari potest hoc argumentum ex absurdo. Nam si necessariò voluntas sequatur, iudicium vltimum rationis, sequetur nunquam posse eligi minus bonum relicto maiori: nam ratio semper iudicat maius bonum præponendum esse minori, nisi fortè erret. Atqui hoc videtur esse falsum, & contra experientiam. Sæpè enim homines ex rebus non necessariis eligunt minus bonum, remoto etiam omni errore, & Deus ipse, in quem error cadere non potest, eligit, ac facit minus bonum, cùm maius aliquid eligere, & facere posset.

Confirmatur rursus alia ratione. quoniam sequeretur duobus æqualibus propositis bonis neutrum posse eligi, quoniam rectum iudicium rationis neutrum alteri præponit: at contrarium docet experientia.

Confirmatur etiam tertiò, quia (vt S. Augustinus lib. 12. de Ciuit. Dei, cap. 6. dicit) si duo sint æquè affecti animo, & corpore, & occurrant eidem rei, quæ sua pulchritudine allicere possit affectum, & eadem diaboli tentatione vterque tentetur, & tamen vnus tentationi consentiat, alter non consentiat, non potest reddi alia causa, nisi quia vnus vult alter non vult. At si voluntas necessariò sequeretur iudicium, fieri non posset, vt illo casu posito, vnus consentiret, alter non consentiret. Nã ratio idem dictaret vtrique.

Confirmatur vltimò, quia sequeretur electionem non esse electionẽ. Nam electio est inter multa, igitur actus voluntatis, qui necessariò sequitur iudicium determinatum non est electio, & tamen reuera est electio: igitur electio, & non electio est.

RESPONDEO, Philosophus in loco citato non cõparat voluntatem, quæ propriè libera est, cum potentiis non liberis: sed comparat potentias rationales, quas dicit esse scientias, & artes cum potentiis naturalibus: ac dicit potentias rationales præsente obiecto posse non operari, quia totæ pendent ab electione: operamur enim per scientias, & artes, quando volumus. & cessamus quãdo volumus: quia videlicet in nostra potestate est, applicare hos habitus ad opus. Itaque testimonium illud Philosophi nihil pertinet ad rem.

Nec tamen inficiamur, verum esse discrimen illud inter potentias liberas, & naturales, quod præsente obiecto possint liberæ non operari, non liberæ non possint. Nã liberæ potentiæ interdũ pro obiecto habent aliquid cõtingens, in quo ratio boni & ratio mali simul ostenditur, ac per hoc potest libera potẽtia inclinari ad appetẽdum ratione boni, & ad non appetendũ, vel etiam ad recusandum ratione mali. At potentiæ non liberæ semper habent pro obiecto aliquid vnum, & sub vna tantum ratione propositum, & ideo non possunt operari appetendo, vel recusando. Neque hinc sequitur, posse voluntatem non operari, præsente obiecto proposito, per vltimum iudicium rationis: quia tunc non proponitur obiectum nisi sub vna ratione: ac proinde non datur locus amplius optioni.

AD PRIMAM confirmationem RESPONDEO, Minus bonum absolutè posse eligi remoto errore, si in particulari propter aliquam circumstantiam ratio iudicet illud hoc tempore esse optimum. Quo modo Deus cum aliquid agit, non ideo illud agit, quia nesciat se posse facere aliquid melius, sed quia iudicat, tunc illud maximè expedire.

AD SECVNDAM confirmationem RESPONDEO, duobus æqualibus bonis simul propositis, posse alterum eligi, quia vel propter aliquam circumstantiam voluntas inclinabit in alterum, vel certè, vt res aliquando finiatur, voluntas finet se moueri ab altero, & tunc iudicium vltimum concludetur, & electio consequetur. Nam experientia docet, cum non possumus per rationem vnum alteri præponere, iudicari ab omnibus vtile, vt potius forte eligatur vnum, quàm vtrumque relinquatur.

AD TERTIAM confirmationẽ facilis est RESPONSIO, nam tametsi duo sint æquè affecti, & occurant eidẽ pulchritudini, tamen vnus, quia volet, iudicabit esse appetendam obiectam pulchritudinem, & ita consentiet, alter, quia volet, iudicabit esse resistendum cupiditati, & ita non consentiet. Itaque diuersa erunt iudicia vltima in illis duobus, & inde etiam diuersæ electiones.

Ad QVARTAM confirmationem RESPONDEO, nomine electionis non intelligi præcisè actum voluntatis, qui sequitur post vltimum iudicium, sed actum illum cum conclusione ipsius vltimi iudicij. Nam ideò Aristoteles in lib. 3. Ethic. c. 3. dicit, electionem esse consultatiuam appetitionem: & in lib. 6. c. 2. dicit, esse appetitum intellectiuũ, vel intellectum appetitiuũ. Et in lib. 7. c. 3. dicit, electionem esse quasi conclusionem syllogismi practici, quia videlicet accipiuntur pro vno, & eodem conclusio iudicij vltimi practici, & actus voluntatis, qui inde necessariò sequitur. Et sanctus Gregorius Nyssenus lib. 5. de Philosophia, cap. 4. scribit, electionem esse quid compositum ex consilio, & appetitu. Denique sanctus Thomas in 1. 2. quæst. 13. artic. 1. dicit quidem electionem esse actum elicitum à voluntate, tamen importare etiam actum rationis, sic igitur electio, cùm vtrumque actum complectatur, iudicij videlicet rationis vltimi, & approbationis voluntatis, verè est inter multa, & est, simpliciter in nostra potestate, & absolutè, propriéque libera.

NONVM argumentum, est contra postremam propositionem, quæ docebat libertatis radicem esse in ratione. Est autem tale argumentum: Ratio non concurrit ad actum voluntatis vt causa, sed vt conditio, sine qua voluntas nõ operatur: solum enim extrinsecè obiectum illi repræsentat: radix autem veram causam significat; igitur Ratio non est radix libertatis, quæ in voluntate reperitur.

RESPONDEO, Ratio non solum representat: sed etiã facit obiectum voluntatis. Nam res ipsa, quamuis in se bona, non est obiectum voluntatis, nisi à ratione iudicetur bona, & proponatur vt conueniens, & expetenda. Quare nõ ita ratio exhibet obiectum voluntati, vt is, qui adducit ignem ad comburendum, vel qui aperit fenestram vt cubiculum illustretur: sed vt lumen quod facit colores esse visibiles actu, qui sine lumine solum in potentia erant visibiles.

Id autem ita se habere manifestum est. Nam ad solam conditionem nunquam sequitur actio: neque enim per solam apertionem fenestræ cubiculum illustrabitur, si desit lumen: neque per applicationem ignis depicti fiet vera combustio: & ad solum iudicium rationis, quo res proponitur vt bona, sequitur appetitio, etiãsi fortè res illa non sit bona. Non igitur ratio concurrit solum vt conditio applicans obiectũ, sed vt causa faciens obiectum, dum rei bonæ tribuit vim quamdam motiuam, & facit vt ea res sit actu expetibilis, quæ solum antea erat expetibilis in potentia.

Cùm igitur potentiæ sumant essentiam, & speciem ab obiecto, certè sequitur vt voluntas sumat essentiam, & speciem à bono per rationem proposito vt conuenienti: & ideo talis sit voluntas nimirum libera, quia ratio proponit multa, & varia, & ea confert inter se. Quare vera radix libertatis est ratio proponens multa, eáque conferens, ac de eis iudicans, vt suprà dictum est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT X.

Liberum arbitrium non esse potentiam tantum passiuam, nec partim passiuam, partim actiuam, sed simpliciter & absolutè actiuam.

SEQVITVR ordine discutienda particula tertia definitionis, in qua indicatur actus liberi arbitrij. Igitur circa particulam illã *eligendi vnum præ alio, vel acceptandi, aut respuendi*: quæstio tractari solet, sit ne officium liberi arbitrij agere, vel pati: siue (quod idem est) sit ne voluntas humana potentia passiua, an actiua. TRES enim de hac re præcipuæ Theologorum sententiæ sunt.

PRIMA igitur sententia eorum est, qui voluntatem humanam passiuam potentiam esse volunt, ac docent actum voluntatis produci actiuè à phantasmate, vel ab obiecto cognito, vel certè ab ipsa mente apprehendẽte, & iudicante obiectum. Hæc sententia fuit Gottifredi quodlib. 6. q. 7. &, ex parte Aegidij quodlib. 3. quæst. 16. & aliorum.

ALTERA sententia est eorum, qui volunt liberum arbitrium partim esse passiuum, & partim actiuum, ita vt ad actionem volũtatis eliciendam concurrant vt causæ partiales, tum ipsa voluntas, tum etiam obiectum cognitum, siue ipsa ratio proponens obiectum. Ita docent Gregorius, & Gabriel in 2. sentent. dist. 25. quæst. vnica. Et Petrus Paludanus in 4. sentent. dist. 49. q. 3. quibus accedit etiam Caiet. in 1. part. quæst. 80. art. 2. qui scribit, volũtatem moueri actiuè à se ipsa quoad exercitium, ab intellectu autem quo ad specificationem.

TERTIA sententia liberum arbitrium simpliciter facit actiuum, quæ sententia videtur esse sancti Thomæ in 2. part. quæst. 82. art. 4. & de veritate, quæst. 22. art. 9. & 11. ad 5. & sine dubio sententia est Scoti in 2. sentent. distinct. 25. Henrici quodlib. 10. quæst. 9. & quodlib. 13. quæst. 11. Capreoli in 2. sentent. dist. 24. & Ferrariensis in 1. librum contra gentes, cap. 44. Quæ sententia verissima nobis esse videtur, propter sequentes rationes.

Nam PRIMVM sancti Patres non obscurè docent, liberum arbitrium non esse potentiam passiuam, cùm dicunt, in potestate voluntatis esse agere, & non agere, velle, & non velle, &c. Vide Gregorium Nyssenũ lib. 7. de Philosophia, cap. 1. & 2. Ioan. Damascenum, lib. 2. de fide, c. 25. & 26. Augustinum lib. 3. de libero arbi. c. 2. & 3.

DEINDE, actio volũtatis est actio vitalis, ac per hoc à principio interno, & vitali necessariò producitur. Non igitur actiuè fieri potest ab aliqua re extrinseca, quale est phantasma, vel obiectum.

AD HAEC, actio voluntatis est actio immanens, igitur produci debet ab eodem illo principio, in quo tamquam subiecto recipitur: recipitur autem à voluntate, igitur à voluntate, non à ratione, aut alia quacunque re actiuè producitur.

PRAETEREA, si liberum arbitrium esset potentia passiua, falsò diceretur liberum. Non enim est in potestate patientis, quid in ipso fiat, sed in potestate agentis est, quid in alio faciat. Qua ratione materia prima indeterminata est, atque indifferens ad multa, & tamen non est, nec dici potest libera, quoniam determinatur ab alio non se ipsa determinat.

AT (INQVIES) tametsi voluntas nõ sit libera agẽdo, poterit tamen esse libera resistendo. Sæpe enim aliqua non possunt quidem agere ipsa in se, sed possunt resistẽdo impedire actionem aliorum. RESPONDEO, si voluntas sit potentia passiua, non posse illam resistendo impedire actionem alterius. Illa enim resistendo impediũt, quæ habent contrariam qualitatem: voluntas autem nõ habet cõtrariam qualitatem, cùm sit indifferens ad contraria. Itaque non habet, vnde resistat, si ex natura sua apta est pati physicè ab obiecto. Quod si potentia sit actiua, & ab obiecto moueatur tanquam à fine, non tanquam ab agente, tum verè resistere poterit, vt re ipsa etiã sæpè resistit, cùm variæ rationes in eodem obiecto, vel varia obiecta illi demonstrantur.

Adde quod libertas voluntatis, non in eo solum posita est, quod possit resistendo prohibere, ne obiectum agat, amouendo videlicet phantasma, siue obiectum, sed etiam in eo quod præsente obiecto, & agente quod fuũ est, voluntas possit liberè consentire, vel dissentire, vt perspicuum est ex illo exemplo, quod sanctus Augustinus proponit in lib. 12. de Ciuit. Dei, cap. 6.

Præterea nihil eorum, quæ nominantur ab auctoribus primæ, & secundæ Sententiæ, tale est, vt in voluntatem agere possit. Nam Phantasma in primis facilè excluditur, tum quia animæ à corpore separatæ phantasmatibus carent, & tamen sine dubio aliquid appetũt, atque in eo actum voluntatis exercent: tum etiam quia phantasma res est corporalis, ac per hoc in voluntatem, quæ potentia spiritalis est, vim habere non potest.

Deinde obiectum nõ maiore difficultate excluditur. Siquidem sæpenumero accidit, vt non sit in re, sed tantum in cogitatione, vt cùm ægrotus appetit sanitatẽ, vel eligit sumere pharmacum, quod nondum est paratum. Quo pacto autem re ipsa in voluntatem, & quidem actiuè, aliquid operabitur id, quod non est?

Ad hæc sæpè obiectum est aliquid priuatiuum, actus autem volũtatis positiuus: vt cum nolumus mortem, aut refugimus quodcunque malum. Qui autem fieri potest, vt priuatiuũ sit causa efficiens positiui, & det alteri quod in se ipsum non habet?

Denique intelligentia, seu ratio proponens obiectum (quæ vna supereſt) ab hac actione nullo negocio remouebitur: TVM quia actio intelligentiæ est immanens, ac per hoc tota recipitur in ipsa mente intelligente, nec transmitti potest ad aliam potentiam: TVM quia est causa necessaria, & idcirco tota periret humana libertas, si voluntatis actum effectiuè ipsa produceret.

Sed hæc ratio postrema vtrinque labefactari potest. Nam si ratio non potest actiuè mouere volũtatem, quia intelligentia est actio immanens: eadem ratione nõ poterit voluntas actiuè mouere rationem, aliásque potentias, quia voluntatis actio est etiam immanens. ITEM non videtur sequi, vt actio voluntatis non sit libera, si producatur ab intelligentia, quæ est causa necessaria. Nã intelligentia non est causa integra, sed partialis: & propterea si voluntas, quæ est altera causa partialis, nolit concurrere, nulla sequetur actio, etiamsi intelligentia, necessariò quod suum est operetur.

RESPONDEO, ad PRIMAM obiectionem, Voluntatem non mouere actiuè rationem, aut alias potentias, quasi in illis aliquid imprimat: sed dici eas mouere actiuè, quia est impulsio quædam totius suppositi ad opera exercenda omnium potentiarum. Itaque ipse homo quia per voluntatem desiderat vera cognoscere, se ipse impellit ad exercendam intelligentiam, & idem de aliis potentiis intelligendum est. Neque potest contra dici, hoc eodem modo actiuè moueri voluntatem à ratione, vt videlicet homo, quia per rationem cognoscit bonum, se ipse impellat ad illud bonum per voluntatem amandum. Nam ratio, siue intelligentia, non est impulsio, seu inclinatio, sed potius susceptio, & apprehensio: voluntas autem ex natura sua est inclinatio, & impulsio non solum sui, sed etiam (vt diximus) totius suppositi.

Ad ALTERAM obiectionem, RESPONDEO, Tũc solum partialem causam posse liberè agere, & non conferre vim suam, quãdo vtrãque causa partialis immediatè concurrit ad effectum producendum: non autem si altera causa alteram moueat, & per eam mediatè concurrat ad opus. Exempli causa, si duo necessarij sint ad aliquod

aliquod onus ferendũ, sine dubio nulla sequeretur actio, si alteruter desit: etsi liberum sit vni concurrere ad onus ferendum, & non concurrere, poterit etiam libera esse actio, quamuis alter fortasse necessariò concurrat. At si vnus arrepta, vi, manu alterius per eam literas pingat, aut aliquid aliud agat, non erit in potestate eius, qui violenter mouetur, scribere, & non scribere literas, & simpliciter scriptio erit necessaria, si is qui mouet alterum, necessariò mouet. Non enim fieri potest, vt hic necessariò moueat, & alter non necessariò moueatur.

Iam igitur intelligentia, & volũtas, si vt partiales causæ concurrant ad producendum actum voluntatis, non possunt immediatè concurrere ad effectum ipsum producendum. Nam actus voluntatis est actus immanens, & vitalis, ac proinde non potest immediatè produci, nisi ab interno, & vitali principio, immo etiam à tali principio, id est, appetitu rationali. Itaque sicut absurdum est dicere, intelligentia vult, ita quoque absurdum est dicere, intelligentia producit immediatè actum voluntatis: nihil est enim aliud actus voluntatis, quàm ipsum velle. Quare si vllo modo intelligentia produceret effectiuè actũ voluntatis, certè produceret mouendo ipsam voluntatem. Ex quo sequeretur, vt periret voluntatis libertas, vt in argumento nostro posuimus, quia intelligentia est causa necessaria, & ea necessariò mouente voluntatem, fieri non posset, quin voluntas necessariò moueretur.

DICES, actio recipitur in patiente per modum recipientis, atque ab eo temperatur, & modificatur. Itaque cùm voluntas sit potentia libera, actio intelligentiæ, quamuis in se necessaria sit, tamen recipietur in voluntate libero quodam modo, ac per hoc effectus etiam liber, non necessarius erit.

RESPONDEO, Id verum esse quoad specificationem, non quoad exercitium. Quia enim actio agentis recipitur per modum recipientis, ex actione intelligentiæ in voluntate, producetur actus voluntatis, non actus rationis: & hoc modo dabit speciem actui causa immediata, nõ causa mediata: At quoad exercitium, non videtur intelligi posse, quomodo actio agentis necessariò recipiatur libere in patiente. Nam si actio est, necessariò etiam passio est: ac per hoc si intelligentia necessariò mouet voluntatem, necessariò volũtas mouetur: moueri autem est velle, igitur si intelligentia necessariò efficit in voluntate ipsum velle, voluntas necessariò vult.

CAPVT XI.

Soluuntur argumenta contra doctrinam capitis superioris.

SED etiam argumenta soluenda sunt, nõ quidem omnia, sed præcipua, quæ ab auctoribus contrariæ sententiæ fieri solent.

PRIMVM argumẽtum cũ duobus sequẽtibus est eorũ, qui existimant, volũtatem esse potentiam tantum passiuam. Sic igitur illi ratiocinantur, Omne quod mouetur, ab alio mouetur: nam alioqui simul esset in potentia, & in actu, si aliquid se ipsum moueret: quod enim mouet, esse debet in actu, quod mouetur in potentia: Voluntas autem mouetur, igitur ab alio mouetur. Nihil verò est, quod verisimilius voluntatem actiuè mouere possit, quam phantasma siue obiectum cognitum, aut ipsa ratio obiectum proponẽs: igitur ab his, aut aliquo horum voluntas actiuè mouetur.

RESPONDEO, Illa propositio, omne quod mouetur, ab alio mouetur, solet adferri tamquam à Philosopho pronunciata: sed ille nusquam scripsit, omne quod mouetur ab alio moueri. Deinde intelligentia cùm se ipsa intelligit, nonne se ipsa mouet? & nonne proprium dicitur esse viuentium seipsa mouere? neque tamen inde sequitur, vt idem eadem ratione sit in actu, & in potentia: erit enim in actu, ratione virtutis motricis, erit in potẽtia, ratione termini, ad quem tendit. Hoc enim modo quod mouet ad locum, non est necesse, vt sit actu in eo loco, sed satis est si virtutem habeat mouendi ad eum locum. Et eodem modo intelligendi facultas ex cognitione principiorum, quam actu habet, mouet ipsa se ad cognitionem conclusionum, quam habet in potentia. Sic igitur voluntas ex amore finis, quem habet actu, mouet se ad amorem mediorum, quem habet in potentia: & circa ipsum finem est in actu, ratione inclinationis cuiusdã generalis ad bonum, per quam mouetur ad particularem inclinationem ad hoc aut illud bonum: & est in potentia ratione huius particularis inclinationis, quam non semper habet.

SECVNDVM argumentum, Inter mouens, & motum est relatio realis: at eiusdem ad se non est relatio realis: igitur non potest esse idem mouens, & motum.

RESPONDEO, Propositio nõ est vera in vniuersum, sed tunc solum, cùm extrema sunt re ipsa distincta. Nam cùm quis se ipse intelligit, idem omnino sunt agens, & patiens, & obiectum, neque inter ea relatio realis fingi potest.

TERTIVM argumentum, Potentia indeterminata debet ab aliquo determinari, igitur à se vel alio: non autem à se, quia ex se est indeterminata, igitur ab alio.

RESPONDEO, Voluntas ideo libera dicitur, & est, quia sic est indeterminata, vt ipsa se determinare possit. Itaque nõ se determinat, qua est indeterminata, sed qua est actiua, & libera.

QVARTVM argumentum cum cæteris est eorum, qui existimant voluntatem humanam ex parte esse actiuam, & ex parte passiuam. Adducunt igitur testimoniũ sancti Thomæ, qui in 1. par. q. 80. art. 2. scribit, voluntatem esse potentiam passiuam, respectu obiecti cogniti.

RESPONDEO, Idem sanctus Thomas in 1. 2. q. 9. art. 3. dicit. voluntatem mouere se ipsam, & 1. part. q. 82. art. 4. & de verit. q. 22. artic. 12. dicit, voluntatem moueri ab intellectu, proponente obiectum tãquam à fine. Ex quibus locis intelligimus, à sancto Thoma vocatam esse voluntatem potentiam passiuam, largo modo, nã & ipsum moueri ab obiecto per modum finis est quoddam pati, si agere, & pati accipiantur pro omni genere causæ.

QVINTVM argumentum, Notitia subsistens in Deo producit actiuè amorem, cùm Verbum spirat Spiritum sanctum; igitur notitia quælibet etiam non subsistens, producet actiuè amorem: non enim subsistentia mutare potest genus causalitatis, Quare sanctus Augustinus, libro 15. de Trinit. cap. 23. & 26. absolutè pronunciat, Amorem à cognitione procedere.

RESPONDEO, Notitia subsistens producit actiuè amorem, nõ quia notitia est, sed quia diuina est, & habet omnia, quæ habet Deus Pater, ac per hoc habet etiam voluntatem, & ipsum velle Patris. Itaque eadem voluntate, qua Pater, & eadem actione Spiritum sanctum producit. Quod autem sanctus Augustinus dicit, si de diuina cognitione accipiatur, eodem modo intelligẽdum erit: si de cognitione in vniuersum, tum dicemus à cognitione produci amorem, quia bonum cognitum est causa finalis, & obiectiua amoris. Quicquid enim amamus, ideo amamus, quia intelligimus esse bonum, & naturæ nostræ conueniens.

SEXTVM argumentum, Ratio per vltimum iudicium practicum trahit voluntatem, & eam quodammodo rapit ad opus: sic etiam cùm primum terribile aliquid occurrit animo, non possumus non timere: & cùm aliquid valdè iucundum, non possumus non lætari: igitur saltem in huiusmodi intelligentia actiuè voluntatem mouet.

RESPONDEO, Voluntas mouetur necessariò à iudi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cio vltimo rationis, & à repentinis occursibus rerum magnarum, non quod ratio actiuè moueat, sed quia voluntas in huiusmodi habet se per modum causæ naturalis quæ præsente obiecto, non potest non agere.

SEPTIMVM argumentum, Si volũtas ad præsentiam extrinsecam obiecti, se ipsa actiuè moueret, non posset reddi ratio, cur non essent omnes eius actus eiusdẽ speciei, talis enim est effectus, quale est principium formale in ipso agente: cur igitur, si formale principium in voluntate est vnum, id est, natura voluntatis, non sunt omnes effectus eiusdem speciei? Item si volũtas ad præsentiam extrinsecam obiecti per se operatur, cur nõ etiã mens ad præsentiam obiecti cognoscit, nisi speciem ab illo recipiat? cur item sensus non cognoscit sine immutatione actiua ab obiecto? cur ligna non se ipsa comburunt ad præsentiam ignis?

Ad explicationem huius difficultatis, SCIENDVM, est, in omni actione requiri quatuor causas, Materiam, siue Subiectum: Efficiens: Formam: & Finem. Ex his autem Materiam, & Efficiens, & rursum Formam, & Finem aliquando idem, & vnum esse. Nam cùm actio est immanens, idem est Efficiens, & Subiectum: in rebus verò naturalibus idem est finis, & forma: efficiens enim id propositum habet, vt effectum producat similem suæ formæ. In his autem quæ fiunt ex arte, finis & forma non sunt idem. Nam non intendit qui facit aliquid ex arte producere effectum similem arti, per quam agit, sed ideæ, quam gerit in mente.

Iam igitur in actu voluntatis, subiectum est ipsa volũtas, efficiens, eadem voluntas Nam (vt diximus) actus voluntatis est immanens, qui necessariò in eo recipitur, vnde procedit. Forma intrinseca, per quam volũtas agit, est inclinatio quædam naturalis ad bonum, in qua virtute includuntur omnes particulares inclinationes, & est ipsa quasi semen quoddam, vnde prodeunt omnes volitiones. Sed quoniam ista inclinatio generalis ex se indifferens est ad multa, propterea requiritur alia forma extrinseca, quæ determinet priorem quoad specificationẽ, hæc est obiectum ipsum mente conceptũ, & iudicatũ vt conueniens, quod etiam finis est actionis. Tendit enim actio voluntatis ad acquisitionem obiecti. Est autem hæc actio voluntatis valdè similis motui locali animalium, in quo videmus efficiens, & subiectum esse idem: formam intrinsecam esse vim motricem, Finem autem esse ipsum (Vbi) extrinsecum, & ab eo specificari motũ.

SCIENDVM est præterea, ab obiecto in mente concepto, specificari quidem (vt diximus) actionem voluntatis, sed tamen specificari finaliter, non actiuè. Nam nõ potest in re distingui gradus specificus à generico, quasi possit aliquid actiuè concurrere ad producendum effectum, quo ad gradum specificum, nisi concurrat ad eundem effectum producendum etiam quoad gradum genericum. Eadem enim entitas est substãtia rei, & species rei. Itaque actus voluntatis specificatur ab obiecto, sed non producitur vllo modo actiuè ab obiecto: quemadmodum & motus & localis specificatur à loco, siue ab (Vbi) a quo tamen nulla ratione producitur.

Ex his ad argumentum propositũ RESPONDEMVS, actus voluntatis esse diuersarum specierum, quia diuersa sunt obiecta, ad quæ per inclinationem voluntas fertur. Neque id est proprium voluntatis, sed commune est non solum motui ad locum (vt iam diximus) sed etiam actibus intelligentiæ, & omnium sensuum. Specificantur enim illi omnes non à forma intrinseca ipsarum potentiarum, sed ab obiectis. Commune quoque est omnibus artificiatis, & si quid aliud est in quo finis non coincidat cum forma intrinseca ipsius agentis.

Ad ALIVD de intelligentia, & sensibus, quæ nó operantur ad solam præsentiam obiecti, nisi ab illo aliquid recipiant, RESPONDEO, Rationem discriminis esse in promptu. Nam potentiæ apprehensiuæ non sunt in actu primo, nisi recipiant similitudinem obiecti, & ideo sunt ex natura sua potentiæ partim passiuæ, partim actiuæ: appetitiuæ autem potentiæ sunt in actu primo per inclinationem generalem ad bonum. Et ideo simpliciter sunt actiuæ, & se ipsæ mouent ad præsentiam obiecti, quamuis ab eo nihil recipiant.

Ad ILLVD de lignis, quæ non se ipsa comburunt ad præsentiam ignis, facilis RESPONSIO est. Nam ligna non continent vim comburendi, neque virtute, neque actu: voluntas autem continet virtutem, per quam omnia bona potest appetere. Atque hæc de ista quæstione sufficiant.

CAPVT XII.

Per liberum arbitrium non experimala, sed bona.

SEQVITVR disputatio de obiecto liberi arbitrij, propter illam particulam definitionis, in qua diccbamus, liberum arbitrium esse eorum, *quæ ad finem aliquem ducunt*. Erit autem TRIPARTITA tractatio; PRIMVM enim quæremus, Vtrum ad obiectum liberi arbitrij pertineant bona, & mala, an solum bona. DEINDE, bona præsentia, & futura, an futura tantum. DENIQVE an solum media ad finem, an etiam ipse finis.

De PRIMA quæstione pauca dicenda erunt. Nam tametsi Gulielmus Okam in libro 3. sentent. quæstione 13. dubio 3. scripserit, volũtaris obiectum esse ens, quod bonum, & malum comprehendit: ac per hoc posse volũtatem ferri in malum sub ratione mali: tamen communis sententia Theologorum est, Voluntatis obiectum proprium, & primarium esse bonum, siue aliquid apprehensum sub ratione boni: malum autem non pertinere ad obiectum voluntatis, nisi secundario, & per accidens, quatenus videlicet malum nolumus, & ideo nolumus, quia bono, quod per se volumus, contrarium est. Id quod tum alij permulti, tum præcipuè sanctus Thomas docet in 1. part. quæst. 20. artic. 1. Item in 1. 2. quæst. 8. artic. 1. & in lib. 3. contra gentes, cap. 16. & 17.

Rationes pro hac vera, communi quod attinet hæ sunt. PRIMA est auctoritas. Sic enim docent ex nostris, Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum pag. 65. Dionysius in lib. de diuinis nominibus, c. 4. Augustinus lib. 2. Confess. cap. 6. Boetius lib. 4. de consolatione. Damascenus lib. 2. de fide, ca. 22. Ex externis, Aristoteles lib. 1. Ethic. cap. 1. & Seneca in lib. 4. de beneficiis, cap. 7. Deinde sunt hæc argumenta.

PRIMVM, Inclinatio voluntatis in suum obiectum est naturalis, igitur auctor eius est Deus. Quare non potest esse nisi bona. At si obiectum voluntatis esset malum, & inclinatio eius esset mala: immo esset inclinatio in perniciem propriam: quod sine dubio naturali inclinationi repugnat: proinde esset naturalis, & non naturalis, à Deo, & non à Deo: quæ sunt contradicentia.

SECVNDVM, Ens, vt omnia omnino comprehendit, est proprium obiectum intelligentiæ, non igitur esse potest obiectum voluntatis. Neque enim diuersarum potentiarum idem obiectum esse potest.

TERTIVM, Voluntas magis appetit id, quod est vtilius appetenti, quàm quod est in se præstantius, vel nobilius. Quis enim non multò malit vnum aureum nummum, quàm decem muscas, aut viginti culices? igitur obiectum voluntatis non est eus absolutè, sed bonum, & conueniens.

QVARTVM, obiectum appetitus non potest esse nisi id, quod est appetibile. At bonum est, quod omnia appetunt, vt scribit Philosophus initio primi libri Ethicorum. Igitur bonum propriè est obiectum voluntatis.

SED

SED videamus quid contra aduersarius adferat. Argumentum Gulielmi non est nisi hoc, si quis non possit velle malum, & nolle bonum: non poterit mereri, & demereri circa hos actus, quod videtur absurdum. Nam si Christianus iudicet malum esse colere idola: non poterit velle colere idola, ac proinde non poterit circa hoc peccare, & demereri: & simul nõ poterit mereri detestando cultum idolorum, quia circa quod non possumus demereri, circa idem nec possumus mereri.

RESPONDEO, Poterit Christianus velle colere idola, tametsi iudicet id esse malum absolutè, quia poterit iudicare id esse bonũ sibi, vel ad euadenda tormenta, vel ad conciliandã sibi gratiã Ethnicorũ, vel alia quacũque de causa. Quod si quis apprehendat cultũ idolorũ solum sub ratione mali, non poterit quidem illum velle, tamen mereri poterit, & demereri, quoad exercitiũ actus, quia poterit non detestari eum actum, quando tenetur detestari: poterit etiam detestari, quando liberè posset non detestari, & hoc modo demerebitur, vel merebitur.

Præter hoc argumentum solent proponi alia quatuor argumenta. PRIMVM est ex Scriptura, quoniam Ecclesiastici 15. *Ante hominem vita, & mors, bonum & malum. Quod placuerit ei dabitur illi.* RESPONDEO, Bonum potest reiici, quia potest apprehendi sub ratione mali: & malum potest eligi, quia potest apprehendi sub ratione boni. Atque hoc solum est, quod docet Ecclesiasticus.

SECVNDVM argumentum ex Augustino, & Bernardo, scribit enim sanctus Augustinus in libro 2. confess. c. 4 se in furto non amasse nisi peccatum. Et S. Bernardus serm. 35. ex paruis, scribit, Diabolum, & alios quosdam diligere malum, quia est malum. RESPONDEO, sanctus Augustinus explicat in eodem libro, cap. 9. se amasse in eo furto ipsum peccatum, sed sub ratione boni delectabilis, quia videlicet gaudebat cum aliis sociis suis fallere vicinum suum. Ad quem modum intelligendum est etiã quod scribit sanctus Bernardus: Diabolus enim diligit malum nostrum sub ratione boni sui, existimat enim sibi vtile esse, si multi pereant.

TERTIVM argumentum, Intelligentia cognoscit verum, & falsum: cur igitur & voluntas non velit bonũ, & malum? RESPONDEO, Intelligentia apprehẽdit verum, & falsum: sed cum iudicandum est, vero consentit, à falsò dissentit. Porrò voluntas sequitur intelligentiam non simpliciter vt apprehendentem, sed vt iudicantem. Idcirco sicut intelligentia veritati consentit, à falso dissentit: ita voluntas eligit bonum, reiicit malum.

QVARTVM argumentum, Potest voluntas nolle bonum sub ratione boni, quia potest Deum, qui summũ, ac purum est bonum, odio habere, sicut eundem potest diligere: igitur potest etiam velle malum sub ratione mali: siquidem nolle bonum, & velle malum eiusdem rationis sunt. RESPONDEO, potest quidẽ voluntas humana Deum odisse, sed sub ratione mali, id est, grauis, & incommodi. Sic enim impij Deum cogitant, iudicem seuerum. Et quia nollent pœnas dare scelerum suorum, ideo Deum esse, vel certè omnia scientem, & omnipotentem esse nollent. Quare negandum est, posse voluntatem nolle bonum sub ratione boni, sicut etiam contra velle malum sub ratione mali. Sed de his hucusque dictum sit.

CAPVT XIII.

Liberum arbitrium esse tum præsentium tum futurorũ.

ALTERA quæstio circa obiectum liberi arbitrij est. Vtrum liberum arbitrium sit etiã præsentium, an tantum futurorum: hoc est, habeat ne homo in potestate actiones suas futuras tantum, an etiam præsentes. TRES enim de hac re sententiæ esse videntur.

PRIMA Petri Lombardi in lib. 2. sentent. dist. 25. Itẽ Gulielmi Okam, & Gabrielis in 1. sent. dist. 38. qui docent, actiones præsentes esse necessarias, quoniam id omne quod est, dum est necesse est esse: proinde solum in potestate esse liberi arbitrij.

ALTERA sententia est Gregorij Ariminensis, in 1. sent. dist. 39. qui censet inchoationem actionis etiam in præsenti liberam esse posse, tamen continuationem aliquam omnino esse necessariam. Nam etiamsi possit aliquis nõ inchoare actionem, & ideo libera sit inchoatio: tamen si inchoetur, non potest in illo ipso puncto temporis desinere, quia esset, & non esset, quæ sunt contradicentia, si in illo ipso instanti desineret, in quo primum extitit: nec potest in proximo etiam instanti desinere, quia non inueniuntur duo instantia immediata: igitur necessariò ad tempus aliquod continuabitur.

TERTIA sententia communior in scholis, ac sine dubio verior est, quam, præter cæteros explicant, & tuẽtur Io. Scotus in 1. sent. dist. 39. Capreolus in 2. dist. 25. Et Herueus quodlib. 1. quæst. 1. dub. 6. Habet igitur hæc sententia, liberum arbitrium in potestate sua non solum futuras actiones habere, sed etiam præsentes nec tãtum inchoationem, sed etiam continuationem.

Probatur pars prior. Nam si liberum arbitrium non esset præsentium, sequeretur, vt nec posset esse futurorum. Non enim verè dici potest, hoc liberè fiet, si in præsenti non potest verè dici, hoc liberè fit. Sed neque verè dici poterit, hoc liberè factum est: si non potuit in præsenti verè dici, hoc liberè fit. Itaque tota peribit libertas.

DEINDE, si præsentium actionum nulla esset vera libertas, Deus non esset verè liber, quippe cui nihil est præteritum nihil futurum. Hoc autem falsum, atque absurdum esse suo loco posteà demonstrabimus.

TERTIO sequeretur, Christum in primo instanti cõceptionis, & Angelos in primo instanti creationis, neque boni aliquid meruisse, neque mereri vlla ratione potuisse, quod certè doctrinæ scholarum minimè consentaneum esse videtur.

QVARTO, Illud quoque efficeretur, vt nũquam piis operibus aliquid mereremur. Non enim meremur quando nihil agimus, vt notum est, neque meremur quando aliquid agimus, quia non liberè agimus, si ad præsentia non est libertas, nunquam igitur meremur.

DENIQVE accedit & illud absurdum, vt qui peccant, tunc minimè peccent, quando maximè peccant: nam tum maximè peccat quis, cùm est in ipso actu, & ardore peccati, at si præsentium non est liberum arbitrium, ille qui actu peccat, non liberè peccat, proinde nec peccat.

Quo argumento probatur etiam pars illa posterior de continuatione. Nam si necessariò continuari debet actio, & in ipsa continuatione non est libertas, sequitur, hominem per aliquod tempus benè operando non mereri, & malè agendo non peccare. At certè valde absurdum est, vt bona, vel mala actio, per hoc solum quod perseuerat, & continuatur desinat esse bona, vel mala.

Neque argumenta contraria aliquid efficiunt. Obiiciunt enim PRIMO sententiam illam Philosophi, *Omne quod est, dum est, necesse est esse*, lib. 1. de Interpretatione c. vlt. SED facilis est RESPONSIO: loquitur enim Philosophus de necessitate conditionata, non de absoluta. Quemadmodum enim si quis dicat, si homines inter se disputant, necessariò loquuntur: disputant autem: igitur necessariò loquuntur: illa propositio, necessariò loquuntur, non intelligitur absolutè, sed ex hypothesi, in hunc sensum, posito quod illi disputent, fieri non potest, quin loquantur: absolutè tamen liberè loquuntur, nó necessariò: quia poterant pro arbitrio disputationem non inchoare, & inchoatam eadem possunt libertate dimittere: sic etiam cùm dicimus, Id quod est, quando est, ne-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cessariò est, de necessitatè conditionata, non de absoluta accipi debet. Siquidem actio, si libera sit, non potest quidem non esse, quando est: tamen absolutè, nó necessariò, sed contingenter fluit à sua causa, & in quolibet momẽto potest interrumpi, & dimitti.

Posset etiam per aliam distinctionem argumentum solui. Nã id quod fit, potest considerari DVOBVS modis, VNO modo, vt iam in se, & extra causas suas, & hoc modo ipsum fieri, transiit in factum esse, & præsens in præteritum, & ideo non potest res illa non esse, dum est, quia non potest non facta esse, quæ facta est: ALIO modo, vt fluit à causa, siue vt habet ordinem ad causam, & hoc modo, si causa est libera, aut contingens, potest res illa non esse, & contingenter est, non necessariò, quia videlicet ordinem ad causam non necessarium, sed contingentem habet.

Obiiciunt SECVNDO, Liberum arbitrium eorum esse. quorum est consultatio: at consultationem non præsentium, sed futurorum esse: igitur & liberum arbitrium non præsentium, sed futurorum esse. RESPONDEO, liberum arbitrium non solum esse eorum, quorum est cõsultatio, sed etiam eorum, quorum fuit consultatio, & ipsius quoque consultationis. Nam & liberè in præsenti consultamus de futuris: & liberè eligimus in præsenti, quod antea consultauimus.

Obiiciunt TERTIO, Non posse in eodem instanti aliquid fieri, & desinere, quia simul esset, & non esset, quæ sunt contradicentia: & rursus non posse desinere in proximo instanti, quia non datur proximum instans: proinde necessariò actionem esse continuandam ad aliquod tempus, ac per hoc actionem, dum continuatur non esse, liberam, sed necessariam. RESPONDEO, Non posse quidem in eodem instanti aliquid esse, & non esse, tamen posse in eodem instanti incipere, & desinere. Quia quæ desinunt in instanti, in quo fiunt, incipiunt per primum sui esse, & desinunt per vltimum sui esse.

Itaque non dicitur de eiusmodi rebus, hęc res nũc est, quia incipit esse: & nunc non est, quia desinit esse: sed dicitur hæc res nunc est, quia incipit esse, & post hoc non erit, quia desinit esse. Porrò multa esse, quæ non continuantur, sed in eodem instanti pereunt, in quo nascũtur, perspicuum est ex ipsis instantibus in tempore. & mutatis esse motu. Actiones etiam spirituales omnes, & ipsam illuminationem corporalem in instanti fieri, & per primum sui esse incipere, ac per vltimum sui esse desinere, notissimum est. Nihil igitur argutiæ Ariminensis cõtra veritatem efficiunt.

CAPVT XIV.

Liberum arbitrium non esse finis, sed mediorũ ad fidẽ.

PROSTREMA quæstio est, sit ne obiectum liberi arbitrij finis, an id quod est ad finẽ, siquidem Philosophus in libro 3. Ethic. capite 2. & 3. non semel repetit, electionem, & consultationem non esse finis, sed mediorum tantum ad finem. *Nemo enim* (vt ipse dicit) *consultat, an debeat esse felix, neque eligit felicitatem, sed consultat de mediis: & ex iis illa eligit, quæ optima videntur esse ad felicitatem assequendam.*

Contra autem sanctus Ioannes Damascenus, in 2. libro de fide, cap. 22. scribit, hominem non solum liberè consultare, & eligere, sed etiam liberè appetere, & velle. Appetere autem, & velle propriè ad finem pertinere videntur. Nam ex appetitione, & voluntate finis mouemur ad quærenda, & eligenda media. Sanctus etiam Thomas in 1. 2. quæst. 10. artic. 2. docet, hominem esse liberum, quoad exercitium, etiam circa appetitionẽ summi boni.

Denique non videtur posse in dubium reuocari, quin liberè diligamus Deum, qui est summus atque vltimus finis, quandoquidem amor Dei est actus maximè meritorius, & ei corona vitæ, tanquam merces parata est, dicente Apostolo Iacobo, *Accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se*, Iac. 1.

SED res est facilis, nam si consideremus quicquid aliquo modo pertinet ad liberum arbitrium, tunc non solum media, sed etiam finis ad liberũ arbitriũ pertinebit: siquidem intentio finis libera esse potest, vt Damascenus rectè docet. Si verò consideremus præcipuum actum liberi arbitrij, qui est electio, tunc sola media, non autem finis ad liberum arbitrium pertinebunt, vt Aristoteles probat. Cæterùm sæpe finis induit rationem medij, & eo modo ad obiectum liberi arbitrij pertinere potest. Et quidem in finibus subordinatis nemo nescit, quin vnum, & idem nunc finis, nunc medij rationem habeat, ac per hoc res eadem, vt finis, sub consultationem, & electionem non cadat, vt medium, cadat. Exempli causa, sanitas finis est medicinæ. Propterea non consultat medicus, an expediat curare ægrotum, neque eligit sanitatem, sed appetit, atque intendit sanitatem, & ex amore huius finis mouetur ad quærenda media, & eligenda pharmaca. Iudex autem cuius finis non est sanitas priuati hominis, sed pax, & incolumitas ciuitatis: consultat non solum de sanitate, sed etiam de vita priuatorum hominum, an videlicet vtile sit certos homines membrorum truncatione, aut etiam morte mulctare pro pace, & salute ciuitatis. Porrò magnus aliquis Princeps, qui multis ciuitatibus imperat, non habet pro fine pacem vnius ciuitatis, sed regni totius incolumitatem, ac proinde consultare poterit aliquando, vtrum expediat ad regni totius conseruationem ciuitatem aliquam rebellem penitus euertere, ac delere.

Quod autem attinet ad vltimum finem, non potest ille quidem induere rationem medij, sed potest tamen appetitio eius esse medium ad eundem finem assequẽdum. Ita desiderium felicitatis dum peregrinamur à patria, liberum est quoad exercitium, & ipsa dilectio Dei, mediũ est aptissimum ad assequendam beatitudinem. Atque hac ratione omnia conciliantur, quæ initio parum inter se cohærere videri poterant.

SED existit non exigua dubitatio de primo amore finis, qui in voluntate oriri cœpit, cùm ipsa ab actu omnino cessaret, an videlicet ille etiam amor sit liber, an verò necessarius. TRES enim Theologorum sententiæ numerantur, duæ extremæ, tertia media.

PRIMA Scoti, & Henrici est: ille enim in quodlib. 21. hic in quodlib. 12. quæst. 26. docent, primum actum voluntatis, siue primum amorem finis non solum elici à voluntate, sed etiam simpliciter esse liberum.

ALTERA sententia in altero extremo est Capreoli. qui eam sancto Thomę etiam attribuit. Capreolus igitur in 2. sentẽt. distinct. 24. quæst. 1. art. 3. ad 8. & distinct. 25. quæst. 1. art. 3. ad 7. docet, primum actum voluntatis esse quandam complacentiam actualem erga bonum in vniuersum, eamque ita fieri à solo Deo, vt ad eam voluntas, nonnisi passiuè concurrat.

TERTIA sententia planè media, & meo iudicio verior est Caietani in 1. 2. quæstion. 9. art. 4. Et Ferrariensis in lib. 1. contra gentes, cap. 23. & in 3. cap. 89. qui docent, primum actum voluntatis fieri efficienter ab ipsa voluntate, sed tribui Deo auctori, quoniam sit naturalis. & sequatur ex inclinatione illa naturali, quam Deus in volũtate impressit: ad eum ferè modum, quo grauia, & leuia dicuntur moueri à generante. Et hæc sententia videtur esse verè sancti Thomæ in 1. 2. quæstion. 9. art. 4. & 6.

Et quidẽ primum actum voluntatis elici actiuè ab ipsa voluntate, cõtra Capreolũ, facilè probari potest, quoniam si complacentia illa est actualis, vt is fatetur, certè erit actus voluntatis: si actus voluntatis, certè immanens, & vitalis, & ergo ab ipsa voluntate actiuè procedet.

Propter

Propter hanc rationem idem Capreolus in eadem quæst. 1. distinctionis 25. art. 3. in responsione ad 1. Hẽrici, contra 2. conclusionem, dicit, complacentiam illam non esse actum secundum (fatetur enim omnem actum secundum elici actiuè à voluntate) sed actum primum. Et si quidem per actum primum intelligeret inclinationem naturalem, quæ semper est in voluntate, facilè cum aliis sancti Thomæ sectatoribus conueniret: sed cum addit in eodem loco, actum istum primum nunquam esse sine actu secundo, apertè significat, per illam complacẽtiam actualem intelligendum esse aliquid superadditum inclinationi naturali, quod imprimatur à Deo in voluntate, quotiescunque illa est proditura in actum. Istud autem superadditum, videtur omnino gratis excogitatum, & cùm non sit potentia, neque habitus, neque actus, vix intelligi potest quid sit.

Iam verò primam appetitionem finis esse naturalem, & Deo auctori tribuendam, hac ratione probat egregiè sanctus Thomas: Omne quod agit, agit propter finem, siue ex appetitione finis: ergo quando voluntas mouet se, & agit, ex appetitione finis se mouet, & agit: ergo antequam se moueat, & agat, debet habere appetitionem finis: ergo ad primam finis appetitionem non se ipsa mouet, neque propriè agit, sed mouetur, & agitur ab auctore naturæ, per naturalem inclinationem voluntati impressam. Alioqui enim si ad primam appetitionem finis se ipsa moueret, & ageret, deberet ex alia appetitione finis se mouere, & agere, & sic daretur appetitio prior primâ, vel certè processus in infinitum.

Et confirmatur hæc ratio à simili. Nam intelligentia dicitur agere, & se mouere, cùm ex principiis per proprium discursum indagat conclusiones: at cùm ipsa principia cognoscit, non dicitur propriè agere, aut se mouere, quia non per discursum inuestigat eorum principiorum cognitionem, sed illam habet ex naturali lumine à Deo creatore impresso: sic igitur & volũtas propriè agit, cùm ex amore finis per consilium eligit media ad assequendum finem: non autem cùm ipsum finem ex naturali inclinatione sibi à Deo indita, incipit appetere.

At contrà OBIICIVNT aliqui, si voluntas ad primã appetitionem finis moueatur à Deo, sequi, vt actus ille sit naturalis, ac per hoc non sit liber: id autem repugnat non solum experientiæ, sed etiam ipsi sancti Thomæ doctrinæ. Nam in prima parte, quæstione 63. articulo 5. concedit sanctus Thomas, in primo instanti suæ creationis, Angelos meruisse apud Deum: nõ est autem meritũ, vbi non est libertas. RESPONDEO, Primus actus volũtatis naturalis dicitur, & à Deo, quia nascitur ex naturali inclinatione, non ex appetitione actuali finis: tamen idem actus liber esse potest, quoad exercitium, ac proinde in tantum liber, in quantum requiritur ad meritum. Nam idem sanctus Thomas in prima secundæ, quæstione decima, articulo secundo, docet, quoad exercitium in hac vita, hominem esse liberum, respectu cuiuscunque obiecti, etiamsi sit ipsum bonum in communi.

Obiiciunt SECVNDO. Nullum fore discrimen inter animalia, & inanima, si ipsa etiam humana voluntas non se ipsa moueat, cùm elicit actum suum, sed moueatur à Deo eo modo, quo grauia, & leuia mouentur à generante. RESPONDEO, discrimen inter animalia, & inanima, non est quærendum in primo actu (quamuis & in eo non desit aliqua differentia) in quo animalia operantur per modum naturæ, sed in sequẽtibus actibus. Nam præhabita cognitione, & appetitione finis, animalia per se quærunt modum acquirendi illum finem, inanima verò, quæ non cognoscunt, neque appetunt proprio aliquo actu finem, non possunt per se quærere modum acquirendi finem, sed sicut naturaliter inclinantur ad suum finem, sic etiam naturaliter ad illum feruntur ab illo acta, & mota, qui naturam eis dedit.

Inter animalia verò rationis expertia, & ratione prædita hoc interest, quod tametsi vtraque naturaliter appetant finem, quoad specificationem: tamen rationis expertia naturaliter eum appetunt, etiam quoad exercitiũ: ratione prędita quoad exercitiũ appetunt liberè. ITEM, quod ex amore finis animalia rationis expertia se mouẽt ad media, quæ ducunt ad illum finem motu animali, & sine deliberatione: ratione prædita, motu rationali, id est, cùm consilio, & collatione mediorum, ac per hoc cum deliberatione & electione.

CAPVT XV.

Subiectum liberi arbitrij non posse esse nisi naturam intelligentem.

DISCVTIENDA nunc est illa particula definitionis (*intelligentis naturæ*) quæ breuiter explicat subiectum liberi arbitrij, id est, quæ res prædita sint libero arbitrio.

SEX omnino sunt res, quæ in quæstionẽ venire possent, res inanimæ, plantę, bestię, homines, Angeli, Deus. Ac vt certa separemus à dubiis. PRIMVM, extra cõtrouersiam est, nihil eorum, quæ cognitione carent, siue sint inanima, vt elemẽta, & lapides, siue animata, vt herbas, & plantas, liberũ arbitriũ habere posse. Neque enim fieri potest, vt non careant libero arbitrio, quæ omni arbitrio carent.

DEINDE certum est animantia rationis expertia prædita esse quadam imagine, & quasi adumbratione liberi arbitrij, non tamen vero, propriequè dicto libero arbitrio. Prædita esse bestias imagine quadam liberi arbitrij, quæ liberum arbitriũ metaphoricè nominari possit, perspicuum est ex eo, quod earum appetitio aliquo modo est indifferens ad multa, non ita ad vnum tantùm alligata, vt potentia calefactiua ignis ad calefaciendũ, & similes. Deinde, quod quasi iudicio quodã vti videntur. Oues enim in campis vnam herbam carpunt, aliam negligunt, lupum fugiunt, canem sequuntur: equi, & canes terrentur minis, alliciuntur blanditiis. Denique quod non solum iudicium, sed quædam etiam miram prudentiam, & sagacitatem præ se ferant in operibus suis, vt aranea, formica, apis, hirundo, & alia. Quocirca Plutarchus opusculum quoddam inscribere ausus est, quod animantia bruta ratione vtantur: Laurentius autem Valla, non per iocum, vt Plutarchus, sed seriò bestiis rationem attribuit in sua dialectica, ca. 9. attributurus iisdem sine dubio etiam liberum arbitrium, nisi illud hominibus denegasset.

Cæterùm carere bestias omnes libero arbitrio propriè dicto, testatur Philosophus in 2. libro de anim. tex. 157. testatur Gregorius Nyssenus in 1. lib. de Philosophia, cap. 1. Et in lib. 5. cap. 4. testantur omnes Theologi, & Philosophi, quos longum esset, minimèque necessariũ huc adducere. Testatur ipsa diuina scriptura in Psal. 31. cùm ait: *Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus.* Et in Psal. 48. *Comparatus est iumentis insipientibus, &c.* Testatur denique etiam ratio. Nam potentia suprema, quæ est in bestiis, siue imaginatio, siue æstimatiua nominetur, corporalis, ac materialis est, proinde pertingere non potest ad cognitionem vniuersalem, quæ fundamẽtũ est ratiocinationis, neq; potest reflecti ipsa in se & iudicare de suo iudicio, quod est fundamentũ libertatis.

Neque his repugnat, quod earum appetitio videatur indifferens ad multa. Nam indifferentia illa determinatur per naturale iudicium, cui reluctari non queunt. Et quẽadmodum homines in certis rebus habent conditionalem necessitatem, sed absolutam libertatem: sic etiam contrà, bestiæ habent conditionalem libertatem, & absolutam necessitatem. Possunt enim hoc potius, quam

Universidad de Deusto
Biblioteca

illud appetere, si æstimatiua eorum ita iudicet: sed æstimatiua necessariò iudicat vnum. Habent enim bestiæ à natura determinata iudicia, neque possunt vnum conferre cum altero, vt suprà diximus. Atque hinc nascitur, vt omnia animantia eiusdem generis, semper eodem modo operentur. Omnes enim oues lupos fugiunt: omnes hirundines eodem modo nidificant. Omnes apes eodem modo mellificant, omnes aranеæ eodem modo insidiãtur muscis, omnes formicæ eodem modo grana recondunt. neque præterea aliud norunt.

AT (inquiunt) terreri minis, atque allici blanditiis, videtur esse manifestum indicium rationis. SED non ita est. Illud enim oritur ex eo, quod ex memoria verberum, aut beneficiorum cognoscunt aliquid boni, vel mali sibi demonstrari: & non possunt id non cognoscere, & æstimare, aut iudicium eiusmodi non sequi.

Ad hæc certum est, hominem absolutè consideratum esse liberi arbitrij. Neque enim hæretici de hac re contendunt, sed solum de homine per peccatum primi parentis, de statu suo deiecto, de qua re in sequenti libro disseremus. Perspicuum est autem illud Ecclesiastici testimoniũ, c. 15. *Reliquit hominem in manu consilij sui, &c.*

Neque minus est certũ, Angelos libero arbitrio præditos esse, præsertim si absolutè secundùm naturã suam consideretur, ante confirmationem in bono, vel obfirmationem in malo. Nã imprimis literæ sacræ de Angelis ita loquũtur, vt de rebus intelligẽtibus, vt cõstat ex Gen. c. 18. & 19. ex Tobia, c. 12, ex Luca, cap. 1. & 2. Et ex aliis plurimis locis. Vbi autem intelligentia est, ibi sine dubio & libertas est. DEINDE, scriptura testatur, Angelos esse naturæ præstantioris quàm homines, Psal. 8. *Minuisti eũ paulo minus ab Angelis.* Igitur si homines libero arbitrio præditi sunt, cur non multò magis Angeli? AD HAEC, scriptura diuina testatur. Angelos aliquãdo peccasse, & punitos esse, 2. Petri 2. *Angelis peccantibus non pepercit.* At peccatum, & pœna peccati sine arbitrij libertate esse non possunt. DENIQVE, sancti Patres dissertis verbis liberũ arbitrium Angelis tribuunt. Vide Irenæum li. 4. c. 71. Basilium in li. de Spiritu sancto, c. 16. Augustinũ in li. de correptione, & gratia, c. 10. Gregoriũ homil. 7. in Ezech. & Damascenum lib. 2. de fide cap. 3. & 4.

Vna supereſt dubitatio, sit ne Deus etiam verè ac propriè liberi arbitrij. Nã & multi contra senserunt, & argumenta nõ contẽnenda difficilem quæstionem efficiunt. PRIMVM igitur non defuerunt ex Philosophis, qui dicerent, Deum ex necessitate agere, quorum sententiam refert sanctus Thomas in li. 2. contra Gent. c. 23. & quãuis sanctus Thomas non indicauerit nomina eorũ Philosophorum, tamen commentator eius Franciscus Ferrariensis scribit, eos esse Aristotelem, & Auicennam. Et sanè non solus Ferrariensis, sed etiam Henricus, Scotus, & alij in horum Philosophorum numerum referũt Aristotelem, nec sine causa, vt cognosci potest, ex lib. 8. physic. tex. 10. & sequẽtibus. Et lib. 12. Metaph. tex. 30. & 38.

In eodem errore versatus est ex Christianis, Petrus Abailardus, teste Thoma VValdensi lib. 1. doctrinalis fidei, cap. 10. docuit enim prædictus Petrus, Deum non posse facere, nisi ea, quæ facit. Quod idem postea docuit Io. VViclef. vt constat ex eius Trialogo, c. 10. & 11. Et ex Thoma VValdensi, qui eum refellit, lib. 1. doctrin. fidei, c. 10. & sequentibus. Idem approbat Lutherus, qui in assert. artic. 36. dicit, etiam esse VViclefi sententiam, quæ habet omnia ex necessitate absoluta euenire. Martinus quoque Bucerus in lib. de cõcordia doctrinæ, c. de libero arbitrio, satis apertè tradit, Deum necessariò agere quicquid agit, nec posse aliter facere.

Denique Io. CALVINVS, lib. 1. Instit. c. 16. §. 3. docet, Deum non posse facere, nisi id quod facit. *Sane* (inquit) *omnipotentiam sibi vẽdicat, ac deferri à nobis vult Deus, non qualẽ Sophistæ fingunt, inanẽ, ociosam, & ferè sopitam: sed vigilẽ, efficacem, operosam, & quæ in continuo actu versetur.* Et paulo post: *Ideo* (inquit) *censetur omnipotens, non quod possit quidẽ facere, cesset autem, sed quia, &c.* Vbi vides à Caluino reprehendi communem Theologorũ (quos ipse Sophistas vocat) sententiam, quæ habet, Deum multa posse facere, quæ non facit, & contrà, posse multa nõ facere, quæ facit, & idcirco verè, proprieque liberum esse.

Argumenta pro sententia aduersariorum multa sunt, & grauia. Videtur enim libertas arbitrij, qua quis potest velle hoc aut illud, & velle hoc aut non velle, repugnare æternitati, immutabilitati, simplicitati, aliisque attributis Dei. Immõ cum velle in Deo sit idẽ quod esse, si velle Deo posset non esse, ipse etiam Deus posset non esse: vel si esse Deo est simpliciter necessariũ, quo modo velle Deo non erit etiam simpliciter necessariũ? Sed hæc omnia planius exponentur, cùm refellenda erunt.

CAPVT XVI.

Probatur, Deum esse liberi arbitrij.

SENTENTIA Theologorum, quæ sine dubio verissima est, probabitur à nobis PRIMVM, ex diuinis literis, & testimoniis Patrum, aduersus hæreticos, DEINDE, naturalibus, aduersus Philosophos. Psal. 113. *Omnia quæcunq; voluit, fecit.* Psal. 111. *Magna opera Domini exquisita in omnes volũtates eius.* Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Et 1. Cor. 12. *Hæc autem operatur vnus & idem Spiritus, diuidẽs singulis prout vult.* Ex his, & similibus locis efficitur. Deum operari per cognitionem, & voluntatem, & res creatas tales esse quales Deus esse voluit, non quales necesitas coẽgit.

Sed rursus habemus alia loca, quibus ostenditur, Deũ posse facere, quæ non facit, & contra non facere quæ facit. Daniel. 3. *Potens est Deus, nos de manibus tuis, ô Rex, liberare: quod si noluerit, statuam tamen, quã fecisti, non adoramus.* Hoc loco scriptura docet, potuisse fieri, vt Deus nollet liberare tres pueros de fornace, quos tamen liberare voluit, & re ipsa liberauit. Hester 13. *Non est qui possit tuæ resistere volũtati, si decreueris saluare nos, cõtinuo liberabimur.* Hic præterquam quod significatur, potuisse Deum non facere quod fecit, habetur etiam vocabulum decernẽdi, quod propriè ad liberum arbitrium pertinet.

Similis locus est Sapien. 11. *Nõ erat impossibilis manus tua, immittere illis multitudinẽ Vrsorũ, aut audaces leones, &c.* Nec tamen id fecit: quare poterat facere quod non fecit. Ibidẽ: *Misereris omniũ, qui omnia potes, dissimulãs peccata hominũ propter pœnitentiã.* At certè nõ verè dicitur, dissimulare peccata is, qui nõ punit, quia nõ potest, sed is, qui cũ possit non vult. Matt. 3. *Potẽs est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* In quẽ locũ Hieronymus, Chrysostomus, Theophilactus, nec non Ambrosius in cap. 3. Lucæ scribũt, ex veris, propriéque dictis lapidibus posse Deũ excitare filios Abrahæ, quamuis id nunquã fecerit. Matt. 19. *Facilius est Camelum per foramen acus transire, quã diuitem intrare in regnum cœlorum.* Et paulo post: *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum omnia possibilia sunt.*

Nec valet, si quis dicat, posse fieri, vt camelus transeat per foramen acus, si redigatur ad subtilitatem tenuissimi fili. Quemadmodum olim Pelagiani dicebant, posse diuitem saluum fieri, si venditis omnibus pauper fieret alioqui non posse. Hoc (inquam) non valet, quoniã Dominus ait, hoc impossibile esse hominibus, Deo autem esse omnia possibilia. Non est autem impossibile hominibus efficere, vt Camelus transeat per foramen acus, si ad fili tenuitatem antea redigatur. Itaque sanctus Gregorius Nazianzenus lib. 4. de Theologia affirmat ex hoc Euangelij testimonio, posse Deum facere, vt Camelus, manens Camelus, transeat per foramen acus: quod tamen nec fecit, nec vnquam fortasse faciet.

Matth. 26. *An putas quia non possum rogare Patrem meũ, & exhi-*

bebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum? Poterat igitur Christus orare Patrem, vt mitteret ad se plusquam duodecim legiones Angelorum: & pater mittere poterat: & tamen neuter fecit, quod poterat facere. Ad hunc locum respondit VVicletus, potuisse Christum à Patre legiones petere, nõ à quibus defenderetur, sed quæ sibi eo tẽpore adessent. Potuisse quoque Patrẽ mittere eas legiones, si voluisset, sed non potuisse velle.

At inepta responsio est. PRIMVM enim certum est, hoc loco non agi de simplici assistentia Angelorum, sed de præsidio aduersus vim, quæ in Christum parabatur. Dicuntur enim hæc verba Apostolo Petro, qui nitebatur gladio Dominum protegere, vt intelligeret, non esse opus Christo tali defensione, qui aliam longè maiorem in promptu haberet.

DEINDE, esto, de simplici assistentia ageretur, adhuc probamus, posse Deum facere quæ non facit, quia potuit mittere plusquam duodecim legiones Angelorum, qui Christo assisterent, quas tamen non misit.

DENIQVE, Deum potuisse, si vellet, sed non potuisse velle, ineptissimè dicitur, nisi Christum ipsum ineptè loquutum esse dicamus. Voluit enim Christus docere se liberè, non autem coactum subire mortem. Id autem demonstrat ex eo, quod poterat facilè à Patre præsidium multorum millium Angelorum impetrare. Quæ Christi demonstratio nihil valebat, si Pater non poterat velle mittere præsidium, quod petebatur. Vide Hieronymum & Chrysostomum in Commentariis ad hunc locum.

Marci 14. *Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me.* Perspicuum est ex hoc loco, possibile Deo fuisse transferre calicem passionis. Quare quod tamen factum non est, ciuium Romanorum reprehendit Apostolus gentiles, quod cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. At non debetur gratiarum actio, nisi ei, qui liberè agit, & beneficia præstat, cum possit non præstare. Igitur Deus liberè agit, & liberè procreauit res humanas.

Accedant nunc testimonia Patrum. Sanctus GREGORIVS NAZIANZENVS, in epist. priore ad Cledonium, *Asserunt* (inquit) *Deo possibile esse hominem etiam sine mẽte saluare. Possibile etiam sine carne, suo velle.* Vbi sanctus Gregorius respondet obiectioni Apollinaristarum, qui dicebant, Christo in incarnatione defuisse mentẽ humanã. Verbum enim pro mente fuisse. Id autem probabant, quia possibile erat Deo saluare genus humanum, etiamsi mentem non assumpsisset: respondet (inquam) Gregorius, possibile Deo fuisse saluare genus humanum, etiamsi non solum mentem, sed etiam carnem non assumpsisset: Sola enim voluntate sine incarnationis mysterio potuit Deus mundum instaurare. Fecit igitur Deus ex Gregorij sententia id, quod potuit non facere, proinde non necessario, sed liberè fecit.

Sanctus GREGORIVS NYSSENVS, in li. de Fato, cap. vlt. *Non enim* (inquit) *sub necessitate est Deus, neque voluntatem eius seruire necessitati fas est dicere. Et enim necessitatis est conditor.* Et infra: *Omnipotens* (inquit) *neque naturæ necessitate, neque legis præscripto operatur, sed sunt illi omnia contingentia, etiam necessaria.*

Sanctus AMBROSIVS in 2. lib. de fide, cap. 5. *Hæc operetur* (inquit) *vnus & idem Spiritus sanctus, diuidens singulis prout vult, id est, pro libero voluntatis arbitrio non pro necessitatis obsequio.*

Sanctus AVGVSTINVS in Enchiridio, cap. 95. *Tunc* (inquit) *in clarissima luce sapientiæ videbitur, quam multa possit* (Deus) *& non velit, nihil autem velit, quod non possit.* Et in libro 13. de Trinitat. cap. 18. dicit, Deum potuisse sumere carnem aliunde, quàm ex Adã, & tamen hoc maluisse. In libro de natura, & gratia, cap. 7. dicit, Christum potuisse resuscitare Iudam a morte spirituali, quo modo excitauit Lazarum a morte corporali, nec tamen fecisse. In lib. de bono perseuerantiæ, c. 8. & 9. dicit, Deum posse facere vt omnes perseuerent vsque in finem: nec tamen facere.

Adde etiam testimonia Hieronymi, Chrysostomi, & Theophylacti suprà citata. Probatur hoc idem ratione fundata in diuinis literis. Qua ratione vtitur Nyssenus loco citato lib. de Fato prope extremo. Multa Deus operatur præter ordinem naturæ, vt cùm Solem stare fecit ad vocem Iosue: & eundem retrocedere ad preces Isaiæ: & obscurari tempore plenilunij ob mortem Saluatoris: Item cum Virgini partum, cæcis visum, surdis auditum, mortuis vitam donauit. At si Deus operaretur ex necessitate naturæ, semper eodem modo operaretur, nec posset nunc seruare naturæ ordinem, nunc immutare, igitur liberè operatur, & pro arbitrio agit, non vlla necessitatis vi ad operandum impellitur.

Iam verò aduersus Philosophos, qui scripturis fidem non habent, his argumentis vti possumus.

PRIMO, Deus est causa efficiens omnium rerum, Intelligentiarum, cœlorum, elementorum, &c. Igitur non necessitate, sed voluntate operatur.

Antecedens probatur. Nam si Intelligentiæ carerent efficienti causa, & vnaquæque earum suum cœlestem orbem produxisset (vt videtur sensisse Philosophus) nulla ratio reddi posset, cur tot essent Intelligentiæ, & non plures, cur tantæ virtutis, & non maioris, aut minoris, cur ita interse subordinatæ, quis deinde procreasset elementa. SIMILIS, non carent Intelligentiæ causa efficiente, nec tamen omnes productæ sunt ab vna, sed prima produxit secundam, secunda tertiam, & sic deinceps. CONTRA nam quæ non posset reddi ratio, cur vltima intelligentia non produxerit aliam. Deinde, saltem hoc habemus à prima substantia, quæ Deus est, non solum productum esse primum orbem cœlestem, sed etiam secundam Intelligentiam.

Probatur nunc eiusdem argumenti consequutio. Nã si prima intelligentia produxit omnia per se, vel saltem suum orbem cœlestem, & alteram Intelligentiam: non potuit non liberè operari. Nam quæ operantur ex necessitate naturæ, determinata sunt ad vnum, nec possunt producere, nisi vnum aliquid simile sibi. Igitur Intelligentia, quæ produxit res tam varias, quales sunt aliæ Intelligentiæ, & corpora, non operatur ex necessitate naturæ, sed ex consilio, & arte. Ac per hoc liberè. Et confirmatur exemplo hominis, qui naturaliter nihil producit, nisi alium hominem: at ex arte res plurimas, & inter se maximè discrepantes, variasque producit.

SECVNDO, Deus est infinitæ potentiæ, ac virtutis, igitur potest res perfectiores, & meliores facere, quàm re ipsa faciat, ac per hoc nunquam operatur secundum totam suam virtutem, quod est proprium eorum, quæ operantur ex necessitate naturæ. Negabunt Philosophi fortasse. Deum esse potentiæ infinitæ, sed certè id planè manifestũ esse videtur. Nã quod ex se est illimitatũ, & infinitum, non potest limitari, & finiri, nisi vel à causa efficiente, vel à subiecto: esse autem ex se, est illimitatum, & infinitum: & in Deo nõ potest limitari, & finiri, cũ Deus causa efficiente, & subiecto careat: igitur in Deo, esse est illimitatum, & infinitum. Quod si, esse, in Deo est infinitum: cur non etiam potẽtia in Deo sit infinita? Esse enim est propter operationem, nec dari potest, esse, cui nõ respondeat potentia operandi, quoniam ociosum esset.

TERTIO, Si Deus ex naturæ necessitate, non liberè, & pro arbitrio faceret, quæ facit, frustra opem eius homines implorarent, frustra essent omnes aræ, sacrificia, vota. Respondebunt fortasse Philosophi, frustra esse hæc omnia, sed refellet eos cõmunis naturę instinctus, & sensus, atque consensus omnium gentium. Omnes enim natura duce in calamitatibus, tollunt oculos ad cœlum, & numinis opem implorant. Tertullianus in Apologetico, cap.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cap.7.cum dixisset,ipsos etiam Paganos in angustiis suis non ad Capitolium, sed ad Cœlum respicere, ac ita loqui solere,Deus videt.Deo commendo, Deus mihi reddet,subiungit, *O testimonium animæ naturaliter Christianæ.* Nimirum naturale esse docuit, in ærumnis vnum Deum inuocare. Vide similia apud sanctum Cyprianum in Tractatu aduersus Demetrianum.

QVARTO, Nihil est quod necessariò appetatur, nisi finis,& quæ cum fine necessariam connexionem habent: At res creatæ non sunt finis Dei,neque cum fine Dei necessariam connexionem habent Deus enim est finis omnium rerum,ac per hoc ipse sibi est finis, neque eget vlla re ad finem suum assequendum, cùm se ipse carere non possit:igitur non necessariò vult res creatas,sed liberè.

QVINTO, Homo est liberi arbitrij, vt Philosophi etiam ferè omnes docent: ergo & Deus liberi arbitrij est. Neque enim fas est vllam perfectionem homini tribuere,quæ non excellentius reperiatur in Deo.

CAPVT XVII.

Soluuntur argumenta contraria.

SOLVENDA restant argumenta, quæ contra Dei libertatem fieri solent. Sed vt ea faciljus solui possint, Dvo quædam sunt breuiter prænotanda.

PRIMVM igitur sciendum est, ex doctrina sancti Thomæ in quæst. 24. de veritate, art. 3. non esse de ratione, & essentia liberi arbitrij posse velle bonum, & malum, aut posse nunc velle vnum, postea nolle, aut non posse eligere, nisi consultatio re ipsa præcedat: sed satis esse, si quis habeat optionem diuersarum rerum, & electio fiat cum pleno, atque perfecto judicio rationis. Nam posse velle bonum,& malum. pertinet ad liberum arbitrium,nõ simpliciter,sed vt est in natura creata, quæ quoniam ex nihilo facta est, deficere & peccare potest.

Itaque talis libertas non solum Deo non conuenit, sed neque etiam Angelis,& hominibus iam beatis, neq; posse eligere malum, perfectio, sed imperfectio est dicenda libertatis. Idem intelligendum est de mutatione actus,posse siquidem actum mutare, & nunc nolle quod antea volebat,nó est liberi arbitrij simpliciter.sed liberi arbitrij naturæ creatæ,quæ quia facta est ex nihilo, conuersioni,& mutationi est obnoxia. Denique, quod electionem præcedat consultatio, non pertinet ad liberum arbitrium,nisi in natura humana,quæ ratiocinando scientiam sibi parat. Nam Angeli, qui simul causam, & effectum cognoscunt,non egent præcedente consultatione, sed simul consilium capiunt,iudicant,& eligunt.

Sciendũ est SECVNDO,ex doctrina Heruei in quodlib. 1. quæst. 1. Ipsum velle Dei DVOBVS modis cõsiderari posse, VNO modo absolutè, & vt est idem quod esse Dei, & hoc modo, non liberum, sed necessarium esse. ALTERO modo, vt dicit ordinem ad obiectum, & hoc modo si obiectum est intrinsecum ipsa videlicet diuina essentia,sapientia,potentia,bonitas,& similia.esse etiam necessariũ:sin autem obiectum est extrinsecũ, vt sunt res omnes creatæ, tum demũ velle Dei nõ esse necessarium, sed liberum. Nam Deus non potest non velle suã essentiam,potentiam,bonitatem,sapientiam, & cætera similia:potest tamen non velle res creatas.

Quare cùm dicimus,Deus liberè vult hoc,aut illud,& potest non velle, non significamus rem illam, quæ est velle, in Deo esse rem liberam, & posse non esse, sed significamus,ipsum velle Dei non necessariò terminari ad rem istam,vel illam.Neq; loquimur de possibilitate, sed de existentia rerum creatarum. Nam possibilitas rerum nihil ponit in re, nisi diuinam essentiam infinitis modis participabilem,diuinam sapietiã, qua cognoscat omnes modos,quibus diuina essentia participabilis est,& diuinã potẽtiam,qua possit res producere, quibus diuina essentia participetur.Non potest autem Deus non habere essentiam infinitis modis participabilem, & sapientiam, qua cognoscat res creatas esse possibiles, & potentiam qua possit eas re ipsa producere.

Cur autem possit voluntas Dei non terminari ad existentias rerum extra se, & liberè super eam cadat, ratio est,quia res illæ non sunt Deo necessariæ, cùm neq; sint finis eius, neque media cum eo fine ex necessitate connexa:ac per hoc non sunt apperibiles absolutè,sed solum ex hypothesi,id est,posito quod velit Deus per eas, gloriam suam manifestare. Ex his facile erit ad argumenta omnia respondere.

PRIMVM argumentum tale est, Arbitrij libertas in eo posita est,vt quis possit velle,& non velle,& velle hoc & non illud : at hoc repugnat immutabilitati diuinæ. RESPONDEO,velle,& non velle in Deo,non significat mutationem actus,sed quod terminetur, vel non terminetur ad tale,vel tale obiectum. Vnde non in Deo,sed in creatura contingit mutatio.

SECVNDVM argumentum,Voluntas diuina non potest non esse conformis sapientiæ diuinæ,sapientia diuina non potest non iudicare,id esse melius,& faciendum, quod re ipsa est melius,& faciendum:igitur voluntas diuina non potest eligere.nisi id quod reipsa est melius, & faciendum : ac proinde non est libera, cùm numquam possit eligere,nisi vnum. RESPONDEO, sapientia diuina iudicat,nihil esse absolutè bonum,& faciendum extra Deum,nisi quod ipse Deus facere,voluerit,& id esse melius, quod ei magis placet. Et hoc fortasse significauit Apostolus ad Ephes. 1. cùm ait,Deum omnia operari secundum consilium voluntatis suæ. Quamuis igitur voluntas diuina semper conformis sit sapientiæ diuinæ, nulla tamen inde sequitur necessitas,quoniam etiam sapientia diuina conformis semper est voluntati diuinæ.

TERTIVM argumẽtum, Velle Dei est necessarium, tum quia est idem quod esse Dei, tum etiam quia necessarium est nobilius contingenti,& Deo tribuendum est, quod est nobilius,igitur velle Dei nõ est liberum. RESPONDEO,Velle Dei est necessarium,quantum ad ipsum actum volendi, non tamen quantum ad ordinem, quem dicit ad creaturam. Et quia esse Dei, non dicit ordinem ad creaturam, ideo esse Dei, necessarium est omnibus modis,& nullo modo liberum:at velle Dei aliquo modo est necessarium,vt videlicet est idem cum,esse : alio modo liberum,vt nimirum terminatur ad rem creatam.

Neque his repugnat, quod necessarium sit nobilius contingente. Nam id verum est de essentia rei, non de causalitate,siue respectu sui, non respectu aliorum. Illa enim essentia est nobilior,quæ magis est necessaria,quia longius abest à defectu, & corruptione : contrà autem causa,vt causa,eo præstantior est,quo liberior est, quoniam quo est liberior,eo minus ab aliis dependet.& sanè magna esset imperfectio in Deo,si à rebus creatis ex necessitate penderet.

QVARTVM argumentum,Deus ab æternitate voluit omnia quæ fecit,facit,& facturus est:ergo iam est determinatus ad vnum,nec potest aliud velle. RESPONDEO, Actus voluntatis Dei, quoad substantiam, & entitatem suam ab æternitate fuit, & est plane determinatus, quia non potest non esse,vel aliter se habere, tamen respectu obiecti creati non est determinatus, & potest aliter se habere, quoniam(vt sæpè diximus)ad res creatas voluntas Dei non habet ordinem necessarium,sed cõtingentẽ.

QVINTVM argumentum, Indeterminatio imperfectionem significat:Illi enim dicuntur indeterminati,qui adhuc ambigunt de rebus agendis : non igitur indeterminatio locũ habet in Deo. RESPONDEO, DVPLEX est indeterminatio, ALIA, quæ oritur ex parte causæ, quæ

quæ non dum est assequuta perfectionem suam,vt possit exire in actum: & talis non est in Deo,sed in illis, qui nõ perfectè rem cognoscunt, & ideo deliberant adhuc, & consultant: ALIA, quæ oritur ex effectu, & qui non habet ordinem necessarium ad causam. Et hæc indeterminatio dicit perfectionem in causa, quoniam significat, causam esse independentem ab vno effectu, & eius contrario & vtroque superiorem.

SEXTVM argumentum, si Deus posset facere quod non facit:haberet potentiam passiuam,& ociosam:quod Deo nulla ratione conuenit. RESPONDEO, Nulla est in Deo potentia passiua, ac multò minus ociosa. Illa enim dicitur potentia passiua, quæ distinguitur ab actu, & nondum reducta est ad actum. Dei autem potentia nõ distinguitur ab actu,cùm sit ipsa diuina essentia, quæ est actus purus. Neque etiam propriè dicitur esse potentia in Deo,respectu actus, quasi possit Deus habere actum, & non habere, sed solum respectu obiecti, quia potest voluntas Dei terminari ad talem, vel talem rem producendam. Itaque nihil aliud est potentia in Deo, nisi voluntas actualis cum habitudine quadã ad res possibiles.

CAPVT XVIII.

De fine liberi arbitrij id est, quare Deus creauerit Angelos,& homines libero arbitrio præditos.

POSTREMA restat quæstio de fine liberi arbitrij, ad illam definitionis particulam explicandam, *Ad magnam Dei gloriam.*

Quæritur igitur, cuius rei gratia Deus condiderit Angelos, & homines cũ libero arbitrio,cùm id solum sit, per quod in Deum peccatum committitur, & vnde omnia mala redundarunt in mundum. Sed res plana est, & quod in definitione liberi arbitrij posuimus, omnium Patrum confessione firmatur,videlicet adinsignem Dei gloriam pertinere, quod naturas intelligentia præditas arbitrij libertate donauerit.

PRIMA igitur ratio,cur Deus homines, & Angelos liberos esse voluerit,ducitur à potentia, & sapiẽtia Dei, quæ in hac re mirificè splendent. Deus enim per hoc, quod Angelos, & homines liberos condidit, ostendit prouidentiam suam nullo modo impediri posse, etiamsi permittat creaturis, quas regit, planè pro arbitrio viuere. An non elucet insignis Dei gloria, si quis cogitet Angelos, & Homines facere quicquid volunt, & tamen velint,nolint, ordinem diuinæ prouidentiæ ab æternitate constitutum perturbare non posse, vt fiat aliquando, quod Deus absolutè non vult, aut non fiat quod absolutè vult?Simile esset,si quis innumerabiles auiculas liberè auolare permitteret, & tamen incredibili artificio id efficere posset, vt omnes ad ea loca pergerent, quo ipse vellet. Vide sanctum Augustinum,cuius est hæc ratio, in Enchiridio cap.95.& sequentibus.

SECVNDA Ratio sumitur à iustitia,& æquitate diuina,quæ in eo perspicuè apparet, quod Angelos, & Homines ita creauit, vt possent benè,& malè agere, & ipse sine acceptione personarum,bonos præmiis,malos supplicijs afficeret. Ita docent sancti Patres,Irenæ.lib.4.ca. 71.Iustinus in Dialogo cum Triphone,& alij.

TERTIA Ratio hæc esse potest, vt diuina bonitas illustretur. Infignis enim Dei bonitas in eo conspicitur, quod non solùm voluit gloriam sempiternam nobiscum communicare:sed etiam addidit,vt eam per propria merita,id est,nobilissimo modo consequeremur.vt annotauit sanctus Gregorius Nazianzenus in 1. Apologetico.

Neque his repugnat, quod Deus, & Christus homo gloriam sempiternam non habent ex meritis, & tamen eam habent modo,sine controuersia,nobilissimo. Nam modus habendi gloriam præstantissimus,est eam habere ex se : porrò ex te gloriam habendi multi sunt gradus. PRIMVS gradus est.eam habere omnino naturaliter,vt sit de essentia eius,qui illam habet.Et hic primus gradus soli Deo proprius est.ALTER gradus, qui soli Christo conuenit,est eam habere quodammodo naturaliter,non ita vt sit de essentia animæ Christi beatitudo, sed vt fluat ab intrinseco. Christus enim vt Deus,se ipse vt hominẽ gratia,& beatitudine donauit. TERTIVS gradus est eorum, qui eam habent ex se, non quia naturaliter habent vllo modo, sed quia per liberum arbitrium gratia Dei adiutum illam sibi acquirunt. Et hoc conuenit Angelis, & hominibus.

QVARTA Ratio fuit, vt appareat infinita magnitudo,& inexhaustus thesaurus diuitiarum Dei. Nã si Deus haberet apud se certam mensuram bonorum, quibus remunerari posset cultores suos, non perinde esset Angelis, & Hominibus liberum arbitrium, quo merita possent augere quantum vellent : sed quoniam diuitiæ Dei sunt infinitæ, neque periculum est, vt aliquando exhaurian-tur,ideo concesit Angelis, & Hominibus facultatem, qua pro arbitrio merita augerent. Simile esset, si quis tã esset dives auri,& argenti, vt pauperibus stipem petentibus thesauros suos ostenderet, sineretq; vt vnusquisque auferret,quod vellet,quomodo nemo prohiberetur ex fonte perenni tantũ aquæ haurire,quantum cupit.

QVINTA Ratio esse potuit, vt innotesceat Deum sibi sufficere,& bonorum nostrorum nullo modo egere. Homines enim qui aliorum opera necessariò indigent, neque se,aut sua tueri sine multorum adiumento possunt, omnino cuperent,&,si valerent,efficerent, vt famuli, ac milites sui à se deficere non possent,& ideo promissionibus,pactis, iuramentis eos deuinciunt, sibique adstringunt quoad valent. Deus autem,quia nullius opera eget, sponte famulis suis libertatem concesit arbitrij,vt & in obsequio permanerent,& imperium detractarent,prout vellent.

SEXTA Ratio ex præcedenti oritur,& infinitam Dei charitatem erga creaturas suas ostendit. Nam cum Deus non egeat hominibus,& si egeret,non multum eis fidere posset, quippe qui tam facile ob libertatem arbitrij à conditore suo deficiunt : æquum esse videbatur, vt non vsque adeo magnam de hominibus curam gereret,& tamen ob nimiam charitatem suam non minorem de ipsis curam gerit, quam si absque illis gloriam, vitamque suam conseruare non posset. Quid enim maius cogitari, fingi ue potest, quàm vt Deus qui bonorum nostrorum non eget, propter homines homo fieri, & mori voluerit?

SEPTIMA Ratio fuit, quod id postulare videretur perfectio,& ornamentum vniuersi. Nã cùm sit aliquid, quod agit,& non agitur,vt Deus:aliquid,quod agitur,& non agit,vt natura rationis expers,æquum erat, vt etiam extaret aliquid,quod ageretur,& ageret. Et talis est natura creata intelligens, & libero arbitrio prædita,qualis est in Angelis,& Hominibus.

Item cùm sit aliquid quod ex nihilo, & liberè operatur,vt Deus:aliquid,quod ex alio,& necessariò operatur, vt res omnes infrà hominem,certè pulchrum erat,si aliquid esset, quod ex alio, liberè operaretur, quales sunt Angeli.& Homines.Nam quòd aliquid ex nihilo, & necessariò operetur, quod est quartum membrum diuisionis, fieri non potest, cùm operari ex nihilo sit summæ perfectionis,operari necessariò summæ imperfectionis.

DICES,cur Deus non attribuit Angelis,& Hominibus liberum arbitrium confirmatum in bono,vt & liberi essent,& tamen peccare non possent. RESPONDIT ad hanc quæstionẽ sanctus Augustinus in lib. 2. de bono perseuerantiæ cap.10.& lib. 22. de Ciuit.Dei, cap. vlt. Deũ ordinatè procedere voluisse,ac primum ostendere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui posset liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, iustitiæque iudicium. Vide quæ diximus in lib. de peccato primi parentis, cap. 2. vbi causam reddere conati sumus, cur Deus creauerit hominem, quem peccaturum esse præuiderat.

Ad ARGVMENTVM autem, quod initio capitis obijciebatur, quod videlicet liberum arbitrium videatur res noxia, cùm id solum sit, per quod fit iniuria Deo, & vnde innumerabilia mala, in ipsos homines redundarũt, facilè RESPONDETVR. Non enim data est homini libertas arbitrij, vt peccaret, sed vt peccata liberè detestãdo mereretur laudem, & gloriam apud Deum. Præterea (vt Eusebius rectè docet in libro 6. de præparat. Euangel. cap. 5.) non dedit homini Deus solam arbitrij libertatem, sed accendit etiam in eius mente lumen intelligentiæ, addidit Syndereſim semper clamantem, vt recta via incederet, incitauit ad virtutem promissione præmiorum, exterruit à vitiis comminatione pœnarum.

AT absurdum videtur, vt Deus aliquid instituerit, quod pro maiori parte vertatur in malum: eiusmodi autem est liberum arbitrium, quo maxima pars hominum abutitur ad peccandum. RESPONDEO, liberũ arbitriũ commune est Angelis, & hominibus, & ideo pro maiori parte liberum arbitrium non in malum, sed in bonum absolutè conuertitur. Nam maior pars Angelorum libero arbitrio benè semper, & vsa est, & vtetur.

AT absurdum saltem esse videtur, vt species humana, maiori ex parte, proprer arbitrij libertatem suo fine frustretur. RESPONDEO. Finis vltimus rerum omnium DVPLEX est, VNVS intrinsecus, & proprius, qualis est, si de hominibus agatur, visio Dei: ALTER extrinsecus, & communis, qui est gloria Dei. Quamuis igitur fine proprio, atque intrinseco species humana maiori ex parte frustretur, tamen semper obtinet Deus gloriam suam, quæ non minus in bonorum remuneratione, quàm in præuaricatorum animaduersione perspicitur.

Adde quod licet maior hominum pars excidat à perfecta adeptione finis intrinseci, & proprij: tamen non excidit à totali adeptione eiusmodi finis. Etsi enim minor pars hominum pertinget ad visionem Dei: tamen maior pars illud assequitur, vt ratiocinari, & viuere secundùm rationem possit. Nõ est autem absurdum, vt minor pars indiuiduorum alicuius speciei, ad perfectam finis proprij consequutionem non perueniat, modò à totali adeptione non excidat.

LIBER QVARTVS, DE GRATIA, ET LIBERO ARBITRIO.

CAPVT PRIMVM.

Exponitur ordo futuræ disputationis.

DISSERVIMVS HACTENVS DE NATVRA liberi arbitrij: nunc de viribus eiusdem arbitrij, & simul de gratiæ necessitate disputare aggredimur.

Sũt autem TRIA genera humanarũ, tum cognitionum, tũ actionũ. Est enim ALIA cognitio naturalis, siue theorica sit, siue mechanica: ALIA est cognitio moralis, id est, notitia eius, quod secundũ virtutẽ est vel agendum, vel omittendum: ALIA deniq; est cognitio supernaturalis, id est, eorum, quæ sciri nõ possunt, nisi diuinitus reuelentur. Sic etiam actionum ALIAE naturales dici possunt, quales sunt ambulare, sedere, colere agros, gerere bella, & alia id genus: ALIAE morales, quibus actiones oẽs virtutum, & vitiorum continentur, vt eleemosynas dare, ieiunare, & similia: & contra, furari, fornicari, & alia eiusdem generis: ALIAE diuinæ, ac supernaturales, quæ propriè ad salutẽ æternam consequendam pertinẽt, vt credere, sperare, diligere, orare, sacrificare, & cætera.

Et quamuis actiones primi generis, quas naturales diximus, & à quibusdã ciuiles etiam nominãtur, in particulari, siue (vt Theologi loquuntur) in indiuiduo necessariò sint bonæ, aut malæ moraliter (iuxta doctrinam S. Thomæ, quam nos vt probabiliorem sequimur) tamen ex genere suo indifferẽtes sunt, & potest etiam fieri, vt aliquis sit liber in eiusmodi actionibus, qua parte naturales sunt, & non sit liber qua parte sunt morales, vt si quis existimet omnia opera infidelium esse peccata, is fortasse dicet, habere hominem infidelem liberũ arbitrium ad colendum agrum, & non colẽdum, quatenus colere agrum est opus naturale: non autem habere, quatenus est opus morale, quia poterit colere agrum, vel non colere, sed non poterit in eo opere vlla ratione vitare peccatum.

Nos igitur de singulis his cognitionum, actionumq; generibus TRES tractabimus quæstiones: VNAM, egeatne homo auxilio gratiæ specialis ad res naturales cognoscendas: ALTERAM, egeatne auxilio ad res eadem peragendas: TERTIAM, admisso gratiæ adiumento, sit ne opus illud in libera hominis potestate. Quare NOVEM erunt præcipuæ quæstiones, prætet alias, quæ harum occasione discutiendæ erunt.

PRIMA quæstio erit, an ad cognoscendũ verũ naturale indigeamus gratia: SECVNDA, an ad actiones naturales, vt tales sunt, egeamus etiam gratia. TERTIA, an ad eadem actiones, etiam vt tales sunt, habeamus liberum voluntatis arbitrium. QVARTA, vtrum sine auxilio gratiæ cognoscere possimus verũ morale. QVINTA, vtrum ad moralia opera, id est, ad præcepta seruãda, & peccata cauenda opus habeamus auxilio gratiæ. SEXTA, vtrũ sit in nostra potestate benè, & malè agere moraliter. SEPTIMA, sit ne auxilium gratiæ necessarium ad cognoscendum verum supernaturale. OCTAVA, sit ne idem auxiliũ gratiæ necessarium ad actiones diuinas, credendi, sperandi, diligendi, &c. NONA, sit ne homo liberi arbitrij in eiusmodi actionibus supernaturalibus, atque diuinis.

CAPVT II.

Posse cognosci viribus naturæ Deum esse, & esse vnum, & alia id genus.

PRIMA igitur quæstio tractãda se offert, Vtrum ita læsa sit mens humana per peccatum, vt non possit solis naturæ viribus cognoscere aliquod verum mechanicum, vel theoricum naturale. Nam de verò morali, & supernaturali posteà disseremus.

Est autem communis omnium sententia, posse cognosci solo lumine naturæ, multas veritates theoricas & mechanicas, quæ in scientiis, & artibus humanis, & naturalibus continentur. Id quod etiam Caluinus fatetur in 1. li. Instit. c. 2 & in li. 2. c. 2. Vna solùm controuersia remanet, Vtrum Deum esse, & esse vnum, cognosci possit lumine rationis absque speciali gratiæ auxilio.

Nam Ioannes Caluinus loco notato scribit, Ethnicos solo lumine naturæ cognouisse generatim, Deum esse aliquem, non tamen in veri Dei notitiam, qui vnus, & solus est, deuenisse. Tilmannus etiam Heshusius in li. de erroribus Pontificiorum tit. de libero arbitrio, num. 11. inter errores posuit id, quod habetur in Catheciſmo Romano, lumine naturali cognosci posse, Deum esse, & esse vnum. Ex nostris quoque Petrus ab Alliaco in 1. sent. q. 3. scripsit, non posse de Deo quicquam cognosci sine speciali adiutorio gratiæ.

At contra sentiunt ferè omnes Theologi, ac præsertim S. Thomas li. 1. contra gentes c. 12. & 43. vbi non dubitat, errorem appellare sententiam eorum, qui docent, non posse naturali ratione demonstrari, Deum esse. Et certè quod naturali ratione demonstratur, naturali lumine cognoscitur: neque opus est ad assentiendum iis, quæ naturali ratione demonstrantur, auxilio gratiæ speciali, cùm sine labore iis assentiamur, quin etiam non assentiri nulla ratione possimus.

Probatur igitur hæc veritas PRIMVM ex diuinis literis: Iob 36. *Omnes homines vident eum, sed vnusquisq; intuetur procul.* Quo loco dicuntur homines videre Deum, quia omnes habent lumẽ naturale, quo pertingere possunt ad cognitionem veri Dei: tamen procul eum intueri dicuntur, quia non possunt cognoscere nisi communia quædam, vt esse, & esse vnum, esse bonum, &c. quæ ex rebus creatis colliguntur. S. Greg. li. 27. Moral. c. 2. & Beda lib. 3. in Iob cap. 5. ita hunc locum exponunt, quorum verba paulò post inter aliorum Patrum sententias referentur.

ALTER locus est Sap. 13. *Si tantum potuerunt scire, vt*

Universidad de Deusto
Biblioteca

essent est: mare seculum, quomodo huius Dominum non facilius inuenerunt? Ex quo loco discimus, verum & vnum Deum naturaliter posse cognosci, & non solum Deum in communi, vt dicitur de vero Deo, & falsis Diis. Nam si quis existimet Solem aut Lunã esse Deos, aut homines mortuos, vt Iouem, & Martem tanquã Deos honoret, is non potest dici inuenisse mundi Dominum, neq; simpliciter, neque ex sententia auctoris libri Sapientiæ: non simpliciter, quia verè, neque Sol, neque Luna, neq; Iupiter, neque Mars est mundi Dominus, non etiam ex sententia huius sacri auctoris. Quia ipse fatetur ab iis, quos reprehendit, quod mundi Dominum non inuenerint, habitos fuisse pro Diis Solem, & Lunam, & homines mortuos.

TERTIVS locus est Act. 17. *Quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inueniant, quamuis non longè sit ab vnoquoque nostrum.* Est enim sententia huius loci, interprete Chrysostomo, & Oecumenio, tam esse facilem, & obuiam Dei notitiam ex rebus creatis, vt ferè palpari, & attrectari queat, quomodo tractantur ea, quæ ante pedes, & oculos iacent.

QVARTVS locus est Rom. 1. *Reuelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei iniustitia detinent, quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles. Quia cum cognouissent Deum, non sicut Deũ glorificauerunt.* Hoc loco significat Apostolus sapiẽtes mundi ex rebus creatis verum Deum cognouisse. Nam si non cognouissent verum Deum, non dicerentur veritatem in iniquitate detinuisse, neque absolutè pronunciaret Apostolus: *Cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt:* neq; propter cognitionem numinis in genere dicerentur *inexcusabiles*, circa peccatum idololatriæ. Non enim inexcusabiles essent colentes idola pro Diis, si nullum alium Deum cognouissent, aut cognoscere potuissent.

PRAETEREA ex hoc loco intelligimus, Deum manifestasse Deitatem suam Philosophis, nõ per reuelationem specialem, sed per species rerum creatarum: nã cum dixisset B. Paulus: *Deus illis manifestauit*, cõtinuò explicat, quemadmodum manifestauerit, ac dicit: *Inuisibilia enim ipsius per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Et hoc modo locum istum exponunt, Chrysostomus, Ambrosius, & alij in commentario, & præterea Augustinus multis in locis, quæ paulò post adferentur.

DENIQVE ex hoc loco colligimus Philosophos cognouisse non solum Deum esse, sed etiam liberè agere, & prouidere rebus humanis. Nam alioqui non reprehenderentur, quod gratias non egissent. Non enim debetur gratiarum actio ei, qui ex necessitate naturæ operatur, sed ei qui beneficia nobis præstat, cum sit in eius potestate non præstare.

Probatur SECVNDO eadem veritas, ex testimoniis Patrum. S. IVSTINVS Martyr in Apologia ad Imperatorem vltra mediũ, scribit Socratẽ, & alios quosdã Deum verum ita cognouisse, vt ferè Christiani dici potuerint.

S. IRENAEVS li. 2. aduersus Hæreses, cap. 5. habet hæc verba: *Etiamsi nemo nouit patrem, nisi filius, neque filium nisi pater, tamen hoc ipsum omnia cognoscunt, quando ratio mentibus insita mouetur ea, & reuelet, quoniam est vnus Deus omnium Dominus.*

TERTVLLIANVS in Apologetico, c. 17. *Vultis*, inquit, *testimonio comprobemus? quæ licet carcere corporis pressa, licet institutionibus prauis circumsepta licet libidinibus, & concupiscentiis euigorata, licet falsis Diis excancillata, cum tamen respipiscit, & sanitatem suam patitur, & Deum nominat solum, quia proprie verus hic vnus Deus, & bonus, & magnus, & quod Deus dederit omnium vox est, iudicem quoque contestatur illum, Deus videt, & Deo commendo, & Deum mihi reddet. O testimonium animæ naturaliter Christianæ. Denique pronuncians hæc, non ad Capitolium, sed ad cœlum respicit.* Et in libro de spectaculis: *Nemo*, inquit, *negat, quia nemo ignorat, quod vltra natura suggerit, Deum esse vniuersitatis conditorem.*

S. CYPRIANVS tract. 4. de Idolorum varietate: *Quæ est*, inquit, *hæc summa delicti, nolle agnoscere, quæ ignorare non possis?* Et rursus ibidem: *Ergo vnus est, & vbique diffusus est. Nam & vulgus in multis Deum naturaliter confitetur, cum mens, & anima sui auctoris, & principis admonetur. Dici frequenter audimus, ô Deus, & Deus videt, & Deo commendo, &c.*

LACTANTIVS li. 1. diuinarum institutionum, cap. 3. *Nemo*, inquit, *est, qui sapiat, rationemq; secum putet, qui non vnum Deum esse intelligat.*

S. HILARIVS in primum versum Psal. 52. *Quis*, inquit, *mundum intuens, Deum esse non sentiat?*

S. AMBROSIVS in cõmentario c. 1. ad Rom. vel quicunque fuit eorum commentariorum auctor: *Vt Deus*, inquit, *qui naturâ inuisibilis est, à visibilibus cognosci posset, opus fecit, quod opificem sua visibilitate manifestauit.*

S. GREGORIVS NYSSENVS li. 8. Philosophiæ, c. 7. *Non leuis*, inquit, *coniectura existit, singularia gubernari prouidentiâ, quod eius cognitio sit hominibus naturaliter inserta. Necessitate enim aliqua obrui confestim ad diuinum numen, & orationes confugimus, quasi natura nos absque præceptore diuinum auxilium edocente.*

S. HIERONYMVS in commentario c. 1. ad Gal. *Ex quo*, inquit, *perspicuum sit, naturâ omnibus ineſſe Dei notitiam.*

S. IOANNES CHRYSOSTOMVS homil. 9. ad populum Antiochenum: *Deus*, inquit, *illis manifestauit. Quo pacto? quem Prophetam mittens? quem Euangelistam? quem Doctorem, si Scripturæ nondum erant? Inuisibilia ipsius, per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, &c.* Quo loco S. Ioannes Chrysostomus copiosè docet, potuisse Mundi sapientes naturæ lumine cognoscere, Deum orbis terræ conditorem, & moderatorem esse.

S. AVGVSTINVS in libro de spiritu & litera, ca. 12. *Vides*, inquit, *quomodo non eos dixerit veritatis ignaros, sed quod veritatem in iniquitate detinuerint: & quia occurrebat animo vt quæreretur, vnde illis esse potuerit cognitio veritatis, quibus Deus legem non dederat: neque hoc tacuit, vnde habere potuerint: per visibilia namque creaturæ peruenisse eos dixit ad intelligentiam inuisibilis creatoris. Quoniam re vera sicut magna ingenia quærere perstiterunt, sic inuenire potuerunt.*

Item serm. 55. de verbis Domini: *Vnde*, inquit, *illi impij veritatem detinent? nũquid Deus ad quemquam illorum loquitur? nunquid legẽ acceperunt, sicut Israelite per Mosem? Audi quomodo illis Deus manifestauit. Inuisibilia eius per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Interroga mundum, ornatum cœli, fulgorem, dispositionemq; siderum, & vide si non sensu suo, tanquam tibi respondent, Deus nos fecit. Hæc, & Philosophi nobiles quæsierunt, & ex arte artificem cognouerunt.*

Item tract. 106. in Ioannem: *Hæc*, inquit, *est vis vera diuinitatis, vt creatura rationali iam ratione vtenti non omnino, ac penitus possit abscondi. Exceptis enim paucis, in quibus natura nimium deprauata est, vniuersum genus humanum Deum mundi huius fatetur auctorem.*

Item li. 8. de ciuitate Dei, c. 6. *Itaque*, inquit, *quod notum est Dei, ipse manifestauit eis, cum ab eis inuisibilia eius per ea quæ facta sunt intellecta conspecta sunt.* Vbi S. Augustinus multis aliis verbis docet, Philosophos ratiocinando, perque res creatas gradatim ascendendo paulatim ad vnius Dei notitiam peruenisse.

PAVLVS OROSIVS li. 6. c. 1. *Philosophi*, inquit, *dum intento studio quærunt scrutanturq; omnia, vnum Deum auctorem omnium repererunt. Vnde etiam nunc Pagani, quos tam declarata veritas de contumacia magis, quam de ignorantia conuincit, cum à nobis discutiuntur, non se plures Deos sequi, sed sub vno Deo magno plures ministros venerari fatentur. Restat igitur de intelligentia veri Dei, per multas intelligendi suspiciones confusa dissensio. Quia de vno Deo omnium pene vna opinio est. Hucusque humana scrutatio, & si cum labore, deliberare potuit. At vbi ratiocinatio deficit, fides subuenit.*

THEODORETVS serm. 2. de curandis Græcorum affectionibus docet, Platonem cognouisse vnum Deum ex tessera, quam Dionysio in epistola, ad eum scripta, dederat. Scripsit enim Plato epistolam fore seriam, si initio adscribatur, DEVS, ludicram autem, si adscribatur, DII. Hæc enim tessera satis apertè declarat apud Platonem, fabulosam fuisse multitudinem Deorum.

S. GREGORIVS li. 27. Moralium c. 2. *Omnis*, inquit, *homo eo ipso, quo rationalis est conditus, debet ex ratione colligere, eum, qui se condidit, Deum esse. Quem videlicet iam videre, est dominationem illius ratiocinando conspicere. Cum verò dictũ sit, omnes homines vident eum, rectè subiungitur, vnusquisq; intuetur procul, procul quippe eum intueri est: Non iam illũ per speciẽ cernere: sed adhuc ex sola operũ suorũ admiratione pẽsare.*

Deniq; Venerabilis BEDA lib. 3. in Iob c. 5. sic ait: *Per naturæ bonum, notitia creatoris ineſt cordibus hominum.* Et infrã: *Omnis homo hanc vim sapientiæ naturaliter accipit, vt Deum ignorare non possit, nisi aut contemnat, aut negligat.*

Probatur VLTIMO ratione. Nam si Deum esse vnum, non posset cognosci sine gratia Dei speciali, id fieret, vel quia obiectum sit supernaturale, vel quia actio intelligẽdi vnitatem Dei sit valdè difficilis, aut etiam impossibilis viribus solius naturæ: neutrum autem horum dici potest. Nam vnitatem Dei esse obiectum naturale, & nulla ad hoc opus esse reuelatione, testatur Sapiens, ca. 13. cũ ait: *A magnitudine speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit horum creator videri.* Testantur etiam demonstrationes plurimæ à naturalibus effectis ductę, quibus Deũ esse vnum probant Ioannes Damas. li. 1. de fide, c. 5. Richardus de S. Victore li. 1. & 2. de Trinitate, & S. Thomas li. 1. contra gentes, c. 43. Quod autem demõstrari potest naturalibus rationibus, certè non est supernaturale, nec superat vim intelligentiæ naturalis. Vbi verò demonstratio adfertur, non est difficile assentiri, sed contra potius difficile, vel impossibile est non assentiri. Quare non requiritur auxilium speciale ad hunc actum producendum. Præsertim cùm nec vehementia perturbationum, neque alia caussa iudicium theoricum impedire possit, licet impediant iudicium practicum, & actiones voluntatis.

CAPVT III.

Soluuntur obiectiones.

SED contrà DVO argumenta obiici possunt. PRIMVM est testimonium illud Euangelij: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Item: *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit.* Ioann. 1. ALTERVM est ex Augustin. libr. 10. Confess. cap. 6. vbi dicit, cœlum & terram omnibus hominibus magna voce clamare, ipse fecit nos, & non ipsi nos: sed tamen surdis canere, nisi Deus altius misereatur. Ex his enim S. Ioannis, & S. Augustini testimoniis colligitur, Deum quidem dedisse hominibus argumenta satis magna, quibus eum cognoscere possent, nisi essent cœci: sed tamen per peccatũ primi parentis ita esse totũ genus humanum excœcatum, vt iam Deũ nemo cognoscere possit ex argumẽtis illis, nisi cui speciali gratia Deus illuminauerit mentẽ.

Sed facilè erit argumentum vtrumq; refellere. Nã non esse omnino excœcatos homines per peccatũ primi hominis, in iis etiam, quæ ad Dei notitiam pertinent: perspicuum est ex locis allegatis, Sap. 13. & Rom. 1. *Nam* (vt ipsis verbis S. Augustini vtar, in expositione quarundam propositionum epistolæ ad Romanos, in principio) *quos arguit Salomon Sap. 13. non cognouerunt per creaturam creatorem: quos autem arguit Apostolus, cognouerunt, sed gratias non egerunt.* Non autem arguerentur, qui non cognouerunt, si cognoscere non potuissent: neque cœci sunt, qui aut cognouerunt, aut certè cognoscere potuerunt.

Illud verò: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Et illud: *Mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit.* Intelligenda videntur de Verbo, id est, de filio Dei, ac per hoc, de mysterio Trinitatis: quod fatemur nõ posse cognosci solo lumine rationis. DEINDE, possent etiam ea verba hunc sensum habere, lux diuinæ sapientiæ licet etiam in tenebris, cùm appareat in iis rebus, quæ omni luce sapientiæ carent, id est, in animantibus rationis expertibus, in arboribus, in lapidibus, in rebus cæteris, quæ quod ratione careant, tenebræ dici possunt, & de iis rectè scriptum esse intelligitur, & tenebræ eam non comprehenderunt.

Nec malè cum Chrysostomo, ac Theophilacto dici potest, illud, *& tenebræ eam non comprehenderunt*, idem esse, ac si dictum fuisset, & tenebræ ei non præualuerunt. Lux enim illuminat tenebras, & tenebræ non obscurant lucem: hoc est, lux notitię Dei in hominibus quoq; impiis, quauis tenebrarum multitudine, vel densitate non vincitur. DENIQVE, cum S. Augustino, sanctoq; Cyrillo dici potest, tenebras esse homines ignorantes & peccatores, qui lucem istam non perceperunt, quam tamen si voluissent, percipere potuissent.

Illud autem S. Augustini ex lib. 10. Confessionum, ad rem non facit. Non enim de cognitione, sed de amore loquitur eo loco S. Augustinus: *Domine*, inquit, *amo te, percussisti cor meum verbo tuo, & amaui te. Sed & cœlum, & terra, & omnia quæ in eis sunt, ecce vndique mihi dicunt, vt te amem, nec cessant dicere omnibus, vt sint inexcusabiles. Altius autem tu misereberis, cuius misertus eris. Alioquin cœli & terra surdis canunt laudes tuas.* Itaque sicut nos surdis canere dicimur, cũ ij, quibus multis verbis aliquid suademus, nolunt illud facere, licet satis facilè intelligãt quæ dicimus: sic etiam cœlum, terra surdis canunt laudes Dei, cùm homines ex operibus Dei conditorem quidem agnoscunt, sed non sicut conditorem, diligunt, venerantur, & colunt.

CAPVT IIII.

Requiri, & sufficere auxilium generale ad actiones naturales, & cuiles efficiendas

LITERA quæstio erat de actionibus naturalibus, siue politicis, aut mechanicis abstrahendo à malitia, vel bonitate morali, an eæ possent à nobis fieri solis naturæ viribus. DVO siquidem de hac re contrarij errores aliquando extiterunt.

QVIDAM enim docuerunt, posse homines, vt etiam res cæteras, opera sua efficere sine vllo Dei auxilio, siue generali, siue speciali. Ita videtur sensisse Origenes in lib. 3. de principiis, vt annotauit S. Thomas lib. 3. cõtra gẽtiles, c. 89. ita etiam senserunt Pelagiani, teste S. Hieronymo in epistola ad Ctesiphontem, & li. 1. aduersus Pelagianos. Ita deniq; sensit ex Theologis scholasticis, Durandus in 2. sent. dist. 1. q. 5. & dist. 37. q. 1. qui docet, Deum omnia operari, quæ nos operamur, quia dedit, & conseruat vim operatricem, quæ in nobis est, non quia nobiscum ad opus nostrum efficiendum sua actione concurrat.

ALII verò, fortasse vt ab hoc errore longissimè recederent, contrà senserunt, ita Deum immediatè, & propriè omnia operari, vt caussæ secundæ nihil omnino efficiant, sed ad eorum præsentiam solus omnia faciat Deus. Refert hanc sententiam S. Thomas in q. 3. de potentia, art. 7. eámq; Mahometis sectatoribus tribuit. CAETERVM vterque error Scripturis, Patrum testimoniis, & manifestæ rationi repugnat. Quod breuiter ostendemus, quoniam copiosior disputatio ad Philosophos propriè pertinet.

Igitur secundas caussas, & præsertim homines aliquid verè, ac propriè operari, Scriptura passim docet. Nam Genes. 1. dicit, terram germinare, stellas lucere super terram, aues volare sub firmamento cœli, homines dominari, ac præesse animantibus cæteris. Et aliaid genus frequentissimè in diuinis literis repetuntur.

Sancti quoque Patres id ipsum affirmant, vt Basilius

Universidad de Deusto
Biblioteca

oratione 5. de opere sex dierũ. Ambrosius li. 3. Hexameron, ca. 6. & 8. Ioannes Chrysostomus homil. 5. in Genesim. Augustinus lib. 3. de Trinitate, c. 3. & 4. Ioannes Damascenus lib. 2. de fide, cap. 10.

Denique rationes etiam in promptu sunt. Nam in primis, si neque ignis calefaceret, neq; Sol illuminaret, falleretur sensus circa proprium obiectum, nullúsque esse posset experimentis locus. Certè enim sensus ignem calidum, & Solem lucidum esse iudicat, quoniam ab illo per calefactionem, ab isto per illuminationem immutari se sentit. DEINDE, quorsum Deus rebus naturalibus virtutes operatrices dedisset. Immò quorsum rerum naturas omnino esse voluisset, si omnia ociosa erant futura? DENIQVE, vnde monstra nascerentur, quæ dicuntur, & sunt peccata naturę, si solus Deus omnia efficeret, cùm in Deum error non cadat?

Iam verò humanam voluntatem, vt etiam res cæteras nihil omnino agere posse, nec se vlla ratione mouere, nisi Deus cum illis simul operetur, nec sufficere essentiam, & virtutem operatricem ad operandum, si defit auxilium conditoris. Probatur PRIMVM ex diuinis literis. Nam Act. 17. Apostolus ait: *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Quo loco si Deus solum donaret nobis naturam, & vires ad operandum, eásq; conseruaret, non etiam simul operaretur nobiscum: satis fuisset dicere, In ipso viuimus, & sumus: quorsum igitur additum est, *mouemur*, nisi vt intelligamus, non posse nos moueri sine præsenti auxilio Dei, quemadmodum non possumus esse, & viuere, nisi Deus vitam quam dedit, conseruare voluerit?

Itaque in Deo sumus, quia ipse fecit nos & non ipsi nos: in Deo viuimus, quia ipse nos portat verbo virtutis suæ: in Deo mouemur, quia sine ipso nihil possumus facere. Siquidem illa præpositio *in*, idem valet hoc loco, quod (per) vt sensus sit, per ipsum viuimus, mouemur, & sumus: quemadmodum in illis locis: *In Deo meo transgrediar murum. In Deo faciemus virtutem. Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, nisi in oratione, & ieiunio. Omnia possum in eo, qui me confortat.* Idem Apostolus in epistola priore ad Corint. cap. 10. dicit, Deum operari omnia in omnibus. Quod multò antea scripserat Isaias cap. 26. cùm ait: *Omnia opera nostra operatus es Domine.* Rursus de aliis rebus idem Scriptura testatur, vt cùm in Psal. 146. dicit de Deo: *Qui producit in montibus fenum.* Et Iob 10. *Pelle, & carnibus vestisti me.* Et Hier. 1. *Antequam te formarem in vtero, noui te.* Et Dominus in Euangelio Matt. 6. *Quod si fenum agri Deus sic vestit.* Et Io. 5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.*

Ad hæc, & similia respondebat Pelagius (teste Augustino in libro de gratia Christi, c. 4.) & post eum Durandus loco notato, dici Deum omnia operari, quia virtutes operatrices rebus attribuit. SED refellit hanc responsionem sanctus Augustinus in epistola 146. eo argumento, quòd Deus non solum dicatur omnia operatus, & omnia fecisse, sed in præsenti dicatur operari, cùm legimus: *Qui producit in montibus fenum:* &, *fenum agri Deus sic vestit:* &, *pater meus vsque modo operatur.*

Deinde, si propterea Deus diceretur operari omnia, quia dedit omnibus rebus operatrices virtutes, sequeretur, Deum operari omnia peccata, quia dedit homini, & Angelo liberum arbitrium, quo peccata omnia fiunt. Et apud Durandum id maximè locum haberet, cùm ipse contendat in secundo sententiarum, dist. 44. potentiam peccandi formaliter esse à Deo.

Adde quod Scripturas intelligere debemus non pro arbitratu nostro, sed iuxta communem sanctorum Patrum explicationem: sancti autem Patres ex allegatis Scripturis errorem istum communi consensu refellunt.

EVSEBIVS li. 6. de præparatione Euangelica, cap. 5. *Causa*, inquit, *omnium, & quæ libertatis nostræ sunt, & quæ naturâ fiunt, Deus est.*

S. HIERONYMVS in lib. 1. aduersus Pelagianos, refellit Pelagianos, quod dicerent, posse se absque Dei auxilio scribere, sedere, flere, curuare digitum, aptare calamum, &c. Neque responderi potest, loqui S. Hieronymum de auxilio Dei mediato, vt vult Durandus. Nam vt diximus ex Augustino, & patet etiam ex Hieronymo ibidem, fatebantur Pelagiani, liberum arbitrium esse donũ Dei, & illo mediante posse nostras actiones Deo tribui, & tamen Hieronymus Pelagianos impios, & sacrilegos nominat: *Audite* (inquit in epistola ad Ctesiphontem) *sacrilegum, si voluero curuare digitum, mouere manum, sedere, stare, ambulare, semper mihi auxilium Dei necessarium erit? Audi ingrate, immo sacrilege, Apostolum prædicantem, siue manducatis, siue bibitis, siue quid aliud facitis, omnia in nomine Domini facite.*

S. IOANNES CHRYSOSTOMVS homil. 5. in Genesim: *Quocirca*, inquit, *diuina Scripturæ vestigia sequamur, neque feramus eos, qui aduersa temerè blaterant. Etiamsi homines terram operentur, & iumentorum auxilio fruantur, & magna sit cæli temperies, & omnia alia concurrant, nisi nutus Domini accedat, omnia alia frustra, & in vanum fierent, & nihil proficeret omnis labor, & desudatio, nisi manus Domini superne adiuuaret, & perfectionem his, quæ sunt tribueret.*

S. AVGVSTINVS in epist. 146. q. 2. *Quomodo*, inquit, *negare poterimus, Deum etiam nunc operari cuncta quæ fiunt, cum Dominus dicat, Pater meus vsque modo operatur?* Vide etiam lib. 8. de Genesi c. 20. & seq.

S. ANSELMVS lib. de cõcordia præscientiæ, prædestinationis, gratiæ, & liberi arbitrij, c. 1. *Facit*, inquit, *Deus omnia, quæ iusta, vel iniusta voluntate fiunt, id est, opera bona, & mala. In bonis quidem facit quod sunt, & quod bona sunt: in malis facit quod sunt, sed non quod mala sunt.*

Accedat POSTREMO etiam ratio, nam omnes res creatæ ita pendent à diuina conseruatione, vt ne ad momentum quidem per se, ac sine Deo esse possint. At si aliquid fieret sine Dei auxilio, saltem in primo illo instanti, quo fieret, per se, ac sine Deo esset. Quemadmodum igitur lumen Solis in aëre in primo instanti fit à Sole, & toto reliquo tempore ab eodem conseruatur, nec vllo modo esse potest sine præsentia Solis continuantis esse, quod initio illi dedit: sic etiam omnis effectus cuiuscunque causæ secundæ initio fit à Deo, & ab eodem conseruatur, nec potest vlla ratione incipere, vel durare sine actione Dei dantis, vel continuantis esse. PORRO res omnes creatas perpetuò à diuina conseruatione pendere, nemo est qui neget, cùm Apostolus dicat Hebr. 1. *Portans omnia verbo virtutis suæ.* Et fusè doceatur à sancto Augustino lib. 4. de Genes. cap. 12. & libro 8. capite 12. à S. Ioanne Chrysostomo homil. 10. in Genes. à S. Gregorio libro 16. Moral. capite 18. & à S. Thoma 1. part. quæst. 104. art. 1.

His igitur extremis refutatis erroribus, maneat sententia illa media, & communis in scholis Theologorum, posse ab homine fieri multa opera sine auxilio Dei speciali, vt arare, serere, putare vites, plantare arbores, ambulare, sedere, loqui, & alia id genus, nihil tamen fieri posse sine auxilio Dei generali. Ita enim docet, & probat egregiis rationibus S. Thomas in lib. 3. contra Gentiles, capite 89. Item S. Bonauentura, & cæteri Theologi (Durando excepto) in 2. sentent. distinct. 37.

***

CAPVT

CAPVT V.

Proponitur quæstio principalis, An homo liberum arbitrium habeat in operibus naturalibus, & ciuilibus: & notantur Lutheri, & Melanchthonis contradictiones.

SEQVITVR TERTIA quæstio, quæ vna est ex principalibus, & grauissimis totius huius materiæ quæstionibus: vtrum videlicet homo liberum arbitrium habeat in actionibus illis naturalibus, siue ciuilibus, quas diximus fieri posse cum solo generali auxilio Dei.

Sunt autem TRES de hac quæstione sententiæ. PRIMA est Catholicorum ferè omnium, non solùm esse hominem liberi arbitrij in actionibus suprà explicatis, sed etiam id esse euidens, tum in lumine naturæ, tum in doctrina fidei. Vide præter alios, qui hoc docent, S. Thomam in quæst. 6. de malo, quæ est de electione, & quæst. 24. de veritate (quæ est de libero arbitrio. artic. 1.) Item Gregorium, Gabrielem, & alios in 2. sententiar. dist. 25.

ALTERA sententia est quorumdam Catholicorum, qui affirmant certum esse ex doctrina fidei, hominem esse liberi arbitrij, tamen id non posse naturali ratione conuinci. Ita docuit Ioannes Buridanus in tertio libro Ethicor. quæstione prima, & Andreas de Castro in primo sententiarum, distinctione 45. quem citat Ruardus Tapperus in explicatione art. 7. Louanienſium.

TERTIA sententia, siue potius hæresis manifesta est Laurentij Vallæ in libro de libero arbitrio, Martini Buceri in libro de Cõcordia, articulo de libero arbitrio, & Ioannis Caluini lib. 1. Institutionum, c. 16. §. 8. & lib. 2. c. 4. §. 6. qui docent, non habere hominem, in statu naturæ corruptæ, liberũ arbitriũ vlla in re, ac ne in indifferẽtibus quidem & ciuilibus. Quocirca idẽ Caluinus in lib. 2. Institutionũ, c. 2. §. 4. dicit, optare, se vt tollatur omnino de medio nomen ipsum liberi arbitrij. Eadem fuit sententia multorum veterum hæreticorum, quos c. 7. opportuniore loco nominabimus. Eadem etiam sententia fuerat initio Lutheranismi, ipsius Martini Lutheri, & eius Achatis Philippi Melanchthonis, sed vterque apertissimè retractauit. Quos si Bucerus, & Caluinus imitari voluissent, nulla cum hæreticis huius tẽporis de libero arbitrio in actionibus ciuilibus controuersia remaneret.

Vtile autem erit annotare hanc retractationem & cõtradictionem Lutheri, & Melãchthonis, vt appareat eorum incõstantia in re omnium maxima. NAM LVTHERVS in assertione artic. 36. summam rerum suarum in doctrina de arbitrij seruitute constituit. Sic enim ait: *In cæteris articulis de Papatu. Conciliis, de Indulgentiis, aliisq; non necessariis nugis, ferenda est leuitas, & stultitia Papæ, & suorũ: sed in hoc articulo, de seruitute arbitrij, qui omnium optimus, & rerum nostrarum summa est, dolendum, ac flendum est, miseros sic insanire.* Et in libro aduersus legem Anglorum scripsit, adeo se certum esse de sua doctrina, vt si quis aliter doceret, aut dãnaret, quæ ipse scripsit de fide, de operibus, de libero arbitrio, & similibus: is damnaret Deũ, & oporteret eum manere filium gehennæ.

Videamus igitur constantiam eius, in summa doctrinæ, de qua certissimum se esse iactabat. In assertione art. 36. ita loquitur: *Liberum arbitrium est figmentum in rebus & titulus sine re, quia nulli est in manu quippiam cogitare boni, vel mali, sed, omnia (vt VVicleſi articulus Constantiæ damnatus rectè docet) de necessitate absoluta eueniunt. Quod & Poeta voluit, quando dixit, certa stant omnia lege. Et Christus Matthei 6. Folium arboris non cadet in terram sine patre vestro.* Et infrà: *Non est dubium Satana magistro in Ecclesiam venisse hoc nomen, liberum arbitrium.* Hic apertè Lutherus simpliciter tollit liberum arbitrium omnibus in rebus, iuxta hæresim VVicleſi, & ideo ipsum etiam nomen liberi arbitrij damnat. Ex quo factum est, vt librum aduersus Erasmum inscripserit: de seruo arbitrio.

Sed audi nunc retractationẽ, quæ extat in libro eius de Visitatione Saxonica, quem posteà scripsit, sic enim loquitur in articulo de libero arbitrio: *Multi de libero arbitrio indiscretè loquuntur. Idcirco hanc breuem inf. rmationẽ adscripsimus. Homo habet ex propria virtute liberum arbitriũ ad faciendum, vel omittendum opera externa per legem, & pœnas adactum. Quapropter potest & secularem probitatem, & bona opera facere, ex propria virtute, a Deo ad hæc data, & obtẽta. Paulus enim vocat eam iustitiam carnis, hoc est, quam caro, aut homo ex propria virtute facit. Si ergo operatur homo ex propria virtute illam iustitiam, vtique habet electionem, & libertatem, & fugiendi malum, & faciendi bonum.*

Item ibidem: *Voluntas humana est vis libera, vt facere possit iustitiam carnis, seu iustitiam ciuilem, vbi lege, & vi agitur, vt non furari, non occidere, non mœchari, &c.* Hæc ille, vbi per iustitiam carnis intelligit opera bona externa, non tamen bona simpliciter: ac per hoc docet, posse hominem per liberum arbitrium facere, & non facere, quæ lex iubet, non tamen peccare, aut non peccare. Itaque admittit arbitrij libertatem in actionibus ciuilibus, & externis, quam negauerat in assertione artic. 36. & nomẽ liberi arbitrij recipit, quod à Satana magistro in Ecclesiam veniſſe antea dixerat. Ita damnat ipse articulum suũ optimum, & summam rerum suarum, &, si verum sit, quod scripsit in libro aduersus Regem Anglorum, Deũ damnauit, & oportet eum manere filium gehennæ.

Veniamus ad PHILIPPVM. Is in locis cõmunibus, quos edidit anno M.D.XXI. PRIMO, detestatur nomẽ liberi arbitrij: *Vsurpata est*, inquit, *vox liberi arbitrij a diuinis literis a sensu, & iudicio spiritus alienissima. Additum est è Platonis Philosophia vocabulum rationis æquè perniciosum.*

SECVNDO, defendit Vallam cõtra Eckium his verbis: *Vallam, ait Eckius, quod scholarum sententiam de libero arbitrio confutauit, plura voluisse scire, quam didicisset, scilicet egregiè festiuus nugator.*

TERTIO, reprehendit Philosophiam naturalem, & rationẽ: *Hoc loco*, inquit, *prorsus Christiana doctrina à Philosophia, & humana ratione dissentit.*

QVARTO, tollit omnem libertatem, & contingentiã: *Est*, inquit, *libertas posse agere, aut non agere, posse sic, aut aliter agere. Itaque in quæstionem vocatur, sit ne libera voluntas, & quatenus libera sit. Responsio, quandoquidẽ omnia quæ eueniunt, necessario iuxta diuinam prædestinationem eueniunt, nulla est arbitrij libertas. Quid igitur inquies, nulla ne est in rebus contingentia? nihil casu? nihil fortuna? Omnia necessario euenire Scriptura docent. Et si videatur tibi in rebus humanis esse contingentia, inducio rationis hic imperandum est.*

QVINTO, his addit in commentario ad caput 8. epistolæ ad Romanos. Non solum opera indifferentia, sed etiam peccata in nobis à Deo fieri: *Sicut*, inquit, *fatemur proprium Dei opus fuisse Pauli vocationem, ita fatemur opera Dei propria esse, siue quæ media vocantur, vt comedere, bibere: siue quæ mala sunt, vt Dauidis adulterium, Manlij fœcunditatem. Constat enim ex cap. 1. ad Romanos, Deum omnia facere nõ permissiuè, sed potenter (vt Augustini verbo vtamur) id est, vt sit eius propria Iudæ perditio, sicut Pauli vocatio.* Et infrà: *Ergo non est cur frigidum glossema admittamus, Deum mala permittere, non etiam facere.* Hæc ille.

Contradicentia his omnibus habentur in iisdem locis communibus, posteriori tempore editis, tum in loco de causa peccati, tum in loco de libero arbitrio. PRIMO siquidem, recipit nomen liberi arbitrij, & rationis, quod ante detestabatur: *Monendi sunt*, inquit, *rudiores, vt à Physicis sumant distinctiones & appellationes partium hominis. In homine est pars cognoscens, & iudicans, quæ vocatur mens, vel intellectus, vel ratio. Altera pars appetens vocatur voluntas. Vocatur autem liberum arbitrium mens, & voluntas coniunctæ.*

SECVNDO, reprehendit Vallam, quem ante defenderat: *Valla*, inquit, *& plerique alij, non rectè detrahunt voluitat*

Universidad de Deusto
Biblioteca

hominis libertatem, qua fiant omnia decernente Deo. Item in epitome moralis Philosophiæ: *Stoicas*, inquit, *illas de fato, seu Καίλα absurdas imaginationes, quæ propter diuinam gubernationem adimunt libertatem voluntati, fugiamus.*

TERTIO, amplectitur Philosophorum sententias, quas antea Scripturis cõtrarias esse dicebat: *Hæc*, inquit, *ejit libertas voluntatis, quam Philosophi rectè tribuunt homini.* Item: *Honestius*, inquit, *Plato docuit.* Et in epitome moralis Philosophiæ: *Est*, inquit, *prudentissimè ab Aristotele addita rationis descriptio.*

QVARTO admittit, esse in rebus contingentiam, & libertatem, quam simpliciter ante negauerat: *Concedendũ est*, inquit, *quod Scriptura Apostolica tribuat homini, etiam nunc post lapsum, libertatem aliquam diligendi ea, quæ sunt subiecta rationi.* Et infrà: *Hæc Manichæa imaginatio horribile mendacium est, & ab hoc errore mentes abducendæ sunt, & docendæ, agere aliquid liberum arbitrium.*

QVINTO negat, Deum esse causam peccati, quod tã impudẽter antea asserebat: *Est*, inquit, *hæc vera, & pia sententia, vtraque manu, & veritus toto pectore tenenda, Deum non esse causam peccati, nec velle peccatum.* Et infrà: *Nec figuræ illæ verborum in sermone Hebraico pugnant cum hac sententia, Indurabo cor Pharaonis, & similes. Certum est enim Hebraica phrasi significare permissionem, non efficacem voluntatem.* Ex his igitur facilè potest intelligi quàm sint aduersarij inconstantes in rebus etiam grauissimis. Sed his omissis ad confirmandam veritatem accedamus.

CAPVT VI.

Non posse ab insigni temeritate defendi modum loquendi aduersariorum, qui nomen liberi arbitrij, in nomen serui arbitrij mutauerunt.

VT igitur vera, & Catholica sententia confirmetur, TRIA sunt ordine probanda. PRIMO, non posse aduersarios vllo colore defendi ab insigni temeritate, quod nomen liberi arbitrij tantopere detestentur, & in nomen serui arbitrij commutare tentauerint. SECVNDO, ex doctrina fidei manifestè deduci, hominem, etiam post lapsum, libero arbitrio præditum esse, saltem in actionibus ciuilibus, & externis. TERTIO, idipsum certum & euidens esse in vera Philosophia, & naturali lumine rationis.

Quod attinet ad PRIMVM, tribus argumentis probare possumus, aduersarios nõ sine maxima temeritate nomen liberi arbitrij abolere, vel in nomen serui arbitrij commutare voluisse. PRIMVM enim, serio nos admonet Apostolus Paulus in priore epistola ad Timotheum, c. 6. vt fugiamus vocum nouitates. At nomen serui arbitrij in Ecclesia Catholica, per totos mille quingentos annos nunquam fuit auditum, cùm tamen ab ipso principio nascentis fidei, ac deinceps variis ætatibus nunquam defuerint Hæretici, qui liberum arbitrium vel nimium extulerint, vel etiam contra, nimium depresserint.

DEINDE, omnes omnino scriptores Ecclesiastici, qui singulis ætatibus fidem Catholicam propugnauerũt, disertis verbis liberum arbitrium docuerunt. Neque opus erit magno labore testimonia Patrum acquirere. Nã & obuia sunt, & aduersarij id non negant. Hæc enim sunt verba CALVINI, quem in hac palestra præcipuum aduersarium habemus, lib. 2. Institutionum. cap. 2. §. 4. *Semper apud Latinos liberi arbitrij nomen extitit: Græcos verò non puduit arrogantius vsurpare, vocabulum, siquidem αὐτεξούσιον dixerunt.* Quanta igitur temeritas est, nunc demum abolere velle vocabulum, quod ipse fateris apud omnes scriptores, tum Latinos, tum Græcos semper in vsu fuisse?

DENIQVE vel hoc nomen est bonum, vel malum: verum, aut falsum: vtile, vel noxium. Si bonum, verum, vtile: cerrè etiam retinendum: si malum, falsum, noxium, & (vt Lutherus loquitur) à Satana magistro in Ecclesiam inuectum: cum satis constet ab initio Ecclesiæ cœpisse, & ad nos vsque propagatum, sequitur Ecclesiam fuisse semper valdè infirmam, quippe quæ neque initio prohibere potuerit, quo minus pernicioſum hoc vocabulum à Satana inueheretur, neq; posteà per totos mille quingẽtos annos illud explodere, aut abolere valuerit. Et vbi est illud: *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam?* &, *Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis?*

Respondebit Caluinus, nomen liberi arbitrij esse ambiguum: & si quidem liberum dicatur arbitrium à coactione, nomen esse bonum, & verum: si à necessitate, pernicioſum & falsum. Et quoniam hoc tempore à plerisque accipitur pro libero à necessitate, ideo merito explodendum videri, ne propter ambiguitatem suam fidelibus noceat. AT falsum est, nomen hoc esse ambiguum. Nam (vt in libro superiore ostendimus) nullo modo potest intelligi liberum arbitrium, si non sit liberum à necessitate: & non hoc tempore solùm, sed omnibus seculis acceptum est hoc vocabulum pro facultate animi indeterminata, & libera ad vtramque partem, ac per hoc libera à necessitate. Id quod testimoniis Scripturæ & Patrum, & rationibus variis confirmauimus.

AT, inquiunt, hoc vocabulum sumptum est à Philosophis, & in diuinis literis nusquã legitur. A quibus igitur sumendum erat? à futoribus ne & cementariis? & si Scriptura diuina voces à Poëtis accipit, vt Arcturi, Orionis, Pleiadum, quæ leguntur in Iob cap. 37. & 38. & in Amos cap. 5. quid mirum est, si Ecclesia voces aliquas accipiat à Philosophis? & quamuis in diuinis literis nõ sint hæ duæ voces simul iunctæ quoad sonum, liberum arbitrium, tamen inuenitur altera cum alterius periphrasi, vt Numeri 30. *In arbitrio viri erit, vt faciat, vel nè faciat.* Quid enim est, in arbitrio, vt faciat, vel non faciat, nisi in arbitrio libero ad vtrumlibet? sic etiam vox illa Græca, αὐτεξούσιον, quam Caluinus tantoperè detestatur, non inuenitur fortasse in Scripturis, tamen inuenitur pars vna cũ alterius partis periphrasi, vt 1. Cor. 7. ἐξουσίαν ἔχει περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος, id est, potestatem habens propriæ voluntatis. Quid enim est potestas propriæ voluntatis, nisi αὐτεξούσιον?

Ad le vltimò non esse mirandum, si hæ voces crebrius à Patribus, quàm à Scripturis sanctis, vel etiam si solum à Patribus vsurpantur, quoniam hæreses, quæ liberum arbitriũ oppugnant, post conditas Scripturas sunt exortæ, & ipsæ sunt, quæ has voces frequentare vel excogitare coegerunt, quemadmodum in aliis similibus, vt Trinitatis ὁμοούσιος & ἀσύγχυτος, factum esse, ipsi etiam aduersarij confitentur.

CAPVT VII.

Secundum fidem Catholicam hominem esse liberi arbitrij in rebus ciuilibus probatur ex diuinis literis.

IAM verò liberi arbitrij hominem esse in rebus ciuilibus (quod secundo loco propositum fuerat) secundùm doctrinam fidei, probatur ex diuinis literis.

AC PRIMVM, accedant ea testimonia, quæ tribuunt homini post lapsum, electionẽ diuersarum rerũ. Neque enim intelligi potest veræ electionis potestas, sine vera arbitrij libertate. Nãvt in primo libro demonstrauimus, electio est actus maximè proprius liberi arbitrij. Sũt igitur hæc testimonia. Numeri 30. *In arbitrio viri erit, siue faciat, siue non faciat.* Iosue 24. *Optio vobis datur, eligite hodie quod vobis placet.* 2. Reg. 24. *Triũ tibi datur optio,*

optio, elige vnum quod volueris ex his. 3. Regum 3. *Postula quod vis, vt dem tibi.* Danielis 13. *Angustiæ mihi sunt vndique, & quid eligam ignoro.*

SECVNDO, huc pertinent ea testimonia quæ docent, hominem aliqua posse facere, quæ non facit: & contra, facere aliqua, quæ potuisset non facere. Hinc enim apertissimè patet, liberum esse in eiusmodi hominem, vt pro arbitrio faciat, vel non faciat. 3. Regum 3. *Quia postulasti verbum hoc, & non postulasti diuitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti sapientiam, &c.* Potuit igitur Salomõ postulare diuitias, & non postulare sapientiam, & tamen non diuitias, sed sapientiam postulauit. Ecclesiastici 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, &c.* 1. Corinth. 9. *Non sum liber? non sum Apostolus, &c.* Quo loco docet Apostolus, potuisse se circumducere sororem, & ab Ecclesiis sumptus accipere, sed neutrum facere voluisse. Actorum 5. *Nonne manens tibi manebat, & venundatus in tua erat potestate?* hoc est, Nonne poteras (Anania) agrum tuum non vendere? & posteaquam vendideras, nonne poteras precium tibi retinere? quis te agrum vendere, aut Deo precium offerre coegit? poterat igitur vendere, & non vendere, offerre, & non offerre.

Neque satisfaceret, qui responderet, in hoc loco, & superiore agi de libertate à præcepto, non de libertate à naturali necessitate. Nam libertas à præcepto includit libertatem à naturali necessitate: alioqui inepta, & ridicula essent præcepta, si is, cui præcipitur non esset liber à naturali necessitate. Nam si Ananias non potuisset non vendere agrum, aut precium illud Apostolis non offerre, sed necessario & agrum vendidisset, & precium Apostolis obtulisset, ineptè dixisset B. Petrus, Nonne manens tibi manebat, & venundatus in tua erat potestate?

TERTIO, accedant illa testimonia quæ conditionem continẽt. Ea siquidem virtute includunt liberam oppositorum optionem, Isaiæ 1. *Si volueritis, & audieritis me, bona terra comedetis.* Matthæi. 19. *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.* Ibidem: *Si vis perfectus esse, vade vende omnia, quæ habes.* Lucæ. 9. *Si quis vult post me venire, abneget se ipsum, &c.*

QVARTO, prædictis locis adiungi possunt ea, quæ continent reprehensionem cum interrogatione. Sequitur enim inde potuisse hominem non facere id, propter quod reprehenditur. Genes. 3. mulieri dicitur: *Quare hoc fecisti?* serpenti verò, qui expers est rationis, & libertatis, non dicitur: *Quare hoc fecisti*, sed, *Quia hoc fecisti.* Genes. 4. *Quare iratus es? & quare concidit vultus tuus?* Potuit igitur & Heua illud non facere, quod fecit. Et Cain non irasci, neque vultum prę mœrore deiicere. Neque enim oui dicitur, Quare fugis lupum? non enim potest non fugere lupum. Neque lupo dicitur, Quare agnum deuoras? quia non potest aliud facere.

QVINTO, adiici possunt omnia testimonia, quæ continet laudes sanctorum Patrum, Noë, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Mosis, Iob, Dauid, Tobiæ, Prophetarum denique omnium. Item illa, quæ continent præcepta, consilia cohortationes, qualia sunt Prouerbia Salomonis, liber Ecclesiastici, magna pars Psalmorum, Prophetarum, Euangeliorum, Epistolarum Petri, Pauli, Ioãnis, Iacobi, Iudæ. Hæc enim omnia significant, hominem esse liberi arbitrij, vt sanctus Augustinus colligit in lib. de gratia, & libero arbitrio, cap. 2.

POSTREMO, addãtur ea testimonia, quę probant, primum hominem ante lapsum præditum fuisse libero arbitrio: quale est illud Ecclesiast. 15. *Deus creauit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui, &c.* Nam ipse etiam Caluinus propter hunc locum fatetur, primum hominẽ ante lapsum libero arbitrio præditum fuisse, lib. 1. Institutionũ, c. 15. §. 8. & lib. 2. cap. 5. §. 18. Quamuis enim aduersarij aliam esse velint rationem hominis ante lapsum, & post lapsum, quod attinet ad arbitrij libertatem: nos tamen facilè probare possumus etiam post lapsum hominem esse liberi arbitrij, si fuit ante lapsum. Nam tota ratio Caluini (vt postea videbimus) cur homo careat libero arbitrio, est in eo posita, quod libertas hominis pugnet cum prouidentia Dei. At prouidentia Dei non incepit à lapsu hominis, sed fuit etiam anteà, cur igitur impedietur post lapsum hominis à libero arbitrio, si ante lapsum non impediebatur?

Quid, quod ex hoc ipso, quod Deus prouidentiam rerum omnium habet, sequitur, vt homo libertate fruatur arbitrij? nam prouidentiæ diuinæ illud est proprium, non destruere, sed conseruare naturas. Disponit enim suauiter omnia, vt legimus Sapient. 8. &, vt inde colligit sanctus Augustinus libro 7. de ciuitate Dei, cap. 30. sic administrat omnia, quæ creauit, vt etiam ipsa proprios exercere, & agere motus sinat. Itaque cùm natura rationalis libertatem arbitrij postulet, eamque ab initio à conditore perceperit: sic homines diuina prouidentia gubernat, & regit, vt liberam eius electionem nullo modo impediat.

Atque hoc est quod voluerunt Origenes li. 3. de principiis, cap. 3. Gregorius Nyssenus lib. 7. de Philosophia, cap. 1. & lib. 8. cap. vlt. Theodoretus in epitome diuinorũ decretorum cap. de Prouidentia, & Ioannes Damascenus li. 2. de fide. c. 29. cùm scripserunt, liberas hominum actiones non fieri à prouidentia, sed ab hominum ratione, & consilio. Non enim significare voluerunt, prouidentiam Dei non se extendere ad omnia singularia, cùm hoc ibidem fateantur, & probent: sed non determinari ad vnum actiones hominum, neque necessitatem eis à prouidentia adferri: quemadmodum determinantur ea, quæ libera non sunt, eisque necessitas quædam adfertur, vt non possint alio modo fieri. Sed de his plura dicentur in responsione ad argumenta.

CAPVT VIII.

Probatur idem ex traditione veterum Patrum.

QVOD ex Scripturis probauimus, hominem etiam post lapsum liberi esse arbitrij in actionibus ciuilibus, & externis: idem nũc probare aggredimur ex traditione, & testimoniis veterum Patrum. AC PRIMVM notabimus testimonia eorum Patrum, qui pro hæreticis habuerunt eos, qui liberum negãbat arbitrium. DEINDE, singulas eorum sententias adferemus.

Fuerunt igitur permulti, propterea quod liberum arbitrium negarent, inter hæreticos ab antiquis Patribus numerati. Primis enim Ecclesiæ temporibus Clemens lib. 3. recognitionum, notauit Simonem Magum hæreseos, quod affirmaret hominem carere libero arbitrio. DEINDE, inter hæreses Bardesanis, qui vixit circa annum Domini C. LXX. ponit hanc ipsam de libero arbitrio S. Augustinus, libro de hæresibus capite 35. Inter errores Manichæorum quorum auctor Manes centum annis Bardesane posterior fuit, numerat S. Hieronymus in præfatione dialogorum aduersus Pelagianos, quod tolleretur ab eis liberum voluntatis arbitrium. Eadẽ hæresis fuit etiam Priscilliani, qui vixit circa annũ Domini CCC. XC. quam refert sanctus Augustinus in libro de hæresibus, capi. 70. damnat autem sanctus Leo in epistola 91. ad Turbium, & Concilium Bracarense primum, canone 10.

Hunc veterum hæreticorum errorem renouauit postmodum Petrus Abailardus, qui propterea tum ab Innocentio Papa secundo, tum à Concilio Senonensi damnatus fuit, vt cognosci potest ex epistola sancti Bernardi

Universidad de Deusto
Biblioteca

194 & ex lib. 3. vitæ eiusdem Bernardi cap. 5. Eundem poſteà renouauit Ioãnes VViclefus, teſte Thoma VValdenſi tomo primo, libro primo, articulo primo, capite 28. & iterum errorem eundem damnauit Concilium Conſtantienſe ſeſsione 8. Cùm igitur toties hic error à Patribus notatus, à Pontificibus, & Conciliis damnatus fuerit, certè mirari non debent huius temporis nouatores, ſi eos inter hæreticos numeramus. Eorumque ſententias Leo X. & conſequentes Pontifices, nec non Tridentinum Concilium Oecumenicum cum aliis multis diuerſarum prouinciarum Synodis damnauerunt.

At, INQVIVNT, veteres hæretici, Simõ Magus, Bardeſanes, Manichæus & Priſcillianus, non ſimpliciter negabant liberum arbitrium, ſed vel inducebant duo principia coëterna, vnum bonum, alterum malum: vel fato, & ſtellis homines alligabant: vnde ſequebatur, vt peccata hominum, vel principio illi malo, vel ſtellis, non autẽ ipſis hominibus tribuerentur. SED quid hoc ad cauſſam? veteres enim Patres, non ſolùm reprehendunt in antiquis illis hæreticis cauſſam, vnde impellebantur ad negandum liberum arbitrium, ſed etiam diſertis verbis id notant, quod negarẽt liberum arbitrium. Quin etiam vnum ex argumentis, quibus vtebãtur ad refellenda duo principia, ſiue duas naturas, & fata illa ſtellarũ, erat, quia ſequebatur, homines carere libero arbitrio, quod ſemper fuit in Eccleſia dogma certiſsimum. Certè S. Hieronymus in præfatione dialogorum aduerſus Pelagianos, dum ita loquitur: *Manichæorum eſt, hominum damnare naturam, & liberum auferre arbitrium.* Diſertis verbis duos Manichæorum diſtinxit, atque damnauit errores: quorum alterum ad ſe pertinere, quicquid de altero ſit, Caluinus & Bucerus, eorumque Sectarij negare non poſſunt. Sed veniamus ad ipſas Patrum ſententias breuiter recitandas.

CAPVT IX.

Adferuntur teſtimonia ipſorum Patrum.

SANCTVS IRENAEVS lib. 4. cap. 71. *Cõſilium*, inquit, *bonum dat omnibus, poſuit antè Deus in homine poteſtatem electionis, quemadmodum & in Angelis.* Et cap. 72. *Si igitur non in nobis eſſet, facere hæc, aut non facere, qua cauſſam habebat Apoſtolus, & multo prius ipſe Dominus conſilium dare, quæ quidem facere, à quibus vero abſtinere?*

CLEMENS ALEXANDRINVS lib. 1. Stromatum pag. 65. *Sed*, inquit, *nec laudes, nec vituperationes, nec honores, nec ſupplicia iuſta eſſent, ſi anima non haberet liberam poteſtatem.*

ORIGENES li. 2. contra Celſum pag. 780. *Videamus* inquit, *quid Celſus dicat poſtea. Hæc, inquit, cùm Deus eſſet, prædixit: & omnino oportebat fieri quod prædixerat. Deus ergo ſuos diſcipulos, & Prophetas, cum quibus cibum, & potum ſumebat, eo neceſſitatis adduxit, vt contra ius, ac pietatem facerent. Reſpondebimus & ad hæc, quando iubes, vt ne iſta quidem argumenta prætereamus, quæ mihi videntur friuola. Celſus putat, quod aliquis præſcius prædixit, ideo fieri, quia prædictum eſt: nos vero hoc non concedentes, dicimus, non prædictorem cauſſam eſſe futuri, ſed futurum illud quod omnino euenturum erat, etiam nemine prædicente, præcognitori cauſſam prædicendi dediſſe, totum enim in præcognitione vatis eſt, cum alterutrũ fieri poſſit, fore hoc alterum, non dicimus præcognitorem adimere poſſibilitatem, vt vel fiat, vel non.*

Quibus verbis Origenes diluit obiectionem Celſi, qui probare conatus fuerat, Chriſtum prædicendo proditionem Iudæ, attuliſſe neceſsitatem ipſi Iudæ, vt facinus illud proditionis committeret: quia neceſſe erat fieri, quod Chriſtus Deus futurum eſſe prædixerat. Reſpondet igitur Origenes, prædictionem non adferre neceſsitatem, quia non ideo res fit, quia præcognita eſt, ſed ideo præcognita eſt, quia futura erat. Quare paulò infrà docet, Iudam ſic prodidiſſe Dominum, vt potuerit non prodere: atque ita concordat præſcientiã cum contingẽtia, & libertate. Idem etiam Origenes lib. 3. de principiis capite 1. copioſè probat, hominem eſſe liberi arbitrij, & reſpondet ad omnia argumenta, quæ nũc aduerſarij proferunt, quæque ab antiquis hæreticis proferebantur.

EVSEBIVS CAESARIENSIS li. 6. de præparatione euangelica, cap. 5. probat optimis argumentis, libertatẽ à neceſsitate non pugnare cum prouidentia: *Nam*, inquit, *ſi euentura omnino ſunt proſpera, vel aduerſa vnicuique homini, eſtq; neceſſe hæc me agere, & te illa, quid oportet cura, laboreq; conjici?* Et infrà: *Quomodo*, inquit, *cum ſentiamus noſtranos appetitione moueri, non omnino amentiſsimũ erit ab exteriori quadam vi, quaſi animi expertes moueri nos credere? ſic enim libera voluntate alia fugimus, alia ſequimur, vt quemadmodum dolere, gaudere, videre, audire, non ratiocinando, ſed re ipſa comprehendimus: ita à noſtro ipſorum cõſilio, aut ad fugiẽdum, aut ad ſequendum moueri nos profectò ſentiamus. Quas ob res rationalis natura libertas iure negari non poteſt.*

S. ATHANASIVS in ſerm. de paſſione & cruce Domini, propoſita quæſtione, an quæ ſunt diuinitus præcognita, & prædicta ex neceſsitate eueniant, ita reſpondet: *Non propheta iſtarum rerum auctor eſt, aut cauſſa, ſed ipſorum voluntas, quin potius ipſi in cauſſa fuerunt, vt talia de ipſis Propheta prædiuinarent. Propheta proprium eſt futura proſpicere, & non hallucinari, hominum autem eſt agere quod velint.*

S. BASILIVS in ſerm. de libero arbitrio: *Quod*, inquit, *in hominis poteſtate ſitum eſt liberũ arbitrium, in eligendo, & non eligẽdo ſitum eſt.* Item in oratione, quod Deus nõ ſit auctor malorum: *Cur*, inquit, *anima ad malum ſuſcipiendum apta fuit? propter liberum arbitrium, quod maximè rationalem naturam decet. Soluta enim ab omni neceſſitate, & voluntariam, ac in ſua poteſtate ſitam vitam à conditore adepta per hoc ad imaginem Dei creata eſt.*

S. GREGORIVS NAZIANZENVS in primo Apologetico, non procul ab initio: *Singularis*, inquit, *& eximiæ Dei bonitatis argumentũ eſt, facere vt noſtra quoq; aliqua ex parte ſit virtus, nec naturâ nobis inſeratur, ſed voluntate, animiq; propoſito excolatur, arbitriuq; libertate, parem in vtramque partem motum habente.*

S. GREGORIVS NYSSENVS li. 7. de philoſophia, c. 3. *Omnis*, inquit, *qui conſultat, quaſi in eius poteſtate exiſtẽte electione de operabilibus conſultat, vt quod per conſilium decernitur eligat, & eligens faciat. Neceſſe igitur eſt eum, qui cõſultat, Dominum eſſe actionũ. Si enim nõ fuerit Dominus actionum, ex ſuperfluo conſultat: ſi verò hoc, ex neceſſitate aſſiſtit vi rationali liberum arbitrium, aut enim non erit rationalis, aut dominium ſuarum actionum obtinebit: dominari autem actionum omnino liberi arbitrij eſt.*

S. IOANNES CHRYSOSTOMVS hom. 60. in Matt. explicans illud: *Neceſſe eſt, vt veniant ſcandala, Neceſſitatẽ*, inquit, *dicit, non quia libertatem voluntatis, poteſtatemq; liberi arbitrij tollat: nec quia neceſſitati verum humanam vitam ſubiiciat, ſed quod omnino venturum eſt, pronunciat.* Et infrà: *Non quia futura ſcandala prædixit, idcirco veniunt, ſed quoniam futura erant, idcirco prædixit.* Et ſermone 2. de Fato: *Deus dicit, poſci ante te vitã, & mortem, ad quod volueris, extende manum tuam. Dæmon dicit, non eſt in te quòd extendas manum tuam, ſed neceſſitate quadam, & vi id agis. Videntur ne tibi hæc fide digniora?*

S. EPIPHANIVS hæreſi 16. *Quare*, inquit, *omnibus manifeſtum, clarumq;, ac minimè ambiguum eſt, quod liberum arbitrium exhibuit nobis Deus dicens, ſi volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.*

S. CYRILLVS lib. 2. in Ioan. cap. 54. *Liberum*, inquit, *hominis arbitrium his verbis oſtendit, quòd ad alterutrum ſcindẽdi animi ſui iudicium poteſt proficiſci.* Et lib. 4. c. 7. *Nõ poſſumus,*

mus, inquit, *ſecundum Eccleſiæ, veritatiſq; dogmata liberam poteſtatem hominis, quod liberum arbitrium appellatur, vllo modo negare.* Et li. 9. c. 10. *Rationali creaturæ liberam poteſtatem creator largitus eſt, & ſuæ volantatis habenas vnicuiq; commiſit, vt in eo ſit, quidquid probauerit, eligere.*

S. IOANNES DAMASCENVS li. 2. de fide, c. 26. *In nobis*, inquit, *ſunt ea, quorum ſumus liberam adepti poteſtatem, & facere, & non facere.*

THEOPHILACTVS in com. ad c. 15. Lucæ: *Rationalis*, inquit, *ad quam ſubſequitur liberum arbitrium, ſubſtantia eſt hominis, omne enim rationale liberi arbitrij eſt.*

Iam ex Latinis TERTVLLIANVS li. 2. aduerſus Marcionem ante medium: *Tota libertas arbitrij in vtramq; partem homini conceſſa eſt, vt ſui Dominus conſtanter occurreret, & bono ſponte ſeruando, & malo ſponte vitando.*

S. CYPRIANVS li. 1. epiſt. 3. ad Cornelium: *Homo*, inquit, *libertati ſuæ relictus, & in arbitrio proprio conſtitutus, ſibimet ipſi vel mortem appetit, vel ſalutem.*

S. HILARIVS in Pſ. 2. *Vnicuiq;*, inquit, *noſtrum libertatem vitæ, ſenſumq; permiſit, non neceſſitate, in alterutrum affigẽs.*

S. OPTATVS MILEVITANVS li. 7. in Parmenianum: *Homicida*, inquit, *poteſt ſcelus facere, poteſt & non facere, & cætera huiuſmodi, in quibus liberum habetur arbitrium.*

S. AMBROSIVS in commen. Pſal. 40. *Homini*, inquit, *dedit eligendi arbitrium quid ſequatur.*

S. GAVDENTIVS Brixianus tract. 3. in Exod. *Libertatem*, inquit, *diximus arbitrij, quia voluerunt Iudæi facere quod fecerunt, & ſi noluiſſent, non feciſſent.* Et infrà: *Præſcientia quidem Dei non fallitur, ſed nec homini conceſſa ſemel voluntatis libertas auferetur, ne nihil de eo iudicare poſſit, qui liber non fuerit in agendo.*

S. HIERONYMVS in epiſtola ad Cteſiphontem extrema: *Fruſtra*, inquit, *blaſphemas, & ignorantium auribus ingeris, nos liberum arbitrium condemnare. Damnetur ille, qui damnat.* Item in comment. c. 26. Hieremiæ, explicans illud: *Forſitan audient, & conuertentur, Verbum*, inquit, *ambiguum, forſitan maieſtati Domini non poteſt conuenire, ſed noſtro loquitur affectu, vt liberum homini ſeruetur arbitrium, ne ex præſcientia eius, quaſi ex neceſſitate vel facere quid, vel non facere cogatur. Non enim ex eo, quòd Deus ſcit futurum aliquid, idcirco futurum eſt: ſed quia futurum eſt, Deus nouit quaſi præſcius futurorum.*

S. AVGVSTINVS in lib. de quantitate animæ, ca. 36. *Datum eſt*, inquit, *animæ liberum arbitrium, quod qui nugatoriis ratiocinationibus labefactare conantur, ſæpe adeo cæci ſunt, vt ne iſta quidem vana, atque ſacrilega, propria voluntate ſe dicere intelligant.* Item li. 5. de ciuitate Dei, c. 10. *Quocirca nullo modo cogimur, aut retenta præſcientia Dei, tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio, Deum quod nefas eſt, negare præſcium futurorum: ſed vtrumq; amplectimur, vtrumque fideliter, & veraciter confitemur.* Et infrà: *Neque ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præſciuit: immò ideo non dubitatur ipſum peccare cum peccat, quia ille, cuius præſcientia falli non poteſt, non fatum, non fortunam, nõ aliquid aliud, ſed ipſum peccaturum eſſe præſciuit, qui ſi nolit, omnino non peccat: ſed ſi peccare noluerit, etiam hoc ille præſciuit.*

Auctor operis, quod inſcribitur Hypognoſticum li. 3. non procul ab initio: *Ipſum*, inquit, *liberum arbitrium in hominibus eſſe, certa fide credimus, & prædicamus indubitanter.* Et infrà: *Eſt igitur liberum arbitrium, quod quiſquis negauerit, Catholicus non eſt.*

S. INNOCENTIVS I. in epiſt. ad Concilium Carthaginẽſe: *Liberũ*, inquit, *arbitrium cum naſceremur accepimus.*

S. LEO Papa I. ſerm. 16. de paſſione Domini: *Nec præſciendo*, inquit, *quod faciendum eſſet, coëgit, vt fieret, quamuis ad hoc carnem aſſumpſiſſet, vt fieret.*

S. PROSPER AQVITANVS in reſponſione ad obiectionem 6. Gallorum: *Liberum*, inquit, *arbitrium nihil eſſe, vel non eſſe, perperam dicitur.*

His addi poſſent recentiores, S. Gregorius, S. Fulgentius, Venerabilis Beda, S. Anſelmus, S. Bernardus. & alij, quos de induſtria prætermittimus, TVM, quod obſcurum non ſit eos S. Auguſtini doctrinam in omnibus ſequi: TVM, quia teſtimonia ipſorum cum aliis pluribus adſcribentur, cùm de libero arbitrio in actionibus moralibus diſſeremus. Nam illa omnia teſtimonia, ſi probabunt, hominem eſſe liberi arbitrij in actionibus bonis, & malis, multò magis probabunt id, quod nunc agimus, hominem videlicet eſſe liberi arbitrij in actionibus indifferentibus, & ciuilibus.

CAPVT X.

Euidens eſſe lumine rationis naturalis, hominem liberi eſſe arbitrij in actionibus ciuilibus, & externis.

DEMONSTRAVIMVS hucuſque aduerſus hæreticos libertatẽ arbitrij, ex teſtimoniis Scripturarum & Patrum: nunc tum aduerſus eoſdem hæreticos, tum aduerſus pauciſſimos quoſdam Catholicos, quos cap. 4. nominauimus, demonſtrabimus eandem arbitrij libertatem ex ratione, ac lumine naturali.

PRIMA igitur ratio duci poteſt à communi conſenſu ſapientum, etiam Ethnicorum. Id enim Peripatetici docent, vt perſpicuum eſt ex Ariſtotele li. 3. Eth. c. 1. 2. 3. & ſeq. Idem Academici, vt planè conſtat ex Platone in Gorgia, & alibi. Idem etiam Stoici, qui tamen fatum acerrimè defendebant. Nam (vt ſcribit S. Auguſtinus li. 5. de ciuitate Dei, cap. 10.) Stoici cætera omnia fato ſubiiciebant præter animos humanos. Quare Plutarchus in 1. libr. de Placitis Philoſophorum, affirmat, Stoicos de libertate arbitrij idem cum Platone ſenſiſſe. Idẽ de Stoicis & Platonicis confirmat Gregorius Nyſſenus in li. de fato, c. 1. 2. & 3. quibus etiam adiungit Sapientes Aegypti. Marcus etiam Tullius (eodem Auguſtino teſte lib. 5. de ciuitate Dei, c. 9.) maluit Deo prouidentiam auferre, quàm homini libertatem, & ita vt faceret homines liberos, fecit ſacrilegos. Cùm enim libertatem humanam cum prouidentia diuina copulare non poſſet, elegit id quod erat notius, quodq; in ſe ipſe ſingulis ferè momentis experiri videbat. Multorum præterea Ethnicorum teſtimonia adducit Euſebius li. 6. de præparat. Euangelica, c. 6. & 7. Denique Caluinus ipſe lib. 2. Inſtitut. cap. 2. §. 2. fatetur Philoſophos ſummo conſenſu libertatem arbitrij docuiſſe.

ALTERA ratio ſumitur à conſenſu orbis terrarum vniuerſi. Nulla eſt enim, aut fuit vnquam Reſpublica, nullum imperium, quod non habuerit publicum conſilium, magiſtratus, leges, pœnas, & præmia. Quæ omnino ſuperuacanea eſſent, ſi libertatem arbitrij homines non haberent. Item in omni exercitu Imperatores, & Duces, & oratione, & promiſſis, & typanis, & tubis accendunt animos militum. Sed quorſum hæc fierent, ſi non animi homines ad opera ſua ſe ipſi filio, & deliberatione mouerent, & poſſent pro arbitrio agere, & non agere? Ad hæc omnes omnino homines prudentiam, atque induſtriam neceſſariam eſſe cenſent in operibus humanis, ſiue ij ſint mercatores, ſiue agricolæ, ſiue opifices, ſiue quicunque alij. Quare rectè docet Euſebius lib. ſexto, de præparatione Euangelica, capite 5. eos, qui ſentiunt, omnia fieri ex neceſſitate, nihil contingenter, & liberè, peruertere, aut euertere humanam vitam vniuerſam.

TERTIA ratio ducitur ab experientia, quæ illos ipſos, qui verbis liberum arbitrium negant, re ipſa, & factis illud affirmare compellit, id, quod ex Alexandro Aphrodiſeo docet Euſebius lib. 6. de præparatione Euangelica,

Universidad de Deusto
Biblioteca

gessa, c.7. nam illi etiam, qui negant arbitrij libertatem, hortantur suos, eisq; præcipiunt, puniunt quoque, si perperam agant, folliciti sunt in periculis, cauti in rebus dubijs, & si quis eos afficiat iniuria, irascuntur, & vltionem parant. Quod in Caluinianis maximè cernere est, qui si vno verbo fortè lædantur, mox euomunt libros plenos conuiciorum. At si verè sentiunt, eos quibus irascuntur, non potuisse iniuriam non inferre, cur quæso irascuntur?

Dicent fortasse, se quoque non posse non irasci. Cur igitur non similiter irascuntur, si à phrenetico, vel puero similem iniuriam patiantur? & si serio credunt, eos, quos hortantur, & quibus præcipiunt, necessitate quadam impelli, vt non possint aliud facere, quàm quod faciunt: cur tepus in cohortando, & precipiendo frustra terunt? quod si ipsi quoq; ex necessitate hortantur, & præcipiunt: cur non vtuntur hortationibus, & præceptis erga stultos, aut pecora? cur tantum erga homines sanos, & sobrios? Nonne igitur experientia planè cogit fateri, liberum esse arbitrium tum in nobis, qui hortamur, præcipimus, irascimur, tum in iis quos hortamur, quibus præcipimus, & quibus irascimur, quandoquidem nihil eiusmodi agimus erga eos, quos libero arbitrio carere non dubitamus?

QVARTA ratio, sumitur ex peccatis hominum. Siquidem euidens est, homines quandoq; peccare: nec minus est euidens, neminem posse sine arbitrij libertate peccare. Conscientiæ stimulus, ac remorsus: verecundia quæ nascitur ex peccato: reprehensiones aliorum: commune odium, in eos, qui malè agunt, ita vt etiam furibus sint fures inuisi, apertissimè testantur, homines quandoq; peccare. Neminem autem peccare in eo, quod necessitate facit, tam esse manifestum, & omnibus certũ, docet S. Augustinus in li. de vera religione, c. 14. vt nulla hic doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. & in lib. de duabus animabus c. 11. scribit, hoc à pastoribus cãtari in montibus, à Poëtis in theatris, ab indoctis in circulis, à doctis in bibliothecis, à magistris in scholis, à Pontificibus in templis, à genere humano in orbe terrarum.

QVINTA ratio ducitur ab ipsa rei natura: talis est enim in vnaquaque re modus appetendi, qualis est cognoscendi: appetitio enim cognitionẽ sequitur, nec fieri potest, vt quis appetat rem incognitam. In hominibus autem est cognitio finis, & mediorum ad fidem tũ necessariorum, tum etiam contingentium: igitur hominum appetitio ex necessitate fertur in finem, & in ea media, quæ sunt cum fine ex necessitate connexa: in alia verò nisi contingẽter. Atqui hoc est, hominem esse liberum libertate contingentiæ, posse videlicet accipere, vel reiicere ea media, quæ ratio docet, non necessariò cum fine esse connexa. Rursus (vt rectè colligit Gregorius Nyssenus in li. 7. de Philosophia, c. 1.) consultatio ad electionem ordinatur, proinde vbi est vis consultiua, ibi etiam est vis electiua: vbi autem est vis electiua, ibi est libertas arbitrij, cum nihil sit aliud libertas arbitrij nisi potestas electionis: euidens autem est, esse in homine vim consultiuam, vt experientia ipsa testatur: igitur euidens quoque est, esse in homine vim electiuam, atque arbitrij libertatem.

CAPVT XI.

Respondetur ad argumenta, quæ sumunt aduersarij ex diuinis literis.

SED iam argumenta Caluini, aliorumque hæreticorum proponenda, & soluenda sunt. Et quoniam ducunt etiam ipsi argumenta à Scripturis sanctis, à testimoniis veterum, & à ratione, initium à Scripturis faciemus.

CALVINVS igitur producit hæc loca. PRIMVM ex lib. Exodi capite 11. vbi Aegyptij à Deo impulsi, dederunt Hebræis preciosissima vasa, & vestes, aliaque permulta, quæ sine dubio nunquam daturi fuissent, si verè liberum arbitrium habuissent. SECVNDVM ex Genes. 43. vbi Iacob dicit filiis suis: *Det vobis Deus inuenire misericordiam coram viro.* Quod certè non diceret, nisi existimaret à Deo flecti, & regi corda hominum. TERTIVM ex illo 1. Reg. 11. *Irruit super eum spiritus Domini.* QVARTVM ex illo 2. Reg. 17. vbi Deus effecit, vt Absalon non sequeretur consilium Achitophel. QVINTVM ex illo 3. Reg. 12. vbi Deus inclinauit cor Roboam, vt sequeretur consilia iuuenum. SEXTVM ex illo Iosue 2. vbi teste Rahab Deus ad introitum Hebræorum in Palestinam, immisit terrorem, & pauorem in corda incolentium terram illam. SEPTIMVM ex Leuit. 16. & Deut. 28. vbi Deus Israëlitis ait: *Dabo vobis cor pauidum, & oculos deficientes, &c.*

His accedant testimonia, quæ ante proposuerant LVTHERVS & MELANCTHON. Sit igitur OCTAVVS locus ex illo Isaiæ 26. *Omnia opera nostra in nobis operatus es Domine.* NONVS ex illo Hierem. 10. *Scio Domine quia non est in homine via eius, nec viri vt dirigat gressus suos.* DECIMVS ex illo 1. Regum 2. *Non audierunt vocem patris sui* (filij Heli) *quia voluit Dominus occidere eos.* VNDECIMVS ex illo 1. Reg. 10. *Abiit cum eo* (Saul) *pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda.* DVODECIMVS ex illo Prouerb. 16. *Hominis est præparare cor, Domini autem est gubernare linguam.* Item: *Cor hominis cogitat viam suam, & Dominus dirigit gressus eius.* TERTIVS DECIMVS ex illo Prouerb. 20. *A Domino diriguntur gressus viri, quis autem hominum potest intelligere viam suam?* QVARTVS DECIMVS ex illo Prouerb. 21. *Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit inclinabit illud.* QVINTVS DECIMVS ex illo Matth. 10. *Vnus passer non cadit in terram sine Patre vestro.* SEXTVS DECIMVS ex illo Rom. 11. *Quoniam ex ipso, & in ipso, & per ipsum sunt omnia.* Item ex illo 1. Cor. 12. *Omnia in omnibus operatur.* Deniq; ex illo Eph. 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.*

In explicatione horum locorum pauca quædam notanda sunt. PRIMVM est, Nõ esse idem liberam electionem, & liberam exequutionem. Libera enim electio necessaria est ad libertatem arbitrij conseruandam, non itẽ libera exequutio, vt S. Ioannes Damascenus rectè docet in lib. 2. de fide c. 26. Itaq; potest Deus, nec solùm Deus, sed etiam homines impedire, quo minus aliquis re ipsa faciat quod elegit, ac decreuit, nec tamen detrimentum vllum patietur liberum voluntatis arbitrium.

Atq; hinc RESPONDETVR ad testimoniũ NONVM, DVODECIMVM, & TERTIVM DECIMVM. Nam dicitur, non esse in homine via eius, quia quãuis ipse maturè deliberet, & proponat, tamen non est in eius potestate progressus negocij, cùm multis, variisq; modis impediri possit. Et ideo Sapiens dicit, cor hominis cogitare viam suã, id est, præmeditari, & ordinare quid, & quomodo sit faciendum: tamen euentum esse in manu Dei, à quo petẽdum esse, vt dirigat gressus. Nec solùm in factis, sed etiam in verbis, sæpenumero exequutio non est in potestate hominis: sæpe enim diligenter meditamur verba, quæ dicturi sumus, & statuimus animo ita loqui, vt nihil falsi, nihil noxij, nihil superuacanei nobis excidat, & tamen, nisi Deus speciali gratia linguam gubernet, non implemus quod proposuimus.

Neque verò hinc sequitur (vt Pelagiani volebant) posse nos sine Dei auxilio, præparare cor, aut cogitare viam nostram, quia scriptum est, *hominis est præparare cor: & homo cogitat viam suam.* Nam neque sumus sufficientes, cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, vt Apostolus ait 2. Cor. 3. Neque ita diriguntur gressus nostri à Deo, vt non etiam eos nos dirigamus, iuxta illud Prou. 15. *Vir prudens dirigit gressus suos.* Sed Scriptura indicare voluit,

voluit, magis in potestate nostra esse cogitationem, & voluntatem, quàm operis executionem.

SECVNDO sciendum est, libertatem arbitrij non excludere cooperationẽ, & auxilium Dei. Non enim ideo dicitur homo esse liber in deliberando & eligendo, quia possit id facere suis solis viribus: sed quia posita etiam cooperatione diuina, in potestate eius sit hoc aut illud eligere, & rursus eligere, vel non eligere. Quomodo liberè dicimur, videre omnia quæ videmus, non quod absente lumine quidquam videre possimus, sed quod præsente lumine situm in nobis sit cernere hoc aut illud, & etiam cernere, vel non cernere, hoc est, oculos ad rem videndam aduertere, vel ab eadem illos auertere.

Atq; hinc respondetur ad testimonium OCTAVVM, QVINTVM DECIMVM, & SEXTVM DECIMVM. Nam omnia opera nostra operatur Dominus, sed non sine nobis: & passer non cadit in terram sine patre nostro, quia prouidentia eius ad omnia etiam minutissima se extendit: & ex ipso sunt omnia: operatur omnia in omnibus: & operatur secundum consilium voluntatis suæ, sed ita suauiter, vt sinat etiam res creatas agere motus suos, neque cooperãdo tollat, aut destruat, sed adiuuet, perficiatq; naturam. Quamquã Illud Isa. 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine,* rectius intelligitur de flagellis, aut miraculis diuinis, quàm de operibus liberi arbitrij. Quoniam præcedit in Isaia: *Dabis pacem Domine.* Et sequitur: *Possederunt nos Domini absque te.*

S. Hieronymus in commentario per opera intelligit flagella, vt sensus sit, dabis pacem Domine: omnia enim flagella quæ passi sumus, à te nobis venerunt: possederunt enim nos Domini absque te, &c. cui explicationi consentanea est interpretatio 70. Seniorum, quæ habet: *Da pacem Domine, quoniam omnia reddidisti nobis:*

S. Cyrillus in commentario eiusdem loci, intelligit (per opera) miracula, & beneficia diuina, vt sensus sit, Dabis pacem nobis, quandoquidem omnia mirabilia opera nostra, id est, quæ facta sunt in nobis munera tua sunt, & tamen possederunt nos Domini absque te. &c.

TERTIO est obseruandum, posse QVATVOR modis voluntatem à Deo inclinari ad aliquid appetendũ vel fugiendum: PRIMO, efficienter, & physicè, immediatè illam mouendo, & determinando ad vnum. Nam si potest ipsa se determinare, cur non possit etiam Deus eam determinare?

SECVNDO, efficienter quidem sed mediante aliqua forma, quam imprimat in voluntate. Nam infundendo gratiam, & virtutes, per eas inclinat voluntatem ad bonas actiones. Et hos duos modos notauit S. Thomas in q. 22. de veritate, art. 8.

TERTIO, obiectiuè; id est, per internam suasionem, sed efficacissimam, vt resisti non possit. Nam si passio vehemens rapit aliquando voluntatem ad consensum, certè multò facilius potest Deus id facere.

QVARTO, obiectiuè quidem, & efficaciter, sed ita vt efficacia proueniat non tam ex vehementia persuasionis, quàm ex dispositione voluntatis, quam Deus præuidet. Nimirum cùm Deus ita proponit aliquid interna persuasione, vt videt voluntatem aptã esse ad cõsentiendum.

Ex his modis, Vtrum Deus vtatur primo & tertio, & vtrum si illis vtatur maneat integra libertas voluntatis, postea videbimus: certum autem est, Deum sæpe vti secundo & quarto. Nec minus est certum, eos duos modos non repugnare arbitrij libertati. Nam quod attinet ad SECVNDVM nullus est habitus virtutis, excepta charitate, quæ est in beatis in cœlo, qui ex necessitate determinet voluntatem. Quod autem ad QVARTVM pertinet, infallibiliter quidẽ fit id, ad quod Deus inclinat quarto illo modo, sed integra manet libertas, cùm infallibilitas non oriatur ex vehementia motionis diuinæ, sed ex præuisione aptitudinis ipsius voluntatis: præuisio enim nullam imponit necessitatem. Et quoniam omnia testimonia à Caluino & Luthero adducta, præter ea, quę iam explicata sunt, ad secundum & quartum modum reuocari possunt, ideo nihil efficiunt contra arbitrij libertatem.

Ad PRIMVM enim de Ægyptiis respondemus, Deum inclinasse corda Ægyptiorum, vt libenter darent Hebræis preciosas vestes, & vasa, quia fecit, vt occurreret menti eorum aliqua ratio, quam præuidebat idoneam esse, vt per eam iudicarent bonum esse commodare vasa illa, & vestes Hebræis. Vel certè infudit Deus beneuolentiam Ægyptiis erga Hebræos, & per eam beneuolentiam inclinauit corda eorum ad communicandas opes suas cum illis. Id enim significare videntur illa verba Exod. 12. *Dominus dedit gratiam populo coram Aegyptiis, vt commodarent eis, & spoliauerunt Aegyptios.*

Sic etiam precatur Iacob (quod erat SECVNDVM testimoniũ) vt Deus det filiis suis inuenire misericordiam coram viro, id est, aspiret viro beneuolentiam erga filios suos, &c. Quod autem irruisse dicitur spiritus Domini in Saul (quod erat TERTIVM) significat spiritum zeli, & fortitudinis, donatum fuisse à Deo ipsi Sauli, per quem inclinabatur, & incitabatur ad prælium contra Ammonitas.

Quod verò non audierit Absalon consilium Achitophel (quod erat QVARTVM) factum est, quia Deus fecit, vt Chusai iis rationibus refutaret sententiam Achitophelis, quas idem Deus præuiderat probandas ab Absalone. Idem dicendum est de eo, quod non audiuit Roboam consilia seniorum, sed iuuenum: & quod filij Heli non audierunt admonitiones patris sui: quæ erant testimonia QVINTVM & DECIMVM.

Ad illa verò de pauore immisso in corda Philistinorum vel Hebræorum: quæ erant SEXTVM & SEPTIMVM, respondemus ea pertinere ad eundem modum. Facilè enim potuit Deus efficere, vt occurrerent cogitationi eorum rationes, ob quas timendum esse iudicarent, & contra non occurrerent rationes, ob quas in spem erigi possent.

Quod verò sequuti sint Saulem ij, quorum Deus tetigerat corda (quod erat VNDECIMVM) factum est, quia Deus immisit in eis venerationem erga Regem, siue infundendo bonam qualitatem, siue persuadendo mentibus eorum bonum esse obedire Regi à Deo electo.

Denique ad illud: *Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini.* DVAE dari solent responsiones. VNA, vt hic locus intelligatur de exequutione, & sensus sit, solum Deum posse impedire exequutionem regiarum voluntatum. Nam in Græco sic legitur hoc prouerbium ὥσπερ ὕδωρ ἕλκει ὁ θεός, οὕτω καρδία βασιλέως ἐν χειρὶ θεοῦ, *hoc est, sicut impetus aquæ non potest impediri, & coerceri, nisi à magna aliqua vi: sic etiam quod Reges volunt, impediri non potest, nisi à Deo.*

ALIA est responsio, vt hic locus intelligatur de ipsis voluntatibus Regum, & sensus sit, facilè esse Deo mutare voluntates hominum, etiãsi Reges sint. Nã in Hebræo non fit mentio impetus, sed simpliciter nominatur aqua. מלך ביד יהוה פלגי-מים לכל *malech bead iehouah phalege maim lab-riui aquarum. cor Regis in manu Dei,* hoc est, quàm facilè est agricolæ ducere, ab aliquo fonte riuos aquarum quocunque voluerit, cùm aqua facillimè fluat, quà via datur: tam est facilè Deo flectere corda Regum quamuis potentium & superborum, nimirum ingenio eis proponendo, quæ nouit eorum ingenio congruere. Atque ita soluta sunt argumenta omnia, quæ ex diuinis literis aduersarij protulerunt.

CAPVT

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XII.

Respondetur ad obiectiones ex testimoniis S. Augustini.

EX Avgvstino plurima profert Caluinus testimonia contra liberum arbitrium: sed pertinent ferè omnia ad quæstiones de libero arbitrio, in actionibus moralibus, vel supernaturalibus. Tria tantùm sunt, quæ ad hunc locum, quem nunc tractamus, pertinent, & ea facili negocio ex iis, quæ suprà diximus, explicantur.

Primvm est, in li. 6. de Genesi ad literam, c. 15. vbi sic loquitur Augustinus, *Conditoris voluntas rerum necessitas est.* Et c. 17. *Hoc autem necessariò futurum est, quod Deus vult, & ea vere futura sunt, quæ ille præsciuit.*

Altervm est, in libro de gratia & libero arbitrio, c. 20. *Scriptura,* inquit Augustinus, *si diligenter inspiciatur, ostendit non solum bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, & a se factas in actus bonos, & vitam dirigit eternam: verùm etiam illas, quæ conferuant seculi creaturam, ita esse in Dei potestate, vt eas, quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinari, vel ad præstanda beneficia, vel ad pœnas infligendas occultissimo quidem iudicio, sed iustissimo.*

Tertivm est in Enchiridio, c. 30. *Libero arbitrio malè vtens homo, & se perdidit, & ipsum.*

Sed responsio in promptu est. Nam quod attinet ad Primvm, loquitur eo loco S. Augustinus de necessitate consequentiæ non consequentis, vt sensus sit, quod Deus vult fieri, infallibiliter futurum esse, sed liberè, vel necessariò pro vt causæ secundæ fuerint. Non enim Deus destruit naturas, sed eo modo vult rem fieri, quem natura eius rei postulat.

Quod autem ad Secvndvm pertinet, fatemur hominum voluntates ita esse in potestate Dei, vt quocunq; voluerit, quando voluerit, faciat inclinari: sed planè suauiter, & quomodo Deum par est agere, cum libera voluntate. Itaque non inclinat eam ex necessitate determinando ad vnum, sed vel imprimendo formam aliquam per quam inclinetur, vel interiùs persuadendo eo modo, quem ipse videt aptissimum esse, vt ab homine non respuatur. Et si ea vis est humanæ eloquentiæ, vt liberas voluntates sæpe flectat, & detorqueat ad id, quod cupit, quanto facilius poterit Deus non sæpe, sed semper interna suasione voluntates humanas quocunque voluerit inclinare, cùm ipse perfectè nouerit omnes animi propensiones, vim omnium argumentorum, & quid sit quod hoc loco, & tempore humanum animum moueat, si adhibeatur?

Quod autem S. Augustinus scribit, hominem malè vtendo libero arbitrio, & se perdidisse, & ipsum: intelligitur de libero arbitrio non simpliciter, sed quale erat in statu innocentiæ, hoc est, de arbitrio non solum libero à naturali necessitate (de qua nos hoc loco tractamus) sed etiam à miseria, & peccato. Poterat enim primus homo in statu innocentiæ per liberum arbitrium nunquam peccare, & nullam omnino miseriam experiri. Docet hoc idem S. Augustinus in primo libro contra duas epistolas Pelagianorum, c. 2. his verbis: *Quis nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam. Nam liberum arbitrium vsq; adeo in peccatore non periit, vt per illud peccent maximè omnes, qui cum delectatione peccant.*

CAPVT XIII.

Respondetur ad obiectionem ex repugnantia præscientiæ, & libertatis.

PRAETER testimonia Scripturarum, & S. Augustini, adducit Caluinvs argumentum ex repugnantia prouidentiæ diuinæ, & libertatis humanæ. Sed quoniam prouidentia includit præscientiam, & prædeterminationē, & vtraq; seorsim pugnare videtur cum libero arbitrio, ideo seorsim de vtraq; tractabimus.

Igitur obiectio ducta à præscientia Dei talis est, Deus necessariò prænouit omnia futura, nec potest vllo modò fieri, vt ipse fallatur, igitur omnia futura ex necessitate euenient. Rvrsvs præscientia Dei est caussa rerum, igitur ideo res erunt, quia Deus præscit esse futuras, non contra. Alioqui enim Deus penderet à rebus creatis, & eius scientia mutabilis, & accidentaria esset. *Vniuersus* (inquit Avgvstinvs li. 15. de Trinitate, c. 13.) *creaturas suas tam spirituales, quàm corporales non quia sunt, ideo nouit, sed ideo sunt, quia nouit.* Quod si præscientia Dei est caussa rerum, certè sequitur, vt posità præscientia, necessariò res quæ oræsciuntur, sint futuræ. Neq; enim præscientia Dei impediri potest ab vlla caussa creata.

Respondeo, præscientiam Dei esse certissimam, & tamen nullam imponere rebus futuris necessitatem, neq; cum arbitrij libertate vlla ratione pugnare. Demõstrant hoc Theologi multis rationibus. Sed hoc loco satis nobis erit ratio S. Augustini ex li. 3. de libero arbitrio, c. 3. Si præsciẽtia Dei rebus futuris necessitatẽ imponeret, vel id faceret, quia præscientia est, vel quia Dei est. Neutrum autem verè dici potest. Nam si præsciẽtia Dei, quia præscienria est, imponeret rebus necessitatem, non solum prescientia Dei, sed etiam præscientia hominum imponeret rebus necessitatem. Id autem falsum est. Nam præscientia hominum non est caussa rerum, neq; aliquid ponit in rebus, vt si ego diuina reuelatione certò prænoscam futurum esse, vt crastina die pluat: non propterea ero ego caussa pluuiæ, & tamen sine dubio pluet, sed non minus contingenter, quàm si nihil ego præscissem.

Vnde igitur (inquies) fit, vt quæ certò prænoscuntur semper eueniant, cùm tamen contingenter fiant, ac per hoc possint non fieri? Caussa huius rei est, quia qui futurum prænoscit, præcurrit intelligentiã rei effectionem, & intuetur eam iam factam antequam fiat: id autem quod factum est, non potest factum non esse, tametsi liberè, & contingenter factum sit. Præscientia Dei igitur non imponit rebus necessitatẽ, quia præsciẽtia est: sed neq; quia Dei est: nam quemadmodum Deus præscit, quid homines facturi sint, sic etiam præscit, quid ipse facturus sit. Non autem cogit præscientia Dei ipsum Deum vt aliquid faciat, igitur neque homines cogit.

Præterea præscientia mea non imponit rebus necessitatem, quia non est caussa rerum: at neq; præscientia Dei est caussa rerum, vt patet, quia nõ potest esse actus caussa sui obiecti, sed contra potius obiectum est caussa actus. Quare veteres Patres citati c. 7. Origenes, Athanasius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, & præterea Iustinus (aut quicunq; fuit auctor) in quæstionibus Gentilium, q. 58. Epiphanius hær. Cainorum, docent non ideo res euenire, quia Deus præsciuit futuras, sed ideo Deum præsciuisse, quia futuræ erant.

Ex his ad Primam obiectionem Respondeo, Ex eo quod Deus omnia futura prænoscit, nec potest eius præscientia falli, non sequi vt res omnes futuræ ex necessitate eueniant, necessitate cõsequentis, sed solũ necessitate consequentiæ: hoc est, tantum sequi, vt infallibiliter eueniant, non autẽ vt absolutè non potuerint nõ euenire.

Ad Alteram obiectionem Respondeo, aliquã scientiam Dei esse caussam rerum, non autem scientiam, siue præscientiam, de qua loquimur. Dvplex enim in Deo scientia est, Altera, simplicis intelligentiæ, qua Deus cognoscit res omnes, quæ quoquo modo esse possunt: Altera, visionis, qua cognoscit ea solum, quæ re ipsa sunt, vel erunt, aut fuerunt. Visio enim terminatur ad existentiam rei, non ad solam possibilitatem. Et quamuis in Deo sint omnia simul: vel potius omnia sint vnum: tamen iuxta modum nostrum intelligendi simplex intelligẽtia prior est visione, cum inter eas media sit voluntas.

Itaque

Itaque Primvm Deus intelligit res omnes, quę quoquo modo esse possunt; Deinde, volũtate decernit ex his, quas vélit re ipsa aliquando existere; Postremo, res illas, quas voluit existere, intuetur in suo tempore existentes, & si tempus illud nondum aduenit, præuidet, ac prænoscit. Ex quo sequitur, vt scientia, quæ est caussa rerũ ex doctrina S. Augustini lib. 15. de Trinit. cap. 13. non sit scientia visionis, sed scientia simplicis intelligentiæ. Scientia enim visionis pręsupponit existentiam rerũ, sicut scientia simplicis intelligentiæ præsupponit rerum possibilitatem; semper enim cognitio præsupponit obiectum.

Porrò præscientia non est simplex intelligentia, sed scientia visionis, vt notum est, cùm præscientia non sit rei possibilis, sed rei certò futuræ in aliquo tempore, ac per hoc præscientia non est caussa rerum, nec ideo res sunt futuræ, quia Deus eas prænoscit, sed ideo Deus eas prænoscit, quia sunt futuræ, vt veteres Patres suprà citati rectè docuerũt, & potest res tota exemplo rerum humanarum facilè explicari. Siquidẽ apud homines ij, qui rem aliquam ex arte moliuntur, vt domum, vel arcem, aut aliquid eiusmodi, primum mente concipiunt formam, qua possit res fieri, sed nondum sciunt esse futuram; deinde postquam cognouerunt rem illam secundum formã conceptam posse fieri, & ritè succesſuram, si velint admouere manum ad opus, decernũt omnino eam facere, & tum demum præscire possunt rem esse futuram. Cæterùm caussa operis non est præscientia ista rei futuræ, sed forma illa initio concepta, ad cuius similitudinẽ opificium extruitur.

Cùm igitur præscientia non sit caussa rerum, & præsupponat decretum voluntatis, quod verè caussa est omnium rerum, tota difficultas reuocatur ad cõcordiam libertatis humanæ cum decreto voluntatis diuinæ, quæ est pars altera prouidentiæ.

CAPVT XIV.

Refelluntur tres opiniones de concordia cooperationis diuinæ, cum libero arbitrio.

SVPEREST obiectio, quæ ducitur à repugnantia cooperationis diuinæ voluntatis cũ libertate humana. Est autem hæc obiectio: diuina voluntas est prima caussa omniũ rerum, & iam ab æternitate decreuit quid velit, aut non velit fieri; nulla igitur esse potest in homine libertas arbitrij; nam prima caussa efficacissima est, & secundũ Scripturas, non potest vllus diuinæ resistere voluntati.

Confirmat hanc obiectionem Caluinus ab experientia. Nam in rebus minimè perplexis sæpè deficit nobis, & mens & ratio, ita vt miremur posteà, quomodo nõ viderimus, quod erat ante oculos; contrà autem sępè in rebus obscurissimis continuò affulget cõsilium optimum, quo res tota facili negocio expeditur. Pari ratione quod attinet ad effectum, sæpè in rebus minimè arduis animus flacceſcit; in rebus autẽ difficillimis, & periculosis, animus suppetit omni difficultate superior. Ex quo intelligi potest, mentes nostras à Deo regi, & gubernari, iuxta illud Prouerb. 20. *Vt auris audiat, & oculus videat, Dominus facit vtrunque.* Et cap. 21. *Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit inclinabit illud.*

Ad hanc obiectionem variis modis responderi solet. Primvm enim Caietanus in 1. par. quæst. 22. art. 4. docet, concordiam istam liberi arbitrij cum diuina prouidẽtia videri inexplicabilem, & non intelligibilem in hac vita. Et quidem si ita se res haberet, non tamen neganda esset vel prouidentia Dei, vel libertas hominum. Potest enim facilè cõtingere, vt aliquid ab vna parte manifestè consistet, ab altera sit maximè dubiũ, & obscurum; & tunc non est negandum vnũ propter alterum: *Nunquid* inquit S. Avgvstinvs libro de bono perseuerãtiæ. cap. 14.) *ideo negandum est, quod apertum est, quia comprehendi non potest, quod occultum est?*

Sed quamuis res hæc sit obscura, atque abdita valde, vt Caietanus rectè monuit, tamen conandum est, rebus etiam obscuris aliquod lumen adferre. Durandus in 2. sentent. dist. 37. quæst. 1. nullo ferè negocio rem tãtam se expediuisse credidit, cùm docuit, nullum requiri diuinæ voluntatis concursum ad actiones caussarum secundarum, sed satis esse ipsas naturas, earumque virtutes, & vt Deus, sicut vtralque condidit, ita vtralque conseruet. Sed hanc sententiam falsam esse, & Scripturis, Patrumque testimoniis, ac rationi repugnare, paulò ante docuimus.

Est igitur Tertia aliorum sententia, qui fatentur, Deum suo concursu determinare actionem voluntatis humanæ, & eo posito non posse humanam voluntatem non agere; tamen esse liberam absolutè, vel quia (vt scribit Iacobus Almaynus in moralibus, cap. 1. & 2.) Dei cõcursus non est de prærequisitis ad actionem liberi arbitrij, sed de comitantibus: illa autem est potentia libera, quæ positis omnibus prærequisitis potest agere, & non agere, vel quia, vt docent alij, concursus Dei determinãs humanam voluntatem, non impedit, quo minus homo plenum, atque perfectum habeat iudicium rationis, & proinde iudicet aliud mediũ esse contingens, aliud cum fide ex necessitate connexum. Hæc enim est radix libertatis, & vbicunque radix ista reperitur, ibi etiam libertas reperitur.

Hæc sententia mihi probari non potest, multis de caussis. Primo, quia rationes, quibus ipsi defendunt libertatem arbitrij, non videntur solidæ: falsum enim est, quod Almaynus dicit, concursum Dei non esse de prærequisitis. Nam si voluntas humana est de prærequisitis, quia est caussa actionis, cur concursus Dei, qui est etiam caussa actionis, non erit de prærequisitis? neque verum esse videtur, quod scribit quidã, satis esse ad liberum arbitrium, vt homo plenum, atque perfectum habeat iudicium rationis. Requiritur enim præterea, vt homo sit Dominus suæ actionis, & possit agere, & non agere. Ideo enim Græci liberum vocant αὐτεξούσιον; id est, suæ potestatis. Qui autem determinatur ab alio ad aliquã actionem, certè non est Dominus illius actionis. Quocirca licet beati habeant plenum, & perfectum iudicium, respectu visionis diuinæ, tamen non sunt liberi circa illam, quia determinati sunt ad vnum, nec possunt illam non velle. Et nos omnes non minus perfecto iudicio cognoscimus media necessariò connexa cum fine, quàm media connexa contingenter: & tamen circa posteriora liberi sumus, non circa priora, quia videlicet, posteriora possumus non eligere, non autem priora.

Itaque verum est, ibi esse liberum arbitriũ, vbi est radix libertatis, id est, cognitio contingentiæ mediorum; non quia non requiratur dominium actionum, sed quia Deus nemini dedit illam cognitionem cõtingentiæ mediorum, cui etiam non dederit dominium actionũ. Frustrà enim dedisset illam cognitionem, nisi dedisset vim consultiuam, & frustrà dedisset vim consultiuam, nisi dedisset dominium actionũ, & indeterminationem, in qua consistit vera libertas.

At, inquies, Deus non potest velle, & non velle, sed ab æterno est determinatus ad vnum: & tamen quia iudicat res creatas non esse sibi necessarias, liberum arbitriũ circa eas habere dicitur. Respondeo, Deum determinatum esse ad vnum ab æterno, sed à se ipso, non ab alio, & potuisse determinare se ipsum ad aliud, & ideo verè, & propriè Dominum esse actionum suarum ad extra: quare ipse etiam homo, qui ad imaginem Dei creatus est, vt sit verè liber, non solum habere debet plenum, & perfectum iudicium, sed etiam dominium actionum suarum, vt se ipse determinet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DEINDE, videtur hæc sententia parum consentanea Scripturæ, quę Ecclesiastici 15. dicit, hominem relictum in manu consilij sui, vt ad quodcunque voluerit extēdat manum suam. Quomodo enim relinquitur in manu consilij sui, qui in omnibus actionibus determinatur ab alio, cui resistere nullo modo potest? Scripturæ etiam, quas supra citauimus, quæ dicunt hominem habere optionem eligendi hoc, aut illud, sine dubio significant, hominem Dominum esse suarum actionum, & indeterminatum.

TERTIO, videtur repugnare testimoniis Patrum. Sic enim loquitur S. IOANNES CHRYSOSTOMVS hom. 11. in Ioānem: *Anima sui iuris vim in se habet operandi, neque vlla in re Deo, nisi velit, obtemperat.* Item homil. 42. ad populum Antiochenum: *Oportet*, inquit, *nos prius eligere bona, & ille sua tunc inducit: nostras non præuenit voluntates, ne nostram temeret libertatem.* Quo loco sanctus Doctor non negat gratiam præuenientem, vel Dei cooperationem, quā alibi sæpè confitetur, sed negat præuentionem determinantem ad vnum, ita vt non sit verè in potestate hominis facere, vel omittere.

S. HIERONYMVS in commēt. cap. 26. Hier. *Verbum*, inquit, *ambiguum (forsan) maiestati Domini non potest conuenire, sed nostro loquitur affectu, vt liberum homini seruetur arbitrium, ne ex præscientia eius quasi necessitate, vel facere quid, vel non facere cogatur. Non enim ex eo, quod Deus scit, futurum aliquid, idcirco futurum est. Sed quia futurum est, Deus nouit.* Hoc loco sanctus Hieronymus negat, præsciētiam esse caussam futurorum, ne liberū destruatur arbitrium. At si præsciētia destrueret liberū arbitrium, si esset caussa futuræ actionis humanæ; quanto magis illud destruet prædeterminatio diuinæ voluntatis, si ponatur caussa actionum humanarum, cùm longè magis libertati repugnet prædeterminatio, quàm præscientia? Idem S. Hieronymus in epistola ad Damasū de filio prodigo: *Dedit*, inquit, *homini mentis propriæ libertatē, vt vtueretur vnusquisq; non ex imperio Dei, sed ex obsequio suo, id est, non ex necessitate, sed ex voluntate.* Vbi illud (*non ex imperio Dei*) non significat, liberum esse hominem ab obligatione præceptorum Dei, sed liberū esse à necessitate determinante ad vnum.

S. AVGVSTINVS lib. 7. de ciuitate Dei, cap. 30. *Sic*, inquit, *administrat omnia, quæ creauit, vt etiam ipsa proprios exercere, & agere motus sinat.* At certè proprium est liberi arbitrij, Dominum esse suæ actionis, atque ad eam se determinare, non ab alio determinari.

S. GREGORIVS NYSSENVS lib. 7. de Philosophia, cap. 1. & 2. docet, actiones liberi arbitrij non esse referendas vt in caussam, in Deū, sed in nos ipsos; & ideo eas dici esse in nostra potestate.

S. IOANNES DAMASCENVS libro 2. cap. 30. *Opere precium*, inquit, *est agnoscere, omnia præscire Deum, non autem omnia prædefinire, ac prædestinare. Præscit enim & ea quæ in nobis, non prædefinit autem hæc.*

QVARTO, repugnat præcipuis auctoribus Scholasticis. Nam S. BONAVENTVRA in 2. dist. 37. quæst. 1. ad vltimum: *Ad illud*, inquit, *quod obijcitur, quod Deus est principale mouens in tali actione, dicendum, quod verum est: attamen non sequitur ex hoc, quod excitet liberum arbitrium ad faciendum illam operationem. Excitatio enim dicit aliquem effectum gratiæ præuenientem ipsam voluntatem. Hæc autem requiritur in bonis meritoriis: in aliis autem operibus indifferētibus, vel etiam malis, non est nisi sola cooperatio diuinæ virtutis, quæ existens in creatura potentialiter, essentialiter, & præsentialiter, sicut conseruat eam in essendo, sic adiuuat in operando. Propter quod cōceditur ibi esse operationē, non præuentionē.*

GREGORIVS ARIMINENSIS in 2. dist. 34. & 37. quæst. 1. art. 3. *Deus*, inquit, *sequitur determinationē voluntatis: non quod determinatio voluntatis sit aliqua entitas distincta à volitate, & actu eius, quæ primo fiat a volitate, sicut imaginari videtur argumentū; nec etiā intelligendo, quod prius natura voluntas agat actum illum, quā Deus, propriè loquendo de priori naturā: quoniam tunc sequeretur, quod posset illum agere Deo non coagente, sicut patet ex definitione prioris secundum naturam: sed ad hæc sensum dico, Deum sequi determinationem voluntatis, quoniam ideo Deus agit actum illum, quia eum voluntas agit, & non quia Deus agit, ideo voluntas agit. Et ideo dicitur magis proprie Deus coagere voluntati talem actū caussando, quam voluntas dicatur coagere Deo:*

SCOTVS in 2. sent. dist. 37. quæst. 1. §. ad solutionem istorum. &c. differēs de cooperatione primæ caussæ cum secunda libera, docet, nullo modo prius agere Deum, quàm voluntatem, ac per hoc non prædeterminari voluntatem à Deo: *Sicut*, inquit, *in vno instanti naturæ materia materiat, & efficiens efficit: ita duæ caussæ efficientes ordinatæ in vno instanti naturæ caussant effectum communē, ita quod neutra tunc caussat sine altera: sed quod effectus non rectus caussetur, hoc non est tunc propter caussam priorem, quæ quantum est ex se, rectè caussaret, si secunda caussaret, sed propter defectum caussæ secūdæ, quæ in potestate sua habet cēcausare primæ caussæ, vel non concausare, & si non concausset illi, vt tenetur, non est rectitudo in effectu communi amborum.*

S. THOMAS in prima secundæ, quæstione nona, articulo sexto ad tertium sic loquitur: *Ad tertium dicendum, quod Deus mouet voluntatem hominis, sicut vniuersalis motor ad vniuersale obiectum voluntatis, quod est bonum: & sine hac vniuersali motione homo non potest aliquid velle: sed homo determinat se per rationem ad volendum hoc, vel illud, quod est verè bonum, vel apparens bonum.* Vbi illa particula aduersatiua, *sed*, ostendit, determinationem particularem referendam esse in ipsam voluntatem, non in Deum prius determinantem, determinationem autem vniuersalem in bonum in communi, referendam esse in Deum, qui est caussa vniuersalis.

Idem in 1. 2. q. 10. art. 4: *Quia* inquit, *volitas est actiuum principium non determinatum ad vnum: sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam mouet, quod non ex necessitate ad vnam determinat, sed manet motus eius contingens, nisi in his, ad quæ naturaliter mouetur.*

Idem in 1. 2. q. 80. art. 1. ad 3. *Dicendum*, inquit, *quod Deus est vniuersale principium omnis interioris motus humani: sed quod determinetur ad malum consilium voluntas humana, hoc directè quidem est ex voluntate humana. & à diabolo per modum persuadentis, vel appetibilia proponentis.* Item in 2. 2. q. 174. ar. 1. docet iuxta Damascenum, Deum prædestinare ea, quæ non sunt in nostra potestate, præscire autem, sed non prædestinare ea, quæ sunt facienda per liberum nostrum arbitriū. Denique in q. 3. de potentia. art. 7. ad 13. sic ait: *Voluntas dicitur habere dominium actus, non per exclusionem caussæ primæ, sed quia caussa prima nō ita agit in voluntate, vt eam de necessitate ad vnum determinet, sicut determinat naturam; & ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis, & voluntatis.*

CAIETANVS in commentario 1. par. q. 19. art. 8. inquit: *Cooperatio Dei in vnoquoque est secundum naturam vnusquisque, sic enim disponit omnia suauiter. Vnde siue necessario, siue liberè cooperetur Deus, nihilominus creata volūtas liberè vtitur illa cooperatione.*

QVINTO repugnat rationi. Nam IN PRIMIS posita determinatione voluntatis à Deo facta, non videtur posse saluari libertas arbitrij. Illa enim dicitur libera potentia, quæ potest agere, & non agere, at voluntas humana non potest agere, antequam à Deo determinetur ex doctrina aduersariorum; postquam autem à Deo determinata est, non potest non agere, quia intelligi non potest, vt Deus eam moueat, & ipsa non moueatur, siue vt Deus eam determinet, & ipsa non determinetur; igitur nunquam dabitur tempus, quo ipsa verè possit agere, & non agere.

DEINDE, si Deus esset agens necessariū, & determinaret humanam voluntatem, illa non liberè, sed ex necessitate

tate ageret, vt aduersarij admittunt. At perinde est voluntati, vtrum Deus eam necessariò, vel liberè moueat: nam actus voluntatis non ideo liberè procedet à voluntate, quia liberè procedit à Deo: quemadmodum si Deus liberè moueat pecudem ad herbam depascendam, non propterea pecus liberè herbas depascet. Neque ideo sernus ex electione vertit molam pistrini, quia Dominus ex electione cogit illum ad molam pistrini vertēdam. Itaq, siue Deus liberè, siue ex necessitate determinet voluntatem, voluntas à Deo determinata non liberè, sed necessariò agit. Nam Deus quidem liberè determinat, quia est in potestate eius non determinare: at voluntas à Deo præuenta, & determinata non habuit in potestate, id efficere, ne præueniretur, & determinaretur. Proinde actus eius liber quidem est, vt exit à Deo, non tamen est liber, vt exit ab ipsa, & ideo ipsa non est caussa libera, sed necessaria.

AD HAEC si ponatur ista determinatio, non poterit intelligi, quomodo Deus non sit caussa peccati, & quomodo homines qui peccant, non sint digni excusatione. Nam si Deus in omni actu positiuo voluntatem determinat, & mouet ad agendum: certè etiam determinabit, & mouebit ad volendum furari, fornicari, mentiri, blasphemare, &c. quis autem capiat hominem dignum esse pœna, si id velit quod Deus determinando & mouendo facit eum velle? ed de hac re multa diximus in 2. lib. de statu peccati.

DENIQVE sententia, quæ ponit prædeterminationem istam in voluntate, non videtur posse distingui à sententia hæreticorum negantium liberum arbitrium, nisi quoad voces. Nam hæretici non negant, Deum liberè agere, cùm determinat voluntatem nostram, & homines habere plenum, atq; perfectū iudicium rationis cum aliquid eligunt, & sponte, ac voluntariè eligere: sed dicunt decreto Dei, & prædeterminatione omnia fieri, nec posse Deo decernenti, & prædeterminanti resisti. & ideo liberum arbitrium hominis esse titulum sine re, vel rem de solo titulo, id est, nomen inane, & superuacaneum.

Quod si nos etiam admittamus, ita determinari à Deo voluntatem nostram, vt non possit agere, nisi id, ad quod à Deo determinatur, & tamen quia Deus eam liberè determinat, & ipsa voluntariè, & cum pleno iudicio rationis agit, contendamus hominem esse liberi arbitrij, tota controuersia inter nos, & hæreticos, erit de nomine. Vtrum videlicet, homo sit dicendus liberi arbitrij, nec ne. At profectò labores tot hominum doctissimorum, & ipsius Concilij Oecumenici pro asserenda arbitrij libertate consumpti, aliud nobis persuadent. Nec enim ignorabant viri illi sapientissimi, quod S. Augustinus in epist. 28. ad Hieronymum, & alibi admonuit, cum de re constat, non esse de nomine litigandum.

CAPVT XV.

Explicatur vna ratio concordiæ diuinæ cooperationis cum libero arbitrio.

ILLA igitur sententia refutata, DVAE nobis rationes occurrunt satis accommodatæ, ad explicandam concordiam diuinæ cooperationis cum libero arbitrio, & obiectionem superiore capite propositam diluendam.

VNA ratio est iuxta sententiam Gregorij Ariminensis, Scoti, Gabrielis, & aliorum in 2. sent. dist. 37. qui docent. cooperationem diuinam se tenere ex parte effectus, non ex parte caussę, hoc est, concursum Dei non determinare voluntatem nostram, nec aliquid in illam imprimere, aut operari, sed immedia è influere in effectum, eumque producere illo ipso momento, quo à voluntate nostra producitur.

Hinc enim sequitur, vt neque Deus determinet, siue necessitet voluntatem, neque voluntas Deum. Nam & vterque concursum suum liberè adhibet, & si alter nolit concurrere, opus non fiet. Simile est, cùm duo ferunt ingentem lapidem, quem vnus ferre non posset: neuter enim alteri vires addit, aut eum impellit, & vtrique liberum est onus relinquere. Quamquam Deus nisi extraordinariè miraculum operari velit, semper cōcurrit, quando voluntas nostra concurrit, quoniam ad hoc se liberè quodammodo obligauit, quando liberam voluntatem creauit. Ex quo etiam sequitur, vt licet in eodem prorsus momento temporis, & naturæ Deus, & voluntas operari incipiant, tamen Deus operetur, quia voluntas operatur, non contra. Et hoc est, quod aliqui dicunt, voluntatem prius naturā operari, quam Deum, non prioritate instantis, in quo, sed à quo. Sed operæ precium erit soluere argumēta, quæ aduersus hāc sententiā fieri solēt.

PRIMVM argumentum, Inter primam caussam, & secundam est ordo quidam essentialis, vt prima secundam moueat, & secunda non agat nisi mota à prima: est autem Deus prima caussa: voluntas nostra, secunda: igitur Deus voluntatem mouet, & applicat ad opus.

RESPONDEO, Inter caussam principalem, & instrumentariam est ille ordo, vt vna alteram moueat. Inter primam autem caussam, & secundam, cùm secunda non est propriè instrumentum, non est ordo, vt vna alteram moueat, sed vt vna sit prior altera perfectione, illimitatione, & necessitate: quia videlicet sit caussa perfectior, & nobilior, & rursus vniuersalior, cùm non limitetur ad vnum, vel alterum effectum: & denique summè necessaria, cùm sine ea nullus effectus fieri possit.

AT, inquies, Scriptura indicat, homines esse instrumenta Dei: nam Isaiæ 10. dicitur: *Assur virga furoris Dei.* Et ibidem appellatur securis, & serra. SED facilè est respondere, nam dicuntur homines instrumenta Dei, non propriè, sed metaphoricè, quia potest Deus, quādo vult, ita flectere eorū animos: quomodo artifex flectit instrumenta sua. Nam alioqui homo est etiam caussa principalis, cùm sit liber, & dominetur animātibus cæteris. Quomodo autem Deus flectat animos hominum, & tamen non tollat arbitrij libertatem, explicatum est suprà.

SECVNDVM argumentum, Si Deus operatur, quia voluntas operatur, & non contra: certè sequitur, vt Deus pendeat à voluntate, & aliquo modo ab illa determinetur: absurdum est autem, vt Deus pendeat à creatura, & à temporali determinetur æternum.

RESPONDEO, Deus non pendet, nec determinatur à voluntate humana, licet operetur, quia illa operatur: nam liberè Deus condidit liberam voluntatem, & potuisset non condere: & rursus liberè voluit, & ab æterno decreuit concurrere ad opus liberæ voluntatis, quando ipsa operari voluerit: & denique potest etiam, quando vult, non concurrere, si velit præter ordinem à se constitutum aliquid fieri. Itaque Deum operari, quia voluntas operatur, non est Deum pendere à creatura, sed ab æterna sua institutione, & voluntate.

TERTIVM argumentum, Deus est caussa omnium rerum, quæ quoquo modo habent esse: at quod voluntas nostra se determinet, & applicat ad operandum, sine dubio est aliquid, igitur hoc ipsum facit Deus: Deus igitur facit, vt voluntas se determinet, & applicet, ac per hoc ipsam mouet, determinat, & applicat.

RESPONDEO, In eo quod est, voluntatem se determinare ad opus, siue (quod idem est) re ipsa operari cùm antea non operaretur, TRIA considerari possunt, voluntas, actio eius, & egressus actionis à volūtate, siue relatio, & habitudo actionis tanquam effectus ad voluntatem, vt ad caussam. Ex his tribus, voluntas sine dubio à solo Deo facta est: actio quoque fit à Deo, quamuis non solo: denique relatio propriè non fit, sed consequitur: tamen vt est idem re cum actione, ab eo fit, à quo actio ipsa fit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Itaque nihil est, quod non fiat à Deo, & tamen non A
desistit Deus determinare, vel applicare voluntatem ad
opus, quia relatio illa non refertur ad Deum, sed ad so-
lam voluntatem. Referretur autem etiam ad Deum, si ip-
se vteretur voluntate tanquam instrumento ad illam
ipsam actionem faciendam.

QVARTVM argumentum, Actus voluntatis est actio
vitalis, & immanens, igitur non potest immediatè fieri,
nisi a principio intrinseco, & vitali. Proinde Deus non
concurrit ad illam actionem immediatè producendam,
sed mediante voluntate nostra.

RESPONDEO, Concursus Dei est generalis, & in-
differens quidam influxus, qui à causis secundis modifi-
catur, & determinatur, saltem quoad specificationem, vt
diximus in libro de caussa peccati. Et colligitur etiam ex
S. Thoma in lib. 3. contra Gentes, cap. 66. vbi dicit, caus- B
sas secundas esse particulantes (sic enim loquitur) & de-
terminantes actionem primi agentis. Porrò actio immanens, & vitalis nō potest produci, nisi ab intrinseco prin-
cipio, vel ab extrinseco modificato, & determinato ab
ipso intrinseco.

QVINTVM argumentum, prouidentia Dei extendi-
tur ad omnia, etiam singularia, & contingentia, & libera:
igitur Deus ab æterno determinauit omnes effectus, ac
per hoc etiam determinauit caussas secundas ad eos pro-
ducendos. Nam alioqui si effectus liberi, & cōtingentes
non essent prædeterminati à Deo, sed tales essent, quia
tales sunt caussæ secundæ: præter intentionem Dei fie-
rent, quod absurdum esse demonstrat S. Thomas in 1.
part. vel q. 19. art. 8. vbi concludit, Deū præparasse caus-
sas alias necessarias, alias contingentes, vel liberas, quia C
tales esse voluit effectus: non contra, ideo voluisse effe-
ctus esse alios necessarios, alios contingentes, vel libe-
ros, quia tales sunt caussæ.

RESPONDEO, Deus ab æterno determinauit omnes
effectus, sed nō ante præuisionem determinationis caus-
sarum secundarum, præsertim contingentium, & libera-
rum: & rursus determinauit omnes effectus, sed non eo-
dem modo: alios enim determinauit futuros se operan-
te, vel cooperante, alios se permittente, vel non impe-
diente: neq; ratio prouidētiæ postulat, vt Deus ante om-
nem præuisionem omnia prædeterminauerit, sed solum
vt nihil fiat sine eius præuisione, & cooperatione, vel per-
missione. Alioqui enim etiam peccata prædeterminas-
set antè præuisionem malæ voluntatis, & ideo malā vo-
luntatem esse voluisset, vt inde peccata iā antè prædeter- D
minata prodirent, quæ est hæresis absurdissima, & aper-
ta blasphemia. Neque Dominus in Euangelio diceret, vnū
ex passeribus non cadere in terram sine Patre nostro: sed
diceret, vnum ex passeribus non cadere in terram, quem
Pater noster in terram non deiiciat.

Quod autem S. Thomas dicit, Deum instituisse quas-
dam caussas contingentes, vel liberas, quia tales esse vo-
luit effectus: videtur intelligendum de effectibus in vni-
uersum, non in particulari, id est, quia voluit Deus in hoc
mundo non omnia fieri necessariò, sed aliqua contingen-
ter, vel liberè, ideo caussas instituit rum necessarias, tum
contingentes, & liberas: tamen in particulari non ideo
instituit istam caussam liberam, quia voluit hunc effe-
ctum liberū, sed contra voluit hunc effectū esse liberum, E
quia caussam habet liberam. Nam hoc modo neque res
contingentes eueniunt, præter intentionem Dei, neque
prima radix contingentiæ sunt caussæ secundæ, & tamen
prouidentia non impedit liberum arbitrium.

Quod autem S. Thomas loquutus sit in genere, & non
in particulari, cognosci potest ex 1. par. q. 23. ar. 7. vbi di-
cit, Deum determinasse numerum partium essentialium
mundi, vt cœlorum, elementorum, & omnium speciē-
rum: tamen non determinasse numerum indiuiduorum
corruptibilium, vt culicum, muscarum, &c. neque vt hæc
musca hodie nascatur, cras illa: sed tātum in genere pro-
uidisse, & prouidere, vt non deficiat ipsa species vlla animā-
lium. Quod si prouidentia diuina non prædeterminauit
in particulari individua substantialia, licet ea præuiderit
futura, & voluerit cooperari caussis secundis in eorū
productione: multò minus determinauit in particulari
omnes actiones transeuntes liberas, licet eas præuiderit,
& decreuerit cooperari, vel impedire; vel permittere, si
malæ sint, & bonum aliquid ex eis elicere.

SEXTVM argumentum, si Deus non omnia prede-
terminaret antè præuisionem determinationis secunda-
rum caussarum, non posset omnia certò præscire. Nam ac-
tiones liberas futuras non videt Deus in ipsis actioni-
bus, quia non sunt: nec videt in caussa secunda, id est, in
volūtate humana, quia illa indeterminata est, & omnibus
positis, quæ requiruntur ad agendū, potest nō agere: nec
videt in caussa prima exēplari, id est, in idea, quia illā re-
præsentat omnia possibilia, siue futura sint, siue non sint:
nec videt in æternitate sua, quæ ambit omnia tempora.
Nam etiamsi æterpitas coexistat omni tempori, tamen
tempus futurum non coexistit æternitati, nisi quando re
ipsa existit, id est, cum præsens est: proinde futurum, dum
est futurū, non est, neq; in se cognosci potest. Addequod
Deus cognoscit etiam quædam, quæ nunquam erunt, vt
cum 1. Reg. 23. petenti Dauidi, num tradent me viri Ce-
ilam? respondit, tradent: & cum Mat. 11. prædixit Domi-
nus Tyrios & Sidonios pœnitentiā acturos fuisse, si mi-
racula vidissent, quæ Capharnaitæ viderunt. Hæc & si-
milia conditionalia Deus certò prænoscit, & tamen in is
ipsis nunquam extabunt, neque æterninati vnquam coe-
xistent. Igitur aut videt in sua voluntate, tanquam in pri-
ma caussa efficiente, & efficacissima, aut nullo modo
videt.

RESPONDEO, res est omnino difficilis, & fortasse
in hac vita incomprehensibilis, qua ratione Deus futura
prænoscat. Et hoc videtur indicasse Dauid in Psal. 138.
cum ait: *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est,
& non potero. ad eam.* Illud enim (*ex me*) Hebraica phrasi
significat (*pra me*) siue (*super me*) vt sensus sit: mirabilior
est modus scientiæ tuæ, quàm vt ego eum comprehen-
dere possim. Quomodo videlicet, intellexeris cogi-
tationes meas de longè, & omnes semitas meas inuesti-
gaueris, &c.

Probabile tamen nobis videtur, Deum futuras actio-
nes liberas non videre nisi in humana voluntate. Id e-
nim significat in primis Scriptura, cùm dicit, Deū scru-
tari renes, & corda, & in hoc Psal. 138. Deum inuestiga-
re omnes semitas nostras. Nam si videret eas in sua vo-
luntate prædeterminante omnia: non diceretur scrutari
corda nostra, & inuestigare semitas, sed intueri volunta-
tem suam. Deinde non esset mirabile, Deum omnia præ-
noscere, si omnia prædeterminaret. Nam & nos facilè
præscimus, & prædicimus, quæ factuti sumus: at S. Dauid
in toto illo Psal. 138. miratur scientiam Dei, qua præui-
det omnes vias nostras, & intelligit cogitationes nostras
de longè, &c.

Ad hæc S. Augustinus lib. 11. Confess. c. 18. satis aper-
tè hoc docet, cum ait: *Quoquo modo se habeant arcana præ-
scientiæ futurorum: videri nisi quod est, non potest: quod autem
iam est non futurum, sed præsens est. Cum ergo videri dicuntur
futura, non ipsa, quæ nondum sunt, id est, quæ futura sunt, sed eo-
rum causse, vel signa forsitan videntur, quæ iam sunt. Ideo non
futura, sed præsentia sunt iam videntibus, ex quibus futura præ-
dicantur animo concepta.* Hæc ille.

Deus igitur quia perfectè cognoscit omnes propen-
siones, & totum ingenium animi nostri, & rursum non
ignorat omnia, quæ illi possunt occurrere in singulis de-
liberationibus, & deniq; perspectum habet, quid magis
congruum, & aptum sit, vt moueat talem animum tali
propensione, & ingenio præditum, infallibiliter colligit,
quam

quam in partem sit animus inclinaturus. Et hoc fortasse A
sibi volunt, qui docent, Deum cognoscere futura omnia
tam libera, quàm necessaria, & tam absoluta, quàm con-
ditionalia, quia cognoscit omnē veritatē; & quia omnia,
quæ quoquomodo futura sunt, aliquo modo vera sunt;
verum enim est dicere, hoc erit, quando re vera est fu-
turum.

Hæc, inquam, sententia videtur coincidere cū nostra.
Nam verum, & ens conuertuntur, & ideo non est verum,
modo aliquid esse futurum, nisi illud, *modo*, habeat ali-
quod esse, nimirū in caussa; non autē habet esse in caussa
id, quod est liberè, & contingenter futurum, nisi quan-
do in caussa est aliqua determinatio. Et quoniam in ipsa
contingente caussa præcisè considerata, nulla est deter-
minatio, ideo verè dixit Philosophus, de futuris contin- B
gentibus, non esse determinatam veritatē, respexit enim
ad ipsam solam caussam contingentem. Tamen si quis
coniungat cum caussa cōtingente, vel libera omnia quæ
possunt occurrere, & impedire, & videat propensiones,
& aptitudines tum ipsius caussæ, tum omnium obiecto-
rum, & circumstantiarum, quod solus Deus facere po-
test, existet inde aliqua determinatio, & ratione illius
verum erit dicere, hoc erit tali tempore.

CAPVT XVI.

*Explicatur altera ratio concordiæ libertatis cum coope-
ratione Dei, & soluitur obiectio, cap. 12. proposita.*

ALTERA ratio conciliandi libertatē hu-
manam cū cooperatione diuina, & for-
tasse etiam probabilior est, iuxta sen-
tentiam S. Thomæ, qui docet, cooperationē
diuinam ita cōcurrere cū secundis caus-
sis etiam liberis, vt non solū eis dederit, & cōseruet vir-
tutes operatrices, sed etiā eas moueat, & applicet ad op^{a},
vt cognosci potest ex 1. par. q. 105. ar. 5. & lib. 3. cōtra gē-
tes, cap. 70. & in q. 3. de potentia, art. 7. quæ sententia vi-
detur valdè cōsentanea, tum Scripturæ, quæ dicit nos in
Deo esse, viuere, & moueri, Act. 17. tum etiam rationi &
ordini, quē habet prima caussa cum secūdis; neque labo-
randum est in hac sentētia, vt ostendamus, nihil omnino
fieri sine Deo. Sed tamen habet etiam hęc sententia suas
difficultates, quas breuiter explicabimus antequam ex- D
ponamus, quemadmodum iuxta hanc sententiam salue-
tur liberum arbitrium.

OBIICIVNT igitur aliqui cōtra sententiam S. Tho-
mæ, non posse intelligi quomodo Deus moueat, & ap-
plicet caussas secundas. Nā si Deus mouet caussas secun
das, vel mouet locali motu, vel alteratiuo; nō locali, quia
caussæ secundæ, vt plurimum immotę secundùm locum,
agere possunt; ignis enim nō eget motu locali, vt cōbu-
rat ſtupā vicinā; & multò minus humana voluntas eget
motu locali, vt aliquid velit. Non etiam alteratiuo, quia
tunc aliqua qualitas imprimi deberet in caussa secunda:
Nulla autem talis qualitas necessaria est, neque ex parte
Dei, qui operatur omnia per actum suæ voluntatis; ne-
que ex parte caussę secundæ, quæ iam habet virtutē ope-
ratricem à natura. E

DICES, necessariam esse ex parte Dei, & ex parte
caussæ secundæ; ex parte Dei, vt per eam qualitatem at-
tingat effectum: ex parte caussæ secundæ, vt determine-
tur, & applicetur ad operādum. CONTRA, nam Deus nō
eget qualitate, vt attingat effectum, & præterea si egeret
qualitate, vt effectum attingeret, non in caussa, sed in ef-
fectu illam imprimeret: porro caussa secunda præsente
obiecto, non videtur indigere alia determinatione, vel
applicatione.

Ad hanc obiectionem RESPONDEO, Deū non mo-
uere localiter caussam secūdam, neque in illa qualitatem
vllam imprimere, sed tātum illa vti tanquam instrumen-
to ad opus efficiendum, quocirca virtus à Deo impressa
per modū transeuntis, dum caussa secunda operatur, non
distinguitur ab ipsa virtute naturali, sed est illa eadem,
quatenus illa Deus vtitur ad illam actionem perficien-
dam. Est autem necessaria hæc motio Dei ex parte caus-
sæ secundæ, quæ cum sit talis, id est, secunda, habet ne-
cessariam dependentiam à caussa prima, in cuius virtute
operatur. Vide quæ diximus de virtute Dei in Sacra-
mentis impressa per motum, libr. 2. de Sacramentis in
genere cap. 11.

His expiicatis, vt ostendamus, iuxta hanc sancti Tho-
mæ sentētiam, rectè defendi liberum arbitriū, SCIEN-
DVM est, influxum, seu virtutē Dei, qua voluntas moue-
tur, & applicatur ad opus, recipi in caussis secundis, secū-
dum earum dispositionem (vt idem S. Thomas in 1. quæst.
3. de malo art. 2.) *Attendendum*, inquit, *quod motus primi
mouentis, non recipitur vniformiter in omnibus mobilibus, sed
in vnoquoque secundum proprium modum.* Et in 1. 2. quæst.
10. art. 4. *Ad prouidentiam*, inquit, *Dei pertinet, naturā non
corrumpere, sed seruare. Vnde omnia mouet secundum eorū con-
ditionem.* Et infrà: *Quia*, inquit, *voluntas est actuum princi-
pium non determinatum ad vnum, sed indifferenter se habēs ad
multa: sic Deus ipsam mouet, quod non ex necessitate ad vnum
determinat, sed remanet motus eius contingens, & non necessa-
rius, nisi in his ad quæ naturaliter mouetur.* Hæc ille.

Porrò iste modus, seu conditio in voluntate, secundū
quam recipitur in eo motus Dei, nihil aliud est, nisi ne-
gatiua quædam determinatio præcedens tum influxum
Dei, tum actum elicitum volūtatis. Nimirum quod vo- C
luntas sinat se moueri ab obiecto per rationem sibi pro-
posito, vel nō sinat. Hæc enim determinatio dicitur ne-
gatiua, quia non consistit in actu positiuo, sed in nega-
tione actus, cùm tamen voluntas non minus sit libera, vt
agat, quàm vt non agat.

Explicat id S. Thomas in quæst. 1. de malo art. 3. vbi
dicit, Non vti regula rationis, prætelligi in voluntate
ante inordinatam electionem: huius autē quod est, non
vti regula rationis, nō oportere quærere aliam caussam,
nisi voluntatis libertatem, quia videlicet in eius potesta-
te est, vt sinat se moueri à ratione, vel non sinat. Et rursus
in quæst. 3. de malo art. 2. idem S. Thomas dicit, requiri
in homine dispositionem quandam ad recipiendum in-
fluxum Dei, & iuxta eam dispositionem produci bonū,
vel malum actum. Non potest autem prærequiri ante in- D
fluxum Dei vlla dispositio positiua, cum nihil positiuum
sine Deo fieri possit. Solā igitur prærequiritur dispositio
negatiua.

Atque hinc fit, vt volūtas sit verè libera, & se ipsa de-
terminet, tametsi Deus illā moueat, & applicet ad opus,
quoniam ipsa Dei motio in eius potestate est, siue (vt lo-
quitur Caietanus in 1. par. q. 19. art. 8.) Dei motione vo-
luntas nostra liberè vtitur. Nam si se moueri sinat ab ob-
iecto proposito, Deus eam applicat, & mouet ad actum
eliciendū, si non sinat, Deus eā non applicat, neque mo-
uet. Et ideo S. Thomas in 1. 2. q. 10. art. 4. ad 3. cōcludit,
posita Dei motione, impossibile esse vt voluntas nō mo-
ueatur; absolutè autem non esse impossibile. Quia vide-
licet potest voluntas non se disponere per negatiuā de-
terminationem ad motionem Dei recipiendam.

Simile est, quod suprà diximus de cōcordia vltimi iu-
dicij practici, & liberæ electionis. Sicut enim posito vl-
timo iudicio practico fieri non potest, vt voluntas non
eligat id, quod tunc ei à ratione proponitur; & tamē ele-
ctio libera est, quoniā ipsum iudicium practicum est in
potestate voluntatis, propter negatiuam præcedentem
determinationem: sic etiam posito influxu Dei fieri non
potest, vt voluntas non operetur; & tamen operatio li-
bera est, quoniam influxus Dei non ponitur, nisi prius
voluntas per negatiuam determinationem ad illum re-
cipiendum se disponat. Aduersus hanc sententiam fieri

Universidad de Deusto
Biblioteca

pessent duo postrema argumenta, quæ facta sunt aduersus sententiam capitis superioris, de prouidentia rerum omnium in particulari, & de modo, quo Deus cognoscit futura contingentia: sed ea iam proposita, & explicata sunt.

Ex his igitur facilè responderi potest ad obiectionem Caluini propositam initio cap. 12. Erat autem hæc obiectio, Voluntas diuina est prima caussa omnium rerum, & iam ab æternitate decreuit quid velit aut non velit fieri: nulla igitur esse potest in homine libertas arbitrij; nam prima caussa efficacissima est, & secundùm Scripturas non potest vllus diuinæ resistere voluntati.

RESPONDEO, voluntas diuina est quidem prima caussa omnium rerum, & ab æterno decreuit quid velit, aut non velit fieri; sed in particularibus, & maximè liberis actionibus, id non decreuit, nisi præcognita prius dispositione, & determinatione secundarum caussarum, vt suprà ostendimus. Quocirca licet nemo possit diuinæ resistere voluntati, manet tamen integra libertas humanæ voluntati, quia Deus ipse, cui nemo resistere potest, hoc voluit, vt animus humanus liber esset, & actiones suas in potestate haberet, & ideo decreuit, ei cooperari, vel eam applicare, & mouere, quotiescunque per negatiuam determinationem se ipsa disponeret.

Addebat Caluinus confirmationem ab experientia, quod in rebus minimè perplexis sæpe nobis consilium deficiat: & contra in rebus obscuris nonnunquam repente lux affulgeat: & similiter quod attinet ad affectum, sæpe in rebus minimè arduis animus flaccescat, in difficilibus autem erigatur. Quod argumetum esse, mentes nostras à Deo regi, & gubernari.

RESPONDEO verissimum est, Dei prouidentiâ regi animos nostros, & interdum a Deo suppeditari expeditum consilium, & ingentem fiduciam in rebus arduis; & in rebus facilibus non suppeditari. Cæterùm nihil id facit contra libertatem arbitrij; nam suppeditatio consilij, & inflammatio voluntatis, non determinat ex necessitate homines ad eligendum vnum potius, quàm alterum. Alioqui sapientes, & eloquentes homines, qui sæpe auditores suos ducunt, ac flectunt pro vt ipsi volunt, libero arbitrio illos priuarent.

Sed est etiam caussa naturalis eius rei, quam tantopere Caluinus miratur. Naturale enim est, vt homines difficultate rei perspecta excitentur, & contra nitantur, facilia verò & tuta despiciant. Mirum autem non est, si consilia suppetant, cùm animus ad rem cogitandam vehementer intenditur, & si consilium non occurrat, cùm res negligitur. Sic nimirum & ferrum cote acuitur, & per antiparistasim contraria ad contrariorum præsentiam vehementius roborantur.

* * *

LIBER

LIBER QVINTVS, DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO.

CAPVT PRIMVM.

Proponitur quæstio de cognitione veri moralis.

DISSERVIMVS hactenus de viribus humanis, & libertate arbitrij, circa res naturales. Nunc de moralibus agendum erit. PRIMVM, An possit viribus naturæ cognosci verũ aliquod morale. DEINDE, An iidem viribus fieri possit actio aliqua verè bona moraliter. POSTREMO, Sitne homo liberi arbitrij in huiusmodi actionibus peragendis, vel omittendis.

Quæritur igitur, possitne homo viribus naturę, sine auxilio gratiæ specialis verũ aliquod morale cognoscere. Vbi TRIA præmittẽda sunt, vt quæstionis status clarior innotescat; quid intelligamus nomine GRATIÆ, quid nomine VERI MORALIS, & quid nomine COGNITIONIS.

Per auxilium GRATIAE non intelligimus gratiam iustificantem, sed motionem, & directionem diuinam, qualem peccatores quoque habere possunt. Satis enim constat tum ex testimonio sancti Augustini lib. 1. Retract. cap. 4. tum ex communi omnium consensu, iniustos, & peccatores, aliqua vera, non solùm naturalia, sed etiam moralia, & supernaturalia posse cognoscere. Sed vtrum id possint viribus suis, an Deo speciali auxilio iuuante, in controuersia est.

Nomine autem VERI MORALIS, non accipimus verum morale vniuersè consideratum, vt Deum esse colendum, parentes venerandos, filios diligendos; id enim non minus facilè potest intelligi, quàm verum naturale theoricum: Sed verum morale cũ omnibus circũstantiis, quæ necessariæ sunt, vt actio voluntatis, ei vero conformis, sit actio virtutis, vt cùm quis iudicat, sibi hoc tẽpore eleemosynam faciendam: vel quod mutuo est acceptum, esse restituendum hoc tempore, quia ratio iustitiæ nunc id fieri postulat.

DENIQVE nomine COGNITIONIS nõ intelligimus simplicem apprehensionem, sed etiam iudicium, & iudicium non illud vltimum, ad quod ex necessitate sequitur electio. Id enim ex voluntate dependet, sed iudicium, præcedens imperium voluntatis, quale inter consultandum exerceri solet.

His prænotatis ad propositam quæstionem quidam Theologi respõdent, nullum verum morale posse ab intellectu humano, in statu naturæ corruptæ, sine speciali Dei auxilio, cognosci. Ita docuit Gregorius Ariminen. in 2. Sent. distinct. 26. quæst. 1. art. 1. conclusione 2. & distinct. 29. quæst. 1. art. 2. quem sequutus est ex antiquioribus Ioan. Capreolus in 2. distinct. 28. quæst. vnica, ar. 3. in responsione ad argumenta contra primam conclusionem, ex recentioribus Gaspar Cassalius lib. 1. de quadripartita iustitia, cap. 32.

Contrà sentiunt, posse cognosci viribus naturæ, & auxilio Dei generali, aliquod verum morale: Omnes ferè alij Theologi, vt Albertus in 2. distinct. 28. art. 1. Sãctus Bonauentura ibidem, art. 2. quæst. 3. Scotus ibidẽ quæst. vnica. Richardus ibidẽ. Durãdus ibidem, quæst. 1. Dominicus à Soto lib. 1. de natura & gratia, cap. 20. & idẽ docere videtur S. Thomas in 1. 2. quæst. 109. art. 1. Quę sententia posterior verissima nobis esse videtur, & eo libentius eam amplectimur, & defendimus, quo magis displicet aduersariis, ac præsertim Ioanni Caluino in 2. libro Institut. cap. 2. §. 24. 25. & 26.

CAPVT SECVNDVM.

Probatur, posse hominem suis viribus cognoscere aliquod verum morale.

DICIMVS igitur in statu naturæ corruptæ non ita extinctum esse lumen rationis practicæ, quin possit cum solo auxilio Dei generali, aliquod verum morale cognoscere, quamuis alioqui in multis sæpè fallatur, & erret, nisi diuina illustratione, & gubernatione dirigatur.

POSTERIOREM huius sententiæ partem, satis probat experientia, neque opus erit de ea differere, cùm neque ab vllo negetur, & multa sint à nobis dicta in 3. lib. de peccato originis, capite 9. PRIOREM partem probare possumus ex diuinis literis, ex Patrum testimoniis, & ex ipsa ratione.

Ex diuinis literis habemus in primis illud Psal. 4. *Multi dicunt, quis ostẽdit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Vbi Propheta docet, non posse excusari per ignorantiam, homines, si non seruãt præcepta moralia, cum ab ipsa natura lumen in corde impressum habeant, vt S. Cyrillus exponit lib. 1. in Ioan. cap. 9.

Non dissimilis locus est in Psal. 57. *Si verè vtique iustitiam loquimini, rectè iudicate filij hominum.* Significat enim Propheta, oẽs homines habere in corde impressa quædam præcepta iustitiæ, & ideo inexcusabiles esse, cum ea non seruant, quæ ignorare non possunt: *Cui iniquo*, inquit AVGVSTINVS in comment. huius loci, *non facile est loqui iustitiam? aut quis de iustitia interrogatur, quando cauſſam non habet, non facile respondeat quid sit iustum?*

Huc etiam pertinet illud ad Rom. 1. *Cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt.* Ostendit enim Apostolus, potuisse Gentiles per cognitionem vnius Dei ex creaturis acceptam, abstinere à cultu Idolorum, & ideo esse inexcusabiles, quod veritatem Dei in iniustitia detinuerint, & mutauerint gloriã incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis.

Sed est & aliud insigne testimoniũ in eadem epist. ad Rom. ca. 2. vbi sic Apostolus loquitur: *Cùm gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt, opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, &c.* Quo loco demonstrat Apostolus, Ethnicos, qui legem scriptam non acceperũt, solo lumine rationis quædam cognoscere, quæ ad honestè viuẽdum pertinẽt. Id enim significat illud: *Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*; hoc est, ostendunt, in corde se scriptum habere, quid sit faciendum, vt rectè, & cum ratione viuatur. Quia verò hic locus insignis est, & non solum quæstioni, quam nũc tractamus, sed etiam sequenti deseruiet, paulò diligentius considerandus est.

DVAE sunt huius loci explicationes à veteribus indicatæ. VNA est Origenis, & Ambrosij, in commẽt. ad hũc locũ. Item S. Augustin. in lib. de spiritu, & lit. ca. 26. & 27. & S. Fulgentij lib. de gratia Christi. c. 26. qui totum hũc locu referũt ad Christianos, ex gẽtibus conuersos. Illud autem: *Naturaliter quæ legis sunt faciunt*, docet Augustin. non excludere gratiam, sed positũ esse ad significandũ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

virtutem esse secundùm naturam: vitiũ contra naturam. Ratio potissima huius sententię est, quoniam in hoc ipso capite B. Paulus dicit, factores legis iustificari, ex quo sequitur, vt gentes, quæ legem non habẽtes, quę legis sunt, faciunt, omninò iustificẽtur. Cõstat autem ex hac eadem epist. ca. 3. & 4. neminẽ sine Christi fide iustificari: Quare necesse est, vt gentes, de quibus hîc agitur, non sint infideles, sed fideles.

ALTERA expositio est communior, hæc Apostolica verba de gentib. illis esse intelligenda, quę Christũ ignorantes, solo naturali lumine ducebantur. Ita exponunt Græci cõmuniter, vt Chrysostom. Theodoret. Theophilact. & Oecumeni⁹ in cõment. huius loci. Et auctor operis imperfecti in Matthæum, hom. 8. Itẽ multi ex Latinis, vt S. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum, cap. 99. S. Hieronymus in epist. ad Algasiam, q. 8. & Haymo in hunc locum: Sanctus etiã August. in lib. de spiritu, & lit. cap. 28. non reprobat hanc expositionem posteriorem, tametsi priorem magis probet. Idẽ autẽ in lib. 4. aduersus Iulian. c. 3. vtramque expositionẽ admittit, & in Psal. 118. Concione 25. solius posterioris mẽtionem facit, eaque vtitur ad probãdum, omnes peccatores esse præuaricatores legis, quãdoquidem iuxta hunc locum Apostoli, etiã Ethnici, qui legem videntur non habere legem naturæ scriptã in corde gerant. Denique eadem est sententia recentiorũ, vt S. Thom. Caietani, Dominici à Soto, & aliorũ in hũc locum, Ioan. Driedon. in lib. de captiuitate, & redẽptione humani generis, tract. 4. ca. 2. par. 2. & Ruardi Tapperi in defensione articuli de libero arbitrio.

Hæc explicatio, vt est cõmunior, ita quoque est verior. Nam id constat INPRIMIS ex proposito, & intentione B. Pauli. Voluit. n. ostẽdere in 1. parte epist. necessitatẽ fidei Christianæ, sine qua nemo coram Deo iustificari potest, siue is gentilis sit, siue Iudæus. Ad hoc ostendendum demonstrauit in ca. principes, & magistros primarios gẽtilium, videlicet Philosophos, qui sapientissimi, & oprimi habebantur, grauissimis sceleribus etiam cõtra naturam coopertos fuisse.

Deinde in 2. cap. idem ostendit de Iudæis, qui tametsi legem scriptã digito Dei acceperant, nihilominus multis, maximisque peccatis inueniebãtur obnoxij. Ex quibus effecit, omnes esse peccatores, & egere gloria Dei, & quicunque in lege peccauerũt, per legẽ esse iudicãdos, qui autẽ sine lege peccauerũt, sine lege perituros. Quoniã verò durum, & iniquũ esse videbatur, vt qui sine lege peccauerunt, tanquã pręuaricatores punirentur. Ideo addidit, eos etiam qui sine lege, scripta videlicet in tabulis, peccauerunt, non omninò sine lege fuisse, quãdoquidem ex eo, quod interdũ faciunt aliqua opera legis, ostẽdunt, se habere in cordibus legem à Deo impressam.

Deinde idẽ intelligi potest ex illa voce, *gentes*, nã Scriptura sacra nomẽ, gentis, absolutè positũ, ferè semper vsurpat pro infidelibus, vt Matt. 6. *Hæc enim omnia gẽtes inquirũt*. Luc. 18. *Tradetur enim gẽtibus, & illudetur*. 1. ad Cor. 1. *Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiã, nobis autem, &c.* 1. ad Cor. 5. *Fornicatio auditur inter vos, quales nec inter gentes*. 1. ad Cor. 10. *Sine offensione estote Iudæis, & gentibus, & Ecclesiæ Dei*. 1. ad Cor. 12. *Scitis enim cũ gentes essetis, ad simulacra muta prout ducebamini, &c.*

Accedit etiã illud: *Qui legem non habẽt*, quod rectè dicitur de gentibus nondum conuersis ad Christũ; de gẽtibus autẽ, quę per fidẽ, & Baptismũ, in Ecclesiam intrauerunt, rectè dici non potest, cùm in ipso initio Catechumenis tradatur Decalogus, cum symbolo fidei.

Denique vox illa, *naturaliter*, satis apertè significat, Apostolũ loqui de lumine, quod habetur ex natura. Declarat enim idẽ Apostolus quid sit *naturaliter*, cùm ait: *Testimoniũ illis reddente conscientia ipsorum*. Quod est idẽ, ac si dixisset, ideo naturaliter quæ legis sunt faciunt, quia si secus facere velint, cõscientiã reclamãrem sentiũt, & certè A in Scripturis vox. *naturaliter*, ita solet accipi, vt id fieri dicatur naturaliter, quod fit dictãte, & monẽte natura, vt in epist. Iudæ: *Quæcunq; naturaliter tãquã muta animalia norunt, in his corrumpũtur*. Et 2. Pet. 2. *Hi verò velut irrationalia pecora, naturaliter in captionẽ, & perniciem, in his quæ ignorant, blasphemantes, in corruptione sua peribunt*.

Neque argumẽtum illud de iustificatione pro sententia priore cõcludit, Nam cũ Apostolus dicit, factores legis iustificandos, loquitur de illis, qui totã legem obseruãt: Nã vt dicitur Iacobi 2. *Qui offendit in vno, factus est omnium reus*. Hoc autẽ loco non docet Apostolus, gentes, quæ legem non habent, naturaliter totã legem obseruare; sed eas ostendere opus legis, scriptum in cordibus suis, quãdo quæ legis sunt faciunt, id est, cùm aliquid operantur, B iuxta normam legis.

Ad hæc loca Scripturæ fortasse respõderi posset, non colligi ex his cognosci naturali lumine verũ morale in particulari, sed solũ in vniuersali. Quod quidẽ Caluinus admittit, & adducit testimonium Aristotelis, qui docet, incõtinentem verè iudicare de propositione vniuersali, sed errare in particulari.

Cæterũ hæc respõsio facilè refellitur, nã quod attinet ad PRIMVM locũ ex Psal. 4. interroganti: *Quis ostendet nobis bona?* non satisfaceret Propheta, dicẽs: *Signatum est super nos lumen vultus tui*: Si eo lumine nõ posset cognosci bonũ in particulari, eo modo, quo cognosci necesse est, vt fiat opus bonũ. Quid enim prodest cognitio illa vniuersalis, ad hoc vt fiat opus bonũ, nisi colligi possit ex ea naturaliter cognitio particularis? actiones enim singulares sunt, non vniuersales. Pari ratione in SECVNDO, & C TERTIO testimonio accusantur peccatores, quod cùm cognoscãt, quid sit iustũ, nõ tamẽ iustè operentur: at certè digni essent excusatione, si solũ in vniuersali verũ morale cognoscerẽt, in particulari verò id cognoscere non valerẽt. Denique in POSTREMO loco B. Paulus colligit ex operatione cognitionẽ; scribit enim, gentes ostẽdere opus legis, scriptũ in cordibus, ex eo quod faciũt ea quæ legis sũt. Atqui opera legis in particulari fiũt, erit igitur etiã cognitio particularis. Præter hæc testimonia Scripturæ, nõ desunt etiã apertissima loca Sanctorũ Patrum.

S. IOANNES CHRYSOSTOMVS hom. 54. in Gene. in ipso principio: *Nullus*, inquit, *prætexat, quod ignorãs virtutem negligat, vel quod non habeat aliquem vitæ ducẽ, & demõstratorem. Sufficientem enim magistrũ habemus conscientiã, & fieri nõ potest, vt quis illo adiumẽto priuetur. Nam simul cũ* D *formatione hominis implantata est scientia faciẽdorum, & non faciendorum*.

S. HIERONYMVS in epistola ad Algasiam, q. 8. *Lex*, inquit, *quæ in corde scribitur, omnes cõtinet nationes, & nullus est, qui hanc legem nesciat. Vnde omnis mundus sub peccato est, & vniuersi homines præuaricatores legis sunt, & idcirco iustum iudicium Dei est*.

S. AVGVSTINVS in Psal. 57. *Manu formatoris nostri in ipsis cordibus veritas scripsit, quod tibi non vis fieri, ne facias alteri. Hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, vt esset vnde iudicarentur, & quibus lex non esset data*.

S. PROSPER in libro contra collatorem, capite 22. *Quis*, inquit, *ambigat, hanc sapientiã humano generi, ad tẽporalis vitæ vtilitatẽ, ex naturæ a Deo conditæ superesse reliquiis? Si. n. nec ad ista terrena ordinãda rationalis animi vigeret ingenium, non vitiata esset, sed extincta natura*. Vide etiã Fulgẽtium in lib. de incarnatione, & gratia Christi. cap. 26.

Addi possunt ad extremũ etiam rationes. PRIMA ratio, Pharao rex Ægypti, quamuis perditissimus esset, cognouit tamen aliquod verum morale in particulari, cùm ait Exod. 9. *Peccaui, Dominus iustus, ego, & populus meus impij*: neque verisimile est, id eum cognouisse per speciale adiutorium Dei, cùm potius contrà testetur Scriptura, subtractum ei fuisse speciale auxilium, cùm ait ibidem: *Induravit Dominus cor Pharaonis*.

SECVN

SECVNDA ratio, Omnis potentia naturalis potest circa obiectum sibi proportionatum, cum solo generali auxilio aliquem actum exercere: alioqui otiosa, & superuacanea esset: est autem intellectus humanus potentia naturalis, & eius obiectum proportionatum, est verum morale, id est, bonum, secundum rationem, siue in vniuersum, siue in particulari: Igitur potest intellectus humanus cum solo auxilio generali verum aliquod morale, etiam in particulari cognoscere.

TERTIA ratio, Homo sine auxilio speciali cognoscit verum morale in vniuersum, id est, prima principia doctrinæ moralis, vt omnes fatentur: igitur poterit etiam sine auxilio speciali conclusiones aliquas, saltem faciliores, inde deducere. Idem enim est lumen, per quod prima principia intelligimus, & quo per discursum conclusiones ex principiis illis deducimus. Et re vera incredibile est, scire hominem non licere rem alienam sibi vsurpare: & rursus scire, rem aliquam esse alienam: & tamen non posse sine speciali auxilio iudicare rem illam sibi non esse tollendam.

CAPVT III.

Soluuntur argumenta contra doctrinam capitis superioris.

ADVERSVS ea, quę superiore capite definita sunt, obiicit Gregorius Ariminensis, & post cum Io. Caluinus illud Apostoli ex c. 3. posterioris ad Corinthios: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*. RESPONDEO, Non C loquitur Apostolus de quacunq; cogitatione, sed de illa solùm, quæ ad pietatem, & vitam æternam pertinet. Nam ideo subiũgit eodẽ loco B. Paulus: *Qui idoneos nos fecit ministros noui testamenti non litera, sed spiritu, &c.* Et hoc modo hunc locum intelligendũ esse docet S. Aug. & post cum Synodus Arausicana. Sic enim loquitur S. AVGVSTINVS lib. 1. de prædestinatione Sanctorum, c. 2. *Quod ergo pertinet ad religionem & pietatem, de qua loquebatur Apostolus, non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis*. Synodus autẽ ARAVSICANA canone 7. sic ait: *Si quis per naturæ vigorem bonũ aliquod ad salutem pertinens vitæ æternæ cogitare, aut eligere posse confirmat, absq; illuminatione, & inspiratione Spiritus sancti, hæretico fallitur spiritu, non intelligens illud. Non quod idonei simus cogitare aliquid a nobis tanquam a nobis*.

AT, inquies, omnis cogitatio veri moralis, vt, Deum D esse colendum, præcepta seruanda, & similia, ad pietatem, & salutem pertinere videntur. RESPONDEO, Illã solam cognitionem ad pietatem, & salutem, propriè pertinere, quæ ordinatur ad gratiam iustificationis, vel ad meritum vitæ æternę: ista est enim cognitio, quę sine speciali auxilio haberi non potest, vt posteà multis testimoniis confirmabimus. Itaq; initiũ conuersionis ad Deum, & quæcunque dispositio ad gratiam, speciale Dei auxilium necessariò postulat, & aliquo modo supernaturalis esse debet. At Deum esse colendum, parentes honorandos, præcepta moralia obseruanda, potest aliquis cognoscere, etiamsi nihil de Christo nouerit, nec vnquam de conuersione cogitauerit.

Alia DVO loca obiicit Caluinus, VNVM ex capite 6. Gen. *Figmentum cordis humani tantum malum*. ALTERVM E ex Psalm. 93. *Cogitationes hominum vanæ sunt*. Sed PRIOREM locum sæpè iam in superioribus libris explicauimus, atque inter alia diximus, figmentum cordis, id est, humanas cogitationes, dici malas in vniuersum, quoniã vt plurimum sunt malæ. Scripturis enim valdè familiaris est figura intellectionis, nec minus familiaris eis est amplificatio. Itaque quomodo in eodem capite dicitur: *Omnis caro corrupisse viam suam*, cum tamen ibidem excipiatur paulò post *Noe, qui fuit vir iustus, & perfectus co-* A *ram Deo in generatione sua*: sic etiam dicitur malum, omne figmentum cordis humani, quãuis non desit aliquod figmentum, id est, aliqua cogitatio non mala. Ad POSTEREOREM locum RESPONDEO, cogitationes hominum dici vanas, quoniam, vt sunt ex solis viribus naturæ, non pertinent ad salutem. Ideo enim subiũgit Propheta: *Beatus homo, quem tu erudieris Domine*.

SECVNDO loco obiiciunt aliqua testimonia Conciliorum, & Patrum. Nam in Cõcilio MILEVITANO, canone 4. sic dicitur: *Donum Dei est & scire quid facere debeamus, & diligere vt faciamus*. In Concilio ARAVSICANO, can. 9. *Donum est muneris, cum recte cogitamus, & pedes nostros a falsitate, & iniustitia tenemus*. Et Can. 22. *Nihil habet homo sanum, præter mendacium, & peccatum, si quis autem veritatem, & iustitiam habet, ab eo fonte habet, & c.* B Sanctus AVGVSTINVS in epist. 105. *Nemo*, inquit, *recte sapit, recte intelligit, nisi acceperit spiritũ sapientiæ, & intellectus*.

RESPONDEO, Concilium Milevitanum per scientiam intelligit cognitionem legis diuinæ. Nam Pelagiani fatebantur, donum Dei esse legem diuinam, scriptam in veteri, & nouo testamẽto, sed ea diuinitus accepta, dicebant, posse hominem suis viribus totam legem implere. Cõtra quem errorem, tum Concilium Milevitanum, tum sanctus Augustinus in libro de grãtia Christi, cap. 26. & alibi docent, valdè esse absurdum, vocare donum Dei scientiam, quæ inflat, & non charitatem, quæ ædificat: re autem vera vtrumque esse donũ Dei, quamuis attem Pelagiani donum Dei esse dicerent scientiam legis, id tamen non dicebant ratione actus cognoscendi, quasi existimarent, non posse hominem cognoscere verũ morale, sine auxilio gratiæ: sed ratione obiecti, quoniam fatebantur non potuisse sciri quid Deus vellet à nobis fieri, nisi illud ipse reuelãsset Apostolis, & Prophetis.

Concilium autem Arausicanum, & Augustinus loquuntur de cognitione, quæ ad pietatem pertinet. Nam vt paulò ante citauimus, idem Concilium can. 7. & Augustin. in lib. 1. de prædestinatione Sanctorum, cap. 2. diuertis verbis docent, in iis, quæ ad pietatem, & salutem æternam pertinent, nihil posse nos boni cogitare. Quod idem repetit idem Augustinus lib. 6. in Iulianum, capite 5. & alibi frequentissimè. Vnde etiam in epistola 105. post illa verba: *Nemo rectè sapit, rectè intelligit*: addit, *Nemo scienter pius est, vel pie sciens, &c.* Alioqui si Concilium Arausicanum de omni scientia, & veritate intelligendum esset, sequeretur, nc Mathematicas quidem disciplinas, aut mechanicam vilam artem, in quibus sine dubio multa sunt vera, posse humano ingenio comprehendi sine speciali gratiæ adiutorio.

Itaque in his, quæ ad pietatem, & salutem æternam pertinent, nemo habet de suo, nisi mendacium, & peccatum, & diuini muneris est, cùm rectè cogitamus, & pedem à falsitate, & iniustitia tenemus. Quod si quis omninò contendat, Concilium Arausicanum de omni veritate esse intelligendum, is etiam admittere debebit, idem Concilium per donum Dei non solùm gratiæ, sed etiam naturæ dona intellexisse. Nam eo modo absolutè verum erit, nos nihil habere ex nobis nisi mendacium, & peccatum: veritatem enim, & iustitiam non habemus ex nobis? sed a Deo, cuius donum est lumen rationis, & naturalis propensio voluntatis.

TERTIO loco obiiciunt rationes. PRIMA ratio est, quoniam per peccatum primi hominis ignorantiæ vulnus accepimus, a quo nisi per Christum nemo sanari potest, vt Augustinus docet libro primo. Retractat. capite 9. lib. 22. de Ciuit. Dei, capite vigesimosecundo, & alibi, RESPONDEO, Per peccatum primi hominis intellectus humanus læsus, ac debilitatus est, non tamen extinctus. Quocirca nihil impedit, quo minus aliquid videat, ac rectè iudicet, tum in naturalibus, tum in moralibus. Nam & oculus corporis, si debilis sit, ac læsus, sed

non

Universidad de Deusto
Biblioteca

non omninò cæcus, aliquid videt, quamuis non longè.

SECVNDA ratio, Ex cognitione veri moralis acquiritur prudentia: nemo autem sine dono Dei fit prudens, quia virtutes sunt inter se cõnexæ, & colligatæ, ita vt qui vnam habet, omnes habeat: & satis cõstat, hominem suis viribus non posse omnes virtutes acquirere. RESPONDEO, Aliquod verum morale cognosci potest absq; eo, quod acquiratur prudentia. Neq; enim habitus virtutum vno actu, vel paucis actibus comparantur. Deinde non est absurdum, vt imperfecta virtus prudentiæ sine cæteris habeatur. Quod enim Philosophi dicunt de connexione virtutum, intelligitur de perfectis, & absolutis virtutibus, non de imperfectis, & inchoatis.

TERTIA ratio, Cognitionem veri moralis sancti viri à Deo petere solent, iuxta illud Psal. 118. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam.* Item: *Iustificationes tuas doce me.* RESPONDEO, meritò petitur à Deo lumen ad cognoscendum verum, non solùm morale, sed etiam theoricum, tum quia multò plura sunt quæ ignoramus, quàm ea quæ scimus, tum etiam quia in iis, quæ scimus, facilè falli possumus, ob varias circumstantias, & perturbationes. Adde, quod in Psal. 118. non petitur simplex cognitio alicuius veri moralis, sed intelligentia totius diuinæ legis, quæ plurima continet altissima, ac profundissima Sacramenta.

QVARTA ratio, Si aliquod verum morale cognosci posset viribus naturæ, sequeretur, omne verum morale iisdem viribus posse cognosci. Eadem enim est omnium ratio. RESPONDEO, Non est eadem ratio omnium moralium veritatum: siquidem aliæ longius distant à principiis per se notis, quam aliæ: nec desunt variæ circumstantiæ, quæ consilia humana modò magis, modò minus impediant. Sed etiamsi ratio omnium eadem esset, non tamen fieri posset in statu naturæ corruptæ, vt omnes errores, qui in deliberationibus cõmitti solent, euaderemus. Dum enim vitamus vnum, labimur in alterum, & sæpè in eo ipso turpius fallimur, in quo cautiores esse voluimus.

QVINTA ratio, Si nostris viribus verum morale cognosceremus, haberemus aliquid ex nobis, & in eo non temerè gloriaremur. Quod tamen prohibere videtur Apostolus, cùm ait in 1. epist. ad Cor. c. 1. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Et cap. 4. *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* RESPONDEO, locus Apostoli aduersus eos facit, qui sibi tribuunt ea, quæ re vera supernaturalia sunt, ac præsertim fidei donum. Nam (vt docet S. Augustinus lib. 1. de prædest. Sanctorum, c. 4. & 5.) illi, quos Apostolus reprehendit, non gloriabantur de forma, sanitate, ingenio, aut alio naturali dono, sed de donis, quæ pertinent ad salutem, & pietatem, sibi tribuentes fidem, aut sanctitatem, idcirco. n. ait: *Quis te discernit?* hoc est, Quis tibi dedit, vt fidelis, vel sanctus esses, tam multis in incredulitate, & impietate remanentibus? & ne fortè responderetur, fides mea, voluntas mea, studium meum: subiungit Apostolus, *Quid enim habes, quod non accepisti?*

Sed quamuis Apostolica illa verba propriè de donis supernaturalibus intelligenda esse videantur: verum est tamen, in nulla re gloriandum, cùm & naturam, & vires acceperimus à Deo, & sine eius auxilio saltem generali, ne digitum quidem curuare possimus. Itaq; rectè sanctus CYPRIANVS lib. 3. ad Quirin. c. 4. vniuersè pronunciauit: *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.*

CAPVT IV.

Proponitur quæstio de viribus humanæ voluntatis, circa bonum morale.

SEQVITVR nunc, vt videamus, quid circa bonũ morale possit voluntas, cùm viderimus, quid circa verum morale possit intelligentia.

Cùm autem quærimus, quid possit voluntas sine gratia Dei, TRIPLEX esse potest quæstio, VNA, quid possit sine gratia iustificante, id est, sine charitate: ALTERA, quid possit non solum sine gratia iustificante, sed etiam sine fide: quamuis apud Lutheranos non sit opus distinguere gratiam iustificantem à fide, cùm ipsi doceant, hominem sola fide iustificari, & non posse perdi iustitiam, quin perdatur simul & fides: TERTIA, quid possit non modo sine gratia iustificante, & fide, sed etiam sine auxilio speciali, per solas naturæ vires.

Rursus cùm quærimus, quid possit voluntas circa morale bonum, potest etiã TRIPLEX esse quæstio, VNA, possit ne totum morale bonũ efficere, id est, omnia præcepta moralia implere: ALTERA, possit ne, si non omnia certè singula, etiam grauissima, quale est in primis, diligere Deum super omnia, saltem vt auctorem naturæ? TERTIA, possit ne aliqua perficere, vrgente tentatione, an solùm tentatione cessante.

Porrò de his quæstionibus DVAE sunt hæreticorum inter se contrariæ, pugnantesq; sententiæ, inter quas media incedit veritas orthodoxa, atq; Catholica. PELAGIANI siquidem tantùm libero arbitrio tribuunt, vt affirment, per illud, etiam solum, posse hominem omnia mandata moralia adimplere. Et omnes tentationes contrarias superare, atque adeò posse sine Dei gratia, & declinare à malo, & facere bonum. Testis est huius hæresis Pelagianorum sanctus AVGVSTINVS, tum alibi, tum præcipuè in lib. de hæresibus, cap. 88.

Contrà verò LVTHERANI vires liberi arbitrij non tam extenuantes, quàm extinguentes docent, solis naturæ viribus, nihil boni moralis fieri posse, nec solum sine auxilio speciali, sed etiã sine fide iustificante, omnia quæ fiunt, esse peccata. Quin etiam addunt, iustorum quoque opera omnia esse peccata, sed propter fidẽ non imputari, infideliũ verò opera, peccata esse, & imputari. Vide LVTHERVM in assertione art. 6. & 36. PHILIPPVM in Apologia Confessionis Augustanę, & in locis cõmunibus, CALVINVM in Antidoto Concilij Tridentini, sess. 6. & in 2. lib. Institutionum, c. 3. §. 1. & sequentibus, KEMNITIVM in Exam. Concilij Trid. sess. 6. can. 7. vbi copiosè differit de operibus infidelium.

Quamuis autem concedere videantur MARTINVS LVTHERVS in visitatione Saxonica, PHILIPPVS in locis cõmunibus, & KEMNITIVS in Examine Cõcilij posse hominem suis viribus implere legem de non occidendo, non furando, & alias id genus, quoad externas actiones: tamen non ideo existimant, posse hominem suis viribus efficere bonum aliquod morale, & vitare peccatum. Nam in iisdem locis adiungunt, posse quidem hominem exterius implere præceptum, sed non effugere internam immunditiam: proinde vnum, & idem opus hominis impij, coram hominibus honestum, & iustum, coram Deo immundum & vitiosum futurum.

Sed antequam ad Catholicam sententiam veniamus, operæ precium erit, breuiter annotare pauca quædam in scriptis Melanchthonis, & Kemnitij. PRIMVM est, Philippũ in Confessione Augustana art. 18. & in Apologia eiusdem articuli secum pugnare. Scribit enim, Theologos nostros cũ Pelagio sentire, quod affirment, posse hominem viribus liberi arbitrij seruare aliqua præcepta secundùm substantiã operis: & tamen ipse in iisdẽ locis fatetur, posse hominem, per naturæ vires, abstinere manum à cæde, & à furto, & alias eiusdem generis actiones facere. Quasi verò non hoc sit implere præceptum secundùm substantiam operis. Præcepta siquidem: *Non occides.* Et: *Non furaberis,* nihil aliud imperant, nisi voluntariam omissionem externi operis homicidij, & furti: concupiscentia enim rei alienæ, & odium proximi, præceptis aliis prohibentur. Itaque non præuaricatur præcepta: *Non furaberis.* Et: *Non occides,* sed illa obseruat secundùm substantiam operis, qui abstinet manum à furto, & à cæde,

cæde, etiamsi fortè præuaricetur præceptũ: *Non concupisces rem proximi tui.* Et: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo.*

ALTERVM est, Kemnitium in Examine Concilij Trident. sessione 6. can. 7. multa fraudulenter more suo, & mẽdaciter effutiisse. Nam ex eo, quod canone illo septimo declaratur, nõ esse peccata omnia opera, quæ gratiam iustificationis præcedunt, colligit ipse, Concilium Tridentinum pugnantia docuisse, cum in primo capite sessionis sextæ docuerit, neminem posse, neque per vires naturæ, neque per literã legis resurgere à peccato. Item colligit definitum esse à Concilio, non esse peccata opera infidelium, quem errorem Pelagianum esse, ipse non dubitat.

Sed mirũ est, vnde Kemnitio venerit in mentem repugnantia verborum Concilij. Nam in primo capite, & primo etiã canone sessionis sextæ, Cõcilium loquitur de operibus, factis sine speciali gratię adiutorio, in canone autem septimo de operibus, factis cum fide, & auxilio gratię, proinde mirum videri non debet, si non loquatur eodem modo de illis, ac de istis. Deinde in primo canone, & capite, loquitur Cõcilium de operibus, quibus iustificatio, per peccatum amissa, reparatur; in can. 7. de illis, quibus non committitur nouum peccatum. Certũ autem est longè difficilius esse à peccato ad iustitiam redire, quàm in nouum peccatum non incidere, quemadmodum difficilius est à vulnere curari, quàm vulnus non accipere.

Neq; definit Cõciliũ opera infideliũ non esse peccata, sed non esse peccata omnia opera, quę iustificationẽ prędecunt. Prædecunt enim iustificationẽ etiam illa opera, quæ fiunt à fidelibus, posteaquã in peccatum ceciderũt. Non enim Conciliũ sequitur regulas Lutheri, qui per omne peccatũ mortale voluit fidẽ amitti; sed regulas Domini, qui Luc. 18. probauit orationẽ Publicani, qui cum fide orauit pro remissione peccatorum.

Neque definit idem Cõcilium, opera fideliũ peccatorum absolutè nõ esse peccata, sed addidit: *Quocunque modo facta.* Vt intelligeremus definiri solùm à Concilio, quædam opera fideliũ peccatorum nõ esse peccata, illa videlicet, quæ fiunt cum auxilio speciali Dei. De his. n. solis propriè Cõcilium definire voluit, quoniã propositum illi erat, agere de iustificatione, & iis operibus, quæ ad iustificationem disponunt: illa verò sola opera ad iustificationem disponunt, vt in eodem Concilio habetur, quæ initium sumunt à gratia Dei excitante.

Adde VLTIMO, Cõcilium non potuisse accusari hęresis Pelagianæ, etiamsi disertis verbis docuisset, non omnia opera infidelium esse peccata; TVM quia id potuisset intelligi de illis infidelium operibus, quæ fierent ex cognitione vnius Dei, & ipso Deo excitante, & adiuuante: TVM etiam, quia neque Augustinus in libro de hæresibus, capite octogesimo octauo, vbi enumerantur errores Pelagij, neque alius antiquus auctor, inter Pelagianas hæreses posuit, quod opera infidelium etiã facta solis naturæ viribus, non omnia sint peccata. Dicũt quidem interdũ veteres, omnia infidelium opera esse peccata, quod, quomodo sit intelligendum, posteà explicabimus: sed nusquã dicunt, propterea Pelagium esse damnatum, quod affirmauerit, aliqua opera infidelium non esse peccata, sed quod ea voluerit esse meritoria gratiæ; inde enim est ille Pelagianus error, tam sæpè ab Augustino reprehensus, gratiam Dei secundùm opera nostra dari. Ex his igitur perspicuum esse poterit, Kemnitium in explicandis Concilij verbis, aut grauiter hallucinatũ, aut impudenter esse mentitum.

Venio nunc ad sententiam CATHOLICAM, quam mediã esse diximus inter cõtrarios Pelagianorũ, ac Lutheranorum errores. Conueniunt Theologi Catholici omnes, nullo prorsus excepto, in duobus, PRIMVM, nõ posse fieri vlla opera, solis naturæ viribus, quæ sint meritoria gratiæ; idque contra Pelagianos; DEINDE, non esse peccata omnia opera, quæ iustificationem præcedunt, atque id contra Lutheranos. De quibus duabus sententiis dicendum erit in alio loco.

Intra hos terminos, disputant aliqui pro libero arbitrio, fortasse liberius, quàm par esset, vt Scotus, Durandus, & Gabriel in 2. Sentent. distinctione 28. & in 3. dist. 27. ALII fortasse minus tribuũt eidem libero arbitrio, quàm oporteret, vt Gregorius Ariminensis, Capreolus in 2. Sentent. dist. 28. & Marsilius in 1. quæst. 20. Sed ea modestia disserunt isti, vt & parati sint iudicio Ecclesiæ semper acquiescere, & ante Ecclesiæ definitionem, non audeãt fratres suos dãnare, neque pro hæreticis habeant, qui cõtrarium sentiunt. Quæ modestia longè est à Kemnitio, & aliis huius temporis sectariis, qui quidquid effutiunt, pro articulis fidei haberi volunt, eoque sunt audaciores, quò imperitiores.

Nos id sequuti, quod plures, & grauiores Theologi docent, vt Alexander in 3. part. Sum. q. 60. Albertus in 2. Sentẽt. dist. 28. S. Thom. in 1. 2. q. 109. ar. 2. 3. & 4. & in 2. 2. q. 10. ar. 4. S. Bonaventura in 2. Sent. dist. 28. tres propositiones constituemus, PRIMA erit, *Non posse hominẽ, solis naturæ viribus, implere omnia mandata moralia, secundùm substantiam operis.* SECVNDA, *Imò nullum omnino moralę præceptum seruare posse suis solis viribus, si tentatione vrgeatur.* TERTIA, *Posse tamen nulla tentatione vrgente, sine fide, bonum auxilio speciali, & etiam sine illo, suis viribus, aliquod bonum morale ita perficere, vt in eo nullum omnino peccatum admittat.* Has autem propositiones in sequentibus capitibus eodẽ, quo numeratæ à nobis sunt, ordine persequemur.

CAPVT V.

Non posse, solis naturæ viribus, adimpleri omnia præcepta moralia, secundùm substantiam operis.

PROPOSITIO illa PRIMA, quæ negat, solis naturæ viribus, seruari posse omnia præceptæ moralia, secundum substantiam operis, breuiter explicanda est, deinde probanda. PRIMVM igitur dicimus: *Præcepta omnia*; quia non loquimur hoc loco de singulis, seorsim consideratis, sed de omnibus simul; neque significare volumus, non posse aliquem ad breuissimum tempus omnia seruare, cùm possit fieri, vt aliquando nullum occurrat præceptum affirmatiuum, & nulla adsit tentatio prouocans ad violanda præcepta negatiua. Itaque sententia propositionis illius hæc est, vt non possit longiore aliquo tempore, quo varia præcepta obseruanda se offerunt, solis naturæ viribus, ita omnia adimpleri, vt omni ex parte peccatum vitetur.

DEINDE dicimus: *Secundum substantiam operis*; quia non disputamus hoc loco de obseruatione mãdatorum, ex caritate Dei, & eo modo, qui requiritur, vt obseruatio sit meritoria apud Deum. Id enim alio loco tractandum est; sed de ea tantùm disserimus, quæ necessaria est, vt nouum peccatum vitetur, & fiat opus bonum, secundùm moralem quandam honestatem.

POSTREMO dicimus: *Solis naturæ viribus*; vt excludamus non solùm gratiam iustificationis, sed etiam auxilium speciale. Nam etiamsi sententia sancti Thomæ, qui docet in 1. 2. q. 109. art. 4. & 8. sine gratia iustificationis non posse impleri omnia mandata, nec posse vitari longo tempore lethale peccatum, verissima nobis esse videatur; tamen hoc loco satis nobis erit, si probauerimus, non sufficere per se vires naturæ corruptæ ad legem implendam, sed necessarium omninò esse auxilium gratiæ, siue ea gratia sit habitus permanens, & iustificans, siue auxilium tantùm speciale.

His notatis, probatur nostra propositio, PRIMVM ex diuinis literis. Nã Scriptura passim docet, legis obseruationem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionem tribuendam esse gratiæ Dei, Ezechielis 36. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis*, ad Rom. 8. *Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem. Deus filium suum misit in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum, in iustificatio legis impleretur in nobis.* Quo loco S. Paulus apertissimè dicit, impossibilem fuisse legis obseruationem sine gratia Dei, idque propter carnis infirmitatem, quia natura corrupta infirma facta erat, & ideo missum fuisse filium Dei, vt per ipsum possibile fieret, quod alioqui impossibile erat; nec dubium est, quin loquatur de præceptis naturalibus, siue moralibus, cùm in specie disserat de præcepto, *Non concupisces.*

Idem etiam Apostolus legem diuinam moralē, & naturalem vocat legem peccati, & mortis, ad Rom. 8. item B virtutem peccati, 1. ad Cor. 15. & apertissimè dicit, literam occidere, 2. ad Cor. 3. quoniam demonstrādo, quid sit faciendum, & non præbendo vires naturæ infirmæ, præuaricatorē hominē constituit, & reū peccati & mortis. Addit autem idem Apostolus ad Rom. 8. Spiritū vitæ, quem habemus à Deo per Christum; liberasse nos à lege mortis, quia per gratiā Spiritus legem implemus, quā per vires naturæ, & literā legis implere nunquā potuissemus. Et in eandem sententiā, 1. ad Cor. 15. postquā dixerat: *Virtus vero peccati lex*, addidit, *Gratias autem Deo, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum Dominū nostrū.* Et 2. ad Cor. 3. ad illa verba: *Litera occidit*, adiunxit, *spiritus autem viuificat.* Ex quibus locis S. Augustin. in libr. de spiritu, & lit. contra Pelagianos, euidenter se demōstrāsse existimat, vt re vera demonstrauit, non posse viribus solius naturæ legē impleri. Rursus in epist. ad Roman. cap. 2. *Factores legis iustificabitur*, inquit Apostolus. Et tamen idem Apostolus ad Galat. 2. dicit: *Si ex lege esset iustitia, Christus gratis mortuus esset.* Et posset sine dubio etiā dici, si ex natura esset iustitia, Christus gratis mortuus esset. Non igitur fieri potest, vt tota lex solis naturæ viribus impleatur.

Neque responderi potest, hæc omnia testimonia solùm probare, non posse legē obseruari perfectè, & quo ad modum, non autē non posse obseruari secūdùm substantiam operis. NAM obseruatio secundùm substantiā operis requirit, vt sic præceptū obseruetur, vt peccatum non committatur, & non fiat homo reus ob præceptum non impletū: Scripturæ autem allegatæ apertissimè docent, non posse legem sine Dei gratia ita seruari, vt non peccetur, ideo enim vocant legem, sine gratia adiuuāte, D legem peccati, & mortis, virtutem peccati, literam occidentem, &c. & ideo ad Galat. 3. Apostolus dicit: *Conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus:* loquuntur igitur testimonia allegata de obseruatione secundùm substantiam operis.

PRÆTEREA inter omnia mādata moralia quædam sunt, quæ sine dubio seruari non possunt, sine gratia Dei; nam de continentia, quæ virtus est moralis, & habet mādatum morale, legimus in libro Sapientię, cap. 8. *Vt sciui, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia, scire cuius esset hoc donum, adij Dominū, & deprecatus sum.* Et 1. ad Corint. 7. B. Paulus Dei donum esse dicit, non solùm continentiam virginum, & viduarum, sed etiam coniugatarum: *Vnusquisque*, inquit, *donum suum habet ex Deo, vnus quidem sic, alius autem sic.*

Præceptum quoque dilectionis Dei super omnia, saltem vt auctoris naturæ, morale est & naturale, sicut etiā præceptum resistendi concupiscentiæ illicienti ad varia peccata cōtra præcepta moralia, sine dubio morale est, & naturale, & vnum ex decem, videlicet: *Non concupisces.* Atqui hoc postremum nō posse impleri viribus naturæ probabimus ex Scripturis in capite septimo, quod idem probabimus de illo primo, in libro sequenti: non igitur omnia præcepta moralia, & naturalia, seruari possunt sine A ne adiutorio gratiæ Dei.

DENIQVE, secūdùm Scripturas integra obseruatio legis, est signū certissimum veræ, perfectæque caritatis Dei; sic enim legimus Ioān. 14. *Qui habet mādata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me.* Et ibidem: *Qui nō diligit me, sermones meos non seruat.* Et 1. Ioan. 2. *Qui seruat verba eius, in hoc caritas Dei perfecta est.* Et ca. 5. *Hæc est caritas Dei, vt mādata eius custodiamus.* Nō potest autem caritas Dei ex viribus naturę acquiri, sed infunditur à Deo per Spiritū sanctū, vt Apostol⁹ scribit ad Rom. 5. Neq; igitur obseruatio omniū mandatorū, ex naturæ virib⁹ haberi potest.

Quod autem Scriptura, quæ dicit, obseruationē legis esse signum caritatis, & vbi est caritas, esse legis obseruationem, vbi non est ista, neque illam esse, loquatur de lege morali, & naturali, facilè demōstrari potest. Dominus enim cùm dixisset, & aliquoties repetiisset Ioan. 13. 14. & 15. signum dilectionis Dei, esse mandatorū ipsius obseruationem; addidit: *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Et iterum: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Dilectio autem proximi, quæ est signum certissimum dilectionis Dei, continet virtute totā legem naturalem, vt Apostolus ait ad Roman. 13. *Nā*, inquit, *qui diligit proximū, legem impleuit. Nā non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Et ad Galat. 5. *Omnis lex in vno sermone impletur, Diliges proximum tuum sicut te ipsum.*

Quod verò signum caritatis Dei sit obseruatio mādatorum, secundùm substantiam operis, perspicuum est, C TVM, quia ineptum esset dicere, signum dilectionis Dei esse obseruationem mandatorum, ex dilectione Dei; & qui non diligit me, sermones meos non seruat ex dilectione mea. TVM etiam, quia signum debet esse externum, & visibile, præsertim cùm refertur ad alios, quale est hoc, de quo Dominus dicit: In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Vbi per dilectionem, intelligit opera externa, quæ ab hominibus videri possunt, non internum affectum, qui videri non potest, nisi in suo effectu. Obseruatio igitur omnium præceptorum moralium, secūdùm substantiam operis, necessariò cū dilectione proximi, & Dei coniuncta est, ac per hoc secundùm Scripturas, viribus solius naturæ, nullo modo haberi potest.

Probatur hoc idem ex traditione ECCLESIAE, Synodus MILEVIT. can. 5. *Item placuit*, inquit, *vt quicunq; D dixerit, ideo nobis gratiam iustificationis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tanquam, etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possemus etiam sine illa diuina implere mandata, anathema sit.*

SYNODVS ARAVSICANA can. vlt. cùm docet, hominem baptizatum posse, si velit, Dei gratię cooperari, diuina implere præcepta, intelligitur, etiam docuisse, non posse hominem, sine gratia, suis soljs viribus idem præstare.

INNOCENTIVS primus in epistola ad Concilium Mileuitanum, quæ est apud Augustinū epist. 93. *Negātes, egere diuina affirmant, qua priuatus, necesse est diaboli laqueis E irretitus occumbat, dum ad omnia vitæ perficienda mandata sola libertate contendat.*

CAELESTINVS primus in epist. ad Gallos idē confirmat, adducens testimonia Innocentij, & Zozimi prædecessorum suorum, cap. 9. & 10.

Sāctus AVGVSTINVS lib. 2. de peccatorū meritis, & remiss. cap. 5. *Iustitia*, inquit, *præcepta omni ex parte implere non possumus, nisi adiuuemur à Deo.* Idem etiā docet in toto libro de spiritu, & litera, & in toto ferè libro de natura, & gratia, & in libro de perfectione iustitiæ, & in epist. 89. quæst. 2. epist. 95. 105. 106. 120. 144. 200. & alibi passim.

Proba

Probatur VLTIMO ratione S. Tho. quoniam natura A humana, per peccatum primi hominis depranata, auersa est à Deo, & conuersa ad creaturas, ac præsertim ad se: proinde finem vltimum, vel actu, vel habitu, vel certè propensione quadam in creatura, non in Deo constitutū habet: Quare quando occurrunt aliqua agēda, vel euitāda ex fine illo præconcepto, quasi naturaliter inclinatur ad malum, & violenter ad bonum, & ideo necessaria est vis quædam, & vt homo perpetuò vigilet, & præmeditetur, & contra propēsionem, & amorē proprium pugnet, quod impossibile esse moraliter, nō solùm ratio, sed etiā experientia docet. Et si sanctus Augustinus in libro de correptione, & gratia, cap. 12. affirmat, ipsum etiam hominem iustificatū, nisi is diuina gratia indeclinabiliter, & inseparabiliter ageretur ob naturæ infirmitatem, sine B dubio casurum, quanto nos id maiori ratione affirmare possumus de homine infideli, & qui solis nitatur viribus naturæ per peccatum corruptæ, & vitiatæ?

CAPVT VI.

Soluuntur argumenta contra ea, quæ capite superiore dicta sunt.

SED aduersus ea, quæ dicta sunt, obiiciunt aduersarij PRIMO, verba illa Mosis Deuteron. 30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi, non supra te est, neque procul positum, &c.* Vbi per mādatum intelligit, per figuram intellectionis, totam legē naturalē, hoc est, decalogū, quem in eo lib. repetiuerat.

RESPONDEO, Hic locus duob. modis exponi po- C test. PRIMO, cum August. in lib. de perfectione iustitię, propè extremo, vt sensus sit legē Domini non esse supra vires hominū, non quorumlibet, sed eorum, qui per gratiam sanati sunt ab amore proprio, Deumque toto corde diligunt. Dixerat enim paulò antè idem Moses, promittens gratiam testamenti noui: *Circūcidet Dominus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua.*

SECVNDO, dici potest cum Abulen. Episcopo, & aliis nonnullis in commen. eius loci. Mosem nō loqui de facilitate obseruandæ legis, sed de facilitate cognoscendæ. Quæ expositio videtur maximè literalis, & propria. Quoniam enim ante datā legem potuissent Iudæi prætexere ignorantiā, si non fecissent, quæ Deus ab illis fieri D volebat: idcirco Moses postea quam totam legē illis exposuit, admonet eosdem, vt legem impleant, neque vllo modo ignorantiam obtendant, ait igitur: *Mandatum hoc non supra te est, neque procul positum*, id est, nō est in loco alto vel longinquo, vt illud cognoscere non valeas.

Deinde explicat vtrumque, & de loco sublimi ait: *Nō est in cœlo situm, vt possis dicere: Quis nostrum valet ad cœlum ascēdere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, atq; opere cōpleamus?* De longinquo ait, *neque trans mare positum est, vt causseris, & dicas: Quis è nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vsque deferre, vt possimus audire, & facere quod præceptum est?* tum demùm concludit, *sed iuxta te est sermo valdè in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum*: id est, lex, quam tibi seruandam propono, non est supra cœlum, neque vltra mare, sed proxima tibi omninò. Nam est in corde tuo, quoniam illam iā audiuisti, & didicisti, & in ore tuo, quia E tu illam accepisse & didicisse testatus es, cùm dixeris, omnia quæ præcepit nobis Dominus, faciemus.

Et confirmatur hæc expositio ex Apostolo ad Rom. 10. alludens enim B. Paulus ad hunc locum Deuteronomij sic loquitur: *Qua*, inquit, *ex fide est iustitia, sic dicit, ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum, id est, Christum deducere? aut quis descendet in abyssum, id est, Christum à mortuis reuocare? sed quid dicit? prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est, verbum fidei, quod prædicamus: quia si confessus in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quod Deus A illum suscitauit à mortuis, saluus eris.* Vbi vult Apostolus ostendere, quemadmodum Iudæis tēpore Mosis, nō erat opus in cœlum conscendere, vel trans mare proficisci, vt legem haberent, & intelligerēt, cum Mosem ipsum corā prædicantem, & exponentē sententiā legis haberent: sic etiā iisdem Iudæis, tempore Apostolorum, opus nō fuisse in cœlum ascendere, aut in infernum descendere, vt Christi incarnationem, & resurrectionem haberent, & intelligerent, cùm ista palā ab Apostolis prædicarentur, sed satis fuisse, si corde credere, & ore cōfiteri voluissent.

SECVNDO, obiiciunt illud Ecclesiastici 15. *Si volueris mandata seruare, conseruabunt te.*

RESPONDEO, Ad hunc locum, & alios similes respondet S. Augustin. in lib. de perfectione Iustitię, propè extremo, & lib. de gratia & libero arbitrio, cap. 15. & 16. in his locis demonstrari liberum arbitriū, per quod præcepta implenda sunt, sed non excludi gratiam Dei, sine qua impleri non possunt. Quemadmodum in aliis multis locis, quæ istis contraria esse videntur, gratia demonstratur, sed liberum arbitrium non excluditur.

TERTIO, obiiciunt illud ad Roman. 2. *Cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt.* Sanctus enim Ioan. Chrysostomus in comment. huius loci scribit, omnia quæ legis sunt, implēsse Gentiles.

RESPONDEO, iam suprà diximus, ex loco Apostoli solùm colligi, naturaliter impleri posse aliquod mādatū legis naturalis, nō tamen omnia. Ad cōment. Chrysostomi respondeo, Gentiles implēsse omnia quæ legis sunt, id est, omnia, quæ ad vnam aliquam legem pertinent, ita vt in ea lege seruanda, nihil peccauerint, non tamen seruare omnes leges, præsertim longo tempore.

QVARTO, ita obiiciunt; Præcepta legis naturæ, ideo naturalia dicuntur, quia proportionem habent ad vires naturæ, igitur naturæ, virib. seruari possunt. Neque satisfaciet, si quis dixerit, naturam non esse sanam, sed infirmam: nā infirma natura videtur posse omnia, quæ potest sana, sed non æquè facilè, alioqui non tam infirma, quam extincta dicenda esset. Præterea natura humana dicitur infirma, si comparetur ad sanitatem iustitię originalis, in qua condita fuit: nam absolutè non est minus sana, quàm esset, si in puris naturalibus ereatur: Haberet autem homo, in puris naturalibus conditus, vires, ad seruanda præcepta naturalia: igitur & nunc habet.

RESPONDEO, Natura humana non solùm infirma est, quia caret sanitate iustitię originalis, sed etiam, quia ex conditione materię, vt alibi demonstrauimus, internum, & naturalem morbum habet cōcupiscentię carnalis, quem non habuisset, si in originali iustitia permansisset, habuisset tamen, si in puris naturalibus conditus fuisset. Natura autem infirma potest quidē omnia, quę possent sanā, sed non sola; egeret enim auxilio, quo non egeret, si sana esset. Quomodo corporaliter ęgrotus, potest iter facere, sed in equo, vel certè cum baculo, cùm alioqui sanus idem iter pedibus, & sine baculo confecisset. Itaque si homo in puris naturalibus conderetur, quoniam etiam tunc infirmus esset propter morbum, ex conditione materię promanantem, non haberet vires, quibus sine adiutorio Dei posset omnia mandata seruare; sed tamen, vel auxilium non defuisset, vel homo non sua culpa E cecidisset, vt Augustinus docet libro de correptione, & gratia, capite vndecimo.

QVINTO, obiiciunt testimonia Patrum, qui dicunt, Deum nō præcipere impossibilia; ex quibus testimoniis illud sequitur, vt quę præcipiuntur homini, quouis auxilio destituto, ea sint illi possibilia; præcipiuntur autem omni homini præcepta naturalia, igitur illa sunt omni homini possibilia.

RESPONDEO, Deus nunquam præcipit impossibilia, quia semper promptus est ad iuuandum: *Iuste* (inquit sanctus LEO sermone 16. de passione Domini) *instat*

Universidad de Deusto
Biblioteca

præcepto qui præcurrit auxilio, sed de hac re fusè disputauimus in secundo libro, vbi tractauimus, quæstionem illã, Vtrum detur omnibus auxilium sufficiens.

SEXTO, obiiciunt hanc rationem, Potest homo suis viribus seruare aliquod vnum præceptum morale, iuxta illud ad Rom. 2. *Cum gentes, quæ legem non habent, ea quæ legis sunt faciunt, &c.* igitur potest seruare omnia. Non enim occurrunt multa præcepta simul seruanda, sed vnum post aliud. RVRSVS potest aliquis seruare omnia mandata ad breue tempus, vt suprà nos diximus igitur poterit etiam ad longum tempus, quoniam seruãdo præcepta acquiritur habitus obediendi, & facilius continuatur, quàm inchoatur opus.

RESPONDEO, nihil hoc argumentum valet multis de caussis. PRIMVM, quoniam nõ sunt omnia præcepta paria. Sed alia aliis grauiora, & ideò non sequitur, vt possit omnia seruare, qui vnum aliquod seruare potest. DEINDE, occurrunt aliquando plura simul, vt si quis dum orationi, aut diuinis laudibus operam dat, illiciatur, diabolo suggerente, ad consensum noxiæ cogitationis, vel occasionem habeat, clam aliquid subripiẽdi; facilius autem est, vnum peccatum vitare, quàm multa, & vnũ præceptum, quàm multa seruare. PRAETEREA, tametsi ab vna parte facilius sit opus continuare, quàm inchoare, tamen ab altera, cùm in opere laboratur, vires paulatim deficiũt, & facilius est breui tẽpore, quàm lõgo in opere perdurare. Itaque sicut nõ rectè colliges, si dicas, potest homo ægrotus ambulare suis viribus mille passus, igitur poterit etiam duo millia; sic etiam non rectè ratiocinantur, qui dicunt, potest homo in statu naturæ corruptæ, in quo requiritur perpetua vigilantia, & præmeditatio ad benè agendum, paruo tempore obseruare omnia mandata, poterit igitur & longo tempore. DENIQVE, paruo tempore ideo potest quis omnia mandata suis viribus obseruare, quia fieri potest, vt diximus, vt breui illo spacio nullum occurrat præceptum affirmatiuum, & nulla tentatio contrà negatiua: quæ tamen in lõgo spacio non possunt non occurrere.

CAPVT VII.

Non posse solis naturæ viribus vllam veram tentationem superari.

ALTERA illa propositio, quæ docebat, non posse solis naturæ viribus vllum mandatum seruari, si tentatio vrgeat; breuiter explicãda est, vt facilius comprobetur.

Obseruandum est igitur PRIMO, tribus modis posse vinci tentationem aliquam, VNO modo succumbendo alteri tentationi; vt cùm quis vt auram popularem captet, & vir fortis, aut continens habeatur, abstinet se à flagitio, ad quod alioqui non leuiter stimulabatur. Sæpè. n. (vt monet sanctus Gregorius homil. 12. in Ezechielem) vno tempore à pluribus hostibus oppugnamur, & dum vnus à fronte se palam ostentat, alius à tergo clã insidiatur. Sed de hoc primo modo nulla quæstio esse potest: satis enim constat, posse hominem vni potius vitio, quàm alteri cedere, vel quod est verius, posse in eodem homine vnum vitium ab alio maiore superari: neque hoc est tentationem deiicere, sed à tentatione prosternu: *Carnalis enim cupiditas* (vt loquitur S. Augustinus lib. 3. ad Bonifacium, contra duas epistolas Pelagianorum. cap. 4. *cupiditate alia non sanatur.*

ALTERO modo potest tentatio ita vinci, vt non solũ peccatum simpliciter euitetur, sed etiam ex victoria meritum acquiratur, quod fit, cùm ex caritate Dei tentationi resistitur. De quo modo loqui videtur Apostolus, cũ dicit in priore ad Corinthios, cap. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari suprà id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum.* Et sanctus Augustinus lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 16. *Tunc*, inquit, *vitia vitiis deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur.* De hoc modo non disseremus in præsentia, sed pro comperto sumimus (quod alio loco tractabimus) nullũ opus pietatis sine adiutorio gratiæ fieri posse.

TERTIO igitur modo tentatio vinci potest, ita vt nec peccatum vllum admittatur, nec tamen meritum cõparetur; & de hoc solo modo in præsentia disputamus.

Obseruandum est SECVNDO, Nos cũ dicimus nullã tẽtationem solis naturæ viribus vinci posse, loqui de vera tentatione, non de leuissima aliqua titillatione, quæ nomen tentationis absolutè, & propriè non meretur. Præterea sciendũ est, nos non semper requirere ad vincendas tentationes, auxilium speciale, propriè dictum, hoc est, internã illustrationem, vel motionẽ supernaturalem, sed quodcunque auxilium Dei, siue cõsistat in eo, quod Deus singulari prouidentia sua, remoueat occasiones peccãdi, siue in eo, quod nõ permittat diabolũ sæuire, quantum vellet, siue quocunque alio modo Deus nos iuuet. Multæ enim tentationes sunt, quæ per se non superant vires humanas; & tamen si Deus homines prorsus destituat, & diabolum sinat agere quantum potest, illæ fient grauissimæ, & intolerabiles; tãta est humana fragilitas ad resistendum, & diabolica potentia ad nocẽdum.

Atque hinc fortasse cõciliari possunt auctores, qui dicunt nullã tentationẽ sine auxilio Dei vinci posse, cũ iis, qui dicunt, aliquas posse. Nam ij posteriores loquuntur de auxilio supernaturali, & cõsiderant mensuram virium humanarum in comparatione ad leuem aliquã tentationem absolutè sumptam: priores autẽ per auxiliũ Dei accipiũt quamcunque singularẽ Dei prouidentiã, quę sępè vtitur rebus naturalibus ad ea, quæ fieri cupit, perficienda: & vires humanas considerãt per comparationem ad tẽtationem, non qualis est per se, sed qualis esset, si Deus permitteret, & non iuuaret, aut vires nobis addendo, aut aduersarijs subtrahendo. Sed quãquam vterque modus dicendi, bonum sensum habere possit, tamen magis consentaneè ad Scripturas, & Patres loquuntur, qui dicunt, nullam tentationem sine Dei auxilio vinci posse.

Quod quidem probatur PRIMVM ex Scripturis; nã locus ille Sap. 8. *Nemo potest esse continẽs, nisi Deus det*: propriè ad vincendas tẽtationes pertinet. Neque enim difficile est continere, quando nulla tentatio ad peccãdum inuitat. Præterea verba illa B. Pauli 1. ad Cor. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari suprà id, quod potestis*, satis apertè indicant, tentationes suprà id, quod possumus, crescere posse, si Deus permittat.

His accedunt plurima testimonia Psalmorum, quę victoriam in tentatione simpliciter Deo tribuunt. Psal. 17. *In te eripiar à tentatione.* Psalm. 26. *Adiutor meus esto, ne derelinquas me.* Psalm. *Ego dixi in abundantia mea, nõ mouebor in æternũ: auertisti faciem tuã, & factus sum conturbatus.* Psal. 117. *Impulsus euersus sum vt caderẽ, & Dominus suscepit me.* Illa quoque oratio: *Et ne nos inducas in tẽtationẽ.* Mat. 6. Et illa adhortatio: *Orate, ne intretis in tẽtationẽ.* Matt. 26. satis ostẽdũt, sine Dei adiutorio tẽtationibus resisti nõ posse.

Probatur SECVNDO ex traditione Ecclesiastica, Synodus PALESTINA apud Aug. in epist. 106. *Fateatur* (Pelagius) *quãdo contra tentationes, concupiscentiasq; illecebras dimicamus, quamuis & illic habeamus propriam voluntatẽ, non tamen ex illa, sed ex adiutorio Dei nostram prouenire victoriã.*

Synodus MILEVITANA in epistola ad Innocentiũ, quę est apud August. 92. *Illud* (inquit) *ne nos inferas in tentationem, non ita intelligendum dicũt* (Pelagiani) *tãquam diuinum adiutorium poscere debeamus, ne in peccatũ tẽtati decidamus, sed hoc in nostra esse positum potestate, & ad hoc implẽdum, solam sufficere voluntatem hominis.* Non dissimilia habet Synodus CARTHAGINENSIS, in epistola ad eũdem Innocentium, quę est apud Augustinum epist. 90.

Sanctus INNOCENTIVS I. in epist. ad Concilium Carthaginense, apud Augustinum epist. 91. *Nisi magnis precibus,*

precibus, inquit, *gratiã in nos implorata descendat, ne quicquã terrena labis, & mundani corporis vincere conamur errores, cũ pares nos ad resistendum, non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxiliũ.* Et infrà: *Quotidiana præstat ille remedia, quibus nisi freti, confisique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. Necesse est enim, vt quo auxiliante vincimus, eodem rursus non adiuuante vincamur.* Idem in epist. ad Concilium Mileuitanum, apud Augustinũ 93. *Gratia*, inquit, *priuatus, necesse est in diabolis laqueis irretitus oceũbat.*

Sanctus ZOZIMVS Papa, Innocẽtij successor, in epistola, cuius meminit Cælestinus in epist. ad Gallos, cap. 9. *Quod*, inquit, *tempus interuenit, quo eius non egeamus auxilio? in omnibus igitur actibus, caussisq;, cogitationibus, motibus adiutor, & protector orandus est. Superbum est enim, vt quidquam sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo. Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed contra Principes, & potestates, &c.*

Sanctus CAELESTINVS I. in epist. iam citata ad Gallos, cap. 6. *Nemo*, inquit, *etiam Baptismatis gratia renouatus, idoneus est ad superandas diaboli insidias, & ad euincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei perseuerantiam bonæ conuersationis acceperit.*

Sanctus CYPRIANVS in serm. 7. de oratione Dominica: *Quãdo*, inquit, *rogamus, ne in tẽtationem incidamus, admonemur infirmitatis, & imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbè, atque arroganter aliquid assumat.* Et infrà: *Vt dum præcedit humilis, & submissa confessio, & datur totum Domino, quidquid suppliciter cũ timore, & honore Dei petitur, ipsius pietate præstetur.*

Sanctus BASILIVS in lib. Moralium summarũ, summa 62. cap. 3. *Oportet*, inquit, *ad tempus ab insidiantibus discedere: vbi tamen quis permissus est, in tentationẽ incidere, cuĩtum vt sufferre possit, & voluntatem Dei per orationem petere.*

Sanctus IOANNES CHRYSOSTOMVS homil. 24. in priorem ad Corinth. *Sunt*, inquit, *tẽtationes, quas sufferre non possumus, & quarum sunt illæ? omnes, vt ita dicam, possibilitas enim in diuino nutu est, quas nostra allicimus voluntate. Quare vt certò cognoscas, non solum illas, quæ virtutem nostrã exuperant, non posse sine diuino auxilio facilè sustinere, sed nec has quidem humanas, addidit, sed faciet cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere. Et quidnam hoc significat? neque enim mediocres illos, quod dixi, inquit, propria virtute sufferemus, sed hîc quoque diuino indigemus auxilio, vt eas vel effugiamus, vel certè perferamus.*

AVCTOR operis imperfecti in Matt. hom. 37. *Sicut nauis*, inquit, *fracto gubernaculo, illuc ducitur, quò tempestas voluerit, sic & homo diuinæ gratiæ auxilio perdito per peccatum, agit quod non vult, sed quod diabolus vult.*

Sanctus AMBROSIVS in Psalm. 43. explicans illud: *Hæc omnia venerũt super nos, nec obliti sumus te. Quis*, inquit, *est, tam fortis, vt nequaquam in tentationem moueatur, nisi Dominus ei adiutor adsistat?*

Sanctus HIERONYMVS libro 2. aduersus Pelagianos, citat illa verba Domini, Matt. 26. *Surgite, vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Et continuò subiungit: *Debuisset dicere, iuxta vos, Surgite, & resistite. Liberum enim habetis arbitrium, & semel vobis concessa à Domino potestate, nullius alterius indigetis auxilio.* Idem initio libri tertij: *Nostra*, inquit, *victoria: & corona victoriæ illius protectione, & clipeo paratur.*

Sanctus AVGVSTINVS in libro de perfectione iustitiæ, extremo: *Quisquis*, inquit, *negat, nos orare debere, ne intremus in tentationem: negat autem hoc, qui contendit, ad non peccandum gratiæ Dei adiutorium nõ esse homini necessarium, sed sola lege accepta, humanã sufficere voluntatẽ, ab auribus omniũ remouendum, & ore omniũ anathematizãdũ esse nõ dubito.*

Idem in libro de gratia Christi, cap. 27. *In libro*, inquit, *ad virginem sacram, cum dicit* (Pelagius) *diuinam mercamur gratiam, & facilius nequam spiritui sancti Spiritus auxilio resistamus: Significat profectò quid sapiat. Vt quid enim hoc verbum interposuit, id est, facilius? an verò nũ erat integer sensus, vt nequam spiritui, sancti Spiritus auxilio resistamus? Sed quantũ detrimentum hoc additamento fecerit, quis non intelligat? volẽs vtique credi tantas esse naturæ vires, quas extollendo præcipitat, vt etiam sine auxilio Spiritus sancti, & si minus facilè, tamen aliquo modo nequam spiritui resistatur.*

Sãctus GREGORIVS lib. 9. Moraliũ. c. 37. *Qui aptè*, inquit, *reduci in puluerem dicitur, quia dimissus sibi cuiuslibet tẽtationis aura raptatur.* Idem in Psalmum tertium pœnitentialẽ, explicans illud: *Ne derelinquas me Domine Deus meus. Illos*, inquit, *proculdubio Dominus relinquit, quibus constantiam in tribulatione non tribuit. Necessario enim sequitur, vt omni tentationi sit subditus, quicũque à Deo fuerit derelictus.*

Sanctus PROSPER in libro aduersus Collatorem, c. 35. tractans locum de tentationibus sancti Iob, ostendit, totam illam sancti viri victoriam ex Dei auxilio, & gratia, partam, & inter alia sic loquitur: *Quisquis igitur in tribulatione non deficit, ab illo se non dubitet adiuuari, ad quem quotidie corda vniuersorum fidelium clamant, ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo.*

Accedat POSTREMO Ecclesiæ consuetudo, quæ inter quotidianas preces nihil magis frequentat, quàm illud: *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina.* Et in oratione, quæ legitur ad horam orationis primam, protectionem Dei cõtra tentationes inuocans, dicit: *Tua nos hodie salua virtute, vt ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam iustitiam faciendam, nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes, & opera, per Christum Dominum nostrum.*

CAPVT VIII.

Soluuntur argumenta contra propositionem capitis septimi.

ARGVMENTA Pelagianorum pauca sunt, nec difficilia. obiiciũt PRIMO testimoniũ S. HIERONYMI, ex libro 2. in Iouinianũ: *Liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur, alioquin vbi necessitas, neque damnatio, neque corona est.* RESPONDET S. AVGVSTINVS in lib. de natura, & gratia, cap. 65. sanctum Hieronymum loqui de natura, qualis fuit à Deo condita, non qualis nunc est per peccatum vitiata. Nunc enim quædam peccandi necessitas adest ex vitio, non ex conditione naturæ. A qua necessitate liberari petimus, cùm dicimus, *De necessitatibus meis erue me.*

Posset etiam responderi, si cõcedamus, sanctum Hieronymum loqui de natura, qualis nunc est, nõ necessitate trahi nos ad vitia, quoniam etiamsi per nos resistere tentationibus non valeamus, valemus tamẽ cum adiutorio Dei, quod semper in promptu est, iuxta illud eiusdem Hieronymi in epist. ad Cyprianum: *Qui sustinet tempestatem, vel petræ, vel tecti quærit refugium: quẽ hostis persequitur, ad muros vrbium confugit: ita & homo à principio conditionis suæ Deo vtitur adiutore, & cum illius sit gratiæ, quod creatus est, illiusq; misericordiæ, quod subsistit, & viuit: nihil boni operis agere potest absque eo, qui ita concesserit liberum arbitrium, vt suam, per singula opera, gratiam, non negaret.*

SECVNDO obiicitur, tentationes oriuntur ex concupiscentia carnis, dicente Iacobo in epistola sua, cap. 1. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus*: Concupiscentiæ verò rationalis animus naturaliter dominatur, iuxta illud Genes. 4. *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Igitur potest homo, naturæ viribus, tentationi non cedere.

RESPONDEO, natura humana ita constituta est, vt naturaliter pars inferior apta sit obedire superiori, & superior imperare inferiori: tamen potest etiam inferior reluctari superiori, & eam non quidem dominando, sed alliciẽdo, & blãdiendo ad se pertrahere. Quocirca Philosophi rectè dicunt, rationem imperare appetitui infe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiori, non despotico imperio, quomodo imperat dominus seruo, sed politico, quomodo magistratus imperat populo, qui excitat nō rarò seditiones, & rectoribus suis obedire detrectat.

Quamuis autem ex natura rei contingere deberet, vt aliquādo quidem pars inferior deiiceret superiorem, sed vt plurimum inferiorem superior in officio contineret, & licet inuitam, reluctantem coërceret: tamen contrà accidit, QVATVOR de causſis. PRIMVM, quia pars inferior multis annis viget, antequam superior euigilare incipiat: inde enim fit, vt sensus assuetus per tot annos sine imperio rationis ferri in sua obiecta, difficulter postea iugum rationis ferre possit. DEINDE, quia sensus bona sunt præsentia, rationis autem præcipua sunt futura; & præsentia multò magis, quàm futura nos mouere solent. TERTIO, quia sensuum obiecta vicina sunt, & perfectè cognoscūtur, rationis verò longè remota, & abdita, nec nisi tenuiter penetrantur. QVARTO, quia diabolus maximam habet potentiam, & artem nocendi concupiscentiam excitando, atque inflammando. Hinc enim fit, vt ratio, si suis solis viribus nitatur, concupiscētiæ, & per se vehemēti, & à diabolo inflammatæ, resistere nullo modo possit. Quare quod in Genesi dicitur: *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius*, verum est quidē, sed ideo potissimum est verum, quoniā (vt suprà diximus) Deus nō sinit nos tentari suprà id, quod possumus.

TERTIO, obiici solet à quibusdam testimoniū sancti Thomæ, qui in 1.2. quæst. 10. art. 3. scribit, voluntatem non posse necessitari à passione, nisi passio absorbeat penitus iudicium rationis. Quod si passio quantumlibet vehemens nunquam necessitat voluntatem, dum manet liberum rationis iudicium, certè sequitur, vt possit oi resisti viribus voluntatis etiam solis.

RESPONDEO, significat sanctus Thomas à passione non necessitari voluntatem necessitate physica, quasi voluntas determinetur ad vnum, quomodo determinatur appetitus animantium brutorū; tamen non negat necessitari moraliter, id est, infallibiliter moueri, quomodo eloquentissimus orator, qui persuadendo ducit homines quocunque voluerit, non eos necessitat physicè, sed moraliter. Eligunt enim illi id facere, quod orator eis persuadet, sed impulsi efficaciâ persuasionis, cui resistere moraliter non valent.

Præterea non negat sanctus Thomas, etiam nostram voluntatē diuino auxilio indigere, vt à passione non necessitetur: sed solùm dicit, eam si ratio absorbeatur, omninò necessitari; si verò ratio non absorbeatur, nō necessitari: quod verum est, quia diuino auxilio munita potest non consentire passioni, cuius auxilij non est capax, quādo rationis iudicium penitus est ligatum.

CAPVT IX.

Posse hominem sine fide, cum auxilio speciali, & etiam sine illo, bonum aliquod morale perficere. si nulla tentatio vrgeat.

TERTIA propositio, quæ docet, posse hominem, sine fide, cū auxilio speciali, & etiā sine illo, bonum aliquod morale perficere; si nulla tentatio vrgeat; breuiter explicanda est, antequam probetur.

SCIENDVM est igitur nō esse omninò idem, facere bonum morale, & obseruare præceptum secundùm substantiam operis. Potest enim seruari præceptum secundū substantiam operis, etiam cum peccato, vt si quis amico restituat depositū, vt illo ipse à furibus spolietur. At bonum morale non potest cum peccato fieri: proinde maius quiddam est, facere bonū morale, quàm seruare præceptum; & ideo in nostra propositione non tam præcepti, quàm boni moralis mentionem fecimus.

SCIENDVM SECVNDO, Aduersarios, ac præsertim Kemnitium, & alios huius temporis sectarios, qui docēt, Pelagianam hæresim esse, negare omnia infideliū opera esse peccata, id affirmare de illis etiam operib. quæ fiunt ab infidelibus, cū auxilio Dei speciali: ac propterea nos id potissimū probare velle, nō esse videlicet peccata omnia opera, quæ fiūt sine fide, præsertim si fiant cū auxilio Dei speciali. Id enim certissimū esse minimè dubitamus. Interim tamē illud etiā probare volumus, posse fieri aliquod opus bonum moraliter, nō solùm sine fide, sed etiā sine auxilio speciali, si nulla tentatio vrgeat. Nam vrgēte tentatione iam ostendimus, nihil boni solis naturæ viribus fieri posse. Itaque testimonia adferemus, quæ probent, aliqua bona opera ab infidelibus posse fieri, siue cū auxilio speciali, siue etiam solis naturæ viribus.

PRIMVM igitur testimoniū sumitur ex illis Scripturis, quæ testātur, Deum remunerari bona quædam opera Gentilium; non enim Deus, qui iustissimus est, & iustitiā diligit, quique sapiētissimus est, & falli nullo modo potest, opera mala remuneraretur, cùm iusto iudicio supplicium mereantur, non præmium. Vnus locus est Exod. 1. *Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit illis domos.* Sensus est, quia Ægyptiæ obstetrices non paruerunt iniusto imperio Pharaonis, qui iusserat occidi omnes infantes masculorum Hebræorum, existimantes id esse, vt reuera erat, contra Dei voluntatem, ideo Deus pro hac misericordia, quam exercuerūt in filios Hebræorum, dedit eis pro mercede copiosam, & felicem prolem, atque ita domos illis ædificauit, & stabiliuit.

ALIVS locus est Ezechielis, capitè vigesimo nono: *Fili hominis, Nabuchodonosor Rex Babylonis seruire fecit exercitum suum, seruitute magna aduersus Tyrum. Omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus est: merces non est reddita ei, neque exercitui eius, de Tyro pro seruitute, qua seruiuit mihi aduersus eam. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego dedi Nabuchodonosor Regem Babylonis in terrā Ægypti, & accipiet multitudinem eius, & deprædabitur manubias eius, & diripiet spolia eius, & erit merces exercitui illius.* Exercitus iste fine dubio infidelis erat, & tamen quia fideliter regi suo seruiuit in bello iusto contra Tyrum, quam vrbē ob sua peccata Deus euerti volebat, ideo mercedem illis reddidit, donans eis, mirabili prouidentia, spolia Ægypti, quę propter scelera quoque sua spoliari meruerat. Itaque S. HIERONYMVS in commēt. sic ait: *Ex eo quod Nabuchodonosor mercedem accipit boni operis, intelligimus etiam Ethinicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei iudicio præteriri.*

ALIVS item locus est Danielis 4. vbi cùm Daniel prędixisset regi Nabuchodonosor grauem pœnam temporalem à Deo propter peccata sua, hortatur illum ad eleemosynas, quibus redimat, siue auertat pœnam illam temporalem: *Nunc*, inquit, *Rex cōsilium meum placeat tibi, peccata tua eleemosynis redime, &c.* Quod si eleemosynæ hominis infidelis auertere poterant pœnam temporalem, certè bona opera erant, non peccata; non enim peccata iram Dei mitigant, sed magis accendunt.

SECVNDO, probatur ex aliis Scripturis, quæ indicāt, infideles facere, aut posse facere aliqua bona opera. Mat. 5. *Si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis, nōne & Ethinici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, &c.* Quo loco tribuitur Ethinicis bonum opus, ostendendi signa beneuolentiæ erga suos: nisi enim hoc bonum esset, non diceret Dominus, quid amplius facitis? sed, cur hoc facitis? Vult igitur suos Dominus, non contraria, sed maiora facere. Ad Rom. 2. *Cùm gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, &c.* Hic Apostolus apertè docet, Gentiles naturali lumine implere aliqua legis mandata. Quod autem ita impleant, vt non peccent, docet Chrysostomus in commentario, cùm ait, eos implere omnia, quę legis sunt, id est, vt suprà diximus, mandatum cum

cum omnibus circumstantiis obseruare.

Accedant DEINDE testimonia Patrū. Sanctus BASILIVS homilia 9. de opere sex dierum: *Sunt*, inquit, *& apud nos virtutes secundum naturam, ad quas familiaritas ipsi animæ non ex doctrina hominum, sed ex ipsa natura inest. Quēadmodum enim nulla disciplina nos docet morbum odisse, sed spōtaneam habemus calumniam, ac detestationem aduersus ea, quæ nobis molesta sunt: sic etiam est animæ quædam declinatio, & fuga vitij citra doctrinā.* Quo loco sanctus BASILIVS apertissimè docet, quasdā virtutes esse naturales, vt misericordiam, & similes, ac per hoc nō esse semper necessariam vel fidem diuinam, vel auxilium speciale, cùm ad eiusmodi naturaliter inclinemur.

Sanctus IOANNES CHRYSOSTOMVS homil. 67. ad populum Antiochenum: *Non potest*, inquit, *malus omnino malus esse, sed euenit, vt aliquid habeat boni: neque bonus esse omnino bonus, sed nonnulla solet habere peccata. Cum itaque malus prosperis vtitur rebus, ad capitis sui perniciē vtitur, vt enim illorum paucorum bonorum retributionem hic capiens, illic deinde puniatur, hac de causſa recipit.* Loquitur Chrysostomus de omnibus malis, etiam infidelibus; generatim enim dicit, nullum esse malum, qui non habeat aliquid boni, & loquitur de opere bono, non ex genere tantùm, sed simpliciter, quia opponit illud peccato, & mercedē illi debitam assignat. Non enim merces debetur operi, præsertim apud Deum, quod sit ex genere bonum, sed absolutè peccatum.

AVCTOR operis imperfecti, homilia 26. in Matthęū: *Audi*, inquit, *mysterium, quod Petrus apud Clementem exposuit, si fidelis fecerit opus bonum, & hic ei prodest, liberans eum a malis, & illic ad percipiendum regnum cœleste, magis autem ibi, quàm hic. Si autem infidelis fecerit opus bonū, hic ei prodest opus ipsius, & hic ei reddit Deus bona pro opere suo, in illo autem seculo nihil ei prodest. Nec enim collocatur inter cæteros fideles, propter opus suum, & iustè: Quia naturali bono motus fecit bonum, non propter Deum.*

Sanctus HIERONYMVS in cap. 1. epist. ad Galat. *Ex quo*, inquit, *perspicuum fit, naturā omnibus ineſſe Dei notitiam, nec quemquam sine Christo, nasci, & non habere semina in se sapientiæ, & iustitiæ, reliquarumque virtutum. Vnde multi absque fide, & Euangelio Christi, vel sapienter faciunt aliqua, vel sanctè, vt parentibus obsequantur, vt inopi manū porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripant.* Hoc loco sanctus Hieronymus non solùm concedit, sine fide aliqua opera sancta fieri, sed etiam sanctè. Nullo modo sanctè fieri dici potest, quod cum peccato fit. Idem in cap. 5. ad Galat. *Quomodo*, inquit, *iuxta Iacobū fides absque operibus mortua est: sic absque fide, quamuis bona opera sint, mortua computātur.* Fides sine operibus non est falsa, sed vera, tametsi mortua dicatur, quia nō operatur salutem æternam: igitur & opera bona sine fide non sunt mala, sed verè bona, mortua tamen, quia nihil prosunt ad veram vitam, quæ est in cœlis, comparandam.

Sanctus AVGVSTINVS docet, quædam bona opera fieri sine fide, sed cum auxilio speciali Dei: & rursus alia sine auxilio speciali, solis naturę viribus. De primi generis operibus habemus testimonium in epistola 130. vbi laudat continentiam Polemonis: *Quoniam*, inquit, *donum Dei est.* Et addit: *Quod si ille hoc donum cognouisset, fuisset non solùm continens, sed etiam religiosus, & pius, & continentiam habuisset, non solùm ad honestatem præsentis vitæ, sed etiam ad meritum æternæ.* Et in lib. 4. contra Iulianum, cap. 3. loquēs de virtutibus infidelium: *Quanto*, inquit, *tolerabilius illas, quas dicis in impijs esse virtutes, diuino muneri potius, quàm eorum tribueris tantummodo voluntati, licet ipsi hoc nesciant?* Denique libro de prædestinatione Sanctorum, cap. 7. & lib. 1. de Baptismo, cap. 3. & lib. 4. cap. 23. eleemosynas Cornelij, antequam in Christum crederet, & iustitiam appellat, & donum Dei esse dicit. At certe impium est, dona Dei inter peccata deputare.

De secūdi generis operib. habemus testimoniū in lib. de perfectione iustitię, respon. proxima postremę, vbi cū Cælestinus probare volens, non esse necessariā Dei gratiam ad bona opera liberi arbitrij, obiecisset illud Apostoli 1. ad Cor. 7. *Quod vult faciat, nō peccat, si nubat*, respōdit Augustinus: *Videte, obsecro, quale sit, volenti & currenti misericordiam habemus calumniam, ac detestationem aduersus ea, quæ nobis molesta sunt: sic etiam est animæ quædam declinatio, & fuga vitij citra doctrinā. Quasi pro magno habendum sit, velle nubere, vbi de adiutorio diuinæ misericordiæ operosius disputatur.* Itaque concedit Augustinus in huiusmodi operibus humanis, quæ ad salutem non pertinent, auxilium gratiæ non semper requiri: & tamē hæc opera bona sunt, cum peccata non sint, Apostolo teste, qui ait. *Non peccat, si nubat.*

ALIVD testimonium est in lib. de spiritu, & littera, c. 27. qui locus paulò fusius recitandus est: *Si autem*, inquit, *hi, qui naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum, quos Christi iustificat gratia, sed in eorū potius, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter, pieque colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel nouimus, vel audiuimus, quæ secundum iustitiæ regulam non solùm vituperare non possumus, verum etiā merito, recteq. laudamus: quāquam si discutiatur quo fine fiant, vix inueniuntur, quæ iustitiæ debitam laudem, defensionemve mereantur.*

Vbi notandū est illud, *vix*, verè enim magna pars operum infidelium ob finem prauum, ad quem referuntur peccata simpliciter sunt: quædā tamē, tametsi pauca, inueniuntur, quæ nullo malo fine vitiantur, & ea non peccata; sed opera bona simpliciter dici debēt. Itaque idem Augustinus continuò ita subiungit: *Verumtamen quia non vsque adeò in anima humana imago Dei terrenorū affectuum labe detrita est, vt nulla in ea velut lineamenta extrema remāserint. Vnde meritò dici possint, etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere, &c.* Quorum verborū hic esse videtur sensus, si quæramus, opera bona infidelium, quæ propter malū finem facta nō sint, ac per hoc simpliciter bona sint, vix inuenire poterimus: tamē eiusmodi aliqua esse, inde colligi potest, quod imago Dei in anima humana per peccatū non omnino sublata est. Quare paulò post hæc adiungit: *Sicut enim non impediunt à vita æterna iustum quædam peccata venialia, sine quibus hac vita nō ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua opera, sine quibus difficillimè vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur.* In quibus verbis ipsa antithesis satis apertè testatur, opera bona impiorum, quæ non prosunt ad vitam æternam, non posse dici peccata, sicut peccata venialia iustorum, quæ non impediunt à vita, bona opera dici non possunt.

His adde quod idē Augustinus in libro quinto, de ciuitate Dei, cap. 15. dicit, Deum dedisse Romanis tā amplū imperium, vt remuneraretur in hac vita bonas eorum virtutes. Siue autem illæ virtutes, cum Dei speciali gratia coniunctæ fuerint, siue non, certè in infidelibus erāt, & virtutes, non vitia erant, nisi Deum remuneratorem vitiorum (quod est absurdissimum) faciamus.

Adde etiam VLTIMO, quod idē auctor in omnibus ferè locis, vbi scribit, nihil fieri posse boni, sine auxilio gratiæ, addere solet limitationem, si videlicet bona illa opera, ad pietatem, & salutem pertineant. Vt nimirum significaret, ad opera bona, quæ ad pietatem, & salutē non pertinent, aut gratiæ auxilium non requiri, aut certè sine præiudicio fidei de hac re disputari posse. Libro de gratia Christi, capite vigesimo sexto: *Gratiam Dei*, inquit, *sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, vt omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet, veramq. iustitiam fieri posse non dubitet.* Idem libro de gratia, & libero arbitrio, capite decimo septimo: *Sine illo operante, vt velimus, & cooperante, cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* Idē habet in libro de prædestinatione Sanctorum, capite secundo, & alibi frequentissimè.

AVCTOR Hypognostici, lib. 3. non procul ab initio:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Esse fatemur, inquit, *liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis, non per quod sit idoneum, quæ ad Deum pertinent, sine Deo aut inchoare, aut certe perficere: sed tãtum in operibus vitæ præsentis, tam bonis, quam etiam malis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, id est, velle laborare in agro, velle manducare, & bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domum, velle vxorem ducere, pecora nutrire, artem discere diuersarum rerum bonarum, velle quicquid boni ad præsentem vitam pertinent.* Hæc ille.

Neque satisfacit Ariminensis, respondens, hæc non esse bona moralia, sed naturalia. Nam auctor huius libri hæc bona opponit malis, cùm dicit, liberum arbitrium posse sine Dei gratia velle tam bona, quàm mala, quæ ad vitam præsentem pertinent, & certè non loquitur de malis naturalibus. Nemo enim eligit illa mala, sed de moralibus, quæ sunt propriè voluntaria. Quod etiam patet ex exemplo, quod idem auctor ponit, nimirum colere idolum, & similia. Loquitur igitur de bonis moralibus, qualia sunt illa omnia enumerata, si debitis circumstantiis vestiantur.

Sanctus Prosper in libro contra Collatorem, cap. 26. *Natura*, inquit, *humanæ, cuius creator est Deus, etiam post prævaricationem manet substantia, manet forma, manet vita, & sensus, & ratio, cæteraq; corporis, atque animi bona, quæ etiã malis, vitiosisq; non desunt. Sed in illis veri boni perceptio est, quæ mortalem vitam honestare possunt, æternam cõferre nõ possunt.* Nota illud *honestare*, non enim peccata, sed solæ virtutes vitam nostram honestare possunt.

Sanctus Fvlgentivs in lib. de incarnatione, & gratia Christi, c. 26. *Quod si*, inquit, *quibusdam cognoscentibus Deum, nec sicut Deũ glorificãtibus cognitio illa nihil profuit ad salutem: quomodo potuerũt hi iusti esse apud Deum, qui sic in suis moribus atque operibus bonitatis aliquid seruant, vt hoc ad finẽ Christianæ fidei, charitatisq; nõ referant? quibus aliqua quidẽ bona, quæ ad societatis humanæ pertinẽt æquitatẽ inesse possunt, sed quia nõ caritate Dei fiunt, prodesse non possunt.*

Sanctus Gregorivs homil. 27. in Euangelia, tractans illud: *Hoc est præceptum meum. Sunt*, inquit, *nonnulli, qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis, & carnis. Quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicũt. Sed aliud est quod spõte impẽditur natura, aliud quod præceptis dominicis ex caritate debetur obedientiæ.* Quod si naturali dilectioni sacra eloquia non cõtradicunt, certè ea dilectio nihil peccati continet, ac per hoc bona est moraliter. Siquidem sacra eloquia peccatis omnibus contradicunt.

Denique S. Ioannes Damascenvs in lib. 3. de fide, c. 14. repetit, quod ex Basilio citauimus, virtutes aliquas ita esse naturæ nostræ familiares vt naturales dici possint.

Accedant Postremo etiam rationes. Prima ratio, Si opera facta sine fide, & auxilio speciali semper essent peccata, id accideret, Vel, quia deest illis circumstantia finis, cùm propter Deum non fiant, vt dicit Gregorius Ariminensis; Vel, quia fiũt ab homine peccatore, ac per hoc inficiuntur, & vitiãtur à sua caussa, tametsi ex genere suo sint bona, vt dicit Martinus Kẽnitius; qui hoc etiam illustrat simjlitudine cordis. Vt enim substantia cordis in se bona est, & tamen cor dicitur prauum, Hieremiæ 17. quia malis operibus inquinatur: sic etiam contra, opera in se bona, inquinantur, & fiunt mala, quia exeunt à corde malo; Vel, quia bona opera moralia nõ habeant proportionem cũ naturæ nostræ viribus; Vel denique, quia nimis difficilia sint, ob carnis rebellionẽ, dæmonisque tyrannidem.

At nihil horum dici potest. Nam quod attinet ad circumstantiam finis, possunt Ethnici etiã sine fide cognoscere, Deum esse, & curam nostri gerere, vt suprà probatũ est: proinde poterunt operari bona moralia, vt Deo auctori naturæ obediant. Quo modo M. Tullius in somnio Scipionis monet, administrandam esse Rempublicam diligenter, quia summo Deo nihil est gratius, quàm vt concilia, cœtusque hominum benè gubernentur. Deinde non est necesse, omnia referre in Deum explicitè, sed satis est, si opus referatur in bonum finem proximũ; tunc enim per se dirigetur in Deum, vt in vltimum finẽ. Sicut enim omne agens particulare, agit in virtute primi motoris, id est, Dei; sic etiam omnis bonus finis mouet in virtute vltimi finis. Alioqui non solùm infideles, sed etiã fideles, & iustissimi quique semper peccarent, cùm inter operandum de Deo non cogitant, sed operantur, quia ratio dictat esse bonum, & faciendum. Itaque nisi apponatur circumstantia finis mali, omne opus bonum morale per se refertur in Deum, etiamsi auctor operis id nõ cogiter, vel intendat.

Quod autem possit homo, suis viribus, non apponere circumstantiam finis mali, immò etiam dirigere opus in finem bonum, secundùm rationem: manifestum est, nam si potest suis viribus operari malum, sed arduum, & naturæ contrarium, cur non poterit operari bonum facile, congruumque naturæ: Si potest, exempli gratia, suis viribus, sine auxilio gratiæ, proiicere omnia bona sua in mare, vel ipse se occidere, à quo natura abhorret; cur nõ poterit paucos nummos largiri indigenti, vel hominem à præcipitio reuocare ob misericordiam, ad quam propè natura ipsa compellit? Et si potest interrogãti, falsum de industria respondere, cur non poterit respondere verum, si nihil inde lucretur, aut perdat?

Quod autem pertinet ad in quinationẽ caussæ, nõ potest opus inquinari à malitia caussæ, nisi quando ab ipsa malitia procedit. Nam si ex bono naturæ, non ex adiuncta malitia, quis operetur, opus erit simpliciter bonum. Atque hoc modo eleemosyna hominis impudici bona esse poterit, si fiat misericordiæ caussa, non impudicitiæ. Per accidens enim opus illud est hominis impudici, per se autem misericordis. Hoc autem esse verissimum, ex eo potest intelligi, quod si semper malitia caussæ inquinaret effectum, oporteret opus non solùm esse malum, sed in specie malitiam ipsam caussæ participare. Itaque eleemosyna hominis auari esset mala in specie auaritiæ, & iejunium intemperantis esset malum, in specie intemperantiæ: quæ absurdissima sunt.

Neque similitudo cordis à Kemnitio adducta, aliquid probat. Nam substantia cordis inquinatur à malitia omnium suorum operum, quoniam est per se caussa omniũ illorum operum: contrà autem opera cordis, non inquinantur omnia à malitia cordis. Quoniam non omnia effectus sunt per se illius malitiæ, sed in multis malitia non concurrit, nisi per accidens, bonum autem naturæ per se.

Neque tertium illud dici potest, non habere proportionem opus bonum morale cum viribus naturæ. Natura siquidem, quamuis per peccatum deterior facta sit, quàm esset in statu innocentiæ, non tamen infirmior est, quàm fuisset in puris naturalibus. In puris autem naturalibus sine dubio proportionem habuisset cum bono morali, quod naturaliter cognoscitur, & appetitur. Quorsum enim ratio illi data esset, si nihil omninò secundùm rationem agere posset? Agere verò secundùm rationem, est moraliter benè agere.

Denique nec dici potest, quòd quarto loco adferebatur de nimia difficultate, ob tentationum vehementiam. Nam hoc loco nõ agimus nisi de rebus facilibus, & naturæ valdè consentaneis, atque omni tentatione cessante: qualia sunt misereri pauperis, in via occurrentis, prouidere filiis, adiuuare cognatos, & alia id genus.

Secvnda ratio ducitur ab absurdis, nam si nullum opus bonũ fieri posset ab infidelibus, sequeretur, melius illis esse, remoto præcepto, bona opera ex obiecto, non facere, quàm facere. Nam faciendo peccarent, non faciendo non peccarent. Itaque monendi essent infideles, ne facerent eleemosynas, ne pacificarent discordes, ne im

ne imperitos docerent, nisi quando ex præcepto aliquo tenerentur. Hæc autem sine dubio absurdissima sunt.

CAPVT DECIMVM.

Soluuntur argumenta contra propositionem capitis superioris.

Aduersariorvm argumenta contra propositionem capitis superioris nec pauca sunt, nec leuia.

Primvm argumentum Kemnitii est. Scriptura docet, Deo displicere opera omnia impiorum, quamuis alioqui speciosissima, & à se instituta, vt cognosci potest ex illis verbis: *Incensum abominatio est mihi, & solemnitates vestras odit anima mea*, Isaiæ primo. Et rursus: *Qui immolat bouem, quasi qui interficiat virum*, Isaiæ 66. Item: *Sacrificium impiorum abominatio*, Prouerb. decimo quinto. Multò igitur magis Deo displicebunt alia opera, minus speciosa, & humana, si ab impiis fiant. Respondeo, Multum interest inter sacrificia, & opera moralia, nam vt fiat benè opus morale, non requiritur, vt fiat cum detestatione peccatorum, vel cum conscientia pura, quod tamen requiritur ad sacrificium ritè offerendum. Cuius differentiæ ratio est, quia sacrificium habet pro fine placare, & reconciliare Deum, vel ab illo beneficia aliqua impetrare, aut pro acceptis gratias agere: qui autem Deum sibi reconciliare nititur, & tamen peccata non detestatur, nec relinquit, is pugnat cum ipsa sua actione, nec tam Deum placat, quàm ad iracundiam prouocat. Sic etiam qui vult à Deo beneficia impetrare, vel ei pro acceptis gratias agere: & tamen cum eo inimicitiam gerit, cúmque offendere legem ipsius præuaricando non cessat, is Deum non tam honorat, quàm irridet. Quare nihil est mirum, si sacrificium eius Deo non placeat, quippè quòd non ritè offertur. At opus morale, vt eleemosyna in pauperem, non habet pro fine, nisi egenti opem ferre, ad quem finem consequendum nihil pertinet puritas, vel impuritas vitæ, & conscientiæ eius, qui eleemosynam facit.

Secvndvm argumentum sumunt Calvinvs, & alij, communiter ex illo Genes. 6. *Omne figmentum cordis humani tantùm est malum.* Sic enim ipsi vertunt ex Hebræo. Respondeo, Scriptura hoc loco, vt in aliis plurimis tribuit omnibus, quod conuenit maiori parti. Sententia igitur huius loci est, maiorem partem cogitationum, siue præcipuum studium hominũ illius seculi fuisse malum. Quo sensu in eodem loco scribitur: *Omnis caro corruperat viam suam.* Et tamen ibidem additur: *Noe vir iustus fuit, atque perfectus.* Similes locutiones sunt Psal. 1. *In lege Domini meditabitur die ac nocte.* Psal. 34. *Benedicam Dominum in omni tempore.* Luc. 18. *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* 1. ad Thessalon. 1. *Sine intermissione orate.* Ioann. 12. *Mundus totus post eum abit.* Quare sanctus Augustinus in lib. de vnitate Ecclesiæ, cap. 12. scribit, in sacris literis sæpè reprehendi omnes homines, cùm solos malos Spiritus sanctus reprehendere velit, & contrà.

Tertivm argumentum sumunt ex Psalm. 13. *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Quem locum allegat etiam Apostolus ad Rom. 3. Respondeo, Libenter fatemur, omnes homines esse in statu peccati (quod Apostolus eo loco probare contendit, vt nẽcessitatem gratiæ Christi manifestam faciat) & inutiles ad opera facienda, quæ Deo placeãt, nisi prius per Dei gratiã, & redẽptionem, quæ est in Christo Iesu, reconcilientur, & iustificentur. Illud autem: *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum*, non significat, neminem esse qui faciat aliquod opus bonũ morale, sed, neminem esse, qui iustè viuat, seruando totam legem moralem. Id enim præcedit, non est iustus quisquam, non est intelligens, omnes declinauerunt, &c. Neque enim iustus dici potest, aut simpliciter bonum facere, qui multis peccatis vnum aliquod bonum opus admiscet.

Qvartvm argumentum sumit Calvinvs ex illo versu Psalmi 61. *Mẽdaces filij hominum in statheris, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Siquidem in Hebræo hic est verborum illorum sensus: *Mendaces filij hominum, & vani in stateris præ ipsa vanitate*, id est, si põderẽtur homo, & vanitas in statera, homo leuior, & vanior apparebit. Quid igitur boni ab illo expectari potest, qui est ipsa vanitate vanior?

Respondeo Primvm, Græca, & Latina versio eius loci satis commodè defendi potest. Illud enim בָּנֵי אָדָם לְמַעְלָה *laaloth mehebel* id est, ad ascẽdendũ præ vanitate, potest optimè reddi, ad præualendũ ex vanitate. Nã præpositio Hæbraica לְ *min* significat tã ex, & de, & ab, quã præ. Sic etiã ascendere, præsertim apud Hebræos, significat nõ rarò præualere. Itaque sensus esse potest, etiã secũdùm Hebraicũ fontẽ: *Mendaces filij hominũ in stateris*, id est, in negotiis, quæ mensuris, & ponderibus transigũtur, ad præualendum ex vanitate, id est, vt fraudibus præualeant, & decipiant, fraudibus (inquam) vanitate plenis, quæ nihil solidi, & veri lucri apportent. Quare sanctus Hieronymvs ex Hebræo reddidit: *Vt fraudent inuicẽ.*

Deinde, fac interpretationem Caluini solã esse veram, & germanam, quid inde lucrabitur? an quia dicitur homo vanior vanitate, nihil boni moralis operari potest? Vani enim dicuntur homines, vt ait Sapiẽs, in quibus non inest scientia Domini, & qui nihil quærũt, aut appetũt, nisi humana, & terrena, quæ cũ diuinis; & cœlestibus comparata vana, vel potius vanitas meritò nominantur, iuxta illud Psalmi quarti: *Vt quid diligitis vanitatem?* Hoc igitur solùm ex eo colligitur, quod homo vanitas esse dicatur, vt nihil possit ex se operari, aut etiam cogitare in ordine ad salutem, & vitam æternam,

Qvintvm argumentum sumit idem Calvinvs ex illo Isaiæ 60. *Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos, &c.* Hinc enim sequitur, vt omnis mundus, excepta Ecclesia, quæ per Hierosolymam, apud Isaiam, significatur, ignoret penitus viam iustitiæ, ac per hoc etiam nihil omninò boni per se valeat operari. Respondeo, Non loquitur Isaias de lumine naturali, quod ad bona moralia cognoscenda requiritur, sed de lumine diuino, quod necessarium est ad cognoscendum Christvm, & rectam viam ad sempiternã felicitatem. Neque enim negari potest, quin Aristoteles in libris de moribus, Plutarchus in opusculis, Epictetus in Enchiridio, Cicero in libris de officiis, & Seneca in omnibus suis operibus, nõ ostenderint lumen naturale plus quàm mediocre in tradendis præceptis, & institutione morali.

Sextvm argumentum sumunt ex illo Hieremiæ decimo septimo: *Prauum est cor hominis, & fraudulentum præ omni re.* Sic enim ipsi vertit ex Hebræo. Respondeo, Nihil ex hoc testimonio sequitur contra doctrinam, à nobis traditam. Non enim dicitur cor hominis prauum, & fraudulentum, quia nihil boni moralis facere possit, sed quia in eo fons est, & origo malorum, tum propter arbitrij libertatem, tum propter naturæ corruptionem. De corde enim exeunt cogitationes malę, adulteria, furta, &c. Matth. 15. Adde quod rectè verti potest illud prauũ, Hebraicè עָקֹב *Acheb* profundum, vt Græci reddiderunt *Babẽa*, sequitur enim: *Et inscrutabile, & quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda.* Ex eo verò quod cor humanum dicitur profundum, & inscrutabile, nihil efficitur quod ad rem præsentem pertineat.

Septimvm argumentũ sumunt Calvinvs, Kemnitivs, & alij, ex illo Matthæi 7. *Non potest arbor mala, bonos fructus facere.* Quod iterum repetitur Matth. 12. & Luc. 6. arbor autem mala est homo impius, ex Augustino libro 4. in Iulianum, cap. 3. Respondeo, Obser-

Universidad de Deusto
Biblioteca

landum est hoc loco, non esse omninò idem testimoniũ Matth. 7. & Luc. 6. sed diuersa, & alia occasione prolata. Nam apud Lucã ponitur doctrina generalis, ad dignoscendos omnes hypocritas, apud Matthæum cap. 7. ponitur signum cognoscendorum falsorum Prophetarum tantùm. RVRSVS, apud Lucam spinæ opponuntur ficubus, & rubi vuis, apud Matthæum contrà spinæ vuis, & tribulæ ficubus. DENIQVE ea, quæ scribit Lucas cap. 6. scribit Matthæus cap. 12. necesse igitur est, vt quæ scribuntur Matthæi 7. diuersa sint ab iis, quę scribuntur Luc. 6. nisi quis velit Matthęũ bis eadẽ sine caussa repetiuisse.

Hoc posito dico, Matthæi 7. per arbores bonas, & malas, non intelligi voluntates hominum bonas, vel malas, sed doctrinas veras, vel falsas, vel ipsos homines, quatenus docent sanam doctrinam, aut corruptam, & perniciosam. Dominus enim vult eo loco nos instruere, vt caueamus à falsis Prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Docet autem, ex fructibus posse dignosci, vtrũ lupi sint, an pastores, id est, hæretici ministri, an Catholici Episcopi. Certum verò est, ex operibus ipsorum hominum, qui nos docẽt, non posse cognosci doctrinam, cùm opera interna non videantur, externa autem sint communia vtriusque, & propterea comparẽtur vestimentis ouium, quibus lupi quoque se tegunt. Itaque idem Dominus, quoniam sciebat, non posse discerni doctrinam ex opere, cum sæpè mali bona doceant, monuit nos Matthæi 18. *Quæ dicunt facite, secundùm autem opera illorum nolite facere.*

Vult igitur Dominus Matth. 7. vt ex fructibus doctrinæ, de ipsa doctrina, & doctoribus iudicemus. Nam doctrina verè diuina, & Catholica est doctrina sana, & ex se parit obedientiam, pacem, concordiam animorum, & similia. Doctrina hæretica parit quodãmodo naturaliter dissensiones, sectas, contumaciam, licentiam, contemptum maiorum, & alia id genus. Commune siquidem est omnibus hæreticis, vt despiciant veteres Doctores, vt doceant, non esse acquiescendum Ecclesiæ iudicio, vt in sectas varias breui tempore scindãtur. Itaque hoc testimonium ex Matthæo prolatum, nõ pertinet ad caussam, quã nunc tractamus, sed solùm obiter nos instruit, vt nisi cœci simus, perspiciamus, doctrinã Lutheri, & Caluini, & ipsos quoque, vt talis doctrinæ auctores, fuisse arbores valdè malas, & ideo securi diuini iudicij excisos, in ignémque proiectos.

Porrò quod Matthæum capite 12. & Lucam capite 6. per arbores bonas, vel malas, intelliguntur voluntates hominum bonæ, vel malæ, siue ipsi homines boni, vel mali. Sic enim Dominus ipse videtur exposuisse, cùm ait: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona, & malus, de malo thesauro profert mala.*

Ad argumentum autem, quod secundùm hanc expositionem vires habere videtur, TRIPLEX solutio dari potest. PRIMA est, Dominum non voluisse significare, arborem bonam non posse facere vllum fructum malũ, sed non posse facere omnes, aut plurimos fructus malos; Et contrà, arborem malam, non posse facere omnes, aut plurimos fructus bonos, sed ordinariè quidẽ, & vt plurimum facere fructus malos, interdum tamen facere posse aliquos fructus bonos. Atque hoc est valdè consentaneum experientiæ, tum in veris arboribus, tum in hominibus, per eas significatis. Nã arbores bonæ semper aliquos bonos fructus ferunt, quamuis interdum aliquos aut non perducant ad maturitatem, aut à vermibus corruptos, ac per hoc malos gerant. Arbores item malæ, id est, putridæ, seu nimis antiquæ, & carioſæ (id enim significat vox Græca σαπρὸς) non tantùm producunt mustos fructus malos, & corruptos, sed etiam aliquos integros, & bonos.

ALTERA solutio est, per arbores intelligi actualem voluntatem bonam, quæ dicitur caritas, & malam, quæ dicitur cupiditas, vt exponit sanctus Augustinus in libro secundo de actis cum Felice Manichæo, capite 4. vel certè ipsos homines, vt operantur ex caritate, vel ex cupiditate. Ex hac autem expositione argumentum planè solutum remanet. Fatemur enim arborem malam, id est, cupiditatem, siue hominem, vt operatur ex cupiditate non posse facere, nisi malos fructus. Sed non sequitur propterea, opera omnia hominis peccatoris, esse peccata, quoniam interdum peccator non operatur ex cupiditate, sed ex bono naturæ, & tunc facit opus bonum morale: Sicut etiam interdum homo iustus facit opera mala, id est, peccata venialia, quia non operatur ex caritate, sed ex corruptione naturæ.

TERTIA solutio erit, si dicamus, per fructus bonos, quos non potest facere arbor mala, intelligi opera meritoria vitæ æternæ, per fructus autem malos, quos nõ potest facere arbor bona, intelligi opera meritoria mortis æternæ, per arborem bonam, hominem iustum, per malam, peccatorem, vt hanc similitudinem exponit Augustinus lib. 4. in Iulianum, cap. 3. & lib. de gratia Christi, capite 18. & 19. Hinc enim sequetur, vt sicut iustus nõ potest facere peccata lathalia, nisi desinat esse iustus, & tamen potest, etiam manens iustus, facere peccata venialia: sic impius non possit facere opera, digna regno cœlorum, nisi desinat esse impius, & tamen possit, etiam manens impius, facere opera bona moraliter. Et certè secundùm vsum Scripturæ, fructus boni nõ dicuntur, nisi opera salutifera, de quibus dicitur Ioan. 15. *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multũ.* Et ad Roman. 6. *Habetis fructum vestrum in sanctificationẽ.* Et ad Galat. 5. *Fructus spiritus sunt caritas, continentia, &c.* Et ad Ephes. 5. *Fructus lucis est in omni bonitate, &c.*

OCTAVVM argumentum sumit CALVINVS ex illo Ioann. 3. *Quod natum est ex carne, caro est.* At caro tota est mala, neque bonũ aliquid gignere potest. Nam effectus carnis mors est: ad Roman. 8. Et fructus carnis sunt fornicatio, immunditia, &c. ad Galat. 5. Neque responderi potest, accipi carnem pro parte hominis inferiore, cùm dicitur: *Quod natum est ex carne, caro est.* Nam Dominus ait: *Oportet vos nasci denuò.* At nasci debemus secundùm partem superiorem. Ait enim Apostolus ad Ephes. 4. *Renouamini spiritu mentis vestræ.* Igitur pars etiam superior ante iustificationem dicitur caro, & nihil facere potest, nisi propria carnis, id est, peccata.

RESPONDEO, Caro sumitur quidem interdum in diuinis literis pro homine carnali, vt carnalis distinguitur à spirituali, id est, pro homine, in quo primas partes sibi vendicat caro, vt in loco citato, ad Galat. 5. *Opera carnis sunt fornicatio, &c.* Sæpius tamen per figuram intellectionis pro toto homine simpliciter accipitur, vt Ioan. 1. *Verbũ caro factum est.* Et Isaiæ 40. *Omnis caro fœnũ.* Hoc autem loco certum est, carnẽ accipiendam esse simpliciter pro homine, vt accipiũt Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus, & alij in commentario, & Basilius lib. 1. de Baptismo, capite 2. vltra medium. Dominus enim, vt ostenderet, oportere nos nasci denuò, si velimus hæreditatem diuinam consequi, dixit, *Quod natum est ex carne, caro est*, hoc est, non sufficit natum esse semel ex homine. Nam homo nihil aliud quam hominem gignit. Sed nascendum est iterum, idque ex Deo, vt simus quodammodo Dij, & hæreditatem filiorũ Dei consequi mereamur.

Quare illa ratiocinatio Caluini non est ad propositũ. Nõ enim debet homo nasci denuò, quia sit totus carnalis, & nihil possit facere, nisi opera carnis, sed quia per primã generationẽ nõ habet esse, nisi naturale, & humanum, indiget autem esse diuino, & supernaturali, vt filius, & hæres Dei dici, & esse possit. Porrò ad Romanos octauo, accipitur caro pro parte inferiori, vt patet ex toto præcedente capite, & sensus eius loci est, acquiescere carnis concupiscentiis mortem esse, quia peccatum mortale admittit, qui carni in omnibus acquiescit. Quamuis autẽ nõ possit nõ peccare, qui carni obedit, tamen non cogitur etiã homo impius in omni opere carni obedire, sed potest aliqua opera facere ex naturali propẽsione, nõ ex vitiosa cupiditate, vt sæpè dictum est suprà.

NONVM argumentum sumunt ex illo Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* RESPONDEO, Loquitur Dominus de his operibus, quæ ad salutem pertinent, de quibus paulò antè dixerat: *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Et hoc modo locum istũ intelligit Cõcilium Arausicanum, can. 7. Atque huc pertinẽt illa etiã loca, quæ à quibusdam obiiciuntur ex 1. ad Corinth. 4. *Quid habes, quod non accepisti?* Ex 2. ad Corin. 3. *Nõ sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis.* Et Ephes. 2. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu, in operibus bonis.* Ex Philip. 2. *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere.* Hæc enim omnia ad opera pietatis, & salutis pertinent, quæ sine Deo, neq; inchoari, neq; perfici posse, infrà demonstraturi sumus.

DECIMVM argumentũ sumunt ex illis verbis epist. ad Rom. cap. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatũ est.* quod argumentũ non solũ à Kemnitio proponitur, sed etiam à Caluino lib. 3. Institut. capite 15. & à Melanchthone in Apologia Confessionis, titulo de iustificatione.

Sed respõsio in prõptu est. Nã eo loco beatus Paulus, nomine fidei, nõ intelligit fidem, qua credimus in Christum, vnde dicũtur fideles, qui ea fide præditi sunt, & infideles, qui eadem fide carent, sed fidẽ, qua credimus aliquid esse licitũ, quæ etiam conscientia dici potest. Et sententia illius loci est, peccatum esse quidquid fit cõscientia reclamante, & protestante, illud fieri non debere.

Hanc autem esse germanam eius loci expositionem dubitari non potest: TVM, quoniam ita exposuerunt ferè omnes interpretes Græci, & Latini, vt cõment. adscriptus Ambrosio, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, & alij, & præterea Innocẽtius Papa in Concilio Lateranensi, vnde extat caput finale de præscriptione. TVM, quia textus ipse planè cogere videtur. Differit enim Apostolus de cibis mundis, & immundis, secundùm legem, & ait: *Qui discernit si mãducauerit, damnatus est, quia non ex fide*, id est, qui discernit inter cibos mundos, & immundos, existimans aliquos verè esse immundos, si omnes æquè manducauerit, dãnatus est, quia facit contra id, quod credit esse faciendũ. Omne enim quod non est ex fide, id est, secundùm id, quod credit faciendũ, peccatũ est. Atque hinc natum est axioma illud Theologorũ, cõscientiã (quamuis erroneam) semper ligare. Nunquã enim licet contra conscientiã facere. Non ignoro, sanctũ Augustinum paulò aliter hunc locum exposuisse, sed de eius sententia paulò pòst dicemus.

VNDECIMVM argumentũ sumunt ex illo 1. ad Corinth. 10. & Coloss. 3. *Siue manducatis, siue bibitis, siue quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* RESPONDEO, sonant hæc verba piam admonitionem, non præceptum propriè dictum, nisi intelligamus, hoc tantùm imperari, vt omnia fiant in gloriam Dei explicitè, vel implicitè. Nam saltem implicitè omnia referri in gloriã Dei qui operatur propter bonum aliquem finem. Semper enim ex bonis operibus, etiamsi is, qui ea facit, fortè de Deo non cogitet, sequitur, vt qui ea vident, glorificent, aut certè glorificare possint patrem nostrũ, qui in cœlis est.

DVODECIMVM argumentum ex illo ad Ephes. 4. *Testificor in Domino, vt iam non ambuletis sicut & gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desperãtes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationẽ omnis immunditiæ, in auaritiã.* RESPONDEO, Non dicit Apostolus, omnia opera infidelium esse peccata, sed plurima esse mala, & immunda, omnia autẽ saltẽ esse vana, id est, inutilia ad verã felicitatẽ, cùm ipsi & lumine fidei, & spe regni cœlestis careant.

TERTIVMDECIMVM argumentũ, ex illo 2. ad Timot. 2. *A quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem.* At voluntas diaboli est, vt homines semper peccent. RESPONDEO, Dicuntur peccatores teneri laqueis diaboli captiui ad ipsius volũtatem, non quod cogantur facere, aut pati quicquid diabolus vult, sed quia non possunt pro suo arbitrio, & suis solis viribus, ab illa captiuitate liberari.

QVARTVMDECIMVM argumentũ, ex illo ad Tit. 1. *Omnia munda mundis, inquinatis autem, & infidelibus, nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens, & conscientia.* RESPONDEO, Explicant hunc locum sanctus Hieronymus in commentario, & sanctus Augustinus lib. 31. contra Faustum, cap. 4. qui docent, Apostolum nõ loqui de operibus infidelium, sed de cibis mundis, & immundis, secundum legẽ, vt hæc sit sententia huius loci: *Omnia mũda mundis*, id est, omnes cibi natura sua mũdi sunt, & hoc tempore post abrogatã legem veterem iustè, & sanctè à iustis hominibus manducantur, quippè qui sciunt nihil esse immundum, quod cum gratiarũ actione percipitur: *Inquinatis autem, & infidelibus, nihil est mundum*, id est, hominibus iniustis, & qui nolunt credere, legem esse abrogatã, quales sunt Iudæi, omnes cibi sunt immundi, non solum illi, quos lex iudicabat immundos, sed etiã cæteri, quos isti ita infideliter sumunt, vt existiment, eos solos esse mũdos. Inquinata enim est eorũ & mens, & conscientia, id est, idcirco omnes cibi sunt istis immundi, quoniã iniquinatam mentem, & erroneam conscientiam gerũt.

Quod si quis omninò contendat, illud: *Infidelibus nihil est mundum*, significare, omnia opera infidelium esse peccata: interrogandus erit, quid significet illud: *Omnia mũda mundis.* Nã non potest hæc sententia significare, omnia opera iustorum esse iusta, cùm iusti sint, qui iubentur dicere: *Dimitte nobis debita nostra.* Et: *Septies in die cadit iustus.* Restringenda igitur erit sententia ad illa opera, quæ fiunt ex iustitia, id est, ex caritate, & pietate: quo modo facilè concedemus, omnia opera impiorum, & infidelium, esse peccata, dum illud (*omnia*) restringatur ad illa opera, quæ ex impietate, & infidelitate procedunt.

QVINTVMDECIMVM argumentũ, ex illo ad Hebræos 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* RESPONDEO, Impossibile est sine fide placere Deo, vt quis amicꝰ Dei constituatur. At sicut natura humana, vt res aliæ creatæ, quia bona est, bonitate naturæ, non potest non placere Deo, qui summè bonus est, & cui placent omnia bona: Sic etiam opera facta ex bono naturæ, sine admixtione malæ alicuius circumstantiæ, bona sunt, & Deo placẽt, tametsi nõ sint eius pretij, vt vel gratiam, vel vitam mereantur æternam. Quoniam verò Pelagiani bonis operibus solis naturæ viribus effectis, tribuebant, vt gratiam Dei mereri possent, ideò rectè sanctus Augustinus libro quarto in Iulianum, cap. 3. vtitur aduersus eos hoc Apostoli testimonio: *Sine fide impossibile est placere Deo.*

POSTREMVM argumentum sumitur ex illo 1. Ioan. 2. *Quicquid est in mundo* (id est, in amatore mundi) *concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorũ, aut superbia vitæ.* RESPONDEO, Si per mũdũ intelligamus cũ Augustino hominẽ mundi amatorẽ, sensus erit, in amatore mũdi, vt talis est, nihil esse nisi hæc tria, quoniã omnia peccata reuocantur ad hos tres fontes, luxuriã, auaritiam, superbiã. Alioqui enim non negat Ioannes, quin sint in homine, quãtumuis peccatore, multa bona naturalia corpus, animam, intelligentiã, voluntatẽ, &c. sed (vt dixi) loquitur de amatore mundi, non vt est homo factus à Deo, sed vt est peccator factus à se. Si tamen cũ aliis expositoribus intelligamus per mundũ hanc rerum vniuersitatẽ, sensus erit, nihil esse in mundo, nisi obiecta luxuriæ, auaritiæ, & superbiæ, & ideo non esse diligendam creaturam, sed creatorẽ, in quo est obiectũ veræ, perfectæq; felicitatis.

CAPVT

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XI.

Soluuntur argumenta ex Patribus.

SEQVVNTVR nunc argumenta ex Patribus, ac præsertim ex Augustino.

PRIMVM argumentum ex lib. 1. Retract. cap. 15. *Voluntas sine caritate tota est vitiosa cupiditas.* RESPONDEO, loquitur de volũtate, vt voluntas significat potentiã, non actũ. Nã de eadẽ paulò antè dixerat, quãtũ est quod valet volũtas sub dominãte cupiditate, nisi fortè, si pia est, vt oret auxiliũ? Porrò potentia voluntatis sine caritate, tota est vitiosa cupiditas, id est, plena est amore proprio. Sed non tollitur propterea inclinatio naturalis ad bonum, quæ non B est habitus bonus, vel malus, quales sunt caritas, & cupiditas, sed est ipsa potentia voluntatis, inclinata ab bonũ naturã sua, ex qua inclinatione fieri potest aliquod opus, quod non sit peccatum, quando non datur occasio cupiditati, vt vim suam exerat, vt cùm aliquis, quamuis alioqui vitijs omnibus coopertus, occurrit pauperi, & ægroto, & ex humana misericordia illi compatitur.

Non esse autem peccata omnia opera illorum, qui caritate carent, ac proinde cupiditate non carent, docet idem Augustinus in libro de patientia, capite 26. vbi de schismaticis loquens, dicit, eos non peccare, si quid patiantur pro Christo, & tamen id eis non prodesse ad vitam æternam, cùm caritatem non habeant.

SECVNDVM argumentum, ex epistola 106. vbi sic C loquitur de Pelagio; *Aliquando ita paribus momentis potestatem voluntatis æqua lance perpendit, vt aliquantum etiam ad non peccandum valere definiat. Quod si ita est, nullus locus adiutorio gratiæ reseruatur, sine qua nos dicimus, ad non peccandũ nihil voluntatis arbitriũ valere.* RESPONDEO, Non significat, meo iudicio, sanctus Augustinus, nõ posse hominem suis viribus facere aliquod opus, quod non sit peccatũ, sed nõ posse viuere sine omni peccato, ita vt illud, *ad non peccandum*, non sit, ad peccatum aliquod vitandum, sed ad viuendum sine peccato. Nam hoc nobis persuadet inprimis illa ratio eiusdem Augustini (*Quod si ita est, nullus locus adiutorio gratiæ reseruatur*) quæ nihil cõcludit, si *ad non peccandum*, significet, ad peccatum aliquod vitandum: concludit autem efficacissimè, si, *ad non* D *peccandum*, significet ad nunquam peccandum.

DEINDE, verba sequentia idem testantur. Nam explicans sanctus Augustinus quid sit, quod Pelagius dicebat, liberum arbitrium aliquantum ad non peccandum valere, dicit, sensisse Pelagium, posse hominem seruare solis naturæ viribus omnia mandata, sed ægrè, ac difficulter per gratiam verò facilè, ac suauiter, ac per hoc posse suis viribus nunquam peccare, sed aliquantum, id est, ægrè, ac difficulter.

Adde etiam TERTIO, non fuisse ab vllo veterum inter errores Pelagij enumeratum, posse hominem, suis viribus, facere aliquod opus bonum moraliter, vel (quod est idem) facere aliquod opus, quod non sit peccatum, sed posse omnia mandata seruare, & viuere, absque omni F peccato, vt patet ex Hieronymo lib. 3. contra Pelagianos, & Augustino lib. de hæresibus, cap. 88.

Posset etiam responderi ad idem argumentum, per illud, *ad non peccandum*, significari ad resistendum tentationi, & tunc libentissimè confitemur, ad non peccandũ, sine adiutorio gratiæ liberum arbitrium nihil valere.

TERTIVM argumentum sumitur ex Enchiridio, capite trigesimo, vbi sic legimus: *Quid boni operari potest perditus, nisi in quatũ à perditione liberatur?* RESPONDEO, Loquitur S. Augustinus de opere bono, quod ad salutem perducat. Dixerat enim: *Verum hæc pars generis humani, cui liberationem Deus, regnumque parauit æternum, numquid meritis operum suorum reparari potest? absit. Quid enim bo-* A *num operari potest perditus? &c.*

QVARTVM argumentũ ex libr. 2. de peccatorũ meritis, & remissione, cap. 18. *Si voluntas aut bona est, aut mala, & vtique malam non habemus ex Deo, restat vt bonam voluntatẽ habeamus ex Deo.* RESPONDEO, Per voluntatẽ non accipit actum voluntatis, vt aduersarij putant, sed potentiam, quæ si prædita est caritate, est bona, si cupiditate, est mala. Dixerat enim paulò antè, illam esse bonam, quæ diligit Deum, illam malam, quæ non diligit. Diligere enim, & non diligere, ad potentiam pertinet: Potest autem voluntas mala operari aliquid boni moralis, sicut potest voluntas bona operari aliquid mali venialis. Sed sicut voluntas bona hominis iusti non operatur peccatum veniale ex caritate, sed ex corruptione naturæ, ita voluntas mala hominis impij, & infidelis, non operatur bonum morale, ex cupiditate, sed ex bono naturæ, quod non omninò periisse, idem Augustinus scripsit in libro de spiritu, & littera capite 34. & aliis in locis.

QVINTVM argumentum ex libro primo cõtra duas epistolas Pelagianorum, capite vltimo, vbi sanctus Augustinus scribit, bonum vsum liberi arbitrij esse ex gratia. RESPONDEO, Non dicitur benè vti libero arbitrio, qui inter innumerabilia peccata admiscet vnũ, aut alterum opus bonum morale, sed qui vt plurimum viuit secundùm rationem, & omnia mandata moralia diligenter seruat, quemadmodum non benè vtitur calamo, qui vnam, aut duas literas pulchrè depingit, & integras dic- C tiones corruptissimè scribit: Sed qui apposità ad legẽdum verba omnia format, ac digerit, quamuis vnum, aut alterum characterem interdum minus rectè pingat.

Hunc bonum vsum liberi arbitrij Pelagiani meritorium gratiæ esse volebant, nos verò cum sancto Augustino dicimus, eum haberi non posse, nisi per gratiam. Iam enim suprà docuimus, nõ posse hominẽ suis viribus omnia mandata seruare, præsertim si tentatione pulsetur.

SEXTVM argumentum, ex libro tertio contra duas epistolas Pelagianorum, capite octauo, librum arbitriũ captiuatum, non nisi ad peccatum valet, ad iustitiam verò, nisi diuinitùs liberatum, adiutúmque nõ valet. RESPONDEO, Rectè dicitur liberum arbitrium non nisi ad peccatum valere, tum quia magnas vires ad peccandum habet, tum quia vt plurimum reipsa peccat, nisi diuinitùs adiuuetur. Nam pauca quædã bona moralia, quæ potest facere, pro nihilo reputantur, cùm & nihil prosint ad salutem æternam, & obruantur multitudine peccatorum. Similes sententiæ frequentissimè occurrunt in Scripturis diuinis, vbi dicitur, ab omnibus fieri, quod à plurimis fit, vt Gen. 6. *Omnis caro corruperat viam suam.* Matthæi 2. *Turbatus est Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo.* Ioannis 12. *Mundus totus post illum abit.* Actorum 21. *Tota confunditur Hierusalem.*

SEPTIMVM argumentum ex libro de gratia, & libero arbitrio, cap. 18. *Quod non fit ex charitate, non benè fit.* RESPONDEO, Non fit benè, id est, vtiliter ad salutẽ.

OCTAVVM argumẽtum ex lib. 1. de Nuptiis, & cõcupis. cap. 3. & lib. 4. in Iulianum capite 3. & Tractat. in Psalm. 31. vbi sanctus Augustinus docet, omnia opera infidelium esse peccata, & eo trahit illud: *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* RESPONDEO, DVAE adhiberi possunt ad hoc argumentũ solutiones. PRIOR est cõformis iis, quę dicta sunt ad argumenta superiora, videlicet, vocari peccata omnia opera infidelium, quia ferè omnia fiũt ob malũ finẽ, vt in cultum falsorum Deorum, vel ad inanem gloriam, & hoc modo loquitur ipse sanctus AVGVSTINVS libro quarto in Iulianum, cap. tertio: *Quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri vera sapientia iubet, & si officio videatur boni, ipso non recto fine peccatum est.* Et infrà: *An & istis, qui exhibuerunt terrenæ patriæ Babylonicam dilectionem, & virtute ciuili,*

non

non vera, sed verisimili dæmonibus, vel humanæ gloriæ seruierunt. Fabiis videlicet, & Regulis, & Fabriciis, & Scipionibus, & Camillis prositurs esse aliquem locum inter damnationem, regnumque cœlorum? Damnat igitur rectissimè Augustinus illa opera infidelium, quæ ad malum ab eis referebantur, & quoniam talia erant ferè omnia, quæ ab illis fiebant (vt ipse idem dicit in libro de spiritu, & litera, capite vigesimo septimo) ideo simpliciter omnia opera infidelium peccata fuisse dicit, tribuens omnibus quod maximæ parti conueniebat, & meritò reprehendit Iulianum, qui posse infideles viribus naturæ præcepta omnia moralia seruare, & sine peccato viuere, temerè asserebat.

POSTERIOR solutio erit, si dicamus, per peccatum, intelligi ab Augustino non solùm id, quod est propriè peccatum, & cui debetur pœna, sed illud etiam, quod B caret omni illa perfectione, quam habere potuisset, quodque sterile, & inutile est ad veram beatitudinem consequendam. Ita enim se ipse explicat loco citato, libro 4. in Iulianum, capite 3. *Scuo*, inquit, *nos illum bonum hominem dicere, illam voluntatem, bonam, illud opus bonum, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum, regnumque perduci.* Hæc ille, qui cùm ita definiuerit bonum, significauit etiam contrà malum se appellare, & peccatum illud omne, quod ad regnum cœlorum non perducit, etiamsi alioqui non sit tale malum, quod pœnam mereatur.

NONVM argumentum sumitur ex illis Augustini testimoniis, quæ docent, virtutes morales esse etiam dona Dei, siue in fidelibus, siue in infidelibus inueniantur. Id C enim docet Augustinus de virtute continentiæ in epistola 89. quæstione 2. & 105. & 103. in quo loco postremo continentiam infidelis hominis, dixit esse donum Dei. Idem docet de patientia, in libro de patientia, à capite 15. vsque ad finem. Denique libr. 4. in Iulianum, cap. 3. idem affirmat de omnibus virtutibus infidelium.

RESPONDEO, virtutes morales dicuntur meritò dona Dei, quia non acquiruntur, nisi per actus frequentes: non possunt autem frequentari eiusmodi actus, nisi resistendo passionibus, easque frænando, & coërcendo quod suprà diximus, sine adiutorio, & protectione Dei fieri non posse. Sed nõ sequitur, si virtutes sint dona Dei, non posse hominem suis viribus aliquod bonum opus facere, quando nulla tentatione pulsatur, quod sit bonum moraliter, hoc est, non sit peccatũ propriè dictum. D

Atque ex his, quæ dicta sunt, explicari possunt testimonia omnium aliorum Patrum, si qua inueniantur in speciem contraria doctrinæ iam traditæ. VEL enim intelligi debent de bonis operibus, quæ ad salutem pertinent, vt illud Concilij ARAVSICANI, canone vigesimo: *Multa bona sunt in homine, quæ non facit homo, nulla autem bona facit homo, quæ non præstet Deus, vt faciat homo.* Et illud AMBROSII libro secundo in Lucam: *Vides quod vbique studijs humanis virtus diuina cooperatur, vt nemo possit ædificare sine Domino, nemo incipere sine Domino.* Et illud CYPRIANI lib. 2. epistola 1. *Dei est omne quod possumus.* Et illud, quod definitum fuit contra Pelagianos, teste Augustino in epistola 106. gratiam ad singulos actus E dari.

VEL debent exponi de opere, quòd reipsa ad malum finem refertur, aut certè quod est peccatum largo modo, quia non habet omnem perfectionem, quam habere posset. Sic intelligimus illud PROSPERI lib. 1. de vocatione, cap. 7. *Sine cultu veri Dei etiam quod virtus esse videtur, peccatum est.* Et illud GREGORII lib. 2. Moralium, capite 15. *Si non prius in corde nostro fides gignitur, reliqua quòque esse bona non possunt, licet esse videantur.* Et illud HIERONYMI in cap. 3. ad Galat. *Sine Christo omnis virtus in vitio est.*

VEL denique accipi debent de operibus, non ratione difficultatis, quæ sit in ipso actu, sed ratione tentatio- A num, quæ vel adsunt, vel adessent, nisi Dei protectio, & singularis prouidentia vigilaret. Hoc enim modo dictũ esse intelligimus à ZOZIMO, vt refert Cælestinus in epist. ad Gallos, in omni actu, & motu adiutorẽ, & protectorem inuocandũ esse Deum. Et à Concilio ARAVSICANO can. 9. *Diuini muneris est, cum pedes nostros ab iniustitia detinemus.* Et can. 22. nihil nos habere à nobis, nisi mendacium & peccatum. Quamuis hoc possit etiam intelligi de auxilio generali, quod à Pelagio pariter negabatur, vt sensus sit, à nobis habemus mendacium, & peccatum, veritatem, & bona opera non habemus, nisi concurrente Deo, per auxilium generale, vel speciale, prout operum ipsorum qualitas, & varietas postulat. Superiunt argumenta ex ratione.

CAPVT XII.

Soluuntur argumenta ex ratione.

PRIMVM argumentum ex ratione ducitur ab orationibus piorum. Pij siquidem omnes in omnibus operibus, etiam moralibus, Deum implorant adiutorem, & opere perfecto illi gratias agunt. SED si hoc argumentum aliquid efficeret, efficeret quoque, non posse opera mechanica fieri sine speciali auxilio Dei, nam & in illis perficiendis, pij opifices Deum inuocãt, & opere absoluto, illi grarias agunt. Ista igitur non probant, non posse fieri solis viribus naturæ aliquod opus bonum mechanicum, vel morale, quasi vires naturæ etiã corruptæ, non sint pares illis operibus, nisi excitentur, aut iuuentur auxilio supernaturali, sed probant, rectè inuocari Deũ, vt protectione sua impediat hostem communem generis humani, qui nos infestare non cessat, & rursum, vt in decursu operis prouidentiã sua nostram vitam, & vires conseruet, impedimenta, quæ extrinsecus accidere possent, auertat, denique semper, & vbique nos dirigat, ne humana ignorantia, & errore labamur, in tanta actionum varietate. Cogitationes enim hominum timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ.

SECVNDVM argumentum est PHILIPPI MELANCHTHONIS, is enim in Apologia tit. de iustificatione, admittit opera quædam infidelium, ornari à Deo temporalibus præmiis, tamen dicit, non esse laudanda cum cõtumelia CHRISTI, quod illi faciunt, scilicet, qui dicũt, ea non esse peccata coram Deo. AT nos nõ ea laudamus cum contumelia CHRISTI, cùm dicamus, nihil prodesse ad vitam, & salutem, quæ est in Christo Iesu: ipse verò ea damnat, cùm contumelia Creatoris. Annon fit iniuria Deo, si dicatur, ornare præmiis peccata? & non dicitur cum contumelia conditoris, peccata esse, quæ ex bono naturæ ab illo conditæ fiunt?

TERTIVM argumentum est CALVINI in Antidoto can. 7. sess. 6. Concilij, vbi sic loquitur: *Peccator & infidelis mortuus est, & resuscitatur per Euangelium, ergo quamdiu sic manet, non potest aliquid vitale agere.* AT peccator, & infidelis mortuus est morte gratiæ, non morte naturæ. Liberum enim arbitrium, quod ad vitã naturæ pertinet, non extinctum, sed extenuatum esse docet Concilium Arausicanum, can. 8. Itaque non potest homo peccator, & infidelis agere aliquid vitale, quod ad vitam gratiæ pertineat, potest tamen agere aliquid vitale ex iis, quæ pertinẽt ad vitam naturæ, qualia sunt opera moralia, quę ex naturalibus principiis, ratione videlicet, & voluntate dependent.

QVARTVM argumentum. Homo per peccatum factus est peruersus, & distortus, ac similis tibiæ curuæ. Sed curua tibia non potest ambulando, non claudicare, igitur nec potest homo peccator operando non peccare. RESPONDEO, homo per peccatum sine dubio peruersus, ac distor

Universidad de Deusto
Biblioteca

ac frustortus efficitur, sed non necessario ex illa curuitate, quæ nihil est aliud, quàm cupiditas, operatur. Potest enim quiescente cupiditate operari ex propentione naturali, quæ recta est. Quare similitudo de curua tibia nihil probat nisi semper hominem peccare, quando ex cupiditate aliquid facit.

QVINTVM argumentum, si ad bonum opus morale non requireretur, nisi auxilium Dei generale, sequeretur, Deum non magis concurrere ad opera bona, quàm ad mala. Hoc autem esse absurdum, docet sanctus Augustinus in libro de gratia Christi, capite 25. RESPONDEO, Deum magis concurrere ad bonum opus, quàm ad malum, potest DVOBVS modis intelligi, VNO modo quod maius auxilium conferat, ALIO modo, quod eodem auxilio magis attingat effectum: PRIORE modo non est absurdum, Deum non magis concurrere ad bonum opus morale, quàm ad malum, cùm aliquando non sit vnum magis difficile quàm alterum, immò etiam possit fieri vt opus malum sit longè difficilius, & plura requirat, quàm bonum, & ideò magis egeat auxilio Dei generali, quod numquam negatur, nisi Deus miraculum facere velit. POSTERIORE modo semper Deus magis concurrit ad bonum, quàm ad malum: nam in bono facit Deus & quod est, & quod bonum est, in malo facit quod est, sed non quod malum est. Et rursus, Deus concurrit ad bonum moraliter, quia præcipit illud, vel consulit, ad malum non concurrit vlla ratione moraliter.

AT (inquies) Pelagius non negaret, Deum magis concurrere ad opus bonum, quàm ad malum, hoc modo posteriore. Diceret enim, Deum per virtutem operatiuam, quam nobis dedit, facere in opere bono, quod est, & quod bonum est; in malo non facere, quod malum est, sed solum quod est, quia opus malum, vt malum, nō procedit a virtute, vt agente, quam habemus à Deo, sed à defectu eiusdem virtutis, qui defectus non est à Deo: RESPONDEO, sanctum Augustinū loco notato, non loqui de bono tantùm morali, sed de eo, quod est meritorium gratiæ, vel gloriæ; de hoc enim bono verè est absurdum, Deum non maiori auxilio concurrere ad opus bonum, quàm ad peccata. Et hoc absurdum ad errorem Pelagij apertissimè sequebatur.

SEXTVM argumentum, Dæmones habent intelligētiam, & voluntatem, non minus integram, quod attinet ad naturalia, quàm homines, & præterea carent concupiscentia carnali; & tamen nullum opus bonū morale facere possunt, vt omnes fatentur: igitur nec homines possunt, nisi diuinitus adiuuentur. RESPONDEO, dæmones sunt obfirmati in actuali odio Dei, & rerū ipsius, ac præsertim humani generis, id enim pertinet ad statum damnationis, sicut confirmatio in actuali amore Dei, & proximi pertinet ad statum felicitatis, & ideo nō est mirum, si quicquid faciunt, malum est, quoniam ad malum illum finem omnia referunt. Homines autem in hac vita, etiamsi infideles, & perditissimi, non semper actu Deum, & proximum oderunt, neque ex hoc odio semper operantur.

SEPTIMVM argumentum. Si posset homo bonum morale facere viribus solius naturæ, certè remansissent in natura humana, post Adæ peccatū, semina aliqua virtutum, vt Cassianus docuit: Atqui hoc reprehendit sanctus Prosper in lib. contra Collatorem, cap. 28. RESPONDEO, semina virtutum, si propriè accipiantur, nihil sunt aliud, nisi lumen intellectus practici, & inclinatio voluntatis ad bonum prosequendum, & malum fugiendum, vt sanctus Thomas docet in 1.2. quæst. 63. Et hoc modo semina virtutum remanserunt post peccatum, nec possunt aboleri, nisi homo desinat esse homo. Et hæc semina admittunt Basilius, homil. 9. in Exameron, & in regulis fusè explicatis, cap. 2. Athanasius in vita sancti Antonij, ipsius B. Antonij exhortationem ad virtutem referens,

A Hieronymus in cap. 1. ad Galat. Damascenus lib. 3. cap. 14. & alij. Refert etiam Ruardus Tapper, in explicatione artic. 10. hanc sententiam ex Augustino: *In naturali iudicatorio adsunt quædam regulæ, & semina virtutum, quæ dicunt Synderesim.*

Cassianus tamen pro semine virtutum, accepit semina veræ pietatis, id est, bonas cogitationes, & pia desideria, quibus homo præparatur ad gratiam. Sic enim ait, cap. 9. Collationis de protectione Dei: *Iam hic* (inquit) *quasi per inscrutabilem diuersitatem introducitur definitio, qua doceatur multos ad gratiam venire sine gratia, & hunc affectum petendi, quærendi, atque pulsandi habere quosdam de vigilantia liberæ voluntatis.* Et infrà: *Dubitari ergo non potest, ineſſe naturaliter omni animæ virtutum semina, &c.* Hanc sententiam meritò refellit Prosper his verbis: *Qui ergo dicit, sine vllo opere gratiæ naturaliter omni animæ semina ineſſe virtutū, quid laborat ostendere, nisi de istis seminibus quadam germina præcedentium Dei gratiam pullulare meritorum?*

CAPVT XIII.

Proponitur controuersia de libero arbitrio in moralibus, & Tilmanni ineptiæ, ac mendacia referuntur.

SEQVITVR vltima quæstio de bono morali, quæ est omnium potissima inter quæstiones de libero arbitrio. Igitur controuersia est inter Catholicos omnes ab vna parte, & hæreticos huius temporis omnes ab altera (neq; enim in hac re vel apud nostros, vel apud aduersarios vlla est opinionum varietas) sit ne homo in statu naturæ lapsæ liberi arbitrij, in bono morali eligendo, & malo cuitando, siue, quod idem est, in præceptis morum obseruandis, aut præuaricandis.

Et quidem CATHOLICI (vt diximus) omnes tum veteres, tum recentiores, tamquam dogma fidei Catholicę prędicant partem affirmantem. HAERETICI contrà, tum ex veteribus plurimi, tum recentiores omnes obstinatè defendunt partem negantem. Loca tum Catholicorum, tum hęreticorum annotauimus initiò primi libri. Nunc antequam ad argumenta sęcia veniamus, placet breuiter adscribere aliquot mendacia, vel ineptias Tilmāni Heshusij, vt lector ex hoc vno, qui non parui nominis episcopus apud aduersarios est, iudicium faciat de cæteris.

TILMANNVS igitur in lib. de sexcētis erroribus Pontificiorum tit. de seruo arbitrio, inter alios decem & nouem errores de libero, vel (vt ipse loquitur) seruo arbitrio, Romanæ Ecclesię attribuit, qui sunt omnes vel manifesta mēdacia, vel sententię veterum, quas ne ipsi quidem Lutherani negare solent. Tam acri iudicio scilicet Papistarum errores Heshusius colligit.

PRIMVS error: *Liberum arbitrium est facultas rationis, & voluntatis, quâ bonum eligitur gratia assistente, vel malum eadem desistente.* Item, *Est facultas applicandi sese ad gratiam.* Et citatur Petrus Lombardus lib. 2. d. 24. At PRIOR definitio desumpta est, ex Augustino in Enchiridio, ca. 95. proinde fateri debet Tilmannus, sanctū Augustinū fuisse Papistam. POSTERIOR est merū somnium Heshusij.

SECVNDVS error: *Liberum arbitrium, quoadres spirituales, non est prorsus extinctum, sed tantùm fractum, & attenuatum.* At hoc ipsum accepit Concilium Tridentinum ex Concilio Arausicano, canone octauo. Itaque Patres illius Concilij, quod ante annos mille celebratum est, contra Pelagianos, Papistæ omnes, teste Tilmanno, fuerunt.

TERTIVS error: *Homo ex puris naturalibus potest diligere Deum super omnia.* At hoc scripserunt Scholastici quidam pauci, sed non debet Ecclesiæ Catholicæ tribui opinio paucorum, quam in eadem Ecclesia plures, & grauiores refellunt.

QVARTVS: *Potest homo suis viribus implere præcepta Theolo-*

gicarum virtutū, secundum substantiam operis, vt credere, sperare, diligere. Et citatur Ruardus. At Ruardus in explicatione articuli de libero arbitrio refert hoc ex aliorū sententia, sed nō probat. Nec debēt Ecclesiæ tribui singulorum somnia. Certè Concilium Tridentinum, cuius vox Ecclesiæ Catholicæ vox est, disertis verbis tradit in sexta sess. can. 3. neminem posse sine Dei auxilio credere, diligere, aut sperare sicut oportet.

QVINTVS: *Gentes potuerūt ex Philosophia eam notitiam comparare, quæ satis est ad salutem consequendam.* Et citatur Andradius lib. 3. Atqui Andradius nō scribit ex sola Philosophia gentes id potuisse; & non semel in eodem loco repetit, necessarium fuisse gentibus ad salutem lumē diuinæ gratiæ. Viderit igitur Heshusius, quàm bona fide auctores citet, & vtrum hoc non sit Lectoribus imponere, vel mentiri.

SEXTVS: *Par libertas à necessitate est in Deo, in Angelis, & hominibus.* Item: *Libertas a necessitate inseparabilis est à natura intellectiua.* At hic si error est, Gregorij Nisseni, Anselmi, Bernardi, & omnium sanctorum Patrum est, quos libro superiore citauimus. Quare non parum Tilmanno debemus, quod tam antiquos, & tam doctos, ac sanctos Patres Papistas fecerit.

SEPTIMVS; *Sine auxilio gratiæ potest homo facere opera Deo grata.* Et citatur Andradius lib. 3. At non dicit hoc Andradius, sed tantùm posse hominē facere aliqua opera, quæ non sint peccata, id est, bona moraliter, non quæ Deo sint grata, id est, gratiæ, vel gloriæ meritoria.

OCTAVVS: *Synderesis est inclinatio ad bonum.* At qui hoc negat, nescit quid loquatur; nam quomodo quæso potest non inclinare ad bonum, lumen humanæ menti à bono conditore insitum?

NONVS: *Synderesis nō extinguitur in dæmonibus.* At hoc docet sanctus AVGVSTINVS lib. 2. confess. cap. 4. *Lex* (inquit) *scripta est in cordibus, quam ne ipsa quidem delet iniquitas.* Tametsi enim non sunt omnino idem synderesis, & lex naturæ, cùm synderesis sit ipsum lumen intellectus per modum habitus in nobis manens, lex naturæ sint prima quædam principia practica, quæ lumine illo cognoscuntur, tamen certum est, esse inseparabilia synderesim, legemque naturæ. Itaque sanctus Hieronymus, in primum caput Ezechielis scribit, synderesim in ipso etiam Cain post peccatum commissum deleri non potuisse. Sed omissis Patribus, nōne Isaias hoc dicit cap. vlt. *Ignis eorum non extinguetur, & vermis non morietur?* Quod item repetit aliquoties Dominus Marc. 9. Vermem autem, qui in dānatis nō moritur, synderesim esse, siue scin tillam conscientiæ, docet Hieronymus, & alij in commentario Isaiæ. Itaque iam non Patres tantùm, sed etiam Christum, & Isaiam Tilmannus inter errantes Papistas numerare poterit.

DECIMVS: *Naturalia manserunt integra post peccatum.* At hoc perspicuè docet Dionysius Areopagita, li. de diuinis nominibus, cap. 4. Neque repugnat ei, quod alij dicunt naturam humanam per peccatum esse corruptam. Corrupta siquidem est natura per amissionem donorum supernaturalium, non per destructionem alicuius potentiæ, aut membri naturalis. *Naturæ quippe humanæ* (inquit sanctus PROSPER, lib. contra Callatorum, cap. 26.) *etiam post præuaricationem manet substantia, manet forma, manet vita, & sensus, & ratio: cæteraq; corporis, & animi bona.* Nec aliud significare volunt, qui inter Catholicos scribunt, naturalia manere integra post peccatum.

VNDECIMVS: *Mens humana multa per se intelligit, quæ ad cognitionem diuinarum rerum pertinent.* At hoc docet Apostolus ad Rom. 1. vbi dicit: *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, cognoscī.*

DVODECIMVS: *Homo post lapsum habet rectum lumen rationis.* At solus eo caret, qui id negat. Certè enim si lumine rectæ rationis omnino priuati essemus, nihil à furiosis, vel à bestiis differremus.

TERTIVSDECIMVS: *Homo accepta prima gratia gratis data, de condigno mereri potest gratiam gratum facientem, & vitam æternam.* Et citatur Gabriel lib. 2. dist. 27. quæst. 1. ita dicens: *Anima gratia informata per actum a voluntate simul, & gratia elicitum, de condigno meretur æternæ beatitudinis præmium.* At quis crederet Heshusium tam stultū, vel stupidum esse potuisse, vt ipse verba citaret, quibus mēdacia ipsius nullo labore confutarentur? Tantum enim abest, vt Gabriel dicat, hominem de condigno mereri gratiam gratum facientem, vt etiam dicat, non posse mereri gloriam, nisi prius habeat gratiā gratum facientem.

DECIMVSQVARTVS: *Initiū fidei à nobis est.* Et probatur ex Gabriele dicente: *Actum meritorium, quantum ad substantiam eius, esse à voluntate, tanquam à causa prima, & principali, & à gratia tanquā à causa secūda, siue minus principali.* At somniabat credo, vel phrenesi laborabat Heshusius, dum hæc meditaretur. Vbi enim est mentio fidei in verbis Gabrielis? an non loquitur de actu meritorio, qui non solùm fidem, sed etiam spem, & charitatem prærequirit?

DECIMVSQVINTVS: *Arbitrium credendi in nostra est potestate.* Et citatur Ruardus, dicens: *In potestate hominis quippe est, in melius mutare voluntatem, sed ea potestas nulla est, nisi detur à Deo.* At hanc sentētiam Ruardus desumpsit ad verbum ex Augustino, lib. 1. retract. cap. 22. Neque id ignorare potuit Heshusius, si Ruardum legit. Sed dolus, an virtus quis in hoste requirat?

DECIMVSSEXTVS: *Homo renatus totam Dei legē implere potest.* Et citatur Concilium Trident. sess. 6. At hoc idem habetur in Concilio Arausicano, can. 25. Immo & sanctus Ioannes hoc dicit, cùm ait: *Qui natus est ex Deo, nō peccat.* 1. Io. 2. Idem enim esse non peccare, & legem Dei totam implere, docet idem Apostolus, 1. Io. 3. cùm ait: *Et peccatum est ἀνομία, id est, legis præuaricatio.* Itaque iam ipsum etiam Ioannem erroris pontificij damnare, non veretur Heshusius.

DECIMVSSEPTIMVS: *Libertas arbitrij est causa efficiens applicationis voluntatis ad gratiam.* Et citatur Andradius lib. 4. Atqui Andradius in eodem loco adiungit, id non posse liberum arbitrium nisi confirmatum firmissimis diuinæ gratiæ præsidiis. Porrò voluntatem efficiēter cōcurrere ad eiusmodi actus, adeo certum atque euidens est, vt Kemnicius Heshusij collega excusare nitatur Lutherum, quod alicubi scripserit, voluntatem merè passiuè se habere.

DECIMVSOCTAVVS: *Homo plus præstare potest, quā lex Dei præcipit.* At id verum esse testatur Dominus, qui Matth. 19. Ei, qui totam legem se impleuisse dicebat, ait: *Si vis perfectus esse, vade vende omnia, &c.*

DECIMVSNONVS: *Perseuerantia ex gratia, & libero arbitrio pendet.* At hoc docet sanctus Augustinus, lib. de correptione & gratia, cap. 12.

En igitur quales sententias Heshusius errores Pontificiorum, appellare non dubitauit. Sed magis adhuc impudentiam suam prodidit, cùm eos refutare aggressus est. Nam prolatis aliquot scripturæ sententiis, quæ nihil ad rem faciebant, ita concluſit. *Vbi demonstratum est, quod liberum arbitrium in rebus spiritualibus prorsus sit extinctum, sua sponte corruunt omnes reliqui errores Pontificiorum, quos plenis buccis de malè libero arbitrio impudenter decantant.* At neque demonstrauit, liberum arbitrium in rebus spiritualibus esse prorsus extinctum, de qua re in sexto libro disseremus; neque si id verè demonstrasset, reliquæ sententiæ, quas ipse perperam vocat errores, sua sponte corruerent. Quales enim essent istæ consecutiones? liberum arbitrium in rebus spiritualibus nihil potest, igitur non est facultas rationis, aut voluntatis; vel igitur synderesis non est inclinatio ad bonum; aut non remanet in dæmonibus; vel, igitur gentes per philosophiam non

Universidad de Deusto
Biblioteca

habuerunt notitiam, quæ sufficit ad salutem. Sed his nugis omissis, ad seria veniamus.

CAPVT XIV.

Probatur libertas arbitrij in moralibus, argumento ducente ad impossibile.

ASSERENDA nunc est veritas orthodoxa, quæ docet, hominem in statu naturæ corruptæ libero arbitrio præditum esse, quoad moralia. Quoniam autem IOAN. CALVINVS lib. 2. Instit. cap. 5. argumenta Catholicorũ certo ordine disposuit, eáque vt potuit, soluit, aut soluisse videri voluit: nos ab illis initium ducemus, & eodem ordine non solum catholica argumenta, sed etiam ipsius B responsiones proponemus, vt ex illarum refutatione lector intelligat, argumenta Catholicorũ solidissima esse, neque hæreticis machinationibus labefactari posse. Caluinus igitur in DVOS ordines argumenta nostra distribuit, in PRIORE constituit rationes ducẽtes ad impossibile, in POSTERIORE rationes ostensiuas ex verbo Dei.

PRIMVM Catholicorum argumentum eiusmodi est: *Aut peccatum est necessarium, aut voluntarium, si est necessarium, igitur non est peccatum, ac per hoc peccatum non erit peccatum, quod fieri non potest: si est voluntarium, igitur vitari potest: & proinde homo est liberi arbitrij in moralibus. Quippe qui potest peccare, & non peccare.* Quod argumentum sumptũ est ex AVGVSTINO, in lib. de vera religione, c. 14.

Ad hoc argumentum, respondet Caluinus, peccatum esse necessarium, & voluntarium simul, & negat vtramque partẽ consecutionis, videlicet, ergo non est peccatum, si est necessarium; & ergo vitari potest, si est voluntarium. C

Et quidem de POSTERIORE parte non erit magna quæstio, si tollatur ambiguitas. Nam ipse per voluntariũ intelligit spõtaneum, seu liberum a sola coactione, quale est etiam in pecoribus, & hoc modo voluntarium non pugnat cum necessario, & ineuitabili. Nos autem accipimus voluntarium pro libero à necessitate, alioqui ineptè diceremus, aut est necessarium, aut est voluntarium, si voluntarium non opponeretur necessario. Eodem etiã modo accepit voluntarium sanctus Augustinus loco citato, id est, lib. de vera religione, cap. 14. vt patet ex illis verbis: *Quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate seruirent.* Et infrà, cùm dixisset, Adamum voluntariè D peccasse, reddit rationem. *Quoniam*, inquit, *si necessitate feciſſet, nullo peccati crimine teneretur.* Itaque consequutio illa, si peccatum est voluntarium, ergo vitari potest, non fuisset à Caluino negata, si voluntarium accepisset, vt accipere debebat, id est, vt ipsa nostri argumenti verba postulabant.

Priorem verò partem consequutionis cur negauerit, QVATVOR causas reddit. PRIMAM, quoniam idẽ argumentum aliquando Pelagiani contra Augustinum protulerant. SECVNDAM, quoniam peccata hominum, licet sint necessaria, tamen ideo sunt verè peccata, quia non nascũtur ex creatione, sed ex corruptione naturæ, quam corruptionem peccatum primi hominis peperit. TERTIAM, quia diabolus necessariò semper malè agit, & tamen verè peccat, & Angeli sancti necessariò semper E benè operantur, & tamen verè bona sunt ipsorum opera. QVARTAM, quia sanctus Bernardus serm. 81. in Cantica scribit, hominem post peccatum non posse vitare alia peccata, & tamen verè, propriéque peccare.

Addit Caluinus in libro 4 aduersus Pighiũ. QVINTAM causam ex Aristotele, lib. 3. Ethicor. cap. 5. vbi docet Philosophus, hominem iponte fieri malũ; cum possit non fieri, sed vbi talis effectus est, iam necessariò esse malum: si qui ægrotat, sponte, & libere in morbum incidit, quia noluit vitare res noxias, cùm eas facilè posset vitare, tamen posteaquam ægrotus factus est, necessariò malè valet: *Ita quoque* (inquit CALVINVS) *primus homo sponte ac liberè peccando naturam corrupit, sed iam corruptæ naturæ necessariò malè operatur.*

Addamus SEXTAM causam ex Bucero, & Kemnitio, qui probant, legis præuaricationem semper esse peccatum, siue sit voluntaria, siue necessaria, quoniam in priore Ioannis epistola, capite tertio, peccatum definitur ἀνομία, id est, legis præuaricatio. Iam igitur si causas istas nihil ponderis habere demonstrauerimus, argumentum illud Catholicorũ robur suum, ac vires integrè retinebit.

Ad PRIMAM causam RESPONDEO, non eandem esse quæstionem, neque idem argumentum, quod nos obiicimus Caluino, & quod olim Pelagiani obiecerunt B Augustino: Nam quæstio Pelagianorum non erat, an singula peccata vitari possent, sed an posset homo viuere sine omni peccato, etiã veniali, vt intelligi potest vel ex ipso titulo libri, de Perfectione iustitiæ, quem Caluinus citat. Respondit verò ad eam quæstionem Augustinus, ante peccatum Adæ fuisse in homine libertatem viuendi sine omni peccato, nunc autem esse necessitatem habendi aliquod peccatum. Ideo autem hæc necessitas habendi peccatum, non facit, quo minus peccatum sit verè peccatum, quoniam possunt vitari singula, quamuis non omnia. De qua re plura paulò infra dicenda erunt.

Ad SECVNDAM de corruptione naturæ, RESPONDEO, ex doctrina eiusdẽ Caluini. Ipse enim loco notato scribit, si peccata nostra orirentur ex corruptione nobis à Deo concreata, iustam excusationem peccatorum C nos habituros apud Deum, tanquam nostrorum criminum auctorem. At ipse idem libro tertio Instit. cap. 23. scribit, peccatũ primi hominis, ex quo naturæ corruptio orta est, fuisse Dei decreto, & ineuitabili voluntate commissum. Habemus igitur excusationem apud Deum, si ex corruptione, in quam eius decreto incidimus, & non ex nostra libera voluntate peccamus. Præterea naturæ corruptio ex doctrina Caluini, est ipsum originale peccatum, peccatum autem originale dimissum est in baptismo, vel vt non sit, iuxta veritatem, vel certè vt non imputetur iuxta Caluini sententiam: igitur neque peccata illa imputari poterunt, quæ ex ea corruptione nascuntur, nisi accedat noua causa imputandi, id est, quod ita libera voluntate iam fiant, vt etiam vitari potuerint.

Ad TERTIAM, de peccatis dæmonum, & bonis operibus Angelorũ, RESPONDEO, tam Angelos sanctos, quàm malos dæmones, respectu finis vltimi; non habere liberum arbitrium à necessitate, sed solum à coactione: tamen respectu mediorum, liberum arbitrium etiam à necessitate habere, quia multa faciunt, quæ possent non facere, & contrà; & in huiusmodi, dæmones verè peccare, & bonos Angelos opus verè laudabile facere: quamuis nec pœna, nec præmium essentiale crescere possit, cùm vtrique sint in termino, & omnia ipsorum opera ad exercitium damnationis, vel gloriæ sempiternæ pertineant. Itaque propositio illa Caluini, dæmones semper necessariò malè agunt, in aliquo sensu falsa est, in aliquo vera. Verum siquidẽ est in genere, eos nõ posse nisi malè agere; falsum tamen est in particulari, omnia mala, quæ faciũt; illos necessariò facere, possent enim (vt diximus) E multa non facere, quæ faciunt, & ideo non necessitate, sed voluntate peccata committunt.

Ad QVARTAM, ex Bernardo RESPONDIMVS, in tertio libro, capite sexto, summa est, hominem peccatorem, dum in eo regnat cupiditas, non posse vitare peccatum, absolutè autem posse, quia potest cum Dei adiutorio cupiditatem exuere, & induere caritatem.

Ad QVINTAM, ex Aristotele, RESPONDEO, testimonium illud Philosophi nihil ad rem propositam facere. Nam loquitur ille de habitu vitij, nos loquimur de actu. Quamuis autem, qui malũ habitum contraxit, non possit

possit illum continuò expellere, & necessariò sit vitiosus, A sicut ægrotus necessariò malè valet post contractam ægritudinem: tamen potest actum malum non exercere, cùm habitus inclinent, sed non cogant, & ideo non necessitate, sed voluntate perficit actum malum, & verè, propriéque peccat etiam ille, qui vitiosos habitus malè viuendo contraxit. Sed quale est, vt Caluinus ab Aristotele subsidium contra libertatem arbitrij postulet, cùm ille Philosophus in libro tertio Ethicorum, libertatem arbitrij studiosissimè, accuratissiméque defenderit?

Ad SEXTAM, ex definitione peccati, RESPONDEO, In definitione peccati virtute cõtineri liberum arbitriũ. Lex enim, quæ in ea definitione manifestè ponitur, non datur nisi iis, qui liberum gerunt arbitrium. Nihil enim est aliud lex, nisi regula dirigens actiones: Frustrà autem B datur regula ei, qui non habet in potestate actiones suas. Alioqui reddant aduersarij causam, cur bestiis nullæ præscribantur leges, si ad legis vsum non requiritur libertas arbitrij. Atque hinc rursus confirmatur, & insolubilius efficitur argumentum illud, quod frustrà Caluinus soluere conatus est. Nam si quod sponte fit, licet necessariò fiat, potest esse peccatum propriè dictum, cur non verè, propriéque peccant infantes, furiosi, pecudes?

CAPVT XV.

Adfertur, & defenditur secundum argumentum, pro libero arbitrio in rebus moralibus.

ARGVMENTVM SECVNDVM Catholicorum à CALVINO propositum, atque (vt ipse falsò credidit, etiam solutum) tale est: *Si nõ sit in homine libertas arbitrij, nullus erit pœna, aut præmio locus: id autem communi totius humani generis consensu, sensuq; refellitur.* Quod argumentum depromptũ est ex Augustino, in eodem capite decimo quarto, eiusdem libri, de vera religione.

Ad hoc argumentum Caluinus tria dicit, PRIMO, fuisse quidem hanc ratiocinationem Chrysostomo, & Hieronymo familiarem, eadem tamen vsos esse quandoque Pelagianos. SECVNDO, non sequi, nullum fore locum pœnæ, si nulla sit in homine libertas arbitrij. Nam pœna debetur culpæ; culpa verò in nobis residet, & à nobis manat: *Quid enim refert* (inquit) *libero ne, an seruili iudicio, modo voluntaria cupiditate peccetur?* TERTIO addit, rectè bona merita excludi, ex eo, quod non sit in homine libe- D rum arbitrium: neque id esse absurdum, cùm testimonio sancti Augustini, Deus non coronet merita nostra, sed munera sua. Et citat aliquot loca sancti Augustini, adiunctis etiam quibusdam testimoniis diuinæ scripturæ. Videamus nunc, quid ponderis habeant tria ista dicta Caluini.

Ad PRIMVM, refero alia tria. PRIMVM, Dico, si propterea nos Pelagiani censendi sumus, quoniam vtimur argumento, quo vtebantur olim Pelagiani, certè Caluinus, eiusque sodales Manichæi censendi erunt, quoniam eodem argumento, quo nos vtimur contra Caluinum, vtebantur olim Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, aliique Patres veteres, contra Manichæos.

SECVNDO, quæro à Caluino, quãdoquidẽ ipse dicit, eodem argumento vsos fuisse Hieronymum, & Pelagiũ, E idem ne eos probare voluisse, an diuersa? Nam si probare volebant diuersa, non erit verum, eodem illos argumento vsos. Neque enim fieri potest, vt homines non stulti, quales certè non erant Hieronymus, & Pelagius, idem argumentum ad res diuersas probandas adhibere voluerint. Si probare volebant idem; idem igitur sentiebant Hieronymus, & Pelagius; quomodo igitur Hieronymus tam acriter pugnabat contra Pelagianos si idẽ cum Pelagio sentiebat? Sed his omissis:

Dico TERTIO, ex eodem principio duxisse argumentum Patres nostros, & Pelagium, sed argumentum Patrum nostrorum fuisse planè ferreum, Pelagij verò arundineum. Chrysostomus enim, & Hieronymus contra Manichæos efficacissimè probant ex pœnis, & præmiis arbitrij libertatem, quod nos eorum Patrum filij modò facimus, contra Manichæorum filios Caluinistas: & idem fecerunt Augustinus, aliique Patres omnes contra eosdem hæreticos Manichæos, quorum testimonia suo loco proferentur.

Pelagiani autem ex pœnis, & præmiis probare nitebantur, non liberum arbitrium non esse, sed gratia non indigere, sic enim ex Pelagianis Caluinus ipse refert: *Si gratia Dei in nobis agit, illa ergo, non nos, qui non laboramus, coronabitur.* Quod argumentum non minus debile est, quàm cõtrarium Caluinistarum, qui ex gratiæ necessitate cõtendunt, nullam esse arbitrij libertatem. Siquidem adiutorium gratiæ, & libertas arbitrij non pugnant inter se, neque vnum alterum destruit, aut impedit, sed mirificè potius alterum iuuatur ab altero, quemadmodum infirmus, & baculus. Neque enim infirmus sine baculo ambulare potest, ipse tamen adiutus baculo verè ambulat, & liberè etiam ambulat, cùm possit, si velit, non ambulare. Atque hæc de primo Caluini dicto.

Ad SECVNDVM breuiter RESPONDEO, Caluinum peccatum illud committere, quod dialectici vocant petitionem principij. Assumit enim id, quod probare debuisset, culpam videlicet in nobis residere, & à nobis promanare, etiamsi necessitate adacti operemur, nec peccatũ vlla ratione vitare possimus. Id enim est po- C situ in cõtrouersia, sit ne vera culpa, quæ vitari nõ potest.

Cùm autem rogat, quid referat, liberone, an seruili iudicio, modo voluntaria cupiditate peccetur? RESPONDEO, tantùm referre, quantùm interest inter hominem, & pecudem. Nam quemadmodum animal est genus ad hominem, & pecudem; ita voluntarium, id est, spontaneum ad liberum, & non liberum. Itaque homo peccat, quia sponte libereque agit, pecudes non peccant, quia spontaneè, sed non liberè operantur.

Ad POSTREMVM Caluini dictum RESPONDEO, ipsum à se destrui, atque euerti. Nam si non est locus bono merito sine libero arbitrio, eadem ratione non erit locus malo merito, eadem enim libertas ad bonum, & malum meritũ, ad præmium, & pœnã requiritur. Itaque cùm Caluinus ad argumentum illud, si nulla est arbitrij libertas, nullus erit pœnæ, aut præmio locus, negat consecutionem quantum ad pœnas, & concedit quantum ad præmia, vna parte responsionis alteram euertit.

At fortasse non fuit tam ineptus, vt cùm negasset consecutionem quoad pœnas, eandem posteà concederet quoad præmia. En igitur verba ipsius libri secũdi Institution. capite 5. §. 2. *Acutè sanè* (inquit) *hoc animaduertunt, nullum iam superesse locum meritis, si non ex liberi arbitrij fonte prodeunt. Sed quod istud tantoprè dissentaneum esse ducunt, long'è aberrant. Neque enim dubitat Augustinus passim pro necessario ducere, quod vti nefas confiteri putant.* Hæc ille. Qui sicut ineptè partem consecutionis concessit, partem negauit, ita non sine magna fraude testimonia Augustini, & Scripturæ adducit, vt merita bonorum operũ destruat. Nam cùm probare deberet, nulla esse merita humana, etiam adiuuante gratia Dei, vt inde arbitrij libertatem euerteret: ipse probat, nulla esse bona merita, sine gratia, quod nemo Catholicorum negat.

Loca quæ ipse adducit, hæc sunt, PRIMVM, ex epistola quinquagesima secunda, ad Macedonium: *Merita quarumlibet hominum quæ sunt? quando ille non cum mercede debita, sed cũ gratuita gratia venit, omnes peccatores solus à peccato liberat, & liberator inuenit.* ALTERVM, ex præfatione in Psalmũ trigesimum primum. *Si redditur tibi quod debetur, puniendus es. Quid ergo fit? non tibi reddidit Deus debitam*

Universidad de Deusto
Biblioteca

panam, sed donauit indebitam gratiam. Et infrà: *Si vis alienus esse à gratia, iacta merita tua.* TERTVLLVS, ex concione secunda, in Psalmum septuagesimum. *Nihil es per te, Deũ inuoca: tua peccata sunt, merita Dei sunt. Supplicium tibi debetur, & cùm præmium venerit, sua dona coronabit, non merita tua.* QVARTVS, ex sermone decimo quinto, de verbis Apostoli: *Meritum ex gratia, non gratia ex merito est.*

His omnibus testimoniis nihil aliud sanctus Augustinus docet, nisi hominem nihil posse sine gratia in ordine ad salutem, & nulla esse merita hominum, quæ non sint Dei munera, ratione præcedentis gratiæ, vt ipse explicat in libro de gratia, & libero arbitrio, capite sexto. *Si merita nostra* (inquit) *sic intelligerent, vt etiam ipsa Dei dona esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia, quoniam vero merita humana sic prædicant, vt ea ex semetipso habere hominẽ dicant, prorsus rectissimè illis dicitur, dona sua coronat Deus, nõ merita tua, si tibi à te ipso sunt. Hæc enim si talia sunt, mala sunt quæ mala sunt, non coronat Deus, &c.*

Itaque non alia merita humana, sanctus Augustinus negat coronari à Deo, nisi illa, quæ sint in nobis à nobis sine adiutorio gratiæ. Quod cum omnes Catholici amplectantur, & prædicent; mentitur Caluinus, cùm dicit, nos putare nefas, confiteri id, quod Augustinus pro necessario ponit. Non negari autem ab Augustino merita humana respectu sempiternæ beatitudinis, ex illa ipsa epistola ad Macedonium (vt alia nunc omittamus) Caluinus dicere potuisset. Nã in ea sic loquitur de vita æterna: *Hoc piorum præmium est.* Et infrà: *Assuesce, obsecro te, vir bone, beatus esse interim spe, vt sis etiam re, cum pietati perseuerantissimæ retribuetur merces felicitatis æternæ.* Et infrà: *Bona vita nunc agitur, & postea præmium eius, quæ nisi æterna esse non potest, beata vita persoluitur.* Et infrà: *Hic sunt virtutes in actu, ibi in effectu: hic in opere, ibi in mercede.* Hæc ille.

Pari fide citat idem Caluinus tria loca Apostoli, duo pro se, vnum contra se. Pro se adducit illa: *Quos prædestinauit, hos vocauit: quos vocauit hos iustificauit: quos iustificauit, hos magnificauit.* Rom. 8. Et: *Quid habes, quod non accepisti?* 1. Corinth. 4. Sed quid hæc (obsecro) faciunt contra vera merita sanctorum? docet Apostolus, gratiam Dei semper esse necessariam, in principio, in medio, in fine. Quis nostrûm hoc negat? docet magnificari iustificatos, quia videlicet iustificati gratis, opera iusta fecerunt, quibus deberetur corona iustitiæ. Quis nostrûm hoc non gratissimè confitetur? docet à Deo nos omnia accepisse, naturam, gratiam, bona merita, vitam æternam, neque id vllus Catholicorũ inficiatur. Sed sicut bona merita nasci ex gratia, ita mercedem ex meritis promanare, non dubitamus, dicente eodem Apostolo, 2. Timoth. 4. (quem locum contra se Caluinus adducit) *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus iudex.*

At (inquit Caluinus) *cur, teste Apostolo coronãtur fideles, quia Domini misericordia non sua industria & electi, & vocati, & iustificati sunt.* SED nó hoc dicit Apostolus, neque vocat hoc sc. eo vitam æternam, coronam misericordiæ, sed iustitiæ; nec dicit donari, sed reddi, nec reddi à Patre, sed à Iudice; nec à Iudice benigno, sed iusto. Et quamuis verum sit, vitam æternam esse donum Patris misericordiæ propter gratiam præcedentem, iuxta illud: *Gratia Dei vita æterna.* Roman. 6. tamen verum est etiam, eam esse coronam iustitiæ, & reddi à iusto iudice propter opera bona: *quoniam* (vt habetur in Concilio Arausicano canone decimo octauo) *merces debetur operibus, si fiant: sed gratia, qua non debetur, præcedit, vt fiant.* Hæc de meritis, nos nostra dicere coegit à Caluino extra rem propositam allata disputatio.

Vt igitur redeamus ad rem, argumentum illud Catholicorum, quod sumitur ex pœnis, & præmiis, hac ratione confirmari potest. Ratio debiti, siue pœnæ, siue præmij debitum sit, id necessariò postulat, vt id quod datur sit proprium. Nam si quis rem non suam, sed alienam donet, nihil ei propterea iure debebitur. Nó est autem proprium, nisi id, cuius domini sumus: illius verò tantum domini sumus, quod est in potestate nostra, ita vt dare, vel non dare, facere, vel non facere pro arbitrio valeamus.

Sanctus HILARIVS, canone sexto, in Matth. *De nostro* (inquit) *est beata illa æternitas promerenda, præstandâmque est aliquid ex proprio.* Et sanctus PAVLINVS, in epistola secunda, ad Seuerum: *Quæ nobis* (inquit) *est gratia, si in alieno tantum fideles fuerimus, nisi de proprio seruiamus?* Ipse etiam beatus Paulus ideo dixit, Romano. 7. *Si quod nolo facio, iam non ego operor illud:* Quoniam non est nostrũ, neque nos propriè facimus, nisi quod liberè facimus. Quocirca tametsi bestiæ nobis multis in rebus vtilissimè seruiant, nihil tamen eis præmij deberi putamus, quoniã non liberè, sed ex necessitate deseruiũt. Perspicuum igitur est, si nulla sit libertas arbitrij, nullum fore (vt initio dicebamus) pœnis, aut præmiis locũ; & frustra Caluinum in huius argumenti solutione sudasse.

CAPVT XVI.

Proponitur, & defenditur tertium argumentum, pro libero arbitrio in moralibus.

ARGVMENTVM tertium à Caluino pro Catholicis allatum, hoc est: *Si non esset in hominibus libertas arbitrij, non essent alij boni, alij mali. sed omnes boni, aut omnes mali: & si essent omnes boni, non essent alij aliis meliores, sed omnes aque boni: & si essent omnes mali, non essent alij aliis peiores, sed omnes aquè mali. Id autem falsum esse tam aperiè experientia docet, vt nulla ratione negari possit.*

Respondet Caluinus, hoc argumẽtum esse acceptum ex Chrysostomo, homilia secunda, in Genesim, & Ambrosio (seu potius) Prospero in libro secundo, de vocatione gentium, capite quarto, tamen non esse solidum, propterea quod diuersitas bonorum, & malorum, quę in hominibus cernitur, non oriatur ex libero arbitrio, sed ex electione diuina. Homines enim in statu naturæ corruptæ, omnes esse malos, sed placuisse Deo, alios ex illis electione sua bonos facere, alios relinquere vt sint mali.

At nos IMPRIMIS existimamus, Caluinũ non ægrè laturum, si velimus potius Chrysostomum, & Prosperũ sequi, & audire, quàm ipsum; præsertim cùm rem eandẽ post Chrysostomum, & ante Prosperum, scripserit Augustinus in libro de spiritu, & litera, capite trigesimo quarto. DEINDE dicimus, argumentum illud Catholicorum solidissimum esse, neque per diuinam electionem, & reprobationem vllo modo posse dissolui. Nam electio diuina, vt homines faciat bonos, prærequirit in illis arbitrij libertatem. Alioqui etiam infantes, & furiosos, immo etiam boues, & equos posset electio facere bonos moraliter, si libertas arbitrij ad moralem bonitatem non requireretur. Itaque rectè scribit sanctus Bernardus, initio libri de gratia, & libero arbitrio, fine altero horum, salutem perfici non posse. Nam si non est liberum arbitrium, non est quod saluetur: si nó est gratia, nó est vnde saluetur. Et eodem modo dici potest, si non est liberum arbitrium, non est quod bonum fiat, si non est gratia, non est vnde fiat. Non igitur essent alij boni, alij mali, nisi esset libertas arbitrij.

Præterea cur inter malos alij sint aliis deteriorrs, certè non potest causa referri in electionem diuinam, cùm illa non faciat, sed sinat esse malos. Vnde igitur tanta diuersitas inter homines malos, vt alij multa vitia detestẽtur, quibus alij mirificè delectantur, & alij modicè, alij mediocriter, alij extremè sint mali, nisi propter arbitrij libertatem?

Deni

Denique cur inter bonos alij proficiãt in dies magis, & perseuerent vsque in finem, alij deficiant, & miserè cadãt, ac pereant, non potest reddi ratio, nisi sit in homine liberum arbitrium. Siquidem electio Dei nulli est causa cadendi, neque Deus vllum deserit, nisi prius ab illo deseratur, vt sanctus Augustinus docet, in libro de natura, & gratia, capite vigesimo sexto, tractatu secundo, in Ioannem, & alibi. Immo Scriptura ipsa hoc docet, in secundo libro Paralipomenon, capite decimo quinto. *Dominus vobiscum est, quia vos fuistis cum illo*; vel clarius secundum interpretationem septuaginta virorum: *Quamdiu vos istis cum illo. Si dereliqueritis eum, derelinquet vos.* Et in Psalmo trigesimo sexto. *Declina à malo, & fac bonum, & inhabita in seculum seculi, quia Dominus amat iudicium, & non derelinquet sanctos suos.* Illi igitur qui fiunt ex bonis mali, poterant non fieri, quia non dissererentur à Deo, nisi prius ipsi desererent Deum, ac per hoc liberè fiunt mali. Quare nisi esset libertas arbitrij, vt argumentum Catholicorum rectè probat, non esset ista, quam cernimus inter homines, bonorum, malorumque diuersitas.

CAPVT XVII.

Proponitur, & defenditur argumentum quartum, pro libero arbitrio in moralibus.

ARGVMENTVM QVARTVM, idemque postremum, quod adfert Caluinus pro Catholicis eiusmodi est. *Si tollatur liberum arbitrium ab humano genere in actionibus morum, simul etiam tolli necesse erit cohortationes, obiurgationes, laudes, vituperationes, præcepta, consilia, monita, & alia id genus. Quorsum enim laudes, aut vituperes, admoneas, præcipias, reprehendas, horteris, si non possunt homines aliud facere, quam faciunt?* Desumptum est autem hoc argumentum ex Augustino, in libro de vera religione, cap. decimo quarto.

Respõdet Caluinus DVOBVS modis. PRIMVM admonet, vt contenti simus exemplis Christi, & sanctorũ. Christus enim dixit: *Sine me nihil potestis facere.* Ioan. 15. & tamẽ hortabatur, & corripiebat omnes. Apostolus quoque testatus est, Roman. 9. *Non esse currentis, neque volentis, sed miserentis Dei.* Et 1. Cor. 3. *Neque qui plãtat esse aliquid, neque qui rigat.* & tamen hortari, & corripere omnes non cessabat. Ipsi etiam Prophetæ hortabantur, & corripiebant homines assiduè, & tamen clamabãt, proprium esse Dei circumcidere corda, & pro lapideis dare carnea. Denique sanctus Augustinus propter hanc ipsam obiectionem scripsit integrum librum, quem nominari voluit de correptione, & gratia. In quo libro, capite tertio, sic ait: *O homo in præceptione cognosce, quid debeas habere, in correptione cognosce, tuo te vitio non habere, in oratione cognosce, vnde accipias quod vis habere.* Et cap. 6. *Corripiatur origo damnabilis, vt ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur, si tamen qui corripitur, filius est promissionis.*

DEINDE respondet, correptiones, & exhortationes vtiles esse, etiamsi non adsit liberum arbitrium; nam reprobis adhiberi ad flagellum conscientiæ in hac vita, & ad testimonium in alia, vt inexcusabiles ad Domini tribunal efficiantur; electis autem vt per verbum exterius excitentur, sicut per spiritum intus illuminantur, & ad gratiam recipiendam per externam verbi correptionem præparentur. Sed vtraque Caluini responsio paruo negocio refutari potest.

Quod enim ad PRIOREM attinet, nos ex Christi, & sanctorum exemplis liberum arbitrium efficaciter probari existimamus. Quoniam enim nemo, nisi prorsus iudicio careat, hortatur, aut corripit infantes, vel insanos sed solum adultos & mentis compotes, colligimus eos duntaxat hortationis, & correptionis capaces esse, qui liberi arbitrij vsum habent: non enim aliud interest, inter homines insanos, & sanos, nisi quod illi more pecudum, naturali quodam instinctu feruntur, nec possunt aliter facere: isti iudicio eligunt, quid agant, & possunt, si ita libitum fuerit, non eligere. Itaque simile esset hortari hominem, non liberum, ad eligendum bonum, & corripere, si non eligat; ac si quis hominem in carcere conclusum, hortaretur ad currendum per campos, & reprehenderet, si non pareret.

Refellit hanc similitudinem Caluinus; aliud enim esse dicit, hominem tyrannicè ligatum ab alio, non posse per campos discurrere: aliud, hominem proprio vitio effectum malum, iam non posse eligere bonum. AT finge aliquem, qui suâ culpa in puteum lapsus fuerit; vtrum is rectè admoneretur, vt exiret & obiurgaretur nisi pareret? Obiurgaretur quidem, rectè, quod in puteum se deiecisset. cùm in potestate haberet, non se deiicere; at non rectè obiurgaretur, quod non inde emergeret, si id iam in eius potestate non esset.

Ad obiectiones illas ex Scriptura: *Sine me nihil potestis facere.* Et: *Non est volentis, neque currentis.* Et: *Neque qui plãtat est aliquid, neque qui rigat.* RESPONDEO, rectè probari his testimoniis, liberum arbitriũ egere gratia Dei. Cæterùm eam gratiam, quę necessaria est ad faciendum, quod Deus præcipit, vel ad quod hortatur, nemini deesse; & ideo (vt sanctus Leo scribit sermone decimo sexto, de passione Domini) rectè Dominum instare præcepto, quia præcurrit, auxilio.

Ad obiectionem ex Augustino, in libro de correptione, & gratia. RESPONDEO, Augustinũ in toto eo libro pro certo assumere, eis qui corripiuntur non deesse auxilium gratiæ, quo possint, si velint ex correptione proficere. Nam cùm dicit, capite tertio. *O homo in præceptione cognosce, quid debeas habere, in correptione cognosce, te tuo vitio non habere, in oratione cognosce, vnde accipias quod vis habere.* Certè non dubitat, ei qui corripitur, & iubetur orare, auxilium non deesse, quo possit orare. Et cùm capite quinto dicit: *Quicunque corripi non vis, ideo corripiendus es, quia corripi non vis. Non vis enim tibi tua vitia demonstrari.* Pro comperto ponit, eum hominem, qui reprehenditur, quia non vult corripi, potuisse velle correptionem admittere. Et capite sexto, cùm dicit: *Corripiatur origo damnabilis, vt ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur.* Sine dubio vt certum sumit, eum qui corripitur, posse dolere, & erubescere, & ex eo dolore concipere desiderium vitæ melioris. Alioqui stultissimus esset, qui ea de causa corriperet peccatorem, vt in eo ex dolore correptionis oriretur voluntas regenerationis, nisi crederet eum posse dolere, si velit: alias enim adhiberet causam, quam sciret, nihil efficere posse. Illa verò correctio (*si tamen is qui corripitur, filius est promissionis*) nó significat eũ, qui non est filius promissionis nõ posse cõuerti, sed non cõuertẽdũ re ipsa, licet cõuerti possit. Nã idẽ Augustinus in eodem libro capite septimo, apertissimè scribit, posse perseuerare etiam eos, qui re ipsa non sunt perseueraturi, & meritò, argui, & puniri, quia nõ perseuerãt. *Potest enim* (inquit) *dici ei, in eo quod audieras, & tenueras, perseueraves, si velles.*

ACVT clarissimè perspiciatur librũ hũc de correptione, & gratia, nihil omnino Caluini causam adiuuare, OBSERVANDVM est, eodem tempore scripsisse Augustinum librum de correptione, & gratia, & librum de gratia, & libero arbitrio, & epistolam 46. omnia enim hæc scripta sunt ad Valentinum, occasione quorundam eius Monachorum, qui gratiam Dei sic defendebant, vt liberum arbitrium denegarent. In epistola igitur illa 46. ad Valentinum vtitur Augustinus, hoc ipso nostro argumento, quod Caluinus ex Augustino soluere nititur: *Nisi esset* (inquit) *liberum voluntatis arbitrium, non diceretur in psalmo. Intelligite insipientes in populo, & stulti ali-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quando sapite. Vbi probat Augustinus ex admonitione, & correptione liberum arbitrium. Et similia habet in libro de gratia, & libero arbitrio, capite secundo. Quomodo igitur credibile est, Augustinū in libro de correptione, & gratia ad Valentinum scripto, destruere voluisse, quæ scripserat eodē ferè tēpore, & eadē occasione ad eundē Valentinum? atque hæc de ptiore responsione Caluini.

Venio ad POSTERIOREM, in qua Caluinus pro sua summa scientia dialecticæ principium petit. Nam cum dicit, reprobos ideo corripiendos esse, tametsi necessariò peccent, vt correptio sit illis in hac vita flagellū conscientiæ, & in altera testimonium, quod eos reddat ad tribunal Domini inexcusabiles, omnino pro certo assumit, id quod necessariò fit, posse esse peccatum propriè dictum. At de hoc ipso tota nostra controuersia est. Itaque nego correptionem futuram esse flagellum conscientiæ illi, qui libertate arbitrij careat, nego etiam facturā illum coram Deo inexcusabilem. Immo hoc ipsum illum, & in cōscientia, & coram Deo facillimè excusabit, si verè dicere poterit, se non libera voluntate, sed cogēte necessitate peccasse.

AT (inquit Caluinus) *experientia testatur, peccatores etiā perditissimos sentire flagellum conscientiæ, quando corripiūtur.* Fateor, sed hinc libertas arbitrij apertissimè comprobatur. Propterea enim flagellantur, & erubescunt, quoniam conscij sunt ipsi sibi, se potuisse peccatum vitare, si studium adhibere voluissent.

Pari ratione altera pars eiusdem responsionis, quæ habet corripi electos, vt præparentur per verbum externum ad renouationem internam, confirmat liberum arbitrium. Nam si corripitur, qui peccauit, vt præparet se ad renouationem, ergo qui corripitur, non vult præparari, & tamen potest velle præparari ad renouationem: si enim vult præparari, quorsum corripitur? Si non potest velle præparari, nonne etiam frustrà corripitur?

Sed non solùm hac posteriore responsione Caluinus argumentum Catholicorū non soluit, sed incidit in plures laqueos, vnde non facilè se expediet. Scripsit enim per hortationem præparari electos ad recipiēdam gratiam, qua ipsi hortationi pareant. Nam hæc sunt verba ipsius, libro secundo Instit. capite quinto, §. quinto. *Ad recipiendam hanc ipsam gratiam, qua fit vt hortationi pareatur, per hortationem vult nos præparari.* Et infrà: *Bifariam Deus in electis suis operatur, intus per Spiritum, extra per verbum: Spiritu mentes illuminando, corda in iustitiæ amorem, cultumq; formando, nouam eos creaturam facit: verbo ad eandem renouationem expetendam, quærendam, assequendam excitat.* Hæc ille.

Ex his verbis sequitur PRIMO, posse hominem sine gratia per verbum externum præparari ad gratiam, eámque expetere, & quærere. Nam distinguit Caluinus operationem verbi ab operatione spiritus, & priorem esse vult operationem verbi, qua homo præparatur ad gratiam, posteriorem operationē spiritus qui gratiā ipsam adfert. At hic est error Pelagianus, quem Caluinus refellere se velle dicit. Quomodo igitur non pugnat secū, qui illum ipsum errorem docet, quem refutare studet?

Respondet Caluinus libro quarto, aduersus Pighium, ministerium verbi vocari ministerium spiritus, quoniam Deus per spiritum suum insculpit in cordibus hominum id quod prædicator verbi non ante, nec post, sed simul ad aures loquitur; ita simul omnino fieri externam operationem per verbum, & internam per spiritum.

At responsio ista non soluit nodum, sed magis ligat. Nam Deum insculpere in cordibus verbum exhortationis, VEL est persuadere illud efficaciter, & per hoc facere vt homo assentiatur; VEL est efficere, vt cogitetur, vel intelligatur, non tamen persuadeatur. Si dixerit PRIMVM, pugnabit liber iste quartus aduersus Pighium cum libro secundo Institutionis. Nam in libro secundo Institutionis, vt iā citauimus, disertis verbis Caluinus dicit, per verbū hominē præparari ad illam gratiam spiritus desiderandam, & quærendam, qua fit vt verbo pareatur: proinde priorem esse operationem verbi præparantis, quàm spiritus intus persuadētis: in libro autem quarto, contra Pighium dicit, vtramque esse simul, & sine alia præparatione verbum extra prolatum intus à spiritu insculpi, id est, efficaciter persuaderi. Si dixerit SECVNDVM, non excludet errorem Pelagianum. Non enim satis est gratia ad cogitandum, & intelligēdum secundùm fidem Catholicam, sed requiritur gratia ad desiderandū, & quærendum, & omnino ad præparandum se ad renouationem. Neque Augustinus à Pelagianissimo excusaret eum, qui diceret post verbum exhortationis aure corporis auditum, & corde perceptum posse suis viribus expetendo, & quærendo gratiam, ad eam se præparare.

Sequitur SECVNDO, ex illis verbis Caluini suprà citatis, posse ante renouationem hominis, quæ fit per spiritum ex ipso homine aliquid boni exprimi, desiderium videlicet ipsius renouationis, & præparationem ad eandem. AT hoc apertè repugnat iis, quæ idem Caluinus scribit in eodem secundo libro Institutionis, capite 3. §. 6. vbi dicit, nihil vnquam boni, ex corde humano exprimi posse, nisi penitus aliud fiat per renouationem, id est, nisi ex lapideo fiat carneum. Neque enim negari potest, quin sit bona præparatio, & cupiditas renouationis, quæ fit per verbum in corde nondum renouato.

Sequitur TERTIO, Præparationem istam esse priorem, & posteriorem ipsa renouatione, quæ tamen repugnantia sunt. Nam secundùm principia Caluini, & omnium huius temporis hæreticorum, renouatio hominis fit per solam fidem. Fides autem secundùm scripturas præcedit orationē: *Quomodo enim inuocabunt, in quem non crediderunt?* Rom. 1. Et præterea oratio nisi fiat ex fide, nihil valet. Renouatio igitur præcedit orationem, ac per hoc desiderium, & inquisitionem, & præparationem: & tamen præparatio desiderium, & inquisitio præcedunt renouationem, quia nemo se præparat ad id, quod iam habet, neque desiderat, quod iam accepit neque inquiri quod iam inuenit. Præparatio igitur præcedit renouationem, & renouatio præparationem.

CAPVT XVIII.

Prima classis scripturarum pro libero arbitrio in moralibus.

IN SECVNDO ordine argumentorum Catholicorum collocantur à CALVINO testimonia scripturarū, quæ ipse reuocat ad quinque classes, vt multa argumenta vnica responsione confuter.

PRIMA igitur classis cōtinet ea testimonia, quæ præcipiunt aliquid homini faciendum, vel non faciendum. Talia sunt: *Non habebis Deos alienos, Non assumes nomē Dei tui in vanum, Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Et alia quæ numerātur, Exod. 20. Cuius generis testimonia colligit Augustinus vsque ad triginta duo in libro de gratia, & libero arbitrio, ca. 2. Ex his testimoniis conficitur hoc argumentum: *Præceptum est regula benè viuendi: frustrà autem datur regula ei, qui non potest deficere aut non potest non deficere: solum liberum arbitrium est, quod in via morum potest deficere, & non deficere: igitur frustrà homini præceptum à Deo datur, si caret libero arbitrio: nihil autem facit Deus frustrà: igitur non caret homo libero arbitrio.*

Respondet ad hoc argumentum CALVINVS; sed ita respondet, vt multa dicendo nihil dicat. Ait PRIMVM, legem non esse frustrà, quamuis detur homini carenti libero arbitrio, quoniam non datur solùm vt sit norma viuendi, sed propter alias etiā causas, quarū vna est, vt per eam cognoscatur peccatū, vt Apostolus scribit ad Rom. 3. Ait SECVNDO, in scripturis nō tantùm inueniri legē præci

præcipientem, sed etiam promissionem gratiæ adimplētis, vt hinc intelligamus legis impletionem non esse ex libero arbitrio, sed ex dono gratiæ. Atque hoc fusissimè probat ex diuinis literis, & sancti Augustini testimoniis. Ad EXTREMVM concludit, legem esse impossibilem, & non inde probari libertatem arbitrij, sed gratiæ necessitatem.

Sed PRIOR illa responsio satis frigida est. Nam etiamsi lex habeat multos fines, tamen habet etiam istū, vt sit norma viuendi, & ratione huius finis exigit in homine necessario arbitrij libertatem. DEINDE, nonne hoc ipsum, quod est per legem cognosci peccatum, & legem normam esse viuendi, in idem recidunt? ideo enim datur lex per quam cognoscatur peccatum, vt cognitum vitetur, & hoc modo sit lucerna pedibus nostris, regula rectè viuendi.

AT (inquit Caluinus) Apostolus dicit, datam esse legem, vt superabūdet peccatum, ad Rom. 5. RESPONDEO, non esse Apostoli mentem, legem datam fuisse à Deo, vt per eam peccatum cresceret, nam si ita esset, lex mala fuisset, & tamen idem Apostolus ad Rom. 7. dicit: *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum.* Significat igitur eo loco B. Paulus, legem datam quidem fuisse ad peccatum vitandum, sed non potuisse efficere vt peccatum vitaretur, sed contrà potius occasionem fuisse per accidens, vt peccatum superabundaret. Quoniam enim vt ille ait: *Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.* Homines peccato primi hominis deprauati occasione accepta, ex prohibitione legis magis ad peccandum exarserunt. Itaque B. Paulus bis repetit in illo cap. 7. occasione accepta per legem peccatum magis inualuisse.

Illud igitur *vt*, non significat causam, sed euētum. cum dicitur, *lex subintrauit, vt abundaret peccatum.* Similis locus est in lib. 3. Reg. cap. 17. *Quid mihi & tibi vir Dei? intrasti ad me, vt interficeres filium meum.* Sciebat illa sine dubio, non ad hoc venisse Heliam, vt interficeret filium eius, sed significare voluit, occasione præsentiæ viri tam sancti, & iusti, non potuisse peccata sua manere diutius impunita, & ideo interfectum à Deo filium suum, quasi ad hoc ipsum Propheta venisset. Sic igitur dicit B. Paulus, occasione legis peccata creuisse, quasi ad hoc ipsum data lex fuisset. Et eundem sensum habēt illa omnia: *Lex iram operatur, littera occidit, virtus peccati lex.* Et similia.

POSTERIOR CALVINI responsio planè est extra rē. Non enim disputamus hoc loco, possit ne lex solis naturæ viribus adimpleri, nec ignoramus, auxilium gratię esse modis omnibus necessarium, cùm lex sola non faciat iustos, sed contrà potius per gratiam iustificati faciāt legē. Sed quæstio nostra est, vtrū posito auxilio gratię, homo sit verè liberi arbitrij, ita vt possit legem implere, vel eandē, si maluerit, præuaricari. Quomodo si quis quęrat, an possit homo pro arbitrio videre, & non videre; non oportet obiicere, quid si lumen absit? intelligitur enim quæstio positis omnibus quæ necessario requiruntur.

Nos igitur dicimus, posito auxilio necessario, quodcunque illud sit, hominem verè, proprieque liberum esse in moralibus, atque id probamus, quoniam alioqui lex omnis frustrà data esset. Ad hoc autem Caluinus nihil omnino respondit, sed ad aliam quæstionem, satis callidè, pro suo more diuertit.

Porrò nostrum argumentum efficacissimum esse, vel ex eo cognosci potest, quod eo penè solo vtitur sanctus AVGVSTINVS in li. de gratia & lib. arbitrio, ad illud ipsum probandum aduersus imperitos quosdam Monachos, quod nos aduersus Caluinistas probare cōtendimus. Sic enim ait cap. 2. *Reuelauit nobis Deus per scripturas sanctas, esse in homine liberum voluntatis arbitrium. Quomodo autem reuelauerit, commemora non humano, sed diuino eloquio. Primum quia ipsa diuina præcepta, homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium.* Et infrà: *Quo modo inberet, si non esset liberum arbitrium?* Et infrà: *Iam multa mandata quid ostendunt, nisi liberum arbitrium voluntatis humanæ?* Et infrà: *Nempe vbi dicitur, noli hoc, & noli illud, & vbi ad aliquid faciendū, vel non faciendū in diuinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium.* Hæc ille.

CAPVT XIX.

Secunda classis scripturarum, pro libero arbitrio in moralibus.

ALTERA classis continet ea testimonia scripturarum, quibus promittitur nobis aliquid à Deo sub conditione, si voluerimus. Isaiæ 1. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis, si nolueritis, gladius deuorabit vos.* Amos 5. *Quærite bonitatem, & non malitiam, & viuetis.* Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Ex his, & aliis similibus locis, quæ in scriptura passim occurrunt, tale conficitur argumentum: *Aut est in potestate nostra præstare conditionem oblatam, aut non est: si detur primum, demonstratur liberum arbitrium; si secundum, illa non est verè sub conditione promissio, sed manifesta irrisio. Non secus ac si quis brauii proponeret, ac preconis voce clamari iuberet, vt qui voluerint, currāt, dandum enim brauium ei, qui cæteros currendo superauerit: deinde paucos quosdam vi traheret ad brauii, alios vinculis, & catenis constringeret, ne se commouere possent.*

Respondet CALVINVS, non esse absurdū, vt Deus aliquid sub impossibili conditione polliceatur. Constare enim ipsi rationem suam cur hoc faciat. Nam impijs qui dem proponere eiusmodi promissa, vt eis quàm sint indigni diuina benignitate testetur; sicut etiam præceptis suis eosdem pungit, ne nimis suauiter in peccatis delicientur. Piis autem easdem promissiones proponere, vt quia præceptis ignauia nostra non satis acuitur, promissionum dulcedine ad eorum amorem alliciamur.

AT non quærimus nos hoc loco, cur Deus promissiones offerat piis, vel impijs: sed contendimus, non posse rectè promitti aliquid sub conditione, nisi ei qui libero vtatur voluntatis arbitrio. Et re vera si Deus proponeret impijs impossibilem conditionem, vt eis testaretur, quàm sint indigni benignitate diuina, illa conditionis oblatio ironicè exponi deberet, & esset (vt diximus) non tam conditio, quàm irrisio. Neque enim fieri potest, vt aliquis sciens, & prudens propriè loqui intendat, cum aliquid faciendum, vel non faciendum sub impossibili conditione proponit.

At loca illa scripturæ nullus adhuc ironicè exposuit, sed omnes propriè. Neque possunt ironicè exponi, nisi vis maxima diuinis literis adferatur. Certè enim interrogatus Dominus, quæ esset ad salutem via, nullam causam habuit ironicę responsionis. Proinde Magister bonus verè, proprieque respondit, cùm ait: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Et infrà: *Si vis perfectus esse, vende omnia, &c.* DEINDE, si Deus promissiones sub conditione ne impossibili offert impijs, vt eis indignitatem eorum testetur; vel possunt impij ex hoc testimonio diuino proficere, cogitando videlicet suam indignitatem, & inde timorem, ac dolorem concipiendo, seque coram Deo humiliando, vel non possunt, quia videlicet, aut non intelligunt testimonium diuinum, aut contemnunt: si possunt, ergo habent liberum arbitrium: si non possunt, igitur inutile est eiusmodi testimonium, ac frustrà adhibetur. Et re vera impij non intelligunt indignitatem suam, nec vllo modo existimant, promissiones diuinas ad hoc sibi offerri, vt testimonium habeant indignitatis suæ. Quare sine causa Deus hoc testimonium illis daret.

DENIQVE certū est, saltē piis, non offerri promissiones sub conditione ironicè, & irrisoriè, sed verè, ac propriè: poterunt igitur pij pro arbitrio conditionem

Universidad de Deusto
Biblioteca

implere, vel etiam non implere. Id enim est proprium A veræ conditionis, vt dependeat ab arbitrio eius, cui proponitur. Itaque sicut promissio ad amorem præceptorũ accendit animos piorum, quod nos Caluino minimè negamus, ita conditio demonstrat arbitrij libertatem, quod nobis Caluinus vicissim negare nõ debet, nec potest, si rationem, & naturam veræ conditionis intelligat.

CAPVT XX.

Tertia classis scripturarum pro libero arbitrio in moralibus.

TERTIA classis testimonia illa complectitur, quæ docent per hominem stetisse, quo B minus benè ageret, & peccata vitaret. Nu. 14. *Amalec, & Chananæus ante vos sunt, quorũ gladio corruetis, eo quod nolueritis acquiescere Domino.* Deuteron. 30. *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non suprà te est.* Isaiæ 5. *Quid potui vineæ meæ facere, & non feci?* Hieremiæ 7. *Hæc gens non audiuit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam, ideo proiecta est à Domino.* Et cap. 32. *Quia induraſtis cor vestrum, & noluiſtis obedire Domino, hæc omnia mala euenerunt vobis.* Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti.* Actor. 7. *Incircuncisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis.* Ex his locis ducitur hoc argumentum: *Vel potest is qui peccat, non peccare, vel non potest: si potest, habet igitur liberum arbitrium: si non potest, igitur Deus frustrà queritur de homine, quasi per illum steterit, quo minus benè ageret, cùm ipse aliter facere non potuerit.* C

Ad hoc argumentum CALVINVS respondet, ac PRIMVM dicit, Deum non immeritò de hominibus conqueri, quamuis non possint non malè agere, quoniam vitio suo, & hæreditaria malitia infirmi sunt. SECVNDO addit, peccatores à Deo reprehendi, vt peccatorum tædio in viam redeant. TERTIO, ad locum allegatum ex cap. 30. Deuteronomij, quo se magis vrgeri sentiebat, duobus modis respondet, primò, locum illum posse eludi, si quis affirmet, Mosem loqui de facilitate cognitionis, non obseruationis præceptorum: Deinde, respondet serio, Mosem eo loco intelligendum esse de promissione Euangelij, nõ de præceptis, & lege naturæ. D

Consideremus nunc quanti ponderis sint istæ Caluini responsiones. PRIMA illa de malitia hæreditaria parum eum iuuat. Nam malitiam illam nos pœnam docemus esse non culpam, nisi libera voluntate ei obediamus: Caluinus autem, qui culpam esse contendit, id probare, non assumere debuisset. Itaque sicut homini cæco à natiuitate non rectè quis vitio verteret, si inter ambulandum impingeret, etiamsi cæcitas illa ex peccato originali descendat, & ille vitio suo, id est, vitio, quod in ipso hæret, impingat: sic etiam non rectè peccatores reprehenderentur, cùm præcepta diuina transgrediuntur, si absque libera cõsensione, ex sola naturæ corruptione, quæ ex peccato primi hominis in nobis hæret, præcepta Domini violarent. E

ALTERA responsio, quam reddit Caluinus, cùm dicit, peccatores à Deo reprehendi, vt peccatorum tædio in viam redeant, non soluit vllo modo propositum argumentum. Nam si possunt homines peccatores audita obiurgatione, tædio peccatorũ affici, & in viam redire, liberum arbitrium se habere demonstrant: si non possunt, quorsum illę diuinæ querimoniæ? quorsum (inquã) ita loquitur Deus, quasi per homines staret, quo minus benè agerent? *Vt nolentes* (inquit Caluinus) *acinuiti intelligant, nefarium sacrilegium esse, si malorum suorum culpam, quæ in ipsis residet, in Deum transcribant.* Et probat ex cap. 7. Hieremiæ, vbi iubet Deus narrari omnia scelera populi, & tamen prædicit eum non auditurum: *Loqueris* (inquit) *ad eos omnia verba hæc, & non audient te.* At probare Caluinus debuisset, veram culpam residere in iis, qui ex necessitate peccant, vel certè eos meritò reprehendi, qui non possunt benè agere. Hieremias autem nõ dicit, non poterunt audire, sed, non audient. Itaque quoniam audire poterant, sed nolebant, ideo iussu Domini reuocantur illis in memoriam scelera ipsorum, vt excusationem nullam habeant.

TERTIA responsio, quæ ad locum Deuteronomij propriè pertinet, non est melior cæteris. Quod enim Caluinus dicit, locum illum eludi posse, explicando illud (*non suprà te est*) de facilitate cognitionis, non obseruationis, non eget responsione, cùm ipse idem in libro 4. aduersus Pighium scribat, eam solutionẽ esse cauillatoriam. Et meritò hoc scribit, quoniam licet Moses loquatur de facilitate cognitionis, vt suprà nos ostendimus, tamen ex facilitate cognitionis colligi vult, in potestate populi fuisse mandata seruare, vel non seruare. Dixerat enim paulò ante. *Reuertetur Dominus, vt gaudeat super te in omnibus bonis, si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & custodieris præcepta eius.* Ac ne populus respõderet, se nõ posse implere præcepta, aut non scire quid Dominus velit. Adiungit Moses: *Circuncidet Dominus cor tuum, vt timeas eũ, &c.* Vbi promittitur auxiliũ gratiæ contra excusationẽ impotentiæ, & postea addit: *Mandatũ hoc non suprà te est, neque in cœlo situm, vt possis dicere, quis ascendet in cœlum, &c.* Vbi tollitur excusatio ignorantiæ.

Hac igitur solutione omissa, quam (vt diximus) Caluinus etiam cauillatoriam esse confitetur: seria responsio illa est, quod Moses non loquatur de obseruatione legis, sed de promissione Euãgelij. Id quod probat, TVM, quia B. Paulus ad Rom. 10. totum hunc locum Deuteronomij refert ad Christum: TVM etiam, quia Moses si de præceptorum legis obseruatione loquutus fuisset, in manifestum exitium populum præcipitasset. Effecisset enim vt existimaret, se legem vniuersam suis solis viribus posse complere.

AT hæc responsio vim adfert clarissimis verbis diuinæ scripturæ. Quomodo enim poterat Moses magis apertè significare, se loqui de lege, & præceptis seruandis, quàm illis verbis: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie?* Et illis: *Si audieris vocem Domini, & custodieris præcepta eius, & ceremonias, quæ in lege hac scripta sunt?* Quomodo possunt sine summa impudentia hæc negari?

Conuictus igitur tam perspicua veritate Caluinus, in libro quarto aduersus Pighium, addit, si Moses de præceptis loquatur, loqui tamen de eis, vt ad Christum manu ducunt, vt potissima sententia ad Christum pertineat.

SED hoc non soluit argumentum. Nam siue hic locus ad Christum pertineat in sensu literali, siue mystico, siue non pertineat vllo modo, non multum laboramus; id nobis est satis, si concedatur, quod nulla ratione negari potest, loqui Mosem etiam de præceptis seruandis, & docere, esse in potestate hominum illa seruare & non seruare, ex quo liberum sine vlla dubitatione demonstratur arbitrium. Neque obstat testimonium Apostoli Rom. 10. non enim oportet exponere scripturam clarã per obscuram: certum autem est omnium interpretum consensione locum Mosis, multò clatiorem esse quàm Pauli. DEINDE (vt nos suprà docuimus) Apostolus non explicat verba Mosis, sed ad ea tantum alludit propter similitudinem quandam legis, & fidei. Neque Moses prędicando liberum arbitrium præcipitat in exitium populum. Non enim dicit, solis viribus liberi arbitrij mandata posse compleri, sed adiungit etiam gratiam, cũ ait: *Circuncidet Dominus cor tuum, vt timeas Dominum.* DENIQVE docet Moses absolutè mandata legis posse compleri, atque id esse in libero voluntatis arbitrio, quoniam qui dedit præceptum, sine dubio non denegat auxilium.

CAPVT

CAPVT XXI.

Quarta classis scripturarum pro libero arbitrio in moralibus.

QVARTA classis cõtinet ea testimonia, quæ docent, Deum quasi recedere, & explorare, quid homines faciant, & quorsum studia sua conuertant. Deuteron. 8. *Adduxit te Dominus quadraginta annis per desertum, vt afflligeret te, atque tentavet, & nota fierent, quæ in animo tuo versabantur, vtrum custodires mandata illius, an non.* Et capite decimo tertio. *Tentat vos Dominus Deus noster, vt videat, si diligatis eum in toto corde. At frustrà explorarit Deus, quod homines facere velint, nisi possint rem eandem facere. Nemo enim prudens explorat euentum rei determinata ad vnum:* B *Quis namque explorauit vnquam calidus ne sit ignis, an frigidus? appetat canis esuriens panem potius, quam lapidem?*

Respondet CALVINVS, Deum non sic recedere quasi destituat hominem gratia sua, vt exploret, quid ille suis viribus possit: sed permittere, vt homines affligantur, quasi ipse non videret quid mali patiantur sui. Atque huc vsque satis benè. Sed quorsum Deus affligi sinit suos? *Vt videat* (inquit Caluinus) *an post longas calamitates capiat eos recordatio Dei, & quærant faciem Domini sui.*

Hic verò rursus redit argumentum, nam si possunt homines afflicti quærere Deum, quod ante non faciebant, certè habent liberum voluntatis arbitrium: si non possunt, frustrà Deus illos affligi finit, vt videat an quærant faciem Domini sui: quorsum enim explorat, quod C scit, non posse fieri?

Respondet, non posse afflictos quærere faciem Domini sine gratia, tamen posse cum auxilio gratiæ. At nos id minimè negamus, non neget ipse vicissim, posse hominem cum auxilio gratiæ pro libero arbitrio voluntatis quærere Deum, & non quærere, id est, gratiæ cooperari, & non cooperari, & pax erit. Vel si id negare perrexerit, intelligat argumentum non esse solutum, semper enim ea difficultas manet, cur Deus exploret, quid homo facere velit, si non potest homo pro arbitrio velle, & non velle, facere, & non facere.

Adfert deinde Caluinus alteram responsionem, ac dicit Deum non destituere hominem, vt videat quid ille possit, sed vt eum adigat ad recognoscendam propriam ἀσθένειαν, id est, suum nihil. At neque ignoramus, Deum, D qui omnia nouit, non explorare, vt ipse aliquid nouì cognoscat, sed vt faciat nos cognoscere, quales simus, & vt alij quoque, qui corda nostra non vident, intelligant ex operibus externis, quales intus simus.

Itaque Deum tentare aliquem, nihil est aliud, quàm occasionem illi præbere aliquid patiendi, vel agendi, ex quo intelligatur eius caritas, & patientia. Vel cõtrà proprius amor, & impatientia. Sic Deus tentauit Abrahamum, Tobiam, Iob, vt appareret eorum insignis virtus, & contrà sic tentauit filios Israel in deserto, vt appareret, quàm parum solidæ virtutis in illis esset, etiamsi dixissent: *Quicquid nobis præcepti Dominus, faciemus, nec ambulabimus altera via.*

Cæterum ex hac tentatione, qua Deus facit nos explorare, & cognoscere, quid simus, non minus libertas E arbitrij comprobatur, quam si Deus tentaret, vt ipse hoc idem exploraret, atque cognosceret. Nam neque nobis explorandum esset quid simus, si ex necessitate operaremur, & occasione oblata, non possemus nisi in alteram partem inclinare.

Præterea tentat Deus, vt appareat virtus, aut vitium, & meritò laudari, aut vituperari aliquis possit. At non est opus virtutis, vel vitij, nec dignum laude, aut vituperatione, quod necessariò fit, nec potest aliter fieri. Propterea si quidem virtus, & vitium, laus ac vituperatio locum A in bestiis nullum habent, quod illa libertate arbitrij careant, nec possunt aliud agere, nisi quod agunt.

CAPVT XXII.

Quinta classis scripturarum pro libero arbitrio in moralibus.

QVINTA classis habet DVO testimonionia diuinæ scripturæ, quæ magno quodam fastidio, & quasi per contemptum CALVINVS proposuit, præmisso hoc proœmio. *Qua* (inquit) *præterea hinc inde testimonia corradunt, mediocribus etiam ingeniis non multum facessent negocij, qua superiores modo solutiones probè imbiberint.* Ista videlicet est serpentis astutia. Nam quia duo ista loca sunt omnium grauissima, neque sperabat Caluinus posse lectoribus satisfacere responsiones suas, ostentare voluit contemptum, vt putaretur magis non voluisse, quàm non valuisse propositos nodos accuratè soluere.

PRIOR igitur locus est in capite quarto Geneseos, vbi sic legimus: *Quare iratus es, & quare concidit vultus tuus? Nonne si benè egeris, recipies, sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.*

POSTERIOR locus est in capite decimo quinto Ecclesiastici, vbi hæc habentur: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata, & præcepta sua. Si volueris mandata seruare, conseruabunt te. Apposuit tibi ignem, & aquam, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.*

Consideremus PRIOREM locum, in quo tot penè sunt argumẽta, quot verba: *Quare* (inquit Deus ad Cain) *iratus es? & cur concidit vultus tuus?* hæc interrogatio indicat, potuisse Cainum, si voluisset, non irasci, & non tristari. Cur enim non dicimus cani, quare latras? & Leoni, quare rugis? nisi quia scimus, non posse bestias illas pro arbitrio latrare, & non latrare, rugire, & non rugire?

Nonne si benè egeris, recipies, sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit? Illa conditio (*si benè*) & illa (*si malè*) nonne etiam liberum ostendunt voluntatis arbitrium? cur enim non dicimus homini, si Solem stare feceris, sicut dicimus, si benè egeris, habebis hoc, aut illud? nisi quia non ignoramus, non esse in potestate hominis, vt Solem stare faciat, esse autem vt benè agat, si velit, vel malè, si nolit?

Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Hic verò apertissimè in statu naturæ corruptæ liberum prædicatur arbitrium. Quid enim est, *sub te erit appetitus eius*, nisi in potestate tua erit peccati cupiditas? & quid significat, *tu dominaberis illius*, nisi poteris, si volueris, cupiditati resistere, & ita efficere, vt non regnet peccatum in tuo mortali corpore?

Videamus nunc, quàm hic se torqueat, sudetque CALVINVS, qui paulo ante iactauit hunc, & similes locos ne mediocribus quidem ingeniis negocium facessere posse. PRIMVM ait, non debere intelligi illa verba (*sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius*) de peccato, sed de Abel, vt sensus sit, quamuis peccaueris, tamen primatum inter fratres obtinebis, & dominaberis fratri tuo iuniori. DEINDE admittit hunc locũ, posse exponi de peccato: *Ne videamur* (inquit) *hanc interpretationem complecti, quod altera nobis contraria sit, demus sanè de peccato loquutum fuisse Deum.* Sed quærit, an Deus promittendo, an potius iubendo dixerit (*tu dominaberis illius*)? & si quidem iubendo, nõ inde probari liberum arbitrium dicit, quia Deus etiam impossibilia quandoque iubet: si promittendo, quærit, cur non sit factũ quod Deus promisit.

Non

Universidad de Deusto
Biblioteca

Non enim à Caino peccatum, sed à peccato Cainum A detrectum fuisse, parricidium illius clamat.

Obiicit postea sibi, conditionem intelligendam esse in ea promissione, quasi dictum sit: *Victoriam de peccato referes, si tamen certaueris.* Respondet: *Sed quis recipiat istas ambages?* Ad extremum, cùm ei displiceret, quod tam facilè concessisset, hoc loco de peccati victoria, & dominatu agi, mox subiungit: *Quamquam & res ipsa, & ratio grammatica postulant, comparationem fieri Caini, & Abelis, quia primogenitus frater minori posthabitus non fuisset, nisi proprio scelere deterior.* Atq; hæc est tota CALVINI defesio.

Nos verò constanter asserimus, hoc loco nõ de Abele, sed de peccato Deum esse loquutum. Idque probamus PRIMVM, ex ratione grammaticæ, quam nobis Caluinus obiecit. Illud enim Pronomen *eius*, cum dicitur, *sub te erit appetitus eius*; & illud pronomen *illius*, cum dicitur, *& tu dominaberis illius*, referunt, id quod paulò ante nominatum est. Paulò verò ante, peccati, non Abelis, mentio facta est, sic enim legimus: *Si bene egeris, recipies, sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit. Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Ratio igitur grãmaticę postulat, vt illa Pronomina (*eius*) & (*illius*) ad peccatum non ad Abelem referantur. Quid quod in tota hac diuina sententia numquam nominatur Abel? vnde igitur venit Caluino in mentem, vt de Abele, non de peccato sermonem hoc loco haberi existimauerit?

DEINDE probamus, ex communi consensu interpretum. Sanctus AMBROSIVS libro secundo de Cain, capite septimo. *Non frater* (inquit) *ei addicitur, sed error* C *adscribitur, cuius ipse sibi auctor est. In te* (inquit) *reuertetur crimen, quod à te cœpit. Non habes in quo necessitatem magis, quàm mentem tuam arguas.* Vides, quomodo sanctus Ambrosius & Caluini expositionem reiiciat, & liberum arbitrium à necessitate perspicuè doceat?

Sanctus HIERONYMVS in quæstionibus Hebraicis idem docet, & quidem his verbis: *Quia* (inquit) *liberi arbitrij es, moneo vt non tibi peccatum, sed tu peccato domineris.*

Sanctus AVGVSTINVS libro decimo quinto, de ciuitate Dei, capite septimo. *Quiesce* (inquit) *ad te enim conuersio eius, & tu dominaberis illius. Numquid fratris? absit, cuius igitur, nisi peccati?* En quàm apertè sanctus Augustinus absurdum esse pronunciat eam sententiam, quam Caluinus maximè probauit.

Sanctus PROSPER in secundo libro de vocatione gentium, capite decimo tertio, enarrans illud: *Ad te erit conuersio eius, & tu dominaberis illius: Ad te* (inquit) *tua culpa reuocetur, noli peccato regnum in te dare, sed tu potius in ipsum fume dominatum.*

Sanctus GREGORIVS libro quarto Moralium, capite vigesimo secundo. *Tunc* (inquit) *peccatum cordis sub iuris nostri possessionem reducitur, si cum incipit, reprimatur. Vnde & diuina voce Cain praua cogitanti dicitur, in foribus peccatum tuum aderit, sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius, &c.*

Eodem modo exponunt Eucherius, Beda, Rupertus Abulensis; Lyranus, Caietanus, & Glossæ ordinaria, & interlinearis. Neque suspicari debemus, nullum horum doctorum tenuisse rationem grammaticæ, aut omnes grauiter esse hallucinatos.

At obiicit CALVINVS: *Si de peccato agitur, cum dicitur, tu dominaberis illius, vel iubet Deus, vel promittit, si iubet non colligitur hinc liberum arbitrium, quia præceptum est impossibile: si promittit, cur non est factum quod Deus promisit?* RESPONDEO, Deum nec promittere, nec iubere, sed significare, peccatũ esse in potestate peccãtis, & proinde monere Cainum, vt cogitet, in suo arbitrio esse cupiditati peruersæ assentiri, vel non assentiri, & ideo det operam, vt nõ vincatur, sed vincat, nisi grauiter puniri velit.

SED etiamsi Deus iuberet, nihil lucraretur inde Caluinus, nemo enim iubet impossibilia, nisi qui nõ vult fieri quod iubet, id est, insanus aliquis, aut furiosus. Et si Deus non iuberet, sed promitteret victoriam, sub conditione, si fortiter pugnare vellet, nullæ essent hic ambages. Quid enim clarius, quàm vinces, si certaueris? an non etiam Apostolus sine vllis ambagibus dixit: *Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit?*

Adde AD EXTREMVM, probari ex hoc loco liberum arbitrium, etiamsi daremus, loquutum hic esse Deum non de peccato, sed de Abele. Neque enim Deus mitigare conaretur animum Caini, promittendo permansurum illi ius primogenituræ, & dominaturum illum fratribus suis, nisi sciret, potuisse eum reuocari à concepto scelere, & in arbitrio eius esse cupiditati iam exortæ resistere, vel consentiri.

POSTERIOR locus, ex capite decimo quinto Ecclesiastici, inuictissimus est, & tam perspicuus, vt nulla declaratione indigeat. Respondet autem Caluinus PRIMO, librum Ecclesiastici esse dubiæ fidei. SECVNDO, Ecclesiasticum, de libero arbitrio primi hominis, quale fuit ante peccatum, non de eo, quale nunc est, esse loquutum. TERTIO, si velit ille auctor suis illis verbis non astruere liberum arbitrium, sed solum coercere carnis malignitatem, quæ sua mala in Deum transferendo vanam defensionem captare solet, ei se quoque libenter assensurum, alioqui eius auctoritatem non magni pendere.

Ad PRIMVM RESPONDEO, non posse à Caluino Ecclesiasticum repudiari, si sibi ipse constare velit, propter DVAS causas, PRIMO, quoniam recipit Caluinus epistolam Iacobi, & Iudæ, quæ non minus dubiæ fidei olim fuerunt, quàm Ecclesiasticus, deberet enim vel cum Lutheranis repudiare omnes libros, qui aliquando dubij fuerũt, vel cum Ecclesia recipere eos omnes, quorum auctoritas in sacris Conciliis declarata est. Constat autem in Concilio Carthaginensi tertio, canone quadragesimo septimo, inter libros canonicos, & diuinos librum Ecclesiastici numeratum. SECVNDO, quia professus est Caluinus se discipulum, ac sectatorem esse Augustini. Augustinus autem non solùm hunc librum inter canonicos ponit, in libro secundo, de doctrina Christiana, capite octauo, sed etiam eundem adducit in libro de gratia, & libero arbitrio, capite secundo, ad ipsum liberum arbitrium comprobandum.

Ad ALTERAM Caluini solutionem RESPONDEO, ex Ecclesiastico non solùm colligi primum hominem, cum libero arbitrio conditum fuisse, sed etiam idem liberum arbitrium in eius posteris remansisse. Nam paulò ante dixerat: *Ne dicas, per Deum abest, non dicas, ille me implanauit*, id est, non referas in Deũ causam sceleris tui. Et continuò rationem adiungit: *Quoniam Deus hominem constituit, & reliquit in manu consilij sui, &c.* Quæ ratio nihil efficeret, nisi significare vellet Ecclesiasticus, liberum arbitrium initio datum primo homini, nunc etiam in eius posteris permanere. Præterea verba illa: *Si volueris mandata seruare, conseruabunt te*, Et illa *Ante hominem vita & mors, & quod voluerit, dabitur ei.* Et illa: *Appositi tibi ignem, & aquam, ad quod volueris, porriges manum tuam.* Nonne apertissimè testantur Ecclesiasticum alloqui homines, qui nunc sunt, & illis concionari, qui possunt ex eius cohortatione proficere?

Ad TERTIAM solutionem breuiter DICO, ineptam esse conditionem, quam Ecclesiastico Caluinus proponit. Non enim coerceri potest carnis malignitas, ne culpas suas transferat in Deum, seque à peccato immunem esse iactet, nisi concedatur homini liberum voluntatis arbitrium. Sed de hac re sæpe dictum est, nec sunt vbique omnia repetenda.

***

CAP.

CAPVT XXIII.

Sexta classis scripturarum pro libero arbitrio in moralibus.

PRAETER ea loca, quæ Caluinus notauit, sunt alia quædam, quæ ab illo prætermissa nos in sextam classem, quæ locorum derelictorum dici poterit, breuiter cõferemus.

PRIMVS igitur locus sit ex capite trigesimo Deuteronomij, vbi sic loquitur Moses: *Considera* (inquit) *quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum, & e contrario mortem, & malum.* Et infra: *Testes inuoco cœlum & terram, quod proposuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem. Elige ergo vitam, vt & tu viuas, & semen tuum.* Non video quid ad hunc locum responderi possit. Liber hic INPRIMIS non est dubiæ fidei, & à Caluinistis pro canonico, ac diuino recipitur. DEINDE, non loquitur Moses ad homines in statu innocentiæ, sed ad Hebræos, qui tunc erant cum ipso. DENIQVE, nullæ hic sunt ambages, nam Moses iurat per cœlum, & terram, se dedisse populo optionem, vt facerent quod vellent, in re maximè morali, id est, in præceptis seruandis aut violandis, & cohortatum fuisse eundem populum ad electionem obedientiæ, quæ vitã adferi, & dehortatum ab electione contumaciæ, quæ mortem adfert. Nihil autem magis proprium est liberi arbitrij, quam electio, vt in tertio libro demonstrauimus.

SECVNDVS locus est, in libro Iosuæ, capite vigesimo quarto. *Optio* (inquit) *vobis datur, cui seruire potissimũ debeatis, &c.* Hic etiam locus ad liberum arbitriũ in moralibus pertinet, quoniam Iosue significat populum eligere potuisse, vellet ne Deo vero cultum adhibere vel idolis, id est, an vellet bene agere, an peccare.

TERTIVS locus est, in capite trigesimo primo Ecclesiastici: *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit, ideo stabilita sunt bona illius.* Non miror hæc loca prudenter à Caluino dissimulata, cum non solum, non vera, sed ne verisimilis quidem aliqua responsio hic locum habere posse videatur. Non enim hoc testimonium trahi potest ad statum innocentiæ, neque vllæ sunt in eo ambages, sed liberum arbitrium asseritur ita verè, propriéque liberum in moralibus, vt dicatur vir bonus, ideo dignus laude, & præmio, quòd potuerit trãsgredi, & non sit transgressus, facere malum, & nõ fecerit.

QVARTVS locus est in priore epistola ad Corinthios, capite septimo. *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, sed potestatem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare virginem suam, bene facit.* Et infra: *Quod vult faciat, non peccat, si nubat.* Hoc loco agitur de bono morali, vt patet ex illis verbis, *bene facit.* Et infra: *Melius facit.* Et: *Non peccat, &c.* De hoc autem bono morali faciendo, vel non faciendo, dicit Apostolus, habere hominem liberam electionem, modò non sit impeditus extrinseca aliqua necessitate voti, iuramenti, aut præcepti. Huc enim pertinet illud: *Non habens necessitatem.* Excludit autem extrinsecam necessitatem, non quod illa tollat liberum arbitrium, sed vt ostendat, eum qui non ligatur necessitate extrinseca simpliciter, & absolutè liberum esse, vt possit non solum facere, & non facere, sed etiam non peccet, siue faciat, siue non faciat. Nam vt dicimus in quarto libro, libertas ab extrinseca necessitate prærequirit libertatem ab intrinseca, & ideo qui liber esse dicitur ab extrinseca, consequenter asseritur liber ab intrinseca.

QVINTVS locus est in posteriore epistola ad Corinthios capite nono. *Vnusquisque, prout destinauit in corde, nõ ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* Loquitur Apostolus de facienda eleemosyna, quod est opus morale, & monet, vt vnusquisque libenter tribuat id, quod destinauit in corde suo, id est, quod libera voluntate præelegit, cum in potestate haberet, parum, aut multum velle dare, aut etiam omnino nihil velle dare. Nam illud verbum προαιρεῖται quo ipse vtitur, propriè, ad liberum arbitrium pertinet. Distinguitur enim voluntarium in genere, siue spontaneum, quod etiam bestiis conuenit à voluntario libero, quod est proprium rationalis, siue intelligentis naturæ, quod illud dicitur ἐκούσιον. Hoc autem προαίρετικὸν, vt perspicuum est, ex Aristotele libro tertio, de moribus, capite primo & secundo. Atque ex scripturis quidem hæc argumenta sufficiãt.

CAPVT XXIIII.

Præfatio ad testimonia Patrum pro libero arbitrio in moralibus.

TESTIMONIA veterum Patrum CALVINVS non fuit ausus contra se obiicere: tamen coactus à Pighio ad pauca quædam loca respõdit. Produxit Albertus Pighius in secundo libro de libero arbitrio testimoma decem Patrum, sancti Petri Apostoli, sancti Clementis Romani, sancti Irenæi, Tertulliani, Origenis, sancti Hilarij, sancti Ambrosij, sancti Hieronymi, sancti Basilij, sancti Chrysostomi.

Ad quæ testimonia CALVINVS ita respondit, vt Petrum, & Clementem, de numero testium auferri interet, quod eorum verba ex libris recognitionum apocryphis deprompta fuissent. Origenem, & Tertullianũ, vt hæreticos, & qui multis in rebus lapsi essent, omnino contemneret: eosdem, item, & Irenæum exponi posse diceret de libero arbitrio, quale fuit in statu innocentiæ, non quale nunc est in statu naturæ corruptæ; Ambrosium, & Basilium, de libertate à coactione, non à necessitate disseruisse contenderet: solos esse affirmaret Hilarium, Hieronymum, & Chrysostomum, qui propriè liberi arbitrij patrocinium suscepissent, sed trium hominum testimonia non esse consensum Ecclesiæ vniuersæ, vt Pighius frustra iactauerat: præsertim cùm contrariæ sententiæ inueniãtur in Augustino, & in Synodo Arausicana.

Illud autẽ benè habet, & nobis mirificè placet, quod in secundo libro aduersus Pighium, CALVINVS admittit veteres Patres, vt de controuersia nostra iudices sedeant. *Lectores* (inquit) *monitos velim, non difficulter posse inter me, & Pighium hoc loco conuenire, si modo Ecclesia traditionem ex certo, & perpetuo sanctorum, & orthodoxorum consensu, non ex testimoniis hinc inde male excerptis demonstraret. Deinde si iis simpliciter, & candidè vteretur ad veram, & germanam Ecclesiæ doctrinam comprobandam, non ad pingendas horum temporum impias doctrinas abuteretur.*

Nos igitur producemus testimonia omnium Patrum Græcorum, & Latinorum, nec vllum prætermittemus auctorem alicuius nominis, & simul diligenter expendemus in singulis, possint nec ne illis CALVINI responsiones vlla ex parte conuenire. Vtrum autem simpliciter, & candidè illis vtamur ad veram, & germanã Ecclesiæ doctrinam comprobandam an ea detorqueamus ad pingendos errores, impiásque doctrinas, lectoris erit iudicium. Quamuis si propriè loqui velimus ex testimoniis Patrum, illud inuestigare debeamus, quæ fuerit Ecclesiæ veteris doctrina, vt quoniam inter nos conuenit, in Ecclesia, quæ ante mille annos floruit, veram, & germanam fuisse doctrinam, ex comparatione illius intelligatur, vtrum nos germanam doctrinam teneamus, qui liberum arbitrium in actionibus moralibus esse defendimus, an aduersarij, qui liberum arbitrium, in seruum arbitrium, commutantes hominem post lapsum Adami, ex necessitate peccare contendunt.

CAP.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XXV.

Testimonia Græcorum Patrum adferuntur, pro libero arbitrio in moralibus.

PRIMVS ex Græcis Patribus occurrit sanctus IGNATIVS; Is in epistola ad Magnesianos ita loquitur: *Quandoquidem* (inquit) *actiones ipsæ sua habent præmia, & obedientiæ proponitur vita, mors autē inobedientiæ, & singuli, qui aut hoc, aut illud elegerit, in eius quod elegerunt locum abituri sunt, fugiamus mortem, & eligamus vitam.* Et infrà: *Si quis pietati studet, Dei homo est, si impiè agit, diaboli est, non id factus per naturam sed per animi arbitrium.* Nihil hic responderi potest. Nam & loquitur sanctus Ignatius de bono, & malo morali, & affirmat, homines eligere id quod volunt, qui est proprius actus liberi arbitrij, & eum qui impiè agit, per animi arbitrium fieri malum, docet.

AT fortasse non sunt Ignatij epistolæ, quæ sub illius nomine circūferūtur, id enim Lutherani obiicere solēt. SED recipit eas Eusebius, libro tertio Histor. Ecclesiasticæ, capite trigesimo sexto. Sanctus etiam Hieronymus multas enumerat, & inter cæteras, istam ad Magnesianos, & Ignatio tribuit in libro de scriptoribus Ecclesiasticis. Denique passim citantur epistolæ istæ nomine sancti Ignatij ab Athanasio, Theodoreto, aliisque Patribus, neque vlla occurrit solida ratio, cur reiiciendæ videantur.

SECVNDVS sit sanctus DIONYSIVS AREOPAGITA. Is in libro de diuinis nominibus, capite quarto, parte quarta, prope finem, posteaquam docuerat, malum non esse substantiam, sed defectum quendam, ita subiungit: *Dixerit verò quispiam infirmitatem supplicium non mereri, sed veniam. Si igitur nō licuisset obsistere, rectè forsan esset obiectum, Sin autem ex ipso bono vires suppeditantur, quod, vt sacra eloquia docent, omnibus simpliciter conuenientia tribuit, non est ignoscendum, si quis per ignauiam ab ipso bonorum propriorum habitu diuinitus procedente aberrauerit.* Idem libro de Ecclesiastica hierarchia, capite secundo, parte tertia, tribuit homini nomen illud ἀυτεξούσιον, quod fatetur CALVINVS proprium esse liberi arbitrij.

Neque ad hunc locum responderi potest, nisi forte libros istos non esse Dionysij Areopagitę. Sed certè negari non potest, auctorem huius libri fuisse virum magnum, & ante mille annos floruisse, cùm citetur à sancto Gregorio, homilia trigesima quarta, in Euangelia, nomine antiqui, & venerandi Patris. Nam si Gregorio antiquus fuit, cum ipse Gregorius ante annos circiter mille floruerit, nobis profectò antiquissimus esse debebit. Sed de hoc auctore alias disseruimus.

TERTIVS sit beatus CLEMENS ROMANVS, quē inter Græcos numeram⁹, quod Græcè scriptus sit liber, qui nomini eius adscribitur. Is igitur in libro tertio Recognitionum, inducit Apostolum Petrum cum Simone Mago, pro libero arbitrio, sic disserentem: *Dic quomodo Deus iudicat secundum veritatem vnumquemque pro actibus suis, si agere aliquid in potestate non habuit? Hoc si teneatur, conuulsa sunt omnia: Frustra erit studium sectandi meliora. Sed & iudices frustra legibus præsunt & puniunt eos, qui malè agunt. Non enim in sua potestate habuerunt, vt non peccarent.*

Ad hunc locum prompta responsio est, librum esse suppositium. Nam alioqui liberi arbitrij tam est aperta confessio, vt nihil contra fingi possit. AT nos fatemur, librum esse corruptum, ac deprauatum ab hæreticis, sed tamen vel esse Clementis Romani, vel alterius æquè docti, atque antiqui. Siquidem Eusebius libro tertio, Historiæ Ecclesiasticæ, capite trigesimo octauo, scribit, hos libros & esse Clementis, & ab hæreticis deprauatos.

A Idem scribunt Epiphanius, hæresi trigesima. Et Ruffinus in Apologia pro Origene. Meminit etiam horum librorum sanctus Hieronymus, in libro secundo, aduersus Ruffinum.

At si corrupti sunt hi libri, ac propterea inter apocryphos recensentur, quorsum citantur à nobis? quoniam manifestè constat, non esse corruptos iis in locis, vbi defenditur libertas arbitrij. Nam ante Ruffini ætatem, qui hos libros latinos fecit, nulli fuerunt hæretici, qui libero arbitrio nimis multum tribuerent, quod posteà fecerunt Pelagiani, multi autem hæretici fuerant, qui negauerant liberum arbitrium, vt Simon Magus, Manichæus, & alij. Itaque si in his libris negaretur liberum arbitriū, suspicari possemus, insertam fuisse eam doctrinam à Manichæis, vel aliis eiusmodi hæreticis: at liberi B arbitrij confessionem non possumus, vlli hæretico illius temporis adscribere.

DEINDE, veteres Patres, qui dicunt, hos libros corruptos esse ab hæreticis, non tacent in quibus articulis corrupti sint. Scribunt enim in articulis de diuinitate filij, aliisque similibus esse corruptos. Corruptelam autem in articulo de libertate arbitrij, nullus veterum vnquam notauit.

Adde POSTREMO, quod quæ dicuntur in his libris de libero arbitrio, eadem repetuntur passim ab aliis Patribus, vt necesse sit, omnes omnium Patrum libros esse deprauatos, si libri isti recognitionum in hoc articulo deprauati censendi sunt.

QVARTVS sit sanctus IVSTINVS Martyr. Is ita loquitur in Apologia ad Imperatorem Antoninū pagina C trigesima prima, in meo codice: *Nisi libero arbitrio genus humanum, & res turpes fugere posset, & pulchras, ac bonas sequi, extra causam, culpámque est eorum, quæ quo modo agantur. Sed ipsum libero arbitrio, liberáque voluntate & rectè facere, & peccare docemus.* Et infrà: *Neque ille remuneratione, aut laude dignus esset si per se ipsum bonum nē eligeret.* Et in Apologia ad Senatum: *Nihil* (inquit) *esset in illis laude dignum, nisi facultatem, haberent, qua se in vtramque partem conuerterent.* Hic verò CALVINVS neque fingit, neque fingere potest aliquid, quod speciem habeat responsionis. Auctor enim certus est, & verba clarissima: Sola pertinacia his, atque similibus resistit.

QVINTVS sit ATHENAGORAS Iustini æqualis. Is in Apologia ad eundē Imperatorē Antoninum: *Liberi arbitrij* (inquit) *in ipsis quoque* (*Angelis videlicet*) *in vtramque partem, voluntatem constituerat Deus, sicut & in hominibus liberam & prauitatis, & virtutis deligendæ potestatem habentibus cernere est.* Quid clarius? quid verius?

SEXTVS sit beatus Martyr Irenæus. Is in libro quarto, capite septuagesimo primo, ita loquitur: *Illud quod ait, Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti; veterem legem libertatis hominis manifestauit, quia liberum eum fecit Deus ab initio.* Ac vt intelligat Caluinus, Irenæum non solùm significare voluisse, creatum hominem liberum, sed etiam nunc esse liberum: legatur titulus huius capitis, quem ipse idem Irenæus præfixit. Sic enim habet: *Ostensio, quod homo liber sit, & sua potestatis, ad hoc vt possit eligere bona, vel contraria.* Legatur deinde finis eiusdem capitis, vbi hæc habentur: *Qui operātur bonum, gloriam, & E honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cum possent non operari illud. Hi autem qui illud non operantur, iudicium iustum recipient Dei, quoniam nō sunt operati bonum cum possent operari illud.* Et capite septuagesimo secundo: *Si igitur* (inquit) *non in nobis esset facere hæc, aut non facere, quam causam habebat Apostolus, & multò prius ipse Dominus consilium dare, qua quidem facere, à quibus verò abstinere?*

Et adhuc resistit CALVINVS, ac probare nititur, Irenæum non dicere id, quod dicit, quoniam in eodem libro scripsit, liberum arbitrium ad imaginem Dei pertinere: imaginem autem fuisse in primo homine, sed per peccatum

peccatum extinctam, colligi ex Apostolo, qui reformari A dicit in nobis imaginem Dei. At nimis frigidum est argumentum contra manifestissimam veritatem. Nam imaginem Dei extinctam esse post peccatum, neque Irenæus, neque Paulus vnquam scripsit. Reformatur verò in nobis imago, quoniam obscurata fuerat, licet (vt diximus) nō extincta. Sed de hac re alibi multa diximus.

SEPTIMVS sit CLEMENS ALEXANDRINVS. Is in primo libro Stromatum, pagina sexagesima quinta, sic ait: *Quoniam libera electio, & appetitio, peccata primum inchoat, iure infliguntur supplicia.* Et infrà: *Quæ cum ita sint, & liberari ab ignoratione, & à malo, & delectabili electione, & ante omnia non assentiri fallacibus illis phantasiis, & visis, situm est in nostra potestate.* Vide alium locum, in secundo libro de libero arbitrio, capite 9.

OCTAVVS sit ORIGENES, Is in commentario ad B caput decimum tertium, Matthæi, exponens parabolam sagenæ piscium, posteaquam dixerat, ab hæreticis accipi per bonos, & malos pisces, duas naturas, alteram bonam, alteram malam, ita subiungit: *Huic intellectui repugnant omnes scripturæ, declarantes esse liberum arbitrium, dum & accusant eos, qui delinquunt, & probant eos qui rectè faciunt.* Idem Origenes similia docet, libro tertio, de principiis, capite primo, præfatione in epistolam ad Romanos, homilia duodecima, in librum Numeri, & alibi.

Sed CALVINVS Origenis testimonium non recipit, quod dicat eum in multis lapsum esse. AT Nos eum in hac re non errauisse, facillimè demonstramus. Nam Origenis errores diligentissimè notauerunt Epiphanius, Theophilus, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Nicephorus, & alij, neque vllus eorum inter errores O- C rigenis posuit, hominem præditum esse libero arbitrio.

Rursus CALVINVS Origenis testimonia causæ suæ nihil nocere contendit, quod Origenes disputet aduersus Marcionem, qui liberum arbitrium ita tollebat, vt naturam humanam ab ipsa creatione malam esse diceret. AT parum interest, contra quos Origenes disserat, modo liberum arbitrium in præceptis morum seruandis prædicet.

DEINDE Origenes, vt ostendat, naturam non esse malam à creatione, probat, hominem esse liberi arbitrij, & mutari per se de bono in malum, quod fieri non posset, si esset naturaliter malus. Itaque DVO probat Origenes, PRIMO, hominem esse liberum. SECVNDO, non esse naturā malum, ex quibus duobus vnum deducit ab altero. Marcion negabat vtrumque, Caluinus alterum D tantum; proinde damus Caluino, vt non sit Marcionista, sed Semimarcionista, & Origenes Caluinum non ex toto, sed ex parte confutet. Neque dicere poterit Caluinus, Origenem loqui de libertate à coactione, non à necessitate, nam libertatem à sola coactione Marcionistæ minimè denegabant.

NONVS sit EVSEBIVS CAESARIENSIS. Is in libro sexto, de præparatione Euangelica, capite quinto, ita loquitur. *Sic per legem rectam viam ostendit, per liberam verò potestatem effecit, vt in ipsa essent virtutis præmia, sine vi aliqua agere, cum possit etiam contraria mala. Ita si proprio motu naturalem despexeris legem, fons vitiorum sponte, non aliunde, neque vlla necessitate, sed libera voluntate, atque iudicio facta est.* Et in extremo capite: *Cœcus profectò de his rectè iudicaret, non necessitate, sed libero hæc fieri arbitrio.* Itaq; testi- E monio Eusebij cæci sunt Caluinistæ, vel potius cæcis deteriores: Cùm id nō videāt, quod cæci videre possent.

SED forsan obiiciat aliquis, Eusebium contra eos disserere, qui ponebant fatalem necessitatem, qualem Caluinistæ non ponunt. AT Caluinistæ IN PRIMIS ponunt, etiam necessitatem similem fatali; DEINDE, parum refert quid mouerit Eusebium, vt liberum arbitrium defenderet, modò illud verè, doctéque defenderit. DENIQVE, nonne Eusebius omnem prorsus necessitatem exclusit, cùm ait: *Neque vlla necessitate, sed libera voluntate, atque iudicio facta est?*

DECIMVS sit MAGNVS ATHANASIVS. Is in oratione contra Idola, non procùl ab initio, sic ait: *Anima libera est, & sui arbitrij. Potest enim vt ad bona se inclinare, ita bona quoque auersari.* Et infrà: *Quæ cum liberum sui ius, arbitriumq; intuetur, sentit se in vtramque partem corporeis membris vti posse, tum ad ea quæ sunt, tum ad ea quæ non sunt. Ea verò quæ sunt, bona appello, ea quæ non sunt mala.* Ad hoc testimonium nihil omnino responderi potest. Auctor enim est certus, grauis, doctus, antiquus, sanctus, & sine vllis ambagibus liberum arbitrium docet.

VNDECIMVS sit MAGNVS BASILIVS, qui in explicatione Psalmi sexagesimi primi, tractans illud: *Mendaces filij hominum in stateris, Non licebit* (inquit) *tibi dicere in die iudicij, non noueram bonum. Proferentur tibi propriæ tuæ statera, sufficientem boni, & mali discretionem habentes. Nam corporis pondera libræ momentis examinamus: quæ verò in vita eligenda sunt, libero animæ iudicio discernimus. Quod etiam stateram nominauit, propterea quod æquale momentum ad vtramque partem capere potest.* Idem in oratione de libero arbitrio: *Nam* (inquit) *quod in homine situm est liberum arbitrium, in eligendo, & non eligendo situm est, &c.* Item, in oratione de causa mali. *Cur* (inquit) *in structura non habemus, vt neque volentibus nobis peccare deturi quia etiam in famulos, non comunctos habes, benevolos putas, sed cùm voluntariè ea, quæ officij ipsorum sunt, explere videris. Itaque etiā Deo non gratum est, quod coactum est, sed quod ex virtute rectè geritur. Virtus autem ex voluntate, non ex necessitate fit. Voluntas verò ex his, quæ in nobis sunt, dependet. In nobis autem est liberum arbitrium.*

Arripuit CALVINVS voculam illam (*coactum*) & inde collegit, non loqui sanctum Basilium de libertate, à necessitate, sed à sola coactione. AT sine dubio non rectè collegit. Nam explicauit in eodem loco sanctus Basilius, quid per coactionem intellexerit, cùm illi per aduersatiuam particulam opposuerit id quod geritur ex virtute. Et quod geritur ex virtute, esse dixerit id, quod ex voluntate, non ex necessitate fit. Et quod fit ex voluntate, declarauerit esse id, quod in nobis est, quódque ex arbitrij nostri libertate dependet. Itaque per coactionem, necessitatem intellexit determinantem ad vnum. Quod etiam clarius manifestat in eadem oratione, cùm dicit: *Soluta enim ab omni necessitate, & voluntariam, ac in sua potestate sitam vitam à conditore adepta, per hoc ad imaginem Dei creata est.* Adde etiam, quod in duobus prioribus locis à nobis citatis, nulla fit coactionis mentio, sed solius necessitatis, & disertis verbis asseritur libertas in electione boni, & mali, par momentum habens in vtramque partem.

DVODECIMVS sit sanctus GREGORIVS NYSSENVS, Magni Basilij frater. Is in libro septimo, de Philosophia, capite secundo. *Concupiscere* (inquit) *& non concupiscere, mentiri, & non mentiri, & quæcunque talia, in quibus consistunt virtutis, & vitij opera, hæc sunt in nostro libero arbitrio.* Nescio quid hic Caluinus comminisci possit. Nullum enim cauillis locum Gregorius reliquit. Vide etiam quæ citauimus libro superiore.

TERTIVS DECIMVS sit sanctus GREGORIVS NAZIANZENVS, qui in carminibus de Christo patiente: *Neque enim* (inquit) *Deus necessitatem adducet, vt sis bonus, sed in electione, & sententia tua id situm est.* Vide alium locum à nobis citatum libro superiore, ex Apologetico.

QVARTVSDECIMVS sit CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS, qui catechesi quarta. *Cognosce* (inquit) *animam esse sui iuris, seu voluntatis libere.* Item infrà: *Liberum arbitrium habet anima, & potest quidem diabolus incitare, cogere autē præter voluntatem omnino non potest. Subiicit tibi fortationis cogitationes, si vis, probus si nolis, improbus,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Si enim ex necessitate scortareris, cuius gratia gehennam Deus A *minis his verbis ostendit, qui ad alterutrum secundum animi*
paraſſet? Nihil apertius dici potuit. *ſui iudicium potest proficisci. Sic enim iuste laudem, si bene a-*
gimus; & contraria, si mala committimus, inuenimus. Vide alia
loca, quæ citauimus in libro superiore.

QVINTVS DECIMVS sit sanctus EPIPHANIVS, qui in hæresi Phariseorum, quæ est ordine decima sexta. *Per id* (inquit) *quod peccare quisquam possit, & non peccet, & per id, quod possit non peccare, peccet tamen: hoc propter pec-*
cata pœnam per vindictam pendente, illo propter bene facta lau-
dem reportante, vtrumque constituta est differentia. Et infrà: *Itaque* (inquit) *manifestum, euidens, & indubium est, vnicui-*
que liberum arbitrium concessum à Deo, qui per se ipsum dixe-
rit, si voluerit is, & si noluerit is, vt penes hominem sit bene face-
re, vel praue operari. Vides, vt sanctus hic Pater manifestum, euidens, & indubium esse clamet, quod Caluinus tot libris obscurare conatus est?

SEXTVS DECIMVS sit THEOPHILVS ALEXANDRINVS, Is enim in epistola tertia Paschali, sic loquitur: *Nec ambigitur quin in vtramque partem faciendi vel non* B
faciendi bona, habeamus liberam facultatem, & oppressis pra-
uis recta nascantur: tunc q, virtutum inter se concinit chorus,
cum vitiorum in animo fuerit solitudo. Quid hic obiicient aduersarij? auctor insignis est, quippe qui sanctum Hieronymum meruit habere interpretem: & sententia tam perspicua, vt nulla ratione obscurari queat.

SEPTIMVS DECIMVS sanctus IOANNES CHRYSOSTOMVS sit, qui homilia vigesima secunda in Genesim: *Nonne* (inquit) *manifestum est, sua quemuis voluntate, vel*
malitiam, vel virtutem eligere? Nam nisi ita esset, & naturæ
nostræ prauitas ipsa esset, neque illos puniri, neque istos vir-
tutum retributiones accipere oportebat. Verùm quia in nostra
voluntate totum post gratiam Dei velitum est, ideo & pec-
cantibus supplicia proposita sunt, & bene operantibus retri-
butiones. Hunc Patrem nobis Caluinus libenter concedit, quod ei nimius visus sit in liberi arbitrii viribus prædicandis. At imperitiam suam apertè prodit, cùm è tanto numero Patrum vnum Chrysostomum, quasi noui aliquid introducentem reiicit. Nam si legisset cæteros numquam ita iudicasset. Quid enim Chrysostomus dicit, quod non ante illum Ignatius, Clemens, Iustinus, Athenagoras, Irenæus, Basilius, Cyrillus, Epiphanius, & post eum plurimi dixerint? DEINDE, si tam grauiter Chrysostomus in libero arbitrio prædicando excessit, cur nulli veterum ilum reprehenderunt? cur sanctus Augustinus gratiæ Christi excellentissimus prædicator, hunc ipsum Chrysostomum in libris aduersus Iulianum, non modò non reprehendit, sed vehementer etiam laudat? D

DECIMVS OCTAVVS sit MACHARIVS ÆGYPTIVS, qui homilia decima quinta sic ait: *Caterum vt*
semel, & omnino consnet, & permaneat delectus, & arbitrij
libertas, quam primitus homini dedit Deus, ea propter dis-
pensatione sua res administrantur, & corporum salutis sit,
vt in voluntate hominis situm sit, ad bonum, vel malum con-
uerti.

DECIMVS NONVS sit MARCVS EREMITA, qui in libro de Baptismo, vltra medium, ita loquitur: *Hæc*
& similia, cum sciat scriptura in nostra potestate positum esse, vt
hæc agamus nec ne, propterea non Satanam, neque peccatum
Adæ, sed nos increpat. Et infrà comparans nos cum Adamo: *Primum* (inquit) *conceptionem habemus ex dispensatione,*
quem admodum & ille, & perinde ac ille pro arbitrio possumus
obtemperare, vel non obtemperare. Sententia horum verborum est, nos tetari ex permissione Dei, sicut eadem permissione tentatus fuit Adam; & sicut ille propter arbitrii libertatem potuit tentatori acquiescere, vel resistere, sic etiam nos propter eandem arbitrii libertatem possumus tentationem admittere, vel repellere, quæ si Caluinus legisset, forsitan de Chrysostomo aliter iudicasset.

VICESIMVS sit sanctus CYRILVS ALEXANDRINVS, qui in libro secundo in Ioannem, capite quinquagesimo quarto, sic ait: *Liberum* (inquit) *arbitrium ho-*

minis his verbis ostendit, qui ad alterutrum secundum animi
sui iudicium potest proficisci. Sic enim iuste laudem, si bene a-
gimus; & contraria, si mala committimus, inuenimus. Vide alia
loca, quæ citauimus in libro superiore.

VICESIMVS PRIMVS sit THEODORETVS, qui Psalmum sexagesimum septimum tractans, & explicans illud: *Pluuiam voluntariam segregabis, &c.* Sic ait: *Pluuiam,*
doctrinæ irrigationem vocat; voluntariam autem appellauit, ob
liberum arbitrium. Non enim ex necessitate irrigatur aliquis,
sed doctrinæ acquiescens consequitur gratiam.

VICESIMVS SECVNDVS sit PALLADIVS, in epistola ad Lausum, quam præfixit historiæ suæ de sanctorum vita, in ea siquidem loquens de eleemosynis: *Neque,*
(inquit) *vllo prætexta, quo placeres hominibus, iureiurando*
obligasses tuam liberam eligendi voluntatem, &c.

VICESIMVS TERTIVS sit beatus IOANNES DAMASCENVS. Is enim in libro secundo, de fide, capite vigesimo sexto. *In nobis* (inquit) *sunt ea, quorum libe-*
ram adepti potestatem sumus & facere, & non facere. Et infrà explicans quæ illa sint: *Ea* (inquit) *quæ sequitur laus, aut vi-*
tuperatio, & in quibus preuaricatio cadit & lex.

VICESIMVS QVARTVS sit THEOPHILACTVS, qui in commentario ad caput decimum quintum, Lucæ sic ait: *Itaque ille qui dedit omnia hæc ex æquo, permisit liberè*
ingredi. Nullum enim cogit non volentem. Nam si voluisset nos
cogi, non fecisset rationales, & liberi arbitrij. Neque verò hic auctor intelligit per coactionem vim illam, quæ adigit inuitos, sed necessitatem determinantem ad vnum, vt perspicuum est ex ratione, quam reddit, cùm dicit: *Non*
fecisset rationales, & liberi arbitrij. Nam bestiæ quoque, C
tametsi rationales non sunt, non coguntur inuitæ ad sua obiecta, sed sponte accurrunt. Et nomen liberi arbitrii, quod iste auctor vsurpat, non potest propriè conuenire libertati a sola coactione, vt in tertio libro demonstrauimus.

VICESIMVS QVINTVS sit EVTHYMIVS, qui in commentario ad idem caput decimum quintum, Lucæ, ita edisserit parabolam filii prodigi: *Substantia* (inquit) *partem, quæ sibi obueniebat, petiuit, hoc est liberum arbi-*
trium, quod ei ex natura debebatur. Ac si diceret, nolo vrgeat
me seruiendi necessitas, liberum est enim mihi arbitrium. Et infrà: *Pater ergo candidè impertit, vult enim Dominus, vt sibi*
voluntariè seruiamus.

Est autem hoc loco breuiter ANNOTANDVM, ex sententia horum patrum, liberum arbitrium comparari substantiæ, quam filius prodigus dissipauit, quoniam peccatores dissipant liberum arbitrium, dum illo malè vtuntur, non quod illud omnino amittant, sed quod inutiliter exerceant. Quomodo dicitur aliquis perdere vitam suam, quam non in bonis operibus insumit. Non enim similitudines in omnibus valent. Denique id solùm ex parabola colligunt Patres Deum permittere, vt qui volunt, peccent, neque eos ad bene agendum ex necessitate compellere.

CAPVT XXVI.

Testimonia Patrum Latinorum, pro libero arbitrio in moralibus.

PRIMVS ex latinis TERTVLLIANVS est, Is in libro secundo, contra Marcionem ita loquitur: *Liberum, & sui arbitrij, & suæ*
potestatis inuenio hominem institutum. Sed ne Caluinus dicat (vt solet Tertullianum loqui de prima Institutione, quæ postea per peccatum sit mutata, audi sequentia. *Hunc statum eius confirmauit etiam*
ipsa lex tunc a Deo posita. Non enim poneretur lex ei, qui non
haberet obsequium debitum legi in sua potestate. Nec rursus
comminatio mortis transgressioni adscriberetur, si non & con-
temptus legis in arbitrij libertatem homini deputaretur. Sic &
in posteris legibus Creatoris inuenias, proponentis ante hominem
bonum

bonum, & malum, vitam & mortem. Et infrà non procul A
à fine: *Interrogat* (inquit) *Deus quasi incertus, vt & hinc*
liberi arbitrij probans hominem in causa aut confessionis, aut
negationis, vt daret ei locum sponte confitendi delictum, & hoc
nomine releuandi. Sicut de Cain scisitatur, vbi nam frater
eius, vt ille haberet potestatem, ex eadem arbitrij libertate spon-
te negandi delicti, & hoc nomine grauandi. Et in libro de exhortatione Castitatis non longe ab initio: *Itaque*
(inquit) *cùm vtrumque ex præceptis eius didicerimus, quid ve-*
lit & quid nolit, iam nobis est voluntas eligendi alterum, sicut
scriptum est. Ecce posui ante te bonum, & malum.

AT non meretur Tertullianus locum inter testes dogmatum Catholicorum, cùm in multis, magnisque rebus errauerit. Id enim solum est, quod respondere potest Caluinus. SED facilis RESPONSIO est. Nam B
si solus hęc diceret, nullam ei fidem haberemus, vt qui propriam sectam instituerit: sed quod dicit cum omnibus Græcis, & Latinis Patribus, non parum valet ad testimonium fidei, quæ vigebat antiquis illis temporibus in Ecclesia. Non errasse autem in hac re Tertullianum, nec fuisse dogma de libertate arbitrij proprium sectæ ipsius, certum est ex eo, quod neque Eusebius in historia, neq; Augustinus in libro de hęresibus, neque alius auctor hanc sententiã inter alios Tertulliani errores enumerat.

SECVNDVS sit beatus Martyr CYPRIANVS, Is in libro primo, epistola tertia, ad Cornelium: *Dominus*
(inquit) *non increpuit recedentes, aut grauiter comminatus*
est, sed magis conuersus ad Apostolos suos dixit. Num-
quid & vos vultis abire? seruans scilicet legem, qua homo li- C
bertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus sibimet-
ipsi vel mortem appetit, vel salutem. Et in libro de vnitate Ecclesiæ: *Fieri verò* (inquit) *hæc Dominus permittit, &*
patitur, manente propria libertatis arbitrio. Vbi NOTANDVM est, non posse hæc detorqueri ad libertatem à coactione, quam solam nobis Caluinus reliquit. Nam etiamsi Deus impediret omnia peccata adhuc maneret libertas à coactione, sicut ea manet in bestiis, quæ peccare non possunt, sed libertas à necessitate, & vera potestas eligendi bonum, & malum, planè tolleretur, nisi Deus peccata permitteret. Atque hoc est, quod Cyprianus dicit, Deum pati, vt peccata fiant, manente propriæ libertatis arbitrio.

TERTIVS sit MINVTIVS FELIX, Is in Octa- D
uio, vltra medium libri, sic gentiles alloquitur: *Denique*
de vestro numero carcer exæstuat. Christianus ibi nul-
lus, nisi aut reus suæ religionis, aut profugus. Nec de fato
quisquam aut solatium captet, aut excuset, euentum, sit sor-
tis fortunæ, mens tamen libera est, & ideo actus hominis, non
dignitas iudicatur. Neque verò loquitur de libertate à sola coactione. Nam ea non repugnat fato, cui tamen repugnat libertas à necessitate. Potest enim sponte fieri id quod fato fit: Non potest autem quod fato fit, non necessariò fieri.

QVARTVS sit LACTANTIVS, Is in libro quarto, diuinarum Institution. capite vigesimo quarto. *Qui*
dat (inquit) *præcepta, amputare debet omnium excu-*
sationum vias, vt imponat hominibus parendi necessitatem, E
non vi aliqua, sed pudore, & tamen libertatem relinquat,
vt & præmium sit constitutum parentibus, quia poterant non
parere, si vellent: & non parentibus pœna, quia poterant pa-
rere, si vellent. Quo modo ergo poterit amputari excusatio, nisi
vt qui docet, faciat quæ docet, & sit quasi præuius, & manum
porrigat secuturo?

QVINTVS sit IVLIVS FIRMICVS, Is in libro de erroribus profanarum religionum, quem ad filios Constantini scripsit, sic loquitur capite vigesimo nono. *Liberum te Deus fecit, in tua manu est, vt aut viuas, aut pe-*
reas, quid te per abrupta præcipitas?

SEXTVS sit sanctus HILARIVS, Is in commentario Psalmi secundi, sic ait: *Vnicuique nostrum liberta-*

tem vitæ, sensumque permisit, non necessitatem in alterutrum
assignans. Et infrà rationem reddens: *Quid enim* (inquit)
honoris, & præmij bonitatis necessitas mereretur, cùm malos
nos esse, vis quadam nobis conferta non sineret? Hunc egregium Patrem vltro nobis dat Caluinus, neque intelligit quantum detrimenti causæ suę faciat, cùm illi contrarium se profiteatur, quem non solum Hieronymus & Augustinus, sed etiam integra Synodus Ephesina prima, & alia deinceps Concilia mirificè coluerunt.

SEPTIMVS sit OPTATVS MILEVITANVS, qui sic loquitur initio libri septimi, aduersus Parmenianum: *Quicquid necessitas peccat, non potest magnis viribus accusari.*
Voluntas habet pœnam, necessitas veniam. Homicida scelus
potest facere, potest & non facere: adulterium mœchus potest ad-
mittere, potest & non admittere, & cætera huiusmodi, in quibus
liberum habetur arbitrium.

OCTAVVS sit sanctus AMBROSIVS. Is in libro primo, de Iacob, capite tertio. *Non est* (inquit) *quod cui-*
quam nostrum adscribamus culpam, nisi nostræ voluntati. Ne-
mo tenetur ad culpam nisi voluntate propria deflexerit. Volun-
tarium sibi militem legit Christus, voluntarium sibi seruum
diabolus auctionatur. Ad hoc testimonium Caluinus respondet, intelligendum esse de voluntario, quod opponitur coacto, atque inuito, non quod opponitur determinato ad vnum. SED fallitur, nam in primis voluntarium, quod solum opponitur coacto non sufficit ad peccandum, alioqui lupus etiam peccaret cum spõte alienas oues rapit, & occidit. Deinde verba illa (*nisi voluntate pro-*
pria deflexerit) non significant solum sponte, libereque deflectere, quod etiam pecudi conuenire potest, quæ tamen non dicitur propria voluntate deflectere, etiam quando libenter errat, sed significant ex deliberato consilio, atque electione peccare.

Sed quid respondebit Caluinus ad id, quod idem AMBROSIVS scribit in libro secundo de Cain, capite septimo? *Non habes in quo necessitatem magis, quàm mentem*
tuam arguas. Et ad illud, quod habet idem auctor in expositione Psalmi quadragesimi. *Homini dedit eligendi ar-*
bitrium, quod sequatur, ante hominem vitia, & mors. si deliqueris,
non natura in culpa est, sed eligentis affectus. Hæc enim testimonia clariora sunt, quam vt vlla falsa interpretatione depraui queant.

NONVS sit beatus PHILASTRIVS, sancti Ambrosij æqualis. Is in libro de hæresibus, capite de Pythonissa: *Ignorant* (inquit) *quod recedentes animæ à fide Christi, dedi-*
tas iam se impietati faciunt, quia arbitrij sui est omnis homo,
quod velit, vt eligat facere permittente Deo.

DECIMVS sit beatus GAVDENTIVS Brixianus, Philastrij successor; Is in tertio tractatu, super Exodum: *Homini* (inquit) *concessa semel voluntatis libertas non aufer-*
tur, ne nihil de eo iudicare possit, qui liber non fuerit in agendo.
Quo loco illud est obseruandum, liberum arbitrium primo homini in creatione datum (quod teste Caluino verum fuit liberum arbitrium, etiam à necessitate) numquam auferri, auctore Gaudentio.

Rursus idem auctor in tractatu de Machabeis: *Vnam*
(inquit) *Deus elegit arborem de omnibus lignis Paradisi, non*
vtique malam, sed in qua seruorum suorum obedientiam per-
tentaret, vt libertas arbitrij, vel immortalitatis præmium possi-
deret obediens, vel contemnens exciperet mortis interminatæ
sententiam. Manducauit homo quia voluit, mandatum non cu-
stodiuit, quia noluit, morte multatur, quia mandatum seruare
potuit, & non studuit. Igitur si vnius arbusculi fructus, contra
Dei mandatum temerè a Protoplastis degustatus, mortem gene-
ri acquisiuit humano: potuit & Machabeis nunc sub lege po-
sitis interitum parare mandati diuini transgressio, quibus
nunc honorem, & gloriam præcepti eius custodia comparauit.
Comparat Gaudentius Machabeos cum Protoplastis, quod isti tentati fuerint de manducatione ligni scientiæ, illi de manducatione carnis suillæ, quę non minus

Universidad de Deusto
Biblioteca

eo tempore Iudæis prohibita erat, quàm olim arbor scientiæ Protoplastis. Atque in eo Machabeos laudat, quod præceptum seruauerint, quod ex libertate arbitrij potuissent non seruare: & contrà Protoplastos accusat, quòd præceptum non custodierint, quod ex libertate arbitrij custodire sine dubio potuissent. alioqui enim ineptissima comparatio est, si non sit manente arbitrij libertate in Machabeis, sicut in Protoplastis.

VNDECIMVS sit PRVDENTIVS, qui in versibus liberum arbitrium pulchrè descripsit. Sic enim canit in Hamartigenia.

Non ita sponte bonus, cui non est prompta potestas
Velle aliud, flexi sit, animi conuertere sensus.

Item in libro secundo, aduersus Symmachum.

Dicant, cur condita sit lex
Bis sex in tabulis, aut cur rubrica minatur,
Quæ prohibet peccare reos, quos ferrea fata
Cogunt ad facinus, & ineuitabile mergunt:
Quin & velle adigunt prauum insinuantia votum,
Ne liceat miseris vetitum committere nolle?
Cedite, si pudor est, gladiumq; retundite vestrum:
Aspera nil meritos pœnis plectentia iura,
Animum carcerem dissuite: corpora sub quo
Agmina innocui, fato peccante, tenetis.
Nemo nocens, si fata regunt, quod viuitur, ac fit.
Imo nocens quicunque volens, quod non licet, audet,
Altorum quia velle suum est, nec fata reatum
Imponunt, placitumq; nefas, & facta rependit
Impia, si supplicijs meritò non sorte peremptus.

Neque respondeat Caluinianus aliquis, hęc non facere contra se, qui fatum non defendunt. Nam Prudentius, & alij veteres ideo fatum oppugnant, quia tollit liberum arbitrium: quod si Caluinistæ fatum non agnoscunt, & tamen liberum arbitrium non minus negant, quàm illi qui fatum asserebant; certè Prudentius, & alii veteres contra ipsos etiam scribunt, & liberi arbitrii possessionem ab omnibus, qui quoquo modo eam impediunt scriptis suis vindicant.

DVODECIMVS sit beatus HIERONYMVS. Is in epistola ad Damasum, de filio prodigo, explicans illud, *& diuisit eis substantiam*, sic ait: *Signi, canitur in Græco legitur διένειμε αὐτοῖς τὸν βίον, id est, dedit eis liberum arbitrium, dedit mentis propriæ libertatem, & vt viueret vnusquisque, non ex imperio Dei, sed ex obsequio suo, id est, non ex necessitate, sed ex voluntate, vt virtus haberet locum, vt a cæteris animantibus distaremus. Iam ad exemplum Dei permissum est nobis facere, quod velimus. Vnde & in peccatores æquum est iudicium, & in sanctos, ac iustos iustum præmium retribuetur.* Similia habet idem auctor in epistola ad Hedibiam quæstione decima, & in libro secundo, aduersus Iouinianum.

Sed quoniam Caluinus dicit, Hieronymum solum in senectute à Pelagianis excitatum, fatere cepisse: proferamus vnum etiam locum ex dialogis aduersus Pelagianos. Sic igitur loquitur in tertio dialogo: *Hoc est quod tibi in principio dixeram, in nostra esse potestate peccare, vel non peccare, vt liberum fruatur arbitrium.* Certè nihil hîc desiderari potest. Nam & liber est contra Pelagianos, & sententia perspicua.

TERTIVSDECIMVS sit sanctus PAVLINVS, qui in epistola secunda ad Seuerum, sic ait: *Quæ nobis est gratia (si in alieno tantùm fideles fuerimus) nisi de proprio seruianmus, id est, de libero voluntatis arbitrio?* Vocat aliena Paulinus terrenas diuitias, quoniam tametsi nostræ sint, tamen facilè possumus impediri, ne faciamus ex eis, quod volumus: propria nominat actiones internas, quoniam illę sunt in potestate nostra, & earum propter arbitrii libertatem verè domini sumus.

Idem in eadem epistola: *Libertas (inquit) voluntatis non cogitur, sed suadetur.* Per coactionem hoc loco necessitatem intelligit, frustrà enim adhiberetur suasio, si homo non posset aliter facere. Idem in epistola quarta, ad eundem Seuerum: *Res potestatis nostræ est noster affectus, hunc Domino impendamus, & soluimus.* Lutherani docent, nos vtcumque liberos esse in actionibus externis; in internis autem, præsertim erga Deum, ne micam quidem libertatis habere. Noster verò Paulinus contrà docet, magis esse in potestate liberi arbitrii affectum internum etiam erga Deum, quàm actiones externas. Itaque verus Papista fuit sanctus Paulinus. Qui rursus in epistola octaua, ad eundem: *Agnoui bonum (inquit) & feci malum, cum æquè liberum esset bonum facere. Quæ ergo misero mihi supperet venia peccati?*

QVARTVSDECIMVS sit beatus INNOCENTIVS primus, Pontifex Romanus, qui in rescripto ad Concilium Mileuitanum, sic loquitur: *In omnibus diuinis paginis voluntati liberæ, non nisi adiutorium Dei, legimus esse necten-dum, eamq; nihil posse cœlestibus auxiliis destitutam.* Idem in rescripto ad Concilium Mileuitanum: *Liberum (inquit) arbitrium cum nasceremur accepimus.*

Hęc Innocentii testimonia diligentissimè consideranda sunt. Nam & sunt absque controuersia eius, cui tribuuntur, & auctor est antiquus, & grauis, & à sancto Augustino, ac Hieronymo non semel laudatus. Scripta sunt præterea contra Pelagianos, & à sancto Augustino commendantur, in epistola centesima sexta, ad Paulinum, vt non sit periculum, ne nimium tribuant libero arbitrio. Denique non possunt detorqueri ad liberum arbitrium primi hominis tantum, quod habuit in statu innocentiæ, cùm hic auctor dicat, nos omnes liberum arbitrium in ipsa natiuitate accipere. Neque exponi possunt de sola libertate ad malum, quam habent iuxta Caluinum impii, quia libenter peccant: nam Innocentius dicit, liberum arbitrium egere gratia Dei, non autem egent gratia Dei peccatores, vt libenter peccent. Neque possunt explicari de libertate tantùm ad bonum, quam habent secundum Caluinum iusti, qui libenter benè agunt. Nam ista libertas non incipit, cùm nascimur, sed cùm renascimur. Innocentius autem loquitur de libero arbitrio, quod cùm nasceremur, accepimus. Nec possunt ad extremum intelligi de libertate à sola coactione. Illa enim non eget gratia Dei, cùm sit nobis communis cum bestiis, neque per peccatum amitti, aut lædi potuerit.

QVINTVSDECIMVS sit beatus COELESTINVS primus, Pontifex Romanus, qui in epistola ad Gallos, capite decimo tertio, sic loquitur: *Auxilio, & munere Dei liberum arbitrium non tollitur. Sed liberatur, vt de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum, de imprudente sit prouidum.* Hic omnia fermè repeti possent, quæ diximus de testimoniis sancti Innocentii, vt omittam, quod sanctus Cœlestinus in eadem epistola, sancti Innocentii sententiam confirmat, & in eandem allegat etiam beatum Zozimum, Innocentii successorem, suum autem prædecessorem.

SEXTVSDECIMVS sit sanctus LEO primus, item Pontifex Romanus, qui canonum Concilii Arausicani primarius auctor fuit, vt in præfatione eius Concilii dicitur; legimus autem in canone octauo & decimo tertio, liberum arbitrium per lapsum primi hominis infirmatum, atque attenuatum, non extinctum fuisse: proinde posse malum, & bonum eligere, sed malum per se, bonum cum auxilio gratiæ. Neque potest hoc ad libertatem à sola coactione deriuari, quoniam vt diximus, ea libertas non eget auxilio gratiæ, neque per peccatum infirmata, vel attenuata fuit, neque liberi arbitrii nomen meretur.

SEPTIMVSDECIMVS sit beatus PROSPER, qui in primo libro de vocatione gentium, capite tertio, sic ait: *Nec quia spiritu Dei agitur, ideo se putet liberum arbitrium non*

non habere, quod nec tunc perdidit, quando diabolo voluntate se dedit, a quo iudicium voluntatis depraua tum est, non ablatum.

DECIMVSOCTAVVS sit sanctus FVLGENTIVS, qui in libro de Incarnatione, & gratia Christi, cap. 20. sic ait: *Gratia Dei humanum non aufertur, sed sanatur arbitrium.* Hæc quoque Prosperi, atque Fulgentii testimonia intelligi non possunt de sola libertate à coactione, propter eadem rationes.

DECIMVSNONVS sit SEVERINVS BOETIVS, vir sui temporis longè doctissimus, qui in libro quinto, de consolatione Philosophiæ, extremo sic ait: *Quæ cùm ita sint, manet intemerata mortalibus libertas arbitrij: nec iniquè leges solutis omni necessitate voluntatibus præmia, pœnasq; proponunt.* Nihil clarius dici potuit.

VICESIMVS sit sanctus GREGORIVS primus, Romanus Pontifex, qui in lib. 33. moralium, capite 25. ita loquitur: *Idcirco nequaquam cœlestis patriæ præmia æterna percipiunt, quia nunc dum promereri poterant, ex libero arbitrio contempserunt.* Habes hîc liberum arbitrium, quo potest homo (adiutus gratiâ) promereri vitam æternam, & eandem si velit, non promereri, sed despicere, atque contemnere.

VICESIMVSPRIMVS sit ARNOBIVS, qui tractans psalmum 90. sic ait: *Libertatem arbitrij & negare periculum est, & mutare peccatum. Si enim negaueris, omnibus frena laxasti: si mutaueris, decepisti.* Hunc auctorem hoc loco posuimus, quoniam non floruit post Bedam, cùm ab illo citetur in explicatione psalmorum, & tamen floruit post hæresim Pelagianam exortam, vt ex multis locis commentariorum eius in psalmos intelligi potest. Itaq; non est ille Arnobius, qui scripsit septem libros contra gentes, sed alius recentior, grauis tamen & doctus, & saltem Venerabili Beda antiquior.

VICESIMVSSECVNDVS sit ipse Venerabilis BEDA, qui in commentario ad 4. cap. Gen. ita loquitur: *Sub te erit appetitus eius, id est, peccati, & tu dominaberis illius, ac si apertè diceret, sub tua potestate est, si benè, vel male egeris.*

VICESIMVS TERTIVS sit S. LEO IX. Romanus Pontifex, qui in epistola ad Petrum Antiochenum: *Gratiam*, inquit, *Dei præuenire, & subsequi hominem credo, & profiteor, ita tamen, vt liberum arbitrium rationali creaturæ non denegem.*

VICESIMVS QVARTVS sit S. ANSELMVS, qui in commentario ad 2. caput epistolæ posterioris ad Timotheum, sic ait: *Liberum arbitrium dedit nobis Dominus, vt arbitrio propriæ voluntatis recedamus ab iniquitate, vel permaneamus in iniquitate.*

VICESIMVS QVINTVS sit S. BERNARDVS, qui in serm. 81. in Cantica: *Arbitrij*, inquit, *libertas est plane diuinum quiddam præfulgens in anima, tanquam gemma in auro. Ex hac nempe inest illi inter vitam, & mortem, sed & nihilominus inter lucem, & tenebras, & cognitio iudicij, & optio eligendi.* Et infrà: *Vnde & liberum nominatur arbitrium, quod liceat auersari in his pro arbitrio voluntatis. Inde homo ad promerendum potis: omne etenim quod feceris boni, maluisse, quod quidem non facere liberum sit, merito ad meritum deputatur. Et vt merito laudatur non is tantum, qui potuit facere mala, & fecit: ita malo non caret merito, tam is, qui potuit non facere mala & fecit, quàm qui potuit facere bona, & non fecit. Vbi autè non est libertas, nec meritum. Propterea quæ sunt carentia ratione animalia nihil merentur, quia sicut ratione ita & libertate carent.* Præclara omnino sententia, & digna, quæ consensum tot hominum doctissimorum quadam quasi peroratione concluserit.

Iam verò si Caluinus stare promissis velit, cedere prorsus illum oportebit. non mihi, sed Concilio planè Oecumenico, & libero, quale alterum nunquam celebratum est. Hîc enim, si quæras dignitates, sediũ, habes Romanos Episcopos septem, Clementem, Innocentium, Zozimum, Cælestinum, Leonem, Gregorium, alterum Leonem: Alexandrinos tres, Athanasium, Theophilum, Cyrillum: Antiochenum Ignatium: Hierosolymitanum Cyrillum: Constantinopolitanum Chrysostomum. Si Prouinciarum varietatem, habes ex Asia Iustinum, Origenem, Eusebium, Theodoretum, & alios. Ex Africa Tertullianum, Cyprianum, Lactantium, Fulgentium. Ex Europa, Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, Paulinum, & cæteros maximo numero. Si doctrinam, eloquentiam, sanctitatem, habes lumina ipsa totius Ecclesiæ, tum Latinæ, tum Græcæ.

Accedit POSTREMO, quod in Conciliis Ecclesiæ, quantumuis numerosis, soli illi interesse potuerunt, qui illa ætate viuebant: hîc autem nos illos omnes egregios Pastores, & Doctores congregauimus, qui diuersis ætatibus ab ipso tempore Apostolorum vsque ad annum Domini millesimum & centesimum floruerunt: neque difficile esset, si aduersarij id requirerent, addere cæteros, qui non solum doctrina, sed etiam vita, & miraculis illustres sententiam eandem de arbitrij libertate his posterioribus seculis docuerunt.

CAPVT XXVII.

Adferuntur testimonia ex libris Augustini, quos ille scripsit ante exortam hæresim Pelagianam.

NVNC demum proferenda sunt testimonia S. AVGVSTINI. Et quoniam Caluinus in lib. 3. aduersus Pighium duobus verbis respondet ad omnia loca, quæ habentur in libris ab eo scriptis ante exortam hæresim Pelagianam, dicens, in eis vel agi tantum de libero arbitrio primi hominis ante peccatum, vel non affirmari ex propria sententia liberum arbitrium, sed cõcedi, vt inde aliquid contra aduersarios colligatur: NOS PRIMO, adferemus testimonia scripta ante exortam hæresim Pelagij, & breuiter discutiemus istas Caluini responsiones. DEINDE, adferemus etiam testimonia ex libris scriptis post exortam Pelagianam hæresim. Nam ex vtroq; ordine satis magna copia suppetit; atque vtinam aduersarij vel vnius S. Augustini iudicio acquiescere vellent. Res enim tota facilè componeretur.

PRIMVM igitur testimonium sumitur ex libro de quantitate animæ cap. 36. vbi sic legimus: *Deus summus, & verus lege inuitabili, & incorrupta, qua omne quod condidit, regit, subiicit animæ corpus, animam sibi, & sic omnia sibi, neq, in vllo actu eandem deserit, siue pœna, siue præmio. Id enim iudicauit esse pulcherrimum, vt esset quicquid est, quo modo est, & ita naturæ gradibus ordinaretur, vt considerantem vniuersitatem, nulla offenderet ex vlla parte deformitas, omnisq; animæ pœna, & omne præmiũ conferret semper aliquid proportioni iustæ pulchritudinis, dispositionisq; rerum omnium. Datum est enim animæ liberum arbitrium, quod qui negatoriis ratiocinationibus labefactare conantur, vsq; adeo cæci sunt, vt ne ista ipsa quidem vana, atq; sacrilega propria voluntate se dicere intelligat.*

Hunc locum non retractauit (nam ad retractationes nos Caluinus remittit, pro eiusmodi locorum explicatione) S. Augustinus, neque explicuit, sed reliquit planè intactum, vt perspicuum est ex lib. 1. retract. cap. 8. vbi hunc librum recognoscit. Neque rectè dicitur (vt Caluinus existimat) hunc locum retractatum, vel explicatum censeri debere, cùm alij similes retractati sunt, vel explicati. Nam omnia loca, quæ S. Augustinus explicat in libris retractationum circa liberum arbitrium, posteriora sunt: proinde ab hoc nostro loco incipere debuisset, si in eo annotandum aliquid reperisset.

NEQVE loquitur hoc loco S. Augustinus de libero arbitrio solius Adami, vt Caluinus impudenter affirmat, nam dicit eos ipsos, qui nunc disputant contra liberum arbitrium, tam cæcos esse, vt non intelligant, se

Universidad de Deusto
Biblioteca

per liberum arbitrium hoc facere, & præterea cum dicit A in singulis actibus non deseri nos à Deo pœnâ, vel præmio, quia liberi arbitrij sumus, de quo quæso libero arbitrio loquitur? nonne de nostro, hoc est, omnium hominum, qui nunc viuimus?

DENIQVE, non argumentari Augustinum ex concessis, sed affirmare ex sententia sua id quæ omnino serio, testantur illa verba, quibus dicit, cæcos esse, qui nugatoriis ratiocinationibus liberum arbitrium labefactare conantur. An non etiam ipse se inter cæcos, & nugaces constitueret, si liberum arbitrium esse non crederet, sed tantum argumentandi gratia illud esse concederet?

SECVNDVM testimonium sumitur ex libris tribus de libero arbitrio. Nam libro 1. cap. 12. sic ait: *Videsigitur iam existimo, in voluntate nostra esse constitutum, vt hoc vel fruamur, vel careamus tanto, & tam vero bono.* Item libro 2. B cap. 1. *Quantum*, inquit, *in superiore libro intelligere mihi visus sum, & habemus liberum voluntatis arbitrium, & non nisi eo peccamus:* Item libro 3. cap. 1. *Neque vlla culpa*, inquit, *deprehendi potest, vbi natura, necessitasq; dominatur.* Et cap. 18. *Sed si laboriosum est*, inquit, *omnia mandare memoriæ, hoc breuissimum tene. Quæcunque ista caussa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur. Si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? ergo caueat ne fallatur. An tanta fallacia est, vt caueri omnino non possit? si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caueri potest, peccatur autem, ergo caueri potest.* Non erit opus, credo, vt probemus in his locis, Augustinum non argumentari ex concessis, sed ex propria sententia libertatem arbitrij confirmare: nam totum opus ad hunc finem potissimum scriptum est, vt liberum arbitrium contra C Manichæorum fabulas defendatur.

Veniamus igitur ad alteram Caluini responsionem, & videamus, vtrum Augustinus differat de libero arbitrio, quale nunc est, an solum de illo, quod fuit in statu innocentiæ. Nã de solo libero arbitrio naturæ integræ Augustinum loqui, probat Caluinus ex lib. 1. retractationum, cap. 9. vbi sanctus Augustinus hoc ipsum nõ solum dicit, sed etiam indicat, se id nõ tacuisse in ipso lib. 3. de libero arbitrio, cap. 18. vbi habentur hæc verba: *Approbare falsa pro veris, vt erret inuitus, & resistente atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse à libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati. Cum autem de libera voluntate rectè faciendi loquimur, de illa scilicet, in qua homo factus est, loquimur.* Hæc ille.

AT profectò, si sanctus Augustinus crederet, solum D Adamum fuisse liberum, eumque non nisi ante peccatum: non deberet explicare sententiam suam in libris retractationum, sed totos libros tres de libero arbitrio, & cum eis alios multos igni tradere, nisi stultissimus haberi vellet. Nam singuli ferè versus horum librorum tam luculenter docent, hominem post lapsum Adæ esse liberi arbitrij, vt nulli explicationi sit locus. Certè in 2. lib. cap. 1. sæpissimè repetit, hominem nunc esse liberi arbitrij, & nisi talis esset non peccaturum, & iniustè puniendum: *Illud*, inquit, *bonum, quo commendatur ipsa iustitia in damnandis peccatis, rectèq; factis honorandis, quomodo esset, si homo careret libero voluntatis arbitrio?* Et antea cùm dixisset in persona Euodij: *Quantum in superiori libro intelligere mihi visus sum, & habemus liberum voluntatis arbitrium, & eo solo peccamus.* Subiungit in persona sua: *Ego* E *quoque memini, iam nobis id factum esse perspicuum, sed nunc interrogaui, vtrum hoc quod nos habere, & qua nos peccare, manifestum est. Deum nobis dedisse scias, &c.* Audis ne, Augustinum dicere, perspicuum esse, nos habere liberum arbitrium (non solum Adamum habuisse) & eo nos peccare, non solum Adamum eo peccauisse?

Vt igitur intelligamus, quid sit quod S. Augustinus in retractationibus explicat, ex libris de libero arbitrio; SCIENDVM est, liberum arbitrium Adami ante peccatum, duabus in rebus potentius fuisse, quàm nostrum: nos enim etsi liberi simus in actu voluntatis, & possimus pro arbitrio velle, & non velle, eligere, & non eligere, tamen sæpè non sumus liberi in actibus aliarum potentiarum, siue in exequutione voluntatis: & pati cogimur rebellionem partis inferioris, & dicere cum Apostolo, quod nolo hoc facio. Adam verò ante lapsum liber erat, non solum in actu voluntatis, sed etiam in exequutione, cùm nulla esset in eius corpore rebellio, & omnia membra illi seruirent ad nutum.

Deinde nos egemus protectione, & adiutorio Dei speciali contra tentationes, & eo non præsente, necessariò cedimus, & succumbimus, quamuis absolutè non necessariò succumbamus, cùm adiutorium Domini ad non peccandum nemini denegetur, vt in secundo libro demonstrauimus. Adam verò isto adiutorio non egebat, sed poterat viribus liberi arbitrij, quod sanum, & fortè acceperat, tentationibus omnibus facilè resistere. Vtrumque Pelagiani negabant, & liberum nostrum arbitrium nulla in re libero arbitrio Adami concedere contendebant, & ad hanc falsam sententiam suam, ipsius etiam Augustini verba in libris de libero arbitrio scriptis, eidem Augustino obiiciebant. Hac igitur de caussa in lib. 1. retractationum, cap. 9. S. Augustinus clarius explicat sententiam suam, & monet in lib. 3. de libero arbitrio, cap. 18. non se tacuisse hanc diuersitatem inter liberum arbitrium nostrum, & Adami ante peccatum. Quare verba illa: *Cum autem de libera voluntate rectè faciendi loquimur, de illa scilicet in qua homo factus est, loquimur.* Non significant, vt Caluinus falsò credidit, omnia loca horum librorum exponenda esse, de solo libero arbitrio Adami: sed omnia loca, in quibus asseritur libertas eligendi sine resistentia partis inferioris, & sine vlla ignorantia, & difficultate, intelligenda esse de libero arbitrio, quale fuit ante peccatum, non quale nunc est post peccatum.

Id autem ita esse, confirmari potest ex verbis eiusdem capitis decimi octaui, libri tertij, de libero arbitrio: *Nec mirandum*, inquit, *quod vel ignorando non habet liberum arbitrium, ad eligendum quid rectè faciat, vel resistente carnali consuetudine, videat quid rectè faciendum sit, & velit, nec possit implere. Illa est enim peccati pœna iustissima, vt amittat vnusquisque quo bene vti noluit, cum sine vlla posset difficultate si vellet.* Nota illud, *velit, nec possit implere.* Significat enim, quod diximus, liberè hominem velle, sed non liberè implere, propter resistentiam partis inferioris. Et ibidem: *Approbare falsa pro veris vt erret inuitus, & resistente dolore carnalis vinculi, non posse à libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati. Cum autem de libera voluntate rectè faciendi loquimur, de illa scilicet, in qua homo factus est, loquimur.* Vides hic libertatem rectè faciendi, quæ homini instituto conceditur, opponi necessitati errandi, & concupiscendi contra voluntatem. Poterat igitur Adam non errare inuitus, & temperare ab omnibus motibus carnis, quod nos minimè possumus, etiamsi velimus. Atque hæc est prima diuersitas inter nos, & Adamum.

Idem Augustinus in eodem lib. 1. retractationum, cap. 9. explicat alteram differentiam inter liberum arbitrium nostrum, & Adami, quod nos egeamus adiutorio, quo ille non egebat: *Noui*, inquit, *hæretici Pelagiani, qui liberum sic asserunt voluntatis arbitrium, vt gratiæ non relinquant locum, non se extollant, quasi eorum egerim caussam, quia multa in his libris dixi pro libero arbitrio, quæ illius disputationis caussa poscebat.* Et infrà: *In his, atque huiusmodi verbis meis, quia gratia Dei commemorata non est, de qua tunc non agebatur, putant Pelagiani, vel putare possunt, suam nos tenuisse sententiam. Sed frustra hoc putant.*

Idem etiam Augustinus in libro de natura & gratia, cap. 67. demonstrat in tertio libro de libero arbitrio, non

non fuisse omnino præteritam gratiæ mentionem. Nam A cum Pelagiani obiecissent illud ex eodem libro 3. *Quis enim peccat in eo quod caueri non potest?* Respondit, neminem peccare in eo quod vitare non potest, sed non ideo vitari posse peccata, quod adhuc sit integra natura vt erat in Adamo, sed quoniam Dei gratia præstò est. Et addit, id se non tacuisse in tertio libro de libero arbitrio: *Ex ipsis*, inquit, *libris, oportet me commemorare, quod iste si sentiret, atque in literis poneret, nulla inter nos de hac re controuersia remaneret.*

Et mox recitat multa, & inter alia illud ex capite 19. libri 3. *Cum vbique sit præsens, qui multis modis per creaturam suam auersum vocet, det accedat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adiuuet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam, quod inuitus ignoras, sed* B *quod negligis quærere quod ignoras, neque illud, quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis.* Ex his omnibus habemus, S. Augustinum in libris de libero arbitrio, sic Manichæos, & per hoc etiam Caluinistas, verè ac solidè confutasse, vt tamen caussam Pelagianorum nulla ex parte adiuuerit; licet non ita diligenter, & copiosè gratiam commendauerit, quam tunc nemo negabat, sicut postea fecit, cùm occasio iliam defendendi se obtulit.

TERTIVM testimonium sumitur ex libro de vera religione, cap. 14. vbi sic loquitur S. Augustinus: *Vsque adeo peccatum voluntarium est malum, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Et hoc quidem manifestum est adeo, vt nulla hic doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.* Et infrà: *Et quoniam peccari non dubium est, ne hoc quidem* C *dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim seruos suos meliores esse, Deus iudicauit, si ei seruirent liberaliter. Quod nullo modo fieri posses, si non voluntate, sed necessitate seruirent.* Non potest ad hunc locum responderi, Augustinum argumentari ex concessis, & non serio explicare quid sentiat. Quid enim potuit apertius ex sententia sua dicere, quàm ita esse manifestum, animas habere liberum voluntatis arbitrium, vt nulla hic doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat?

Caluinus igitur ad alterum perfugium se conferens dicit, Augustinum loqui de peccato primi hominis, quod verè non necessitate, sed voluntate commissum est. Id autem probat ex lib. 1. retractationum, cap. 13. vbi hunc locum explicans Augustinus ita loquitur: *Potest videri falsa hæc definitio: sed si diligenter excutiatur, inuenietur esse verissima. Peccatum quippe illud cogitandum est, quod tantummodo* D *peccatum est, non quod est etiam pœna peccati.* Item probat ex libro de natura & gratia, cap. 65. vbi proponitur obiectio Pelagij, ex verbis illis HIERONYMI lib. 2. in Iouinianum: *Liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur, alioqui vbi necessitas, neque corona, neque damnatio est.* Ad quam obiectionem respondet AVGVSTINVS: *Quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat? quis aliter conditam humanam neget esse naturam? sed in recto faciendo ideo nullum est vinculum necessitatis, quia est libertas caritatis?*

At nihilominus constanter asserimus, non posse locum Augustini citatum à nobis ex libro de vera religione ita exponi, vt ad solius Adæ peccatum pertinere doceatur. Nam quod peccatum sit omnino voluntarium, & si non sit voluntarium, non sit peccatum, probat Augustinus ex E communi consensu generis humani, dum dicit, nullam hic indoctorum turbam dissentire: at certè turba indoctorum, & vulgus generis humani, cum prædicat, non esse peccatum quod voluntate non fit, sed necessitate, non respicit ad peccatum Adami, sed ad experientiam suam, & naturale lumen omnibus insitum.

DEINDE affirmat Augustinus non debere corripi peccatores, si non voluntate, sed necessitate peccant: si autẽ non corripiantur, omnem de medio tolli religionem. Vbi sine dubio non loquitur de Adamo, sed de peccatis, quæ fiunt ab hominibus, qui hoc tempore viuunt.

DENIQVE scribit Augustinus, ideo sine vlla dubitatione animas liberum habere voluntatis arbitrium, quod dubium non sit, multa peccata fieri. Vbi sicut absque controuersia loquitur de peccatis, quæ nunc fiunt, ita etiam sine controuersia intelligi debet de libero arbitrio, quod nunc est.

Ad obiectionem igitur propositam ex retractationibus, RESPONDEO, sanctum Augustinum significare voluisse definitionem peccati, in qua ponitur voluntarium, perfectissimè, & plenissimè conuenire primo peccato, sed tamen etiam cætera omnia peccata debere esse voluntaria, & alioqui non esse peccata. Quod autem dicit Augustinus, definitionem illam, nisi diligenter discutiatur, videri posse falsam, dicit propter peccatum originale, quod minimum habet de voluntario, non propter peccata actualia, de quibus modo nos loquimur, quæ quidem adeo sunt manifestè voluntaria, vt de illis potissimum intelligatur, quod nulla hic doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.

Distinguit igitur Augustinus QVATVOR genera peccatorum. PRIMVM est peccatum illud, quod nullius præcedentis est pœna peccati, & tale fuit peccatum primi Adami, quod quia plenissimè voluntarium fuit, ideo fuit etiam plenissimè, perfectissimèque peccatum.

ALTERVM eorum est, qui dominanti cupiditati consentiunt, quod quidem est aliquo modo pœna peccati (nam cupiditas ex peccato nata est) & est necessarium ex hypothesi, quoniam non potest non cadere is, in quo regnat cupiditas, tamen absolutè non est necessarium, sed voluntarium, quoniam potest homo cum Dei auxilio facere, vt cupiditas in se non regnet, ac per hoc est etiam absolutè, simpliciterque peccatum.

TERTIVM est infantium, qui contrahunt ex parentibus originale peccatum: & hoc non est voluntarium, nisi primi parentis voluntate, & ideo non dicitur actuale, sed originale, & est aliquo modo alienum, aliquo modo proprium, & simul est peccatum, & pœna peccati. Et propter hoc (vt iam diximus) sanctus Augustinus monet, respiciendum esse ad peccatum primi hominis, si quis intelligere velit, quomodo omne peccatum, etiam originale, sit voluntarium.

QVARTVM est eorum, qui ex ignorantia peccant, cùm id faciunt, quod ignorant esse peccatum, atque hoc etiam est pœna peccati, quia ignorantia ex peccato est, & est aliquo modo voluntarium, sed voluntate facti, non voluntate peccati, quoniam volunt facere quod faciunt, sed si scirent esse peccatum, non vellent facere, nec facerent. Et idcirco hoc est impropriè voluntarium, proinde etiam impropriè peccatum.

Ad obiectionem ex lib. de natura & gratia, facillima RESPONSIO est. Non enim eo loco S. Augustinus negat, peccatum esse voluntarium, sed addit, gratiam esse necessariam ad peccata vitanda, quod nos non negamus; atque vtinam aduersarij sic liberum arbitrium non oppugnarent, quo modo nos gratiam libentissimè, gratissimèque defendimus.

QVARTVM testimonium sumitur ex libro de duabus animabus, capite 11. vbi hæc habentur: *Peccatum est* E *voluntas retinendi, vel consequendi quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere. Nec hic libri obscuri mihi scrutandi erant, vnde discerem, neminem vituperatione, supplicio ue dignum, qui aut id velit, quod iustitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non potest. Nonne ista cantant in monitibus pastores, & in theatris Poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magistri in scholis & antistites in sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum?* Et cap. 12. *Peccati reum teneri quemquã, quia non fecit, quod facere nõ potuit, summæ iniquitatis est, & insaniæ. Quamobrem illa anima quid-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quid faciunt, si naturâ, non voluntate faciunt, id est, si libero ad faciendum, & non faciendum motu animi carent, si denique his abstinendi ab opere suo nulla potestas conceditur, peccato earum teneri non possumus.

Ad hunc etiam locum responderi non posse, argumentari Augustinum ex concessis, & non loqui ex propria mente, extra controuersiam esse debet. Siquidem ipse se insaniæ argueret, si crederet, reum peccati teneri eum, qui non habet liberum arbitrium, vt possit facere, & non facere. Respondet igitur Caluinus more solito, loqui Augustinum de peccato primi hominis, quod libera voluntate commissum fuit. Et Probat ex libro primo retractationum, capite 15. vbi recognoscens sanctus Augustinus locum à nobis citatum, sic ait: *Definitio peccati, qua diximus, peccatum est voluntas retinendi, &c. propterea vera est, quia id definitum est, quod tantummodo peccatum est, non quod est etiam pœna peccati.*

At non dicit Augustinus, solum illud esse verum peccatum, quod ita est peccatum, vt non sit etiam pœna peccati, alioqui nullum verum peccatum esset pœna peccati, & sanctus Augustinus secũ ipse pugnaret. Quod si id, quod est pœna peccati, potest etiam verum esse peccatum, certè potest illi etiam peccati definitio conuenire. Significat igitur Augustinus, definitionem illam, in qua ponitur libertas ad vtrumlibet, præcipuè conuenire peccato Adami, quoniam illud ita liberè factum est, vt nulla fuerit necessitas neque conditionalis, neque absoluta peccandi. Vnde etiam paulò ante in eodem capite, idem Augustinus apposuit illam particulam, PRAECIPVE, dicens: *Peccatum quod nusquam est nisi in voluntate, illud* PRAECIPVE *intelligendum est, quod iusta damnatio consequuta est.*

Peccata verò, quæ fiunt cogente cupiditate (de his enim loquitur hoc loco sanctus Augustinus) sunt quidem absolutè voluntaria, & absolutè illis conuenit definitio suprà posita, tamen habent aliquid necessitatis admistum, quoniam ex hypothesi, id est, nisi auxilio Dei reprimatur cupiditas, cuitari non possunt, & ideo non tam perfectè illis conuenit definitio peccati, ac peccato primi hominis conueniebat.

Denique, non velle Augustinum in retractationibus dicere, definitionem à se positam, in libro de duabus animabus, soli peccato primi hominis conuenire, certissimum esse debet. Nam ipse dicit, cantari à pastoribus in montibus, à Poëtis in theatris, & ab indoctis in circulis, neminem peccare si non facit, quod facere non potest. Certè autem pastores, Poëtæ, indocti, cùm illa cantant, non cogitant Adami peccatum, sed peccata sua, suique similium. Deinde cùm ibidem Augustinus addit, si anima nostra non habet liberum arbitrium ad faciendum, & non faciendum, peccato eius nos teneri non posse: nonne apertissimè de nostro, non de Adami peccato, loquitur?

QVINTVM testimonium sumitur ex libro secundo Actorum, cum Felice Manichæo, capite tertio, vbi habentur hæc verba: *Esse liberum arbitrium, & inde peccare quemque si velit, non peccare, si nolit, non solum in diuinis Scripturis, quas non intelligitis, sed etiam in verbis ipsius Manichei tibi probo.* Et infrà capite quartò: *Audi ergo de libero arbitrio, primò ipsum Dominum, vbi duas arbores commemorat, quarum mentionem ipse fecisti, audi dicentem, aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum. Cùm ergo dicit, aut hoc facite, aut illud facite: potestatem indicat non naturam. Nemo enim nisi Deus facere arbores potest. Sed habet vnusquisque in voluntate, aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona: aut eligere quæ mala, & esse arbor mala.*

Hunc locum S. Augustinus nusquam retractauit. Nam in lib. 2. retractationum, cap. 8. recensens hos libros, tantùm admonet, se non disputasse de gratia, quia non erat necesse. Itaque vera esse illa omnia existimauit, nec pugnare libertatem arbitrii, vt re vera non pugnat, cum necessitate gratiæ.

Neque dici potest, illum argumentari ex concessis, & ad hominem. Nam is (cum quo disputabat) non concedebat, sed negabat liberum arbitrium, & ideo ex diuinis literis illud probandum ipse suscepit. Confugit igitur Caluinus ad suam veterem cantionem de libero arbitrio primi hominis. Sed hæc iam est intolerabilis impudentia, cùm Augustinus dicat, esse liberum arbitrium, & vnumquemque (non solum igitur Adamum) inde peccare si velit, non peccare, si nolit. Et id probet ex testimonio Euãgelii, quod non ad Adamum, sed ad Iudæos à Domino dictũ erat: & deniq;, cùm Augustinus aduersus Manichæos disputet, non de Adami peccato, sed de nostris, quæ illi negantes liberum arbitrium excusare, & in principem quendam tenebrarum referre solebant.

CAPVT XXVIII.

Adferuntur testimonia sancti Augustini pro libero arbitrio scripta, post exortam hæresim Pelagij.

TAM verò quod attinet ad secundum ordinem librorum sancti Augustini, eorum videlicet, quæ scripta sunt post exortam hæresim Pelagii, multa Caluinus disputat, quę parum, aut nihil ad rem faciunt. Iactat enim magna confidentia, eos omnes libros pro se facere, quod in illis Augustinus identidem repetat, nihil boni hominem facere posse sine adiutorio gratiæ. Atqui ista alia quæstio est, neque nos negamus necessitatem gratiæ; sed contendimus præsente auxilio gratiæ, hominem verè, ac propriè adhuc esse liberi arbitrii, vt possit præcepta seruare, si velit, & non seruare, si nolit. Et quoniam aduersarii, & Caluinus in primis contrà affirmant, præsente auxilio gratiæ non posse hominem malè facere, eo verò absente non posse benè facere, ac per hoc nunquam habere liberum voluntatis arbitrium, & hoc ipsum vocabulum non rectè vsurpari, cùm sit titulus sine re, idcirco testimonia Augustini ad liberum arbitrium confirmandum adferimus.

Omissis ergo parergis, PRIMVM testimonium sit illud, quo S. Augustinus simpliciter libertatem arbitrii confitetur, in libro de gratia & libero arbitrio, cap. 1. *Reuelauit*, inquit, *Deus per Scripturas suas sanctas, esse in homine liberum voluntatis arbitrium.* Similia habet in epist. 46. & 47. ad Valentinum, & alibi multis in locis.

Respondet CALVINVS, quod attinet ad nomen liberi arbitrii, sanctum Augustinum cessisse inueteratæ iam consuetudini, cui resistere non valebat. Quantum autem ad rem, non agnosci ab Augustino libertatem arbitrii, nisi à coactione. At si B. Augustinus prudenter cedendum esse iudicauit receptæ consuetudini in Ecclesia per annos quadringentos, quanta est Caluini temeritas, qui cedendum esse non iudicat consuetudini iam per annos mille, & quingentos inueteratæ?

DEINDE, si cupiebat Augustinus (vt Caluinus indicat) hoc nomen aboleri, quare non tentauit saltem id facere? quare non solum id non tentauit, sed contra potius eam consuetudinem diligentissimè fouit? fouisse enim manifestè colligimus ex eo, quod ipse monet, vt nemo propter gratiæ prædicationem negare audeat arbitrii libertatem: *Credite* (inquit in epist. 46.) *diuinis eloquiis, quia liberum est hominis arbitrium.* Et rursum in epist. 47. *Quantum potuimus*, inquit, *egimus cum istis vestris, & nostris fratribus, vt in fide sana, Catholica perseuerarent, quæ neque liberum arbitrium negat, siue in vitam malam, siue in bonam, neque tantum ei tribuit, vt sine gratia valeat aliquid.* Et in libro de gratia & libero arbitrio, capite 1. *Quoniam*, inquit,

quit, *sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, vt negent hominis liberum arbitrium, aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium, hanc aliquid scribere ad vestram caritatem, Valentine frater, & cæteri, qui simul Deo seruitis, compellere caritate curauit.*

Neque possunt hæc Augustini loca detorqueri ad liberum arbitrium à sola coactione. Nam illud liberum arbitrium sanctus Augustinus confitetur, & confitendum esse monet, quod à Valentini Monachis negabatur. Illi autem non negabant liberum arbitrium à coactione, sed à necessitate, quod solum difficulter cum gratia coniungi posse videtur. Libertas enim à coactione facillimè cum gratia copulatur; immo etiam cum fato, & quauis alia caussa determinante ad vnum, & ideo nemo vnquam illud negauit.

SECVNDVM testimonium sumitur ex illis locis, vbi recitantur hæreses Pelagij. Vbicunque enim sanctus Augustinus Pelagianos errores, circa libertatem arbitrij commemorat, semper dicit Pelagianos nimis multum tribuisse libero arbitrio. Nusquam autem dicit errasse in eo, quod liberum arbitrium prædicarent. At certè si assertio liberi arbitrij erronea esset, ad errores Pelagij sine dubio pertineret. Vide hoc testimonium in lib. 1. retractationum, capite 9. in epistola 107. in libro de hæresibus, cap. 88. & lib. 1. ad Bonifacium contra duas epistolas Pelagianorum, cap. vlt. nam in his locis enumerantur errores Pelagij. Nec solum Augustinus non ponit inter errores Pelagij, agnoscere liberum arbitrium, sed probat hoc in Pelagianis, dum scribit lib. 4. ad Bonifacium, cap. 3. eos in laude legis, & liberi arbitrij delitescere. Quia videlicet laudabant Pelagiani legem, & liberum arbitrium, quæ sciebant à Catholicis non negari, & libro secundo, de nuptiis & concupiscentia, capite tertio: *Liberum*, inquit, *in hominibus esse arbitrium, & Deum esse nascentium conditorem, vtrique dicimus, non hinc estis Cælestiani, & Pelagiani.*

Denique sanctus Augustinus valdè ægrè ferebat, quod Pelagiani dicerent, ab ipso negari liberum arbitrium, quod certè non ægrè tulisset, si credidisset hæresim esse Pelagianam, liberum arbitrium confiteri; sicut hoc tempore non ægrè ferunt Lutherani & Caluinistæ, si dicamus, eos liberum arbitriũ in seruũ arbitrium permutasse. Lib. 2. de nuptiis & concupiscentia, cap. 3. *Nonest*, inquit, *ita vt loqueris, multum falleris vel fallere meditaris; non liberum negamus arbitrium.* Et lib. 1. ad Bonifacium, cap. 2. *Quis nostrum dicit, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere?* Et lib. 4. aduersus Iulianum, ca. 8. *Multo minus*, inquit, *dicerem, quod me dixisse mentiris, negari liberum arbitrium, si gratia commendetur, & negari gratiam, si liberum commendetur arbitrium.*

TERTIVM testimonium sumitur ex locis illis, vbi sanctus Augustinus numerat inter hæreses Manichæorum, negare liberum arbitrium. Nam vt omittam libros tres de libero arbitrio, quos contra Manichæos propriè scriptos esse testatur idem Augustinus lib. 1. retractationum, cap. 9. certè in lib. 4. ad Bonifacium. cap. 4. apertissimè scribit Manichęos se manifestare dum vituperare audent legem, nuptias, naturam, sanctos veteris Testamenti, & liberum voluntatis arbitrium; hoc est, ostendere se manifestos hęreticos, dum quinque ista negant, & damnant, quę Catholica recipit, & commendat Ecclesia.

Habet igitur Augustinus Lutheranos & Caluinistas pro hęreticis manifestis, quoniam liberum voluntatis arbitrium ita perspicuè negant & damnant, vt libros suos de seruo arbitrio inscribere non vereantur. Neque recurrere poterit Caluinus ad liberum arbitrium à sola coactione, cùm certum sit, non hoc esse, quod Manichęi vituperabant.

QVARTVM testimonium sumitur ex iis locis, vbi sanctus Augustinus profert argumenta pro libero arbitrio. Siquidem iisdem argumentis probat liberum arbitrium post hęresim Pelagii exortam, quibus idem probabat ante exortam illam hæresim, nam in libris de libero arbitrio, & in libro de vera religione, quos scripsit antequam nomen Pelagii audiri cœpisset, probat Augustinus liberum arbitrium aduersus Manichæos, his potissimum rationibus, quod alioqui tollatur iudicium Dei, tollantur leges, admonitiones, cohortationes, pœnæ, præmia, & alia id genus: at iisdem omnino rationibus idem liberum arbitrium probat in epist. 46. & 47. & in libro de gratia & libero arbitrio, quæ scripta esse constat occasione hæresis Pelagianæ. Sic enim loquitur in epist. 46. *Si non est gratia Dei, quo modo saluat mundum? si non est liberum arbitrium, quomodo iudicat mundum?* Et infrà: *Nisi libero arbitrio intelligeremus, atque saperemus, non nobis præciperetur dicente Scriptura. Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite.* Et libro de gratia & libero arbitrio, cap. 2. *Illa præcepta diuina homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa præmia perueniret.* Et infrà: *Quomodo iubet, si non est liberum arbitrium?* Vides igitur S. Augustinum non mutasse sententiam de libero arbitrio, propter exortam hæresim Pelagianam.

QVINTVM argumentum sumitur ex illis locis, vbi sanctus Augustinus scribit, liberum arbitrium adiuuari gratiã Dei. Non enim adiuuatur, nisi id quod est: nec auxilio eget libertas à sola coactione, sed libertas à necessitate, vt etiam suprà diximus. In epist. 89. quæst. 2. *Valet*, inquit, *liberum arbitrium ad bona opera, si diuinitus adiuuetur.* Et infrà: *Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia iuuatur, sed ideo iuuatur, quia non tollitur.* Et hoc millies in suis scriptis contra Pelagianos repetit.

SEXTVM testimonium sumitur ex illis locis, in quibus disertis verbis docet, esse in potestate hominis velle, & non velle. In expositione Psalmi 7. propè finem: *Diabolo*, inquit, *non consentire in potestate esse voluit, qui nos fecit.* Item in libro de spiritu & litera, capite tricesimo tertio: *Liberum*, inquit, *arbitrium naturaliter attributum à creatore animæ rationali, illa media vis est, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest.* Et capite 34. *Consentire vocationi Dei, vel ab ea dissentire propriæ voluntatis est.* Satis igitur probatum existimamus, sanctum Augustinũ libertatem arbitrij in eo sensu semper prædicasse, in quo nunc illud Catholica prædicat, sempérq; prædicauit Ecclesia.

CAPVT XXIX.

Soluuntur argumenta aduersariorum ex verbo Dei petita.

PORRO aduersus ea, quæ diximus, & docuimus, DVO proferunt aduersarii genera argumentorum, VNVM ductum à Verbo Dei, ALTERVM ex libris S. Augustini.

PRIMVM testimonium obiecit Lutherus ex capite quadragesimo primo Isaiæ: *Bene agite, aut male si potestis.*

RESPONDEO, argumentum est satis ineptum, ac pingue, vt cætera Lutheri esse solent. Neque enim Propheta de hominibus, sed de Idolis gentium loquitur. Nam quemadmodum sanctus Dauid simulachra gentium irrisit dicens: *Oculos habent, & non videbunt, aures habent, & non audient, &c.* Psal. 113. sic Isaias exprobrat illis imbecillitatem, quod cùm Dii habeantur à stultis hominibus, tamen nulli prodesse, aut nocere possint.

SECVNDVM testimoniũ sumunt ex illis verbis Ezechielis cap. 36. *Dabo vobis cor nouum & faciam, vt in præceptis meis ambuletis.* Qui non habent cor nouum, non possunt in præceptis Domini ambulare, qui habent cor nouum, non possunt in iisdem præceptis non ambula

Universidad de Deusto
Biblioteca

bufare, quoniam alioqui falsa esset illa promissio, faciam vt in præceptis meis ambuletis, igitur nulli habent simul potestatem ambulandi in præceptis, & non ambulandi, ac per hoc nulli habent liberum arbitrium in moralibus.

RESPONDEO, qui nō habet cor nouū, nō potest præcepta Dñi omnia, sicut oportet, obseruare; dum talis est, hoc est dum gerit cor vetus; tamen absolutè potest, si velit omnia mandata Domini, sicut oportet, obseruare, quia potest exuere cor vetus, & induere nouum, si velit vocationi Domini acquiescere, séque ad Deum ex toto corde conuertere. Scriptum est enim: *Facite vobis cor nouum, & spiritum nouum.* Ezech. 18. pari ratione qui habet cor nouum, non potest, dum talis est, non ambulare in præceptis Domini, tamen absolutè potest, quia potest exuere cor nouum, si velit se auertere à Deo, iuxta illud eiusdē Prophetæ in eodē cap. 18. *Si auerterit se iustus à iustitia sua, &c.* Potest igitur absolutè homo per liberum arbitrium bene facere si velit, & non facere, si non velit.

TERTIVM testimonium ex illo Psalm. 118. *Inclina cor meum in testimonia tua.* Et 3. Reg. 8. *Inclinet cor nostrum ad se Dominus, vt seruemus mandata eius.*

RESPONDEO, probant hæc testimonia, sine Dei gratia non posse à nobis omnia mandata seruari, quod (vt sæpe diximus) libentissimè confitemur. Non autem probant hominem nō esse liberi arbitrij. Quoniam non inclinat Deus corda nostra cogendo, aut necessitatem adferendo, sed interna inspiratione suadendo, & inuitando, ita vt in potestate voluntatis relinquatur consentire vocanti, & suadenti, vel non consentire. ATQVI dicet aliquis. Quid aliud facit Deus cū nos inclinat, quàm operari, vt consentiamus? ITA EST; Facit Deus per auxilium gratiæ suæ, vt vocanti consentiamus, sed hoc facit adiuuando infirmitatem, non tollendo libertatem. De qua re plura dicemus in sequenti libro.

QVARTVM testimonium ex illo Io. 8. & ad Romanos 6. & 2. Petri 2. *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* At seruitus, & libertas opponuntur.

RESPONDEO, seruitus, & libertas generatim accepta sine dubio opponuntur, sed non quæuis seruitus cuiuis libertati opponitur. Alioqui non diceret Apostolus ad Romanos capite sexto. Eos, qui sunt serui peccati, liberos esse iustitiæ, & contrà, liberatos à peccato, seruos esse iustitiæ. Itaque seruitus peccati opponitur libertati à peccato, non libertati naturæ, quæ propriè dicitur liberum arbitrium. Nam qui seruus est peccati, non potest suis viribus exutere iugum peccati, & ad libertatem iustitiæ peruenire, potest tamen per liberum arbitrium, adiuuante Deo, liberari à peccato, & potest, si velit, per se manere in seruitute peccati. Sicut etiam è contrario, seruitus naturæ, id est, naturalis determinatio ad vnum, qualis est in pecoribus, opponitur libertati naturæ, id est, libero voluntatis arbitrio; non tamen libertati à peccato. Immò quæ carent libertate naturæ, hoc ipso quod illa carent non possunt vllo modo seruire peccato.

QVINTVM testimoniū ex illo Io. 15. *Sicut palmes non potest à semetipso ferre fructum, nisi manserit in vite, ita & vos, nisi in me manseritis.* Palmes; inquiunt, à vite præcisus non potest non arescere, in vite autem insitus, & ex ea viuens non potest non ferre fructum: igitur nec homines, qui palmitibus comparantur, habent vllo tempore libertatem ad oppositā.

RESPONDEO, homo rectissimè palmiti comparatur, quia sine succo vitæ cœlestis, quę Christus est, nō potest producere opera salutifera, & cœlestia: tamen quoniam idē homo palmes est rationalis, potest per liberum arbitrium, cum est in vite, ab illa sponte recedere, & arescere: & à vite præcisus per idem liberum arbitrium, adiuuante summo agricola, potest in vite rursum inseri, & fructum ferre. Itaque probant istæ similitudines necessitatem gratiæ, sed non excludunt arbitrij libertatem.

SEXTVM testimonium ex illo prioris ad Corinthios cap. 4. *Quid enim habes quod non accepisti?* At si nihil habemus proprii, & nostri, certè non sumus Domini actionum, nec illæ sunt in nostra potestate.

RESPONDEO, idem Apostolus in tertio capite eiusdē epistolæ, fatetur, nos habere aliquid proprii, & nostri, cùm ait, Vnusquisque propriam mercedem accipiet, secundùm suum laborē, vbi quod Latinus interpretes reddidit (*suū*) in Græco fonte est, ἴδιον, id est, *proprium*. Habemus igitur dono Dei liberum arbitrium, sed hoc dono accepto, Domini sumus actionum, & quia possumus eas pro arbitrio facere, vel omittere, propriæ, & nostræ esse dicuntur, & quamuis opera sancta, de quibus loquitur eo loco B. Paulus, sint etiam peculiari ratione dona Dei, quatenus non fiunt sine gratia, tamen sunt etiam opera nostra propria, quatenus poteramus per liberum arbitrium ea non facere; & ideo (vt iam diximus) eodem Apostolo teste, debetur eis merces propria, & non immeritò labores nostri, & proprii nominantur.

CAPVT XXX.

Soluuntur argumenta ex testimoniis S. Augustini.

IAM verò ex beato Augustino, in quo magnum præsidium habere se gloriantur aduersarii, PRIMO proferunt illud ex Enchiridio, capite trigesimo: *Libero arbitrio malè vtens homo, & se perdidit, & ipsum. Nam cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est & liberum arbitrium.*

RESPONDEO, dicitur homo perdidisse liberum arbitrium, quia deterius illud fecit: quomodo dicitur perdere filium, aut seruum, aut discipulum, qui nimia lenitate flagitiosum fieri finit. Alioqui non periisse liberum arbitrium, neque esse extinctum, quasi non sit amplius in rerum natura, perspicuum est ex eo, quod Augustinus dicit, *& se perdidit, & ipsum.* Non enim se perdidit extinguendo, ac perimendo, sed deteriorē efficiendo. Quemadmodum autem deteriorem fecerit, explicat cùm dicit, victore peccato amissum esse liberum arbitrium. Amittitur enim liberum arbitrium, non cùm perit, quod fieri non potest, sed cùm à diabolo captiuatur; quomodo dicuntur amissa, quæ tempore belli in potestatem hostium deuenerunt. Vnde etiam adfert Augustinus testimonium Domini dicentis: *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* Et apertè dicit, victore peccato amissum, quia videlicet in potestatem victoris venit.

Explicabitur autem commodè totus hic locus, ex libro primo ad Bonifacium contra duas epistolas Pelagianorum, capite secundo: *Quis nostrum*, inquit, *non videt, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quæ in paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate iustitiam. Vnde natura humana diuina indiget gratia, dicente Domino, si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* Itaque liberum arbitrium perditum, & amissum nihil est aliud, nisi deterius factum per captiuitatem, qua periit libertas gratię, non libertas naturæ.

SECVNDVM testimonium sumunt ex hoc ipso loco proximè citato, id est, ex lib. 1. ad Bonifacium, capite 2, & 3. nā cùm sanctus Augustinus dixisset, non periisse liberum arbitrium de humano genere: subiungit, ideo non periisse, quia per illud peccant, quicunque cum delectatione peccant. Idque sepius repetit: vt videatur nō agnoscere liberum arbitrium nisi à coactione, & ad malum.

RESPONDEO, sanctus Augustinus propter insidias Pelagianorum, qui ex libertate naturę colligebant libertatem à peccato, vix vnquam audet liberum arbitrium

trium asserere, quin aliquid adiungat, vnde intelligi possit, illud sine gratia Dei non posse liberum esse à peccato. Id autem facilius assequemur, si breuiter exponamus sententiam totius illius loci.

Initio igitur secūdi capitis libri primi ad Bonifacium, proponit sanctus Augustinus obiectionem, seu verius calumniam Pelagianorum, qui de Catholicis ita loquebantur: *Dicunt illi, quia peccato primi hominis, id est Adæ, liberum arbitrium perierit, & nemo iam potestatem habeat bene viuendi, sed omnes in peccatum carnis suæ necessitate cogantur.* Hæc est Pelagianorum obiectio, qua calumniabantur Catholicos, quasi negarent liberum arbitrium: & inde callidè intendebant efficere, vt gratia Dei ad benè viuendum non videretur esse necessaria.

Hanc fraudem his verbis Augustinus detegit: *Liberum*, inquit, *arbitrium defendendo præcipitant, vt de illo potius ad faciendam iustitiam, quàm de Domini adiutorio confidatur, atque in se quisque, non in Domino glorietur.* Quibus verbis non negat, defendi debere liberum arbitrium, sed prohibet nimis multum illi tribui. DEINDE addit, calumniam superiorem refellens: *Quis autem nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quæ in paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate iustitiam, propter quod natura humana diuina indiget gratia.*

His verbis Augustinus PRIMVM negat illam partem obiectionis Pelagianę: *Dicunt, quod peccato primi hominis, perierit liberum arbitrium.* DEINDE, explicat illam alteram partem (*& nemo iam potestatem habeat bene viuendi*) dicens, hominem non posse bene viuere sine auxilio gratię, & in hanc miseriam incidisse per peccatum, à quo non liberamur, nisi per illum, qui dixit: *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* Subiungit DEINDE probans, ex eo quod peccatur, liberum arbitrium non periisse: *Nam*, inquit, *liberum arbitrium vsque adeo in peccatore non perijt, vt per illud peccent, maximè omnes, qui cum delectatione peccant.*

Non vult autem hoc loco S. Augustinus significare, libertatem arbitrii in eo sitam esse, vt quis cum delectatione peccet. Nam etiam si aliquis sine delectatione peccaret, vt qui metu mortis fidem negant, libere tamen peccare diceretur: sed indicare voluit, maximè liberè eos peccare, qui cum delectatione peccant. quoniam qui eiusmodi sunt DVPLICI libertate gaudent, VNA, quæ opponitur necessitati, quæque communis est omnibus qui peccant, & dicitur propriè libertas naturæ, siue libertas arbitrii; ALTERA, quæ opponitur seruituti iustitię, & dicitur propriè libertas peccati, siue etiam seruitus peccati. Eadem enim est seruitus peccati, & libertas peccati, quoniam qui seruus est peccati libere, id est, libenter, & cum delectatione peccat: sicut etiam eadem est & seruitus iustitiæ & libertas iustitię, quoniam qui serui sunt iustitię, libenter & cum delectatione iustitiam faciunt.

REFELLIT POSTREMO in capite tertio, illam tertiam partem eiusdem obiectionis Pelagianæ: *Sed omnes in peccatum carnis suæ necessitate cogantur.* Et ait: *Non itaque sicut dicunt, nos quidem dicere, & ipse audet etiam scribere, omnes in peccatum voluntatis carnis suæ necessitate cogi untur. Sed si iam in ea ætate sunt, vt propriæ mentis vtantur arbitrio, & in peccato sua voluntate retineantur, & à peccato in peccatum sua voluntate præcipitantur. Neque enim agit in eis etiam qui suadet, & decipit, nisi vt peccatum voluntate committant. Sed hæc voluntas, quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est, quia liberata non est.*

Quibus verbis respondet Augustinus directè, ad illud *necessitate cogantur*, & docet non cogi, id est, non inuitos trahi homines ad peccatum, sed liberrimè potius peccare, quoniam non solum libertate naturæ, sed etiam libertate peccati, vt plurimum homines peccant: & ne Pelagiani more suo colligerent, posse hominem peccatorem suis viribus bene facere, addit voluntatem hominis impii, quę est libera in malis libertate peccati, non esse in bonis liberam libertate gratię, nisi prius à Christo Domino liberetur.

TERTIVM testimonium, sumunt ex libro 1. retractationum, capite 15. *Qui cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, iam hoc ita peccatum est, vt sit etiam pœna peccati.* Et infrà: *Nam quando tale est, vt iuste fiat & pœna peccati, quantum est quod valet voluntas, nisi forte, si pia est, vt oret auxilium? in tantum enim libera est, quia in tantum liberata est.* Ex hoc loco colligunt, impiam voluntatem non esse liberam, sed omnino ex necessitate peccare; quoniam nihil potest in bono, ac ne auxilium quidem petere, & tamen verè peccat, quoniam alioqui non vere peccatum esset pœna peccati.

RESPONDEO, vo untas, quæ cogenti cupiditati resistere nequit, libera est absolutè, quoniam illa impotentia conditionata est, non absoluta. Potest enim Dei auxilium implorare; quod si non facit, culpâ sua non facit. Nemini enim deest auxilium, quo saltem possit vires à Deo petere. Nemini autem deesse auxilium necessarium ad non peccandum, in alio libro probauimus.

QVARTVM testimonium sumunt ex epistola 144. *Sine gratia Dei non potest esse libera voluntas, cum cupiditatibus vincentibus, & vincientibus subdita sit.*

RESPONDEO, Sine gratia Dei non est libera voluntas, quoad exercitium, id est, non habet vsum liberi arbitrii; tamen absolutè libera est, quoniam (vt diximus) auxilium gratię necessarium ad non peccandum nulli deest. Simile est, si quis ita colligeret, sine lumine non potest oculus cernere, igitur absolutè non potest oculus cernere, & nos sæpè iam diximus, non negari à nobis gratiæ necessitatem, cùm asserimus arbitrii libertatem. Id enim quod volumus, hoc est, præsente auxilio necessario, posse hominem peccare, & non peccare. Neque contrarium huius sententiæ in Augustini libris vnquam reperietur.

QVINTVM testimonium sumunt ex libro de spiritu & litera, cap. 30. *Per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam sanatio animæ à vitio peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrij, per arbitrij libertatem dilectio iustitiæ, per dilectionem iustitiæ impletio legis.* Et infra: *Vt quid miseri homines audent superbire de libero arbitrio antequam liberentur, nec attendunt in nomine liberi arbitrij sonare libertatem, &c.*

RESPONDEO, Loquitur hoc loco sanctus Augustinus apertissimè de libero arbitrio, vt denominatur à libertate gratiæ, non à libertate naturæ. Nam si libertas naturę, id est, liberum arbitrium propriè dictum, inciperet primum in nobis esse post fidem, & iustificationem, quo modo idem Augustinus in eodem libro, cap. 33. diceret, liberum arbitrium naturaliter attributum animę rationali, esse vim illam mediam, qua vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest? quo modo enim intenditur ad suscipiendam fidem, si non incipit existere nisi post fidem? loquitur igitur de libertate gratiæ, per quam anima sanata viam mandatorum Domini cum delectatione currit. De qua loquitur etiam in lib. de correptione & gratia, cap. 8. cùm ait. *Voluntas humana non libertate consequitur gratiam, sed gratiâ libertatem.*

SEXTVM testimonium sumunt ex libro de correptione & gratia, cap. 12. *Si relinqueretur ipsi sua voluntas, vt in adiutorio Dei manerent, si vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideo perseuerare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent.* Videtur enim hoc loco S. Augustinus dicere, iustos homines etiam cum adiutorio gratię sanantis animam, non posse perseuerare in bonis operibus nisi à spiritu Dei perpetuò agantur: atqui hoc est non habere liberum

arbi

Universidad de Deusto
Biblioteca

arbitrium ad vtramque partem.

RESPONDEO, Significat Augustinus, non sufficere homini post lapsum primi hominis, adiutorium gratiæ habitualis (id enim vocat adiutorium, in quo permanet homo, si vult, quod etiam in eodem loco cum alimentis comparauit, quibus si volumus, vtimur, si nolumus, non vtimur) sed necessarium esse præterea, propter tentationes, auxilium Dei protegens, & dirigens, sine quo etiam iusti perseuerare non possent, quia deficientes infirmitate, nec vellent.

Cæterùm hæc impotentia non est absoluta, sed conditionalis; quamuis enim non possit homo iustus, sine auxilio speciali perseuerare in operibus bonis, absolutè tamen potest, quoniam Deus non deserit nisi desertus. Quocirca in eodem libro capite septimo, idem Augustinus dicit, non posse excusari eos, qui non perseuerant, quoniam poterant perseuerare si vellent.

SEPTIMVM testimonium sumunt ex eodem libro cap. 13. vbi cum dixisset S. Augustinus eos, qui peccant, peccare per liberum arbitrium, corrigit se continuò, ac dicit, *Arbitrium*, inquam, *liberum, sed non liberatum.* Videtur enim (vt notat CALVINVS) voluisse dicere, arbitrium liberum esse nomine, non re.

RESPONDEO, Iam sæpe diximus Augustinum propter Pelagianos arbitrium vocare liberum, non liberatum, quoniam sine gratia Dei seruum est peccati, licet sit liberum à naturali necessitate.

OCTAVVM testimonium sumunt ex libro de perfectione iustitiæ, responsione 9. *Per arbitrij libertatem factum est, vt esset homo cum peccato, sed iam pœnalis vitiositas subsequuta ex libertate, fecit necessitatem.* Et infrà: *Quia peccauit voluntas, sequuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas, donec tota sanetur infirmitas.*

RESPONDEO, Multiplex est necessitas, sed non omnis repugnat arbitrij libertati. PRIMA est, patiendi motus carnis repugnantes legi mentis. Nam etiam iustissimi quique dicere possunt cum Apostolo ad Romanos cap. 7. *Sentio aliam legem in membris meis, &c.* SED hæc non repugnat libero voluntatis arbitrio, quoniam etiamsi necessariò motus illos sentimus, tamen non necessariò consentimus; & tunc cum Apostolo dicimus: *Si quod nolo facio, iam non ego operor illud.*

SECVNDA necessitas est peccandi ex ignorãtia; nam *delicta quis intelligit?* SED neque hæc repugnat libero arbitrio, quoniam etiamsi non possumus quædam non ignorare, tamen possumus non velle ignorare. Ille enim reprehenditur, qui noluit intelligere, vt benè ageret, non qui voluit, sed non potuit. Ac de his necessitatibus loquitur sanctus Augustinus in priore parte obiectionis. Nam ibidem subiungit: *Vnde ad Deum fides clamat, De necessitatibus meis educ me. Sub quibus positi, vel non possumus, quod volumus intelligere, vel quod intelleximus, volumus, nec valemus implere.*

TERTIA necessitas est diuinæ gratiæ, tàm ad remissionem peccati contracti, quàm ad vitanda ea, quæ contrahi possent. SED neque hæc tollit liberum arbitrium, quoniam vt sæpè diximus, & in secundo libro probauimus, Deus nemini denegat adiutorium necessarium.

QVARTA necessitas est, habendi peccatum aliquod veniale. Nam etiam homines iusti quotidie necesse habent illa oratione vti ad Deum, *Dimitte nobis debita nostra.* AT neque hæc necessitas pugnat cum arbitrij libertate, quoniam si ratio vigilet, vt debet, possumus vitare singula venialia; quamuis fieri nequeat, vt omnia euitemus, sine priuilegio speciali. Et de hac necessitate loquitur Augustinus in posteriore parte obiectionis, vt perspicuum est legenti eum locum. Immo totus liber ideo de perfectione iustitiæ inscriptus est, quoniam hoc potissimum agit, vt probet aduersus Pelagianos, non posse in hac vita nos ita perfectè adimplere iustitiã vt nó semper oratio illa necessaria sit, *Dimitte nobis debita nostra.*

QVINTA necessitas est faciendi actus malos, posita mala, & efficaci voluntate. Nam qui efficaciter vult finẽ, non potest non velle media, quæ ad eum finem iudicat esse necessaria. Ita qui vehementer aliquem odit, non potest illi ex animo benefacere. SED neque hæc necessitas repugnat libertati, quia conditionalis est, non absoluta. Potest enim homo si velit, non velle finem illum efficaciter, ex cuius amore ad media eligenda quodammodo cogebatur.

Sola igitur illa necessitas libertati arbitrij propriè repugnat, quæ absolutè facit, vt homo non sit Dominus propriæ voluntatis; quam necessitatem in Augustini libris aduersarij nostri, quantumuis Augustinum suum esse iactent, nunquam demonstrare potuerunt.

LIBER

LIBER SEXTVS,
DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO.

CAPVT PRIMVM.

Proponitur quæstio, An possint credi mysteria fidei, sine auxilio speciali.

SEXTVS HIC LIBER TRES POSTREMAS quæstiones absoluet, quid possit videlicet intelligentia humana in rebus supernaturalibus fidei percipiendis, quid voluntas in iisdem appetendis, & eligendis, & num in eiusmodi rebus verè, propriéque liberi simus.

PRIMA quæstio, quæ ad intelligentiam pertinet, nó minus breuiter, quàm facilè explicari potest. Conuenit enim inter nos, & aduersarios, siue ij Pelagiani, siue Lutherani sint, TRIA potissimum esse necessaria, vt mysteria supernaturalia percipiantur à nobis. PRIMVM est, diuina reuelatio, quæ per Scripturas, aut prædicatores à Deo missos proponitur. Cùm enim hæc supernaturalia sint, nulli vnquam mortalium venissent in mentem, nisi Deus ipse illa manifestare voluisset. Sic enim loquitur B. Paulus in priore epistola ad Corinth. cap. 2. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est.* Et mox: *Sicut, inquit, scriptum est, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se, nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum.* Et ad Rom. 10. *Quomodo credent in eum, quem non audierunt? quomodo audient sine prædicante?* Et Dominus Ioan. 15. *Si non venissem, & loquutus fuissem, peccatum non haberent.* Quia videlicet sine prædicante credere non potuissent, ideo non credendo minimè peccassent.

Hinc etiam videmus Marci vlt. mandari Apostolis: *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et Act. 8. mitti Philippum, vt prædicaret Eunucho; Act. 10. mitti Petrum, vt prædicaret Cornelio; Act. 17. mitti Paulum, vt prædicaret Macedonibus; quia videlicet ordinariè necessaria ad fidem est prædicatio. Quocirca Dominus in Psal. 2. non vi & armis, sed verbo prædicationis regnum se collegisse testatur: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius.* Atque hoc (vt dixi) ne ipsi quidem Pelagiani negabant, quippe qui gratiã Dei in doctrina à Deo nobis reuelata; & tradita præcipuè constituebant.

ALTERVM est, persuasio aliqua, siue per signa, & prodigia, siue aliqua alia ratione. Non enim satis est ad hoc, vt homines credere teneantur, si solũ eis doctrina à Deo reuelata proponatur, sed necesse est, vt accedat etiã aliquid, quod eam doctrinam credibilem faciat. Hinc enim Dominus Exod. 4 cùm mitteret Mosem ad prædicandũ, dedit illi potestatem operandi miracula, quibus fidem faceret, prædicationem suam verè esse diuinam. Et Christus Matth. 10. cum dixisset: *Prædicate dicentes, appropinquabit regnum cœlorum*: adiunxit continuò, *infirmos curate, mortuos suscitate, &c.* Et Ioan. 15. sicut ait: *Si nõ venissem, & loquutus fuissem, peccatum non haberent.* Sic etiam ait: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.*

Adde etiam id, quod ait Ecclesiasticus cap. 19. *Qui cito credit, leuis est corde.* Valde autem cito credit, qui res longissimè remotas ab humanis sensibus, & quæ omnem intelligentiam superant sine vlla persuasione credit. Idem enim faceret, si res absurdissimas, ac omnino improbabiles ei proponerentur. Qua leuitate credendi peccant hoc tempore Mahometani, qui sine vllis miraculis, aut alia congrua persuasione doctrinam absurdissimam Mahometi recipiunt. Nec longè ab his absunt Caluinistæ, qui non solum sine vllis signis, & prodigiis, sed etiam contra doctrinam confirmatam innumeris miraculis, & totius orbis terræ, atque omnium seculorum consensione multa noua, & mira credere potuerunt.

TERTIVM est, imperium voluntatis. Quoniam enim nulla est persuasio, quæ cogere possit hominem ad credendos articulos supernaturales, ac ne ipsa quidem miracula omnino mentem conuincere queant, ideo requiritur inclinatio voluntatis, quæ moueat intellectum ad assentiendum iis, quæ vim intelligentiæ superant. Non posse autem quæuis miracula cogere aliquem ad fidem, si is nolit credere. Satis apertè indicat illud Ioan. 12. *Cùm tanta signa fecisset, non credebant in eum.* Quocirca B. Paulus in posteriore ad Corinthios cap. 10. docet, capiuandum esse intellectum in obsequium fidei, hoc est, pio affectu quasi cogẽdum, vt iis assentiatur, quæ cum ratione pugnare quodãmodo videãtur. Denique S. AVGVSTINVS tract. 36. in Ioannẽ: *Intrare*, inquit, *quisquam in Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere potest Sacramentum nolens, credere non potest, nisi volens.*

His igitur positis, quæ sunt extra controuersiam, quæstio remanet, vtrum qui prædicatorẽ audit, aut doctrinã à Deo reuelatum per se legit, & habet congruentẽ persuasionem miraculorũ, aut alterius testimonij, quo res, quæ credẽda proponitur, efficiatur credibilis; possit eam rem credere sine speciali illustratione diuina. Fuit vnus ex erroribus Pelagianorũ, posse hominem credere sine speciali gratia Dei. Ita enim refert S. Augustinus multis in locis, sed præcipuè in epist. 106. ad Paulinũ, & 107. ad Vitalem. In eodẽ errore etiam, ante exortã hæresim Pelagianam fuisse Ticonium, refert idẽ Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana, c. 33. In eodem fuisse Cassianũ, & alios quosdam in Gallia, qui propterea reliquiæ Pelagianorum dici meruerunt, cognosci potest ex epistolis Prosperi & Hilarij ad Augustinum, & ex libro eiusdem Prosperi contra Collatorem. In eodem etiam aliquando hæsisse ipsum Augustinum, testis est ipse idem, in libro de prædestinatione sanctorum, cap. 3. Denique hũc fuisse vnum ex erroribus Fausti Regiensis, perspicuum est ex libris eius de libero arbitrio.

CAPVT II.

Non posse hominem sine speciali illustratione Dei, credere mysteria fidei.

SED non erit difficile prædictum errorem ex diuinis literis, & Ecclesiæ traditione refellere. PRIMVM enim perspicua sũt verba Domini Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me nisi Pater, qui misit me traxerit eum.* Quo loco obseruandum est, non dixisse Dominum, Nemo venit, sed nemo potest venire, propter quosdam, qui minus cautè dicunt, re ipsa neminem credere sine speciali gratia Dei, tamen fieri posse, vt credat. Porrò venire ad Christũ, nihil esse aliud, nisi credere in ipsum, explicat ipse paulò infra cum dicit: *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt, sed propterea dixi*

Universidad de Deusto
Biblioteca

vobis, quia nemo potest ad me venire. nisi datum ei fuerit à Patre meo. Itaque si venire est credere, & nemo potest venire nisi trahatur à Patre, certè nemo potest credere, nisi trahatur à Patre.

In eundem sensum dicta sunt etiam illa à Domino, Matth. 11. *Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater, quoniam ita placitum fuit ante te. Et nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrē quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Non enim loquitur Dominus de reuelatione per externam prædicationem, sed per internam illustrationem, & suasionem, de qua dixit Ioan. 6. *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Nam paulò ante exprobrauerat ciuitatibus, in quibus longo tempore prædicauerat, & plurima signa fecerat. Et vidēs post eam prædicationem sapientes, & prudentes, id est, Scribas & Pharisæos, non esse conuersos, sed tantum simplices turbas; explicare voluit, rectè quidem reprehēdi eos qui nō crediderunt: sed non debere suis solis viribus tribuere fidem eos qui crediderunt, cùm Patri cœlesti placuerit abscondere hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelare paruulis, trahendo istos, illos non trahendo. Similis sententia habetur Ioan. 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum.* Illos enim excœcare dicitur Deus, quos nō illustrat, cùm sine eius lumine videre nequeant.

Ad hæc, Apostolus Paulus plenus est eiusmodi testimoniorum, vt mirū sit esse aliquos, qui hunc Apostolum diligenter euoluerint, & tamen non didicerint, fidem esse donum Dei. Roman. 12. *Vnicuique*, inquit, *sicut diuisit Deus mensuram fidei*, 1. Cor. 4. *Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti?* 1. Corinth. 7. *Consilium autē do, tanquam misericordiam consequutus à Domino, vt sim fidelis.* 1. Corinth. 12. *Et nemo potest dicere, Dominus Iesvs, nisi in Spiritu sancto.* 2. Corinth. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis.* Ephes. 2. *Gratiâ estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, donū enim Dei est.* Eph. 6. *Pax fratribus, & caritas cum fide à Deo Patre, & Domino Iesv Christo.* Phipp. 1. *Vobis donatum est, non solum vt in illum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini.*

Denique S. Lucas in Actis cap. 13. *Crediderunt*, inquit, *quotquot præordinati erant in vitam æternam.* Et cap. 14. *Aperuit Dominus ostium fidei.* Et cap. 16. *Loquebamur mulieribus, quæ conuenerant, & quadam mulier nomine Lidia purpuraria audiuit, cuius Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo.*

Accedant Deinde testimonia Conciliorum & Patrum. Concilium Aravsicanvm, can. 5. *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei non per gratiæ donum nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus aduersarius approbatur.* Et can. 7. *Si quis per naturæ vigorē euangelizanti prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione Spiritus sancti, hæretico fallitur spiritu, &c.*

Idem repetit Concilium Tridentinvm, sess. 6. can. 3. his verbis: *Si quis dixerit, sine præuenientē Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere posse: sicut oportet, anathema sit.*

S. Avgvstinvs lib. 1. de prædestinatione Sanctorum, cap. 2. *Si non sumus*, inquit, *idonei cogitare aliquid quasi ex nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, profectò non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobis, sed sufficientia nostra, qua credere incipimus ex Deo est.* Vide eundem lib. 1. retractationum, cap. 23. in epistol. 90. 105. 106. & 107. In Enchiridio, c. 31. in libro de spiritu & litera, cap. 31. & 32. in libro de gratia Christi, cap. 31. & lib. 1. ad Bonifacium contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 3. Denique in lib. 1. de prædestinatione sanctorum ferè toto. Et in secundo de bono perseuerantiæ, cap. 1. 2. 3. 19. & aliis.

Avctor Hypognostici lib. 3. ferè extremo, *Nemo*, inquit, *penitus glorietur sed fidem ex proprio sensu genuisse in se, per quam possit credere Deo: sed agnoscat, tam ante legem, quam sub lege, & post legem, fidē, qua est in Christo Iesv, per illuminationem gratiæ, quæ à Deo Patre est, vnicuique reuelatam ad salutem, &c.* Neque loquitur de reuelatione, quæ per Scripturas habetur: hanc enim non negabant Pelagiani, contra quos ille auctor acerrimè disputat, sed de speculiari inspiratione, qua Deus in mentibus operatur, vt verbo prædicationis assentiant.

S. Prosper idem docet, ac probat in lib. 1. de Vocatione gentium, capite 23. & 24. & contra Collatorem, cap. 36. & 37. & in responsione octaua, ad Capitula Gallorum. Et in responsione ad prima quinque dubia Geneuensium. Sic igitur loquitur (vt vnam sententiā eius ponamus) in lib. 1. de Vocatione gentium, cap. 24. *Abunde*, inquit, *quantum arbitror, his testimoniis demonstratum est, fidem, qua iustificatur impius, nisi ex Dei munere non haberi, eamq. nullis meritis præcedentibus tribui, &c.*

S. Fvlgentivs in libro de incarnatione & gratia Christi, cap. 20. *Vita*, inquit, *nostra à fide sumit initium, quia iustus ex fide viuit. Quam fidem non ex voluntate nostra nasci, sed per Spiritum sanctum vnicuique dari, B. Paulus ostendit.* Et infrà: *Formæ præcessit in carne Christi, quam in nostra fide spiritualiter agnoscamus. Nam Christus filius Dei secundum carnem de Spiritu sancto conceptus, & natus est. Sic ergo in hominis corde, nec concipi fides poterit, nec augeri, nisi eam Spiritus sanctus effundat, & nutriat. Ex eodem namque spiritu renati sumus, ex quo natus est Christus.*

Accedant Postremo rationes, atque eæ potissimū, quibus vtitur S. Augustinus. Prima ratio sumitur ab orationibus Ecclesiæ. Orat enim Ecclesia pro infidelibus, vt cōuertantur, & hoc ipsum iuberi dicit S. Cyprianus in expositione orationis Dominicæ, cùm Dominus præcipit, vt orantes dicamus, fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra. At frustra fierent istæ preces, si possent infideles sine Dei auxilio credere: satis enim esset illis prædicare fidem, & admonere vt crederent.

Neque responderi potest, orari ab Ecclesia Deum, vt habitum fidei donet volentibus, & incipientibus credere. Nā Ecclesia iuxta præceptum Domini, orat pro persequentibus, & calumniantibus se: qui verò persequūtur Ecclesiam, certè neque volunt, neque incipiunt credere. Orat igitur Ecclesia, vt Deus infideles de nolentibus faciat volentes, de infidelibus fideles, & de persequutoribus defensores, quomodo nouit, actum esse cum ipso Apostolo Paulo, cui tūc donata est fides, cùm spiraret minas & cædes in discipulos Domini. Et hoc ipsum indicant antiquissimæ illæ preces, quæ funduntur ab vniuersa Ecclesia in Parasceue, vbi oratur Deus, vt auferat velamen de cordibus infidelium, vt adaperiat aures præcordiorum, vt illustret cœcitatem, & tenebras mentium, vt eruat ab erroribus animas diabolica fraude deceptas.

Secvnda ratio, sumitur ab absurdis, quę sequerētur, quæ sunt potissimùm Tria. Primvm enim sequeretur, gratiam secundùm merita nostra dari, & ita gratiam non esse gratiam, quod ita visum est absurdum Patribus nostris, vt in Concilio Palæstino (quod primum contra Pelagium celebratum est) ipse etiam Pelagius id (quamuis ore, non corde) damnauerit. Id autem sequi, probat sanctus Augustinus in epistola 106. quoniam nonnullū est meritum fidei, ratione cuius oratio impetrat, quidquid postulat, Meretur enim exaudiri, qui postulat cum fide.

Deinde sequeretur, initium salutis esse ex nobis, nam cùm iustus ex fide viuat, si initium fidei esset ex nobis, initium vitæ esset ex nobis. Id autem esse absurdū patet, Tvm quia repugnat Apostolo dicenti: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei.* Rom. 11. Et: *Quid habes, quod non accepisti?* 1. Cor. 4. Tvm quia si potest homo per se incipere credere, poterit etiam per se augere fidē: difficilius enim

enim est incipere opus, quàm augere inchoatum, atque ita vel non egebunt homines Deo, vel ita partientur cum eo, vt sibi tribuant quod est melius, illi quod est deterius, siue priores, operis partes sibi, posteriores Deo.

Postremo sequeretur, tolli penitus fundamentum diuinæ prædestinationis. & electionis; non enim saluæ fierent reliquiæ secundum electionē gratiæ, vt Apostolus prædicat ad Romanos cap. 11. sed iuxta meritum fidei, & bonum vsum liberi arbitrij, vt sanctus Augustinus efficacissimè probat, in libro de prædestinatione sanctorum. Quoniam enim duo sunt fundamenta prædestinationis, fides, & perseuerantia, ideo in priore duorum illorum librorum demonstrat, fidem esse donum Dei, in posteriore idem probat de perseuerantia.

Tertia ratio pendet ex iis, quæ dicentur in 4. cap. Demonstrabimus enim, nullū opus pietatis vel inchoari, vel perfici posse, sine speciali gratia Dei: certum autē est, initium fidei includere pium affectum, per hoc esse opus pium, vel certè pij operis inchoationem.

CAPVT III.

Soluuntur obiectiones contra doctrinam capitis superioris.

Obiectiones aduersus ea, quæ paulò ante docuimus, hæ potissimùm fieri solent.

Primvm, infideles multa credunt solis viribus liberi arbitrij non minus difficilia, quàm sint articuli nostræ fidei, vt continuū secari posse in infinitas partes, inter quælibet duo puncta notata, quamuis inter se proxima, intercedere alia infinita; vnam esse mentem omnium hominum, qui sunt, erūt, fuerūt, & alia id genus plura, quæ Philosophi vel omnes, vel aliqui sibi persuaserunt: cur igitur non possint etiam credere articulos nostræ fidei, præsertim cùm hi multis miraculis comprobati sint, si res non minus arduas sine vllis miraculis crediderunt?

Secvndo, Pagani, atque hæretici sæpe multos articulos nostræ fidei credunt, vt Christum esse Virginis filium, quod credunt Mahometani, & Deum esse Trinum, & vnum, quod credūt Caluinistæ, aliique plurimi ex hæreticis huius temporis: at hæc eorum fides non est donum Dei, neque credibile est eos per speciale Dei auxilium ista credere, cum ex eodem principio ista vera credant, quo suos errores credunt. Mahometani siquidem, quemadmodum ob Alcorani auctoritatem credūt, Christum esse Virginis filium, sic ob eiusdem Alcorani auctoritatem credunt, Christum non esse Dei filium, nec verè Deum. Et qui nunc inter Lutheranos educantur, vt credunt Ministro prædicanti, Deum esse Trinum & Vnum, ita credunt eidem prædicanti, nullam esse arbitrij libertatem, hominem sola fide iustificari, & alios id genus errores.

Tertio, nos omnes facilè credimus sine speciali gratia Dei vera esse, quæ Liuius & Salustius, alijque prophani historici tradiderunt; cur nō igitur poterimus eadem facilitate credere quæ scripserunt historici sacri, saltem in his rebus, quæ naturam non superant, quales sunt res gestæ Patriarcharum, ac Prophetarum?

Qvarto, res quædam falsæ, quæ omnem rationem excedunt, quale est paradoxum illud Lutheranorum, Corpus Christi semper esse vbique: & illud, Infantes dū baptizantur, actu credere; firmissimè credi possunt absque vllo adiutorio Dei, vt notum est, quæ igitur causa est, cur non possint credi etiam aliqua vera, sine speciali auxilio Dei, quamuis eandem rationem excedant?

Qvinto, articuli nostræ fidei tot iam miraculis, aliisque testimoniis magni ponderis confirmati sunt, vt omniū iudicio credibiles censeri debeāt, iuxta illud Prophetæ Psal. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* At quod credibile est, cur sine alio auxilio credi nō poterit?

Sexto, si quis ab ineunte pueritia inter Christianos educeretur, etiamsi casu aliquo baptismū non susciperet, neque illum petat, ex consuetudine credat, quod alij credunt: quod igitur fieri potest ex consuetudine, cur non magis fieri poterit ex electione, ab eo præsertim, qui conferat dogmata fidei cum antiquis Prophetarum oraculis, & signis, ac prodigiis, quibus ea singulis ætatibus confirmata fuisse constat?

Ad hæc omnia facilè responderi poterit, si quis obseruet, nos cum dicimus, sine auxilio speciali, non posse hominem credere articulos nostræ fidei, non intelligere, non posse credere vllo modo, sed non posse, vt oporret ad hoc, vt sit actus fidei Catholicæ, & initium iustificationis. Non enim hanc particulam (*vt oportet*) sine caussa in decretis suis addiderunt Concilium Arausicanum, canone 25. & Tridentinum sessione 6, canone 3. Includit autem illud (*vt oportet*) Tres conditiones, Vnam, vt certò credatur, ex parte obiecti, id est, tanquam à Deo reuelatū, & quod nullo modo falsum esse possit: Alteram, vt firmiter credatur ex parte subiecti, id est, vt homo nihil dubitet, & malit potius mori, quàm articulum fidei nō credere: Tertiam, vt ex pio affectu credatur, id est, ex quadam inclinatione pia erga Deum, qua incipit homo ceruicem Deo flectere, eique se subiicere ad obedientiam fidei, etiam in iis rebus, quæ rationem humanam superant.

Ad Primam igitur obiectionem de Philosophis gentilibus, Dico eos vel habere demonstrationem, vt de diuisione continui, & tunc non esse rem difficilem ad credendum, nisi imperitis; vel non habere, vt de vera intelligentia omnium hominum, & tunc non firmiter credere; & præterea siue demonstrationem habeant, siue nō habeant, eos non credere ex pio affectu subiiciendi se Deo, sed vel quia coguntur argumentis, vel quia cedunt auctoritati doctiorum.

Ad Secvndam de Mahometanis & Hæreticis, qui aliquos Catholicæ fidei articulos credunt, Respondeo, eos non habere fidem certam ex parte obiecti, Nam vt fides sit certa ex parte obiecti, Dvæ caussæ infallibiles requiruntur, caussa Revelans articulos, & caussa Proponens, aut declarans articulos reuelatos. Nam si is, qui reuelat, & cuius auctoritate nitimur, falli possit, fides etiam incerta redditur. Itaque caussa reuelans non debet esse, nisi Deus. Et pari ratione si is, qui articulos reuelatos proponit, aut declarat, errori sit obnoxius, & possit aliquid proponere tanquam à Deo reuelatum, quod verè non sit à Deo reuelatum, tota fides nutabit.

Iam igitur Mahometani & Hæretici, existimant quidem se credere id, quod credūt, quia Deus reuelauit, sed re vera non credunt, quia Deus reuelauit, sed quoniam ipsi temerè volunt id credere, quod credunt: cùm non habeant caussam proponentem, ac declarantem reuelationem Dei infallibilem. Nam si quis ab hæreticis petat, vnde habeant Deum reuelasse hunc articulum, aut illum: respondebunt ex diuinis literis. At si quis vrgeat, vnde habeant diuinas literas hoc significare, quod ipsi dicunt, cùm alij aliter Scripturas intelligant; immo etiā, vnde habeant, has esse diuinas literas: nihil omnino respondere poterunt, nisi ita se iudicare; iudicium enim Ecclesiæ, quod vnum Deus innumeris signis & prodigiis, aliisque testimoniis plurimis infallibile esse declarauit, iam ipsi reiecerunt, & vnusquisque ad se iudicium diuinæ reuelationis interpretandæ reuocauit. Quis autem possit, nisi valdè temerè credere, suum ipsius iudicium de rebus diuinis infallibile esse, cùm hanc infallibilitatem nulla neque diuina promissione, neque humana ratione probare possit?

At Catholici fidem habent omnino certam, & infalli-

Universidad de Deusto
Biblioteca

filem, quoniam credunt id quod credunt, quia Deus id A reuelauit: Deum autem reuelasse credunt, quoniam Ecclesiam ita dicentem, vel declarantem audiunt, quam errare non posse non temerè credunt, cùm testimonia eius ex plurimis signis & prodigiis, aliisque multis argumentis, quæ in libro de notis Ecclesiæ numerata, & explicata sunt, credibilia facta sint nimis.

Ad TERTIAM, de his, quæ credimus Liuio & Salustio, RESPONDEO, humanas historias nos humana fide credere, vt etiam existimemus, falsas esse posse: at res diuinas lõgè alia fide credi oportere, vt videlicet existememus cœlum, & terram transire posse, Verbum autem Domini transire non posse.

Ad QVARTAM, de iis, qui res difficillimas, sed tamẽ falsas credunt, RESPONDEO, non esse omnino eandẽ B rationem veri & falsi, sicut nec est eadem ratio boni & mali. Potest enim homo peccator ex animo, ac toto corde blasphemare Deum, non tamen potest ex animo ac toto corde laudare Deum sine speciali gratia: ita poterit figmẽta sua, quãuis aliis incredibilia, ipse facilè credere propter affectum erga res suas, nec tamen poterit sine speciali gratia Dei res diuinas credere. Addo præterea, eiusmodi homines, sicut temerè credunt falsa, & diabolica, ita etiam temerè credere vera & diuina, non autem sicut diximus, *vt oportet*, id est, pio affectu, vt res à Deo reuelatas, & quibus falsum subesse nulla ratione possit.

Ad QVINTAM RESPONDEO, Res credibiles sine alia gratia, credi posse, sed humana fide nõ diuina, argumenta enim, quæ articulos fidei nostrę credibiles faciũt, non talia sunt, vt fidem omnino indubitatam reddant, C nisi mens diuinitus adiuuetur.

Ad SEXTAM facilis est RESPONSIO. Nã aut puer inter Christianos natus atque educatus, vbi adoleuerit, existimabit se esse baptizatum, vel sciet non esse baptizatum. Si baptizatum se esse credat, probabile erit, eum fidem diuinitus infusam habere. Siquidem approbatio baptismi, quem quis se accepisse, atque habere censet, par est voto baptismi, & ad salutem æternam perducere potest. De quà re extat rescriptum Pontificium capite Apostolicam, de presbyteris non baptizan. Si verò sciat, se non esse baptizatum, & tamen baptismum non postulet, is sine dubio non habet fidem, nisi fortè humanam, vel potius nec humanã. Quomodo enim fieri potest, vt aliquis certò credat, sine baptismo se in æternum perituru̇m, & tamen baptismum, rem videlicet factu facillimã, D non postulet, neque cupiat? Neque verisimile est, posse aliquem esse inter Christianos institutum, & qui nouerit fidem Christianorum, qui tamen de baptismo nihil vnquam audierit, cùm inter rudimenta fidei fiat mentio baptismi, & quotidie in Ecclesia recens nati baptizentur infantes.

CAPVT IIII.

Non posse voluntatem humanam aliquid velle in iis, quæ ad pietatem, & salutem pertinent sine auxilio gratiæ Dei.

SEQVITVR Altera quæstio, quæ est de viribus voluntatis humanæ, in iis rebus, quæ ad pietatem, & salutem æternam pertinent. E In qua quæstione eosdem habemus aduersarios, quos in superiore, Pelagianos videlicet, & qui Pelagianis occultè, & sub nomine Catholico in Galliis fauere studuerunt, Cassianũ, Faustum, & alios. Hi enim bona aliqua desideria, initium dilectionis, dispositionem ad gratiam, & alia id genus, ex bono naturæ, sine speciali præueniente gratia habere posse, prædicabant.

Quibus præcipuè restiterunt sanctus Augustinus in libro de prædestinatione sanctorum, & de bono perseuerantiæ. Sanctus Prosper in libro contra Collatorem. Et sanctus Fulgẽtius in libro de incarnatione, & gratia Christi à cap. 13. vsque ad finẽ. Dicitur etiam ab Adone Viẽnensi in Chronico ad annum CCCCCC. egregiè contra Faustum scripsisse sanctus Alchimus Auitus, vir eloquentissimus, non solùm oratione soluta, sed etiam carmine, sed liber eius iniuria temporum interiisse videtur. Eundem quoque Faustum breuiter refutauit Ioannes Maxẽtius in professione fidei Catholicæ, quæ in bibliotheca sanctorum Patrum extat.

Nos TRES sententias ex Scripturis, & traditione Ecclesiastica paucis cõprobabimus. PRIMA erit, non posse hominem sine speciali gratia Dei aliquid velle, aut facere in iis rebus, quæ ad pietatem, & salutem pertinent. SECVNDA, non posse hominẽ propriis viribus ad gratiã se disponere, siue aliquid facere, propter quod ei diuina gratia conferatur. TERTIA, non posse ab homine diligi, Deum, etiam vt auctorem naturæ, & imperfectè sine adiutorio gratiæ. Quamuis enim duæ sententiæ posteriores in prima includi videantur; tamen placuit eas distinguere: TVM, quoniam nõ desunt, qui aliter sentiãt, TVM etiam, quoniam possunt propriis argumentis singulæ tres sententiæ comprobari.

PRIMA igitur illa sententia probatur, PRIMVM ex testimoniis Propheticis, Euangelicis & Apostolicis. Quod enim legimus Isaiæ c. 65. *Inuentus sum a non quærentibus me: palã apparui his, qui me nõ interrogabant.* Et quod Dominus ait Lucæ 19. *Venit filius hominis quærere, & saluũ facere quod perierat.* Nonne indicat, nõ nos incipere quærendo Deum, sed Deum incipere quærendo & vocando nos auersos, & fugiẽtes? illud verò quod idem Dominus ait Ioannis cap. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Intelligendum est omnino de bono opere, quod ad salutem pertineat: sicut etiam illud Apostoli 1. Cor. 4. *Quis enim te discernit? quid habes quod non accepisti?* Aduersus eos facit, qui ob fidem, aut iustitiam ad salutem pertinentem inflabãtur, vt sæpè alias diximus. Alioqui hæ sententiæ nõ essent vniuersaliter veræ: nam aliqua bona opera naturalia, & aliqua etiam moralia sine speciali Dei gratia fieri posse, suprà docuimus. Denique (vt alia multa prætereã) illud eiusdem Apostoli, ad Philippenses cap. 1. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diẽ Christi.* Et cap. 2. *Deus enim est, qui operatur velle, & perficere pro bona voluntate.* Satis apertè ostendit, nihil omnino boni ad salutem pertinentis, sine Deo inchoari posse.

Probatur DEINDE eadem sententia ex definitionibus Conciliorum, PRIMVM Concilium in causa Pelagij celebratum in Palestina duodecim articulos definiuit, quos etiam Pelagius ipse admittere coactus fuit. Septimus articulus erat (vt Augustinus testatur in epistola 106.) gratiã Dei ad singulos actus dari, ac per hoc nullum actum bonum ab salutem pertinentem (de his enim quæstio erat) sine gratia fieri posse.

DEINDE celebratum est Conciliũ frequentissimum in Africa, Episcoporum ducentorum & quatuordecim, quod à sede Apostolica approbatum à toto orbe terrarum receptum fuisse, testatur S. Prosper in Chronico: huius Concilij decretum his verbis refert, idem Prosper in responsione ad octauum capitulum Gallorum: *Cum ducentis quatuordecim sacerdotibus, quorum constitutionem, contra inimicos gratiæ Dei, totus mundus amplexus est, veraci professione, quemadmodum ipsorum habet sermo, dicamus gratiam Dei per* IESVM CHRISTVM *Dominum nostrum, nõ solùm ad cognoscendam, verum etiam ad faciendum iustitiam nos per actus singulos adiuuare, ita vt sine illa nihil veræ sanctæq; pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.*

Accessit DENIQVE in ipsa Gallia Cõcilium ARAVSICANVM, quod iussu Sancti Leonis, propriè aduersus reliquias Pelagianorum celebratum fuit; in cuius Concilij canone septimo hęc habentur: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ cogita*

cogitare, aut eligere posse cõfirmat, &c. hæretico fallitur spiritu. A Ita videmus, tres orbis terræ partes, Asiam, Africam, Europam, per tria Concilia, in eandem sententiam pro Dei gratia conspirasse.

Per eadem tempora tres summi, sanctissimique Pontifices, Innocentius, Zozimus Cælestinus rescriptis suis eãdem sententiam comprobarunt. INNOCENTIVS in epistola ad Concilium Carthaginense, quæ est apud Augustinum 91. *Adiutorio*, inquit, *quotidiano nos egere, negare non possumus.* Et infrà: *Quemadmodum Pelagius, Cælestiusq; suasores se aliquibus esse confidunt, nos adiutorium Dei non debere quærere, nec egere, cùm omnes sancti, nihil se sine hoc agere posse, testentur?* Idem in epistola ad Concilium Mileuitanum apud Augustinum 93. *In omnibus*, inquit, *diuinis paginis voluntati liberæ non nisi adiutorium Dei legimus esse nectendum, eamq; nihil posse cælestibus auxiliis destitutam.* B

ZOZIMVS in epistola ad omnes Episcopos (vt refert Cælestinus in epistola ad Gallos, capite 9.) *Quod*, inquit, *tempus intercessit, quo eius non egeamus auxilio? in omnibus igitur actibus, caussis, cogitationibus, motibus, adiutor, & protector orandus est, Superbum est enim, vt quidquam sibi humana natura præsumat.*

Ipse autem CAELESTINVS in prædicta epistola, cap. 8. *Quotquot*, inquit, *spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei, vt nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere nõ dubitemus auxilium.*

Idem probari potest testimoniis aliorum Patrum. Sãctus CYPRIANVS lib. 3. ad Quirinum, cap. 4. *In nullo*, inquit, *gloriandum, quando nostrum nihil est.* C

Sanctus AMBROSIVS lib. 2. in Lucam, cap. 12. *Vides*, inquit, *quia vbique Domini virtus studiis cooperatur humanis, vt nemo possit ædificare sine Domino, nemo custodire sine Domino, nemo quicquam incipere sine Domino.*

Sanctus HIERONYMVS in lib. 3. cõtra Pelagianos, non longè à principio: *Hoc*, inquit, *longa dissertione conclusum est, vt gratiã sua Dominus, qua nobis concessit liberum arbitrium, in singulis operibus iuuet, atque sustentet.*

Sanctus AVGVSTINVS lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 5. *Liberum*, inquit, *arbitrium dicimus ad bene, pieque viuendũ non valere, nisi ipsa voluntas hominis, Dei gratia, fuerit liberata, & ad omne bonũ actionis, sermonis, cogitationis adiuta.* Item in libro de prædestinatione Sanctorũ, c. 2. *Quod*, inquit, *attinet ad pietatẽ, & religionem, nõ sumus sufficientes cogitare aliquid quasi ex nobis, & nemo sibi* D *sufficit ad incipiendũ, vel perficiendũ quodcũque opus bonum.* Item in lib. de gratia Christi, cap. 26. *Gratiam*, inquit, *Dei sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, vt omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque iustitiã, fieri posse non dubitet.* Et capite quadragesimo septimo: *Si*, inquit, *vt dixi, conferri (Pelagius) etiam ipsam voluntatẽ, & actionem diuinitus adiuuari, vt sine illo adiutorio nihil boni velimus, & agamus, eamq; esse gratiam Dei per* IESVM CHRISTVM *Dominum nostrum, in qua nos sua, non nostra iustitia facit iustos, vt ea sit vera iustitia, quæ nobis ab illo est, nihil de adiutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controuersiæ relinquetur.*

AVCTOR Hypognostici, qui, vt alias diximus, non est Augustinus, sed alius Pater antiquus & doctus, libro 3. *Esse fatemur*, inquit, *liberum arbitrium omnibus hominibus,* E *habens quidem iudicium rationis, nõ per quod sit idoneum (quæ ad Deum pertinent) inchoare, aut certè perficere sine Deo, sed tãtum in operibus vitæ præsentis, tam bonis, quam etiam malis.* Et infrà: *Vitiato ergo libro arbitrio, totus homo est vitiatus, per quod (absque adiutorio gratiæ) quod Deo placeat nec valet incipere, nec perficere sufficit.*

Sanctus PROSPER in libro contra Collatorem, ca. 38. *Non conturbat*, inquit, *nos superbientium inepta querimonia, quia liberum arbitrium caussantur auferri, si & principia, & profectus, & perseuerantia in bonis, vsque in finem Dei do-*

na esse dicuntur. Quoniam opitulationes diuinæ gratiæ stabilimenta sunt voluntatis humanæ. Volentes oramus: & tamen misit Deus spiritum in corda nostra clamantem Abba Pater: volentes loquimur, & tamen si pium est, quod loquimur, non sumus nos loquentes, sed spiritus patris nostri, qui loquitur in nobis: volentes operamur salutem nostram, & tamen ipsum velle, atque operari, Deus est, qui operatur in nobis.

Sanctus FVLGENTIVS libro de incarnatione & gratia Christi, cap. 13. *Peccans*, inquit, *ille qui sine peccandi necessitate creatus est, in eo quod animæ sanitatem delinquendo perdidit, etiam illa cogitandi, quæ ad Deum pertinẽt, amisit facultatem. Oblitus est enim manducare panem suum, & expoliatus vestimento fidei, carnalium q, concupiscentiarum vulneribus sauciatus, sic iacuit oppressus ditione peccati, vt nullatenus aliquod bonæ voluntatis initium habere potuisset, nisi hoc Deo gratis donante sumpsisset.* B

S. GREGORIVS hom. 9. in Ezech. *Nos*, inquit, *præuenit, vt velimus, & volentes subsequitur, ne inaniter velimus.*

S. BERNARDVS in lib. de gratia & libero arbitrio: *Conatus nostri*, inquit, *& cassi sunt, si non adiuuentur, & nulli, si non excitentur.*

His accedat argumentum ab orationibus, & gratiarũ actione. Non enim sine caussa orat Ecclesia, vt Deus actiones nostras aspirando præueniat, & adiuuando prosequatur, nec sine caussa pro omni bono opere gratias agit, nisi quia nouit, nihil veri boni, id est, quod ad salutem pertineat, sine Saluatoris gratia fieri posse.

Accedat POSTREMO damnatio operum Cassiani & Fausti, in Concilio Romano, præsidente sancto Gelasio C Papa, quæ habetur in decreto Gratiani distinctione decima sexta, canone, sancta Romana. Non enim alia de caussa opera Cassiani & Fausti, quæ alioqui multa valdè vtilia continent in apocryphis numerantur, nisi propter sententiam istam de bonis operibus ad pietatem pertinentibus, quæ illi sine adiutorio gratiæ fieri, aut inchoari posse disputabant. Quibus adde, Faustum propter hos errores habitum fuisse Pelagianum hæreticum, vt testes sunt Isidorus in libro de scriptoribus, Ado Viennensis in Chronico, & Auctor vitæ S. Fulgentij cap. 26. Quod si vir doctissimus Ruardus Trapperus obseruasset, non tam sæpè Faustum Catholicum appellasset.

CAPVT V.

Non posse hominem solis naturæ viribus ad gratiam recipiendam, vllo modo se præparare.

ALTERA sententia erat, non posse hominẽ solis naturæ viribus ad gratiam recipiendam, vlla se ratione disponere. Quæ sententia ita intelligenda est, vt non solum non possit homo suis viribus se præparare ad habitum gratiæ gratum facientis, sed neque ad gratiam adiutorij specialis: & rursus, non modò non possit ita se præparare, vt ex condigno illi gratia conferatur, sed neque vt ex congruo, ac demum nihil agere possit, cuius caussa Deus illi gratiam dare dicatur.

Id verò PRIMVM probari potest omnibus argumẽtis, quibus superior sententia, confirmata est. Nã omnis dispositio ad gratiam, aliquid est ad salutem æternã pertinens: proinde fieri non potest solis naturæ viribus, si quid valent testimonia Scripturæ, Conciliorum & Patrum, capite superiore prolata. Sed duo præcipuè loca, ex iis, quæ citauimus capite superiore, vrget sanctus Augustinus in lib. 1. ad Bonifacium, cap. 19 & lib. 2. cap. 8. illud Ioan. 6. *Nemo potest ad me venire, nisi Pater traxerit eum.* Nam qui se disponit, non debet trahi, sed duci, iam enim venire paratus est. Et illud Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Posset enim Dominum conuincere, qui posset se disponere. Diceret enim, Ecce fine te cor præ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

parauit. Qui eodem modo Apostolo dicenti, 1. Corinth. 4. *Quid habes, quod non accepisti?* responderet, habeo cordis mei præparationem.

DEINDE probant hanc sententiam illæ omnes Scripturæ, quæ docent, cõuersionem ad Deum esse opus Dei, vt Psal. 84. *Conuerte nos Deus salutaris noster.* Et Thren. 5. *Conuerte nos Domine, & conuertemur.* Nam conuersio est dispositio, & dispositio est conuersio. Quemadmodum enim, qui est auersus à Sole, non incipit disponi ad recipiendam lucem, nisi cùm incipit conuerti ad aspiciendũ Solem: sic etiam qui est auersus à Deo, nõ incipit disponi ad gratiam Dei, nisi cùm ad eum incipit reuerti. Eodem pertinet illud Psal. 76. *Dixi nunc coepi, haec mutatio dextera excelsi.* Nam (vt notat sanctus Augustinus in libro 2. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 10. significat hoc testimonium ipsam conuersitionis inchoationem, dono Dei esse tribuendam. Illud item Ezechielis 36. *Non propter vos faciam, domus Israel, sed propter nomen meum sanctum, quod polluistis in gentibus.* Quid aliud indicat, nisi nihil Deum in hominibus inuenire, cur eos ad se conuertat, détque eis *cor nouum, & spiritum nouum*, vt in eodẽ Propheta continuò adiungitur. Quem locum diligenter notauit sanctus Augustinus in libro de gratia & libero arbitrio, capite decimo quarto.

Adducũt quoque passim idem Augustinus, & Concilium Arausicanum, item Prosper, Fulgẽtius, & alij, illud Prouerb. 8. *Præparatur voluntas à Domino.* Sic enim reddiderunt Septuaginta id, quod nos legimus, *hauriet salutem à Domino.* Et verba Hebræa vtrumque sensum recipiunt, quamuis enim vox illa רצון *raiſon* non significet propriè salutem, sed voluntatem, tamen significat aliquando bonam Dei voluntatem erga homines, & tunc idem est, quod salus. Illud etiã verbum יסד *iaphẽch* significat quidem in coniugatione Hiphil educere, haurire, &c. Sed potest etiam in coniugatione Hophal significare educi, excitari, &c. vt sensus sit, & excitabitur, ac producetur voluntas à Domino. Denique dubitari non potest, quin Septuaginta viri longè doctissimi verba Hebraica probè intellexerint, & expresserint.

Frequentissimè autem profert idem Augustinus illud Apostoli Rom. 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Quod apertissimè significat Dei gratiam à nullo humano opere præueniri. Præueniretur autem si homo suis solis viribus posset ad gratiam se disponere. Daret enim prior Deo pium illum affectum disponendi se ad gratiã.

Huc DENIQVE pertinent variæ Scripturarũ similitudines. Comparatur enim homo peccator terræ omni humore destitutæ, quæ ne minutissimam quidem herbã germinare potest, nisi de super irrigetur. Sic enim ait Dauid in Psalm. 142. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Et paulò ante dixerat: *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Comparat item luto, quod à figulo tractatur Isaiæ 47. Hieremiæ 18. & Rom. 9. At certè lutum nõ se ipsum disponit ad formam vasis recipiendam, sed à figulo primum disponitur, deinde formatur. Comparatur præterea homini mortuo, qui ad vitam reuocandus est. Lucæ 18. *Mortuus erat, & reuixit.* Ephes. 2. & Colossens. 2. *Cum essetis mortui in peccatis, & delictis.* At mortuus nõ se disponit ad vitam, nec potest, nisi vim aliquam vitalem ab excitatore suo recipiat. Comparatur quoque iustificatio generationi, 1. Petri 1. *Renati non vt semine corruptibili, &c.* Et Iacobi primo: *Genuit nos verbo veritatis.* At materia non se ipsa disponit, sed à generante disponitur. Comparatur denique ipsa Dei gratia igni, Cantic. 8. *Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum.* Et Dominus Lucæ capite 12. *Ignem* inquit, *veni mittere in terram.* Nihil autem incipit disponi ad concipiendum ignem, nisi per calorem, qui est eiusdem ignis effectus. Scripturæ igitur & verbis, & similitudinibus vndique clamant, non posse peccatorem ad recipiendam gratiam vlla se ratione disponere.

PROBATVR SECVNDO, eadẽ veritas ex definitione Ecclasiastica; definiuit enim Synodus PALESTINA contra Pelagium, gratiam non secundum merita nostra dari, sed ab illa potius originem ducere, omnia bona merita. Cuius definitionis meminit sanctus Augustinus in epistola centesima sexta, & eam repetit in omnibus ferè libris, quos aduersus Pelagianos scriptos reliquit; gratiam autem secundum merita nostra dari intelligunt Patres, cùm aliquid fit propriis viribus, ratione cuius datur gratia, etiamsi non sit illud meritum de condigno.

S. AVGVSTINVS lib. 2. ad Bonifacium, cap. 8. *Si sine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsum coeptum erit meritum, cui tanquam ex debito veniat adiutorium, ac sic gratia Dei non gratis donabitur, sed merito nostro debitur.* Et lib. 1. cap. 19. ad eundem Bonifacium: *Dixisti*, inquit, *à Dei gratia in bono opere semper adiuuari, tanquam sua voluntate, nulla Dei gratia bonum opus aggressa, in ipso iam opere diuinitus adiuuetur, pro meritis videlicet voluntatis bonæ, vt reddatur debita gratia, non donetur indebita, ac sic gratia iã nõ sit gratia, sed sit illud, quod Pelagius in Concilio Palestino ficto corde damnauit, gratiam Dei secundum merita nostra dari.* Et libro de prædestinatione sanctorum, cap. 2. cum proposuisset sententiam illorum, qui dicebant, initium fidei, id est, ipsum velle credere, posse haberi ex viribus naturæ, ait: *Non ergo recedimur ab ea sententia, quam Pelagius ipse in episcopali iudicio palestino damnare compulsus est, gratiam Dei secundum merita nostra dari.*

S. PROSPER in libro contra Collatorẽ, cap. 6. *Quomodo*, inquit, *non aduertis, te in illud damnatum incidere, quod velis nolis conuinceris, dicere, gratiam Dei secundum merita nostra dari, cum aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur, affirmas?*

Denique S. FVLGENTIVS in libro de Incarnatione & gratia Christi, c. 18. *Si verò*, inquit, *secundùm opinionem illorum nostrum est velle credere, priusquàm Dei gratia incipiat nos adiuuare, minùs gratiã dicitur, quia non gratis datur hominibus, sed bona retribuitur voluntati.* Hæc illi.

Habemus igitur gratiam Dei secundum merita nostra dari, & gratiam non esse gratiam, si aliquid eam præcedat, propter quod ipsa detur. At certè qui se disponit ad gratiam, aliquid facit, propter quod ei detur gratia: igitur qui dicit, dispositionem ad gratiam fieri sine gratia, idem dicere conuincitur, gratiã Dei secundum merita nostra dari, quod iam in Pelagio à Concilio Palestino & vniuersa Ecclesia constat, esse damnatum.

Præter Concilium illud Palestinum, habemus etiam Concilii ARAVSICANVM, in quo multis canonibus hoc idem apertissimè condemnatur. Nam canone 3. dicitur, neminem sine gratia posse innocare gratiã. Et canone 4. Per gratiam fieri non solum, vt purgemur, sed etiam vt purgari velimus. Et canone 14. Nullum misertum de quantacunque miseria liberari, nisi gratia præuẽtum. At certè aliqua miseria est, non se posse ad gratiam præparare. Et denique canone vltimo: *Hoc*, inquit, *fideliter profitemur, quod in omni bono opere nos non incipimus, & postea per Dei misericordiam adiuuamur, sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem sui prius inspirat, vt baptismi Sacramenta fideliter requiramus, & post baptismum cum ipsius adiutorio, ea quæ sibi sunt placita implere possimus.*

Accedat POSTREMO rario sancti Thomæ in 1. 2. quæst. 109. artic. 6. nam eius est disponere ad formam, cuius est introducere formam: dispositio enim effectus est agentis, non materiæ, aut alterius causſæ: gratiam autem iustificationis Deus producit, & in animam introducit: igitur Deus animam disponit, ac præparat, non ipsa se disponere, ac præparare potest, nisi prout mouetur ab ipso Deo per aliud gratiæ donum.

DICES,

DICES, quamuis non possit homo se suis viribus disponere ad gratiam iustificationis, posse tamen ad illud gratiæ donum, per quod disponitur ad gratiam iustificationis. AT illud donum, per quod disponimur, non eget alia dispositione, alioqui si semper ad dispositionem requireretur dispositio, nunquam ad formam deueniri posset: & re ipsa videmus, donum gratiæ, quo disponuntur homines ad iustificationem, dari nonnunquam iis, qui maximè sunt indispositi, vt notum est de vocatione Pauli, Matthæi, Magdalenæ, & similium. Quod si etiam ad hoc donum requireretur dispositio, non posset ex solis naturæ viribus comparari, quoniam (vt iam diximus gratia non esset gratia, si daretur propter opus factum solis naturæ viribus.

Huc etiam pertinet ratio ducta ab orationibus piorum, & absurdis, quæ posita sunt in capite secundo, ad probandum initium fidei non haberi sine dono gratiæ. Eædem enim rationes non minus efficaciter probant id, quod nunc probare contendimus.

CAPVT VI.

Soluuntur argumenta contra doctrinam duorum præcedentium capitum.

SED non desunt argumenta quædam aduersus ea, quæ dicta sunt in hoc, & præcedente capite.

PRIMVM obiici potest illud Zachariæ cap. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Et illud Prouerb. 16. *Hominis est præparare animam, & Domini gubernare linguam.* RESPONDET sanctus Augustinus libro 2. ad Bonifacium. cap. 8. & libro de gratia & libero arbitrio, cap. 5. commendari in his sententiis liberum arbitrium, sed non excludi gratiam præuenientẽ: quemadmodum in illis. *Conuerte nos Deus salutaris noster.* Et: *Præparatur voluntas à Domino.* Commendatur gratia præueniens, sed non excluditur liberi arbitrij cooperatio. Si enim solus Deus ista faceret, frustra diceretur hominibus, conuertimini, & si homines soli ad hoc sufficerent, frustra dicererur Deo, conuerte nos: & si Deus sine nobis nos præpararet, falsum esset, hominem præparare animam, & si absque Deo nos corda nostra præpararemus, falsum esset præparari voluntatem à Domino.

SECVNDO obiici possunt duo testimonia Patrum. Nam S. IOANNES CHRYSOSTOMVS, homil. 42. in Genesim docet, Abrahamum accepisse à Deo magna dona gratiæ, sed antea se ad illa per opera bona dispositisse. Item homil. 17. in Ioan. scribit, Deum non præuenire nostras voluntates, sed vbi præparati fuerimus, tunc demum illum adesse, ac iuuare per gratiam. Et similia habet in homil. 12. in epistola ad Hebræos & homil. 42. ad populum Antiochenum, & lib. 1. de compunctione cordis, extremo. S. HIERONYMVS in lib. 3. aduersus Pelagianos, bis repetit, nostrum esse velle, Dei autem, vt impleamus, quod volumus.

RESPONDEO, sanctus IOANNES CHRYSOSTOMVS non ita quidem apertè gratiam præuenientem prædicat, quoniam eo tempore nondum exorti fuerant, qui eam negarent: sed tamen neque eam negat, si verba eius sano modo accipiantur. Itaque nonnunquam Deo tribuit ea, quæ solus ipse facit, nobis autem tribuit ea, quæ nos cum Deo facimus. Et hoc modo loquitur de Abrahamo, cui Deus solus præstitit magna illa dona, vt esset pater multarum gentium, & vt in semine eius benedicerentur omnes gentes: sed non hæc præstitit Deus, nisi posteaquam Abraham se in virtutum stadio diu exercuit, quod quidem opus ipsius Abrahæ fuit, & illi iure, meritoque tribuitur, licet non sine Dei ope, bona illa opera fecerit. Similiter explicanda sunt, quæ habentur homilia decimaseptima in Ioannem, & in priore de compunctione cordis.

Nonnunquam vero dicit, non præueniri nos à Deo per modum determinantis ad vnum, & necessitatem adferentis, ita vt tollatur libertas arbitrij. Id quod sæpe ac libenter Chrysostomus repetit, tũ propter Manichæos, qui negabant liberum arbitrium, tum etiam ad negligentiam, & desidiam hominum discutiendam, ne ita se putarent à Deo præueniendos esse, vt nihil sibi relinqueretur agendum.

Sanctus autem HIERONYMVS dicit, nostrum esse velle, Dei verò implere quod volumus, non quod nostrũ sit velle sine gratia Dei, sed quod nos possimus multa velle cum adiutorio gratiæ, quæ tamen cum eodem adiutorio non valemus implere, sed Dei solius sit efficere, vt aliquando illa quæ volumus impleamus. Exempli gratia, volumus sine omni peccato viuere, & nullum omnino rebellem motum partis inferioris sentire, sed non possumus hæc implere etiam si adiutorium illud nõ deest, per quod velle ista possumus, sed cum Apostolo dicere cogimur. *Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio.* Rom. 7. Tamen dabit aliquando Deus, vt hoc quod volumus impleamus, quando sanauerit omnes languores nostros, & ea, quam expectamus, aduenerit redemptio corporis nostri.

Non voluisse autem S. Hieronymum significare, nostrum esse velle, sine gratia Dei, perspicuum est ex epistola ad Ctesiphontem, vbi sic loquitur idem Hieronymus: *Velle, & currere meum est, sed ipsum meum sine Dei auxilio non erit meum. Dicit enim idem Apostolus, Deus est, qui operatur in vobis velle, & perficere.*

TERTIO obiici potest illud commune scholarum, facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam. Hinc enim sequitur, vt si quis faciat quod potest solis naturæ viribus, is hoc ipso disponatur ad gratiam, aut certè ad auxilium speciale, per quod deinde præparetur ad gratiam.

RESPONDEO, dictum illud commune scholarum, rectè exponitur à S. Thoma in 1. 2. quæst. 109. art. 6. ad secundum, & quæst. 112. art. 3. ad 1. & à S. Bonauentura in 2. sententiarum dist. 28. art. 2. quæst. 1. qui docent, tũc facienti quod in se est non denegari gratiam, cùm homo facit quod in se est, cooperando gratiæ Dei, à qua mouetur. Nam ei qui facit, quod in se est ex solis naturę viribus, non debetur gratia, sed pœna, quoniam pro vno aut altero bono opere morali, quod fortasse faciet, plurima peccata lęthalia sine dubitatione committet.

Sanè qui docent, hominem faciendo, quod in se est, solis naturę viribus ad gratiam pręparari, aut opinantur, eum suis viribus posse desiderare, & petere à Deo gratiã & hęc est hęresis Pelagiana, vt ex Concilio Arausicano, aliisque testimoniis suprà citatis probatum est, aut certè existimant, posse hominẽ seruare propriis viribus omnia pręcepta moralia, & innocentem vitam agere secundùm rationem, & hac sanctitate morali prouocari Deum ad auxilium speciale sibi donandum; quo tandem ad fidem, gratiamque perueniant: sed hęc quoque est hæresis Pelagianæ in libro superiore satis superque refutata. Vt omittam, nullum eiusmodi hominem ex historiis posse monstrari. Catones enim, Socrates, aliique horum similes, qui inter Ethnicos sanctissimi iudicati sunt, multis vitiis coopertos fuisse, facilè demonstrari posset.

QVARTO, posset obiici exemplum Cornelij Centurionis, qui quoniam eleemosynas faciebat, impetrare meruit à Deo, vt ad se instituendum in fide Christiana Petrus Apostolus mitteretur.

RESPONDEO, Cornelius antequam fidem Christianam audiret, non erat omnino infidelis, sed vnum Deum nouerat, eumque religiosè colebat, vt in Act. 10. cap. S. Lucas scribit, Proinde ex fide orabat, & auxilio

Universidad de Deusto
Biblioteca

gratiæ fidem illam cõceperat, & ex eodem auxilio eleemosynas faciebat. Sed etiamsi infidelis fuisset, tamen illa bona opera non sine dono Dei fecisset, vt S. Augustinus docet, in libro de prædestinatione Sanctorum capite 7.

QVINTA obiectio, opera bona moralia, quæ possunt fieri solis naturæ viribus, non sunt peccata, ergo qui facit bonum opus morale non ponit nouum impedimentum gratiæ, quod poneret, si bonum illud opus non faceret, ergo vicinior est saluti, quàm si non fecisset bonum illud opus, ergo magis dispositus.

RESPONDEO, bona opera moralia, quæ fiunt à peccatore, non faciunt hominem magis indispositum ad gratiam, cùm nouum impedimentum non addant, tamen non disponunt, cùm nullum habeant ordinem, aut relationem ad gratiam. Quocirca Deus interdum majores peccatores, interdum minores, auxilio speciali magis, & citius adiuuat.

SEXTA obiectio, potest homo suis solis viribus timere pœnas gehennæ: naturale enim est timere malum, poterit igitur metu pœnæ futuræ dolere de peccato, qui dolor à Theologis attritio dici solet: atqui eiusmodi dolor est dispositio ad gratiam, & accedente Sacramento iustificat: igitur potest homo suis solis viribus ad gratiam se præparare. Et confirmatur, quoniam sine dubio potest homo sine vlla speciali gratia Dei dolere de offensa amici, cur igitur non possit etiam dolere de offensa Dei, præsertim si Christianus sit, & nouerit summa Dei erga homines beneficia?

RESPONDEO, timor gehennæ si ordinatur ad peccatum detestandum, & relinquendum, sine dubio donũ est Dei, neque solis viribus naturæ haberi potest. Ipse enim est initium sapientiæ, & inter dona Spiritus sancti numeratur ab Isaia capite 11. Multò etiam magis dolor. ac detestatio peccati cum desiderio purgationis, donum Dei est, cùm ad salutem pertineat. Et quamuis possit quis sine auxilio gratiæ detestari offensam amici, non tamen Dei, cuius ipse peccator non est amicus, sed inimicus. Denique nouit quidem homo Christianus ex fide summa Dei in homines beneficia, non tamen mouetur ad ea consideranda, & inde concipiendum odium in peccata, & amorem in Deum, nisi gratia illum diuina præueniat. Tenetur enim somno, vel potius morte peccati, à qua non eum excitat, nisi gratia Dei per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum.

CAPVT VII.

Non posse sine auxilio gratiæ diligi Deum.

TERTIA restat sententia de dilectione Dei, quæ priusquam probetur, paucis explicanda est. Siquidem multiplex esse potest dilectionis acceptio, ac per hoc etiam multiplex quæstio.

PRIMVM, accipi posset dilectio Dei vel pro actione voluntatis, vel pro quadam propensione ad Deum, vt finem vltimum & summum bonum, & de hac posteriore non quærimus hoc loco, sed tantum de priore. Nam pro comperto haberi existimamus, naturam voluntatis propensam esse ad bonum, ac per hoc ad Deum, ad quem facti sumus, fecit enim nos Deus ad se, & ideo inquietum est cor nostrum, donec requiescamus in ipso, vt S. Augustinus loquitur libro 1. Confessionum, cap. 1.

SECVNDO, dilectio, quæ est actus voluntatis accipi potest. vel pro dilectione Dei, vt is est auctor naturæ, vel pro dilectione eiusdem, vt est donator felicitatis æternæ. Et hoc modo posteriore concedunt omnes Theologi, non posse diligi Deum sine gratia Dei, & fide præcedente, neque nos de hac re dubitamus.

TERTIO, dilectio Dei, siue vt auctor bonorum naturalium, siue etiam supernaturalium, alia est perfecta, alia imperfecta, idque tribus modis, ALIA enim est perfecta, quoniam est dilectio Dei super omnia, quæ videlicet Deum rebus omnibus anteponit, ALIA imperfecta, quoniam afficitur quidem erga Deum, sed nondum illum rebus cæteris præfert.

Rursus ALIA est perfecta, quia non solum Deum rebus omnibus præfert, sed maiore ardore ac vehementia in illum afficitur, quàm in vllam rem creatam, quæ dici solet dilectio super omnia, tam appreciatiuè, quàm intensiuè: ALIA est imperfecta, quoniam æstimat quidem super omnia Deum, & mallet cætera omnia potius, quam illum perdere, tamen non ita vehementer, quod attinet ad intensionem, afficitur in Deum, ac in res creatas.

ALIA denique est perfecta, quoniam non modò Deum super omnia diligit, vnico aliquo actu volũtatis, dum eum cogitat summum esse, atque infinitũ bonum, sed etiam perseuerat in dilectione vsque ad impletionem omnium mandatorum, quæ dicitur dilectio super omnia quo ad affectum, & effectum. ALIA est imperfecta quoniam afficitur quidem in Deum super omnia, dũ eum cogitat summum esse bonum, & nulla occurrit tentationis occasio, tamen occurrente obiecto aliquo alliciente, facilè deficit, & extinguitur.

Nos igitur sententiam illam tertiam in ipso titulo capitis annotatam, ita intelligimus, vt existimemus, non posse Deum sine ope ipsius diligi, neque vt auctorem naturæ, neque vt largitorem gratiæ & gloriæ, neque perfectè neque imperfectè vllo modo: atque hanc non dubitamus sententiam esse sancti Augustini, immo etiam Scripturarum & Conciliorum, quidquid aliqui minus considerate in hac parte scripserint.

PRIMVM igitur, Scriptura diuina passim testatur, dilectionem esse donum Dei, Roman. 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* 1. Ioan. 4. *Caritas ex Deo est.* Ephes. 6. *Pax fratribus, & caritas cum fide à Deo patre.* Galat. 5. *Fructus spiritus est caritas, gaudium, &c.*

DICENT, fortasse hæc intelligi solùm de amore Dei, vt est auctor bonorum supernaturaliũ. AT Scriptura nusquam ita restringit dilectionis donum, sed absolutè pronunciat, caritatem Dei ex Deo esse, & per spiritum nobis dari: auctor autem bonorum omnium naturalium verè, ac propriè Deus est, cur igitur eius dilectio non sit ex Deo, & Spiritus sancti donum?

Præterea qui diligit Deum, vt auctorem naturæ, & proximum propter Deum, certè implet totam legem naturalem. Nam plenitudo legis est dilectio: qui verò totam legem naturalem implet, in eo sine dubio caritas illa est, quam Scripturæ nobis commendant. Nam beatus Paulus cùm scribit ad Romanos capite decimo tertio: *Qui diligit, legem impleuit*, de lege naturæ loquitur, vt perspicuum est ex verbis illis: *Non adulterabis, Non occides, &c.* Et illæ conditiones veræ caritatis, quæ describuntur 1. Corinth. 13. *Caritas patiens est, benigna, &c.* Sine dubio dilectioni illi conueniunt, qua diligitur super omnia Deus, vt auctor naturæ.

Denique, qui diligit Deum, vt auctorem naturæ, certè proximum diligere potest, & re ipsa diligit, sicut se ipsum. At inquit Dominus, Ioannis cap. 14. *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me.* Et infrà: *Qui diligit me, sermonem meum seruabit, & qui non diligit me, sermones meos non seruat.* Quæ sint autem sua præcepta explicat in capite decimo quinto: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Et infrà: *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Itaque vera caritas Dei, est in eo, qui diligit proximum. Immo etiam perfecta caritas. Nam vt scribit Ioãnes in prima epistola cap. 2. *Qui seruat verbum eius, in hoc verè caritas Dei perfecta est.* Et cap. 4. *Si diligamus inuicem, caritas*

caritas Dei in nobis perfecta est. Habemus igitur Scripturas, quæ docent caritatem esse donum Dei, intelligi debere de illa etiam dilectione, quæ fertur in Deum, vt auctorem naturæ.

DICENT rursus, eas Scripturas non loqui de quacunque dilectione Dei, sed de illa tantùm, quæ nascitur ex habitu infuso, eamque solam propriè esse donũ Dei, & naturæ viribus haberi non posse. AT Pelagius non docebat dilectionem, quæ nascitur ex habitu infuso, viribus naturæ haberi posse, & tamen Augustinus, aliique Patres, Scripturas à nobis allegatas adducebant contra Pelagianos, qui contendebant, Deum diligi posse sine auxilio gratiæ.

Præterea Scriptura diuina non solùm prædicat, dilectionem esse donum Dei, sed etiam præcipit, vt diligamus Deum: at certè nõ præcipit, vt diligamus ex habitu infuso, quem habere, non est in nostra potestate, sed vt diligamus Deum ex toto corde, quemadmodum etiam cùm præcipit Deus, vt iustè, sobriequè viuamus, non imperat, vt ista faciamus ex habitu, sed tantùm vt faciamus. Leges enim de actibus dantur, non de habitibus. Igitur dilectio, quæ secundum Scripturas est donum Dei, non est solum habitus infusus, aut actio ex habitu illo scaturiens, sed quæcunque actio, qua diligimus Deum.

Dicent fortasse postremò, Scripturas à nobis productas, non posse intelligi de dilectione imperfecta, qua non diligitur Deus super omnia, & toto corde, sed solùm de perfecta. AT id quidem verum est, quoniam dilectio imperfecta, qua Deus non antefertur omnibus rebus, non meretur nomen caritatis, neque implet legem, neque conueniunt illi encomia, quæ passim tribuũtur in diuinis literis caritati: tamen ex iisdem locis conuincitur imperfecta illa dilectio, donum esse Dei, & ex solis naturæ viribus haberi non posse. Nam cuius rei perfectio est à Deo, ab illo etiam est inchoatio. Et sicut initium fidei suprà probatum est, esse à Deo, quia fides est à Deo, ita quoque initium caritatis tribuendum est Deo, quia caritas ipsa est à Deo. *Nec initium eius* (inquit AVGVSTINVS libro secundo ad Bonifacium, capite nono) *ex nobis, & perfectio eius ex Deo, sed si caritas ex Deo est, tota nobis ex Deo est. Auertat enim Deus hanc amentiam vt in eius donis nos priores faciamus, posteriorem ipsum quoniã misericordia eius præueniet me.*

Accedant SECVNDO loco testimonia Conciliorũ: Concilium MILEVITANVM, canone 4. *Vtrumque donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere vt faciamus.* Conciliũ ARAVSICANVM canone vltimo: *Prorsus Donum Dei est diligere Deum.* Et vt intelligamus, non solùm perfectam caritatem esse Dei donum, sed etiam imperfectam, & inchoatam, subiungit, fidem, & amorẽ Dei nobis primùm inspirari, vt baptismum fideliter requiramus, & deinde quæ Deo sunt placita implere possimus. Vbi vides amorem Dei quendam imperfectum non esse ex natura, sed à Deo inspirari, & per eum perduci hominem ad iustificationis gratiam, & perfectam caritatem, per quam omnia mandata seruantur, quod idem expressit clarius TRIDENTINVM Concilium. Nam sessione sexta, capite sexto dicit, hominẽm à Deo motum, & excitatum, atque eodem Domino adiuuante incipere diligere Deum; Deinde capite septimo addit, in ipsa iustificatione recipi caritatem infusam. Concilia igitur nõ solam caritatem perfectam, sed etiam inchoatam Dei donum esse definiunt.

Accedant TERTIO S. AVGVSTINI testimonia, in epist. 107. ad Vitalem: *Liberum*, inquit, *arbitrium ad diligendum Deum primi peccati grauitate perdidimus.* Vbi simpliciter actionem diligendi quamcunque, negat Augustinus solis liberi arbitrij viribus haberi posse. Idem in lib. 4. in Iulianum, cap. 3. *Amor*, inquit, *Dei, quo peruenitur ad Deum, non est nisi à Deo. Per hunc amorem Creatoris benè quisque vtitur creaturis, sine hoc amore Creatoris, nemo benè vtitur creaturis.* Hic vides amorẽ Creatoris, id est, auctorisnaturæ non esse, nisi à Deo. Idem in lib. de gratia & libero arbitrio, cap. 17. *Et quis istam, quamuis paruam dare cœperat caritatem, nisi qui præparat voluntatem?* Et cap. 18. *Cur*, inquit, *dictum est, diligamus inuicẽ, quia dilectio ex Deo, nisi quia præcepto admonitum est liberum arbitrium, vt quareret Dei donum? quod quidem sine suo fructu prorsus admoneretur, nisi prius acciperet aliquid dilectionis, vt addi sibi quareret, vnde quod inhebatur impleret.* En hic apertissimè dicitur Dei donum, imperfecta quædam dilectio, qua quis à Deo petit donum perfectæ caritatis, quo mandata valeat adimplere. Itaque meritò in eodem loco idẽ Augustinus ait: *Si non ex Deo, sed ex hominibus est dilectio Dei, & proximi, vicerũt Pelagiani, si autẽ ex Deo, vicimus Pelagianos.*

Vide etiam Prosperum in libro contra Collatorem, cap. 30. vbi comparat naturam humanam omni gratia destitutam glaciali rigori, ex quo nihil omnino caloris excuti potest, nisi resolui incipiat ab illo, qui dixit: *Ignem veni mittere in terram.*

Accedant VLTIMO rationes. PRIMA ratio, Amor Dei super omnia, etiamsi Deum solum respiciat, vt auctorem naturæ, non patitur secum vllum affectum inordinatum, immo includit odium rerum omnium delectabilium contra legem Dei, ergo si potest hic amor naturæ viribus obtineri, poterit homo naturæ viribus implere omnia mandata, viuere sine omni peccato, immo & à præteritis sine gratia Dei iustificari. Nam implicat contradictionem, vt quis in peccato mortali sit, & non sit auersus à Deo, & conuersus ad creaturas. Proinde vel per amorem illum Dei super omnia iustificabitur à peccatis, vel certè simul erit auersus à Deo, & conuersus ad Deum, auersus à creatura, & conuersus ad creaturã. At posse hominem solis naturæ viribus implere omnia mandata, viuere sine peccato, & à præteritis delictis iustificari, manifesti sunt Pelagiani errores.

SECVNDA ratio, Dilectio Dei super omnia est vltima, & maxima dispositio ad gratiam remissionis peccatorum, ita vt non præcedat eam remissionem vllo spacio temporis, nam Deus diligentes se diligit. *Et qui diligit me* (inquit Dominus Ioan. ca. 14. *diligetur à Patre meo.* Et peccatrici remissa sunt peccata multa: *Quoniam dilexit multum*, Lucæ cap. 7. Quare si posset homo suis viribus semper diligere Deũ super omnia, posset sine vlla Dei gratia præueniente pertingere ad remissionẽ peccatorũ. Quæ est ipsissima hæresis Pelagij ex Augustino in libro 1. ad Bonifacium. cap. vlt. Sed probemus etiam duabus aliis rationibus, non solùm dilectionẽ Dei super omnia viribus naturæ haberi non posse, sed neque dilectionem non super omnia, id est, inchoatam, & imperfectam.

TERTIA ratio, Nullum opus pietatis fieri potest solis naturæ viribus, neque contrariũ affirmari sine hæresis periculo, demonstratum est in quarto capite. At dilectio Dei, quamuis vt auctoris naturæ, & imperfecta, atque inchoata opus est pietatis, vt S. AVGVSTINVS docet in epistola 29. ad Hieronymum, qui sic ait: *Pietas est cultus Dei, qui præcipuè diligendo exhibetur.* Igitur omnis dilectio Dei eget auxilio gratiæ, vt haberi possit à nobis. Neque responderi potest, dilectionem illam solam esse pietatem, quæ fertur in Deum, vt auctorem beatitudinis. Nam etiam in puris naturalibus teneretur homo Deum colere, quamuis tunc nulla esset felicitatis æternæ promissio. Neque dubium est, quin pietatis cultus debeatur Deo, quia Deus est, id est, summum bonũ, principium primum, & finis vltimus omnium rerũ, quod certè illi conueniret, etiamsi supernaturalem beatitudinem largiri nemini voluisset.

QVARTA ratio, Omnis dispositio ad iustificationem

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex dono Dei, & gratia illius præueniente oritur, vt satis probatum est in quinto capite: at quæuis dilectio, quantumuis parua, & inchoata est dispositio ad iustificationem, cùm sit conuersio, vel certè conuersionis initium: igitur sine dono Dei, & gratia illius præueniente haberi non potest. Neque verò necesse est, vt dilectio Dei feratur in Deum vt auctorem beatitudinis, vt dici possit conuersio. Nam quemadmodum auersio à Deo, vt auctore naturæ, vera est auersio, ita conuersio ad eundem, vt auctorem naturæ, est vera conuersio.

CAPVT VIII.

Soluuntur argumenta contraria.

AT contra obiiciunt quidam has rationes. PRIMA ratio, Dilectio Dei super omnia est homini naturalis, nam inclinatur voluntas naturaliter ad bonum, & magis inclinatur ad maius bonum, & maximè ad maximum, proinde inclinatur super omnia ad summum bonum, quod est Deus: cur ergo non possit homo suis viribus diligere Deum super omnia, saltem vt auctorem naturæ, cùm id sit maximè secundum eius naturam?

RESPONDEO, Dilectio Dei super omnia naturalis est, quod attinet ad inclinationem naturæ, quæ manet in homine per modum actus primi, neque est aliud, quàm ipsa propensio ad bonum: tamen nõ potest in actum secundum prodire propter naturæ corruptionem, sine auxilio gratiæ Dei. Neque necesse est, vt vbicunque est inclinatio naturalis, sint etiam vires sufficientes per se ad actum illum perficiendum, ad quem natura propendet. Nam humana anima, à corpore separata, naturaliter propendet ad corpus, nec tamen suis viribus potest iterum cum corpore copulari: & iuxta multorum sententiam, naturaliter inclinatur mens hominis ad Deum videndum, nec tamen potest suis viribus, Deum videre.

SECVNDA ratio, Amor Dei, siue amicitiæ, siue concupiscentiæ, oritur ex amore sui. Nam (vt Philosophus docet) amicabilia, quæ sunt ad alterum, oriuntur ex amicabilibus, quæ sunt ad se. Itaque diligit homo Deum, amore concupiscentiæ, quia intelligit in eius visione summum suum bonum positum esse: Diligit eundem amore amicitiæ, quia nouit illum esse quasi alterum se, vel potius aliquid amplius, cùm ipse sit quasi pars, & Deus, quasi totum: At amor sui habetur sine auxilio gratiæ, igitur, & amor Dei, qui (vt diximus) initium ducit ex amore sui.

RESPONDEO, Amor Dei, vt auctoris naturæ, oritur ex amore sui, non quocunque sed ordinato, id est, quo quis amat se vt partem, vt creaturam, vt figmẽtum Dei. Amor enim sui inordinatus, qui in sacris literis cupiditas dicitur, non parit amorem, sed contemptum Dei, vt sanctus Augustinus docet in libro decimo quarto, de ciuitate Dei, capite vltimo, facit enim amor sui inordinatus, seipse quasi totum, & principium, ac finem, omnium rerum: Porrò amor sui ordinatus non ex natura corrupta existit, sed inspiratur à Deo corrigente, atque sanante naturam. Itaque sanctus Ioannes in prima epistola, capite quarto: *Diligamus*, inquit, *inuicem, quia caritas ex Deo est.* Vbi dilectionem proximi, ac per hoc etiam dilectionem sui ordinatam, ex qua nascitur dilectio proximi, dicit esse à Deo.

TERTIA obiectio, Naturalis ratio dictat, Deum esse super omnia diligendum: Potest autem voluntas elicere actum conformem iudicio rationis, nam alioqui necessariò eligeret malum vel actum suspenderet, ac per hoc vel esset necessariò mala, vel certè non libera.

RESPONDEO, Deum esse super omnia diligẽdum, ratio dictat vniuersali quodam iudicio, à quo sæpè vo-
luntas recedit, iuxta illud: *Video meliora, proboque deteriora sequor.* At iudicium particulare, quod hîc, & nunc dictat, Deum à me super omnia diligendum, non potest haberi sine auxilio gratiæ, quoniam pendet ex inclinatione voluntatis, & ad salutem, & pietatẽ pertinet. Quod autem non possit homo, sine gratiæ adiutorio, velle diligere Deum super omnia, licet vniuersale iudicium dictet, ita esse faciendum, non est argumentum, voluntatem esse necessariò malam, aut non liberam, sed infirmam magisque corruptam, quàm sit ratio.

QVARTA obiectio, Potest homo diligere proximũ super omnia, ita vt etiam pro illo se morti obiiciat, quod sæpè faciunt parentes pro filiis, potest item infidelis diligere Deum secundum suam hæresim, aut perfidiam cognitum, ita vt pro illo etiam moriatur, quod interdum in hæreticis, & Iudæis cernimus: potest denique aliquis patriam suam diligere, plus quàm se quod ex historiis nouimus, multos fecisse Romanorum, qui se pro patria morti certissimæ obtulerunt: cur igitur non possit homo eadem ratione diligere Deum verum super omnia, sine auxilio gratiæ?

RESONDEO, Facilius est diligere seipsum, aut aliam creaturam super omnia, quàm Deum: TVM, quia sensibilia melius cognoscuntur, vnde Ioannes ait in prima epistola, capite quarto: *Qui non diligit fratrem, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* TVM etiam, quia natura corrupta semper inclinat ad se, & sua. Porrò, qui pro suis hæresibus, aut pro patria moriuntur, se ipsos quærunt, id est, gloriam propriam, quarum præcipuè Romani inter Ethnicos, & hæretici inter infideles auidissimi semper fuerunt. Vide AVGVSTINVM in lib. de patientia, cap. 16. & 17. vbi simile argumentum soluit, & inter alia sic loquitur: *Qui hæc dicunt, non intelligunt quẽque miquorum, tanto esse ad quæcunque mala toleranda duriorem, quanto in eo maior est cupiditas mundi, & quemque iustorum, tanto esse ad quæcunque mala perferenda fortiorem, quanto in eo est maior caritas Dei. Sed cupiditas mundi initium habet ex arbitrio voluntatis, progressum ex iocunditate voluptatis, firmamentũ ex vinculo consuetudinis: Caritas autẽ Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritũ sanctũ, qui datus est nobis.*

Adde, quod si quis verè pro patria moreretur, non gloriam suam, sed patriæ salutem potissimum quærens, is, quamuis infidelis, non sine auxilio speciali id facere credendus esset. Tametsi enim mori pro patria sit opus morale tamen est arduum, ac difficile, & ideo à natura infirma, & ad se ipsam diligendam prona præstari nequaquam potest.

QVINTA obiectio, Potest homo peccator, sine auxilio gratiæ, velle Deum esse Deum, se autem non esse Deum, sed hominem: igitur potest sine auxilio gratiæ, Deum magis amare, quàm se.

RESPONDEO, Vult homo peccator Deũ esse Deum quia non potest prohibere, quo minus ita sit. Alioqui enim magis vult se hominẽ, & talem hominẽ esse, quàm Deum, Deum esse. Atqui hoc est vitam suam Deo præferre, seque ipsum magis amare, quàm Deum.

CAPVT IX.

Proponitur sententia hæreticorum de libertate arbitrij in iis, quæ pertinent ad salutem.

SEQVITVR quæstio POSTREMA, Sit ne homo post lapsum primi hominis verè liberi arbitrij in iis rebus, quæ pertinent ad salutẽ, vt quamuis nihil possit sine auxilio gratiæ, tamen per gratiam præuenientem excitatus, & à Deo adiutus, ita valeat operari, vt possit etiam non operari.

Hic PRIMVM se offert crassus LVTHERI error, quẽ etiam Lutherani postea erubuerunt. Hæc enim sunt eius verba, ex digressione quadam libri, qui inscribitur, Operationes in Psalmos. *Error est, quod liberum arbitrium,*

bitrium habeat aliquam actiuitatem in bono opere, quando de interno opere loquimur. Velle enim illud, quod credere, sperare, diligere iam diximus, motus, raptus, ductus verbi Dei, & quædam continua purgatio, & renouatio mentis, & sensus, de die in diem, in agnitionem Dei, licet non semper æque intensa sit illa passio, tamẽ semper est passio. Ecce (inquit Hieremiæ, capite 18.) *sicut lutum in manu figuli, ita & domus Israel in manu mea. Quid, obsecro, actiuitatis habet lutum, quando figulus formam ei affingit? nonne mera passio ibi cernitur?*

Hæc certè sententia absurdissima est. Nam velle est actus immanens, & vitalis, sicut intelligere, & videre. Proinde principium actiuum eius actus, debet esse ipsa voluntas. Neque est opus alia refutatione. TVM, quod similem sententiam satis copiosè refutauerimus in libro de natura liberi arbitrij, capite decimo. TVM, quod ipsi etiam Lutherani, Lutheri verba potius in alium sensum detorquere, quàm defendere maluerint. Certè KEMNITIVS in Examine Concilij Tridentini, prope finem censuræ, in sextam sessionem, dicit, dandam esse Lutheri veniam, quòd in primordiis conuersionis suæ, adhuc retineret phrases Scholasticorum, quibus longo tempore assueuerat, quamuis in re nihil errauerit, cùm per quod scripsit, voluntatem solùm passiuè concurrere, eiusmodi actiones, nihil aliud significare voluerit, nisi non liberè concurrere.

Sed miror imprudentiam, siue impudentiam Kemnitij. Nam si Lutherus Scholasticorum phrasim, in ea digressione retinuit, sine dubio per illa verba, *passiuè concurrere*, non intellexit, non libere concurrere, sed non esse causam actiuam, sed solùm receptiuam illius actionis. Nulli enim sunt, qui magis studeant proprietati, & (vt ipsi loquuntur) formalitati verborũ, quã Scholastici.

DEINDE Lutherus duobus exemplis ita suam ipse sententiam explicat, vt nullus dubitationi relinquatur locus. Adfert enim PRIMO similitudinem luti, in quo (vt ipse notat) nulla est actiuitas. DEINDE adducit similitudinem gladij, qui dum manu alicuius agitur, ad motum suum non cõcurrit, nisi passiuè, quamuis ad scindendum ligna, vel quæcunque alia, actiuè cõcurrat. Qua similitudine significare voluit humanam voluntatem nõ concurrere, nisi passiuè, ad motum suum, id est, ad volẽdum, tametsi actiuè concurrat ad opera externa, quæ ex imperio voluntatis fiunt, qualia sunt, ambulare, loqui, manducare, bibere, aliaque id genus.

DENIQVE ipse Kemnitius (vt eius stultitiam admireris) explicat in eodẽ loco, quid sit passiuè concurrere, iuxta phrases Scholasticorũ, ac dicit, esse, cum subiectũ nihil agit in motu, vel forma, quam recipit, sed tantùm patitur. AT si istud est passiuè concurrere, secundùm phrasim Scholasticorum, & Lutherus phrasim Scholasticorum retinuit, cùm scripsit, voluntatem tantùm passiuè concurrere in actionibus bonis: igitur in ea sententia Luthetus fuit, vt existimaret voluntatem nihil agere in actionibus bonis, sed tantùm pati, cur igitur cum Kemnitius excusare conatur?

Hac igitur sententia omissa, CALVINVS, & KEMNITIVS DVO docent, PRIMO, voluntatem nostram nihil omninò boni spiritualis, & salutaris, efficere posse, sine auxilio gratiæ Dei. Atque in hac re rectè sentiunt, sed non rectè contrariã sententiã Catholicis attribuũt. Scribit enim Caluinus lib. 2. Instit. cap. 2. §. 27. & Kemnitius in Exam. 6. sess. Concilij Tridentini, communem Scholasticorum sententiam esse, ante gratiam præcedere in homine quædam bona desideria, quamuis debilia. Sed hæc non Scholasticorum, sed Cassiani, & Fausti sententia fuit, quam sanctus Thomas, & sanctus Bonauentura, Gregorius Ariminẽsis, Ioan. Capreolus, & alij Doctores Scholastici repudiant, ac refellunt. Et tamen Caluinus, & Kemnitius multum laborant in ea re nobis probanda, quam nos ipsi non solùm ex Scripturis, sed etiam ex Pontificum rescriptis, & Conciliorum decretis copiosè probamus.

SECVNDO docent, voluntatem nostram in bonis, pietatis operibus sic agi à Deo, vt non possit non agere, & quamuis ipsa quoque concurrat actiuè, quoniam ipsa est, quæ actionem producit, tamen concurrere vt merũ instrumentum Dei naturale, non vt causam liberam, & dominam sui actus. Ex quo colligunt, non propriè dici, voluntatem nostrã cooperari Deo, vel adiuuari à Deo, quemadmodũ non rectè dicitur calamus cooperari manui, vel iuuare manum ad scribendum, sed solùm agi, ac moueri à manu, quamuis re vera ipse literas pingat.

Sed verba ipsa Caluini audiamus, lib. 2. Instit. c. 3. §. 7. sic ait: *Sed erunt, qui cõcedent voluntatẽ a bono, suopte ingenio auersã, sola Domini virtute cõuerti, sic tamẽ, vt præparata suas deinde in agẽdo partes habeat.* Et infrà: *Sed hoc perperã homini tribuitur, quod gratiæ præuenienti pedissequa volũtate obsequatur.* Et §. 11: *Ac volũtatẽ*, inquit, *mouet, non qualiter multis seculis traditum est, & creditum, vt nostra postea fit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari, sed illam efficaciter efficiendo.* Similia scribit in libris 3. & 6. aduersus Pighiũ, & in Antidoto Concilij, sess. 6. cui subscribit Kemnitius in Examine eiusdem Concilij, eandem sextam sessionem reprehendens.

CAPVT DECIMVM.

Probatur ex diuinis literis liberum arbitrium in actionibus piis, & salutaribus.

ADVERSVS hunc hæreticorum errorem, quo voluntatem nostram in operibus piis, & salutaribus, omni libertate spoliant, adferemus PRIMVM testimonia Scripturarũ, DEINDE etiã veteris Ecclesiæ traditionẽ.

PRIMVM testimonium sumitur ab illis locis, in quibus dicuntur homines in operibus pietatis operarij, ædificatores, plantatores, rigatores, cooperatores, & coadiutores Dei. Nam si homines propriè nihil agerent per liberum arbitrium, sed tantùm ducerentur, & mouerentur, vt mera instrumenta, non deberent appellari cooperatores, & coadiutores Dei, sed ligones, rastra, secures, & alia id genus. Matthæi. 20. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Hic certè operarij dicuntur, qui bona opera, ad salutem conducentia, peregerũt. 1. ad Corinthios 3. *Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit.* Et ibidem: *Vnusquisque mercedem accipiet secundùm suũ laborem. Dei enim sumus coadiutores.* Vbi duo vocabula notanda sunt, pronomẽ (SVVM) & nomen (COADIVTORES.) Nam si rectè labor dicitur noster, certè nos ipsi Domini sumus illius actionis, quam laborãdo efficimus.

Nec valet Caluini obiectio, qui lib. 2. Institut. c. 5. §. 14. vt ostendat promen *suum*, vel *nostrum*, non significare dominium, obiicit illud: *Panẽ nostrum quotidianum da nobis hodie*, vbi noster dicitur panis, quẽ nobis donari cupimus, quia titulo donationis fit noster, non quia nos illum liberè fecerimus. Hæc, inquam, obiectio nihil valet, imo potest in auctorem aptissimè retorqueri. Nã, vt alij qui veteres rectè exponunt, panem, quem nobis dari petimus, nostrũ vocamus, quia nolumus panẽ alienum furari, sed nostro labore illum acquirere, Deo iuuante, vt simul impleamus illud Genes. 3. *In sudore vultus tui, vescẽris pane tuo.* Itaque noster dicitur panis, ratione proprij laboris, & tamen dono petitur, ratione diuini adiutorij, sine quo inutilis esset nostra omnis industria.

Neque potest Caluinus reiicere hanc expositionem, cùm ipse quoque lib. 3. Institut. capite 20. §. 44. exponat eam petitionem de pane corporali. Adde, quod Apostolus pro eo, quod nos habemus, secũdum suum laborẽ, scripsit Græcè, κατ' ἐπιταγὴν κλῆσιν, id est, secundùm proprium laborẽ, In Euangelio aũt Mat. 6. & Luc. 11. vbi habetur

Universidad de Deusto
Biblioteca

betur oratio Dominica. non est ἰδιον ἄρτον, sed ἄρτον ἡμῶν, A panem nostrum, non panem proprium. Magis autem explicat liberam actionem illud *proprium*, quàm illud, *nostrum*.

Alterum vocabulum est, *Coadiutores*, in Græco συνεργοί, id est, cooperatores, qua voce nulla fingi potest aptior. Eadem verò vtitur Marcus cap. vlt. vbi dicit Apostolis: *Illi verò profecti, prædicauerunt vbique, Domino cooperante.* Vbi illud quoque notandum est, cùm agitur de prædicatione, in qua requiritur opus humanum, & liberũ, dici, *Domino cooperante:* cũ verò agitur de miraculis, quæ non sunt in potestate hominũ, sed fiunt à Deo per homines, vt mera instrumenta, non dici, Domino cooperante, sed, *Domino confirmante sermonem sequentibus signis*, vbi miracula simpliciter tribuuntur Deo, licet per homines fiãt, quoniam non pendent ex libero arbitrio.

Alius locus est ad Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, vbi Græca lectio duplicem sensum ostendit, nam illud συνεργᾶ, potest referri ad nomen, *omnia*, & tunc reddendum est, cooperantur, & sensus est, diligentibus Deũ, omnia esse vtilia, & cooperari ad salutem. Hũc sensum facit lectio Latina vulgata, quæ reprehendi non potest, cùm non sit inusitatum apud Græcos, coniũgere nominatiuum numeri multitudinis, cũ verbo numeri singularis: sed potest etiam aptissimè referri verbum illud συνεργᾶ, ad nomen πνεῦμα, quod præcedit, vt sensus sit, diligentibus Deum, Spiritus sanctus in omnibus cooperatur ad bonum.

Neque hunc sensum aduersarij reiicere possunt: Nam est omninò ad propositum, vt intelliget, qui locũ ipsum legat. E præterea est simplicior, cùm συνεργᾶ, sit numeri C singularis, & nõ sit opus recurrere ad Atticismum, quod tamen oportet, si coniũgatur verbum numeri singularis, cum illa voce, πάντα, quæ est numeri multitudinis.

Denique hanc lectionem, & hunc sensum sequuntur ex Græcis, Theodoretus in comment. huius loci, & ex Latinis, sanctus Augustinus libro de correptione & gratia, cap. 9. & fortasse fieri potuit, vt Latinus interpres verterit, cooperatur, & vitio Scriptorum accesserit vna litera, & factum sit, cooperantur. Spiritus igitur secundum hunc sensum, quem (vt dixi) aduersarij repudiare non possunt, & Petrus Martyr, & Erasmus in comment. repudiare non audent, cooperatur nobis in omnibus operibus sanctis, & salutaribus.

Alterum testimonium sumitur ex illis locis, quæ D imperant, aut suadẽt hominibus opera pietatis, & ipsam etiam conuersionem ad Deum, de qua maximè litigant aduersarij. Stultũ enim esset imperare, aut suadere eiusmodi opera ei, qui non haberet arbitrij libertatem, vt in libro superiore disputabamus de præcepto, & suasione operum moralium. Zachariæ primo: *Conuertimini ad me, & ego cõuertar ad vos.* Ioëlis secundo: *Cõuertimini ad me in toto corde vestro.* Hieremię primo: *Tu fornicata es cum amatoribus plurimis, verumtamẽ reuertere ad me.* Ezechielis 18. *Facite vobis cor nouum, & spiritum nouum.* Isaię 1. *Lauamini, mundi estote.* Ioann. 6. *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Et petentibus Iudæis: *Quid faciemus, vt operemur opera Dei?* respondit Dominus: *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille.*

Itaque ipsum credere, quod est opus Dei, iubet Do- E minus, vt nos ipsi operemur, ac per hoc iubet, vt Deo in hoc opere cooperemur. Ad Colossen. 3. *Exuite veterẽ hominem, & induite nouum.* Ad Philipp. 2. *Cum metu, & tremore salutem vestram operamini, Deus enim est, qui operatur in vobis.* Quid hoc est aliud, nisi cooperamini Deo salutem vestram in vobis operanti?

Respondet Caluinus lib. 2. Institut. cap. 5. §. 14. ista omnia loca nihil aliud sibi velle, nisi nõ moueri nos à Deo, tanquam stipites, ac truncos, sed tanquam homines mente, & ratione præditos, quamuis necessariò moueamur, nec possimus aliud agere, quàm id, quod Deo mouente agimus. A T si Deus ita nos mouet, vt non sit in nobis agere, & non agere, quorsum illa præcepta, & suasiones? Nam etiã ignis, cũ applicatur ad ligna, non mouetur instar trunci, nihil agentis, verè enim ignis cõburit ligna, & equus, cũ ei adhibentur calcaria, non mouetur instar stipitis, verè enim equus ambulat, & tamẽ quis, nisi amens, imperaret, vel suaderet igni, vt combureret, aut equo, vt ambularet? At ignis, & equus, non sunt mente, & ratione præditi. Cur igitur nemo imperat, aut suadet homini, vt velit esse beatus, aut miser? nisi quia nouit non posse hominem mente, & ratione præditum, non amare beatitudinem, aut non odisse miseriam, cum ad hæc arbitrij humani non sit vlla libertas. Præcepta igitur, & suasiones, non solam rationem, sed libertatem B etiam in hominibus esse demonstrant.

Deinde, quando Scriptura dicit: *Deus operatur velle, & perficere.* Et: *Deus operatur omnia in omnibus.* Et: *Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum.* Et cùm nos Deo dicimus: *Conuerte nos Deus salutaris noster.* Aduersarij contendunt, eiusmodi testimoniis significari, Deum verè, & propriè agere, & operari nostras actiones bonas. Cur igitur, quã- scriptura dicit: *Operaramini vestram salutem. Facite vobis cor nouum, & spiritum nouum; Conuertimini ad me, & conuertar ad vos*, non patiuntur, vt eodem modo ista eadem vocabula intelligantur, & nos verè, propriéque dicamur operari nostras actiones bonas? Est ne hoc Verbum Dei sequi, an illud pro arbitrio ad proprias hæreses detorquere?

Tertivm testimonium sumitur ex locis illis, quæ docent, nos à Deo iuuari in operibus pietatis. Nõ enim propriè iuuari dicendus est, qui nihil agit, sed qui laborat in agendo. Psal. 26. *Adiutor meus esto, ne relinquas me,* Psalm. 69. *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina.* Ad Rom. 8. *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Nam quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus.* Quo loco agitur de oratione, quæ est actio maximè pia, & salutaris, quam Spiritus sanctus operatur in nobis, dum facit nos orare, ac gemere, sed quia non facit id solus, sed nobiscũ, ideo posuit Apostolus illud verbum: *Adiuuat*, quod in Græco multò est significantius. Nam συναντιλαμβάνεται, qua voce beatus Paulus vtitur, propriè dicitur de iis, qui quasi è regione manibus capiunt onus, vt laboranti succurrant. Denique vt alia multa prætereã, 1. ad Corinth. 15. *Plus*, inquit Apostolus, *omnibus laboraui, non autem ego, sed gratia Dei mecum.*

Ad hunc postremum locum respondet Calvinvs his verbis, in lib. 2. Institut. cap. 3. §. 12. *Adhanc*, inquit, *festucam, mirũ est, tot non malos alioqui homines impegisse. Nõ enim gratiam Domini secum laborasse scribit Apostolus, vt se consortem laboris faciat. Quin potius totam laboris laudem vni gratiæ transcribit ista correctione, Nõ ego, ait, sum is, qui laborauí, sed gratia Dei, quæ mihi aderat. Fefellit autem eos locutionis ambiguitas, sed magis præpostera versio, in qua vis Græci articuli prætermissa fuit. Nam si ad verbum reddas, non dicit, gratiam sibi fuisse cooperatricem, sed gratiam, quæ sibi aderat, omnium fuisse effectricem.*

At nisi Caluinus nouum textum Græcum sibi cudat, E ac nobis obtrudat, non persuadebit vnquam istam expositionem suam iis, qui aliquid norint. Nam Græca verba hæc sunt: ἀλλὰ ἡ χάρις τοῦ θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί, quæ ad verbum hoc sonant: *Sed ipsa gratia Dei, quæ mecum*, videlicet *est*. Illud autem, *mihi aderat*, Vel, *in me erat*, viderit Caluinus vnde sumpserit. Certè σὺν ἐμοί, nõ potest simplicius reddi, quã *mecum*, vt vulgatus interpres reddidit. Cur autem nõ dixit Apostolus. gratia quæ est in me, sed, gratia quæ mecum est, nisi vt ostenderet, gratiam nobiscum laborare, non solam operari? respexit enim ad illud Sapient. 9. *Mitte illam de cœlis sanctis tuis, vt mecum sit, & mecũ laboret.*

Quare

Quare sanctus Avgvstinvs, cui cedere, velit nolit, A debebit Caluinus, in lib. de gratia, & libero arbitrio, cap. 15. *Non autem ego*, inquit, *sed Gratia Dei mecum, id est, non solus, sed gratia Dei mecum ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo.* quid clarius?

Qvartvm testimonium sumitur ex iis, locis, quæ docent, hominem à Deo vocatum, posse non venire. Nã cùm per gratiam Dei possit venire, vt aduersarij concedunt, si possit etiam gratiæ resistere, & nó venire, sine dubio liberi arbitrij esse conuincitur. Prouerb. 11. *Vocaui, & renuistis.* Matthæi 23. *Volui congregare filios tuos, & noluisti.* Ioan. 6. *Vultis & vos abire?* Actor. 7. *Vos semper Spiritui sancto restitistis.* Apocalyp. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi, intrabo ad eum.*

B

CAPVT XI.

Probatur libertas arbitrij in operibus pietatis ex traditione Patrum.

Accedat nunc ad rem eandẽ comprobãdam traditio veteris Ecclesię. Et quidẽ Io. Calvinvs in 2. lib. Institt. c. 3. §. 11. fatetur nostram sentẽtiam à multis iam seculis in Ecclesia tradi, credique cępisse. *Ac volũtatem*, inquit, *mouet Deus non qualiter multis seculis traditum, & creditum est, vt nostra sit electionis, motioni Dei obtemperare, aut refragare, &c.* Ista autẽ multa secula intelligit, vt minimum spacium annorum supra mille & cẽtum. Nã statim subiungit: *Illud ergo à Chrysost, toties repetitum repudiari neceſſe est, quem trahit, volentẽ trahit, &c.* Chrysost. autẽ ante annos mille, & centum floruit. Itaque vel aduersa- C rio teste, sententia nostra non est à Scholasticis Theologis introducta, sed in veteri, & vera Christi Ecclesia celebrata, quod vnum argumentum prudentibus hominibus satisfacere debuisset.

Quid, quod non solùm ab annis mille, & centum, sed etiam mille, & quadragentis, atque adeò ab initio Ecclesiæ eadem hæc sententia doceri, ac recipi cœpit? Nã sanctus Ignativs in epistola ad Magnesianos, quem locum libro superiore citauimus, non solùm in moralibus, sed etiam in piis, & sanctis operibus liberum arbitrium agnoscit, cùm ait: *Si quis pietati studet. Dei homo est, si impiè agat, diaboli est, nõ id factus per naturã, sed per animi arbitriũ.*

Et clarius sanctus Irenaevs lib. 4. cap. 72. sic loquitur: *Non tantum in operibus, sed etiam in fide liberum, & sua* D *potestatis arbitrium homini seruauit Dominus dicens, secundũ fidem tuam fiat tibi. Propriã fidem hominis ostendens, quoniam suam habet sententiam. Et propterea is, qui credit ei, habet vitã æternam, & qui non credit filio, ira Dei manet super eum.*

Item sanctus Cyprianvs lib. 3. ad Quirinum, hoc argumentum præfixit capiti 52. Credendi; & non credẽdi libertatem in arbitrio positam. Idem libro 6. epist. 3. citans illud Ioan. 6. *Vultis & vos abire? Seruat*, inquit, *Dominus legem, qua homo liberi arbitrij sui relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibimet ipse mortem appetit, vel salutem.*

Sanctus Hilarivs libro primo de Trinitate: *Esse*, inquit, *filios Dei, non necessitatem esse voluit, sed potestatem.*

Sanctus Hieronymvs in commentario ad cap. 5. Matthæi: *Ergo*, inquit, *non est natura filius, sed arbitrio suo.*

Sanctus Ambrosivs de operibus pietatis loquitur, cùm ait libro secundo in Lucam, capite duodecimo: E *Vides, quia vbi, Domini virtus studiis cooperatur humanis?*

Sanctus Ioannes Chrysostomvs homil. 19. in Genesim de iustificatione, differens: *Necessitatem*, inquit, *non imponit, sed congruis remediis appositis, totũ in agroti sententia iacere permittit.*

Sanctus Caelestinvs Papa in epistola ad Gallos, c. 12. *Nec otiosa*, inquit, *in nobis esse patitur, quæ exercenda, non negligẽda donauit, vt & nos cooperatores simus gratiæ Dei.*

Sanctus Avgvstinvs in singulis tomis operum suorum hanc veritatem docet. Tomo Primo, libr. 1. Retract. cap. 22. *Nisi quisquam voluntatem mutauerit, bonũ operari non potest. Quod in nostra potestate esse positum, alio loco Dominus docet, vbi ait, aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malã, & fructũ eius malũ, quod non est cõtra gratiam Dei, quam prædicamus. In potestate quippe hominis est, mutare voluntatem: Sed ea potestas nulla est, misi detur à Deo, de quo dictum est. Dedit eis potestatẽ filios Dei fieri. Cum enim hoc sit in potestate, quod cùm volumus, facimus: nihil tam in potestate, quàm nostra voluntas est, sed præparatur voluntas à Domino. Eo modo ergo dat potestatem.* Itaque ex sententia beati Augustini, voluntas præparata per gratiam præuenientem, in potestate sua habet stare, vel cadere, Deum sequi vocantẽ, vel eidem pro arbitrio refragari. Atqui hoc ipsum est, quod Caluinus falsum esse B contendit.

Tomo Secvndo, in epist. 89. quæst. 2. *Liberum arbitrium non ideo tollitur, quia iuuatur, sed ideo iuuatur quia non tollitur.* Et epistol. 106. *Proinde in iis, qui per electionem gratiæ salui fiunt, adiutor Deus operatur & velle, & operari.* Obserua hoc loco, Deum dici adiutorem, etiam dum operatur in nobis velle. Hinc enim sequitur, vt in ipso etiam actu volendi, id est, in ipsa cõuersione prima liberi simus. Nam (vt paulò ante ex eodem Augustino citauimus) *Liberum arbitrium non tollitur, quia iuuatur, sed ideo iuuatur, quia non tollitur.* Rursus in eadem, epist. 106. *Gratia meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici, comitante nõ ducente, pedissequa, non præuia voluntate.* At nõ dicitur comes homini baculus, quo innittitur, aut iumentum, quo vehitur, sed alter homo, qui liberè cum illo ambulat, aut eũ sequitur præuntem. Hunc locum, cùm non posset Caluinus corrumpere, maluit reprehendere, quàm recipere, vt videre est in lib. 2. Institt. cap. 3. §. 7.

Tomo Tertio, in libro de Spiritu, & litera, ad Marcellinum, cap. 34. *Consentire vocationi, aut nõ cõsentire, propriæ volũtatis est.* Piget refellere hoc loco nugas Kẽnitianas: *Augustin*, inquit, *dicit cõsentire, & dissentire propriè, aduerbialiter, esse voluntatis, sicut dicimus, intelligere propriũ esse mentis, velle voluntatis. Illa sententia postea ita depranata est. Consentire in spiritualibus, propriæ esse voluntatis, hoc est, ex propriis viribus.* At quis nostrũm exponit, propriæ voluntatis, id est, ex propriis viribus? non hoc dicimus, sed, cõsentire, ad voluntatẽ pertinere docemus, posteaquam præuenta est à Domino, & sic accepit consentiendi potestatem. Deinde quis dedit Kemnitio facultatem commutandi nomina in aduerbia? nam in omnibus codicibus legitur, *propriæ* non *propriè*.

Denique siue propriæ, siue propriè, legas, quis nõ videt, tribui hoc loco ipsi voluntati potestatem eligendi inter cõtraria, id est, liberum arbitrium propriè dictum, si legantur, quæ paulò antè præcedunt? Nam opponit Avgvstinvs consensum voluntatis nostræ vocationi diuinæ, ac dicit, vocationem nõ esse in nostra potestate, sed consensionem esse nostræ voluntatis: vbi ipsa antithesis cogit, vt intelligamus consensum esse in potestate nostræ voluntatis: *Attendat*, inquit, *& videat, non ideo tantùm istam volũtatem* (credendi videlicet) *diuino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est* (nota Kemniti, voluntatem credendi ex libero arbitrio esse) *quod nobis naturaliter concreatum est: verùm etiam quod visorum suasionibus agit E Deus, vt velimus, & vt credamus: siue extrinsecus per Euangelicas exhortationes vbi & mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, vt ad gratiam iustificantem credendo confugiat: siue intrinsecus, vbi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem: sed consentire, vel dissentire, propriæ voluntatis est.* Quid facit, Kemniti, illa particula aduersatiua, *Sed*, nonne indicat, neminem habere in potestate, quid ei veniat in mentem, dum per gratiam præuenientem præparatur voluntas à Domino: tamen post eam præparationem habere planè in potestate, vt consentiat, vel dissentiat?

Universidad de Deusto
Biblioteca

AT, inquiunt, retractauit hunc locum Augustinus in libro de prædestinatione Sanctorum, capite tertio, vbi fatetur, in suis libris contineri errorem illorum, qui docēt, prædicationi Euangelicæ nostrū esse propriū cōsentire. AT in eo lib. loquitur de iis, qui docēt, prædicationi Euāgelicæ nostrum esse proprium cōsentire ex solis viribus naturæ, sine vlla præueniente gratia; quē errorem continent Augustini libri scripti (vt ipse ibidē testatur.) ante suū Episcopatum, hic autē liber de Spiritu, & litera, scriptus fuit ab Augustino iā Episcopo, & post hæresim Pelagianam exortam. Sed nimis multa de hoc loco.

TOMO QVARTO, Item libro 1. ad Simplicianum, quæst. 2. *Vt velimus*, inquit, *& suum esse voluit, & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo.* Quid apertius dici potuit?

TOMO QVINTO, Item lib. 5. de ciuitate Dei. c. 10. *Si necessitas nostra, illa dicenda est, quæ non est in nostra potestate, manifestum est, voluntates nostras, quibus rectè, vel perperam viuitur sub tali necessitate non esse. Multa enim facimus, quæ si nollemus, non vtique faceremus, quo primitus pertinet ipsum velle. Non si volumus, est: si nolumus, non est.*

TOMO SEXTO, libro secundo Actorum, contra Felicem Manichæum. cap. 4. *Cum ergo dicit (Dominus) aut hoc facite, aut illud, potestatem indicat, non naturā. Nemo enim nisi Deus facere arbores potest. Sed habet vnusquisque in voluntate, aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona, aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala.*

TOMO SEPTIMO, libro secundo de peccatorum meritis, & remissione, capite quinto: *Conuersos*, inquit, *Deus adiuuat, auersos deserit, sed etiam vt conuertamur, ipse adiuuat.* Nota, in ipsa etiam conuersione nos adiuuari, ac per hoc etiam tunc habere liberum arbitrium, contra Kemnitium, qui gratiam adiuuantem non agnoscit, nisi in operibus, quæ fiunt post iustificationem. Et infrà: *Non ideo*, inquit, *de hac re solis votis agendum est, vt non subinferatur ad bene viuendum nostræ efficacia voluntatis. Adiutor enim Deus dicitur, nec adiuuari potest, nisi qui sponte aliquid conatur.* Et capite 18. *Quod ad Deum nos conuertimus, nisi ipso excitante, atque adiuuante, non possumus.*

Item libro de natura, & gratia, c. 32. loquens de iustificatione: *Vbi quidem*, inquit, *operamur & nos, sed illo operante cooperamur, quia misericordia eius præuenit nos.*

Item lib. de prædestinatione Sanctorū, c. 3. *Vtrumque*, inquit, *nostrum est (velle scilicet credere & amare) propter arbitrium voluntatis, & vtrumque datum est per spiritum fidei, & caritatis.* Et c. 5. *Non quia credere, vel non credere, non est in arbitrio voluntatis, sed in electis præparatur voluntas à Domino.* Hic certè videmus, quàm lōgè aberrent à vero, qui sentiunt, in hoc libro retractatum esse, quod scriptū fuerat in lib. de spiritu, & litera, cōsentire, & dissentire propriæ voluntatis esse. An non apertius est credere, & non credere esse in arbitrio voluntatis, quàm cōsentire esse propriæ voluntatis?

Item in lib. de grat. & lib. arb. ca. 15. *Ne autem putetur, nihil ibi facere homines per liberum arbitrium, ideo in Psalmo dicitur: Nolite obdurare corda vestra. Et per Ezechielem: Proicite à vobis omnes impietates vestras.* Vides in ipsa prima conuersione locum suum habere liberum arbitrium?

Item in lib. de grat. Christi, c. 14. *Quis non videat, venire quemquam, aut non venire, arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium potest esse solum si non venit: non autem potest esse, nisi adiutum, si venit.* Et hic habes gratiam adiuuātem ad initium fidei.

Lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum, c. 8. *Homo præparat cor, nō tamen sine adiutorio Dei, qui tangit cor.* Et infrà: *Quamuis nisi adiuuante illo, sine quo nihil possumus facere, os non possumus aperire, tamen nos aperimus illius adiutorio, & opere nostro. Nam quid est præparare cor, & os aperire, nisi voluntatem præparare?* Quid manifestius Caluinus Kemnitiusque desiderent, omninò non video.

TOMO OCTAVO, tractatu in titulum Psalmi septuagesimi primi, propè finem: *Non erat*, inquit, *in potestate tua, vt non nascereris ex Adam: est in potestate tua, vt credas in Christum.*

TOMO NONO, tractatu septuagesimo secundo in Ioannem: *Credenti in eum, qui iustificat impiū, deputatur eius fides ad iustitiam. In hoc opere facimus opera Christi, quia & ipsum credere in Christum, est opus Christi. Hoc operatur in nobis, non tamē sine nobis.* Et infrà: *Operanti in se Christo, cooperatur homo salutem æternam, ac iustificationem suam.* Cooperamur igitur Deo non solùm, vt aduersarij volunt, post iustificationem, sed etiam in ipsa iustificatione, & initio fidei.

DENIQVE TOMO DECIMO, sermone 15. de verbis Apostoli, post medium: *Videtis*, inquit, *quia nec ipsa cōuersio est sine adiutorio Dei.* Et infrà: *Totum ex Deo, non tamen quasi dormientes, non quasi vt non conemur, non quasi vt nō velimus. Sine voluntate tua non erit in te iustitia Dei: qui fecit te sine te, non te iustificat sine te.*

Sanctus PROSPER, sectator Augustini ardētissimus, ac defensor acerrimus, in secundo libro de Vocatione gentium, c. 12. *Multis*, inquit, *qui iam iudicio rationis vtuntur, ideo liberum est discedere, vt non discessisse sit præmio: & vt quod non potest, nisi cooperante spiritu Dei fieri, eorū meritis deputetur, quorū id potuit voluntate nō fieri.* Potest igitur non cooperari Deo in se operāti homo, si velit, & ideo benè facit, & meretur cooperādo, quia poterat nō cooperari.

Idem in eodem lib. c. 26. *Gratia quidem Dei in omnibus iustificationibus principaliter præeminet suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitādo miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corq; ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo: sed etiam voluntas hominis subiungitur ei, atque cōiungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidiis, vt diuinō in se cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium, de sua habēs mutabilitate, si deficit: de gratiæ opitulatione, si proficit. Quæ opitulatio per innumeros modos, siue occultos, siue manifestos omnibus adhibetur, & quod à multis refutatur, ipsorum est nequitiæ: Quod autem à multis suscipitur, & gratiæ est diuinæ, & voluntatis humanæ.*

Vide etiam cap. 28. in quo toto probat, posse eos, qui per gratiam Dei in Christum credunt, non credere, & eos, qui perseuerant, à Deo recedere: & tandem ita concludit: *Igitur sicut qui crediderunt, iuuātur vt in fide maneāt: sic & qui nondum crediderunt, iuuantur, vt credant. Et sicut illi in sua habent potestate, vt exeant, ita & isti in sua habent potestate, ne veniant.*

His testimoniis sanctorum Patrum, consonū est, quod Concilium ARAVSICANVM can. vlt. declarat, liberū arbitrium ita inclinatum, & attenuatum esse per lapsum primi hominis, vt nemo credere in Deum, aut diligere Deum possit, nisi gratia eum, & misericordia diuina præueniat. Vbi vides liberum arbitrium in actione credendi, & diligendi attenuatum quidem esse, non tamen extinctum: ac per hoc operari posse opera pietatis, si adiuuetur à gratia.

Idem decretum renouat, ac repetit Concilium VALENTINVM, cap. 6. quod Concilium in Gallia, tempore Lotharij, celebratum est. Concilium item TOLETANVM IV. cap. 55. sententiam eandem his verbis expressit: *Sicut homo propria arbitrij voluntate serpenti obediens periit: sic vocante se gratia Dei, propriæ mentis conuersione quisque credendo saluatur.* Vbi notanda est comparatio libertatis in primo homine, ad peccandum, cum libertate filiorum eius ad conuersionem, & fidem, gratia Dei præueniente. Id enim comparatio postulat, vt sicut verum fuit liberum arbitrium, quo primus homo post diabolicam suasionem peccauit, ita verum sit liberum arbitrium, quo posteri eius, post vocationem diuinam, conuertuntur, & credunt. Similia denique nostris temporibus sanxit Synodus TRIDENTINA sess. 6. capit. 5. & can. 4.

CAPVT

CAPVT XII.

Probatur rationibus libertas arbitrij in operibus pietatis.

SVPEREST, vt eandem veritatem rationibus comprobemus. Sed quoniam eædem rationes, quæ allatæ sunt in lib. superiore ad confirmandum liberum arbitrium in actione morali, hic etiam locum habent, satis erit eas breuiter attingere.

PRIMVM igitur, si non esset homo liberi arbitrij in operibus pietatis, sequeretur, non peccare eos, qui nolūt credere in Christū, aut nolūt conuerti à peccatis, aut nolūt propter Deū bona opera facere. DEINDE sequeretur, nō esse laudandos, nec vllo præmio dignos eos, qui volunt credere, sperare, diligere, conuerti, propter Deū quiduis arduū, & acerbū pati. TERTIO, nullū haberent locū in eiusmodi rebus præcepta, cōsilia, cohortationes, admonitiones, reprehensiones, exēpla, aliaque id genus: QVARTO, tolleretur è medio omnis diligentia, atque industria in fide, & pietate augenda, & excolenda.

Hæc omnia esse vehementer absurda, ne ipsi quidem aduersarij negare possunt. Sequi autem certissimum est, tum ex iis, quæ libro superiore disputata sunt, tum etiam quia non alia de caussa bruta animantia non peccant, nec laude aut præmio digna sunt, nec præcepta, vel consilia illis dantur, nec denique diligentia, vel industria eis cōuenit, nisi quia libero carent arbitrio. Pari ratione nulla alia causa est, cur homines in iis actionibus, quæ ad finē vltimum pertinent, quales sunt velle bonum, & fugere malum, in genere, neque peccare, neque benè mereri possint, neque præceptis, aut consiliis egeant, nec diligētiam, aut industriam vllam adhibere teneantur; nisi quoniam libertas arbitrij non est circa finem, sed circa media ad finem, vt tertio libro demonstratum est.

DENIQVE, cur homines vulgò non peccant, quia nō prophetant, aut linguis non loquuntur, aut miracula non faciunt? cur nemo præmium meretur, quia prophetat, aut linguis loquitur, aut miracula facit? cur nemo præceptis, cōsiliis, hortationibus incitat passim homines ad prophetandum, ad loquendū linguis, ad miracula facienda? Cur nemo diligentiam, industriam-uē suam in eo ponit, vt in his actionibus excellat? nisi quoniam non sunt hæc in potestate liberi arbitrij, quamuis ab hominibus, vt instrumentis Dei, per rationem, & voluntatem, per linguam, & manus exerceantur?

Cùm igitur aduersarij velint, nō minus nos ex necessitate operari in iis, quæ ad conuersionem, fidem, & pietatem pertinent, quàm ex necessitate determinati sumus ad bonum sectandū, & malum fugiendum: & non magis nos liberos faciant in iis, quæ pertinent ad cōuersionem, fidē, & pietatē, quàm ad dona prophetię, linguarū, & miraculorum, expediāt. si possūnt, cur peccata, & bona merita, præcepta, & consilia, diligentiam, & industriam in conuersione, fide, pietate, locum habere consentiant.

CAPVT XIII.

Diluuntur obiectiones aduersariorum, depromptæ ex diuinis literis.

MVLTA proferunt aduersarij testimonia diuinæ Scripturæ, quæ nos ordine diluemus. PRIMO loco proferūt illud Ezech. 36. *Auferā à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum, spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis.* Obseruāt cor lapideum ideo nominari malam hominis voluntatem, quoniam sicut in lapide nulla est cooperatio, si debeat verti in carnem, sic etiam nulla est cooperatio voluntatis humanæ, in sua mutatione, de mala in bonam: & ideo non dixisse Deum, faciā, vt in præceptis meis ambulare possitis, sed faciam, vt ambuletis. Qui enim cor carneum habent, illi soli ambulant in præceptis, qui habent lapideum, non ambulant.

RESPONDEO, Liberum arbitrium non est cor lapideum, neque carneū, sed vis quædam media, & naturalis, quæ formam lapidis, id est, peccati duritiem, & formam carnis, id est, gratiæ teneritudinem recipere potest. Sic loquitur sanctus AVGVSTINVS in lib. de spiritu, & litera, c. 33. vbi dicit, liberum arbitrium naturaliter attributum creaturæ rationali, esse vim illā mediam, quæ intendi ad fidem, & inclinari ad infidelitatē potest. Et lib. 2. de peccatorum merit. & remiss. cap. 18. *Voluntatis arbitrium*, inquit, *huc atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis est, quibus & malè vti malus potest.* Hæc autē vis media, & naturalis, quādo per peccatū talis est, vt dicatur cor lapideum, non habet ex se potestatem, qua se conuertat ad Deum, & fiat carneum, sed eam recipit per gratiam Dei præuenientem. Liberum enim arbitrium per gratiam præuenientem excitatum, & præparatum, potest per vires, quas à Deo recipit, cooperari ad suam ipsius conuersionem.

Neque obstat similitudo lapidis: non enim similitudines conuenire debent in omnibus. In eo tantùm similitudo locum habet, quod sicut lapis ex se non habet, vt cooperetur, si fortè conuertatur in carnem: sic etiam liberum arbitrium ex se non habet, vt cooperetur ad suam ipsius conuersionem; potest tamen à Deo recipere potestatem operandi per gratiam præuenientē, quod non potest lapis. Atque ad hanc dissimilitudinem, siue disparitatem, fortè significandam, idem Propheta Ezechiel capite 18. dicit: *Facite vobis cor nouum, & spiritum nouum.* Neque possunt Kemnitius, & Caluinus hanc disparitatē negare, cùm ipsi fateantur, non excludi in conuersione peccatoris actionem voluntatis humanæ, qui tamen lapidi non concederent similem actionem, si verè in carnem conuertendus esset.

Quod autem Deus dicit: *Faciam, vt in præceptis meis ambuletis*, nihil nocet arbitrij libertati. Nam qui habet cor carneum, dum tale cor habet, id est, caritate imbutum, non potest non ambulare in præceptis Domini, quia caritas non est otiosa, & plenitudo legis est dilectio: potest tamen absolutè ambulare, & non ambulare in præceptis Domini, quia potest retinere, vel abiicere caritatem, id est, manere carneum, vel in lapideum commutari.

Ex qua solutione deregitur deceptio, vel fraus KEMNITII. Scribit enim, Catholicos in ea sententia esse, vt liberum arbitrium per gratiam excitatum, exerat vires, quas habebat etiam antequam excitaretur, & per illas suas vires vocationi diuinæ consentiat; ita vt gratia præueniens, non tribuat vires libero arbitrio, sed quasi sopitas excitet. AT non hoc sentiunt Catholici, sed agnoscunt quidem liberum arbitrium in homine, etiam antequam eum gratia diuina præueniat, quia liberum arbitriū est res naturalis, quæ per peccatū non amittitur, sed tamen non dicunt, nec sentiunt, liberum arbitrium habere ex se potentiam vllam, saltem proximam, ad actus pietatis, sed eam accipere à Deo per gratiā præuenientē.

SECVNDO loco proferunt illud Psalmi quinquagesimi: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Videtur enim his verbis significari, nihil omninò cooperari gratiæ Dei in se operanti, quo modo non cooperatur ad suam creationem id quod recens creatur.

RESPONDEO. Facilis est solutio. Non. n. cordis substantia in iustificatione creatur, sed munditiæ ipsa efficitur, quæ per peccatū perierat: nihilq; aliud est, cor mundum creari, nisi cor ipsum mūdari, atque purgari. Quare

Universidad de Deusto
Biblioteca

non est absurdum, si substantia ipsa cordis spiritualis, accepto semine diuinæ gratiæ, cooperetur ad fructum conuersionis suæ, & pietatis opera germinanda.

TERTIO, proferunt illud Psalm. 99. *Ipse fecit nos, & nõ ipsi nos.* Videtur enim Propheta loqui de regeneratione potius, quàm de prima creatione; cùm paulò pòst subiungat: *Populus eius, & oues pascuæ eius.*

RESPONDEO, Ad literam loquitur Dauid de prima creatione, vt ipse etiam sanctus Augustinus exponit in commentario, quod beneficium non minus pertinet ad sanctos, quàm ad impios, & ideo Propheta sanctos hortatur, vt pro hoc beneficio gratias agant, dicens: *Populus eius, & oues pascuæ eius, introite portas eius, in confessione, &c.*

Sed & illud præterea libenter agnoscimus de iustificatione dici posse: *Ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Deus enim B est, qui iustificat, & qui regenerat in spem viuam, & nos eius factura sumus creati in CHRISTO Iesu, in operibus bonis, vt Scripturæ loquuntur. Cæterùm, sicut respiciendo terminum iustificationis, id est, habitum caritatis infusum, ipse facit nos, & non ipsi nos, quoniam solus ipse habitum caritatis infundit, ita respiciendo dispositionem ad iustificationem, ipsi nos, Deo adiuuante, facimus, quod expressit Ezechiel capite 18. cùm ait: *Ipse animam suam viuificabit.*

QUARTO, proferunt illud Ioan. 6. *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Hinc enim sequitur, non esse liberum homini gratiam recipere, vel reiicere. Alioqui fieri posset, vt aliquis audiret, & non veniret.

RESPONDEO, Omnis qui audiuit, & ita audiuit, vt discat, sine dubio venit, quia discere est persuaderi, & C credere. Qui autem persuasus est, non potest non venire, in sensu composito, tamen absolutè potest non venire, quia potest audire, & non discere, nec persuaderi. Nec enim frustrà clamat Propheta in Psalmo nonagesimo quarto: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

QUINTO, proferunt illud 2. ad Corinth. 3. *Nõ sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis.* Nulla igitur virtus liberi arbitrij manet in nobis, quæ iuuante Deo perficiatur.

RESPONDEO, Hic locus maximè nobis fauet, non enim negat Apostolus, nos sufficiẽtes esse, sed negat, nos esse sufficientes ex nobis, continuò enim addit: *Sed sufficientia nostra ex Deo est.* Itaque sufficimus aliquid cogitare, immò etiam velle, & facere, sed posteaquam vires à Deo accepimus, & nisi liberi essemus arbitrij, non rectè dice- D remur non sufficere ex nobis, sicut non rectè diceret aliquis, iumentum, aut lapidem non sufficere ex se aliquid cogitare de Deo.

SEXTO, proferunt illud 1. ad Corinth. 12. *Qui operatur omnia in omnibus.*

RESPONDEO, Sed non nisi cooperantibus nobis salutem nostram operatur. Alioqui frustrà dixisset Dominus Ioannis sexto: *Operamini non cibum, qui perit, &c.*

SEPTIMO, proferunt illud ad Philippẽses secundò: *Qui operatur velle, & perficere pro bona voluntate.* At operari ipsum velle, non est iuuare vt possimus velle, sed est simpliciter facere vt velimus.

RESPONDEO, Cùm Deus operatur in nobis velle, non iuuat solùm, vt possimus velle, sed excitat, & iuuat, vt re ipsa velimus. Proinde nõ facit hoc sine nobis, alio- E qui non diceret ibidem Apostolus: *Cum timore & tremore salutem vestram operamini:* sed diceret, nihil est, quod vos operemini, nam solus Deus operatur in nobis velle, & perficere.

OCTAVO, proferunt illud 1. Ioan. 3. *Qui natus est ex Deo, non potest peccare, quia semen Dei manet in eo. Citra controuersiam* (inquit CALVINVS) *elicitur ex verbis Ioannis sic efficaciter gubernari diuinitus piorum corda, vt inflexibili affectu sequantur.*

RESPONDEO, Nomine seminis non intelligit sanctus Ioannes gratiæ auxilium, quod hominem determinet ex necessitate ad operandum, vt Caluinus sentire videtur, sed gratiam caritatis infusæ, vt cognosci potest ex Hieronymo in lib. 2. aduersus Iouinianum, & ex Augustino tract. 5. in epist. Ioãnis. Quod etiam manifestè colligitur ex verbis ipsius Ioannis. Nõ enim dicit, peccatorem non posse non conuerti, aut non credere, quia semẽ Dei manet in eo: Sed non posse peccare eum, qui iam ex Deo natus est, id est, hominem iustum, quia semen Dei manet in eo. Itaque vocat semen Dei ipsam natiuitatem ex Deo, siue id, per quod homo est natus ex Deo, & est filius Dei, quæ est ipsa caritas infusa in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Porrò qui habet caritatem (vt sæpè iam diximus) neque peccat, videlicet lethaliter, neque peccare potest, dum manet in eo caritas, sed absolutè caritatem amittere, immò etiam abiicere potest, & peccare.

NONO, proferunt testimonia ex c. 2. & 5. ad Ephes. & ex capite quinto Ioannis, vbi peccatores dicuntur mortui, & sepulti, nec nisi per Christi gratiam reuocantur ad vitam. Certè enim mortui homines, & sepulti non cooperantur Deo, si fortè velit eos ad vitam reuocare, neque liberum est eis in morte permanere, aut à morte resurgere.

RESPONDEO, hoc argumẽtum rectè probat (vt nos suprà ostendimus) peccatorẽ, quia mortuus est, non posse ex se, aut suis viribus vitam recuperare, aut vllo modo ad vitam recuperandam se præparare. Sed non probat, non posse eumdem peccatorem per gratiam præuenientem excitatum, & adiutum, Deo, se ad vitam reuocanti, cooperari. Id enim non facit, vt mortuus, sed vt vitalẽ virtutem à Deo habens.

Adde quod (vt suprà diximus) similitudines non in omnibus conueniunt. Quare tametsi cadauera propriè dicta, quoniam omnibus modis mortua sunt, nec vllum vitæ genus retinent, nullo modo cooperentur ad suam excitationem: tamen qui sunt mortui in peccatis, quoniã viuunt vita naturæ, licet non viuant vita gratiæ, poterũt non vt mortui, sed vt viui vno genere vitæ cooperari ad suam viuificationem, secundùm alterum genus vitæ, si virtutem cooperandi à Deo receperint.

CAPVT XIV.

Diluuntur obiectiones ex testimoniis S. Augustini.

AD ARGVMENTA ex diuinis literis adducunt aduersarij non pauca testimonia ex libris S. Augustini.

PRIMVM testimonium ex lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 18. *Laborant*, inquit, *homines, inuenire in nostra voluntate, quid boni sit nostrũ, quod nobis non sit ex Deo, & quomodo inueniri possit, ignoro.*

RESPONDEO, Loquitur S. Augustinus aduersus eos, qui docebant, hominem habere ex se, id est, sine vlla præueniente gratia, initium fidei, aut dilectionis Dei, id est, piam aliquam voluntatem: & rectissimè docet, nihil omninò boni esse in nostra voluntate, quod nobis non sit ex Deo. Sed nihil id facit cõtra liberum arbitrium. Tametsi enim non possit liberum arbitrium ex se solo cooperari Deo: potest tamen ex dono gratiæ præuenientis.

SECVNDO, proferũt illud ex libro de gratia Christi, c. 14. *Arbitrium sic adiuuatur, vt non solùm quid faciendum sit sciat, sed quod scierit, etiam faciat. Ac per hoc, quando Deus docet, non per legis literam, sed per Spiritus gratiam ita docet, vt quod quisque didicerit, non tantùm cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoq; perficiat.*

RESPONDEO, Nihil hoc loco dicitur contra sententiam nostram, siquidem omnia ista libentissimè confitemur: & ex iis liberum arbitrium comprobamus. Si enim adiuuatur arbitrium, TVM in cognoscendo, & sciendo,

sciendo, TVM in volendo, & agendo, certè adest, & manet, & operatur. Non enim adiuuatur quod non est, aut non operatur.

TERTIVM testimonium ex lib. de bono perseueran. c. 13. *Hoc nobis expedit & credere, & dicere, hoc est pium, hoc verum, vt sit humilis & submissa confessio, & detur totum Deo.*

RESPONDEO, Et hoc quoque nihil facit ad rẽ. Nos enim non ponimus in homine initium bonæ voluntatis ex libero arbitrio, & perfectionem ex Deo, neque partimur opera cum Deo, & priores partes accipimus nobis, posteriores damus Deo, vt faciebant illi, quos in eo libro, & præcedente, sanctus Augustinus reprehendit, sed damus totum Deo, nobis autem nihil omninò, quod non sit ex Deo.

QVARTVM testimonium ex lib. de corrept. & grat. B cap. 12. *Prouisum est*, inquit, *vt voluntas humana indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur, &c.* Et cap. 14. *Volenti saluum facere nullum hominum resistit arbitrium. Sic enim velle, aut nolle, in volentis, aut nolentis est potestate, vt diuinam voluntatẽ non impediat, nec superet potestate.* Et infrà: *Non est dubitandũ, voluntati Dei, voluntates humanas resistere non posse.*

RESPONDEO, Hęc loca manifestant gratiã efficacẽ, quæ datur electis, & infallibilitatem adiũctam habet, nõ necessitatẽ. Nã quos Deus prædestinauit, hos vocauit: & quos vocauit, has iustificauit: & quos iustificauit, hos magnificauit, ad Rom. 8. & sicut qui sunt prædestinati, omnes infallibiliter vocãtur: ita qui sunt vocati, secũdũ propositum videlicet, nã de vocatione loquitur sine dubio Paulus, omnes iustificantur, proinde vocatio illa efficax est, & numquam reiicitur, quoniam alioqui falli posset C prædestinatio: Et eodem modo qui sunt iustificati, secũdum propositum, omnes infallibiliter perseuerant, & glorificantur, ne fortè incerta reddatur electio.

Habet igitur gratia efficax, vt etiam prędestinatio, cuius prædestinationis gratia illa est effectus, ineffabilem certitudinem: & hoc significant testimonia illa S. Augustini: non tamen habet necessitatem, nisi ex hypothesi, ac per hoc non impedit arbitrij libertatem. Nam vt explicuimus in lib. 1. c. 12. gratia efficax dicitur illa, qua Deus ita vocat hominem, vt videt congruere illi, vt vocationẽ non respuat. Quare non magis inducit necessitatem, aut impedit libertatem gratia efficax, quàm præscientia; de qua copiosè disseruimus in lib. 4.

Atque hinc est, quod sanctus Augustinus vt plurimũ, cũ loquitur de gratia efficaci, nõ dicit, eã nõ posse respui, D sed de facto nõ respui. Si quãdo tamen dicit, nõ posse respui, intelligendũ est de hypothesi, nõ absolutè, vt sensus sit nõ posse fieri, vt is Deũ vocãtẽ nõ sequatur, quẽ Deus vocauit eo modo, quo præuidit eum sequuturum: tamen absolutè posse non sequi. Sed tunc Deus nõ eum præuidisset sequuturũ, & alio modo eum vocasset, quo sequuturũ præuidisset. Et quoniam Deus præuidet eos, quos vocat secundũ propositũ, liberè sequuturos, sicut nõ potest fieri, ex hypothesi vt non sequantur, ita non potest fieri, vt non liberè sequantur. In neutro enim falli potest prouidentia Dei, neque in eo, quod videt aliquem sequuturum, neque in eo, quod videt liberè sequuturum.

QVINTVM testimoniũ ex libro de gratia & lib. arb. c. 17. *Vt velimus*, inquit, *sine nobis operatur: cũ autẽ volumus, & sic volumus, vt operemur, nobiscũ cooperatur.* Hic triũphãt E aduersarij, quasi deprehenderint nos in manifesto errore, quod dicamus, nos cooperari Deo in ipsa prima conuersione, & ad actum volendi non solùm excitari, sed etiam adiuuari, cùm Augustinus perspicuè dicat, vt velimus, Deum operari sine nobis, & proinde in hoc nos non iuuari, sed simpliciter hoc à Deo in nobis fieri.

Nec desunt alia loca, quæ pro aduersariis facere videantur, vt illud in Enchiridio capite 32. *Totum Deo dandum est, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam. Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia, quia autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa.*

RESPONDEO, hoc argumentum vehementer nos terrere potuisset, si obliti essemus, quàm frequenter suprà dicentẽ Augustin. audiuerimus; quod nos ad Deum conuertimus, nisi ipso excitante, & adiuuante non possumus. Et velle suum, esse voluit & nostrum, suum vocando nostrum sequendo. Et, in opere credendi, cùm incipimus velle credere, nos operari opera Christi, & cooperari Deo, &c. Vide loca notata cap. 11. in hoc eodem lib. Sed præterea totum hoc argumentum solutum est in primo lib. huius tractat. de grat. & libero arbitrio capite decimoquarto.

Summa autem solutionis hæc est, Deum operari in B nobis, sine nobis, vt velimus, vno quodam genere caussæ, nimirum moralis, non autem omni genere caussæ. Nam efficit in nobis Deus, vt velimus interna inspiratione, & suasione, quo modo nos non operamur, vt velimus, non enim nos ipsi nobis persuademus; si enim id faceremus, iam vellemus. Sed quamuis Deus sine nostro præuio conatu nos moueat ad volendum, non tamen efficit ipsum velle, sine nobis cooperantibus consentiendo. Et ideo non ait Augustinus, velle facit sine nobis; Sed, vt velimus, facit sine nobis. Eodem modo voluntatem bonam præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam; quia illo genere caussæ, quæ facit vt velimus, sine nobis facientibus vt velimus, præparat voluntatem nobis non præparantibus eandem simili excitatione, & suasione, & ideo in hac re non iuuamur, cùm sine nobis fiat. Sed tamen alio genere caussæ nos præparamus voluntatem, adiuuante Deo, cùm vocationi diuinæ consentimus: *Homo*, inquit AVGVSTINVS libro secundo ad Bonifacium, capite octauo, *præparat cor, non tamen sine adiutorio Dei, qui tangit cor.* Hæc ille.

Quid si nunc ostendamus, hunc locum, de quo tantoperè triumphare videntur aduersarij, aduersus ipsos pugnare grauissimè? nam sanctus Augustinus posteaquam dixerat: *Vt velimus, sine nobis operatur*, subiunxit: *Cum autem volumus, & sic volumus, vt operemur, nobiscum cooperatur.* Quæro ab aduersariis, quid sit *nobiscum cooperatur?* Nam nobiscum Deus cooperatur, certè & nos operamur. Non autem dicimur operari, Deoque cooperari, quia producimus actum illum, vt instrumenta naturalia, ab alio mota, quoniã hoc modo operamur etiam ipsum velle, Caluino & Kemnitio testibus, cùm tamẽ ipsi idem negent, nos cooperari Deo in actu volendi.

Igitur fateri debent ex mente Augustini, nos operari opera externa, & in eis cooperari Deo, non tantùm producendo actum, sed etiam liberè producendo, vt verè dicamur cooperari Deo, & ab illo adiuuari. At non potest intelligi, quemadmodum sit libera actio externa, si non fuit libera electio siue voluntas interna. Actiones n. externæ nõ habent libertatem, nisi in sua caussa. Necessariò enim sequuntur electionem voluntatis, & imperium rationis. Non dat liberè eleemosynam, nisi qui liberè voluit dare; neque liberè orat, aut ieiunat, nisi qui liberè elegit orare, & ieiunare. Quare ex eo, quod admittere coguntur, nos liberè operari opera pietatis externa, coguntur etiam, velint nolint, admittere liberum arbitrium in ipso actu voluntatis interno.

ALIVD testimonium profert CRLVINVS ex lib. de corrept. & grat. capite 11. vbi dicit, August. affirmare, Adamum habuisse gratiam, per quam posset non peccare, nos habere multò maiorem, per quam fit, vt non possimus peccare. SED iam in præfat. ostendimus, hoc non argumentum, sed impudentissimum esse mendacium. Non enim dicit Augustinus nos non posse peccare, sed in futura vita eam libertatem sanctos habituros, vt non possint peccare. Vide quæ diximus in præfatione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XV.

Compendium disputationis de cooperatione gratiæ & liberi arbitrij, aliquot sententiis comprehensum.

AD EXTREMVM totius disputationis operæ precium esse duxi, si per modũ compendij sententiis aliquot cõprehẽderem, quid de cooperatione gratiæ, & liberi arbitrij sentiam, adiuncta simul auctoritate, nõ solùm Concilij, aut veteris alicuius patris, sed etiam Ioannis Driedonis, & Ruardi Tapperi, qui hac nostra ætate totam hanc materiam diligentissimè pertractarunt, vt habeat Lector, vbi plura legere possit, si velit.

SEPTEM quasi tempora hominis per Spiritũ renascentis, his nostris sententiis cõcludemus. PRIMVM dici B potest, cũ omni gratia Dei caret, & in tenebris peccati, vel morte iacet. SECVNDVM, cùm à Deo, per internam vocationẽ, excitatur. TERTIVM, cũ vocationi acquiescẽs, eligit pœnitẽtiã. QVARTVM, cũ incipit opera pœnitentiæ facere, orare, ieiunare, flere, eleemosynas dare. QVINTVM, cùm illi per actionẽ pœnitentiæ dispositio, gratia iustificationis infunditur. SEXTVM, cùm iustificatus, opera iustitiæ facere incipit. SEPTIMVM, cũ ipsa opera faciẽs viã mandatorũ magna alacritate percurrit.

PRIMA sententia: *Homo ante omnem gratiam liberũ habet arbitrium, nõ solum ad opera naturalia, & moralia, sed etiã ad opera pietatis, & supernaturalia.* Docet hoc sanctus AVGVSTINVS in libro de spiritu, & litera, c. 33. vbi dicit, liberum arbitrium esse vim naturalem, & mediam, quæ ad fidem, & infidelitatem inclinari potest. Vide Driedonem in lib. de concordia liberi arbitrij, & prædestinatio- C nis, cap. 3. & Tapperum in explicatione art. 7.

Idem etiam probatur ratione. Nam liberum arbitriũ non potest dari, nec tolli per gratiam, neque per peccatum: Manet igitur ante gratiam, & post peccatum. Non dari per gratiam, certum est, quia libero arbitrio possumus benè, & malè vti, & non nisi per ipsum peccamus, quando peccamus, vt S. Augustinus docet lib. 2. de pecc. mer. & remiss. c. 18. at gratię donis nemo potest malè vti. Neque per gratiam vllus peccat. Nec minus certum est, non dari liberum arbitrium per peccatum, quoniam nemo potest benè vti peccato, libero autẽ arbitrio (vt dictum est) benè, & malè vtimur. Nõ tolli per gratiam, extra controuersiam est, quoniam gratia perficit, non destruit naturã: Non tolli etiã per peccatum, inde constat, quod peccatum lædere potuit naturalia bona, non tamẽ D. extinguere, vt suprà multis argumentis probatum est.

SECVNDA sententia: *Habet homo ante omnem gratiam, potentiam remotam, & imperfectam ad opera pietatis faciẽda.* Docet hoc idem AVGVSTINVS lib. de prædestin. Sanctorum, c. 5. *Posse habere fidem, & caritatẽ, naturæ est hominum.* Item lib. de gratia Christi, c. 50. citat Ambrosiũ his verbis: *Naturalem possibilitatem, peccato esse vitiatã, enerue, infirmamq; testatur venerandus Ambrosius.* Vide Driedon. loco notato. Denique intelligi non potest, quomodo ad opera pietatis actiuè voluntas humana concurrat, si non habeat ex se potentiam actiuam, saltem remotam.

TERTIA, *Non habet homo ante omnem gratiã potentiam proximã, & perfectam ad opera pietatis, & ideo nihil omninò in hoc genere ex se facere potest.* S. AVGVSTINVS lib. 1. Retract. cap. 22. *In potestate,* inquit, *hominis est, mutare in melius voluntatẽ. sed ea potestas nulla est, nisi detur à Deo: de quo scriptum est: Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Atque hinc soluitur illud dilẽma Kẽnitij: Aut habet homo ex se aliquas vires, quãuis exiles, aut nullas omninò. Si habet aliquas: ergo potest aliquid sine Deo, cõtra illud Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Si nullas: igitur extinctum est liberum arbitrium, neque gratiæ cooperari potest. Sed hoc dilẽma ex dictis in hac, & superiore sententia, planè solutũ manet. Habet enim potentiam remotam, & vires A imperfectas, & ideo nihil per se potest, sed si perficiatur ea potentia, & vires addantur, poterit multa præstare.

DICES, Quomodo liberum est arbitrium ad vtrumlibet ante gratiã, si bonum facere nõ potest? RESPONDEO, liberum est, sed eius libertas est quasi ligata, & impedita; soluitur autem, & expeditur, cùm potentia proxima ad operandũ per Dei gratiã præuenientẽ ei cõfertur. Simile aliquid experimur in potentia videndi: nam absente specie sensibili, habet homo potentiã, & libertatẽ videndi; nõ enim ea species caussa est libertatis, aut potentiæ videndi: tamen potentia remota est, & libertas ligata, donec accepta specie potentia perficiatur, & in actum prodire possit.

QVARTA, *Gratia excitãs interna necessariò præcedere debet hominis cõuersionem, siue ab infidelitate ad fidem, siue à peccato ad iustitiam, neque sufficit gratia adiuuans.* Hæc est contra quosdã, qui existimãt, sufficere externã excitationem per Euangelij prædicationem, vel lectionem, cum auxilio Dei concurrente ad eliciendum actum cõuersionis.

Sed probatur nostra sententia ex loco illo Euangelij, Ioã. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eũ.* Tractus. n. non est gratia adiuuans, sed excitãs, quia præuenit nolentem, vt faciat volentem; gratia enim adiuuãs non præuenit, sed comitatur, neque dicitur trahi, qui iuuatur, sed qui impellitur. Neque per hũc tractum potest intelligi prædicatio externa. Dominus enim iam prædicauerat istis, quibus dicebat: *Nemo potest ad me venire, &c.* sed quoniam multi ex iis non conuertebantur, ideo adiunxit: *Nemo potest, &c.* & addidit: *Omnis, qui audiuit à Patre meo, & didicit, venit ad me.*

C De hoc tractu loquẽs AVGVSTINVS in lib. de prædestinatione Sãctorum, c. 8. *Valde,* inquit, *remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua Pater auditur, & docet, vt veniatur ad filium. Ibi est & filius, quia ipse est verbum eius, per quod sic docet, nec agit hoc cum carnis aure, sed cordis.* Nõ igitur hic tractus est prædicatio externa, quæ non est remota à sensibus carnis. Imò carnis aurem potissimũ pulsat.

Idem probatur ex can. 7. Concilij ARAVSICANI, vbi dicitur, hæretico spiritu falli eũ, qui dicit, posse hominẽ euãgelizãti prædicationi cõsentire, absque illuminatione, & inspiratione Spiritus sancti. Et ex illo can. 14. Concilij eiusdem: *Nullus miser de quantulacunq; miseria liberatur, nisi eum misericordia diuina præueniat.* Iam autem diximus, gratiam adiuuantem propriè non præuenire, sed comitari. Tunc enim solùm iuuamur, cùm re ipsa cõuersionis actum producimus.

Sed hoc ipsum clarissimè docet Concilium TRIDENTINVM, quod illi non spernunt, sed explicare conantur, contra quos in præsenti disserimus. Igitur Concilium sess. 6. c. 5. generatim loquens de cõuersione tam fidelis, quàm infidelis, dicit exordium iustificationis sumi à Dei vocatione, seu excitatione, & declarat hanc excitationem fieri, tangẽte Deo cor hominis per Spiritus Sãcti illuminationẽ, vbi apertè loquitur de excitatione interna. Deinde c. 6. de infidelib. dicit: *Disponuntur, dum excitati diuina gratia, & adiuti, &c.* Et c. 14. de fidelib. lapsis: *Qui vero,* inquit, *accepta iustificationis gratia per peccatũ exciderunt, rursus iustificari poterunt, cùm excitante Deo, per pœnitentia Sacramentum, merito Christi, amissam gratiam, recuperare procurauerint.* Et can. 3. *Si quis dixerit - sine præ-* E *ueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominẽ credere, sperare, diligere, pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.*

Nec puto vllum fore tam audacem, vt hunc locum in eam sententiam detorquere conetur, vt per præuenientem Spiritus sancti inspirationem intelligendam esse velit externam prædicationem. Multò etiam minus probãda est illorum interpretatio, qui dicunt, Concilium loqui de modo ordinario, & communi vocationis, non de omni vocatione. Nam Concilium non dicit, neminem

minem credere, aut pœnitere, sed neminem posse credere, aut pœnitere, sine præueniente inspiratione.

Idem probari potest ex Patribus. Nam certè AVGVSTINI verba clarissima sunt in secundo libro de peccatorum meritis, & remissione, capite 18. *Quod nos ad Deũ conuertimus, nisi ipso excitante, & adiuuante, non possumus.* Et ne trahatur excitatio ad prædicationem externam, repetatur locus, paulò antè citatus, de prædestinatione Sanctorum, cap. 8. & consulatur totus liber de gratia Christi, sed præsertim cap. 7. & sequent.

Sanctus verò GREGORIVS, non solùm prædicationem hominum, sed ipsam Dei vocem externam non sufficere sine interna inspiratione, confirmat in lib. 11. Moral. cap. 5: *Cain,* inquit, *diuina voce admoneri potuit, & mutari non potuit, quia exigente culpa malitiæ, iam intus Deus* B *cor reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat.*

Et sanctus FVLGENTIVS in lib. de Incarnatione, & gratia Christi, in vltimis verbis: *Frustra,* inquit, *sermo diuinus exterioribus auribus sonat, nisi Deus spirituali munere, auditum hominis interioris aperiat.*

Sanctus PROSPER in libro contra Collatorem, cap. 28. reprehendit Cassianum, quod diceret, inesse animæ semina virtutum, sed excitanda per externam prædicationem. Ponit enim hæc verba Cassiani: *Ad perfectionis incrementũ semina hæc peruenire non poterunt, nisi opitulatione diuina fuerint excitata.* Et addit: *Vt scilicet opitulatio Dei sit cohortatio, atque doctrina: mens autem, quæ virtutum est opulenta seminibus: vtatur facultate, quam possidet, &c.*

Denique sanctus BERNARDVS, vt alios omittam, in C lib. de grat. & libero arbitrio. *Conatus,* inquit, *liberi arbitry & casui sunt, si non adiuuentur, & nulli, si non excitentur.*

Accedat POSTREMO etiam ratio, nam gratia adiuuans, requiritur ad exercitium actus, gratia excitans ad specificationem. Illa enim est ratio agendi, & quasi semẽ fructus futuri, vt eam appellat sanctus PROSPER in 2. lib. de vocatione gentium, cap. 26. & sicut aqua, vt possit calefacere, non solùm exigit cõcursum diuinum, quo adiuuetur, sed etiam vt prius in ipsa imprimatur forma caloris, quæ sit ratio agẽdi: & terra, vt possit germinare, non solùm eget cooperatione Dei, sed etiã conceptione seminis: sic & humana mens, vt pariat actum pietatis, nõ auxilio tantùm eget cooperationis Dei, sed etiam semine Spiritus sancti, quod in gratia excitante, ac præue- D niente, id est, in illuminatione cordis, & boni desiderij inspiratione consistit.

At obiiciunt aliqui, PRIMO, Si semper requiritur excitatio præueniens, quomodo aliqui conuertuntur in momento? SECVNDO, Si semper requiritur excitatio præueniens, non igitur in potestate hominis erit cõuersio. Non enim excitatio illa est in hominis potestate. TERTIO, fideles, quamuis peccatores, fidem habent, igitur per eam orare possunt, ac per hoc non egent gratia excitante. QVARTO, Possumus nos addere testimonium S. AVGVSTINI ex lib. de Spir. & lit. c. 34. vbi sic loquitur: *Visorum suasionibus agit Deus, vt velimus, & credamus, siue extrinsecus per Euangelicas exhortationes, siue intrinsecus, vbi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem.* F

RESPONDEO ad PRIMVM, conuersionem fieri semper in momento, si cõuersio accipiatur pro actu voluntatis, quo vocationi Dei cõsentimus: sed si accipiatur pro toto illo opere, quo vocantem audimus, & vocationem percipimus, ac demũ illi acquiescimus, nõ posse fieri in momento, sed in tempore breuissimo, quod non inusitatè momentum dici poterit. Illos enim repẽtè cõuerti vulgò dicere solemus, qui statim vt audierint vocẽ aliquam cõcionatoris, aut sententiam aliquam legerint, vitam mutare constituunt: ita vt neque dies, neque horæ sed tempus longè breuius inter vocem concionatoris, & conuersionem peccatoris intersit.

Ad SECVNDVM RESPONDEO, Conuersionem A semper esse in potestate liberi arbitrij, quoniam potest semper conuerti, quando voluerit. Id enim dicitur esse in potestate (vt Augustinus definit libro de spiritu & litera, c. 31. & lib. 5. de ciuitate Dei, c. 10.) quod adest, quãdo volumus, & quando nolumus nõ adest. Quo sensu admittit Augustinus ibidẽ, fidẽ esse in potestate liberi arbitrij, quia credit homo, si vult, & si non vult, non credit. Cæterũ ipsum velle credere, aut conuerti, nõ potest homo habere, nisi per gratiam præuenientem acceperit, vt possit. Neque est in potestate hominis, vt Deus illũ vocet, atque excitet: alioqui non diceret Apostolus 2. ad Timot. 2. *Ne quando det eis Deus pœnitentiam, & conuertantur à diaboli laqueis.* Neque tam anxiè oraret Ecclesia pro infidelibus, aliisque peccatoribus, si possent ipsi suis viribus, absque diuina inspiratione conuerti. Atque hoc B est, quod suprà diximus, habere hominem ad actus pietatis, ante omnem gratiam, liberum arbitrium, & potentiam remotam, sed non proximam.

Ad TERTIVM RESPONDEO, In homine peccatore fidem quidem esse, sed mortuam. Quæ nihil operari potest in ordine ad salutem, nisi per diuinam inspirationem, & vocationem excitetur.

Ad QVARTVM RESPONDEO, Ad gratiã excitantẽ pertinere, vt proponat obiectum aliquod congruũ menti, per quod homo persuaderi possit, & præterea vt excitet mentem ad illud considerandum, & vt moueat voluntatem, eamque inclinet ad illud acceptãdum. Quod igitur aiunt ad repræsentationem obiecti, non est necessa- C rium, vt id semper fiat interius, sed satis est, si fiat extrinsecus per Euangelicam exhortationem, & hoc est, quod dicit eo loco sanctus Augustinus, vbi non negat requiri, vt Deus intrinsecus excitet ad intendẽdum prædicationi, & ad eam amplectendam. Quamuis illa etiam sit gratia Dei quod talis exhortatio extrinsecus offeratur, quæ menti sit congrua, vt idem Augustinus docet in lib. de bono perseuerantiæ, cap. 14. Vide Driedonem in lib. de captiuit. & redemp. generis humani, tract. 5. c. 2. par. 2. Tapperum in explicat. ar. 7. ante medium, id est, ante illa verba capitalia, tractantur circa hanc materiam, &c. pag. 315. in alia editione 320.

QVINTA sententia: *Gratia excitans datur homini sine vllis meritis præcedentibus, ac sine vlla præparatione.* Hæc satis probata est suprà capite 4. & 5. & manifestissima est, nam cùm hæc absolutè prima gratia sit, non potest vlla ratione cadere sub meritum, ne gratia non sit gratia: & cùm hæc eadem sit prima dispositio ad iustitiam, non potest eam vlla ratione præcedere alia dispositio.

SEXTA: *Gratia excitans non datur homini sine actione ipsius, quamuis sine cooperatione liberi arbitrij detur.* Hæc etiã probata est suprà in capite nono, & non minus est certa, quàm superior. Nam gratia excitans, duo quædam complectitur, initium bonæ cogitationis, & initium boni desiderij. Cogitare autem, & desiderare sunt actus mentis, & voluntatis. Quare fieri nõ potest. vt quis sine suo actu ad cogitandum, & desiderandũ excitetur. Quia tamẽ sunt repentini quidã motus, & omnẽ deliberationẽ rationis præueniũt, ideo nõ sunt actus liberi arbitrij: qua lia sunt etiã sæpe immũda desideria, & sordidæ cogitationes, quas diabolus interdũ nobis etiã inuitis immittit. Et sicut de malis motibus, quos inuiti patimur, quoniã liberi nõ sunt, verè dixit Apostolus: *Iam nõ ego operor illud, sed quod habitat in me peccatũ,* ad Rom. 7. Ita de istis motibus bonis eadem ratione, quia liberi non sunt, dicere possumus. Iam nõ ego operor illos, sed quæ præuenit me gratia Dei. De iis Augustin. in lib. de spiritu, & lit. cap. 34. scribit: *Visorum suasionibus agit Deus, vt velimus: siue extrinsecus per Euangelicas exhortationes, siue intrinsecus, vbi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem.*

SEPTIMA: *Ad assentiendum gratiæ excitanti, seu diuinæ internæ vocationi, requiritur necessario gratia adiuuans.* Hæc

Universidad de Deusto
Biblioteca

nota est ex testimoniis suprà citatis, Concilij Tridentini sessione sexta, capite quinto. Disponuntur ad iustificationem, dum excitati, & adiuti, liberè mouentur in Deum. Et sancti Augustini in Enchiridio, cap. 32. *Hominis voluntatem, & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam.* Et libro secundo de peccat. meritis, & remiss. capite 18. *Quod nos ad Deum conuertimus, nisi ipso excitante, & adiuuante non possumus.* Et S. Bernardi lib. de grat. & lib. arb. *Conatus liberi arbitrij, & cassi sunt si non adiuuentur, & nulli, si non excitentur.*

Est autem hoc loco breuiter annotandum, à nonnullis distingui QVATVOR motus, qui possunt in homine existere, cùm à Deo interna inspiratione excitatur. VEL enim qui vocatur, reiicit vocantem: VEL neque reiicit, neque recipit, sed finit Deum pulsare ad ostium cordis, & tamen nullo modo afficitur ad pulsantē: VEL neque reiicit, neq; recipit, sed gaudet tamē ea vocatione, & incipit affici ad vocātē: VEL denique simpliciter vocantē amplectitur, & se trahi finit quocunque ille voluerit.

Et quidem de primo & postremo cordis motu, nulla potest esse discordia. Certum est enim, posse hominem, sine auxilio gratiæ, reiicere vocantem, non enim Deus nos ad peccandum adiuuat: nec minus est certum, non posse hominem sine Dei gratia, vocantem amplecti. Ac de his duobus motibus loquitur sanctus AVGVSTINVS. cùm ait in libro de gratia Christi, capite decimoquarto: *Hoc arbitrium potest esse solum, si non venit, non autem potest esse, nisi adiutum. si venit.* De secūdo, & tertio aliqui ambigunt, sed vix est vlla iusta causa ambigendi. Nā secūdus pertinet ad primum, & tertius ad postremum.

Secundus (inquam) ad primum pertinet, quoniam audire vocantem, & non sequi, quid est aliud, nisi eum contemnere, ac reiicere? certè qui pauperem clamantem audit, & non mouetur ad misericordiam, neque aliquid ei donat, repellere illum dici potest, quamuis neq; verbo, neque manu illum abigat. Et qui longo tempore audit suadentem, & non persuadetur, nonne dicitur suadenti resistere? Quare S. Augustinus, loco notato, non ait: Hoc arbitrium potest esse solum, si Deum repellit, sed ait: *Potest esse solum, si non venit.* Itaque non solùm repellere vocationem contrario aliquo actu, sed etiam non eam admittere, & non venire, reiicere est.

Tertius autem motus ad postremum pertinet, nec sine adiutorio gratiæ haberi potest, quoniam gaudere de vocatione Dei, initium est bonæ voluntatis, piique affectus erga Deum, & licet non sit absolutè venire, tamen est inclinari ad veniendum, & quasi itineris inchoatio.

OCTAVA sententia: *Neque gratia excitans, neque adiuuans, vllam imponit homini necessitatem, quo minus possit libere consentire, aut dissentire Deo vocanti.* Nā inprimis gratia excitans, si solùm sit sufficiens, non autē efficax, reiici potest, & re ipsa reiicitur, vt experiētia docet. Si verò sit efficax, non reiicitur vnquā neque potest reiici ex hypothesi, sed absolutè reiici potest, vt ostendimus capite superiore: & ratio est, quoniam gratia, quantumuis efficax, nihil est aliud, nisi suasio, quæ non determinat voluntatem, sed inclinat per modum proponentis obiecti: Sed ideo nunquam reiicitur, quia Deus sic suadet, vt videt aptum esse homini, vt suasori acquiescat.

Gratia verò adiuuās TRIBVS in rebus cōsistit. PRIMO, in directione hominis. SECVNDO, in protectione eiusdem, contra varias hostis nostri diaboli impugnationes. TERTIO, in cooperatione intrinseca, ad eliciendū actum cū ipsa voluntate. Et quidē directio, & protectio nullam imponunt necessitatem, cùm non attingāt ipsum actum liberæ electionis, sed tantum remoueant impedimēta. Cooperatio autē illa intrinseca nō alio modo cōcurrit, quàm auxilium generale. Sicut enim ad opera naturalia facienda necessariū est auxilium generale, sic ad opera supernaturalia, auxilium speciale: & sicut illud nūquā deest iis, qui habent formas naturales, per quas operari queāt: ita neq; hoc deest vnquā iis, qui habēt formā supernaturalē, ideſt, habitus infusarum virtutū, vel certè gratiā excitantē: & sicut deniq; auxiliū generale ita cōcurrit cum omnibus rebus in actionibus naturalibus, vt tamē non impediat libertatē, & contingentiā, vt ostēdimus in quarto libro huius disputationis: ita speciale auxilium adiuuans, ita concurrit ad omnes actiones supernaturales, vt non impediat hominis libertatem, quoniā eodem prorsus modo auxilia ista concurrunt, vt rectè docet Ruardus Tapperus in explicat. art. 7.

Neque hoc negari potest à Catholicis, salua Concilij Trident. auctoritate, quod disertis verbis in sexta sessione, capite 5. & canone 4. docet, hominem excitatum, & adiutum, liberè moueri in Deum, quoniam vocationem Dei & recipere, & reiicere potest. Sed refutādæ sunt distortæ quædam huius canonis explicationes.

Dicunt enim aliqui, hominem liberè moueri in Deū, cùm ab eius gratia excitatur, & adiuuatur, quoniam spōte, & cum pleno, atque perfecto iudicio rationis mouetur, tametsi necessariò moueatur.

AT Concilium nō solùm dicit, hominem liberè moueri, sed etiam adiungit rationem, quia potest gratiam non recipere, & vocationi resistere, quod certè non posset, si necessariò moueretur. DEINDE, nonne beati, qui Deum vident, sponte feruntur per amorem in Deum, & cum pleno, atque perfecto iudicio rationis, & tamen ex communi sententia Theologorum non liberè mouētur, quia non possunt non moueri? DENIQVE, Caluinus ipse, qui præter cæteros huius temporis hæreticos, liberum oppugnat arbitrium, non negabit, hominem liberè moueri in Deum, si hoc sit libere moueri, sponte, & cum pleno iudicio rationis moueri. Sic enim loquitur in libro secundo aduersus Pighium: *Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium, & constanter asseuero, & pro hæretico habeo, quisquis secus senſiat.* Quid igitur Concilium contra hæreticos huius temporis laborauit in canonibus condēdis, si Caluinus nobiscum sentit, aut nos potius cum illo sentimus?

Dicunt RVRSVS. hominem posse dissentire, si velit, sed tamen non posse id velle, si gratiam Dei habeat, & hanc ipsam sententiam fuisse Concilij.

AT Concilium non solùm dicit, posse hominem dissentire, si velit, sed etiam dicit absolutè, posse hominem gratiam Dei excitātem abiicere, vt patet ex capite quinto sessionis sextæ. DEINDE, non posse velle dissentire, pugnat omninò cum libero arbitrio, si ponatur (vt aduersarij ponunt) ideo non posse velle dissentire, quia gratia determinat voluntatem actiuè, & intrinsecè ad contrarium. Nos quidem suprà sæpè diximus, posse hominem credere aut diligere Deum, si velit: non tamen posse velle sine adiutorio gratiæ. Sed hoc rectè dicebatur, quia liberum arbitrium ad bonum est infirmum, & ideo indiget adiutorio, sed adiutorio præstito, dicebamus. posse hominem velle, & non velle, & eo modo verè, ac propriè esse liberum. At si gratia Dei præsente, non potest homo velle dissentire, ea verò absente, non potest velle consentire, nulla est arbitrij libertas, neque ab hæreticorum opinione receditur.

Dicunt ITERVM. posse hominē, iuxta Cōcilij decretū cōsentire, & dissentire, quia potest fieri, vt habeat gratiā. & potest etiā fieri, vt nō habeat gratiam. At hoc non facit hominem liberum, sed Deum, qui pro arbitrio gratiam tribuit, vel non tribuit. Alioqui dici posset liberum etiam iumentum, quia potest currere, & non currere, si placeat sessori calcaria adhibere, vel non adhibere, & habenas laxare, vel non laxare. Sed respondent, iumentum numquam posse dici liberum, quia naturaliter determinatur ad vnum, homo verò non naturaliter, sed beneficio gratiæ determinatur ad bonum.

ATnos

ATnos non quærimus nunc, vnde tollatur libertas, ex natura, an gratia, sed, an tollatur, & an sit verum, quod Scriptura dicit, Qui potuit transgredi, & non est transgressus: facere malum, & non fecit, & quod Concilium dicit, hominem liberè recipere gratiam internæ inspirationis, quoniam eam reiicere etiam potest. Quidquid enim fit de Deo, & beatis, qui peccare non possunt, Ecclesia Catholica in hominibus mortalibus, secundùm Scripturas diuinas, & communem Patrum consensum, eam libertatem defendit, per quam possint benè agendo mereri præmium, quia poterant non benè agere: & malè agendo mereri pœnas, quia poterant non malè agere, vt in 4. & 5. libro satis abundè monstrauimus.

Dicunt POSTREMO, Concilium loqui de gratia excitante, non de adiuuante, cùm dicit. posse ab homine gratiam reiici, & posse hominem dissentire, si velit: sed autem nō gratiam excitantem sed adiuuantem asserere ita efficacem, vt voluntatem determinet, & reiici nō possit.

At isti fallūtur. PRIMVM in eo, quod gratiam efficacem putant esse gratiam adiuuantē, cùm secundùm Scripturas, & sanctum Augustinum gratia efficax sit ipsa vocatio, siue excitatio secundùm propositum, vt copiosè probauimus in libro, 1. capite 12. Vnus hic locus sufficiet ex libro de gratia, & libero arbitrio, cap. 5. *Vt Paulus*, inquit, *tam magna, & efficacissima vocatione conuerteretur, gratia Dei erat sola.* Vbi vides, gratiam efficacem esse ipsam vocationem. Quæ autem fuerit illa vocatio, explicat idem AVGVSTINVS in libro primo ad Simplicianum, extremo: *Vna*, inquit, *desuper voce prostratus, Paulus videlicet, occurrente vtique tali viso, quo mens illa, & voluntas, refracta sæuitia retorqueretur, & corrigeretur, ad fidem.* Gratia igitur efficax in conuersione beati Pauli fuit vox de cœlo, cum interna tali inspiratione, & suasione, qualis cōgruebat, vt Paulus eam non sperneret. Vide locum citatum, vbi perspicuè hæc veritas demonstratur.

Neque solùm in eo labuntur isti, quod gratiam efficacem in adiuuante, non in excitante constituunt, sed etiā in eo, quod dicunt, excitantem gratiam respuj posse, non adiuuantem. Nam cùm ad hoc detur adiuuans, vt excitans, non respuatur, sed ei consentiatur: Quomodo potest respui gratia excitans, si respui non potest adiuuans.

ADDE quod si propriè loqui velimus, recipi & reiici, non potest conuenire gratiæ adiuuanti, quia gratia adiuuans nō est aliquid, quod homini offeratur, sed est ipsa productio actus, quæ non est, nisi quando actus producitur, quando autem actus producitur, non potest fieri vt non producatur, & in hoc sensu non potest reiici gratia adiuuans, sicut nec ipsa cooperatio nostra, quæ sunt omninò simul. Et ideo Concilium non dixit, posse reiici gratiam adiuuantem, sed solùm excitantem.

Sed quamuis gratia adiuuans, propriè loquendo, non possit reiici, tamen adhuc remanet quæstio, an operatio illa Dei, determinet prius naturā voluntatem nostram, nec ne. Nam si non determinat, vt nos probauimus in quarto libro ferè extremo, in nostra potestate est, vt ea gratia ponatur, vel non ponatur, & sic in quodam sensu potest reiici, quomodo auxilium generale in nostra quodammodo potestate est, & in quodam sensu potest reiici, quia si volumus operari, ponitur, si nolumus, non ponitur. At si gratia illa determinat prius naturā voluntatem nostram, tunc quidem in nullo sensu potest reiici, sed tollitur libertas arbitrij, vt loco citato satis probāsse nos credimus.

NONA sententia. *Fieri potest, vt eadem motione interna duobus adhibita, vnus conuertatur, aliius nō conuertatur, & vnus magis, alius minus proficiat.* Hæc est Ruardi Tapperi loco citato, & colligitur ex iis, quæ antè dicta sunt. Nam motio diuina relinquit hominem planè liberum, vt possit conuerti, & non conuerti, & magis minusque proficere. Et confirmatur ex parabola seminantis, Matthæi 13. vbi Dominus causſam diuersitatis, cur idem semen alicubi multum, alicubi parum, alicubi nihil omninò protulerit refert in variam terræ dispositionem. Denique accedit etiam communis piorum confessio, qui negligentiam suam accusant, & ingenuè profitentur, se non tantùm proficere, quantùm possent, si gratiæ diuinæ maiori studio cooperarentur.

DICES, si res ita se habet, poterit, qui conuertitur, aut qui magis proficit, gloriari aduersus alterum, qui ex eadem vocatione, & auxilio conuerti noluit, aut minus proficere studuit. At id est contra illud Apostoli 1. ad Corinth. 4. *Quis te discernit? quid habes, quod non accepisti?*

RESPONDEO, Qui non conuertitur, aut minus proficit, meritò poterit negligentiam suam accusare, quod gratiæ diuinæ cooperari noluerit: qui verò conuertitur, aut magis proficit, non habet, vnde glorietur, nisi in Domino, quoniam dono Dei habuit, non solùm posse conuerti, & proficere, vt alius, sed etiam velle cōuerti, & magno feruore proficere. Tametsi enim eadem fuit motio in vtroque, quod attinet ad substantiam motionis, tamē vni fuit congrua, alteri non fuit. Et quoniam gratia Dei singularis est, vt dignetur ita mouere hominem, sicut videt congruum, atque aptum esse illi, vt persuadeatur, atque consentiat, ideo non diximus, posse fieri, vt vnus cōuertatur, alius non couertatur, si eadem vtrique gratia donetur, id enim falsum esse cēsemus: Sed si eadem vtrique motio adhibeatur. Potest enim, vt diximus, eadem motio vni esse congrua, alteri non congrua, ac per hoc vni dari vt possit, alteri vt possit, & velit.

DECIMA sententia, *Conuersio hominis ad Deum, vt etiā quodlibet aliud opus pium, quatenus opus, à libero arbitrio est tantum, non tamen secluso auxilio generali: quatenus pium, à sola gratia est: quatenus opus pium à libero arbitrio, & gratia simul.* Hæc est eiusdem Ruardi ibidem. Et probatur, quoniam causa efficiens actionis humanę, vt est actio, est ipsa voluntas hominis: vt est libera, est libertas arbitrij: vt est pia, est diuinum semen, & auxilium tali semini conueniens. Proinde gratia solùm facit, vt actio humana sit talis, id est, pia, & supernaturalis, ad quod sanè viribus suis nunquam ipsa natura pertingeret.

VNDECIMA: *Ad opera, quæ sequuntur actum conuersionis tam interna, quàm externa, id est, ad opera pœnitentiæ, quibus ad iustificationis gratiam præparamur, non videtur requiri necessario noua aliqua gratia, sed solum continua directio, & protectio, & conseruatio diuini seminis iam concepti, & formati.* Est Ruardi ibidem, & probatur, quoniam posita volūtate efficaci, non est dubium, quin cætera opera necessariò consequantur. Nam qui vult efficaciter vitam, mutare, orare, ieiunare, eleemosynas dare, continere se à deliciis, & voluptatibus, ista omnia non difficulter exequitur. *Certum est* (inquit AVGVSTINVS in lib. de grat. & lib. arbit. ca. 16.) *nos mandata seruare, si volumus. sed quia præparatur voluntas à Domino: ab illo petendum est, vt tantum velimus, quantū sufficit, vt volendo faciamus.* Et infrà: *Certum est nos facere, cùm facimus, sed ille facit, vt faciamus, præbens vires efficacissimas voluntati.* Et in lib. 8. Confessi. cap. 9. totam causſam, cur non posset abdicare à se carnis voluptates, eam fuisse dicit, quia non plenè volebat.

Ad hæc, sicut in operibus mentis, ex principiis cognitis, possumus discurrendo conclusiones colligere: Sic etiam in operibus voluntatis ex amore finis, siue naturaliter excitato, siue ex diuina inspiratione concepto, possumus sine dubio, absq; noua inspiratione progredi ad inquisitionem, & electionem mediorum. Gratia siquidē non tollit, aut impedit, sed iuuat, ac perficit naturalē efficaciam liberæ volūtatis. Qui ergo Deo misericorditer præuenienti, & vocanti acquiescens, firmissimè statuit mutare vitā, poterit sine nouę gratiæ inspiratione inquirere, & accipere media, ad hoc vtilia, modò, vt diximus, non desit diuinæ directionis, ac protectionis auxilium.

Neque

Universidad de Deusto
Biblioteca

Neque repugnat hæc sententia definitioni illi Ecclesiasticæ, quam refert S. August. in epist. 106. quod gratia ad singulos actus detur. Significatur enim ea definitione, nullum esse posse pium actum, qui non sit donũ Dei, & non oriatur ex gratia, sed ex solis naturæ viribus. Id quod nos libentissimè cõfitemur. Nam opera bona, quæ consequuntur, omnia dona Dei sunt, & ex gratia oriuntur, TVM quia imperantur à bona voluntate, quam Deus in nobis per gratiam præueniẽtem præparauit, & fecit, TVM etiam quia sine speciali Dei directione, & protectione non fiunt.

DVODECIMA sententia: *Habitus gratiæ iustificantis à solo Deo infunditur, non tamen sine præuia dispositione nostra.* Hæc certissima est, quoniam habitus gratiæ diuina qualitas est, quæ non educitur de potentia naturali, sed per quandam quasi creationem producitur: Solus autẽ Deus res creare potest. Itaque S. AVGVSTINVS in Psal. 118. concione 26. tractans illud: *Feci iudicium & iustitiam*, distinguit iustitiam actualem, quam faciunt, qui iusti sunt à iustitiæ virtute, qua iusti sunt, ac de ista posteriore loquens: *Quis*, inquit, *facit in homine iustitiam, nisi qui iustificat impium?*

Ex quo sequitur (vt Ruardus loco citato sapienter admonuit) cùm gratia præueniens semini comparatur, non fieri similem gratiam illam seminib. herbarum, quæ virtute continent formam rei producendæ, sed semini humano, quod non continet virtute formam humanam, id est, animam rationalem, quæ à solo Deo creatur, sed dispositiones tantum ad eam formam recipiendam. *Renati*, inquit B. Petr. in epi. 1. cap. 1. *non ex semine corruptibili sed incorruptibili per verbũ Dei.* Itaq; sicut in humana generatione, ex vi seminis disponitur, formaturque materia, vt fiat apta ad animã ex diuina creatione, atq; infusione recipiendã: sic etiã ex vi gratiæ excitãtis, & adiuuantis, disponitur anima peccatoris, vt ei gratia iustificationis d uino munere infundatur. Porro de gratia iustificante in sequenti disputatione, Deo propitio disseremus.

TERTIADECIMA sententia: *Homo iustus potest, quando vult, iustitiam tam internam, quam externam, exercere, id est, bona opera facere, ac præcepta diuina seruare, neq; indiget ordinariè noua gratia excitante, sed solùm adiuuante.* Colligitur hæc sententia de superioribus. Nam si potest homo, nondum iustificatus, ex semine bonæ inspirationis producere fructum conuersionis, & operum pœnitentiæ, quanto magis ex semine gratiæ, gratum facientis, producere poterit fructum iustitiæ, & operum bonorũ? Habetur id præterea disertis verbis positum in canone postremo Concilij Arausicani.

Diximus autem *ordinariè* quoniam non est negandum in arduis quibusdam operibus exigi noua & specialia auxilia gratiæ. Requiri autem in omni opere bono, & pio, gratiam adiuuantem, id est, dirigentem, ac protegentem, nec sufficere gratiam iustificantem, docent Scripturæ, Concilia, & Patres passim. Illud enim Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere*, dictũ est Apostolis, qui sine dubio iusti erant, vt notat S. AVGVSTINVS in lib. de correp. & grat. cap. 1. Et illud: *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilat, qui custodit eam.* Psal. 26. intelligunt Hilarius in comment. huius Psalmi, & Ambrosius lib. 2. in Luc. de anima iusti, quæ sine diuina protectione non potest tentationi resistere. Concilium ARAVSICANVM can. 19. *Non potest*, inquit, *natura humana, sine gratia salutem custodire, quam accepit.* Quod idem docet Cælestinus in epist. ad Gallos, cap. 6. & S. Augustinus in lib. de gratia, & lib. arbit. cap. 6. & de correp. & grat. cap. 12. & alibi.

FINIS PRIMÆ CONTROVERSIÆ PRINCIPALIS.

TERTIÆ CONTROVERSIAE GENERALIS CONTROVERSIA SECVNDA PRINCIPALIS.

QVAE EST DE IVSTIFICATIONE IMPII, & bonis operibus generatim, Quinque libris explicata.

ORDO DISPVTATIONIS.

DE *IVSTIFICATIONE, QVAE EST SECVNDA CONTROVERSIA principalis, TRIA potissimum tractanda sunt. PRIMO, De dispositione, præcedente iustificationem. SECVNDO, De ipsa iustificatione. TERTIO. De operibus consequentibus iustificationem.*

De dispositione præcedente DVAE sunt præcipuæ Quæstiones. PRIMA, Quænam sit fides iustificans. SECVNDA, An fides sola iustificet, quibus annexa erunt aliæ DVAE, An fides iustificans possit a caritate disiungi. Et, An sit alicuius precy, vel meriti coram Deo.

De ipsa iustificatione multæ sunt quæstiones. VNA, An iustitia, qua formaliter iustificamur, sit inhærens, an imputatiua. ALTERA, An illud INHAERENS sit actus, vel habitus. TERTIA, De certitudine gratiæ, & remissionis peccatorum, & perseuerantiæ. QVARTA, De inæqualitate, & mutabilitate iustitiæ.

De operibus consequentibus, sunt item quæstiones multæ. VNA, De necessitate operum bonorum. SECVNDA, De veritate iustitiæ, siue de impletione legis. TERTIA, De merito. QVARTA, De intuitu mercedis. QVINTA, De fiducia meritorum. SEXTA, Quid requiratur ad meritum. SEPTIMA, De merito, ex condigno. Quas quæstiones omnes quinque sequentibus libris, Deo fauente, explicabimus.

LIBER PRIMVS: DE IVSTIFICATIONE QVI EST DE FIDE IVSTIFICANTE.

CAPVT PRIMVM.

De nomine iustificationis, & iustitiæ.

ANTEQVAM AD IPSAM QVAESTIONEM, de fide iustificante, explicandam aggrediamur, pauca quædam, quasi prolegomena præmittenda sunt, de nomine iustificationis, & iustitiæ, de caussis iustificationis, & de sententia hæreticorũ, ac statu totius quæstionis.

Quod igitur ad PRIMVM attinet, iustificationis nomen in sacris literis multis modis accipitur, PRIMVM, pro ipsa lege, quæ iustitiam docet, qua notione passim vtitur Dauid in Psal. 118. *Iustificationes tuas custodiam. Doce me iustificationes tuas. Vtinam dirigantur viæ meæ, ad custodiẽdas iustificationes tuas, &c.*

DEINDE, pro acquisitione iustitiæ, vt 1. ad Corint. 6. *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis.* Ad Rom. 8. *Quos vocauit, hos iustificauit.* Et c. 4. *Credenti in eum, qui iustificat impium.*

TERTIO, pro incremento iustitiæ, nam quemadmodũ vsitatè dicitur calefieri, nõ solùm qui fit calidus ex frigido, sed etiã qui ex calido fit calidior, sic etiã iustificari dicitur nõ solũ is, qui ex impio fit iustus, sed ille quoque qui ex iusto fit iustior. Sic loquitur Ecclesiasticus ca. 18. *Ne verearis usque ad mortẽ iustificari, quoniã merces Domini manet in æternum.* Et Iacobus in epistola sua, cap. 2. *Videtis, quod ex operib. iustificatur homo, & non ex fide tãtum.* Et Ioãnes in Apocal. cap. 22. *Qui iustus est, iustificetur adhuc.*

QVARTO, pro declaratione iustitiæ, modo quodam forensi, vt ille dicatur iustificari, qui cùm esset ab accusatore factus reus alicuius iniquitatis, à iudice per sententiã declaratur iustus, atque absoluitur. Sic vtitur hac voce Salomon Prouer. 17. *Qui iustificat impium, & qui condẽnat iustum, vterque abominabilis est apud Deũ.* Et Isaias c. 5. *Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiã iusti auferetis ab eo.* Et Luc. cap. 7. *Iustificata est sapientia ab omnibus filiis suis.* Et cap. 10. *Ille autem volens iustificare se ipsum.*

Ex his acceptionibus aduersarij istã QVARTAM in cõtrouersia de iustificatione, maximè propriã esse docent, illam autem secundam, & tertiam, quæ nascitur ex secunda, impropriam esse dicunt, & apud nullos probatos auctores inueniri. Sed de hac re disseremus in 2. lib. cap. 3.

Porrò iustitia, vnde iustificatio nomẽ habet, nihil est aliud, nisi ordinis rectitudo. Id enim est iustum, quod rectum, & adæquatum, & cũ sua regula optimè congruens. Inueniuntur autem in sacris literis plures iustitiæ acceptiones. INTERDVM enim idem sonat iustitia, quod ius. Quo modo loquitur Iacob in Gen. c. 30. *Respondebit mihi cras iustitia mea, cum placiti tempus venerit apud te.* Et Isaias c. 5. *Iustitiam iusti auferetis ab eo.*

INTERDVM accipitur pro rectitudine scripta in libris, quæ propriè iustitia legis dici potest. Psal. 18. *Iustitiæ Domini rectæ, delectantes corda.* Ad Rom. 2. *Si præputium iustitias legis custodiat, &c.*

Accipitur TERTIO, iustitia pro rectitudine operũ externorũ, quæ dici potest iustitia operũ. De qua Dominus Matt. 5. *Nisi abũdauerit iustitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæi*

Universidad de Deusto
Biblioteca

& Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Iustitia enim Scribarum, & Pharisæorum, tota in externa legis observatione erat, de qua etiam Apostolus ad Romanos quarto. *Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriã, sed ad non Deum,* Homines enim laudant eũ, quem vident opera externa facere, secundùm regulas iustitiæ, de interno affectu minimè iudicantes, & talis ferè est iustitia politica, quam solam Philosophi cognouerunt, & docuerunt, ea enim ordinat homines inter se, quantum ad actiones externas. Est autem duplex ista iustitia politica & humana, altera vniuersalis, quæ & legalis dicitur, altera particularis. Iustitia LEGALIS non est vna aliqua virtus, sed aggregatio omnium virtutum. quæ necessariæ sunt ad leges obseruandas, de qua Philosophus in lib. 5. de moribus, capite primo: *Iustitia*, inquit, *virtutes in se continet omnes.* Iustitia PARTICVLARIS, specialis est virtus, quæ rursus diuiditur in commutatiuam, & distributiuam.

Accipitur DENIQVE pro rectitudine interna, qua homo rectè ordinatur erga Deũ, & proximum, quæ sola est simpliciter, & absolutè iustitia, & dicitur iustitia fidei quia à fide incipit, & iustitia Dei, quoniam ab illo donatur. De hac scribit Apostolus ad Philipp. 3. *Et inueniar, in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est iustitia in fide.* Vbi notandum est, iustitiam ex lege, quæ opponitur iustitiæ ex fide, non esse iustitiam legis, id est, iustitiam scriptam in lege, sed esse iustitiam factam sine auxilio gratiæ, ex sola cognitione legis: *Miro modo* (inquit AVGVSTINVS in libro tertio ad Bonifacium, capite 7.) *sed tamen vero, iustitiam legis non implet iustitia, quæ in lege est, sed quæ in spiritu gratiæ.* Idẽ. n. significãt, iustitia ex lege, & iustitia in lege.

Interna igitur iustitia sedem habet in corde, nam iustitia legis est in libris, iustitia operum est in manibus, iustitia fidei, siue Dei, est in animo, id est, in voluntate, quæ cordis nomine in Scripturis appellari solet, & ideo in Scripturis iusti dicuntur recti corde, vt in Psalm. 31. *Lætamini iusti in Domino, & gloriamini omnes recti corde.* Et Psal. 96. *Lux orta est iusto, rectis corde lætitia.* De qua sic loquitur S. AVGVSTINVS lib. 19. de ciuit. Dei, cap. 27.

Hic in vnoquoque iustitia est, vt obediẽti Deus homini, animus corpori, ratio autem, vitiis, etiam repugnantibus, imperet, vel subigendo, vel resistendo.

Est autem hæc iustitia duplex, habitualis, & actualis, quod apertè docet S. AVGVSTINVS concione 26. in Psal. 118. tractãs illud: *Feci iudicium, & iustitiam,* vbi monet, Psalmum loqui de iustitia actuali, id est, de opere iustitiæ, quod faciunt qui iusti sunt. iuxta illud 1. Ioann. 3. *Qui facit iustitiam, iustus est:* non de ipsa virtute iustitiæ, quam Deus in nobis facit, cùm iustificat impium.

De hac igitur iustitia loquimur, cùm de iustificatione disserimus. Cuius iustitiæ caussas omnes ex Scripturis, & Tridentino Cõcilio breuiter percurremus, vt videamus, quid sit apud omnes certum, & quid adhuc in quæstione remaneat.

CAPVT II.

Explicantur caussæ iustificationis.

CAVSAE rerum omniũ sunt QVATVOR, Finis, efficiens, materia, & forma. FINIS iustificationis impij, est gloria Dei, & Christi, & salus æterna eorũ, qui iustificãtur. Ita enim Concilium Tridentin. docet sess. 6. c. 7. & Cõcilij doctrina, cum Scripturis sanctis apertissimè congruit. Nam de gloria Dei sic loquitur Isaias. cap. 43. *Omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eũ.* Et Apostolus ad Ephes. 1. *Prædestinauit nos in adoptionem filiorum in laudem gloriæ gratiæ suæ.* De gloria Christi sic loquitur idem Apostolus ad Heb. 2. *Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriã adduxerat, auctorẽ salutis eorũ per passionem cõsummari.* Vbi videtur propter Christũ esse omnia, ac per hoc ipsius gloriã finem esse totius operis redemptionis humanæ.

Quod etiã ex eo potest intelligi, quod cùm Christus sit caput omnium iustorum, in ipsum redundat omnis gloria iustificationis ipsorum. Neque enim dubitari potest, quin pulchritudo membrorum pertineat ad gloriã capitis. Itaque sanctus Gregorius lib. 32. Moralium, ca. 5. scribit, Christum in cœlo quasi vestiendum, atque ornandum esse gloria omnium Sanctorum, iuxta illud Isaiæ 49. *Omnibus his velut ornamento vestieris.*

DENIQVE, salutem propriam finem esse iustificationis, docet Apostolus Paulus ad Romanos sexto: *Nũc verò liberati à peccato, seruiẽ autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Et Apostolus Petrus in epist. 1. cap. 1. *Vt reporteris finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum.*

Caussa EFFICIENS primaria est bonitas, & misericordia Dei, efficiens per modũ meriti, est Christi passio, efficiens per modũ instrumenti cõiuncti, est ipsa Christi humanitas, per modum instrumenti separati, sunt verbũ, & Sacramenta, & qui illa Christi nomine administrant.

De PRIMARIA caussa efficiente legimus in libro Iob, c. 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptũ semine? nonne tu qui solus es?* Et Isaiæ capite 43. *Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Et ad Roman. 3. *Vnus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.* Denique cùm iustificatio impij constet ex remissione peccati, & infusione gratiæ adoptionis filiorum Dei, quis potest remittere peccata, id est, debita cõtracta cum Deo, nisi ipse Deus? & quis potest adoptare seruum, & inimicum in filium Dei, nisi idem Deus?

De caussa MERITORIA loquitur Isaias, cap. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & iustificabit ipse iustus seruus meus multos.* Et Apostolus Paulus ad Roman. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem, &c.* Et Apostolus Petrus in epist. 1. cap. 1. *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati, & incontaminati Christi.* Et Apostolus Ioann. in epist. cap. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, nõ pro nostris autẽ tãtum, sed etiã pro totius mũdi.*

Est autem hoc loco breuiter ANNOTANDVM, Christum nõ esse caussam meritoriam, quasi Pater in gratiã filij nobis peccata dimiserit, quo modo sæpè Reges in gratiam amicorum petentium, reos absoluunt, sed quoniam precium redemptionis exactè perfoluit. & ex rigore iustitiæ (vt Theologi loquuntur) pro nostrũ omnium sceleribus satisfecit. Id enim significãt Scripturæ, cũ vocabulo redemptionis vtuntur. & hoc idem indicare voluit Concilium Trid. loco citato. cùm docuit, Christum Caussam esse meritoriam nostræ iustificationis, quoniã passione sua pro peccatis nostris integrè satisfecit, & nobis reconciliationem, gratiamque promeruit.

De caussa INSTRVMENTARIA, sed CONIVNCTA, loquitur Scriptura, cùm Dei filium ratione assumptæ naturę, brachium Domini nominat, vt Isaię. 53. *Quis credidit auditui nostro, & brachium Domini, cui reuelatum est? & ascendet sicut virgultum coram eo, & tamquam radix de terra sitienti, non est species ei, neque decor, &c.* Vide S. Cyrillũ lib. 4. in Ioan. c. 12. 14. & 23. Damascenũ lib. 3. c. 15:

De caussa instrumẽtaria SEPARATA, id est, de verbo Dei, & Sacramẽtis, & de ipsis ministris verbi, & Sacramẽtorũ, Scriptura diuina frequẽtissimè loquit, De VERBO, Iac. c. 1 *Voluntariè genuit nos verbo veritatis.* Itẽ: *Suscipite in sitũ verbũ, quod potest saluare animas vestras.* De SACRAMENTIS Apostol. Petrus in epist. 1. c. 3. *Saluos facit Baptisma.* Et Apostolus Paulus ad Titũ 3. *Saluos nos fecit per lauacrũ regenerationis, &c.* De MINISTRIS idẽ Paul. 1. ad Cor. 3. *Dei adiutores sumus.* Et 2. ad Cor. 1. *Posuit in nobis verbũ reconciliationis.* Et Dominus ipse Io. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Caussa MATERIALIS dici potest animus hominis, siue ipsa eius voluntas, in qua iustitia, tanquam in subiecto, & sede propria commoratur. Pertinent quoque ad materialem caussam dispositiones, quæ materiam præparant ad recipiendam formam. Dicuntur autem dispositiones ad iustificationem illi omnes actus gratiæ, & liberi arbitrij, quibus donum ipsum iustificationis acquiritur, quales sunt ex sententia Concilij Tridentini, sess. 6. cap. 6. actus fidei, timoris, spei, dilectionis, pœnitentiæ, de quibus posteà disseremus.

Causa FORMALIS intrinseca iustificationis est ipse habitus gratiæ, siue charitatis infusus, vt pòst suo loco probabimus. Caussa formalis extrinseca, quę & exemplaris dicitur, est ipsa Christi iustitia. *Nam quos præscíuit, eos Deus prædestinauit, cõformes fieri imaginis filij sui,* vt Apostolus loquitur ad Rom. 8. qui etiam 1. ad Cor. 15. monet, vt portemus imaginem hominis cœlestis, id est, Christi, sicut portauimus imaginem hominis terreni, id est, Adami. Deniq; formalis causa, non in habitu, sed in actu, sunt ipsa opera iusta, quæ etiam effectus iustitiæ, vel iustificationis dici possunt. Ex his omnibus solùm tria in quęstionem vocantur, dispositiones, caussa formalis intrinseca, & iustitia actualis. Cætera enim omnia vel conceduntur ab omnibus, vel sunt à nobis alio loco, pro tenuitate ingenij nostri, & virium, explicata.

CAPVT TERTIVM.

Aperitur status quæstionis de fide iustificante, & indicantur auctores, qui de iustificatione scripserunt.

VTIGITVR à dispositionibus, quæ iustificationem præcedunt, principium faciamus; aduersarij non negant, aliquos eorum actuum requiri, quos nos dispositiones appellamus, quidquid tandem initio huius pernicios æ contentionis scripserit Lutherus, nulli. n. ferè sunt hodie sectarij, qui terrores, & fidem non requirant ante iustificationem. Aliqui etiam addunt propositum nouę vitę, siue obedientiæ, vt ostendimus in 1. lib. de pœnitentia, cap. 18. Sed tamen quatuor in rebus à nobis dissentiunt: omitto enim illud, quod non vocant ipsi fidem, dispositionem, sed instrumentum, quo apprehenditur iustificatio. In eo certè nobiscum aduersarij conueniunt, actum fidei requiri, vt iustificationem adipisci valeamus.

PRIMVM igitur in eo dissentimus, quod aliter ipsi fidem, quæ ad iustificationem obtinendam necessaria est, interpretantur, quàm nos Catholici faciamus; proinde PRIMA quæstio disputanda erit, quænam sit illa fides, siue quid sit ea fides, quę ad iustificationem requiritur. SECVNDO dissentimus, quod ipsi solam fidem iustificare contendunt, nos ei comites adiungimus in hoc ipso officio iustificandi, siue ad iustitiam disponendi. Erit igitur ALTERA quæstio, an per modum dispositionis, siue instrumẽti, fides sola iustificet. TERTIO dissentimus, quod ipsi fidem, quam dicunt solã iustificare, docent, nunquam esse posse solam: nos contrà dicimus, non iustificare solam, sed tamen posse esse solam. POSTREMO dissentimus de modo, quo fides iustificat, ipsi enim contendunt, fidem nullius esse precij, aut meriti, & solum relatiuè iustificare: nos asserimus, fidem etiam à charitate disiunctam, alicuius esse precij, & vim habere iustificandi per modum dispositionis, & impetrationis.

Illud autẽ non est hoc loco prætereundũ, aduersarios nostros, vt sunt inopes argumentorum, & diuites calumniarũ, passim traducere Catholicos, quasi doceant, solis naturæ virib. disponi homines ad gratiam: quibuscunque operibus, vel etiam ritibus, & cæremoniis tribuere meritum iustificationis: fidei iustificantis nullam rationem habere neq; in suis libris, & sermonibus vllam eius mentionem facere. Quæ omnia mendacia, atque calumnias esse, fusè demonstrauimus tum in 1. lib. de pœnitentia, tum in libello, cuius inscriptio est, Iudicium de libro concordiæ Lutheranorum.

His igitur prætermissis, ad primam quæst. explicandã aggrediar, si prius in lectorum gratiã breuiter annotauero nomina eorũ, qui hoc nostro seculo de Iustificatione, aduersus nouas hæreses opuscula ediderũt. Videat igitur lector auctores sequentes, præter alios multos, qui mihi noti non sunt, Io. Driedon. in lib. de cap. & redẽpt. humani generis, tract. 4. ca. 1. Iac. Latom. in lib. de fide, & operibus. Albertum Pighium in 2. controuersia. Io. Rosen. in refutat. articulorum, & assertionis Lutheri. Enchiridon Concilij Colonien. Dominicum à Soto in lib. 3. de natura, & gratia. Petrum à Soto in Institut. Sacerdotum, lect. 11. & 12. de Pœnitẽtia. Alphonsum à Castro in libro contra hæreses. Andreã Vegam in opusculo de iustificatione, & in explicatione Concilij Trident. Ambrosium Catharin. in opusculo de iustificatione, fide, & operibus. Thom. Caietan. de fide, & operibus. Stanislaũ Hosiũ in Confess. Polonica. à cap. 61. vsq; ad 75. Ioan. à Louanio in lib. de fide speciali. Francisc um Turrianum de iustificatione. Henricum Helmesium de iustificatione. Theodorum Pelcanum de iustificatione. Iodocum Tiletanum in Apologia pro Concilio Trident. Nicolaũ Sander. in lib. de iustificatione. Diegũ Payuã lib. 6. orthodoxarum explicationum. Ruardum Tapper. in explicat. articulorũ Louanien. Thom. Stapleton. in lib. de iustificatione. Vide etiam auctores, quos in vnum cõgessit Fabritius Leodius in Harmonia Confess. Augustanæ, videlicet, Ioann. Cochlæum in discussione Confessionis eiusdem, & alios. Audio multa præclarè scripsisse tum de iustificatione, tum de aliis controuersiis omnibus Gregorium de Valentia nostri ordinis Sacerdotem.

CAPVT QVARTVM.

Quid sit fides iustificans. ex sententia tum hæreticorum, tum etiam Catholicorum.

SECTARII tres fides distinguere solent, fidem historicã, fidẽ miraculorum, & fidẽ promissionum; vt ex Caluino intelligi potest lib. 3. Instit. c. 2. §. 9. ex Kemnitio in 1. parte Exam. Concilij Trid. & ex aliis. Fidem historicam vocant, qua credimus vera esse, quæ narrantur in sacris literis: de qua scriptum est ad Hebræos vndecimo. *Fide credimus aptata esse secula Verbo Dei.* Fidem miraculorũ appellãt, qua fiunt miracula, de qua 1. ad Corint. 13. dicit Apostolus: *Si habuero omnem fidẽ, ita vt montes transferam, &c.* Fidem promissionũ, quæ fertur in promissiones diuinas de remissione peccatorum, qualis est illa Marc. vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.*

Rursus fidem promissionum aliam generalem, aliam specialem esse docent: generalem, qua credimus, promissam esse omnibus credentibus salutem; specialem, qua vnusquisq; sibi promissionem diuinam applicans credit, siue potius confidit, peccata omnia per Christum sibi esse dimissa. Nam fidem Lutherani ferè omnes non tam notitiam, vel assensum, quàm fiduciam esse definiunt; atque eam demum fiduciam specialis misericordiæ, fidem iustificantem esse docent.

Tradit autem PHILIPPVS MELANCHTHON in præfat. in secundum tomum Lutheri hanc sententiam de fide iustificante, quæ quasi semen fuit omnium hæresum huius temporis, accepisse Lutherum à quodam sene ordinis sui, cùm adhuc Monachus esset, qui citabat sanctũ Bernardum in serm. 1. de annunciatione. Quem locum Bernardi, vide à nobis explicatũ infrà in lib. 3. c. 10. Sed verba ipsorum audiamus. LVTHERVS in serm. Domini-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cæ 2. Quadrag. *Fides*, inquit, *est certa, altissimèque animo insidens diuinæ bonitatis, & gratiæ, per verbum Dei cognita, atque manifesta fiducia.* Loqui autem Lutherum de fiducia specialis misericordiæ, palam est ex assert. art. 1. & 15. & ex aliis locis plurimis. Hinc etiam CENTVRIATORES, cùm tradunt communem doctrinam suæ sectæ, Cent. 1. lib. 1. cap. 4. col. 113. ita fidem definiunt: *Fides est fiducia misericordiæ, propter Christum.* Et in eodē lib. cap. 6. propè finem, dicunt, Ioannem Baptistam nullum admisisse ad Baptismum, nisi prius diligenter interrogatum, vtrum ista fide speciali Messiam apprehenderet.

PHILIPPVS quoq; MELANCTHON in locis communibus, tit. de vocabulo fidei, ita loquitur: *Cùm beatus Paulus dicit, iustificamur fide, vult te intueri filium Dei, sedentem ad dexteram Patris, Mediatorem interpellantem pro nobis. Proponit enim hāc victimam, & docet, propter hunc filium Dei dari remissionem. Vt igitur vocabulum fides, mōstret illum Mediatorem, & nobis applicet, significat fides non tantùm historiæ notitiam, sed fiduciam misericordiæ promissæ propter filium Dei.*

Idem in iisdem locis, tit. de bonis operibus, dicit, toleranda potius quælibet esse supplicia, quàm negandum in sententiis illis Paulinis: *Credidit Abraham Deo*, & similibus, fidem non significare fiduciam. Similia habet in Confess. Aug. art. 4. & in Apologia eiusdem articuli.

Denique in Colloquio Altemburgensi fol. 3. electorales Theologi definiunt fidem iustificantem, esse fiduciam in voluntate, & corde, acquiescentem in Mediatore Christo, certo statuentem propter filium, nobis remitti, Deum peccata gratis pro nosque acceptare in filios, & hæredes vitæ æternæ.

Porrò IOANNES CALVINVS paulò aliter philosophari videtur de significatione, vel natura fidei iustificāris. Sic enim eam definit. lib. 3. Instit. c. 2. §. 7. *Fides est diuinæ erga nos beneuolentiæ firma, certaq; cognitio, quæ gratuitæ in Christo promissionis veritate fundata, per Spiritum sanctum, & reuelatur mentibus nostris, & cordibus obsignatur.* In qua definitione pro obiecto fidei cum Lutheranis solam misericordiam, siue beneuolentiam Dei ponit. In eo verò dissentire videtur, quod fidem non fiduciam, sed notitiam appellat. Nisi fortè fiduciam intelligi voluerit in illis vltimis verbis: *Et cordibus obsignatur.* Nam § 8. scribit, assensionem fidei cordis potius esse, quàm cerebri, & affectus magis, quàm intelligentiæ. Vnde etiam §. 16. multa interserit de fiducia, & expectatione promissionū Dei.

Iam verò CATHOLICI agnoscunt quidem vocabulum fidei, in diuinis literis nō semper vno, & eodem modo sumi. Nam ad Rom. 3. *Numquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit*; fides pro fidelitate, id est, constantia in seruandā promissione accipitur. Et 1. ad Timot. 5. *Primam fidem irritam fecerunt*: fides promissionem ipsam, votumq; significat. Et ad Rom. 14. *Quod non est ex fide, peccatum est*, fides pro conscientia posita est. Et ad Ephes. 4. *Vna fides, vnum Baptisma*: fidei nomine ipsum fidei obiectū designari videtur, vt sensus sit, id ipsum omnes credimus, quemadmodum eodem ritu baptizati sumus, tamen fidem historicam, & miraculorum, & promissionum vnam & eandem esse docent, atque illam vnam non esse propriè notitiam, aut fiduciam, sed assensum certum, atque firmissimum, ob auctoritatem primæ veritatis: & hanc vnam esse fidem iustificantem.

Quāquam quod attinet ad voces, Catholici non vtuntur nomine fidei historicæ, ne videantur sentire (vt re vera non sentiunt) res gestas Sanctorum, quæ referuntur in Scripturis non credi, nisi propter ipsius historici auctoritatem: sed vocat simpliciter fidem Catholicam, aut etiam fidem dogmaticam, qua voce vtuntur Cyrillus catechesi 5. & 9. & Chrysostomus homilia vigesima nona in priorem ad Corinthios, explicans, cap. 12.

Itaque TRIBVS in rebus ab hæreticis Catholici dissentiunt: PRIMVM, in obiecto fidei iustificantis, quod hæretici restringunt ad solam promissionem misericordiæ specialis, Catholici tam latè patere volunt, quàm latè patet verbum Dei: quin potius certam promissionem specialis misericordiæ, non tam ad fidem, quàm ad præsumptionem pertinere contendunt. DEINDE in facultate, & potentia animi, quę sedes est fidei. Siquidem illi fidem collocant in voluntate, cum fiduciā esse definiunt: ac per hoc eam cum spe confundunt. Fiducia enim nihil est aliud, nisi spes roborata, vt sanctus Thomas docet in 2. 2. quæstione 129. articulo sexto, Catholici fidem in intellectu sedem habere docent. DENIQVE in ipso actu intellectus. Ipsi enim per notitiam fidem definiunt, nos per assensum. Assentimur enim Deo, quamuis ea nobis credenda proponat, quæ non intelligimus.

CAPVT QVINTVM.

Refellitur ex capite 11. ad Hebr. hæreticorum error de notione fidei iustificantis.

PROBATVR igitur primùm ex diuinis literis, fidem iustificantem nō esse fiduciam misericordiæ, sed solum assensum firmum, ac certum ad ea omnia, quæ Deus credenda proponit.

PRIMVM testimonium sumi potest ex definitione fidei, quæ habetur ad Heb. 11. *Fides*, inquit Apostolus, *est sperandarum substantia rerum: argumentum non apparentium.* Quæ definitio breuiter explicanda est, vt vis argumenti, quod ex ea sumitur magis appareat. *Substantia* Græce est ὑπόστασις, id est, basis, ac fundamentum. *Sperandarum rerum*, Græcè est ἐλπιζομένων, quod ambiguū est, & verti potest, tum sperantium hominum, tum rerū speratarum, siue sperandarum. Sanctus Augustinus ferè, vbicunq; hunc locum citat, legit sperantium, vt in epist. 112. ad Paul. lib. 2. de peccat. merit. & remiss. c. 31. tract. 79. in Ioannem, hom. 32. in libro quinquaginta homiliarum, & alibi. Et iuxta hanc lectionem sensus erit, fidem esse substantiam sperantium, id est, quasi vitam, & animam, quæ sustentat hominem iustum, qui despiciens terrena, sperat, atq; expectat æterna. Quo sensu dictum etiam est, iustum ex fide viuere, in hac ipsa epistola cap. 10. Græci verò omnes, vt sanctus Basilius in explicatione Psal. 115. & Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius in hunc locū passiuè accipiunt, quos sequutus est antiquus noster interpres, qui reddidit rerum sperandarum.

Sed sententia est omninò eadem, nihil enim aliud est, Fidem esse substantiam rerum sperandarū, nisi quę sperantur, quoniam futura sunt, non habere vllam subsistentiam, vel fundamentum, nisi in intellectu per fidem. Itaque fides est quasi vita, & anima rerum, quæ sperantur, quoniam eas apprehendens, ac menti repræsentans, facit eas quodammodo esse præsentes, ac viuere, quamuis in se re vera non sint, nisi futuræ. Idem autem est, fidē esse substantiam sperantium, & substantiā rei speratę: ideo enim dici potest fides substantia sperantium, quoniā est substantia rei speratæ: id est, ideo fide se ipse sustētat, qui sperat, quoniam subsistētia rei speratæ non est nisi fides.

Illud autem quod sequitur, *argumentum non apparentium*, Græcè est, ἔλεγχος οὐ βλεπομένων, hoc est, demōstratio, siue conuictio (vt sanctus Augustinus legit) eorum, quæ non conspiciuntur. Quæ verba sic exponunt aliqui, vt velint esse repetitionem sententię superioris, vt sensus sit, fides facit quodammodo extare ea, quæ non sunt, sed sperantur futura, & facit quasi cerni, & spectari res eadem, cùm in se minimè appareant. Sed non ita est, nam idem Apostolus explicans paulò post obiectum fidei, non restringit illud ad res futuras, quæ sperantur, sed extendit ad omnia, quæ Deus reuelare dignatus est, siue sint futurā, siue præterita, siue speranda, siue timenda. Nā dicit, fide nos credere, aptata esse sęcula Verbo Dei.

quod

quod præteritum est: & fide sanctum Noë ob metum diluuij aptasse arcam: diluuium autem futurum quidem erat, sed metuendum, non sperandum. Verba igitur illa, *argumentum non apparentium*, non referuntur ad res speratas, sed explicant aliam fidei virtutem, quæ est conuincere intellectum, atq; eum adducere, vt assentiatur iis, quæ non capit, neque intelligit.

Itaq; definitio fidei, ab Apostolo tradita, duas cōtinet fidei proprietates, VNAM, quod faciat in animo subsistere ea, quæ sperantur futura, ALTERAM, quod intellectū faciat iis assentiri, quæ non intelligit. Ex quo intelligimus, fidē Christianā (hanc n. definit Apostolus) distingui ab omnibus aliis habitib. intellectus. Nā ea particula, *Substantia rerum sperandarū*, distinguit fidē Christianā, à fide politica, & humana: TVM quia fides humana potest esse fallax, & ideo non meretur nomen subsistantiæ, id est, fundamenti, ac basis firmæ, ac solidæ, TVM quia nomine rerum sperandarum intelliguntur bona diuina, ac cœlestia, ad quæ fides humana non peruenit.

Ea vox, *argumentum*, siue conuictio, distinguit fidem Christianam ab opinione, suspicione, & dubitatione. Ita enim non conuincunt, neque cogunt intellectum ad assensum.

Denique duæ illæ voces, *non apparentium*, distinguunt eandem fidem à scientia, & intellectu, quæ non patiuntur obscuritatem, sed lumen, & euidentiam requirunt. Vide de hoc loco quæ scribimus infrà, cap. 11. in solutione primi argumenti Lutheranorum.

Ostendamus nunc falsam esse aduersariorum sententiam, de notione fidei iustificantis. Nam quod Apostolus hoc loco definiat fidem iustificantem, negari non potest: cùm enim in c. superiore extremo dixisset: *Iustus ex fide viuit, quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ. Nos autem non sumus subtractionis filij in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ.* Continuò subiungit, nullo interposito verbo, *est autem fides sperandarum substantia rerum, &c.* Vbi vides definiri eam fidem, ex qua iustus viuit, & ex qua placemus Deo, & cuius filij sumus in acquisitionem animæ, & à qua qui se subtrahit, in perditionē ruit. Deinde in reliquo capite non semel Apostolus repetit, hanc esse fidem, sine qua impossibile est placere Deo, & per quam Sancti omnes Deo placuerunt. Definitur igitur fides iustificans.

Quod autem hæc fides non sit fiducia, sed aliquid ad intellectum pertinēs, probat PRIMO, illud verbum *substantia*. Nam substantia rei futuræ (vt ostendimus) dicitur fides, quia facit præsentia ea, quæ sunt alioqui futura: at representare non est voluntatis, vbi est fiducia, sed intellectus. Ille enim rem apprehendens per speciem sibi impressam, facit rem esse, antequam sit.

SECVNDO, idem probat illud verbum (*argumentum.*) Nam ἔλεγχος (id est) *demonstratio*, & conuictio ad intellectum pertinet, vt etiam ipsum nomen Latinum *argumentum*: eius enim est conuinci argumentis, cuius est assentiri, & iudicare.

TERTIO, accedit illud quod sequitur: *Fide intelligimus aptata esse sęcula Verbo Dei.* Vbi describitur actus fidei per vocem intelligendi, quæ nullo modo ad fiduciam accommodari potest.

QVARTO, Idem confirmat illud: *Fide Noë metuens aptauit arcam, &c.* Vbi fidei actus non potest esse fiducia, quia fiducia non gignit metum, sed expellit: proinde fidei actus in Noë fuit, credere certò futurum diluuium: nam ex illo actu credendi metus exortus, causa fuit, cur fabricaretur arca.

QVINTO, denique idem probant illa verba: *Sine fide impossibile est placere Deo. Nam accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Vbi sine dubio per verbum *credere*, explicatur actus fidei iustificantis, neq; potest vlla ratione ipsum *credere* detorqueri ad fiduciam. Non enim confidimus Deum esse, sed certò iudicamus, & assentimur.

Quod autem fides iustificans non fit propriè notitia, sed assensus in rem etiam incognitam, probat illud (*argumentum non apparentium*) hinc enim intelligimus, fidei officium non esse, efficere, vt res obscurę fiant perspicuæ, sed vt credantur, etiamsi non appareant. Mirè enim coniunxit Apostolus (*argumentum*) cum (*non apparentium*) vt significaret, fidem id facere, quod faciunt argumenta, sed alio modo. Nam argumenta, & maximè demonstrationes, faciunt, vt intellectus omnino assentiatur, sed hoc faciunt, per euidentiam rei intellectum conuincendo, dum causas ipsas, & proprietates aperiunt. At fides facit quidem, vt intellectus omnino assentiatur, sed non per euidentiam rei, & notitiam causę, & proprietatum, sed credendo auctoritati dicentis. Itaque in fide manet res obscura vt antea erat, sed creditur propter auctoritatem dicentis: non igitur fides propriè loquendo est notitia, sed assensus.

Quod autem Apostolus ait: *Fide intelligimus aptata esse sęcula Verbo Dei.* Non significat, fide planè cognosci creationem sæculorum, sed per verbum intelligendi exprimere voluit apprehensionem, & assensum intellectus. Omnis enim actus intellectus, significari potest per verbum intelligere.

Quod fides iustificans non habeat pro obiecto misericordiam specialem, sed omnia, quæ Deus reuelauit, probatur PRIMVM ex illis vocibus: *Sperandarum rerum.* Nam specialis misericordia non est res aliqua speranda, sed donum præsens, aut præteritum, vt ipsimet aduersarij docent, qui ad fidem pertinere dicunt, vt vnusquisque credat sibi esse remissa peccata, séque per Christum gratum esse Deo, & pro iusto reputari. SECVNDO, idē probatur ex illis verbis: *Fide intelligimus aptata esse sęcula verbo Dei.* Et ex illis: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, &c.* DENIQVE ex toto illo capite, vbi fidei tribuūtur plurima: & specialis misericordiæ nulla fit mentio.

Denique quod vna & eadem sit fides historica (si tamen hoc nomine appellare fas est, assensum, quem adhibemus narrationi rerum præteritarum, nō ob hominum, sed ob Dei ipsius, qui ea reuelauit, auctoritatem) fides miraculorum, & promissionum, ac per hoc fides iustificans non sit sola fides promissionum: perspicuè probatur ex hoc eodem loco; nam eidem fidei quam definiuit, & quam iustificantem esse ostendimus, tribuit Apostolus, quod per eam intelligamus aptata esse sęcula Verbo Dei, quod ad historiam pertinet: Item quod per eam sancti vicerint regna, obturauerint ora leonum, extinxerint impetum ignis, &c. Quæ pertinent ad miracula. Denique quod per eandem adepti sint repromissiones, quod ad promissiones spectat.

Ad hunc locum KEMNITIVS respondere conatur, ac duo dicit, PRIMO, fatetur multa esse fidei obiecta, ea videlicet omnia, quæ continentur in Verbo Dei, sed quæstionem esse ait, quid illud sit, in quod propriè fides iustificans intueri debet: quod quidem non esse aliud, nisi misericordiam specialem. SECVNDO addit, Apostolum hoc loco tractare de variis exercitiis fidei, quæ illis conueniunt, qui fide iustificati sunt.

Sed ista nihil faciunt ad absolutionē argumenti. Nam IN PRIMIS quamuis multa sint obiecta fidei materialia tamen, non ideo multæ sunt fides. Vna enim fides est propter vnam, & eandem rationem formalem, qua creduntur omnia. Alioqui cum in symbolo fidei numerentur articuli duodecim, duodecim quoque essent fides, quod est in Ecclesia Dei hactenus inauditum.

DEINDE Apostolus hoc loco non solum explicat varia obiecta, vel exercitia fidei, sed ipsam fidem initio definit: cur igitur in ea definitione, quæ (vt ostendimus) est fidei iustificantis, non meminit illius misericordiæ spe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctis, si ea est obiectum proprium fidei iustificantis?

PRAETEREA si quæ in isto capite narrãtur sunt exercitia, vel obiecta fidei: peto, cuius fidei? certè iustificãtis: nam illius fidei exercitia, & obiecta explicantur, quæ initio definita est: igitur fides iustificans nõ solùm respicit, vel apprehẽdit misericordiam specialem, sed etiã credit mundi creationem, & operatur miracula; proinde ipsa fides iustificans, est etiam fides historica, & miraculorum.

Quid, quod idem Apostolus in hoc eodem loco disertis verbis tradit, fidem iustificare, quatenus per eam credimus ea, quæ gignunt timorem, ac per hoc quatenus non est fiducia misericordiæ? *Fide* (inquit) *Noe responso accepto de iis, quæ adhuc non videbantur, metuens aptauit arcam in salutem domus suæ, per quam damnauit mundum, & iustitiæ, quæ per fidem est, hæres est constitutus.* Vides ne hoc loco, sanctum Noë iustitiam fidei esse adeptum, ac per hoc fide iustificatum, quia credidit Deo dicẽti, futurum fuisse diluuium generale, & ex ea fide metuens arcam fabricauit? Ideo enim damnauit mundum incredulitatis, & ipse hæres iustitiæ fidei constitutus est, quia mundus credere noluit diluuium futurum, ipse autem credidit.

Quid hìc responderi potest? Vbi hoc loco mentio misericordiæ specialis? Simile est quod paulò infrà legimus: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, &c.* Vbi etiam fidei tribuitur iustitiæ operatio, & miraculorum ostensio. Sed de hoc loco satis multa dicta sunt.

CAPVT SEXTVM.

Fidem iustificantem non esse Fiduciam, probatur ex diuinis literis.

NVNC adferemus testimonia scripturæ, quibus seorsim probemus, PRIMVM, fidem non esse fiduciam: DEINDE, non esse notitiam, sed assensum: POSTREMO, non habere pro obiecto misericordiam specialem, sed id totum, quod in verbo Dei continetur.

Fidem igitur non esse fiduciã, probatur PRIMO, ex illis verbis, Rom. 4. *Non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, & emortuam vulvam Saræ, in repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentiã, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere. Ideo & reputatum est ei ad iustitiam.* Vbi loquitur Apostolus, de fide iustificante, vt perspicuũ est ex vltimis verbis: quid autem fuerit illa fides, explicat per propositionem negantem, & affirmantem: per negantem, cùm dicit: *Non consideravit corpus suum emortuum, &c.* Consideratio autem ad intellectũ pertinet: ad quem non pertinet fiducia: per affirmantem, cùm ait: *Plenissimè sciens quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere*: Plenissimè scire, intellectus est, non voluntatis, sicut contrà, fiduciam habere, voluntatis est, non intellectus. Porro vox Græca πληροφορηθὲις, significat propriè, plenissimè persuasus, siue pro certo habens, quæ omnia ad intellectum pertinent. Neque mouere nos debet illud, non hæsitauit diffidentiã, nam diffidentia posita est eo loco pro incredulitate, in Græco est ἀπιστία.

SECVNDO, idem probatur ex illo, 1. Cor. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem horum est charitas.* Vbi distinguit Apostolus fidem à spe, & dicit esse duo quædam diuersa; manifestum autẽ est, fiduciam nihil esse aliud, nisi spem roboratã. Vnde Iob 8. dicitur: *Spes hypocritæ peribit, & sicut tela aranearum fiducia eius.* Et pro eo, quod dixit Dauid, Psal. 39. *Beatus vir, cuius est nomen Domini, spes eius.* Dixit Hieremias c. 17. *Beatus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius.* Itaque fiducia ex fide quidem oritur, sed non potest idem esse cum fide, nisi confundere velimus, quæ tam apertè Apostolus ipse distinxit.

TERTIO, probatur ex illo, 2. Cor. 10. *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Vbi B. Paulus per fidem dicit, intellectum captiuum duci in obsequium Christi, quia cogitur credere, quod non intelligit. Proinde fides manifestè ad intellectum non ad voluntatem pertinet.

QVARTO, probatur ex illis verbis, ad Ephes. 3. *In quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia per fidem eius.* Quod si habemus accessum ad Deũ in cõfidentia, seu fiducia per fidem, certè sequitur, vt fides non sit fiducia, sed fiducię causa: alioqui sensus huius loci esset, habemus accessum in confidentia per cenfidentiã, quod absurdum esse non dubium est. Non dissimiliter distinguitur fides à fiducia, Mat. 9. *Confide fili, fides tua te saluam fecit*: Vbi excitatur ad fiduciam concipiendam mulier illa quæ iam ex fide sanata fuerat. Et in priore ad Tim. cap. 3. *Qui benè ministrauerint, gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo.* Vbi fiducia in fide acquiri dicitur, quia potest esse fides sine tali fiducia.

QVINTO, accedant omnia illa loca, quæ docent, obiectum fidei iustificantis esse illa omnia, quæ Deus reuelauit, quę loca c. 8. adferentur: neq; enim fiducia tam latè patere potest, cũ solùm bona, & ea, vt futura respiciat.

SEXTO, accedant etiam illa loca, vbi actus fidei dicitur esse, credere: vt Rom. 4. *Credidit Abraham Deo, &c.* Nam si scriptura diuina per fidem intelligeret fiduciam, actum eius explicaret per verbũ fidere, non per verbum credere. Quod si aduersarij contendant, ipsum etiã (credere) vsurpari in sacris literis, pro eo, quod est (fidere) aut confidere: cogentur absurdissimè, atque ineptissimè loca plurima explicare, vt exempli gratia, cùm dicitur Io. 14. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? alioqui propter opera ipsa credite.* Actor 8. *Credo filium Dei esse Iesum Christum.* Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam*: Et infrà: *Si in corde tuo credideris, quia Deus eum suscitauit à mortuis, saluus eris.* Hæc & similia non possunt nisi ineptissimè accipi pro fiducia.

Neque satisfacit KEMNITIVS, qui in suo examine Concil. Trident. dicit, ad fidem pertinere non solùm fiduciam, sed etiam notitiam, siue assensum intellectus. Scribit enim in fide PRIMO, esse notitiam, siue cogitationem promissionum Dei. SECVNDO, assensionẽ, qua vnusquisque statuit eam promissionem ad se pertinere. TERTIO, ex illa notitia, & assensu oriri in voluntate desiderium iustificationis. QVARTO, demum excitari fiduciam accedendi ad thronum gratiæ, quæ apprehendit iustificationem.

Hæc Philosophia Kemnitiana parum facit ad rem, nam non possunt isti omnes actus ad vnam virtutem propriè, & per se pertinere, cùm priores duo sint in intellectu, posteriores in voluntate, nec fieri possit, vt vna virtus sit in duabus potentiis genere distinctis. Quare adhuc restat quæstio, quinam ex illis actibus ad fidem iustificantem pertineant. Nos enim contendimus, duos priores, qui sunt in intellectu, esse actus fidei: aduersarij, contra duos posteriores, qui sunt in voluntate, & maximè postremum actum fidei esse volunt, cùm illi soli tribuant iustificandi officium.

Argumenta autem omnia, quæ fecimus hactenus, apertè demonstrant, fidem esse in intellectu, ac per hoc ad eam nullo modo pertinere fiduciam, quæ est in voluntate. Quibus addere possumus testimonium sancti Augustini in libro de prædestinatione sanctorum, cap. 2. vbi dicit, credere, nihil esse aliud, nisi cum assensu cogitare; ita vt cogitatio sit quasi genus, assensus quasi differentia. Nam vt ipse ibidem docet, multi cogitant, qui non credunt, imo etiam aliquando cogitant, vt non credant, sed nullus credit, qui non cogitet. Quo loco sanctus Augustinus, manifestè confirmat sententiam nostram. Et ex quatuor illis actibus, quos Kemnitius distinxit, duos tantum priores ad fidem pertinere, demonstrat.

AT

AT instat Kemnitius, scriptura tribuit cordi quæ ad intellectum, & quæ ad voluntatem pertinent, cùm dicat: *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris.* Matt. 9. Et: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Mat. 22. Cur igitur non poterunt etiam fidei tribui, quæ ad intellectum, & quæ ad voluntatem pertinent? Addit etiam postremò testimonium sancti Bonauenturæ, qui scribit, spem, quantum ad certitudinem, pertinere ad intellectum, quantum ad expectationem, pertinere ad voluntatem.

Sed facilis est RESPONSIO. Cor enim in sacris literis pro tota anima accipitur, vt videlicet totum interiorem hominem significet: nam idcirco carni, vel corpori opponitur. Psal. 23. *Innocens manibus, & mũdo corde.* Psal. 83. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* 1. Petri 3. *Qui in abscondito est cordis homo.* Quare non est mirum, si cordi tribuantur actus, tam intellectus, quàm voluntatis, cùm in homine interiore vtraque potentia reperiatur. Non est autem eadem ratio fidei, quæ specialis quædam virtus est, & ad vnam specialem potentiam pertinet.

Porrò sanctus Bonauentura in 3. sentent. dist. 26. art. 1. quæst. 5. contrarium docet, eius, quod à Kemnitio illi tribuitur. Siquidem affirmat, spem etiam quoad certitudinem pertinere ad voluntatem. Distinguit enim duplicem certitudinem, vnam fidei, quę est in intellectu, alteram spei, quæ est in voluntate. Itaq; videbit Kemnitius vbi sententiam illam Bonauenturæ repererit. Quod si testimonium illud Bonauenturæ germanum esset, promptum esset respondere, ab eo poni spem in intellectu quoad certitudinem: non essentialiter, sed causaliter, quia videlicet ideo spes certa est, quia præsupponit certitudinem fidei de omnipotentia, & fidelitate Dei. Nos autem cum hæreticis non contendimus de subiecto, causæ spei, sed de subiecto ipsius spei.

CAPVT VII.

Fidem iustificantem non tam esse notitiam, quàm assensum, probatur ex scripturis.

NVNC aduersus CALVINVM breuiter probandum est, fidem non tàm esse notitiam, quàm simplicem assensum, quod etiam paulò antè probatum est, ex definitione, quam tradit Apostolus. Caluinus enim non solùm definit fidem per cognitionem, libro tertio, Institut. capite secundo, sed etiam insultat Catholicis, quòd dicant, se reuerenter credere quicquid Ecclesia docet, etiamsi minus ea intelligant. Contrà verò ipse affirmat, non ignorantia, nec sensus nostri submissione, sed cognitione certa, & explorata regnum cœlorum adiri: & allegat Apostolum damnantem eos, qui semper discunt, & ad scientiam veritatis numquam perueniunt. 2. Tim. 3.

Probatur igitur, fidem non esse notitiam, sed assensum. Nam in primis Isaias cap. 7. apertè protestatur: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Vbi videmus, fidem non esse intelligentiam, sed viam, & gradum ad intelligendũ. Quod aliis verbis dixit etiam de rebus naturalibus ille Philosophus: *Addiscentem oportet credere.* Item in priore ad Cor. c. 13. Apostolus distinguit notitiam mysteriorum à fide, tamquam duo diuersa dona: *Si habuero* (inquit) *omnem scientiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem fidem.* Et 1. Cor. 12. enumerans dona Dei dicit, alij dari sermonem sapientiæ, alij sermonem scientiæ, alij fidem, id est, eximiam fidem, quæ montes etiam transferre possit. Rursus in posteriore ad Corinth. cap. 10. dicit se per Euangelij prædicationem in captiuitatem redigere omnem intellectum in obsequium Christi. At certè non est necesse captiuare intellectum, vbi est notitia veritatis.

Quo etiam pertinet obedientiã fidei, de qua tam sæpè idem Apostolus concionatur. Quorsum enim obedientia in credendo opus esset, si per fidem notitia præberetur: sed audiamus in hac re sententiam veterum Patrum:

Sanctus IRENAEVS, lib. 2. cap. 45. *Melius* (inquit) *est nihil omnino scientem credere Deo, & perseuerare in eius dilectione, quæ hominem viuificat, quam per quæstionum subtilitates, & multiloquium in impietatem cadere.*

CLEMENS ALEXANDRINVS, lib. 3. Pedagogi, cap. 11. *Fides* (inquit) *non sapientium secundùm mundum, sed eorum, qui secundùm Deum sunt sapientes, possessio est. Illa autem etiam absque literis dicitur. Eius autem scriptum, quod & ad rudes, & ad ignorantes pertinet, & est diuinum, charitas vocatur.*

Sanctus HILARIVS, lib. 8. de Trinitate, ante medium: *Habet* (inquit) *non tam veniam, quam præmium, ignorare, quod credas, quia maximum stipendium fidei est, sperare quæ nescias.*

Sanctus AVGVSTINVS, in epistola centesima secunda, ad Euodium: *Si propter eos solos* (inquit) *Christus natus est, qui certa intelligentia possunt ista discernere, penè frustrà in Ecclesia laboramus.* Et sanè ita esse, experientia testatur, cùm maxima pars fidelium, vel propter ætatem puerilem, vel propter sexum muliebrem, vel propter ingenij hebetudinem, vel propter imperitiam literarum, & scientiarum, quales sunt penè omnes rustici, non solùm non intelligant mysteria Trinitatis, & Incarnationis, & similia necessaria ad salutem, sed vix quidquam animo concipiant, præter sonum verborum: & tamen inter fideles meritò numerantur, cùm fatentur se credere, Deum esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, iuxta sensum Ecclesiæ.

Quare idem Augustinus, in libro contra epistolam Fundamenti, cap. 4. *Turbam* (inquit) *non intelligendi vinacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit.* Et tract. 27. in Ioannem dicit, intelligentiam mysteriorum esse præmium fidei. Et tract. 40. *Non quia cognouerunt* (inquit) *crediderunt, sed vt cognoscerent, crediderunt. Quid enim est fides, nisi credere quod non vides.* Et serm. 189. de tempore, qui est primus de sancta Trinitate: *Considera* (inquit) *quod voceris fidelis, non rationalis. Denique accepto Baptismo hoc dicimus, fidelis factus sum, credo quod nescio.*

Sanctus PROSPER lib. 1. de vita contemplatiua, cap. 19. *Dicente* (inquit) *Apostolo, nisi crediderit is, non intelligetis, datur intelligi, quod non fides ex intellectu, sed ex fide intellectus existat: nec qui intelligit, credat, sed qui credit, intelligat.* Itaque fides intellectum præcedit, ac per hoc credere, non est intelligere.

Sanctus GREGORIVS lib. 2. Moral. cap. 25. tractans illud Iob 1. *Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos:* docet, per boues significari homines doctos, per asinas homines imperitos, qui simpliciter credentes in intelligentia maiorum acquiescunt.

Denique in eo qui credit, duo sunt, apprehensio, & iudicium, siue assensus: sed apprehensio nõ est fides, sed aliquid fidem præcedens. Possunt enim etiam infideles apprehendere mysteria fidei. Præterea apprehensio non dicitur propriè notitia, si sit rudis, & confusa: distincta autem, & perspicua non necessariò requiritur ad fidem. Nam accidere potest, vt Philosophus Ethnicus apprehendat non solùm confusè, sed etiam distinctè mysterium Trinitatis, & subtilissimè intelligendo discernat essentiam, & relationes, atque alia id genus, & tamen non credat: Contra autem rusticus Catholicus, non apprehendat nisi confusè tria illa nomina, & tamen verè credat.

Iudicium autem, siue assensus duplex est. Alter enim sequitur rationem, & euidentiam rei, alter auctoritatem proponentis: prior dicitur notitia (si propriè loqui velimus) posterior fides. Sic enim loquitur sanctus AVGV-

Universidad de Deusto
Biblioteca

stinvs, in libro de vtilitate credendi, cap. 11. *Quod* (inquit) *intelligimus aliquid, rationi debemus; quod autem credimus, auctoritati.* Igitur mysteria fidei, quæ rationem superant, credimus, non intelligimus, ac per hoc fides distinguitur contra scientiam, & melius per ignorantiam, quàm per notitiam definitur.

Illud autem, quod obiicit Calvinvs, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes, nihil ad rem facit. Nam tametsi distinguatur fides à scientia, tamen vtilis est etiam, & laudabilis scientia rerum diuinarum, quippe quæ amorem Dei semper magis, & magis accendit: & sicut laude digni sunt, qui discendo proficiunt, ita meritò reprehenduntur, qui semper discunt, & ad scientiam nunquam perueniunt.

CAPVT VIII.

Fidei iustificantis obiectum non esse specialem misericordiam, sed omnia quæ Deus reuelauit, probatur ex diuinis literis.

NVnc demum ad id, quod maximè proprium est huius loci, veniamus, ac ex diuinis literis probemus, fidei iustificantis obiectum non esse specialem misericordiam, sed omnia quæ Deus reuelare dignatus est.

Incipiamus ab Euangeliis. Fides certè, quam Christus exigebat, & in cuius confirmationem miracula faciebat, fides erat iustificans. Huius enim rei causa fidem prædicabat, & confirmabat, vt per eam homines saluarentur. *Venit enim quærere, & saluum facere quod perierat.* Lucæ 19. Et: *Venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* 1. Tim. 1. Et ideo Pater *sic dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ioan. 3.

Videamus igitur, quam fidem Christus exigeret, quam laudaret, ad quam hortaretur, quam denique signis, & prodigiis comprobaret. Mat. 9. Dominus cæcis petentibus lumen: *Creditis* (inquit) *quia hoc possum facere vobis?* Illis respondentibus, *vtique Domine:* ait, *secundum fidem vestram fiat vobis.* Quo loco Dominus fidem omnipotentiæ, ac per hoc diuinitatis suæ, non misericordiæ specialis exegit.

Matth. 16. cùm sanctus Petrus confessionem fidei suæ illis verbis edidisset: *Tu es Christus filius Dei viui.* Eam fidem ita Dominus commendauit, vt diceret: *Beatus es Simon Bar-Iona, quia non reuelauit tibi caro, & sanguis, sed Pater meus qui in cœlis est.* Eamdemq; sancti Petri fidem, omnes Patres miris laudibus efferunt. Vt quæ perfecta fides fuerit. Vide Hilarium lib. 6. de Trinitate. Chrysostomum homi. 55. in Mat. Augustinum tract. 10. in epist. Ioannis. Cyrillum Dialogo 4. de Trinitat. Et Leonem serm. 2. de assumptione sua ad Pontificatum. Quid autem Petrus tunc credidit, nisi Christi diuinatem?

Similis fuit confessio fidei in Centurione, Luc. 7. quam Christus ita miratus est, vt diceret: *Tantam fidem se non inuenisse in Israël.* Neque enim aliud se credere Centurio ille professus est, nisi Christi omnipotentiam, & diuinitatem, dicens: *Die tantum verbum, & sanabitur puer meus.*

Ioan. 1. cum Nathanael dixisset: *Rabbi tu es Rex Israel, tu es filius Dei.* Dominus fidem eius approbans ait: *Quia dixi, vidi te sub ficu, credis.*

Ioan. 6. cùm Dominus longa oratione ad fidem cohortatus esset Iudæos, & illi non credentes abirent, interrogauit Apostolos, num & ipsi vellent abire: respondit autem Petrus nomine omnium: *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, quia tu es Christus filius Dei viui.* Ex quo intelligimus, hanc ipsam fuisse fidem, quam Dominus requirebat.

Ioan. 11. cùm Dominus Marthæ dixisset: *Ego sum resurrectio, & vita, qui credit in me: non morietur in æternum. Credis hoc?* Respondit illa: *Vtique Domine, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.*

Ioan. 14. Dominus ipse docens, quod sit obiectum fidei, quam in nobis requirit: *Non creditis* (inquit) *quia ego in Patre, & Pater in me est? alioqui propter opera ipsa credite.* Et cap. 20. cùm Thomas, aliquamdiu incredulus, tandem viso Domino exclamasset: *Dominus meus, & Deus meus.* Subiunxit Dominus: *Quia vidisti me Thoma, credidisti, beati qui non viderunt, & crediderunt.* Vbi certè beati dicuntur, qui credunt, Christum resurrexisse à mortuis, & Dominum, ac Deum esse. Id enim est, quod Thomas credidit. Deniq; ibidem: *Hæc scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est Christus filius Dei, & vt credentes, vitam habeatis in nomine eius.* Hæc igitur fides, quæ respicit Christi diuinitatem, ipsa est, quæ & iustitiam, & vitam æternam tribuit. Atque hæc quidem testimonia probant, fidem iustificantem habere pro obiecto aliquid aliud præter misericordiam specialem.

Sed addamus alia testimonia, quibus probemus, non solùm fidem iustificantem respicere alia obiecta, sed etiam fidem esse iustificantem, quamuis non respiciat misericordiam specialem, & non esse fidem iustificantem, si eam misericordiam forte respiciat. Marci 1. Leproso dicenti: *Domine si vis potes me mundare.* Dominus ait: *Volo mundare.* Leprosus iste de voluntate Domini, ac per hoc de misericordia speciali fine dubio ambigebat, alioqui non dixisset, *si vis, potes.* Et tamen quia non defuit illi fides omnipotentiæ, & diuinitatis, impetrauit quod petiit. Ex quo intelligimus, fidem eius fuisse talem, qualem Dominus exigebat, & in cuius confirmationem miracula faciebat: quamuis deesset illi certitudo de misericordia speciali.

Lucæ 18. Pharisæus confidebat se esse iustum, & ideo orans dicebat: *Gratias tibi ago Domine, quia non sum sicut ceteri homines, &c.* Contrà: *Publicanus non audebat oculos ad cœlum leuare, sed a longe stans, & pectus percutiens orabat, Deus propitius esto mihi peccatori:* Et tamen *descendit hic iustificatus ab illo,* id est, præ illo. Itaque Pharisæus habuit fidem specialis beneuolentiæ, & tamen repulsam passus est: publicanus caruit fiducia illa, & cum timore, ac tremore ad Deum accessit, & iustificatus est. Neque dici potest, Pharisæum habuisse fidem, vel fiduciam beneuolentiæ ob propria merita, quasi iustitiam suam ex se habere se crederet. Nã agebat gratias Deo de sua iustitia, proinde à Deo eam se habere credebat. Non igitur iustificatur, qui iustum se esse confidit, sed qui cum metu, & tremore salutem suam operatur.

Accedat Vltimo testimonium ex capite postremo Marci, vbi cùm Dominus dixisset: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur:* Mox adiunxit: *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo Dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, &c.* Vbi apertissimè videmus, fidem miraculorum vnam & eandem esse cum fide iustificante, & saluante: certum autem est, fidem miraculorum non respicere tanquam obiectum specialem misericordiam remissionis peccatorum, sed omnipotentiam, & diuinitatem filij Dei.

Hæc igitur ex Euangeliis sufficiant: quibus addi possunt alia non dissimilia ex Actis, & epistolis Apostolorum. Nam Act. 2. 4. 10. 13. & 17. narrantur conciones Petri, & Pauli, quibus explicatio, & doctrina fidei continetur. In iis autem nullum est verbum de speciali misericordia, sed totæ consumuntur in explicanda, & persuadẽda resurrectione, & diuinitate Iesv Christi. Item Act. 8. cum Philippus ab Eunucho baptismum postulãte quæsi

quæsiuisset, crederet ne ex toto corde, respondit ille: *Credo filium Dei esse Iesum Christum.* Atq; hoc responso contentus Philippus, Eunuchum cõtinuò baptizauit. Est igitur fides vere iustificans, non qua credimus, Deum nobis esse propitũ, alioqui perperam egisset Philippus, qui fine tali fide Eunuchum baptizauit, sed qua toto corde, id est, sine vlla hæsitatione credimus. Iesvm esse Christvm, ac filium Dei, ac per hoc etiam Deum.

Apostolus Paulus in epist. ad Rom. cap. 4. explicans fidem Abrahæ, quæ reputata est illi ad iustitiam, non dicit, eum credidisse sibi per misericordiam specialem, remissa fuisse peccata: sed patrem se futurum multarũ gentium ex filio, quem sibi centenario vxor nonagenaria, & sterilis præter solitum ordinem, cursumque naturæ paritura esset. Id enim credere, nihil aliud erat, nisi credere Deum, qui promiserat, omnipotentem, ac fidelissimum esse. Itaque Abrahæ fides ideo tanto præconio, ab Apostolo laudatur, & in exemplum omnibus fidelibus ponitur, *quia* (vt ipse dicit) *in repromissione Dei non hæsitauit, neque consideravit corpus suum emortuum, & emortuam vuluam Sarræ, sed dedit gloriam Deo, plenissimè persuasus, quoniam quæ promisit Deus, potens est, & facere.*

Item cap. 10. *Hoc* (inquit idem Apostolus) *est verbum fidei, quod prædicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quia Deus eum suscitauit à mortuis, saluus eris.* Hic quoque apertissimè videmus obiectum fidei iustificantis, & saluantis, esse resurrectionem filij Dei.

Idem in priore ad Cor. cap. 13. coniungit fidem, qua montes transferri possunt, quam illi vocant fidem miraculorum, cũ spe, & charitate: vt intelligamus, fidem miraculorum non esse aliam, quàm fidem, quæ cũ spe, & charitate iustificat. Idem in eadem epistola, cap. 15. *Notum* (inquit) *vobis facio Euangelium, quod prædicauit, in quo statis, per quod & saluamini, nisi forte frustra credidistis. Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi: quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die, secundum scripturas, &c.* Vbi sine dubio fidei saluantis obiectum explicatur, nec tamen dicitur, tradidi vobis, vt vnusquisque se certò credat, per Christum esse iustificatum: sed tradidi vobis credendam Passionem, sepulturam, & Resurrectionem Domini nostri Iesu Christi. Denique sanctus Ioannes, in epist. 1. c. 4. *Omnis* (inquit) *qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est.* Et infrà: *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est filius Dei.* Habemus igitur obiectum fidei iustificantis tam perspicuè, & tam copiosè in sacris literis explicatum, vt aduersarij hæresim suam persuadere non possint, nisi nouas scripturas veteribus abolitis solita temeritate confingant.

CAPVT IX.

Probatur ex traditione Ecclesiastica, fidem iustificantem non esse fiduciam misericordiæ, sed assensum ad omnia, quæ in verbo Dei continentur.

QVam verò quid vetus Ecclesia senserit, ac tradiderit de fide ad iustificationem, & salutem necessaria, quid ea videlicet sit, & quod obiectum habeat, non potest clarius intelligi, quàm ex Symbolo fidei, quod Catecumenis initio traditur, vt cum fide recta, & sana ad lauacrum regenerationis accedant, hoc est, vt ex fide iustificentur, & iustificati salutem consequãtur æternam.

Extat igitur imprimis Symbolum antiquissimum, quod Apostolicum dicitur, propterea quod Apostoli ipsum condiderint, vt inter omnes constaret, quænam esset totius Christianæ fidei summa. Cuius rei testes sunt Ambrosius in epistol. 81. ad Siricium. Hieronymus in epist. ad Pammachium aduersus Ioannem Hierosolymitanum, Augustinus in serm. 115. & 181. de tempore. Leo epist. 13. ad Pulcheriam, & serm. 11. de passione Domini. Maximus in serm. de Symbolo, & alij.

Contineri autem Symbolo, quamuis breuiter, & in summa, totum fidei obiectum, docet præter alios sanctus Augustinus, loco citato, sermone 115. de tempore, vbi Symbolum Apostolicum, his verbis definit: *Est* (inquit) *Symbolum comprehensio fidei nostræ simplex, brevis, plena, vt simplicitas consulat audientium rusticitati, brevitas memoriæ, plenitudo doctrinæ.* Et serm. 119. *Symbolum* (inquit) *est breuiter complexa regula fidei, vt mentem instruat, nec oneret memoriam.*

Hoc Symbolum habemus paulò latius explicatum, in Conciliis Oecumenicis Nyceno, & Constantinopolitano, & rursus à sancto Athanasio Episcopo Alexandrino: sed sicut quatuor Euangelia, non tam sunt quatuor Euangelia, quàm quatuor libri eiusdem Euangelij, ita quatuor Symbola, Apostolicum, Nycenum, Constantinopolitanum, & sancti Athanasij, non tam sunt quatuor Symbola, quàm enarrationes quatuor eiusdem Symboli.

In Symbolo igitur fidei continentur multa, quæ necessariò credenda sunt, si quis ex fide iustificari velit, de vnitate, & Trinitate Dei, de Incarnatione, Passione, & Resurrectione Christi, de Ecclesia, de Baptismo, de vita æterna, de speciali autem misericordia ne verbum quidem. Itaque id solùm prætermissum est, quod solùm ponendum erat, si vera esset Lutheranorum de fidei notione, vel definitione sententia.

At (inquit Lvthervs in comment. ad cap. 3. epist. ad Galat.) *in Symbolo habetur: Credo sanctam Ecclesiam: quod non est aliud, quam credo, nullum esse amplius peccatum, nullam mortem in Ecclesia.* Sed inanis hæc obiectio est duabus de causis. Primo, quia sanctam Ecclesiã esse credimus, quoniam sponsum habet sanctum, & multos filios sanctos, & extra eam nullus est sanctus: non autem quoniam omnes, qui in ea sunt, sancti sint. Scimus enim, Ecclesiam esse aream, in qua sunt paleæ cum tritico: & rete in quo sunt boni, & mali pisces, & domum, in qua sunt vasa alia in honorem, alia in contumeliam. Secvndo, quoniam qui credit Ecclesiam sanctam, non tenetur credere, se iam esse partem Ecclesiæ sanctæ. Catechumeni enim credunt Ecclesiam sanctam, & tamen sciunt, se nondum partem eius esse: qui verò iam baptizati sunt, & intus manẽt, sciunt se partem esse corporis Ecclesiæ. Sed an sanctitatem eius participent, quæ potissimum in charitate sita est, neque sciunt, neque scire, aut credere tenentur.

At (inquit Philippvs, in Apologia confess. in articulo de fide) *Non est omissa remissio peccatorum in Symbolo fidei: atq; illa est, quam fides iustificans propriè intuetur.* Sed facilè hoc reiicitur. Nam imprimis, si fides iustificans rectè definita esset fiduciã misericordiæ propter Christum, deberet saltem magna pars Symboli, si non totum, cum hac definitione congruere. Contra autem factum esse videmus, cùm ex articulis duodecim, vnus tantum sit, qui vtcumque ad fiduciam misericordiæ accommodari posse videatur: nam reliqui vndecim neque de misericordia docent aliquid, neque ad fiduciam vlla ratione, sed ad solam credulitatem (vt sic loquamur) pertinent.

Deinde, articulus de remissione peccatorum, non docet specialem, & absolutam beneuolentiam, quam aduersarij obiectum fidei iustificantis faciunt, sed beneuolentiam generalem, & quæ suis conditionibus non caret, cum ex baptismi perceptione dependeat. Nam quod in Symbolo Apostolico habetur, *Credo remissionem peccatorum*, in Cõstantinopolitano explicatur, cum dicitur *Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum.* Quocirca Catechumeni etiam ante baptismum, totum fidei Symbolum recitant, & credunt: & tamen nondum habent

Universidad de Deusto
Biblioteca

remissionem peccatorum, sed eam obtinendam per lauacrum regenerationis expectãt. Itaq; sensus illius articuli non est, credo, aut confido mihi remissa esse peccata, sed credo, & confiteor, in Ecclesia Catholica esse donum remissionis peccatorum, quod per baptismum, aliáque sacramenta percipitur.

Præter hoc testimonium totius Ecclesiæ Symbolum fidei Catechumenis tradentis, adferri possunt etiam testimonia singulorum Patrum, qui de fide iustificãte cum disserunt, eam semper intelligunt, quæ Catholica dicitur, quæque totum Symbolum respicit.

Sanctus IRENAEVS, lib. 1. c. 2. 3. & 4. explicat regulam fidei Christianæ, quod idẽ facit TERTVLLIANVS, in lib. aduersus Praxeam: vterque autem nihil aliud credendum docet, nisi articulos Symboli Apostolici, quamuis nomen Symboli non habeant. Sanctus quoq; BASILIVS, in oratione de confessione fidei, docet, fidem ad salutem, & iustificationem necessariam illam esse, qua creduntur ea, quæ Deus reuelauit: neque fidei specialis in tota illa oratione vsquam meminit.

Pari ratione CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS, Catechesi quinta scribit, fidem iustificantem esse fidem dogmaticam, qua credimus Iesum esse Christũ, & à mortuis resurrexisse, atq; alia id genus dogmata. Idem quoq; catechesi 18. explicans, quid sit credendũ catechumenis, vt baptizari possint, totum Symbolum tradit, & exponit, neq; vsquam meminit fiduciæ specialis misericordiæ.

Idem faciũt GREGORIVS NAZIANZENVS, oratione in sanctum Lauacrum extrema, & in tractatu de fide Nycena; CHRYSOSTOMVS in duabus homiliis de Symbolo, EVSEBIVS EMISSENVS, in homiliis item duabus de Symbolo, RVFFINVS, in explicatione Symboli, AVGVSTINVS, in lib. de fide, & Symbolo, in lib. de Genesi imperfecto, cap. 1. Et in Enchiridio per multa capita: FVLGENTIVS, in lib. de fide ad Petrum, & auctor libri de Ecclesiasticis dogmatibus, qui omnes, cùm Symbolum explicant, tum profitentur, ea omnia se docere, quę ad fidem Christianam pertinent, & tamen nemo est eorum, qui vel semel specialis istius fidei Lutheranorum meminerit.

Sed placet ex Augustino, & qui eũ sequuti sunt, Prospero, Leone, atq; Fulgentio, verba ipsa proferre. Igitur S. AVGVSTINVS in Enchirid. c. 2. dicit, Deum fide, spe, & caritate coli: & c. 5. dicit, mentẽ imbui debere fide, vt benè viuendo tendat ad speciem. Et c. 7. dicit, salutem his tribus acquiri fide, & spe, & caritate. Nam quicunque inuocauerit nomen Domini saluus erit: sed non potest inuocari nomen Domini nisi prius credatur: ideo fides credit, spes, & charitas orant. Ex quibus locis manifestè colligimus, eum loqui de fide iustificante, & saluante.

De hac igitur fide iustificante, mox capite octauo, docet, eam distingui à spe, ac per hoc etiam à fiducia, nõ solùm nomine, sed etiam obiecto, vnde sumitur ratio propria, essentiaq; virtutum. *Est* (inquit) *fides & malarum, rerum, & bonarum, quia & bona creduntur, & mala, & hoc fide bona non mala. Est etiam fides & præteritarum rerum, & præsentium, & futurarũ. Credimus enim mortuum Christum, quod iam præterit. credimus sedere ad dexteram Patris, quod nunc est; credimus venturum ad iudicandum, quod futurum est. Item fides & suarum rerum est, & alienarum. Nam & se quisque credit aliquando cœpisse, nec fuisse vtique sempiternum, & alia atque alia: nec solùm de aliis hominibus multa, quæ ad religionem pertinent, verùm etiam de Angelis credimus. Spes autem non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, & ad eum pertinentium, qui earum spem gerere perhibetur. Quæ cum ita sint, propter has causas distinguenda erit fides à spe, sicut vocabulo, ita & rationabili differentia.*

Idem Augustinus in libro tertio, contra duas epistolas Pelagianorum, c. 5. *Nostra* (inquit) *fides, hoc est, Catholica fides iustos ab iniustis non operum, sed ipsa fidei lege discernit. Quia iustus ex fide viuit.* Vbi sanctus Augustinus loquitur de fide iustificante, quæ discernit iustum ab iniusto: & dicit, eam fidem esse Catholicam, id est, fidem dogmaticam, communem toti Ecclesiæ, non specialem illam, quæ eius tantum est, qui credit, vel confidit sibi remissa esse peccata. Et paulò infrà, dicit, hanc fidem, esse fidem rectam, quę hæresi opponitur, & ratione cuius melior est mulier bis nupta Catholica, quàm virgo hæretica. Vbi sine dubio per fidem iustificantem intelligit fidem, qua creduntur articuli, & dogmata omnia sine vlla permixtione perfidiæ.

Sanctus LEO sermone quarto, de Epiphania: *Hoc est* (inquit) *quod iustificat impios, hoc est, quod ex peccatoribus facit sanctos, si in vno, eodémque Domino nostro Iesu Christo, & vera Deitas, & vera credatur humanitas.*

Sanctus PROSPER in lib. primo, de vita contemplatiua, c. 18. enumerat breuiter summam fidei de Trinitate, & Incarnatione. Deinde c. 19. hãc ipsam dicit esse fidem iustificantem: *Qui non crediderit* (inquit) *habendo fidem, nec iustitiam cordis habere poterit, nec salutem.*

Sanctus FVLGENTIVS, in lib. de Fide ad Petrum, in ipso prologo, loquens de fide Catholica, & dogmatica, quam in toto eo libro exponit: *Gaudeo* (inquit) *quod pro fide vera, sine vllo perfidiæ vitio custodienda sollicitudinem geris, sine qua nulla potest prodesse, imo nec esse conuersio. Apostolica quippe dicit auctoritas, quia sine fide impossibile est placere Deo. Fides namque est bonorum omnium fundamentum: fides est humanæ salutis initium. Sine hac fide, nemo ad filiorum Dei numerum potest peruenire: quia sine ipsa, nec in hoc sæculo quisquam iustificationis gratiam consequitur, nec in futuro vitam possidebit æternam.*

Sanctus BERNARDVS, multis in locis hoc docet, sed vnum in præsentia nobis citasse sufficiet, serm. 6. in Vigilia Natiuitatis, cùm loqueretur de fide Incarnationis, & aliorum mysteriorum: *Beati* (inquit) *qui non viderunt, & crediderunt. Pars nostra hæc in verbo vitæ: nec sanè contemptibilis, ex qua nimirum viuitur, & qua vincitur mundus, quoniam iustus ex fide viuit: & hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. Hæc est, quæ velut quoddam æternitatis exemplar præteritas simul, & præsentia, ac futura sinu quodam vastissimo comprehendit.* Vbi fidem iustificantem dicit, complecti præterita, præsentia, & futura, quia credimus omnes articulos, à Deo reuelatos, quorum alij sunt de rebus præteritis, alij de præsentibus, alij de futuris.

CAPVT DECIMVM.

Probatur idem rationibus.

POSTREMO, manifestis rationibus potest fides ista specialis explodi.

PRIMA ratio, Fides (vt ipse etiam docet CALVINVS) in nihil aliud collimare debet, nisi in verbum Dei. Non enim potest esse certa, & infallibilis, nisi eius auctoritate nitatur, qui nec falli potest, nec fallere: at in verbo Dei nusquam reperitur annũciata salus, vel remissio peccatorum mihi, aut illi in particulari, exceptis quibusdam paucis, vt Paralytico, cui dictum est, Mat. 9. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua:* Et Peccatrice, de qua dictũ est, Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et fortasse Adultera, cui dictum est, Io. 8. *Vade, & iã amplius noli peccare.* Et Zachęo, de quo dictum est, Luc. 19. *Hodie salus huic domui facta est, eo quod & ipse sit filius Abrahæ.* Et Latrone, cui dictum est, Luc. 23. *Hodie mecum eris in Paradiso.* Non igitur possunt reliqui homines credere, nisi omnino temerè, tamquam ex verbo Dei, sibi remissa esse peccata.

Respondent, specialem promissionem contineri in generali: nam qui dixit Io. 3. *Qui credit in filium: habet vitam æternam:* Significauit omnes qui credunt, hoc est illum, & illum, qui credit, habere vitam æternam. Pari ratione qui dixit, Actor. 13. *In hoc omnis, qui credit, iustificatur.*

Et Rom. 3. *Iustitia Dei, per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum*: Significauit, omnes, & singulos, qui credunt, iustificari.

Sed hæc responsio multis nominibus peccat. PRIMVM enim nusquam dicit Scriptura, qui credit sibi remissa esse peccata, habet vitam æternam, aut iustificatur: sed qui credit in filium, habet vitam æternam, vel iustificatur. Quod autem credere in filium, sit credere, sibi remissa esse peccata per filium, non habent aduersarij, ex verbo Dei, sed ex interpretatione sua: proinde non possunt id facere obiectum fidei, nisi velint ex verbo suo facere verbum Dei.

Adde, quod interpretatio ipsorum tantùm abest, vt sit verbum Dei, vt etiam repugnet verbo Dei. Nam idem Ioannes, qui scripsit: *Qui credit in filium, habet vitam æternam*: scripsit 1. Ioan. 5. *Omnis qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est.* Et infrà: *Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est filius Dei?* Itaque credere in filium, ipso interprete Euangelista Ioanne, est credere, quod Iesus sit filius Dei, & Christus. Sic etiam beatus Paulus, qui scripsit: *In hoc omnis qui credit iustificatur, & iustitia in omnes qui credunt in eum*: Idem explicuit verba sua, cùm ait ad Rom. 10. *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quod Deus eum suscitauit à mortuis, saluus eris.* Itaque non modò non habentur in Scriptura illæ particulares propositiones, quas aduersarij certa fide se tenere profitentur, videlicet, Luthero, aut Caluino remittuntur peccata: sed neque habetur illa generalis, Omnis qui credit, sibi per Christum remissa esse peccata, iustificatur.

Deinde peccant aduersarij etiam in eo, quod ex antecedente conditionato colligunt conclusionem absolutam. Nam illæ propositiones: *Qui credit in filium, habet vitam æternam.* Et: *In hoc omnis qui credit iustificatur.* Conditionatæ sunt, ac si dictum esset, Si quis credit in filium, is habet vitam æternam: Et si quis in Christum credit, iustificatur. Ita enim explicat Apostolus ad Rom. 10. *Si credideris in corde tuo, &c.* Et Philippus Act. 8. *Si credis ex toto corde, &c.*

Ex his autem conditionatis propositionibus rectè colligitur conditionata conclusio igitur ego, si credo, habeo iustificationem, & vitam æternam. Absoluta verò conclusio, quam aduersarij volunt, requirit assumptionem absolutam, videlicet illam, Atqui ego credo in filium. Quæ assumptio absoluta non est in verbo Dei, sed in opinione mea. Opinio autem ista mea non solùm non est verbum Dei, sed etiam fallax esse potest. Nam si omnis, qui existimat se credere, re vera crederet, sicut oportet, hæretici omnes, quantumuis inter se contrarij, rectè crederent, & saluarentur. Quis enim vnquam hæreticus, fuit tam absurdus, & deploratus, qui se non arbitraretur rectissimè credere? certè Lutherani, qui Caluinianos, & Anabaptistas pro hæreticis habent, ne cogantur fateri illos rectè credere, non possunt admittere, omnes illos re vera credere, qui arbitrantur se credere: quod idem Caluiniani, & Anabaptistæ eadem de causa non admittent.

Adde quod secundùm scripturas, non satis est, quocunque modo credere, sed oportet toto corde credere, vt dicitur Act. 8. Et quemadmodum Dominus dicit: *Omnis qui petit accipit.* Luc. 11. Et tamen Iacobus in epistola sua, capite quarto, verè scribit: *Petitis, & non accipitis, eo quod malè petatis.* Sic etiam quamuis scriptura dicat: *Qui credit in filium, habet vitam æternam*, Tamen verissimè dicere possumus, multi credunt in filium, & non habent vitam æternam, eo quod malè credant. Neque hoc negare possunt aduersarij, quippe qui fidem negant esse veram, nisi sit viua, & fructus bonorum operum pariat. At quis est, qui certò affirmare queat, se toto corde, atque vt oportet, credere, & fidem habere viuam, & cum charitate coniunctam?

Denique peccant aduersarij in eo, quod existimant illas propositiones: *Qui credit in filium, habet vitam æternam: In hoc omnis, qui credit, iustificatur*: Et alias similes, ita esse intelligendas, vt sola fides sufficiat ad iustitiã, & salutem, quod apertè falsum esse in libro sequenti demonstraturi sumus. Qui enim credit in filium, habet vitam æternam, si cætera adhibeat, quę fides ipsa adhibenda demonstrat. Quare tametsi fateremur, scriptũ esse in libro Dei, Omnis qui credit, sibi remitti peccata, iustificatur, & pariter scriptum esse, talis, vel talis homo credit, sibi remitti peccata: quæ falsa esse docuimus, adhuc tamen non posset rectè colligi, talem illum hominem verè esse iustificatum. Proinde fides illa specialis non esset certa, ac per hoc neque diuina neque iustificans.

SECVNDA ratio, Fides iustificans præcedere debet iustificationem: Fides autem specialis misericordiæ sequitur iustificationem: Igitur fides specialis misericordiæ, non est fides iustificans.

Propositio huius argumenti, certissima est, nam fides est causa iustificationis: causam enim significant illę Prepositiones, *ex*, &, *per*, cùm dicitur ad Rom. 5. *Iustificati ex fide*: Et c. 3. *Qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputiũ per fidem* Omnis autem causa prior est effectu. Quo circa sanctus Augustinus, in libro de spiritu, & litera, c. 30. hũc ordinem statuit inter actus Iustificationis, vt PRIMO loco sit lex, per quã est cognitio peccati, SECVNDO, fides, quæ impetrat gratiã contra peccatũ. TERTIO, gratia, quæ iustificat à peccato. Et in epistola 106. & alibi, sæpe repetit, per fidem impetrari remissionem peccatorum, ac per hoc fidem priorem esse iustificatione.

Assumptio eiusdem argumenti, nullo negocio demonstratur: nam si fides illa specialis non sequitur iustificationem, falsa esse cõuincitur. Quomodo enim vera fides est, qua credo mihi remissa esse peccata, si dum ita credo, nondum sunt remissa peccata, sed sunt per hunc ipsum actum posteà remittenda? Deinde si obiectum, huius fidei est illa propositio, Mihi sunt per Christum peccata remissa, certè prior debet esse remissio, quàm fides, cùm omnis actus pendeat ab obiecto, non contrà obiectum ab actu. Neq; multum refert, si quis forte dicat, fide speciali non credi peccata esse remissa, sed remitti in præsens: nam semper remissio est obiectum fidei, ac per hoc prius debet esse, quàm fides: neque intelligi potest, vt obiectum fiat per illum ipsum actum, cuius est obiectum, cùm obiectum det essentiam actui, non actus obiecto. Non igitur fides illa iustificare potest, quæ iustificationem ipsam specialem pro obiecto habet.

TERTIA ratio, Fides ill'a specia is, quam aduersarij fingunt, esse fidem iustificantem, tollit è medio orationem, sacramenta, opera bona, & quicquid aliud ad salutem nostram Deus instituit: non igitur fides iustificans, sed fides iustificationem impediens, & in exitium, ac perditionem adducens, iure nominari potest. Nam si certò, atq; ex fide credere debeo, mihi peccata esse remissa per Christum: quomodo possum cũ publicano dicere, Deus propitius esto mihi peccatori; aut cũ Apostolis, & Ecclesia vniuersa. Dimitte nobis debita nostra, nisi hæsitem in fide, & Deũ mendacem efficiam? cur enim si precarer à Deo, vt Verbum ipsius caro fieret in vtero Virginis, infidelis iudicater, & non similiter infidelis meritò iudicabor, si petam à Deo remissionem peccatorum, cùm non minus certa fide credere debeã, mihi remissa esse peccata, quàm verbũ carnem in vtero Virginis esse iã factum?

Deinde quid opus est baptismo, si per fidem, quæ baptismum præcedere debet, certus sum mihi iam remissa esse peccata? Itaque Lutherus satis congruenter ad hanc suam hæresim, de fide speciali scripsit, in libro de captiuitate Babylonica, capite de baptismo. Iustificari

Universidad de Deusto
Biblioteca

ficari hominem, qui credit, etiamsi forte is qui baptizat, neque intendat baptizare, neq; baptizet in nomine Domini. Quod idem dici potest de Sacramento reconciliationis, siue pœnitentiæ, aliisque remediis peccatorum diuinitus institutis.

QVARTA ratio, quæ propriè refellit eos, qui volunt fidem iustificantem esse fiduciam beneuolentiæ specialis: nam tametsi fiducia obtinendæ veniæ, qualis esse debet in homine pœnitentiam agente, præcedat iustificationem; tamen fiducia, qua quis confidit, sibi remissa esse peccata, sèque Deo gratum esse, & hæredem regni, de qua loquuntur aduersarij, pendet à bona conscientia, & perseuerantia in dilectione Dei, & operibus bonis, ac proinde præexigit iustificationem, non illam efficit, ac per hoc non est fides iustificans, sed aliquid fide iustifi- B cante posterius.

Pendere fiduciam, atque etiam nasci ex bona conscientia, & perseuerantia in dilectione, & operibus bonis perspicuè tradunt diuinæ scripturæ. Psal. 4. *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino.* Ecclesiastici 2. *Dirige viam tuam, & spera in illum.* Osee 12. *Et tu ad Dominum Deum tuum conuerteris, misericordiam, & iudicium custodi, & spera in Deo tuo semper.* 1. Ioan. 2. *Manete in eo, vt cum apparuerit, habeamus fiduciam.* Et cap. 3. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* 2. Petri 1. *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.*

Sanctus quoq; AVGVSTINVS in lib. de agone Christiano, cap. 13. *Fides* (inquit) *est prima, quæ subiugat animam* C *Deo, deinde præcepta viuendi, quibus custoditis spes nostra firmatur.* Et tractat. 6. in Ioannem, docet, fiduciam ex caritate procedere. Vide in eandem sententiam sanctum Ioannem Chrysostomum, homil. 5. in Matth.

QVINTA ratio, quæ propriè Caluinum respicit: Fides iustificãs pacem, & tranquillitatem animi parit, iuxta illud Apostoli, ad Rom. 5. *Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum:* At fides illa specialis, quam Caluinus docet, perturbationem, & desperationem mentibus adfert. Vult enim Caluinus, fide speciali non solùm credi oportere, nobis per Christum remissa esse peccata, sed etiam planè cognosci, nos ad numerum prædestinatorum certò pertinere, & fidem semel habitam amitti non posse, lib. 3. Instit. cap. 2. D

At quis (obsecro) talem se fidem habere sperare potest? & si hæc ipsa fides, & sola ipsa iustificat, quis iustum se futurum esse, aut vnquam se fuisse confidet? Falli enim posse eos, qui se prædestinatos, aut numquam lapsuros arbitrantur, docet apertissimè tum experientia, qua videmus quotidie homines labi, tum ipse etiam Caluinus in eodem loco, vbi sic loquitur: *Tot vanitatis receptus sunt, tot mendacij latebris scatet cor humanum, tam fraudulenta hypocrisi obtectum est, vt se ipsum sæpe fallat. At verò qui talibus fidei simulachris gloriantur, intelligant diabolis nihilo se in hac parte præcellere.*

Certè si hæc vera sunt, maxima pars hominum meritò de salute desperat. Nam si ex iis, qui statuunt in corde suo se iustos, ac prædestinatos esse, plurimi falluntur, & E cùm se Angelis pares arbitrentur, nihilo sunt diabolis meliores: nonne meritò omnes formidare debent, ne ipsi sibi imponant? quod si hoc formidant, nonne fide iustificante iam carent, quæ certa, & firma notitia diuinæ beneuolentiæ esse debet?

CAPVT XI.

Refelluntur obiectiones aduersariorum.

OBICIVNT aduersarij pro fide sua speciali, PRIMO, testimonium illud ad Heb. 11. quod nos etiam primo loco aduersus eos attulimus. Nam cùm definitur fides sperandarum substantia rerum: contendunt per substantiam rerum sperandarum intelligi debere expectationem certam promissæ misericordiæ. Nam vox Græca ὑπόστασις expectationem significat, vt colligitur tum ex illo Psal. 38. *Quæ est expectatio mea, nonne Dominus? & substantia mea apud te est?* Tum ex cap. 3. ad Hebræos, vbi cùm dixisset Apostolus: *Quæ domus sumus nos, si fiduciam, & gloriam spei vsq; in finem firmam retineamus.* Paulò post in eandem sententiam dicit: *Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ eius vsque in finem firmum retineamus.* Vbi repetitio illorum verborum (*vsque in finem firmum retineamus*) conuincit, idem significatum esse per fiduciam, & per substantiam, quæ in Græco est ὑπόστασις.

RESPONDEO, sanctus Ioannes Chrysostomus, sine dubio Græcæ linguæ peritissimus erat, nec ignorabat quid significaret vocabulum ὑπόστασις. Ipse autem auctor est expositionis, quam nos suprà cap. 5. sequuti sumus. Hæc autem sunt eius verba, homil. 12. in epist. ad Hebræos: *Quoniam ea quæ sunt in spe, sine substantia, esse putantur, fides eis tribuit substantiam, magis autem eis non tribuit, sed ipsa est essentia eorum, vt puta, Resurrectio nec dum facta est, & nec dum est in substantia, sed fides facit eam subsistere in anima nostra, hoc est, quod dixit substantia.* Nec alio modo locum istum exponunt cæteri Græci interpretes, quorum auctoritate freti, contemnere possumus nouam Grammaticam Melanchthonis, & Kemnitij.

Sed præterea tametsi vocabulum ὑπόστασις significare posset expectationem (negari enim non potest, quin multa, variaque significet) tamen in locis allegatis ex Psal. 38. Et ex epistola ad Hebræos, sine dubio non expectationem, sed substantiam, siue subsistentiam significat. Nam in Psal. citato vbi legimus, *& substantia mea apud te est*, in Hebræo quidē est, תוחלתי *thohaleth* expectatio mea: tamen Septuaginta viri non ignorantes, per expectationem eo loco significari rem expectatam, quæ est vera vita, & substantia apud Deum, ideo verterunt ὑπόστασιν.

In epistola verò ad Hebræos in ipso initio capitis primi, vbi legimus: *Qui cum sit splendor Patris, & figura substantiæ eius.* Græcè, χαρακτὴρ ὑποστάσεως, non significat vocabulum hoc expectationem, sed substantiam, est enim filius perfecta imago substantiæ Patris, id est, subsistentis personæ paternæ. Qua notione vtuntur hac voce passim Theologi tum veteres, tum recentiores. Capite autem tertio, initium substantiæ Christi, non significat initium fiduciæ, sed initium nouæ creaturæ, quod initium est fides. Nam (vt dicitur ad Galat. 4.) cùm iustificamur, formatur Christus in nobis, & ideo dicimur ad Galat. 6. noua creatura. Et ad Ephes. 2. dicimur creati in Christo Iesu, in operibus bonis. Itaque participes sumus Christi, vt membra capitis, si tamen retinemus initium huius nouæ substantiæ eius, per quam formatus est ipse in nobis, quod initium est fides, quæ per dilectionem operatur.

Addo postremò, non posse aduersarios ex definitione fidei, quæ habetur ad Hebr. 11. errorem suum constabilire, quamuis eis concederemus, nomine ὑποστάσεως intelligi expectationem, siue fiduciam. Nam illud (*rerum sperandarum*) propriè refertur ad vitam æternam, & corporis resurrectionem, de quibus idem Apostolus dicit, ad Rom. 8. *Et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum, expectantes redemptionem corporis nostri. Spe enim salui facti sumus.* Et ad Tit. 2. *Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei.* Expectatio autem vitæ æternæ non est fides iustificans, etiam secundùm doctrinam aduersariorum, qui fidem iustificantem definiunt fiduciam misericordiæ, qua in præsentia peccata remittuntur, aut remissa sunt, & per quam iusti reputamur à Deo, non per quam expectamus, vt iusti reputemur.

SECVNDA obiectio, Apostolus ad Rom. 4. dicit Abrahamum iustificatum ex fide: per fidem autem intelligit

git fiduciam misericordiæ. Nam explicans fidem Abra- A
hami dicit. *Qui contra spem in spem credidit:* Et infra: *Non hæsitauit diffidentia.* Similia sunt illa, Marci 11. *Quicquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis.* Vbi (*credite*) accipitur pro confidite: non enim tenemur fide propriè dicta credere, nos accepturos omnia, quæ petimus, cùm multa petamus, quæ non accipimus: Item illud Iacobi 1. *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* Denique huc etiam pertinet illud, 2. Paralip. 20. *Credite in Domino Deo vestro, & securi eritis.*

RESPONDEO, In his omnibus locis, vocabulum fidei accipitur pro vera fide Catholica, qua credimus id omne, quod Deus reuelat, non pro fiducia, aut confidentia. Quamuis illud verum sit, fidem qua impetrantur miracula, magnam esse debere, vt etiam gignat fiduciam quandam impetrandi quod petitur. Nam propterea dixit B
Dominus Chananææ: *O mulier, magna est fides tua.* Matth. 15. & Apostolus 1. Corint. 13. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam.* Esse autem fidem miraculorum, fidem ipsam Catholicam, suprà probauimus ex cap. vlt. Marci, & ex hoc ipso loco, 1. Corinth. 13. Neque res in controuersiam vocanda esset, cùm satis constet, miracula fieri ad confirmandam fidem. quæ fundamentum est religionis, & salutis, iuxta illud Marci vltimo. *Illi autem profecti, prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Et illud Actor 3. *In fide nominis eius hunc, quem vos videtis, confirmauit nomen eius. Et fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam.*

Illud igitur Roman. 4. *Qui contra spem in spem credidit:* Hanc sententiam habet, credidit ob diuinam promissionem, se posse sperare filium ex Sara, quē naturaliter spe- C
rare non poterat. Illud autem (*Non hæsitauit diffidentia*) significare posset, fidem Abrahæ fuisse insignem, ita vt fiduciam quoque peperit. Quamquam suprà notauimus, diffidentiam hoc loco positam esse pro incredulitate, cùm sit in Græco ἀπιστία. Denique Apostolus euidenter aperit, quę fuerit fides Abrahæ, cùm ait: *Plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est, & facere.* Itaque omnipotentiam Dei credidit Abraham. Deum autem esse omnipotentem, fide tenemus, non fiducia.

Illud Marci 11. *Credite quia accipietis*, ad fidem propriè dictam pertinet, sed intelligitur cum conditione, si benè petatis, & si expedit vobis dari. Illud Iacobi 1. *Postulet in fide nihil hæsitans*, excludit dubitationem fidei contrariam. Vult enim Deus, omnipotentiam suam sine vlla dubitatione credi; nam ideo Dominus Matth. 9. D
petebat à cæcis: *Creditis quia hoc possum facere vobis?* Et Angelus Gabriel, Luc. 1. Zachariam puniuit, quòd promittenti Deo filium obiecerit senectutem suam, & sterilitatem coniugis. Et ad Mariam idem Angelus de Christi, & Ioannis conceptione loquens: *Non erit* (inquit) *impossibile apud Deum omne verbum.* Nec tamen esset absurdum, aut contra sententiam nostram, si quis diceret, loqui Iacobum de fide, quæ gignit fiduciam, ac per hoc non solum incredulitatem, sed etiam diffidentiam excludere.

Illud denique 2. Paralip. 20. *Credite in Dominum Deum vestrum, & securi eritis.* De fide propriè dicta intelligitur, fideles enim suos Deus protegit, & custodit. Id verò ex sequentibus verbis manifestè colligitur. Sequitur e- E
nim: *Credite prophetis eius, & cuncta euenient prospera.* Vbi non significat scriptura, fiduciam esse ponendam in prophetis, sed fidem habendam verbis eorum. Neque credibile est intra duas lineas scripturam accepisse verbum (credendi) nunc pro fiducia, nunc pro fide. Semper igitur accepit pro fide.

TERTIA obiectio sumitur ex illis locis, vbi reprehenduntur quidam ob timiditatem, & tamen ea reprehensio refertur in defectum fidei: ex quo sequitur, vt fides accipiatur pro fiducia, cui propriè opponitur timor. Matth. 6. *Quanto magis vos modicæ fidei.* Matth. 8. *Quid timidi estis modicæ fidei?* Matth. 14. *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Matth. 16. *Quid cogitatis modicæ fidei?* Et confirmatur argumentum, quoniam sicut timor, qui est fiduciæ contrarius, opponitur fidei: sic etiam interdum fortitudo, quæ propriè nascitur ex fiducia, in scripturis tribuitur fidei. Hebr. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna, fortes facti sunt in bello, &c.* 1. Pet. 5. *Cui resistite fortes in fide.* Ephes. 6. *In omnibus sumentes scutum fidei, &c.*

RESPONDEO, Non est mirum si timiditas, quæ fiduciæ opponitur, referatur in defectum fidei, quandoquidem ipsa fiducia oritur ex fide. Sed non ideo confundenda est fides cum fiducia. Itaque cùm Dominus ait: *Quid timidi estis modicæ fidei.* Docet ideo timorem in Apostolis locum inuenisse, quoniam debiles erant in fide. B
Nam si magna, id est, firmissima, & intensissima fide credidissent, Christum esse Deum, ac per hoc vbique præsentem, & omnipotentem, semperque vigilantē, ac suorum prouidentiam gerentem, ex ea fide concepissent fiduciam euadendi periculum naufragij, etiamsi Christus corporaliter dormiret: sed quoniam, dubitabant, an periculum illud euadere possent, nisi Christum dormientem excitarent, ideo meritò audierunt, Quid timidi estis modicæ fidei? quod idem ad alia loca respondendum est.

Eadem de causa fortitudo tribuitur fidei, quoniam fides est radix & origo fiduciæ, & ipsius etiam charitatis, quibus contraria omnia superantur. Quamuis illud etiam dici posset, fortitudinem referri in fidem, quoniam fides est genus armorum spiritualium, quibus armati fideles fortiter bellum gerunt aduersus Principes, & potestates, C
contra nequitiæ spiritualia in cœlestibus: sed eadem ratione referri posset fortidudo in alias Christianas virtutes, quæ sunt omnia spiritualium armorum genera, vt idem Apostolus docet ad Ephes. 6.

QVARTA obiectio, in qua multum omnino confidere videntur Hæretici, sumitur ex illis verbis ad Rom. 4. *Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio.* Videntur enim hæc verba planè cogere, vt per fidem intelligamus fiduciam, siue assensum, quo amplectimur promissionem, eamque nobis applicamus. Nam quemadmodum in humanis contractibus non est rata donatio, vel promissio, donec illam is, cui facta est acceptauerit: sic etiam promissio remissionis peccatorum non est firma, id est, non sortitur effectum suum, nisi homo per fidem illam amplectatur, & dicenti Deo, remittuntur tibi peccata tua, dicat homo credo mihi remitti peccata mea. D
Nam si id non dixerit, mendacem facit Deum, iuxta illud, 1. Ioan. 5. *Qui non credit, mendacem facit eum.* Igitur vt firma sit promissio, ex fide iustificat Deus, id est, eos iustificat, qui credunt, & confidunt, se iustificari. Alioqui si per fidem intelligeremus fidem historicam, qua credimus Christum natum esse de Virgine, & alia id genus, ineptissima esset illa Paulina sententia. Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio. Hoc argumentum proponere volui paulò etiam clarius, quàm aduersarij ipsi facere soleant, vt clarior quoque, ac euidentior fiat solutio.

RESPONDEO, si Deus alicui manifestè diceret, remittuntur tibi peccata, vt re vera dixit Paralytico, & Magdalenæ, sine dubio credere, & confidere is deberet, sibi verè peccata esse remissa, alioqui mendacem faceret Deum, vt sanctus Ioannes dicit. Sed non ideo per eam fidem is iustificaretur nam vt suprà ostendimus, fides ista, vt etiam fiducia posterior esset remissione peccatorum, ac proinde eam efficere non posset.

Cæterum Apostolus ad Rom. 4. non loquitur de promissione remissionis peccatorū, vt aduersarij falsò assumūt, sed de promissione facta Abrahę, quod Pater fieret multarum gentium, siue, quod est idem, de promissione vocationis gentium ad iustitiam, & salutē. Hęc autem

pro

Universidad de Deusto
Biblioteca

promissio non poterat esse firma, & rata, si iustificatio A contingeret ex lege Mosis, vel ex operibus factis ex viribus liberi arbitrij, nam tunc vel nulli omnino, vel soli Iudæi iustificati, saluatique fuissent: quare vt firma sit promissio, & gratuita, non debita; non iustificat Deus homines ex lege, aut operibus factis ex solis naturæ viribus, sed ex fide Iesu Christi, quæ sola est initiũ gratuitæ, veræq; iustitiæ non solùm Iudæis, sed etiam gentibus.

Itaque aduersarij perperam intelligunt in hoc testimonio, tum vocabulum promissionis, tum vocabulum fidei. Et quidem, per vocabulũ promissionis, non intelligi remissionem peccatorum, sed vocationem gentium, patet ex illis verbis: *Vt firma sit promissio omni semini, non ei, qui ex lege est solum, sed & ei, qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrum, sicut scriptum est, quia patrem multarum* B *gentium posui te.*

Per vocabulum autem fidei non intelligi fidem, seu fiduciam, qua quis credit, aut confidit sibi remissa peccata, sed fidem dogmaticam, quam illi vocant historicã; patet ex verbis sequentibus: *Sed confortatus est fide, dans gloriam Deo plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est, & facere. Ideo & reputatum est illi ad iustitiam. Non est autem scriptum tantùm propter ipsum, quia reputatum est illi ad iustitiam, sed etiam propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitauit Iesum Christum Dominum nostrum à mortuis.* Hic enim videmus fidem iustificantem in Abrahamo fuisse fidem omnipotentiæ Dei, & in nobis similiter fidem, qua credimus, Deum excitasse Christum à mortuis.

C

Quod autem sanctus Ioannes scribit: *Qui non credit, mendacem facit eum*: non solùm locum haberet in eo, qui non crederet, sibi remissa esse peccata, si Deus hoc illi speciali verbo significaret: sed etiam locum habet in iis, qui non credunt, Iesum esse filium Dei, & alia dogmata, quæ Deus per Prophetas, & Apostolos suos manifestauit.

QVINTA obiectio, Fides non iustificat, vt respicit in Verbo Dei rerum gestarum historias, aut comminationem pœnarum, aut præcepta, & leges operum faciendorum, sed solùm vt respicit promissionem salutis, & hanc non in genere, sed in speciali: igitur rectè definita est fides iustificans, fiducia specialis misericordiæ propter Christum.

D

Et quidem fidem non iustificare, vt respicit historias, probant, quoniam non docet, quomodo ab ira Dei liberemur, sed potius auget pauores, & desperationẽ. Quod enim est signum terribilius iræ Dei, quàm placari Deum non alia victima potuisse, nisi morte filij?

Eam item fidem non iustificare, quæ proponit minas, & iudicium Dei iustum in peccatores, eadem ratione probant, quoniam fides iustificans facit quærere Deum, fides autem minarum, & iudicij absterret potius, & fugere compellit.

Eam quoque fidem, quæ docet mandata, & legem operum, non iustificare, probant, quoniam illa fides adigit homines ad desperationem, cùm requirat exactam legis impletionem, quam nemo præstare po- E test.

Denique fidem promissionum generatim solùm propositarum non iustificare, probant, quia promissio non adfert pacem, & tranquillitatem animæ, nisi in speciali applicetur. Restat igitur vt illa sola fides iustificet, quæ respicit promissionem salutis, vt in speciali ad nos pertinet. Quocirca Lutherus in comment. ad 1. & 3. cap. ad Galat. totam vim promissionum sitam esse dicit in pronominibus, NOSTRIS, NOBIS, ME, &c. Vt cum dicitur Galat. 1. *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris.* Et cap. 3. *Factus est pro nobis maledictum.* Et cap. 2. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.*

RESPONDEO, aduersarij non malè ratiocinantur apud suos, quibus persuaserunt, fidei iustificantis officium esse, reddere homines securos, ac certos de remissione peccatorum, & salute sempiterna. Hoc enim admisso principio, non est difficile probare, fidem iustificantem non respicere historias, aut leges, aut minas, sed promissiones tantum, & gratiam. At catholici, qui vident eos assumere, quod erat probandum, rident eiusmodi argumenta.

Nam cum dicunt, fides iustificans non respicit historias, id est, res gestas, quæ narrantur in scripturis, quoniam illa pauores, & desperationem auget. Negamus consecutionem, quod attinet ad pauores. Nõ enim ideo non iustificat fides, quia pauores auget, imo pauores augendo iustificat, non (vt illi vellent) securitatem adferendo, sed vt scripturæ docent, reuocando à peccato, & disponendo ad iustitiam. *Initium enim sapientiæ, timor Domini.* Prouerb. 1. DEINDE negamus, eiusmodi historias augere desperationem. Nã etsi historia mortis Christi summam summi Dei iram contra peccatum ostendit, tamen simul ostendit, mortem illam precium fuisse redemptionis, & propitiationem pro peccatis totius mundi. 1. Timoth. 2. Et 1. Ioan. 2. DENIQVE multæ sunt historiæ, quæ in spem erigunt peccatorem, & ad quærendum potius Deum, quàm ab eo fugiendum hortantur, quales sunt historiæ de conuersione Pauli, Matthæi, Zachæi, Magdalenę, & similium. Atq; hoc idem RESPONDEO, ad aliam partem argumenti, de fide respiciente minas, & iusta Dei iudicia.

Ad illud autem de fide respiciente leges, & mandata, RESPONDEO; eam quoque iustificare, quoniam excitat in homine propositum benè operandi, sine quo (vt infrà suo loco dicemus) nemo iustificari potest. Neque verum est, hac fide adigi homines ad desperationem. Neque enim recta fides docet, Deum requirere à nobis, vt propria virtute legem præsumamus implere; sed contra potius, vt sine dubitatione credamus, sine ipsius auxilio nihil omnino nos posse, omnia autem posse in eo, qui nos confortat.

Denique quod dicunt de promissionum generalium applicatione, propter illa pronomina nostris, nobis, me, & similibus: rectè dicunt, posse vnumquemque promissiones generales sibi applicare per fidem. Nam quemadmodum fide catholica credo Christum mortuum esse pro omnibus, ita eadem fide credo mortuum esse pro me, qui sum vnus ex omnibus. At illæ promissiones, quæ absolutę reperiuntur in scripturis, testantur sufficientiam precij nostri, id est, meritorum Christi. Fuit enim Christi passio, quoad sufficientiam, propitiatio pro peccatis, non solùm nostris, sed ẽtiam totius mundi.

Nulla autem est promissio generalis, quæ testetur, Christi mortem in omnibus sortiri suum effectum, absque vlla conditione ex parte ipsorum, sed omnes conditionales sunt, quod attinet ad efficaciam, cùm fidem, & Sacramenta requirant. Legant aduersarij nobis ex libro Dei talem aliquam generalem promissionem, & tunc suo iure poterunt eam sibi ratione Pronominum applicare.

Quid? quod ipsi quoque inficiari non possunt, exigi saltem conditionem fidei. Nõ enim admittunt, per Christi mortem promissam esse indulgentiam omnibus hominibus, etiamsi in Christum credere nolint. Cum igitur non sit facta promissio remissionis peccatorum, ipsis etiam aduersariis confitentibus, sine conditione fidei, quomodo possunt absolutè credere, sibi remissa esse peccata, cùm ex nullo verbo Dei didicerint, se habere fidẽ, qualis requiritur ad remissionem illam obtinendam?

At (inquiunt) nonne sanctus Ioannes in 1. epist. cap. 5. absolutè, & sine conditione dicit: *Hæc scribo vobis, qui creditis in filium Dei, vt sciatis, quia vitam habetis æternam?* Oportet igitur absolutè credere, nos habere vitam æternam:

nam: alioqui, vt ibidem idem Ioannes ait: *Mendacem facimus Deum.*

RESPONDEO, sanctus Ioannes verissimè dicit, omnes qui credunt, videlicet sicut oportet, habere vitam æternam, nimirum in spe, Nam spe salui facti sumus, Ro. 8. Cæterùm non dicit, omnes qui arbitrantur se credere sicut oportet, reuera credere sicut oportet. Itaque ait quidem, Hæc scribo vobis, qui creditis, vt sciatis, quia vitam habetis æternam; sed non ait, Hæc scribo vobis, vt sciatis, vos habere fidem, qualis requiritur.

Sententia igitur Apostoli conditionalis est: scribit enim iis, qui credunt vt sciant, se habere vitam æternã, si re vera (sicut oportet) credant, hoc est, si fidem habeant, quæ per dilectionem operatur.

B

CAPVT XII.

Proponitur secunda quæstio, an fides sola iustificet.

SEQVITVR nunc ALTERA quæstio, an fides sola iustificet. Quo loco illud est initio OBSERVANDVM, quæstionem istam disputari posse de dispositionibus ad iustitiam, an fides videlicet per modum dispositionis sola iustificet; ITEM de ipsa formali iustificatione, an vt homo sit formaliter iustus, requiratur obedientia legis saltem in habitu, an verò sufficiat fides apprehẽdens Christi iustitiam; DENIQVE de consequentibus iustitiam, nimirum vtrum ad iustitiam retinendã, & conseruandam requirãtur opera bona, an fides sola sufficiat. Cæterùm hoc loco primam tantum quæstionem susce- C pimus explicandam. Nam de aliis duabus in sequentibus libris differendum erit. Quare nemo mirari debet, si multa hoc loco prætermittimus, quæ alij scriptores de sola fide iustificante, vel potius de fide non sola iustificante disputant.

Porrò hæretici huius temporis vna in re conueniunt inter se, & dissentiunt à Catholicis; in aliis tribus dissentiunt etiam inter se. Conueniunt, Fidem solam iustificare, hoc est, nulla re alia iustificationem acquiri, vel vt ipsi loquuntur, apprehendi, nisi fide.

Dissentiunt autem PRIMO de modo, quo fides iustificat. Nam LVTHERVS sensisse videtur, fidem esse verã causam iustificationis. Sic enim scribit in 2. cap. ad Gala. *Fides est formalis iustitia, propter quam homo iustificatur, nõ propter caritatem.* Vbi non solum vox illa, *formalis*, signifi- D cat verã causam; sed etiã est antithesis, qua fidem opponit caritati. Nam cùm negat, nos iustificari propter caritatem, certè negat, caritatem esse causam iustificationis: igitur cùm asserit propter fidem nos iustificari, asserit fidem esse causam iustificationis.

Eandem sententiam in Colloquio Altemburgensi, tribuunt Illyriciani VVittembergensibus, affirmantes à Georgio Maiore, dictum esse, fidem esse causam, cur detur iustificatio. ALII tamen plurimi, ac ferè omnes hoc tempore docent, fidem non iustificare per modum causę formalis, aut efficientis physicæ, vel meritoriæ, quasi aut ipsa sit iustitia, vel initium iustitiæ, aut eius intuitu, siue respectu Deus nos iustificet, sed solùm relatiuè, quia respicit, ac recipit oblatam indulgentiam.

Itaque sensum huius propositionis, Homo fide iusti- E ficatur, hunc esse volunt, Homo iustificatur per gratiam Dei, non imputantis peccata, quam gratiam fides credẽdo recipit. Explicant sententiam suam exemplo manus, quo pauper eleemosynam à diuite recipit. Nam manus illa recipiens eleemosynam, non est ipsa eleemosyna, neque est causa efficiens eleemosynę, neque propter ipsam, quasi sua pulchritudine id mereatur, datur eleemosyna; sed solùm relatiuè concurrit ad eleemosynam obtinendam, quoniam dare, & accipere, sunt relatiua: neque enim dari potest eleemosyna, nisi ab aliquo recipiatur.

Ita explicant modum, quo fides iustificat, Philippus in locis communibus, titulo de bonis operibus, in dilutione argumentorum? Et Kemnitius, in Examine Concilij Tridentini, sess. 6. Et Ioannes Caluinus, in Antidoto Cõcilij, ad canon. 11. sess. 6. Item in Colloquio Altemburgẽsi, nõ solum Illyriciani, siue Saxonici, sed etiã VVittembergenses Electorales conuenerunt in eo, quod fides non sit dicenda causa, sed merum organum iustificationis, & verba Georgij Maioris sibi obiecta, non tam defenderunt, quàm excusarunt. Ex quo intelligimus Lutheranos, qui se iactant omnia tribuere soli fidei, re vera nihil omnino ei tribuere, sed eam planè contemnere, ac nihili facere.

SECVNDO, dissentiunt de actibus aliarum virtutum, B siue operum, vt spei, dilectionis, pœnitẽtiæ, & similibus, an videlicet requirãtur ad iustificationem aliquo modo. Nam etsi conueniant in eo, quod isti actus non sint causa iustificationis, neque dicantur iustificare: tamen aliqui existimant, requiri eorum præsentiam, vel vt signa veræ fidei, vel aliis de causis. Ita docent VVittembergẽses, in Colloquio Altemburgensi, idem etiam docet Philippus, in locis cõmunibus, paulò antè citatis. *Clarè* (inquit PHILIPPVS) *docemus, oportere in homine existere notitiam articulorum, item contritionem, bonum propositum, inchoari dilectionem. De his dimicant aduersarij, quæ tamen fatemur ipsi, in homine oportere existere. Sed addimus oportere accedere fidem, id est, fiduciam misericordiæ, quod propter filium Dei habeamus remissionem peccatorum, non propter has nostras virtutes.*

Caluinus item in Antidoto Concilij, ad art. 11. sess. 6. docet, fidem solam iustificare, sed eam fidem non esse solam; quo modo Solis calor solus accendit, quamuis non sit solus: sed cum splendore coniunctus. Similia habet Kemnitius loco notato.

Contrà autem Illyriciani, siue Saxonici, hoc est, rigidi Lutherani in eodem Altemburgensi Colloquio contendunt, ita solam fidem iustificare, vt illud SOLAM, nõ solùm meritum, sed etiam præsentiam aliarum virtutũ excludat. Et hanc fuisse volunt Lutheri sententiam. Et sanè LVTHERVS in capit. 2. ad Galat. ita loquitur: *Fides sine & ante caritatem iustificat.* Et in disputatione, Vtrum opera faciant ad iustificationem, an non, tom. 1. operum suorum, sic ait, in 3. propositione: *Fides, nisi sit sine vllis etiam minimis operibus, non iustificat, imo nõ est fides.*

TERTIO, dissentiunt de voce SOLA, an sit omnino necessaria, an verò posset iusta aliqua de causa reticeri. Nõ desunt enim inter Lutheranos, qui dicãt, voculã illã SOLA in propositione, Fides sola iustificat, etiamsi non exprimatur, subintelligi, & ideo non esse de ea pertinacius altercandum, præsertim cùm non inueniatur in sacris literis, imo posse vtiliter reticeri concordiæ causa. Alij tamen contrà, pro vocula SOLA acerrimè dimicandum esse censent, atque omnia prius, quàm vt ea vox sibi eripiatur, toleranda esse contendunt. Vide de hac eorum digladiatione Ioan. Cochleum, in Actis Lutheri, anno 1530. Et Laurentium Surium, in commentario rerum gestarum, eiusdem anni; vel ex hæreticis, Ioan. Sleidanum, ad eundem annum, & Dauidem Chythræum, in historia confess. Augustanæ, & ipsum etiã Altẽburgense Colloquium, vbi multa de hac re ab Illyricianis refe- E runtur. Sed nos parum laborantes de ipsorum contentionibus, ad eam tantum controuersiam explicandam aggredimur, quam nobiscum, id est, cum Catholicis habent.

Igitur aduersarij, vt paulò antè diximus, SOLA FIDE iustificationem acquiri, siue apprehendi docent: Catholici contrà, ac præsertim Synodus ipsa Tridentina (quam omnes Catholici vt magistram sequuntur) sess. 6. cap. 6. Septem actus enumerat, quibus impij ad iustitiã disponuntur, videlicet fidei, timoris, spei, dilectionis, pœni-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rentiæ, propositi suscipiendi sacramenti. & propositi no- A
uæ vitæ, atque obseruationis mandatorum Dei. Quam
sententiam veram esse in sequentibus capitibus, Deo
bene iuuante, probabimus.

CAPVT XIII.

Fidem iustificare, sed non solam: idem enim facere Timorem, spem, dilectionem, &c.

HOMINEM nō sola fide iustificari, QVINQVE argumentis principalibus, demonstrare conabimur.

PRIMVM argumētum petimus ex eo, quod scripturæ, & Patres tribuunt vim B
iustificandi non soli fidei, sed etiam aliis virtutibus, quas Concilium Tridentinum, inter dispositiones ad iustitiam numerauit; deinde addemus alia argumenta variis ex locis petita.

PRIMA igitur dispositio, ex doctrina Concilij, FIDES est, de qua superuacaneum est ostēdere, per eam iustificari impium; cùm aduersarij id non negent. Quare probabimus. Fidem non tam iustificare, quam iustificare vt initium, & radicem primam iustificationis: hinc enim sequetur, non ipsam solam iustificare, sed sic eam agere in hoc negocio, quod suum est, vt etiā cæteris virtutibus locum relinquat. Simul etiam refellemus aduersariorum impudentiam, qui Concilio Tridentino vitio vertunt, quod fidei nihil amplius dederit, quàm vt esset initium iustificationis; cum ipsi tamē (vt paulo antè ostendimus) C
nihil ei reipsa tribuant, & sit re vera apud ipsos. Fides iustificans, titulus sine re, vel res de solo titulo, vt Lutherus falsò scripsit, de libero voluntatis arbitrio.

Igitur Fidem esse initium iustificationis, docet Apostolus, ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum, oportet credere, quia est, &c.* Vbi tribuitur fidei prima motio in Deū, per quam is qui longè erat, iam incipit propinquare. Idem Apostolus ad Rom. 10. *Quicunque inuocauerit nomē Domini saluus erit. Sed quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? quomodo credent sine prædicante? quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Vbi hunc ordinem iustificationis describit Apostolus, vt PRIMO sit missio prædicatorū. SECVNDO. ipsa prædicatio Euangelij. TERTIO, fides: QVARTO, inuocatio. QVINTO, salus, id est, iustificatio, quæ est sanitas animæ à morbo peccati. Ex quibus missio, & D
prædicatio extra nos sunt; proinde prima inchoatio iustificationis in nobis est fides, quam sequitur inuocatio, & cætera ordine suo.

Sanctus etiam Ioannes cùm ait: *Quotquot receperunt eū, dedit eis potestatē filios Dei fieri, his qui credūt in nomine eius.* Ioan. 1. apertè docuit, eos, qui per fidem Christum recipiunt, nondum esse filios Dei, sed posse fieri, si pergant vlterius, vt etiam sperare, & diligere incipiant. Dilectio enim propriè filios Dei facit, vt patet ex c. 2. 1. epistolæ eiusdem Ioannis. Sed iam audiamus etiā veteres Patres.

CLEMENS ALEXANDRINVS, libro secundo Strom. ante medium: *Fides* (inquit) *est prima ad salutem inclinatio, posū quam timor, & spes, & pœnitentia.*

CYRILLVS Hierosolymitanus, Catechesi 1. scribit, Fidem esse quasi oculum, & lampadem ad viam salutis E
inueniendam.

EVSEBIVS Emissenus, homil. 2. de Symbolo, Fidē appellat lumen animæ, ostium vitæ, fundamentū salutis.

Sanctus IOANNES CHRYSOSTOMVS homil. de fide, spe, & charitate, nominat fidem, originem iustitiæ.

Sanctus CYRILLVS ALEXANDRINVS, lib. 4. in Ioannem, cap. 9. *Ianua* (inquit) *& via in vitam, fides erit.*

Sanctus AMBROSIVS, lib. de sacramentis primo, in ipso principio: *In Christiano,* (inquit) *prima est fides.*

Sanctus HIERONYMVS, in comment. ad cap. 3. epi- A
stolæ ad Ephesios, *Fiducia* (inquit) *atque accessus ad Deum principium, atque origo fides in Christo est.*

Sanctus AVGVSTINVS, in expositione capitis tertij epistolæ ad Galatas. *Efficiuntur* (inquit) *filij sapientiæ, præparante, ac præstante id fide Mediatoris.* Fides igitur præparatio est ad iustificationē, per quam efficimur filij Dei. Item in libro de prædestinatione sanctorum, capite septimo. *Fides* (inquit) *prima datur, ex qua cætera impetrantur.* Et in libro de bono perseuerantiæ, capite secundo. *Quod initium* (inquit) *verius homini Christiano, quam credere in Christū?* Et in libro de spiritu, & litera, capite trigesimo: *Per legem* (inquit) *cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ, per gratiam sanitas animæ, &c.* Vbi post legem, quæ extra nos est, primo loco inter ea, quæ in nobis sunt, constituit fidem, secundo orationem, tertio gratiam, &c. Et in sermone vigesimo secundo, de verbis Apostoli: *Domus* (inquit) *Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligēdo perficitur.* Vides quomodo fides solum inchoat ædificium, & sine spe, & caritate non perficit?

Sanctus PROSPER libro tertio, de vita contemplatiua, capite vigesimo primo. *Fides* (inquit) *est iustitiæ fundamentum, quamquam bona opera præcedunt, & ex qua omnia procedunt.* Et respons. ad dubium Octauum Geneuēsium: *Fides est* (inquit) *virtutum omnium fundamentum.*

Sanctus GREGORIVS, lib. 2. Moralium. cap. trigesimo tertio. *Si fides* (inquit) *non prima in corde nostro gignitur: reliqua quæque esse bona non possunt.*

His testimoniis addi potest ratio naturalis, nam potest aliquis credere, quod non sperat, neque diligit, non
potest sperare, aut diligere, quod non credit: igitur fundamentum spei, & caritatis est fides, non contrà fundamentum fidei spes, aut caritas. Rursus in corporalibus morbis initium salutis est credere se ægrotum, & medico curare volenti fidem habere: non tamen sola illa fides est integra sanitas.

SECVNDA dispositio est TIMOR, quem quidem bonum esse, ac salutarem ostendimus in secundo libro de pœnitentia, capite decimo septimo, & decimo octauo. Nunc adferemus solum ea loca, quæ docent illum concurrere ad iustificationem eo ferè modo, quo fides ipsa concurrit.

PRIMVM igitur, fidem iustificare didicimus ex Apostolo, quod ait: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Hebr. 11. Sed hoc idem dicitur de Timore, Ecclesiastici 1. *Qui sine* D
Timore est, non poterit iustificari.

DEINDE, fides iustificat, quia est initium iustitiæ, & salutis, vt paulò ante docuimus: At *Timor Domini est initium sapientiæ,* vt legimus Psal. 110. Et Prouerb. 1. Et per sapientiam intelligitur perfecta iustificatio, quæ totum hominem componit, vt sanctus Augustinus demonstrat in libro primo de sermone Domini in monte, capite nono, per Timorem autem istum, qui est initium sapientiæ, intelligunt Timorem seruilem, qui est in peccatore (de quo timore hic disputamus) ferè omnes Patres, vt sanctus Basilius, oratione in principium Prouerbiorū. Sanctus Augustinus tum loco citato, tum tract. nono, in epistolam Ioannis. Sanctus Gregorius, homilia decima nona, in Ezechielem. Beda in comment. ad primum caput Prouerbiorum. Sanctus Bernardus, homil. 23. in Cantica, & alij.

PRAETEREA, Fides iustificat, quia per eam quærimus Deum, atque ad eum accedimus, vt etiā aduersarij docent: sed idem facit Timor, scriptum est enim in Psal. 77. *Cum occideret eos querebant eum, & reuertebantur: & diluculo veniebant ad eum:* Et rursus in Psal. 82. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Et Ionę 3. Ad timorē incussum à Iona, Rex, & populus Niniuiticus ad Deum rediit. Ex quo loco intelligimus, quàm procul aberret à vero MARTINVS LVTHERVS, qui in comment. ad 2. c. ad Galat. dicit, Impossibile esse, vt peccator audiens

audiens ex lege iudicium Dei, non fiat impatiens, & non A
murmuret, & oderit Deum. Et in assert. articuli 6. affirmat, peccatorem quamdiu timore agitur, semper fieri deteriorem in se ipso, quamuis fortasse aliis minus noceat.

AD HAEC, Fides iustificat, quia per eā *formatur Christus in nobis*: vt dicitur ad Galat. 4. AT de timore scribit Isaias cap. 26. secundùm interpretationem 70. *A timore tuo concepimus, & peperimus spiritum salutis.*

RVRSVS, fides iustificat, quia *iustus ex fide viuit.* Habacuc 2. ET de timore scriptum est: *Timor Domini fons vitæ.* Prouerb. 14.

DENIQVE, fides iustificat, quia purgat peccata, vt Apostolus docet Actor. 13. Rom. 3. Galat. 3. & alibi. B
AT de timore quoque legimus Eccles. 1. *Timor Domini expellit peccatum.*

Neque desunt etiam in hac parte testimonia Patrū. Sanctus AVGVSTINVS Tract. 9. in epistolam Ioannis: *Stimulat* (inquit) *timor, sed noli timere, intrat caritas, quæ sanat, quod vulnerat timor. Timor Dei sic vulnerat, quomodo medici ferramentum putredinem tollit. Opus est ergo, vt intret timor primò, per quem veniat caritas: Timor medicamentum, caritas sanitas.* Idem in lib. de catechizandis rudibus, cap. 5. *Rarissimè* (inquit) *accidit, imo verò nunquam vt quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus.* At certè introducere caritatem, & compellere ad quærendum lauacrum regenerationis, disponere ad iustificationem est.

Sanctus BASILIVS, in Psalm. 33. tractans illud: *Timorem Domini docebo vos, Timor* (inquit) *salutaris, qui ad sanctitatem ducit, & animæ diuinitus instituit, qualis existat, si cupis audire, attende, &c.*

Sanctus HIERONYMVS in comment. ad 1. cap. Malachiæ: *Vidit* (inquit) *Dominus, vt à malis per supplicium formidinem recedamus, & de timore seruorum ad gratiam filiorum transeamus.*

Sanctus GREGORIVS, hom. 34. in Euangelia: *Prauа* (inquit) *mens, si non prius per timorem euertitur, ab assuetis vitiis non emundatur.*

IOANNES CASSIANVS, lib. 4. de institutis renunciantium, cap. 39. *Principium nostræ salutis, eiusdemq; custodia, sicut dixi, timor Domini est. Per hunc enim & initium conuersionis, & vitiorum purgatio, & virtutum custodia his, qui imbuuntur ad viā perfectionis, acquiritur.* His adde locū ante citatum ex Clemente Alexandrino, qui post fidem subiungit timorem in negocio acquirendæ salutis. D

Accedat POSTREMO etiam ratio: natura enim timoris est, vt fugiat mala, quærat remedia, quibus illa possit euadere. Hinc enim sanctus Ioannes Baptista dicebat, Matth. 3. *Quis vobis demonstrauit fugere à ventura ira?* Et nos quotidie videmus, numquam esse homines de salute æterna magis sollicitos, quàm cùm ingens aliquis timor, aut pestis, aut naufragij, aut tonitruum, & cœlestium fulminum ingruit.

TERTIA dispositio SPES est, quæ nascitur ex fide, non secus ac timor. Eadem enim fides, quæ docet, Deū iudicem esse iustissimum, & vindicem peccatorum acerrimū, & ideo gehennā ignis inextinguibilis peccatoribus obstinatis, & impœnitentibus præparasse: docet etiā eumdem esse Patrem clementissimum, & nolle mortem peccatorum, sed vt conuertantur, & viuant: & ideo filiū E
suum in terras misisse, ac paratum esse propter merita filij sui peccatores omnes in gratiam recipere, si pœnitentiam agere, & ad se toto corde redire velint.

Hanc igitur spem obtinendæ veniæ, dispositionem esse ad iustitiam, & remissionem peccatorum, docet Sapiens, Prouerb. 28. *Qui sperat in Domino, sanabitur.* Et Dauid in Psalm. 36. *Saluabit eos, quia sperauerunt in eo.* Et Psalm. 90. *Quoniam in me sperauit liberabo eum.* Et Dominus, Matth. 9. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Nō enim (vt quidam falsò docent) prius Dominus Paralyticum iustificauit, quàm ei diceret, confide fili: sed contrà (vt Concilium Tridentinum significat, sess. 6. cap. 6.) prius dixit, Confide fili, & cum eum erectum in spem salutis vidit, adiunxit, remittuntur tibi peccata tua.

Sanctus AMBROSIVS, libro 1. de pœnitentia, c. 1. *Nemo potest bene agere pœnitentiam, nisi qui sperauerit indulgentiam.* Sanctus AVGVSTINVS, in lib. de catechizandis rudibus, cap. 4. *Quicquid narras, ita narra, vt ille cui loqueris, audiendo credat, credendo speret, sperando amet.*

Sanctus CYPRIANVS, in ser. non. 5. de lapsis: *Grauissimum conscientiæ crimen agnoscite, nec desperantes misericordiā Domini, nec tamen iam veniam vendicantes.* Quibus verbis satis apertè refelluntur aduersarij, qui non prius resipiscere incipiunt, quàm certò certius sibi persuadēt, se iam Deo carissimos, & amicissimos esse factos. Et inter Cherubim, & Seraphim locum, & sedem se habere confidunt.

QVARTA dispositio, DILECTIO est. Statim enim ac incipit aliquis sperare ab alio beneficium, incipit etiā eumdē diligere, vt benefactorem, atque auctorem eius boni, quod iperat. Itaque qui sperat à Deo iustificationem, incipit Deum diligere (vt Concilium Tridentinū loquitur) vt iustitiæ fontem.

Porrò dilectionem aliquam priorem esse remissione peccatorum, vel tempore, si sit dilectio imperfecta: vel certè natura, si sit perfecta, & ex toto corde: atque ad eam disponere, docet in primis Ecclesiasticus, c. 2. nā posteaquam dixerat: *Qui timetis Dominum, sperate in illo:* subiungit: *Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur* C
corda vestra. Docet deinde etiam ipse Saluator, cùm ait, Lucæ 7. *Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Docet quoque Apostolus Paulus, cùm scribit ad Galat. 5. *Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur.* Docet item Apostolus Ioannes, in epist. 1. cap. 3. dicens: *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Docet denique Concilium Arausicanum, can. vlt. *Deus* (inquit) *fidem, & amorem sui prius inspirat, vt Sacramenta Baptismi fideliter requiramus.*

At obiiciunt aduersarij paucа quædam argumenta, vt probent. dilectionem non posse priorem esse iustificatione. Nam prius diligit nos Deus, quàm nos diligamus Deum, vt sanctus Ioannes affirmat in epist. 1. cap. 4. Deus autem diligens iustificat, quos diligit: quoniam D
dilectio eius non est inanis, sed efficax.

Item, nemo diligit Deum, nisi Spiritum sanctum habeat inhabitantem, iuxta illud, Rom. 5. *Caritas diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* At nemo Spiritum sanctum habet inhabitantem, nisi sit iustus: igitur nemo diligit Deum, nisi iustificatus.

Denique non potest aliquis Deum diligere, nisi credat eum sibi placatum. Iratum enim odit potius, quàm diligit: at pax oritur ex iustificatione facta per fidem, iuxta illud Rom. 3. *Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum.*

RESPONDEO ad PRIMVM, Deus prior diligit nos, & diligendo facit iustos, sed paulatim. & per certa media. Quos enim diligit, primùm vocat ad fidem, tum spem, & timorem, & dilectionem inchoatam inspirat, E
postremò iustificat, & perfectam caritatem infundit.

Ad SECVNDVM. Nemo diligit Deum ex toto corde, & perfectè, vt eius dilectio propriè caritas dici possit, nisi Spiritum sanctum inhabitantem habeat, vt Apostolus scribit: tamen imperfecta, & inchoata dilectio sine Spiritu sancto inhabitāte haberi potest, quamuis non sine auxilio Dei speciali, vt ostendimus in lib. 5. de gratia, & libero arbitrio.

Ad TERTIVM, Falsum est, non posse diligi Deum iratum: præsertim si quis credat, illum iustè esse iratum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& tamen propensum esse ad clementiam, & speret brevi A placandum. Aliud autem est pax, aliud dilectio, & fieri potest, vt quis diligat eum, quem læsit, & cum quo pacē inire cupit, quamuis nondum ei reconciliatus sit. Itaque rectè dicit Apostolus, pacem ad Deum per iustificationem acquiri; sed non negat, ante iustificationem inchoari dilectionem.

QVINTA dispositio POENITENTIA est, dolor mi delicet, ac detestatio peccati, de qua multa extant in diuinis literis testimonia. Sed nos ea solum adducemus, quæ probant, per eam disponi homines ad iustificationem, & remissionem peccatorum. Tale est illud, Actor. 11. *Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Et illud 2. Corinth. 7. *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Et illud Ezech. 18. B *Cum auerterit se impius ab impietate sua, ipse animam suam viuificabit.* Quid clarius dici poterat? Si pœnitentia datur à Deo ad vitam, id est, ad obtinendam vitam; si dolor de peccatis propter Deum susceptus, pœnitentiam in salutem operatur; si is, qui pœnitentiam agit, ipse animā suam viuificare dicitur, quomodo fides sola iustificat? Aut quomodo pœnitentia non iustificat? Sed de hac re satis multa diximus, in 2. lib. de pœnitentia.

SEXTA dispositio est Propositum, ac desiderium Sacramenti re ipsa percipiendi. Nam cum scriptum sit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei* Ioan. 3. &: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ioan. 20. Qui iam didicit, necessariam medicinam ad curāda peccata, fuisse Baptismi; & post Baptismum reconC ciliationis potestatem sacerdotibus à Christo esse concessam: certè non potest rectè dispositus dici ad iustificationem, nisi eiusmodi media, ab ipso Domino instituta desideret, ac requirat. Itaque sanctus Petrus Actor. 2. vtrumque coniunxit, cum ait: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum.*

SEPTIMA dispositio est Propositum nouæ vitæ, & obseruationis omnium mandatorum, de qua Dominus loquitur, Ezech. 18. *Proiicite à vobis omnes iniquitates vestras, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum.* Scripsit de hac re librum integrum sanctus Augustinus, qui inscribitur de fide, & operibus. Refellit enim quorundam errorem, qui docebant admittendos esse homines ad Baptismū, etiamsi vitā, & mores emendare non vellent.

D

CAPVT XIV.

Fidem solam non iustificare probatur ex alio principio.

VENIO nunc ad ALTERVM argumentum principale, quod hac ratiocinatione cōcludi potest, si fides à spe, & dilectione, aliisque virtutibus separatur, sine dubitatione iustificare non poterit: non igitur fides sola iustificare potest. Consecutio huius argumenti probatur hoc modo. Si tota vis iustificandi esset in sola fide, ita vt cæteræ virtutes, quamuis præsentes adessent, ad iustificationem nihil omnino conferrent, vt aduersarij docent, profecto fides ipsa tam iustificaret illis præsentibus, quam absentibus. Igitur si absentibus illis iustificare non potest, efficitur, vt vis iustificandi non sit in ipsa sola, sed partim in ipsa, partim in aliis.

Porro Antecedens eiusdem argumenti, propositio videlicet illa conditionata, si fides à spe, & dilectione, aliisque virtutibus separetur, sine dubitatione iustificare non poterit: hac ratione probatur. Fides ex doctrina aduersariorū relatiuè iustificat, igitur posita fide in homine, in eodē puncto temporis ponitur & iustitia: relatiua enim simul ponuntur, & simul tolluntur, cùm non possit vnum esse, aut intelligi sine altero. Et hoc quidem aduersarij libenter admittunt, quippe qui dicerent, per omne peccatum amitti fidem.

RVRSVS, si fides sola iustificat, quia relatiuè iustificat, non potest esse in animo hominis, quin simul eadem sit etiam iustitia: ac sine dilectione non potest esse iustitia, quoniam *qui non diligit, manet in morte.* 1. Ioan. 3. Et ex Augustino, in lib. de natura & gratia, 3. vbi *inchoata caritas, inchoata iustitia est: perfecta caritas, perfecta iustitia est.* Igitur fieri non potest, vt fides à dilectione seiuncta iustificet. Ac per hoc non ipsa sola iustificat, quoniam (vt probatum est) si sola iustificaret, etiam ab omnibus aliis virtutibus seiuncta iustificaret.

PRAETEREA, si fides à virtutibus cæteris separata iustificare posset, posset etiam id præstare cum vitiis, quæ virtutibus illis contraria sunt: nam quemadmodum nihil prodest fidei, quod attinet ad officium iustificandi, præsentia aliarum virtutum, quia ipsa sola iustificat, ita nihil obest ei, quod attinet ad officium iustificandi, præsentia vitiorum, quia per accidens cum ea iungitur. Siue virtutia, siue virtutes, & ipsi sola iustificat. At nulla ratione cogitari, aut fingi potest, vt ille sit iustus, qui odit Deū, & proximum, quique voluntatē gerit fornicandi, furandi, necandi, mentiendi, blasphemandi; esset enim iustus is, qui non solùm, non est iustus, sed etiam sceleratus, & iniustus. Igitur non potest fides, cum vitiis coniuncta, & à virtutibus omnibus diuincta ita iustificare, vt illarum atque ipsa adest, & iustificatio adsit. Id autem faceret, si sola ipsa iustificaret, vt aperte probatum est, igitur non sola ipsa iustificat, sed eget necessario ad officium iustificandi non solùm præsentia, sed etiam ope, & efficientia timoris, spei, dilectionis, pœnitentiæ, aliarumque virtutum.

RESPONDEBVNT ad hoc argumentū, nos assumere aliquid impossibile, fidem videlicet esse posse solam. Id enim ipsi passim negant: sic enim LVTHERVS loquitur in comment. ad cap. 15 Gen. *Sexto, hæ virtutes esse insignia Dei dona, sola fidem sine his donis non exsistere. Sed nunc nobis quæstio est, quid cuiusque proprium sit: tenes manu varia semina, non quæro ego quæ quibus coniuncta sint; sed qua cuiusque propria virtus sit. Hic aperte dico, quid faciat sola fides, non cum quibus virtutibus coniuncta sit. Sola autem fides apprehendit remissionem, credit promittenti Deo. Deo porrigenti aliquid, admouet manum, & accipit, hoc proprium solius fidei est.* Et infrà: *Scimus, quod fides nunquam est sola, sed adfert secum caritatem, & alia multiplicia dona, sed non ideo confundenda res, & quod solius fidei est aliis tribuendum.*

IOANNES CALVINVS in Antidoto Concilij, ad can. 11. sess. 6. *Sola* (inquit) *fides est, quæ iustificat, fides tamē, quæ iustificat, non est sola. Sicut calor Solis solus est, qui terra calefacit, ipse tamen calor, non est solus in Sole, sed cum splendore.* Idem docent Philippus, tum in Locis, tum in Apologia Confess. Brentius in Catechismo, Kemnitius in Examin. Concilij, & alij.

SED hæc responsio multis modis labefactari potest. PRIMO, quoniam Patriarcha nouatorum omnium LVTHERVS diserte verbis scripsit, in capit. 2. ad Galat. *Fides sine, & ante caritatem iustificat.* Et in disputatione, vtrum opera faciant ad iustificationem: *Fides, nisi sit* E *sine vllis etiam minimis operibus, non iustificat, imo non est fides.* Quæ certè cum verbis paulò ante citatis, non benè cohærent. CALVINVS quoque summus Propheta Geneuensium, in Antidoto ad canon. vigesimum octauum, sess. 6. Concil. Tridentini, admittit, semen aliquod fidei manere inter grauissimos lapsus, atque id quantumcunque, est particulam esse veræ, ac viuæ fidei. At si particula veræ, & viuæ fidei manet inter grauissimos lapsus, id est, cum mortiferis peccatis: quomodo non potest separari à caritate? Quomodo non potest esse sola? Quomodo facit esse iustos eos, qui illo

ipso tempore grauissimè peccant?

SECVNDO, quoniam nostrum argumentum non assumit, fidem esse posse solam: sed, si fides sola iustificaret, id præstituram, etiamsi esset sola. Hac enim conditionata propositione concessa, quidquid sit de absoluta, ratiocinatio nostra manifestè, efficaciterque concludit. Conditionatam autem illam propositionem satis apertè paulò ante probauimus. Et confirmari potest similitudine Solis, quam Caluinus adducit. Quamquam enim fieri nequeat, vt Solis calor à splendore separetur tamen si id fieret, nihilominus calor ille Solis terram calefaceret, sicut etiam contrà, splendor si à calore disiungeretur nihilominus illuminaret. Quid? quod (si sancto Basilio credimus oratione in Psalm. trigesimum tertium) Ignis gehennæ vim habet vrendi, & omni B splendore caret.

TERTIO, quoniam si verum esset, quod aduersarij docent, fidem numquam esse solam, ideo verum esset, quoniam vt ipsi dicunt, fides vera gignit, tanquam arbor bona fructus bonos, dilectionem aliásque virtutes. At hoc etiā concesso fides est prior dilectione aliisque virtutibus omnibus, si nō tēpore, certè natura. Nullae nim est causa, quæ nō sit prior suo effectu, ac proinde quæ nō possit intelligi, sine suo effectu, Fides autem non potest esse, nec intelligi prior, ne natura quidem, ipsa iustificatione, cùm sint relatiua, vt ipsi dicunt, Deus iustificans, & fides iustificationem accipiens: relatiua enim simul omnino esse debent, vt ne intelligi quidem possit vnum sine altero. Igitur fides prius, saltem natura, iustificabit, & cum iustitia coniuncta esse intelligetur, quàm dilectionē, aliásque virtutes attulerit. Proinde sequentur absurda, quæ suprà notauimus, vt homo sit iustus, & nō iustus, iustificatus & sceleratus, viuēs & mortuus, quia iustus ex fide viuit, & tamē qui nō diligit, manet in morte.

QVARTO denique, quoniam falsum est, quod ipsi dicunt, fidem veram non posse à virtutibus cæteris esse disiunctam, & cum peccatis, vitiisque coniunctam. Quod in sequenti capite, vt omni falsitati aditus præcludatur demonstrare aggrediar.

CAPVT XV.

Fidem veram poss. re ipsa à dilectione, aliisque virtutibus separari.

IGITVR fidem veram, & Christianam, quæ per modum dispositionis, iustificat impiū, D posse à dilectione, aliisque virtutibus separari, his argumentis probatur.

PRIMO, de Principibus Iudæorum ita scribitur, Ioan. 12. *Verumtamen multi ex Principibus, crediderunt in eum, sed non confitebantur: Dilexerunt enim magis gloriam hominum, quam gloriam Dei.* Hic Euangelista testatur, in illis Principibus fuisse fidem absque caritate.

RESPONDENT Aduersarij, non habuisse Principes illos veram fidem, sed tantum notitiam quamdam Christi imperfectam. AT si licet ita interpretari scripturas, nihil vnquam probari poterit.

PRAETEREA, in eodem capite sæpè eadem phrasi vtitur scriptura, vbi tamen per id, quod est (credere in Christum) omnes intelligunt veram fidem. *Cogitauerunt* (inquit Euangelista) *Principes sacerdotum, vt & Lazarum* E *interficerent, quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum.* Et infra: *Cùm tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, vt sermo Isaiæ impleretur, Domine quis credidit auditui nostro?* Quem locum Isaiæ allegat etiā beatus Paulus ad Rom. 10. cū differit de fide iustificāte. Et infra: *Dixit Iesus, qui credit in me, non credit in me, sed in eū, qui misit me.* Et rursus: *Ego lux in mundum veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.* Cùm igitur hæc omnia loca de vera fide iustificante intelligantur, cur nō etiā ille, qui in eodem capite habetur, *Multi ex Principibus crediderunt in eum?* Eadem enim sunt verba, & eadem phrasis. A

Adde VLTIMO etiam commentarium sancti AVGVSTINI, vt alios interim prætermittam. Nam tract. 53. in Ioannem: *Videte* (inquit Augustinus) *quemádmodum notauerit Euangelista, & improbauerit quosdam, quos tamen in eum credidisse dixit, qui in hoc ingressu fidei, si proficerent, amorem quoque humanæ gloriæ proficiendo superarent.* Quòd si fides ista proficere poterat, & amorem humanæ gloriæ proficiendo superare, certè vera fides erat. Eadem enim est fides incipiens, proficiens, & perfecta, sed non semper æquè magna. Alioqui si fides cùm proficit non est eadem quæ antea erat; non illa profecit, sed alia nascente, ipsa defecit.

Idem etiam Augustinus, Tract. 54. in ipso initio, eundem locum Euangelij tractans: *Quidam* (inquit) *crediderunt prædestinati in vitam æternam, quidam vero non crediderunt. Eorū autē qui crediderunt, alij vsque adeo confitebantur, vt palmarum ramis acceptis venienti occurrerent, in eadem laudis confessione latantes. Alij vero ex Principibus confiteri non audebant, vt de Synagoga non eiicerentur.* Vbi sanctus Augustinus eandem fidem tribuit illis, qui confitebantur Iesum manifestè, & illis, qui confiteri non audebant: neque dubitari potest, quin fides confitētium vera fides in Christum fuerit: erat igitur vera & non confitentium, sed in prioribus per dilectionem operabatur, in posterioribus sine dilectione ociabatur.

ALTERVM testimonium est Apostoli Pauli, in priore ad Corinth. cap. 13. vbi sic loquitur: *Si habuero omnem* C *fidem, ita vt montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.*

RESPONDENT ad hunc locū duobus modis, PRIMO, Apostolum duxisse argumentum à conditione impossibili, vt ostenderet necessitatem dilectionis: quod probant ex principio capitis: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum.* SECVNDO, loqui Apostolū de fide signorum, non de fide promissionum, quæ sola est fides vera, & iustificans. AT neutra responsio solida est; PRIMVM enim, argumentum Apostoli ducitur à conditione impossibili, sed hyperbole in sacris literis valdè vsitata. Sētentia enim eius loci est: Eloquentiam quamuis maximam scientiam omnium rerum, fidem summam, & certissimam, eleemosynas profusissimas, & omnia alia bona, sine caritate ad vitam æternam consequendam minimè prodesse. Ex quo sequitur vt sicut eloquentia, scientia, eleemosynæ sine caritate esse possunt, sed non prodesse, ita & fides sine caritate possit esse, non prodesse.

DEINDE, loquitur hoc loco Apostolus de fide, per quam miracula fiunt, vt patet ex illis verbis: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam.* Hanc autem fidem re ipsa separatam in quibusdam fuisse à caritate, testatur Dominus, Matthæi 7. cùm ait: *Multi mihi dicent in illa die, Nonne in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus? & tunc confitebor, quia nunquam noui vos, discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Non igitur Apostolus ducit argumentum ab impossibili, sed ab eo, quod aliquando factum est, & fieri solet.

POSTREMO, si argumentum Apostoli ab impossibili duceretur, probaret saltem conditionatam illā propositionem, quam superiori capite ego probare instituī. Nam si fides sine caritate esset, eam nihil profuturam, Apostolus disertis verbis affirmat; ex quo euidenter efficitur, eam non iustificare; nisi à caritate iuuetur, ac per hoc non solùm præsentia, sed etiam ope caritatis egere ad officium iustificandi. Nam si caritatis ope nō egeret, nulla esset causa, cur absente caritate iustificare non posset: quod si illa absente, iustificare posset, falsò pronunciasset Apostolus, si habuero omnem fidem, caritatem autem non habuero, nihil sum.

Iam verò quod dicūt, Apostolū loqui de fide signorū,

Universidad de Deusto
Biblioteca

non de fide promissionum: facilè refellitur. Nam fides A signorum nihil aliud est, nisi ipsa vera fides Christiana, sed excellēs, vt suprà probauimus ex vltimo capite Marci. Vbi posteaquam dictum fuerat: *Qui crediderit saluus erit*: Subiungitur: *Signa autē eos, qui crediderint, hæc sequentur, &c.* Ex capite vndecimo, ad Hebr. vbi de eadem fide dicitur: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, &c.* Idem patet ex illo, Lucæ 17. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro, eradicare, & transplantare in mare, & obediet vobis.* Nam hoc dixit Dominus respondens Apostolis, qui petierant, adaugeri sibi fidem. Ostendit enim Dominus signum auctæ fidei esse, si per eam miracula efficiantur. Quod etiam indicat Apostolus hoc loco, cùm ait: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam.* Illa enim particula (*omnem*) significat omnem gradum fidei, ita vt etiam ad magna miracula se extendat. B

Denique illa coniunctio huius fidei, cum spe, & caritate, cùm dicitur: *Nunc manent tria hæc, fides, spes, caritas, maior autem horum est caritas.* Apertissimè declarat, eandē fidem esse, quæ cum opus est, montes transfert, & quæ cum spe: & caritate iustificat. Adde huc etiam testimonium sancti Augustini, libro decimo quinto, de Trinitate, capite decimo octauo, vbi ex hoc loco Apostoli docet, fidem sine caritate esse posse, prodesse non posse.

Tertium testimonium est sancti Iacobi, qui in epistola sua non solùm docet, sed etiam probat. Fidem, sine operibus, non iustificare, & tamen sine operibus inueniri posse. Sic enim ait cap. secundo: *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? nūquid poterit fides saluare illum?* C

Respondet Calvinvs, libro tertio Institut. capite secundo, & capite decimo septimo. Iacobū loqui non de vera fide, sed de vmbra quadam fidei, hoc est, de inani quadam cognitione articulorū fidei. At nos probamus, eum loqui de vera fide, quæ, si non desint cætera quæ requiruntur, omnino iustificat. Primvm enim Iacobus eam absolutè fidem appellat. Quod nomen in sacris literis semper veram fidem significare solet.

Secvndo, in eodem capite, ac de eadē fide loquēs, dicit fidem Abrahami cooperatam esse operibus eius, & ex ipsis operibus consummatā. At certè fides Abrahami non vmbra fidei, nec inanis articulorū notitia, sed fides verissima fuit.

Tertio, ibidem Iacobus concludit: *Videtis quod ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm?* At vmbra fidei nullo modo iustificat, hîc verò Apostolus fidem iustificare concedit, sed non solam. D

Qvarto, idem probatur ex duobus exemplis, quæ sanctus Iacobus adfert, vt probet fidē sine operibus non iustificare. Primùm enim comparat hominē habentem fidem sine operibus, ei qui videns pauperes egentes cibo, & vestibus contentus sit ea cognitione, & nihil eis eleemosynæ largiatur. Sicut enim nihil prodest pauperibus, quod diuites sciant eorum inopiam, etiamsi verissima sit ea cognitio, nisi secundùm eam cognitionem necessaria illis præbeant: ita nihil prodest vera fides, nisi quis iuxta eam viuere studuerit. Deinde, comparat fidē sine operibus corpori sine spiritu, quod certum est, verum esse corpus licet mortuum. E

Qvinto, accedant testimonia Patrum, qui semper hunc locum de vera fide intellexerunt. Vide Hieronymum in caput quintum ad Galat. Chrysostomum hom. 2. in Genesim, & homil. 2. in epistolam ad Philemonem, Augustinum lib. 21. de Ciuitate Dei, cap. 26. & libro de vnico baptismo, capite decimo, & Cyrillum libro decimo, in Ioannem, cap. 18.

Sed obiicit Caluinus, Primo, Apostolum dixisse: Quid proderit, si quis fidem habere se dicat: cùm etiam dicere debuisset, Quid proderit: si quis fidem habeat. Secvndo, quod explicuerit Iacobus, se loqui de fide essentiæ Dei, non de fide beneuolentiæ, quę sola iustificat, cùm ait, *Tu credis, quia vnus est Deus.* Tertio, quod fides sine operibus comparata sit cum fide Dæmonum: quos constat fidem veram, & iustificantem non habere. Qvarto, Quod fidem sine operibus mortuam esse dixerit: quod enim mortuum est, non est.

Ad Primvm Respondeo, notasse Apostolum iactantiam improborum, qui de sola fide gloriātur. Hæc enim est sententia eius loci. Si quis fidem habere se dicat, id est, si quis fide sola fretus, eam iactet, seque ea cōtentum esse affirmet, sciat, nihil sibi fidem huiusmodi profuturam. Quod enim Apostolus ea phrasi voluerit negare, fidem esse in iis, qui non operantur, perspicuum est ex verbis sequentibus: *Numquid fides poterit saluare illum?*

Ad Secvndvm, fateor, sanctum Iacobum explicare voluisse fidem essentiæ, non beneuolentiæ; non enim Lutheranam fidem, sed Catholicam docebat. Fidem autem beneuolentiæ solam iustificare, in controuersia est, proinde non debet assumi tamquam certum ab aduersariis, nisi velint in vitium illud disputādo incurrere, quod vocatur petitio principij.

Ad Tertivm, Fides hominum improborum partim conuenit cum fide Dæmonū, partim ab ea dissidet. Cōuenit in eo, quod vtraque est vera, & recta fides ex parte obiecti, & tamen vtraque infructuosa. Et hoc modo comparat Apostolus Iacobus fidem hominum improborum cum fide Dæmonum. Sanctus autem Augustinus in libro de vnico baptismo, cap. 10. vsque adeo veram, & Catholicam esse docet Dæmonum fidem, ex parte obiecti, vt eam comparet cum fide sancti Petri, quam Dominus laudauit, Matth. 16. Differunt autem fides hominum malorum, & Dæmonum, quòd hominum fides libera est, captiuante nimirum pia voluntate intellectum in obsequium Christi: fides verò Dæmonum est coacta, & extorta ab ipsa rerū euidentia. Quod insinuauit idem Iacobus dicens: *Dæmones credunt, & contremiscunt.* Nos enim non credimus contremiscentes, id est, inuiti, & coacti, sed sponte, ac libenter.

Ad Qvartvm, Fides dicitur mortua, non quomodo homo dicitur mortuus, qui post mortem non est, sed quomodo corpus dicitur mortuum, quod post mortem est, sed non viuit. Vita enim non est de essentia fidei, quemadmodum est de essentia hominis: sed per metaphoram dicitur fides viua cùm operatur, mortua cùm non operatur: sicut etiam aqua dicitur viua, quæ continuò fluit, vt in fonte, & fluuiis: mortua, quæ non mouetur, vt in stagnis, & paludibus: cùm tamen vtraque verè, propriéque sit aqua.

Qvartvm argumentum sumitur ex illis testimoniis, quæ docēt in Ecclesia esse bonos, & malos; vt Matt. 3. vbi ponitur similitudo palearum, & tritici in eadem area. Matth. 13. vbi ponitur similitudo piscium bonorum, & malorum in eodem reti. Matth. 22. vbi ponitur similitudo venientium ad nuptias, sine veste nuptiali. Matth. 25. vbi ponitur similitudo Virginum prudentiū, & fatuarum: & ouium, atque hædorum. Quoniam enim, qui sunt in Ecclesia, fideles sunt, si iidem mali esse possint, certè sequitur fidem, vnde dicuntur fideles, cū peccato, vnde dicuntur mali, posse esse coniunctam.

Respondebvnt fortasse, malos, qui sunt in Ecclesia, habere fidem, sed historicam, id est, notitiam articulorum, sed non fidem specialis beneuolentiæ. Sed facilè hoc refellitur, nam Imprimis (vt sæpè iam diximus) non debent assumere tanquam certum, id quod est in quæstione, id est, fidem beneuolentiæ solam esse veram fidem.

Deinde, si omnes mali, qui sunt in Ecclesia, fide vera carent, quæcunque illa sit: certè ob id potissimum reprehendi deberent, quod præter alia peccata, exciderint à vera fide, at non reprehenduntur de amissione fidei, sed de omissione operum. Nam Matth. 22. reprehenditur, qui non habet vestem nuptialem, non alia de causa, nisi quia vestem illam non habet. Illa autem vestis caritatem significabat, teste Hieronymo, Chrysostomo, & aliis in eum locum, & Gregorio, homil. 38.

Item Matth. 25. non reprehenduntur Virgines fatuæ, nisi quod oleum, id est, opera misericordiæ non habuerint, vt in eum locum notat Chrysostomus, & in eodem cap. 25. non damnantur ij, qui ex grege dominico, à sinistris erunt, nisi propter mala opera, non autem propter carentiam fidei, vt admonet sanctus Augustinus, in libro de fide, & operibus, cap. 15. Sanctus etiam Paulus, 1. Corinth. 5. Incestuosum quemdam Corinthium, seuerè puniri iubet, nec tamen eum arguit infidelitatis, sed solius incestus: & sanctus Petrus Actor. 5. non reprehendit Ananiam, & Saphiram, & cap. 8. Simonem Magum, propter infidelitatem, sed propter alia peccata. Itaque ex his, & similibus locis satis apertè colligitur, fidem in peccatoribus esse posse.

Qvintvm argumentum, sumitur à ratione propria fidei, & caritatis. Nam si fides, & caritas inter se disiungi non possent, Vel id ex eo fieret, quod vna esset de ratione alterius, Vel certè quod vna necessariò nasceretur ab altera. Neutrū autem dici potest. Non Primvm: Nam fides & caritas non sunt vna virtus, sed duæ, vt scripturæ passim docent, vt 1. Corinth. 13. *Nunc manent tria hæc, fides, spes, caritas.* Et 1. Timoth. 2. *Finis præcepti caritas de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta.* Et præterea habent diuersa subiecta, actus, & obiecta. Fides enim est in intellectu, caritas in voluntate, & fides credit, vel (vt ipsi volunt) confidit: Caritas diligit. Denique fides respicit veritatem primam, caritas summum bonum.

Non item Secvndvm, quoniam tametsi caritas oriatur ex fide, tamen non oritur vt propria passio, quæ necessariò fluit à subiecto, sed vt virtus, ad quam alia disponit, & inclinat, fides enim dicitur gignere caritatem, quia disponit, & inclinat eum, qui credit, ad diligendum eum, cui credit. Dispositio autem, & inclinatio non cogit, sed liberum relinquit hominem, vt diligat si velit, & non diligat si non velit. D

Aduersarij eligunt illud secundum, caritatem videlicet ideo inseparabilem esse à fide, quod necessariò sequatur fidem: sed exēplis persuadere nituntur, quod solidis rationibus probare non possunt. Lvtherv s enim præfatione, in epist. ad Rom. dicit, Fidem similem esse igni, qui si non luceat, & ardeat, non est ignis: ita fidem rem esse viuam, actuosam, efficacem, quæ semper necessariò operetur.

Bvcervs quoque, in libro Concordiæ, iubet fingi animo ægrotum aliquem valdè cupidum salutis, qui si repente ad eum accedat medicus, qui certò polliceatur salutem, non possit eum non amare. Similem verò huius ægroti dicit esse eum, qui credit Deum, instar peritissimi medici, certam salutem offerre. F

Calvinvs lib. 3. Institut. cap. 2. §. 9. comparat fidem, & caritatem cum Christo, & Spiritu sancto. Nam quomodo fieri nequit, vt Christus separetur à Spiritu sancto, ita fieri non posse dicit, vt fides separetur à dilectione, quoniam fides intuetur, & recipit Christum, sed cum Spiritu sanctificationis, & dilectionis.

At similia ista non admodum verisimiliter adferuntur. Primvm enim, ignis similitudo in scripturis sanctis propriè tribuitur caritati, non fidei, nisi quatenus per caritatem viuit. Caritas enim est, de qua in Canticis dicitur: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem,* Et: *Lampades eius Lampades ignis, atque flammarum.* Cant. 8. ipsa eadem caritas est, quæ iuxta Apostolū ad Rom. 13. *implet legem.* Et 1. Corinth. 13. *patiens est, benigna est, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, &c.* Et de qua sanctus Avgvstinvs, præfatione in Psalm. 31. *Quod* (inquit) *credit: fidei est, quod operatur, caritatis est.* Et ibidem: *Dilectio vacare non potest, nisi & mali nihil operetur, & quicquid potest boni operetur.* Et sanctus Gregorivs, homilia 30. *Amor operatur magna, si est, si autem operari renuit, amor non est,* Itaque caritas est virtus illa viua, actuosa, efficax, semper operans, & à qua non magis seiungi potest operatio, quàm ab igne splendor, aut calor. Fides autem non immediatè operatur, sed mediante caritate, quā ipsa gignit, sed (vt diximus) non propriè illam producendo, vt ignis producit calorē, sed ad illam disponendo, & inclinando.

Deinde, similitudo ægroti, quam adfert Bucerus, B solùm probat, quod nos dicimus, eum qui credit, inclinari ad amandum eum, cui credit, non autem cogi, vt necessariò amet, nisi forte amore concupiscentiæ, qui non est caritas, sed cupiditas. Aegrotus enim, & salutis cupidus necessario amat medicum, sed sæpius gratiā sui, quàm gratiā illius.

Deinqve, similitudo illa Caluini nihil omnino concludit, nam qui fide Christum respicit, vel recipit, intuetur quidem illum cum spiritu suo, & recipit cum eodem spiritu, sed credendo recipit, id est, credit illum habere spiritum sanctificationis, & dilectionis: sed non inde sequitur, in homine cum fide semper esse spiritum sanctificationis, & dilectionis, nisi obiectiuè, quomodo est sanitas in ægroto, quando illam cogitat, aut appetit.

Sextvm argumentum, sumitur ab absurdo quod sequitur in doctrina aduersariorum. Ipsi enim ideo contendunt, hominem sola fide iustificari, quoniam si iustificatio penderet à conditione operum, aut obedientia legis, nemo certus esse posset se esse iustificatum: & quia in hac certitudine iustificationem sitam esse credunt, efficeretur, impossibilem esse iustificationem.

At si fides necessariò coniuncta esse debet cum dilectione, & operibus bonis, ita vt alioqui non sit fides, sed vmbra quædam, & spectrum fidei, certè sequitur iustificationem hoc ipso quod pendet à vera fide, pendere etiā ab operibus, & dilectione, quæ est impletio legis, ac per hoc neminem certum esse posse, se esse iustificatum: & quia in hac certitudine iustificationem sitam esse credunt, efficeretur, impossibilem esse iustificationem. Ita videlicet stabile est ædificium hæreticorum dogmaticum, vt vndique ruinam minetur. D

Accedat Septimo consensus veterum Patrum, quibus numquam in mentem venit hæc absurditas, vt non possit esse fides, vbi non est caritas. Sanctus Avgvstinvs lib. 15. de Trinitat. cap. 18. *Fides* (inquit) *sine caritate potest quidem esse, sed non & prodesse.* Tractat. 10. in epist. Ioannis. *Iam* (inquit) *credit aliquis in Christo, sed odit Christum, habet confessionem fidei in timore pœnæ, non in amore coronæ, adde huic fidei dilectionem, vt fiat fides, qualē dicit Apostolus Paulus, Fides, quæ per dilectionem operatur.* Lib. de spiritu, & litera, cap. 32. *Vnde* (inquit) *est dilectio, id est, caritas, per quam fides operatur, nisi vnde illam fides ipsa impetrauit?* Quod si fides impetrat caritatem, certè prior est caritate & antequam illam impetret, sine illa manet. Vide eundem Tractat. 83. in Ioan. de agone Christiano, cap. 13. Et in eandem sententiam Clementē Alexandrinum, lib. 2. & 4. Stromatum. Chrysostomum, homil. 9. in Ioannē. Et homil. 8. in 2. ad Timoth. Et in Psal. 14. Ambrosium lib. 9. Epist. 74. Hieronymū lib. 2. in Iouinianum. Cyrillum libro decimo, in Ioan. cap. 18. Et Gregorium, homilia 38. in Euangilia. Sed argumenta quædam Kemnitij, & aliorum breuiter sunt refellenda.

Obiiciunt ergo Primo, illud 1. Timoth. 5. *Qui suorum, maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Respondeo, loquitur Apostolus, teste Chrysostomo, & aliis interpretibus, de iis, qui fidem negare dicuntur, quoniam non viuunt, vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

fides viuendum docet, *qui* (vt idem Apostolus ait ad Titum 1.) *confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Dicuntur autem iidem infidelibus deteriores, non quoad omnia, sed quoad impietatem in suos. Infideles enim suorum curam gerere solent. Itaque improbi fidem negant, non corde, vel ore, sed opere, & de iisdem scribit sanctus Gregorius, homil. 29. in Euangelia, eos non veraciter credere, & non habere veram fidem, qui nō benè operantur. Significat enim eos non verè ostendere ex operibus fidem suam, ac per hoc non habere veram fidē in ostensione operum. Alioqui enim idem Gregorius, homil. 38. apertissimè docet, multos in Ecclesiam intrare, quia fidem habent, & tamen veste nuptiali carere, quia caritatem non habent.

SECVNDO obiiciunt illud Ioan. 6. *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt, ipse enim sciebat qui essent credentes, & quis eum traditurus esset.* Vbi Iudas dicitur non credere, quia eum traditurus erat. RESPONDEO, Iudas vnus ex illis erat, qui audito sermone Domini, de carne eius māducanda, scādalizatus est, & cœpit corde recedere ab eo, per incredulitatem, vnde posteā etiam ad prodendum illum inductus est. Numquam enim eum prodidisset, si verum Deum fuisse credidisset. Itaque verè fidem amisit Iudas, & ex infidelitate ad proditionem deuenit.

TERTIO obiiciunt illud, 1. Ioan. 2. *Qui dicit, se nosse Deum, & mandata eius non seruat, hic mēdax est.* RESPONDEO. loquitur sanctus Ioannes de notitia familiaritatis, & amicitiæ, vt Beda, & Oecumenius exponunt. De qua notitia loquitur Dominus, Matth. 7. & Matth. 25. vbi de improbis dicit, *non noui vos*, aut, *nescio vos.*

QVARTO obiiciunt illud, 1. Ioan. 5. *Omnis, qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est*: proinde sine dubio caritatem habet. RESPONDEO, loquitur de fide formata, quæ per dilectionem operatur, vt sanctus Augustinus exponit tract. 10. in epist. Ioannis.

QVINTO obiiciunt illud, Iacobi 2. *Fides sine operibus mortua est.* SED iam id explicatum est in argumento nostro tertio.

SEXTO obiiciunt illud, Habacuc 2. *Iustus ex fide viuit.* At non viuit sine caritate, igitur cum fide semper est caritas. RESPONDEO, ad literam videtur sententia illa, *Iustus ex fide viuit*, quam etiam frequenter Apostolus citat, significare, iustum sustentare se, ac tolerare desiderium cœlestis patriæ ex fide, quoniam fides præsentem facit quodammodo eam beatitudinem, quæ suo tempore futura speratur, vt suprà ostendimus. Est enim fides fundamentum, & substantia rerum sperandarum. Cæterum illud etiam est verissimum, Iustum viuere spiritualem vitam ex fide, sed ex fide, qualis est in hominibus iustis, id est, formata per caritatem.

CAPVT XVI.

Fidem non solam iustificare probatur ex remotione causarum, quæ possunt reddi, cur fides sola iustificet.

PRIMVM argumentum principale quo probamus, fidem non solam iustificare, sumitur à remotione causarum, quæ possunt reddi, cur fides sola iustificet. Omnes enim eiusmodi causæ ad TRIA capita reuocari possunt. PRIMVM caput est, auctoritas verbi Dei: si enim Scriptura expressè alicubi dicat, Fides sola iustificat, id sine dubio credendum erit, etiamsi nulla reddatur causa, cur ita fiat. ALTERVM caput est voluntas Dei iustificātis, quia videlicet placuit Deo, donare iustificationem cum sola conditione fidei. TERTIVM est natura ipsius fidei, quoniam ipsa sola id habet, vt apprehendat iustificationem, & nobis applicet, ac nostram esse faciat.

Quod attinet ad PRIMVM, solent quidem aduersarij perpetuò iactare verbum Dei expressum, atque ad hoc vnum caput dogmata sua omnia reuocare. Sed in hac causa destituuntur isto præsidio. Nusquam enim hactenus ostendere potuerunt in sacris literis illam particulam SOLA, cum de fide iustificante agitur. Nos autē expressum verbum proferimus, vbi habetur negatio eius vocis, aut synonymæ. *Videtis* (inquit Iacobus, ca. 2.) *quia ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum?* Edidit quidem MARTINVS LVTHERVS Biblia Germanica cùm voce SOLA ad Rom. 3. sed cito fallacia deprehensa fuit, inspectis codicibus Græcis, & Latinis, qui circūferuntur, omnibus. Neque ipse de hac re admonitus, negare potuit à se additam eam vocem, sed respondit, pro solita sua modestia: *Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.* Vide responsionem Lutheri ad duos articulos ad amicum quemdam scriptam.

Respondere solent, non esse quidem eam vocem expressè in Scriptura, tamen esse rem ipsam, quæ illa voce significatur, ad Rom. 3. cùm dicitur: *Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus legis.* Et ibidem: *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Idem enim est iustificari gratis, & sine operibus legis. Idem verò per fidem sine operibus legis, & per solam fidem.

At hæc responsio non difficulter euertitur. Quæro enim, si idem est per solam fidem, & per fidem sine operibus legis, vtrum illud (*sine operibus legis*) excludat omnia opera, & omnem legem, an tantum aliquod genus operum, & legum: nam si excludat omnia omnino opera, & omnem legem, excludet etiam ipsam fidem. Nam actus fidei est quoddam opus, & quidem insigne, & hoc nomine appellatur in Euangelio, Ioan. 6. dicente enim Domino: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam:* Responderunt Iudæi: *Quid faciemus, vt operemur opera Dei?* Quibus Dominus ait: *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille.*

Quare sanctus Augustinus, in lib. de prædestinatione sanctorum, cap. 7. scribit, Fidem non distingui ab operibus, quasi ipsa non sit opus, sed quoniam ipsa est opus Dei gratiâ factum, vel est primum opus, vnde cætera nascuntur. Et addit, sic distingui fidem ab opere, quomodo in libris Regum distinguitur Iuda ab Israël, quānis etiam Iuda sit Israël. Itaque operemur opera Dei, cū credimus in Dominum IESVM. Sine quo opere iustificabimur, si fides sine operibus omnia opera excludit, ac per hoc iustificari ex fide, nihil aliud erit, nisi iustificari sine fide.

Est etiam quædam lex fidei, de qua dicitur in illo ipso cap. 3. ad Rom. *Exclusa est gloriatio tua. Per quam legem? factorum? non, sed per legem fidei.* Quod si fides iustificans sine operibus legis excludit omnem legē, excludet etiā legem fidei: & quoniam lex fidei est ipsa fides, vt communiter eum locum omnes exponunt, fides exclu et fidem, &, ex fide iustificari, erit sine fide iustificari. Non igitur fides sine operibus legis excludit omnia opera, & omnem legem, sed certum genus operum, & legis, id est, opera facta solis viribus naturæ, vel ex sola cognitione legis Mosaicæ, vel si quo alio modo opera legis hoc loco intelligenda sunt. Parum enim refert ad argumentum, quod nunc vrgemus, quomodo ista intelligantur, modò illud maneat, non excludi omnia opera, & omnem legem. Atsi non excluduntur omnia opera, & omnes leges, non igitur verum est, sola nos fide iustificari: neque est idē. sola fide iustificari, & per fidē iustificari sine operibus legis, illud enim latius patet, & proinde præter Scripturam, ne dicam contra Scripturam, asseritur.

Illud autem GRATIS excludit merita, quæ sunt nobis ex nobis, non autem dona Dei, qualis est dilectio, pœnitentia, & similia, alioqui excluderet etiam ndem: *Non dicat*, inquit AVGVSTINVS in epist. 106. *si per fidē, quomodo gratis? respondetur enim ei, Quid habes quod non accepisti, &c.* Quod idē de caritate dici potest. Si per dilectionem

ctionem, quomodo gratis? nimirum, quia ipsa dilectio nihil est, nisi gratia. Quare non possunt Aduersarij, expressi Verbi Dei auctoritate, sententiam suam de sola fide iustificante comprobare.

Quod attinet ad ALTERVM caput, Non videntur Aduersarij in illo magnam ipem ponere, quippe qui vt plurimum negare solent, Deum nos iustificare ob meritum fidei, aut propter nostræ fidei virtutem. Cæterum si admittāt, fidem solam ideo iustificare, quia Deus requirat conditionem solius fidei, manifestis Scripturarum testimoniis repugnabunt. Scripturæ siquidem multò apertius exigunt ad iustificationem conditionem pœnitentiæ, & Sacramentorum, quam ipsius fidei. Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, vita viuet, &c.* Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Non igitur affirmari potest, fidem solam iustificare, propterea quod solius fidei conditio requiratur.

Restat caput TERTIVM, in quo maximè nituntur, fidem solam iustificare, quod sola ipsa sit, quæ promissionem iustificationis, siue ipsam iustificationem apprehendit, applicat, & nostram esse facit. At hoc etiam facilè refellitur. PRIMVM enim fides non dicitur propriè apprehendere. Apprehensio enim cùm refertur ad intellectum, est cognitio rei, prout in specie representatur, & distinguitur à iudicio, quod rem apprehensam discernit, & diiudicat, vera ne sit, an falsa. Ista autem cognitio apprehensiua præexigitur quidem ad fidem, sed non est ipsa propriè fides, nam etiam infideles apprehendere possunt mysteria fidei, cùm tamen ea non credant. Fides igitur consistit potius in iudicio, quàm in apprehensione. Qui enim iudicat, siue per scientiam siue per fidem nihil apprehendit, sed rem apprehensam, vt dixi, appendit, & discernit. Neque ideo res est vera, quia intellectus credendo, vt sciendo iudicat esse veram, sed contra ideo intellectus verè iudicat, id est, verè scit, aut verè credit, quia res est vera.

Eadem quoque ratio est de fiducia, si per fidem fiduciam intelligi velint. Confidere enim non est apprehendere, sed firmiter adhærere rei apprehensæ. Nam qui se doctum esse aut fore confidit, non apprehendit doctrinam ea fiducia, neque incipit esse doctus, quia confidit se esse doctum, sed opinioni de sua doctrina conceptæ firmiter adhæret.

Sed esto, apprehendatur aliquo modo iustificatio per fidem, certè non ita apprehenditur, vt re ipsa iam habeatur, & inhæreat, sed solum, vt sit in mente per modum obiecti, actione intellectus, aut voluntatis apprehensi: at hoc modo apprehendunt etiam amor, & gaudium, vt scribit S. AVGVSTINVS in lib. 8. Confess. ca. 2. Vbi de Victorino loquens: *Volebant eum*, inquit, *omnes rapere intro in cor suum, & rapiebant amando, & gaudendo. Hæ rapiētium manus erant.* Itaque si fides iustificat, quia iustitiam apprehendit, dum credo, aut confido, me esse iustum per Christum: ipsa etiā caritas iustificat, dum diligo, & gaudeo me esse iustum per Christum. Et re vera si per huiusmodi apprehensionem iustificaremur, id tribui deberet maximè caritati, quæ omnia quantumuis aliena, facit esse nostra. Amantium enim omnia sunt communia.

Sed quid obsecro respondere poterunt aduersarij ad applicationem iustificationis, quam ipsi iidem per Sacramenta fieri docent? certè Philippus & Kemnitius (vt ostendimus in primo libro de Sacramentis in genere) contendunt, Sacramenta esse quasi visibilia verba, quæ generales promissiones applicant iis, qui ritè Sacramenta suscipiunt, easque speciales de generalibus esse faciunt. Quod si Sacramenta promissiones applicant, & nostras faciunt, non ergo per modum instrumenti applicantis fides sola iustificat.

Et confirmatur hoc ipsum testimonio apertissimo sanctarum Scripturarum. Nam quēadmodum ad Rom. 3. Apostolus scribit, Deum iustificare homines per fidem, ita ad Tit. 3. idem ipse scribit, Deum iustificare per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti. Et sicut Actor. 15. Petrus Apostolus dicit, fide purificari à Deo corda hominum, ita ad Ephes. 5. coapostolus eius Paulus dicit, à Deo mundari Ecclesiam lauacro aquæ in verbo vitæ.

Neque multum refert, quod Sacramenta promissionem applicant dando, fides applicat accipiendo. Nam vtrumque est instrumentum Dei: non enim per Sacramenta iustificat Deus, per fidem iustificat homo; sed idē Deus per fidem, & per Sacramenta iustificat: & sicut Sacramēta dantur à Deo, ita & fides data à Deo. Et quoniam iustificare significat actionem non passionem, magis propriè iustificat Sacramentum, quod est instrumentum, & quasi manus dans iustitiam, quàm fides, quæ est instrumentum, & quasi manus (vt ipsi dicunt) accipiens iustitiam. Non igitur verè dici potest, vel homo sola fide iustificari, Vel Deus hominem solo fide iustificare, cum id ipsum & magis propriè præstent Sacramenta, quam fides.

RESPONDEBVNT fortasse, solam fidem, nō excludere Sacramenta, sed opera. AT LVTHERVS in lib. de captiuitate Babylonica, ca. de Baptismo, & in assertione art. 1. 2. 6. & aliorum apertissimè scribit Sacramenta nō iustificare, sed solam fidem. Deinde, si illud SOLA non excludit Sacramenta, sed opera: redibitur ad primū caput, vbi iam demonstratum est, non posse excludi opera, nisi excludatur etiam fides, quæ est quoddam opus.

DICENT, excludi etiam fidem, vt est opus, sed non vt instrumentum apprehendens iustitiam. At fides non est instrumentum, nisi vt opus: neque enim fides est aliquid solidum, & permanens, sed actio, & operatio, atque vt actio, & operatio apprehendit iustitiam, si vllo modo illam apprehendit.

DICENT, vocem, SOLAM, excludere opera, non vt opera, sed vt merita. Sic enim accipitur opus ad Rom. 4. vbi distinguitur fides ab opere, quod operanti non imputetur merces secundum gratiam, sed secundum debitum, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputetur fides ad iustitiam secundum propositum gratiæ Dei. At si ita est, non debent excludi pœnitentia, & dilectio ab actione iustificandi, vt opera sunt absolutè, sed solùm vt opera meritoria sunt.

DICENT, pœnitentiam, dilectionem, & similia opera, excepta fide, non posse concurrere ad iustificationem nisi sub ratione meriti, & ideo cùm sub hac ratione excludantur, simpliciter, & absolutè excludi: fidē autē præter rationem meriti, habere etiam, vt sit instrumentum apprehendens iustitiam, & ideireo eam solam inter humanas actiones, non excludi simpliciter, sed tantum sub ratione meriti. Atque hoc est omnino extremum, quo potest aduersariorum peruenire responsio: si Sacramenta iustificare concedant.

SED hoc ipsum facilè refutatur ex ipsa natura fidei, & dilectionis. Nam (vt suprà ostendimus) actus fidei non est apprehensio, sed iudicium: quod si iudicium imprepriè apprehensionem appellare velint, cogentur vim apprehendendi tribuere dilectioni meliore ratione, quàm fidei. Magis enim apprehendere dicetur dilectio quàm iudicium, quoniam magis vnit. Quod si actum fidei iustificantis non iudicium, sed confidentiam, esse velint: eadem ratione dicemus, melius apprehendi rem aliquam dilectione, quàm confidentia, quod magis illa, quàm ista coniungat, & vniat.

CAPVT

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XVII.

Fidem non solam iustificare, probatur ex modo iustificandi ipsius fidei, vbi etiam tractatur quæstio de valore, & precio fidei.

SEQVITVR argumentum QVARTVM, quod petitur ex modo iustificandi ipsius fidei. Nam præcipua causa, cur aduersarij soli fidei iustificationem attribuant, illa est, quod existiment fidem non iustificare per modum causæ, aut dignitatis, aut meriti, sed solùm relatiuè, quia videlicet credẽdo accipit, quod Deus promittendo offert. Nam si persuaderi possent, fidem iustificare impetrando, ac promerendo, & suo quodam modo inchoando iustificationem, sine dubio non negarent, id etiam dilectioni, & pœnitentiæ, aliisque bonis actibus conuenire.

Probemus igitur fidem veram, & iustificantem non esse (vt aduersarij volunt) nudam, ac solam apprehensionem iustitiæ, sed esse causam, & vim habere iustificandi. Possunt autem argumenta omnia ad tria capita reuocari. PRIMVM ducetur ab iis testimoniis, quæ docent, fidem esse causam iustificationis in genere. ALTERVM ab iis, quæ probant fide inchoari iustitiam. TERTIVM ab iis, quæ demonstrant per fidem nos placere Deo, & impetrare, atque aliquo modo mereri iustificationem.

PRIMVM igitur prodeant ea loca, quæ significant, nos iustificari per fidem, aut ex fide, Rom. 3. *Arbitramur hominem iustificari per fidem.* Ibidem: *Vnus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem* Rom. 5. *Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum.* Ephes. 2. *Salui facti estis per fidem.*

In his, & similibus locis præpositionem PER, & EX, veram causam significare probamus PRIMO, ex contrario. Nam cùm Apostolus scribit ad Rom. 3. & 4. & ad Gal. 2. & 3. & alibi sæpè, hominẽ non iustificari per opera, aut ex operibus, per legem, aut ex legesine dubio excludit efficientiam, & vim legis, & operum in iustificando, non autem solam apprehensionem relatiuam. Nemo enim dubitare poterat, quin lex, & opera non iustificarẽt apprehendẽdo iustitiam relatiuè. Ac per hoc ineptissima fuisset Apostoli sententia, si id significare voluisset, iustitiam apprehendi fide, non lege, aut operibus, quo modo ineptè loqueretur, qui diceret, eleemosynam apprehendi manu, non calcaneo.

PRAETEREA ij, quos Apostolus reprehendit, cùm affirmat, & probat, hominem non iustificari ex lege, aut operibus, non somniabant lege, aut operibus, quasi manu apprehendi iustitiam, sed existimabant, merito operum suorum, & obseruationis legis Mosaicæ sibi debitũ fuisse aduentum Christi, & iustificationis donum, vt perspicuum est ex ipsa epistola ad Romanos, & ad Galatas, inde enim cogebant Pseudo-apostoli gentiles, ad legis obseruationem, vt ipsi quoque merito obseruationis legis pertinere possent ad Christum, & ad indulgentiam peccatorum, & ad ipsam fidei gratiam. Sic enim enarrat hæc loca S. AVGVSTINVS, tum alibi, tum præfatione in Psal. 31. *Propterea*, inquit, *hæc dixi tibi ô homo, quia ex operibus non iustificatur aliquis, ne quasi de operibus tuis præsumere videreris, & merito operum tuorum te accepisse gratiam fidei.* Vide etiam sanctum Augustinum in caput primum ad Galatas, tomo 4.

Igitur cùm idem Apostolus tribuit fidei, quod negat operibus, & legi, dicens hominem iustificari per fidem, non per legem: ex fide, non ex operibus: sine dubio tribuit fidei efficientiam, & meritum aliquod respectu iustificationis, quod tamen meritum non ex nobis, sed ex Deo est, cuius donum est fides, & ideo cum fide gratiam adiungit Apostolus, dicens, nos gratis iustificari per gratiam Dei, per fidem IESV CHRISTI, &c.

SECVNDO probamus ex aliis locis, vbi habetur præpositio PER, aut EX. Nam si in omnibus aliis locis significat causam, cur non etiam causam significabit, cùm dicitur homo iustificari per fidem, aut ex fide? omitto loca illa, vbi dicimur, iustificari per Christum, per sanguinem eius, per mortem ipsius, item ex ipso, per ipsum, & in ipso esse omnia: & alia id genus, vbi Præpositionem PER aut EX, causam significare nemo dubitauit vnquã. Illis tantum locis contentus ero, vbi de ipsa fide agitur. Igitur ad Hebræos 11. cùm dicitur: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, &c.* Particula, PER, non apprehensionem, sed veram causam significat. Non enim per fidem apprehenderunt regna relatiuè, sed re ipsa fide armati filij Israël, obtinuerunt regna Chanaam. Neque Daniel, & Dauid, & Samson per fidem apprehenderunt victoriam contra Leones, sed fide muniti, & implorantes auxilium Dei, bestias illas superauerunt.

In eodẽ capite accipit Apostolus, pro eodem aliquid fieri per fidẽ, aut fide, vt omnes cõcedunt. Cũ igitur dicit Abel obtulisse plurimã hostiã, & Noë aptasse Arcã in salutẽ, & Abrahã obediuisse, vt exiret in aliũ locum: & hæc omnia tribuit fidei: apertissimè fidẽ facit causam. Nam Abel fide, seu per fidẽ obtulit puriorem hostiam, quàm Cain, quoniam certò credens, Deum esse primum auctorem omnium rerum, & summo cultu adorandum, ex ea fide motus est, vt offerret id, quod optimum habebat. Itaque fides causa fuit illius precioſæ oblationis.

Noë quoque fide, seu per fidem aptauit arcam, quoniam credens verbis Dei comminantis diluuium, timore concepto metuens aptauit arcam, vbi videmus ex fide natum esse timorem, ex timore fabricationem arcæ. Proinde fidem veram causam fuisse timoris, & consequenter ipsius arcæ.

Denique Abraham fide, siue per fidem obediuit exire in locum, quem nesciebat. Quoniam credens Deũ omnipotentem, & fidelissimum, ex ea fide motus est, vt promptè obediret, etiamsi nesciret quo vocaretur. Quare fides causa fuit obedientiæ: fide obedire, nihil est aliud, nisi fidem obedientiæ esse causam. Igitur eodem modo fide iustificari, vel per fidem iustificari, nihil aliud erit, nisi fidem causam esse iustificationis.

ALTERVM argumentum petitur ab iis locis, quæ testantur, fidem esse initium iustitiæ, ac per hoc esse causam formalem inchoatam iustificationis. Id inprimis docet Apostolus ad Rom. 4. cùm dicit: *Credenti in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam.* Vbi ipsa fides censetur esse iustitia. ac per hoc non apprehendit fides iustitiam Christi, sed ipsa fides in Christum est iustitia. Et si quidem sit fides viua, & perfecta per caritatem, erit perfecta iustitia, sin minus, erit saltem imperfecta, inchoataque iustitia,

Idem probat testimonium illud, 1. Corinth. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est* CHRISTVS IESVS. *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides precioſos, ligna, fœnum, stipulas, vniuscuiusque opus ignis probabit.* Nam per fundamentum intelligit S. Augustinus in libro de fide & operibus, cap. 16. & alibi passim, fidem in Christum. Quomodo etiam hunc locum exponunt Chrysostomus, Theophylactus, & interpretes cæteri. Cõstat autem fundamẽtum in quouis ædificio partem, & inchoationem ædificij esse, quod per additionem parietum, & tecti perducitur ad fastigium, & perfectionem.

Idem probat illud Apostoli Petri Actor. 15. *Fide purificans corda eorũ.* Vbi fides dicitur corda purificare, quoniam liberat hominem à sordibus errorum, & falsarum opinionum de Deo, rebusque diuinis. Quod quidẽ facit fides non tam efficiẽter, quàm formaliter quomodo lux intrans

intrans pellit tenebras, cùm simul morari non possint lux, & tenebræ. Porro puritas cordis quid est nisi iustitia, vel inchoata, vel perfecta?

Huc pertinent omnia testimonia, quę attulimus supra cap. 13. vbi probauimus, fidem esse primam dispositionem ad iustificationem. Quibus addi possunt hæc etiam testimonia Patrum.

Sanctus IGNATIVS in epistola ad Philippẽses: *Principium*, inquit, *vita, est fides, finis vero eius, dilectio. Amba autem simul iuncta, & in vnitate facta, hominem Dei perficiunt.*

CLEMENS ALEXANDRINVS lib. 2. Stromatum, adducens sententiam libri antiquissimi, qui dicebatur Pastoris: *Præcedit*, inquit, *fides, timor autem ædificat, perficit autem dilectio.*

ORIGENES in cap. 4. ad Rom. *Puto*, inquit, *quod prima salutis initia, & ipsa fundamenta fides est: profectus vero, & augmenta ædificij ipse: perfectio autem, & culmen totius ædificij caritas.*

Sanctus AMBROSIVS in Psalm. 118. serm. 20. tractans illud: *Principium verborum tuorum veritas, Fides*, inquit, *principium Christiani est, plenitudo autem Christiani iustitia est.*

Sanctus AVGVSTINVS serm. 16. de verbis Apostoli: *A fide incipit homo, sed quia & dæmones credunt, necesse est addere spem & caritatem.* Et serm. 22. item de verbis Apostoli: *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligẽdo perficitur,* Et præfatione in Psal. 31. *Magnum*, inquit, *opus, sed ex fide. Laudo superædificationem operis, sed video fundamentum fidei, laudo fructum boni operis, sed in fide agnosco radicem.*

TERTIVM argumentum, quod etiam potissimum est, sumitur ab iis locis, quæ docent, per fidem impetrari remissionem peccatorum, ac per hoc iustificari hominem ex fide, non quia fides tantum respiciat promissionem, & illam credendo apprehendat, sed quia remissionem impetret, & suo quodam modo etiam mereatur. Luc. 7. *Fides tua te saluam fecit*, ait Dominus mulieri, cui dixerat, *remittuntur tibi peccata tua.* Non autem rectè diceretur, fides saluum facere, videlicet à peccatis, hoc est, iustificare, si re vera nihil faceret in ordine ad iustificationem, sed tantum acciperet indulgentiam. Quis enim diceret egenti, qui solùm ad eleemosynam porrigeret manum, manus tua tibi fecit eleemosynã? aut quis ægroto manu pharmacum capienti diceret, manus tua te curauit à morbo? Itaque, fides tua te saluam fecit, sine dubio magnum est encomium fidei, & non nihil, sed planè aliquid efficaciæ ipsi fidei tribuit.

Confirmat autem hanc efficaciam fidei, quod Matth. 15. legimus dictum Chananææ: *O mulier magna est fides tua.* Et Marci 7. *Propter hunc sermonem vade, exiit Dæmonium à filia tua.* Hic enim apertè tribuitur fidei efficacia impetrandæ sanitatis. Neque responderi debet, aliud esse loqui de iustificatione, aliud de curatione morbi corporalis. Nam Dominus iisdem planè verbis tribuit fidei vtramque sanitatem. Peccatrici enim dixit: *Fides tua te saluam fecit.* Lucæ 7. & mulieri curatæ à fluxu sanguinis, similiter dixit: *Fides tua te saluam fecit.* Matthæi 9. & cœco illuminato etiam dixit: *Fides tua te saluum fecit*, Marci 10.

Rursus ad Rom. 4. *In repromissione*, inquit Apostolus, *non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere. Ideo & reputatum est ei ad iustitiam.* Hoc loco causam reddit Apostolus, cur fides Abrahæ reputata sit iustitia, quoniam credendo dedit gloriam Deo. Itaque placuit Deo fides illa, per quam ipse glorificatus est, & ideo meritò illius fidei, quæ tamen donum, & gratia ipsius erat, Abrahamum iustificauit.

Item ad Rom. 10. *Omnis*, inquit Apostolus, *quicunque inuocauerit nomen Domini saluus erit. Quomodo ergo inuocabunt in quem non crediderunt? quomodo credent sine prædicante?* Vbi B. Paulus, sicut facit causam fidei prædicationem Verbi, ita facit causam inuocationis ipsam fidẽ: & causam salutis, id est, iustificationis, inuocationem. Ex quo intelligimus fidem per inuocationem impetrare iustificationem. Non igitur fides relatiuè iustificat, accipiendo videlicet oblatam iustificationem, sed quærendo, pulsando, petendo, denique inuocando, & impetrando iustificat.

POSTREMO (vt alia multa loca prætereã) ad Hebr. 11. multis exemplis Apostolus docet, per fidem placere homines Deo, ac per hoc fidem apud Deum magni esse precij, ac meriti. De Abele scribit, cum per fidem adhuc, quamuis defunctum, loqui. Hoc est, sanguinem eius clamare ad Deum, & vindictam impetrare ob meritum fidei ipsius. De Henoch scribit, fide translatum fuisse ne videret mortem, hoc est, merito fidei, per quam placuerat Deo Placuisse autem per fidẽ, quia sine fide impossibile est placere Deo: Alia id genus multa in eo capite leguntur, quæ longum esset, minimeque necessarium huc adferre.

Ad hæc testimonia Scripturæ addam testimonia S. AVGVSTINI, qui constanter docet plurimis in locis, fidem impetrare, & mereri remissionem peccatorum, & iustificationem. Ex quo intelligetur hunc sanctissimum virum, quem aduersarij aliis omnibus anteponunt, longissimè abfuisse ab errore Lutheranorum de fide iustificante relatiuè, siue per solam apprehensionem sine vlla sua efficacia, vel merito.

Igitur S. AVGVSTINVS libro 1. Retractationum, capite 23. approbat, quod alicubi dixerat: *Non opera, sed fides inchoat meritum.* Item in epist. 105. ad Sixtum, ante medium: *Nec ipsa*, inquit, *remissio peccatorum sine aliquo merito est. si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei. Qua fide ille dicebat, Deus propitius esto mihi peccatori, & descendit iustificatus merito fidelis humiliatus, quoniã qui se humiliat exaltabitur.* In epistola 106. ad Paulinum, ante medium: *Si quis dixerit, quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus, immo vero gratissime confitemur.* Quo loco per gratiam benè operandi iustificationem intelligit: *Nam*, vt ipse repetit, *bona opera acceaunt iustificato, non præceduntiustificandũ.* In epist. 144. ad Anastasium: *Lex*, inquit, *adducit ad fidem, fides impetrat spiritũ largiorem, diffundit spiritus caritatem, implet caritas legem.* In lib. de spiritu & litera, cap. 13. *Quod factorum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat.* Et cap. 30. *Per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam sanatio animæ.* In libro de fide & operibus, ca. 21. *Violentia*, inquit, *fidei Spiritus sanctus impetratur, per quẽ diffusa caritate in cordibus nostris lex, non timore pœnæ, sed iustitiæ amore compleatur.* In lib. 1. contra aduersarium legis & prophetarum, cap. 17. *In nouo*, inquit, *Testamento fides impetrat caritatem.* In lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 7. *Ex fide*, inquit, *ideo dicit Apostolus iustificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus iuste vivitur.* Denique libro de gratia & libero arbitrio, capite 14. *Fides*, inquit, *& non petita conceditur, vt ei petenti alia concedantur.*

Habemus igitur ex AVGVSTINO non semel, aut iterum, sed sæpè ac sæpius repetitum, Fidem impetrare iustificationem, remissionem peccatorum, gratiam benè operandi, ac per hoc iustificare per modum dispositionis, ac meriti, non propter nudam relationem, qua iustificationem aspiciat, vel recipiat. Vide quæ diximus in secundo libro de pœnitentia, cap. 12. vbi probauimus, contritionem esse causam meritoriam iustificationis, & respondimus ad obiectiones, quæ contra meritum eiusmodi dispositionum fieri solent. Vide etiam solutionem argumentorum contra hoc meritum fidei cap. 21. huius libri.

CAPVT

Universidad de Deusto
Biblioteca

A

CAPVT XVIII.

Fidem non solam iustificare, probatur ex caussa formali iustificationis, & necessitate operum bonorum.

RESTAT argumentũ POSTREMVM, quod nunc solum indicandum, sed alibi perficiendum erit. Sumitur enim ex duobus principiis, quæ in libris sequentibus demonstrantur. VNVM principium est, caussam formalem iustificationis non esse iustitiam, quæ est in CHRISTO, vel solã remissionem peccatorum, sed iustitiam in nobis realiter inhærentem, ad quam iustitiam Scripturæ, & Patres præcipuè caritatem pertinere docent. Ex hoc principio, quod in sequenti libro tractabitur, euidẽter sequitur, non solam fidem per modum dispotionis B iustificare. Nam iustitia ista realis, & inhærens non debet apprehendi per fidem, sed infundi per gratiam.

Ad hanc autem infusionem disponit quidem actus fidei, sed disponunt etiam actus timoris, pœnitentiæ, aliarumque virtutum, sed præter cæteros, actus dilectionis sine dubitatione disponit. Illis enim actibus disponuntur homines ad eiusmodi gratiam recipiendam, quos Deus in Scripturis sanctis præexigi, ac prærequiri significat. Prærequiri autem secundùm Scripturas actum fidei, timoris, spei, pœnitentiæ, & dilectionis, suprà probatum est. Neque aduersarij, præsertim paulò saniores, id negant, sed interpretantur, eos actus, excepta fide, prærequiri quoad præsentiam, non quoad apprehensionẽ iustificationis. Quare si talis ponatur justificatio, quę nó apprehensione, sed infusione obtineatur, non erit vlla C caussa, cur soli fidei tribuatur dispositio iustificationis.

Adde, quod ipsa etiam natura nos docet, iis actibus disponi materiam ad recipiendam formam, qui sunt eorum similes, qui consequuntur formam. Ligna enim per calorem disponuntur ad formam ignis concipiendam, quoniam ex igne calor procedit. Itaque ad formalem iustificationem, quæ potissimum in infusione caritatis sita est, nihil magis quàm dilectio, siue pœnitentia ex dilectione disponit. Neque id aduersarij vnquam negassent, aut de fide iustificante controuersiam vllam fecissent, nisi de ipsa formali iustificatione nouam doctrinam prius ex cogitassent,

Simile argumentum ducitur ex necessitate operum bonorum ad salutem, quod est ALTERVM principium D suo loco probandum. Nam si fides sola iustificaret impium, certè ipsa etiam sola saluaret, non enim amitti posset iustitia, quibuscumque malis operibus, nisi amitteretur fides: proinde manente fide, maneret iustitia: manente autem iustitia, salus quoque esset in tuto.

Neque istas consecutiones aduersarij negare possunt aut negant. LVTHERVS enim in libro de captiuitate Babylonica capite de Baptismo, disertis verbis scribit, tam esse diuitem hominem Christianum, vt quibuscunque operibus amittere salutem non possit, nisi nolit credere. Et in Colloquio Altemburgensi Ministri Saxonici Ministros Electorales, id est, Illyricianı Maioristas, siue Lutherani rigidi Lutheranos molles reprehẽdunt, quod distinguant inter iustitiam, & salutem, quasi bona opera non iustificent, sed sola fides: non saluet autem fides sola E sed etiam opera. Illi verò respondent, opera quidem bona necessaria esse ad salutem, sed necessitate præsentiæ, aũt necessitate signi, quod videlicet fides adsit, tamen non minus salutem, quàm iustitiam tribui soli fidei.

Itaque argumenta omnia ex Scripturis, & Patribus deprompta, quibus infrà suo loco probabimus, ita necessaria esse opera bona ad salutem, etiam hominibus iustificatis, vt sine illis fides sola non saluet: Probant etiã fidem solam non iustificare, quod in præsentia suscepe-ramus probandum.

CAPVT XIX.

Soluitur argumentum primum ex Scripturis depromptum pro sola fide.

NVNC argumenta soluenda sunt, quibus aduersarij magno conatu contendunt, solam fidem iustificare. Reuocabimus autem testimonia Scripturæ, quæ illi proponunt ad certa capita, vt confusio euitetur.

PRIMVM igitur argumentum sumunt ab illis testimoniis, quæ docent, hominem sine operibus iustificari. Inde enim effici non dubitant, solam fidem iustificare. Testimonia hæc sunt, Rom. 3. *Exclusa est gloriatio tua, per quam legem? factorum? nõ. Sed per legem fidei.* Et paulò post. *Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus legis.* Rom. 4. *Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriã, sed non apud Deum.* Galat. 2. *Scientes, quod non iustificatur homo ex operibus legis.* Ephes. 2. *Gratia estis saluati per fidem, nõ ex operibus.* Tit. 3. *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos.* Philipp. 3. *Vt inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed eam, quæ est ex fide.*

Ad hæc testimonia breuiter explicanda, & argumentum pro sola fide penitus profligandum: TRIA quædam prænotanda erũt. PRIMO, quid sit apud Apostolum lex factorum, & lex fidei. SECVNDO, quid interfit inter iustitiam legis, & iustitiam in lege. TERTIO, quid intelligat Apostolus per opera, cùm dicit, hominem iustificari sine operibus.

Quod attinet ad PRIMVM. Caluinus & Kemnitius, & alij Sectarij, per legem factorum intelligunt legem, quæ requirit opera, per legem fidei eam, quæ requirit fidem. Sed refellit hanc explicationem S. Augustinus, cùm alibi sæpe, tum præcipuè in libro de spiritu & litera, capite 13. vbi demonstrat, legem Euangelicam, quæ maximè requirit fidem, requirere etiam opera. & omniũ mandatorum, ac totius Decalogi obseruationem: & cõtrà demonstrari posset, legem Mosis, quæ maximè requirit opera, requirere etiam fidem.

Lex igitur factorum apud Apostolum est ea, quæ iubet quid sit faciendum: lex fidei est ipsa fides, quæ impetrat gratiam faciendi, quod lex factorum iubet. Itaque vtraque lex requirit opera, sed lex factorum continet præceptum, lex fidei auxilium. Lex factorum præstat, vt cognoscamus, lex fidei facit, vt faciamus. Lege factorum dicit Deus, fac quod iubeo, lege fidei dicimus Deo, da quod iubes. Denique lex factorum est litera, quæ occidit iubendo, & non iuuando, lex fidei est spiritus, qui viuificat opem ferendo, vt iustificatio legis impleatur in nobis. Ex quo sequitur, vt non solum lex Mosis, sed etiam lex Christi, quatenus aliquid imperat, sit lex factorum, & lex fidei sit spiritus fidei, non solùm quo nos Christiani, sed etiam Patriarchæ & Prophetæ, & omnes antiqui iusti Dei gratiam impetrarunt, & iustificati gratis per eandem gratiam legis mandata seruarunt.

Quantum ad SECVNDVM, iustitia legis (vt etiã initiò huius libri breuiter indicauimus) sunt opera iusta, quæ lex facienda præscribit. Neque hæc iustitiã vsquã Apostolus reiicit tanquam inutilem, sed contrà potius ita commendat, vt dicat Rom. 2. *Factores legis iustificabũtur.* Et in eodem capite: *Si præputiũ iustitias legis custodiat, nonne præputium in circumcisionem reputabitur?* Et Rom. 8. *Deus misit filium suum in similitudinẽ carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum, vt iustificatio legis impleretur in nobis.* At iustitia ex lege, siue in lege sunt illa opera, quæ homines faciunt sine gratia fidei, sola cognitione legis adiuti, & hæc opera non iustificant coram Deo, sed solùm coram hominibus, qui tantum externa considerant.

Hanc iustitiam tanquam inutilem B. Paulus reiicit, & opponit

opponit iustitiæ fidei, hoc est, operibus bonis, quæ fiunt A ex gratia, & fide. Eandem iustitiam ex lege, vocat Apostolus ad Rom. 10. iustitiam propriam, & opponit iustitiæ Dei: *Ignorantes*, inquit, *Dei iustitiam, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Et cap. 9. *Gentes, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam. Iustitiam autem, quæ ex fide est. Israel autem sectando legem iustitiæ in legem iustitiæ non peruenit. Quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus.* Hoc est, Israëlitæ quærentes implere legem iustitiæ, re vera legem iustitiæ implere non potuerunt; quoniam viribus propriis nõn ex gratia Dei, quam fides impetrat, legem iustitiæ facere præsumpserunt: *Putant*, inquit AVGVSTINVS lib. 3. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 7 *se arbitrio sui viribus implere legem iubentem, & ita implicati superbia ad gratiam non conuertuntur* B *iuuantem. Ac per hoc miro quodam modo, sed tamen vero, iustitiam legis non implet iustitia, quæ in lege est, vel ex lege, sed quæ in spiritu gratiæ. Iustitia quippe legis impletur in eis, sicut scriptum est, qui non secundum carnem ambulant, sed secũdum spiritum. Secundum iustitiam verò, quæ in lege est, se fuisse sine querela in carne, non in spiritu dicit Apostolus: & iustitiã quæ ex lege est suam dicit fuisse, non Dei. Intelligendum est igitur, iustitiam legis non impleri secundũ iustitiam, quæ in lege est, vel ex lege, id est, secundum iustitiam hominis, sed secundum iustitiam, quæ est in spiritu gratiæ. Quod planius, & breuius ita dici potest, iustitiam legis Dei non impleri, cùm lex iubet, & homo quasi suis viribus facit, sed cum spiritus adiuuat, & hominis nõ libera, sed Dei gratia liberata voluntas facit.* Vide eundem libro de gratia & libero arbitrio, cap. 12. vbi rursus de hac ipsa re copiosè disputat. C

Quod iam ad TERTIVM pertinet, aduersarij existimant per opera, quæ beatus Paulus à iustificatione excludit, intelligi omnia omnino opera, siue ante fidem, siue post fidem facta, immo etiam ipsam fidem, si consideretur, vt opus.

AT hanc absurdissimam esse sententiam, & ab ignoratione Scripturæ profectam, docet idẽ AVGVSTINVS in libro de gratia & libero arbitrio. c. 7. *Homines*, inquit, *non intelligentes quod ait ipse Apostolus Paulus. Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus legis: putauerunt eum dicere, sufficere homini fidem, etiamsi male viuat, & bona opera non habeat. Quod absit, vt sentiret vas electionis.* Et mox a liungit, non excludi opera, quæ fiunt ex fide, & nos etiã suprà probauimus, requiri ad iustificationem actũ spei, timoris, pœnitentiæ, dilectionis, & ipsius fidei, non so- D lum credentis, sed etiam orantis, & impetrantis, qui actus opera quædam meritò dici possunt.

Nonnulli ex Catholicis docent, per opera quæ à iustifiatione Apostolus excludit, intelligi obseruationem legalium ceremoniarum, circumcisionis, sabbati, neomeniarũ, &c. qui ea ratione mouentur, quod ad Romanos capite 3. idem Apostolus posteaquam dixerat: *Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus legis*, subiungit, *An Iudæorum Deus tantum? nonne & gentium?* Et ad Romanos 2. 3. & 4. ad Galatas 2. & 3. vbi de hac re disseritur ex proposito, semper adducatur in medium exemplum circumcisionis.

Cæterùm sententia S. Augustini constans, & sine dubitatione verissima est, per opera, quę fidei opponuntur, & à iustificatione excludũtur, intelligi opera, quæ fidem E præcedunt, quæque solis viribus liberi arbitrij fiunt. Ita docet Augustinus loco citato de gratia & libero arbitrio, c. 7. de prædestinatione Sanctorum, cap. 7 præfatione in Psal. 31. & vbicunque de hac re disputat. Quod idẽ apertè docet etiam S. Hieronymus in epistola ad Cthesiphontem, vltra medium. Et ratio huius sententiæ est, quoniam ad Rom. 4. ad Ephes. 2. & ad Tit. 3. Apostolus simpliciter excludit opera, nulla mẽtione facta legis Mosaicæ. Hinc enim intelligimus, non excludi solùm legalium ceremoniarum obseruationem, sed etiam moraliũ.

Excludi autem omnia opera facta ante fidem, non autem omnia absolutè, & probari potest ex cap. 4. ad Rom. vbi legimus: *Ei qui operatur, merces imputatur secundũ debitum, non secundum gratiam.* Quo loco explicat Apostolus ipse, quid intelligi debeat per opera, quæ opponuntur fidei; ac dicit, illa se vocare opera, quibus id, quod redditur est merces, non gratia. Talia autem non sunt nisi illa, quæ fiunt ex solis viribus liberi arbitrij. Nam operibus, quæ fiunt ex gratia, qualis est ipse actus fidei, & quæ inde consequuntur, id quod redditur, non est simpliciter merces, sed etiam gratia, immo magis gratia, quàm merces.

Et confirmatur hæc ratio ex ipso scopo epistolarum ad Romanos & ad Galatas, neque enim dubitari potest, quin Apostolus in duabus illis epistolis demonstrare voluerit, neminem posse iustificari sine fide in Christum, & gratuita Dei misericordia. Proinde quamuis sæpe meminerit circumcisionis, & ceremoniarum legis propter Iudaizantes, qui multum in illis confidebant: tamen absolutè omnia opera fidem præcedentia excludere voluit; præsertim cùm in epistola ad Romanos, non solum Iudæis, sed etiam gentilibus, qui non minus philosophiam iactabant, quam Iudæi legem, Christi fidem necessariam esse ad iustificationem, & salutem persuadere voluerit.

Ex his facilè respondetur ad illa omnia loca. Ad PRIMVM ex cap. 3. ad Rom. RESPONDEO, excludi gloriationem Iudæorum per legem fidei, non per legem factorum, quoniam homo iustificatur ex gratia, quæ primo fidem inspirat, deinde per fidem ad indulgentiam, & opera bona perducit; non autem iustificatur per legem factorum, id est, per solam notitiam legis, & vires liberi arbitrij.

AT contrà KEMNITIVS: *Apostolus*, inquit, *vult excludere omnem gloriationẽ, igitur excludit omnia opera, etiã facta per fidẽ vel ex fide. Nam de illis etiam posset aliquis gloriari.* RESPONDEO, non excludit Apostolus omnem gloriationem, sed illam solùm, quę oritur ex operibus per solas vires liberi arbitrij factis. Non enim dicit, vbi est gloriatio? sed *vbi est gloriatio tua?* id est, vbi est gloriatio, qua in te gloriaris, & non in Domino? ex operibus autem factis ex fide, ac per hoc ex gratia. cùm fides ex gratia sit, nemo potest gloriari, nisi in Domino, quæ gloriatio non est prohibita, cùm idem Apostolus dicat: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* 2. Cor. 10.

Itaque S. AVGVSTINVS libro de gratia & libero arbitrio, cap. 7. cùm dixisset, non intelligere Apostolum ad Rom. 3. eos, qui dicunt, solam fidem sufficere ad iustificationẽ, reddit caussam cur dictum sit, hominẽ iustificari per fidẽ sine operibus: *Quia*, inquit, *& ipsa bona opera nobis ex Deo sunt, à quo nobis & fides est, & dilectio.* Et libro de prædest. Sanctorum. cap. 7. *Ideo*, inquit, *per fidem iustificari dicit Apostolus hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera.*

Ad SECVNDVM de Abraham ex capite 4. ad Rom. RESPONDEO, Abrahamum iustificatum fuisse per fidem, non per opera præcedentia fidem: quoniam non potuissent illa esse verè iusta, nisi secundùm externam iustitiam, & ideo si per illa iustificatus fuisset, habuisset gloriam, sed apud homines, non apud Deum, Idẽ dicendum est ad loca sequentia ex cap. 2. ad Galatas, c. 2. ad Ephes. & cap. 3. ad Titum. Nam in illis omnibus locis solùm excluduntur opera facta ante fidem.

Sed hìc etiam occurrit KEMNITIVS, ac probat, excludi etiam opera facta per fidem. Nã Abrahã iam renatus erat, & ex fide operabatur eo tẽpore, de quo loquitur Apostolus, & tamen idẽ Apostolus excludit opera eius à iustificatione. Item Galatæ renati erãt, & in Christum credebant, & tamen eorum opera Paulus opponit fidei, & apertè reiicit. Immo status quæstionis in epistola ad Galatas, non alius esse videtur, nisi vtrum opera

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex fide iustificent, an fides sola iustificet. Apostolus autem respondet, hominem iustificari ex fide, nō ex operibus, id est, ex sola fide.

RESPONDEO, Abraham eo tempore, de quo loquitur Apostolus, renatus quidem erat, & ex fide multa bona opera faciebat: tamen Apostolus cùm dicit, eum iustificatum esse ex fide, non ex operibus; non reiicit opera facta ex fide, sed affirmat illa non esse facta sine fide, quia si talia fuissent, nunquam eum iustificassent. Itaque excludit opera, quæ Abraham facere potuisset non ex fide. Nam etiam ij, qui fidem habent, aliquando operantur non ex fide, vt cùm peccant, aut cùm faciunt opera purè moralia sine relatione ad Deum.

Denique loquitur Apostolus cum cōditione, si Abraham iustificatus est ex operibus non procedentibus ex gratia fidei, vt ij putabant, qui suis viribus tribuebant iustitiam: certè habuit gloriam, sed non apud Deum. Et quoniam satis constat, Abrahamum habuisse gloriam etiam apud DEVM, inde colligit, eum non esse iustificatum ex operibus sine fide, sed ex fide, ex qua bona opera verè procedunt.

Porro in epistola ad Galatas duplex tractatur quæstio. VNA specialis, an ceremoniæ legales ad Christianos pertineant, ita vt sine illis salui esse non possint: ALTERA generalis, an per legem, & vires naturæ possit cōtingere iustificatio sine gratia & fide IESV CHRISTI. Ad vtramque respondet Apostolus negatiuè. Quæstionem autem illam, quam fingit Kemnitius, ne verbo quidem attingit. Id autē ita se habere, perspicuū est ex illis verbis: *Si per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est.* Galat. 2. & ex illis: *Si ex lege hereditas, ergo nō ex promissione.* Galat. 3. & ex illis: *Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis.* Galat. 5. & Rom. 4. *Si ex lege hereditas, exinanita est fides, abolita est promissio.*

Nam istæ consecutiones firmissimæ sunt, si excludantur à iustificatione opera facta sine fide, & gratia, ex sola cognitione legis, & viribus liberi arbitrij. Nam si lex, & natura sufficiunt ad iustificandum; quid opus fuit, vt CHRISTVS moriendo de peccato damnaret peccatū, vt iustificatio legis impleretur in nobis? & si lex, & natura sufficiunt ad iustitiam, sufficiunt etiam ad hæreditatem, non enim iniustus est Deus, vt iustos fraudet corona iustitiæ, vt sanctus Augustinus loquitur in libro de natura & gratia, capite secūdo. Quod si lex, & natura sufficiunt ad hæreditatem, quid opus fuit promissione? Denique si lex, & natura sufficiūt, euacuati sumus à CHRISTO, & à gratia excidimus, quoniam his opus nobis non esse profitemur.

At eædem istæ consecutiones infirmissimæ sunt, neque aliquid efficiunt, si quis per eas excludere velit opera, quæ fiunt ex gratia, & fide. Neque enim CHRISTVS gratis mortuus dici potest, si iustificamur ex fide, & operibus consequentibus fidem: immo nisi CHRISTVS mortuus esset, non possemus ex fide, & operibus inde sequentibus iustificari. Hæc enim omnia gratia Dei donauit nobis per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum. Sic etiam, non ideo hæreditas non est ex promissione, quia opera ex fide, & gratia procedentia ad iustificationem sunt necessaria; quin potius ideo est ex promissione hæreditas, quoniam sine promissione non fuisset gratia, sine gratia non fuisset fides, sine fide non fuissent opera iusta, quibus redderetur hæreditas, id est, ipsa corona iustitiæ. Ac demum non euacuamur à CHRISTO neque à gratia excedimus, qui ex fide CHRISTI, & operibus gratiæ iustificamur, sed contrà potius, nisi ad CHRISTVM, & eius gratiam pertineremus, fidem, & opera iustificantia non haberemus.

Quare cùm Paulinæ illæ consecutiones vim habeant aduersus eos, qui iustificationem operibus factis sine fide, & gratia tribuebant, non autem aduersus eos, qui à iustificatione opera consequentia fidem, & gratiam non excludunt: manifestè sequitur, Apostolum in epistola ad Galatas contra eos tantum disserere, qui legem, & opera sine fide CHRISTI magnificiebant: neque ita tum quæstionis in ea epistola esse, an opera ex fide, sed an opera sine fide iustificent.

Ad VLTIMVM ex cap. 3. ad Philipp. RESPONDEMVS (vt suprà diximus) iustitiam ex lege, vocari opera, facta ex cognitione legis per solas naturæ vires.

At contrà obiicit KEMNITIVS, Apostolum non solùm loqui de operibus suis, quæ fecerat ante fidem, cùm damnat iustitiam propriam, sed etiam de operibus, quæ tunc faciebat, cùm esset Apostolus CHRISTI. Nam de prioribus dixit in præterito, omnia arbitratus sum detrimenta, de posterioribus dicit in præsenti, omnia arbitror vt stercora. Itaque B. Paulus omnia opera sua, siue ex fide, siue sine fide facta contemnit, & pro stercoribus habet, sola interim Christi fide contentus.

RESPONDEO, mirū est, quàm prōpti sint hæretici ad blasphemias, nulla fermè oblata occasione. Nāquod Apostolus inter scribendum nunc vratur tempore præterito, nunc tempore præsenti, non cogit, vt existimemus eum loqui de rebus diuersis. Potuit enim de iisdem illis operibus factis in lege, & ante fidem dicere, se initio conuersionis illa omnia pro detrimentis habuisse, & nunc etiam illa eadem nihili facere, & non solum pro detrimentis, sed etiam pro stercoribus habere, quod indies magis, ac magis intelligat illorum operum inanitatem. Et re vera loquutum esse B. Paulum, etiam in præsenti, de operibus factis in lege, & ante fidem, perspicuum est ex antitheſi, quam facit, cùm dicit: *Vt inueniar in illo, non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est* CHRISTI. Vbi opponit iustitiam suam, id est, opera sua iusta facta ex fide, quæ sunt verè iusta coram Deo: iustitiæ suæ, id est, operibus suis iustis factis in lege, sine fide, quæ non poterant esse verè iusta corū Deo, sed solùm exterius, & in facie hominū, apud quos (vt ipse ibidem scribit) fuerat in Iudaismo sine querela versatus.

At quanta quæso blasphemia est, opera facta ex fide, & gratia Christi, stercora nominare, quæ ad Galat. 5. Fructus spiritus, ipse idem vocat Apostolus? ergo ne Spiritus sancti fructus stercora sunt? & quo modo 2. Timot. 4 B. Paulus gloriatur, & dicit: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi iustus iudex?* Ita ne de stercoribus gloriari debuit tantus Apostolus? & quę debetur stercoribus corona iustitiæ? & quis ille est iustus iudex, qui stercorā coronare dignatur? DEINDE, quam gratiam debemus Deo, qui nos creauit in CHRISTO IESV in operibus bonis, quæ præparauit vt ambulemus in illis ad Ephes. 2. si ista opera nihil sunt aliud, nisi stercorā? DENIQVE, si opera bona fidelium, detrimenta ac stercora sunt, certè facienda, & amplectenda non sunt, sed execuēda, atque abiicienda sunt. Et nūc Kēnitius, & quærat ur, quod eum hostem operum bonorum esse dicamus.

CAPVT XX.

Soluitur alterum argumentum ex Scripturis petitum pro sola fide.

ALTERVM argumentum sumunt ab iis locis, vbi sola fides nominatur, cæteris omnibus operibus, vel dispositionibus prætermissis. Matthæi 9. Lucæ 7. *Fides tua te saluam fecit.* Lucæ 8. *Crede tantum, & salua erit.* Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius.* Ioan. 3. *Qui credit in filium, habet vitam æternam.* Rom. 5. *Iustificati ex fide, pacem habeamus ad Deum.*

RESPONDEO, locus ille (*crede tantum, & salua erit*) vbi

vbi gloriantur aliqui ex sectariis, se tandē reperisse particulam SOLA, quam Lutherus de suo addiderat, cum in nullis Bibliis eam inuenire potuisset; non facit ad rem. Loquitur enim eo loco Dominus de miraculo faciendo in excitatione defunctæ, non de iustificatione impij, & remissione peccatorum. Fatemur autem, fidem solam interdum satis esse ad miracula impetranda, videlicet cum referuntur ad ipsam fidem confirmandam, non ad vitam eius illustrandam, qui miraculum impetrat. Hoc enim modo virtutes multas fecisse dicuntur improbi quidam, qui in die iudicij audituri sunt: *Amen dico vobis, nunquam noui vos, discedite à me omnes operarij iniquitatis*, Matth. 7.

Quod attinet ad alia loca negamus id sequi, vt fides sola iustificet, etiamsi interdum sola nominetur. Nam interdum quoque solæ nominantur aliæ virtutes, aut Sacramenta, vt Lucæ septimo: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Iob duodecimo: *Eleemosyna à morte liberat.* Rom. 8. *Spe salui facti sumus.* Ecclesiastici 2. *Timor Domini expellit peccatum.* Ad Titum 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Ephes. 2. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Nec tamen vllus colligit dilectionem, aut eleemosynam, aut timorem, aut baptismum sine fide iustificare.

Itaque Scriptura cùm ad vnum effectum multæ caussæ concurrunt, modò vni caussæ, modò alteri effectum illum tribuit, nec propterea significare intelligitur, vnam caussam sine aliis posse sufficere. Cur autem Apostolus frequentius iustificationem tribuat fidei, quam dilectioni, aut aliis rebus, caussa est, quam reddit Concilium Tridentinum sessione sexta, capite octauo, quoniam fides est initium gratuitæ iustificationis. Inde enim incipit Deus ædificium spirituale in anima hominis, inde incipit curare morbum peccati, inde incipit colere agrum cordis, inde incipit viā aperire ad portum salutis.

Sed occurrit IOANNES CALVINVS in Antidoto Concilij, atque hanc explicationem non solùm puerilem vocat, sed etiam manifesti erroris damnat. Probat autem ipse, fidem non esse tantum initium, & fundamentum iustificationis, sed etiam incrementum, & perfectionem, tribus testimoniis diuinæ Scripturæ. PRIMVM est ad Romanos 1. *Euangelium virtus Dei est in salutem omni credenti, quia reuelatur in eo Dei iustitia ex fide in fidem. Quis non videt*, inquit Caluinus, *principium & finem pariter hic designari? aliòqui dicendum erat ex fide in opera, siquidem opera perficerent, quod fides inchoat.* ALTERVM est Habacuc 2. *Iustus ex fide viuit. Hoc*, inquit Caluinus, *Propheta valde improprie dixisset, nisi fides continuaret vitam.* TERTIVM est Genes. 15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Non erat*, inquit Caluinus, *tunc Abrahā nouitius, sed sanctitatis omniumq; virtutum exemplar, ergo non ei aditum ad iustitiam patefecit fides, vt aliunde postea iustificatio compleretur.*

RESPONDEO, imprudenter Caluinus, dum se Concilio Tridentino insultare credit, S. Augustino, & toti antiquitati insultat. Quod enim Cōcilium dixit, ideo ex fide hominem iustificari, ex Apostoli sententia, quod fides initium sit, & radix iustificationis: scripsit antea S. AVGVSTINVS in libro de prædestinatione Sāctorum, cap. 7. his verbis: *Ex fide ideo dicit iustificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupantur.* Et in epist. 105. ad Sixtum: *Fides*, inquit, *vnde omnis iustitia sumit initium.* Et libro de bono perseuerantiæ, c. 2. *Quod initium verum homini Christiano quàm credere in Christum?* Et præfatione in Psal. 31. *Laudo*, inquit, *superædificationem, sed video fundamentum fidei: laudo fructum, sed in fide agnosco radicem.* Et serm. 16. de verbis Apostoli: *A fide*, inquit, *incipit homo.* Et serm. 22. quem sæpè citauimus: *Domus*, inquit, *Dei credēdo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* Quod idem omnes alios Patres sensisse, ac docuisse ostendimus, suprà cap. 13. & 17.

Dicat nunc Caluinus, si audet, Augustinum, quem vnum ex tota antiquitate sibi patronū eligere solet, pueriliter in Scriptura lusisse, quia fidem vocauit initiū, fūdamentum, radicemque iustitiæ, & ideo iustificari ex fide hominem scripsit, quia fides prima datur, vt per eam cætera impetrentur. Verè igitur fides initium est, & origo iustitiæ; sed non tale initium, vt veniente iustitia cedat, ac recedat, quo modo timor foras mittitur à caritate, quam suo quodam ministerio introduxit, sed est initium, quod manet, & perficitur; quo modo arborum radices non arescunt, sed crescunt, & roborantur crescente arbore; & fundamentum ædificij non subtrahitur accedente fabrica domus, sed perficitur, & stabilitur, & parietes, tectumque sustentat. Ita nimirum & fides primùm inchoat iustificationem, deinde assumta spe, & caritate perficit. Ideo cùm inchoat, sola est, cùm perficit, non est sola; siue (quod idem est) sola inchoat, non sola perficit.

Proinde rectè Concilium post Augustinum scribit, hominem iustificari ex fide, quia fides est initium, & origo iustitiæ: vt videlicet id fidei propriè tribueret, quod ei soli propriè conuenit. Quare si Caluinus & cæteri Sectarij, cùm dicunt, fides sola iustificat, significare vellent, fidem solam inchoare iustitiam, non esset cum eis de sola fide diutius litigandum.

Illud igitur Apostoli: *Reuelatur iustitia Dei ex fide in fidem*, multis modis exponi potest; neque cogimur admittere fidem solam esse principium, finemque iustitiæ. Exponit enim S. AVGVSTINVS in libro de spiritu & litera, cap. 11. ex fide annunciantium Euangelium, in fidem obedientium Euangelio. Exponunt ALII, ex fide Prophetarum in fidem in Apostolorum: ALII, ex fide obscura & latente in Testamento veteri, in fidem manifestatam & reuelatam in Testamento nouo: ALII, ex fide rerum præteritarum, in fidem futurarum. ALII, ex fide imperfecta, in fidem perfectam, & caritate formatam.

Quæ postrema expositio confirmatur ex similibus phrasibus, quæ significāt progressum, & incremētū eiusdem rei, vt: *Ibunt de virtute in virtutem.* Psal. 83. *Et vsque in generationē & generationem veritas eius.* Psal. 99. *Transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu.* 2. Corinth. 3. *Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.* Lucæ 1. Itaque sententia Apostoli est, in Euangelio reuelari iustitiam Dei, quæ incipit à fide inchoata, & perducitur ad fidem caritate perfectam, atque formatam.

Illud verò Habacuc 2. *Iustus ex fide viuit.* Intelligitur de fide viua (quomodo enim potest aliquis viuere ex fide mortua?) fides autem viua ex testimonio sancti Iacobi cap. 2. non est fides sola, sed fides cum operibus, siue (vt loquitur Paulus ad Gal. 5.) fides per caritatem operans. Et rectè cohæret hoc testimonium cum superiore. Probat enim B. Paulus, iustitiam Dei esse ex fide in fidem, quia scriptum est, Iustus ex fide viuit, nimirum iustitia Dei ex fide imperfecta inchoatur, & in fidem perfectā, hoc est, viuam terminatur. Quoniam iustus ex fide viuere debet, nec posset ex fide viuere, si iustitia eius constaret ex fide non viua.

Quare docet quidem Propheta, per fidem continuari vitam, sed non per fidem solam, sed per fidem cum caritate coniunctam, & per caritatem operantem; ex quo sequitur, vt iustus non solum ex fide, sed etiam ex caritate viuat. Neque ideo falsum est, quod Concilium dicit, fide inchoari iustitiam, quoniam verum est, quod Propheta dicit, fide continuari iustitiam. Vtrumque enim fides facit, sed primum facit, sola, secundum non sola.

Illud denique, quod Caluinus adducit ex capite 15. Genes. *Credidit Abrahā Deo, & reputatum est ei ad iustitiā.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Significat, Abrahamum iustum, ex nouo quodam actu fidei factum esse iustiorem. Sed non ideo non aperuit illi aditum ad iustitiam fides, cùm primùm ille iustificatus est, quia postea quoque iustitiam in illo auxit. Nã (vt iam diximus) non ita facimus fidem initium iustitiæ, vt negemus illam crescere, & perfici, & semper hominem ad maiora perducere. Hoc solum negamus, per eam solam posse hominem integrè, perfecteque iustitiæ formam acquirere.

CAPVT XXI.

Soluitur argumentum tertium ex Scripturis desumptum pro sola fide.

TERTIVM argumentũ petunt ab iis locis, in quibus dicitur homo gratis iustificari. Idem enim est gratis, & non ex operibus; ac per hoc idẽ est gratis, & sola fide Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Rom. 4. *Et qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, deputatur fides eius ad iustitiã.* Rom. 11. *Si gratia: iam non ex operibus, alioqui gratia iam non est gratia.* Ephes. 2. *Gratia estis saluati per fidem non ex operibus.* Hoc argumentum non solùm probat, sola fide hominem iustificari, sed etiam iustificari sola fide relatiuè, id est, non propter dignitatem, aut meritum fidei quia tunc gratia non esset gratia.

RESPONDEO, particula illa GRATIS duobus modis accipi potest, VNO modo, vt opponatur debito ex iustitia, siue meritis, vt loquuntur Theologi, de cõdigno, quæ sunt absolutè, & simpliciter merita. Et hoc modo iustificatio gratuita non excludit opera, quæ dicuntur concurrere ad iustificationem vt dispositiones, vel vt merita de congruo, modò non tribuatur eis meritum de condigno, de quo loquitur Concilium Tridentinũ sess. 6. cap. 8. vbi dicit, hominem iustificari gratis, quoniam neque fides, neque opera, quæ iustificationem præcedunt, eam merentur. Et iuxta hunc modum non est idẽ, hominem iustificari gratis, & iustificari ex sola fide. Nam iustificari gratis, est iustificari sine merito de condigno. Iustificari sola fide, est nihil requiri ad iustificationem nisi fidem, quod esse falsum iam demõstratũ est.

ALTERO modo potest accipi particula, GRATIS, vt opponitur operi facto sine vlla gratia, ex solis naturæ viribus, siue illud opus dicatur meritũ de condigno, siue de congruo, siue etiam solùm dicatur conditio, aut ratio aliqua, cur detur homini iustificatio. Et hoc modo iustificatio gratuita non excludit merita absolutè, sed merita propria, id est, quæ sint nobis ex nobis, & non ex Deo. Nam merita quæ sunt nobis ex Deo, id est, quæ originẽ ducunt ex gratia præueniente non pugnant cum gratia, nisi quis velit ipsam gratiam pugnare cum gratia. Hoc modo idem est, hominem iustificari gratis, & iustificari ex fide, & iustificari sine operibus. Nam cùm fides sit primum Dei donum; qui iustificatur ex fide, non iustificatur ex operibus præcedentibus fidem, sed iustificatur ex gratia, & gratis, quia ipsa fides est ex gratia.

Neque hinc sequitur, hominem qui iustificatur gratis, iustificari sola fide: nam sicut iustificatio gratuita non excludit fidem, quia fides est ex gratia, ita non excludit pœnitentiam, & dilectionem, & opera pœnitentiæ, & dilectionis, quoniam etiam ista omnia sunt ex gratia. Et hac ratione explicat S. AVGVSTINVS particulam, GRATIS, vbicunque de hac re scribit. Nam in Epistola 105. posteaquam dixerat: *Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est: si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei.* Continuò explicat, quomodo hoc meritum non pugnet cum gratuita iustificatione. & ait: *Restat igitur, vt ipsam fidem, vnde omnis iustitia sumit initium, non humano, quo isti extolluntur, tribuamus arbitrio, nec vllis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quæcunque sunt merita, sed gratuitum Dei donum esse fateamur, si gratiam veram, id est, sine meritis cogitamus.* Et in epist. 106. *Non dicat,* inquit, *sibi, si ex fide, quo modo gratis? quod enim fides meretur, cur non potius redditur, quàm donatur? non dicat ista homo fidelis, quia cùm dixerit, vt merear iustificationem, habeo fidem: respondetur ei, Quid enim habes, quod non accepisti? cùm ergo fides impetrat iustificationem, non gratiam aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici.*

At contra hanc solutionem obiiciunt tum hæretici, tum etiam quidam Catholici. Nam Kemnitius in Examine Concilij Tridentini sess. 6. in fine disputationis de operibus infidelium, contendit, nullum esse meritum de congruo. Immo hoc meritum dicit, esse illam Helenam, de qua septimus canon sextæ sessionis Concilij contra Scripturæ, & antiquitatis sententiam dimicat. Sublato autem merito de congruo, tollitur omnis dignitas, & efficacia fidei, & aliarum dispositionum ad iustificandum, & inde sequitur, vt iustificari gratis nihil sit aliud, nisi iustificari sine vlla dignitate fidei, aut operum, ex sola fide apprehendente promissionem. Probat autem nullum esse meritum de congruo: quia tunc sequeretur, hominem iustificari propter meritum suarum dispositionum, non autem propter meritum solius Christi, quod est contra Scripturam, & omnes Patres.

Aliqui etiam ex Catholicis, atque in primis Dominicus à Soto libr. 2. de natura & gratia, cap. 14. concedunt quidem dispositiones ad iustificationem, sed negant eas posse vocari vlla ratione merita: & iustificari hominem gratis, contendunt esse, iustificari sine vllo merito, siue de condigno, siue de congruo, siue procedente ex auxilio Dei speciali, siue ex viribus solius naturæ. Ratio autem eorum potissima est, quoniam meritum, & merces relatiua sunt, ita vt omni merito merces è regione respõdeat: merces autem ex debito, & iustitia redditur: ac per hoc non gratis datur, Debitum enim & gratia opponuntur ex Apostolo ad Rom. 4.

Præterea meritum ex congruo non fundatur in vlla dignitate, & proportione operis ad gratiam iustificationis, sed in sola promissione Dei qui credentibus & pœnitentiam agentibus indulgẽtiam, & iustificationem promisit: at cui debetur aliquid ex sola promissione alterius, is non dicitur illud mereri, nisi valdè impropriè. Igitur meritum de congruo non est veri nominis meritum.

Huc addi potest testimonium S. Augustini ex præfatione in Psal. 31. *Nihil,* inquit, *boni fecisti, & datur tibi remissio peccatorum.* Et idem habet in Psal. 110. & alibi. Immo in epist. 105. affirmat idem Augustinus, in Scripturis sacris iustitiam nunquam vocari mercedem, sed semper gratiam: vnde colligit, iustitiæ deberi mercedem, sed ipsam iustitiam semper gratis dari.

RESPONDEO, quod attinet ad KEMNITIVM, is aut improbus, aut imperitus esse conuincitur. Dum asserit, Concilium Tridentinum promerito de congruo contra Scripturæ, & totius antiquitatis sententiã dimicare. Nã aut loquitur de merito operum, quæ fiunt ex solis viribus liberi arbitrij, aut de merito operum, quæ nascuntur ex gratia præueniente, & ex fide: si de PRIMO genere operum loquitur, apertissimè improbus est, cùm impudenter, & prodigè mentiatur. Concilium enim Tridentinum non solum nusquam nominat meritum de cõgruo, sed etiam illud reiicit, quod attinet ad opera, quæ fiunt ex solis viribus naturæ, vt patet ex ipsa 6. sess. cap. 5. & 6. & can. 1. 2. & 3. nam docet, initium iustificationis sumi à gratia præueniente: & tunc primum incipere dispositiones ad gratiam iustificantem, cùm homo à Deo motus, & adiutus incipit credere; & neminem posse per naturæ vires, aut scientiam legis sine gratia Dei credere,

dere, diligere, pœnitentiam agere, &c.

Si loquitur de SECVNDO genere operum, imperitum se totius antiquitatis ostendit. Vix enim est vllus inter veteres, qui non agnoscat meritum aliquod in operibus pœnitentiæ, quæ per Dei gratiam fiunt, vt ostendimus in 2. lib. de pœnitentia, cap. 12. Quamuis neque de hoc secundo genere operum mendacio careant verba Kemnitij. Concilium enim in illa sess. 6. c. 7. hoc meritum cõgrui neque recipit, neque reiicit, immo ne verbum quidem de hac re facit, tantũ abest, vt pro illo quasi pro Helena dimicet. Dicit quidem Concilium, Iustitiam à Deo nobis infundi secundum dispositionem, & cooperationem vniuscuiusque, sed an ea dispositio sit meritoria, saltem de congruo, an verò nullo modo, sed tantum sit conditio quædam requisita, non explicat.

Iam verò quod attinet ad Catholicos, quæstio videtur esse ferè de solo nomine meriti, cùm alioqui conueniat inter omnes Catholicos, dispositiones requiri, & nõ sola fide homines iustificari. Nos autem intelligere certè non possumus, cur nõ sit hoc tempore vtendum nomine meriti, præsertim cum additione illa, de congruo, cùm agitur de operibus, quæ fiunt ex gratia præueniente. Et si nulla esset alia ratio, auctoritas omnium Patrum, & præsertim S. Augustini omnino sufficere nobis deberet. Nam si quo tempore Pelagiani humana merita extollebant, sanctus Augustinus præcipuus gratiæ defensor merita appellare non dubitauit opera illa, quæ nascuntur ex fide, quanto magis hoc tempore, quo Lutherani merita omnia tollunt è medio, deberent Catholici eadem illa opera, merita nominare?

ACTS. Augustinus lib. 1. Retractationum, cap. 23. retractasse videtur sententiam illam, fides meretur remissionem peccatorum, quando illam aliam retractauit, initium fidei est ex nobis. NONita est, nam in epist. 105. & 106. docet Augustinus, fidem mereri iustificationem, & tamen in his epistolis summa contẽtione affirmat, initium fidei non esse ex nobis. Et in ipso lib. 1. Retractationum, cap. 23. vbi retractat illam sententiam de initio fidei ex nobis, scribit verissimè dictum esse, fides inchoat meritum.

At S. Augustinus loquitur de merito fidei formatæ, quo meremur iustificationem, id est, incrementum iustitiæ, nõ de merito fidei informis, quo meremur remissionem peccatorum. NEQVE hoc est verum, nam in epist. 105. vt suprà citauimus, loquitur apertè de remissione peccatorum: *Neque ipsa,* inquit, *remissio peccatorum sine merito est: si fides hanc impetrat.* Et lib. 1. contra aduersarium legis & prophetarum, cap. 17. *Fides,* inquit, *impetrat caritatem.* Et in epist. 106. *Fides meretur gratiam benè operandi.* Et tract. 44. in Ioan. *Hæc,* inquit, *confessio meruit iustificationem.* Loquitur igitur Augustinus de fide, quæ præcedit caritatem, & remissionem peccatorum, & illi meritum impetrationis attribuit.

At S. Augustinus cùm dicit, fidem mereri iustificationem, intelligit, fidem ostendere à quo sit petendum auxilium, vnde iustificatio, & post iustificationem merita acquirantur. HAEC verò responsio indigna est viro docto, qualis est is, cũ quo disserimus. NAM si id esset mereri iustificationem, posset etiam Verbum Dei, & concionatores, & ipse Deus dici, mereri nobis iustificationem. DEINDE S. Augustinus explicat, quomodo fides mereatur, cùm dicit, eam impetrare remissionem peccatorum. DENIQVE & ipse Augustinus, & reliqui Patres omnes non solùm fidei, sed etiam dilectioni, & pœnitentiæ tribuũt meritũ iustificationis. Certè autẽ dilectio, & pœnitentia non ostendunt, à quo sit petendum auxilium.

AT S. Augustinus impropriè loquitur de merito, proinde nulla est causa, cur eum in hac parte imitari velimus. Si semel tantum, aut iterum hæc vox vni Augustino excidisset, fortasse tolerari posset ista responsio. At quod omnes Patres, quorum pleriique latinam linguam ab ipsa nutrice didicerant, in re tam graui perpetuò impropriè loquãtur, incredibile videtur. Vide Tertullianũ lib. 4. in Marcionem, Cyprianũ ser. 6. de oratione Dominica, Ambrosium lib. 7. & 10. in Lucam, & lib. 2. de pœnitentia, cap. 3. Hieronymum lib. 2. contra Pelagianos, Augustinum epist. 89. q. 4. Tract. 44. in Ioan. in Psal. 50. & alibi passim. Et Gregorium in primum Regum lib. 3. cap. 4.

Deinde non est potissima nostra quæstio, an opera ex fide, quibus disponimur ad iustificationem sint merita propriè, vel impropriè dicta, sed an sint hoc nomine appellanda, & nos quidem probamus ita esse vocanda: quoniam sic ea vocant omnes latini Patres. Neque argumẽta illa de relatione meriti, & mercedis conuincunt, fatemur enim omni merito respondere mercedem, sed sicut meritum quoddam esse dicimus ex congruo, ita mercedem quamdam esse dicemus ex congruo, quæ magis debeatur ex gratia, quàm ex iustitia. Nam ipse etiam Apostolus ad Rom. 4. cum dicit: *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Satis apertè indicat, esse quamdam mercedem, quæ imputari possit secundum gratiam, non secundum debitum.

Ad illud autem quod obiiciebatur, meritum de congruo non fundari in dignitate operis, sed in sola promissione Dei, RESPONDEMVS, contrarium esse verum. Nam si promissio non requirat vllam conditionem operis, tunc quidem nullum inde oritur meritum, vt si Rex egenti alicui promittat in singulos annos certum nummorum numerum sine vlla conditione; debebuntur egẽti illi pecuniæ regiæ, sed absque vllo eius merito: at si promissio contineat operis conditionem, orietur inde meritum, etiamsi opus illud alioqui non fit per se æquale mercedi. Verè enim, qui opus illud fecerit, conuenire poterit promissorem, ac dicere, se meruisse præmium ab illo promissum.

Quare si meritum de congruo fundaretur in promissione cum conditione operis, esset verè meritum ex iustitia, & potius de condigno, quàm de congruo nominandum. Et ideo nos existimamus, potius fundari meritum de congruo in aliqua dignitate operis, quàm in promissione. Nam promissiones, quibus Deus veniam pœnitentibus pollicetur, non tales sunt, quales illæ quibus benè operantibus coronam gloriæ pollicetur. Nam istæ posteriores verum pactum continent, quod Deus facit cum homine tanquam cum operario de mercede reddẽda; illæ autem priores non propriè continent pactum de mercede reddenda, sed assertionem rei certo futuræ, vt homo securus reddatur veniæ obtinendæ, si pœnitentiam egerit.

Id autem ita esse intelligi potest. PRIMO ex eo, quod vita æterna sæpe vocatur merces, brauium, stipendium: iustificatio nũquam vocatur, nisi gratia, & misericordia. SECVNDO ex eo, quod Scripturæ cum pœnitentibus veniam promittunt: reddunt rationem, quia Deus misericors est: vt Ioël. 2. *Conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus, & misericors est, &c.* At cùm promittunt benè operantibus vitam æternam, non tam allegãt misericordiam, quàm iustitiam, & fidelitatẽ, vt 2. Tim. 4. *Quam reddet mihi iustus iudex.* Quod si 1. Ioan. 1. dicitur: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata.* Sciendum est eum loqui de remissione venialium, quæ iusto Dei iudicio redditur bonis meritis iustorum, vt S. Augustinus docet in lib. de correptione & gratia, c. 13. TERTIO idem patet ex eo, quod Prophetæ cùm promittunt indulgentiam operibus pœnitentiæ: addere solent particulam dubitantem, vt, QVIS SCIT, FORSAN. &c. vt patet Ioëlis 2. Dan. 4. Ionæ 3. At nihil tale additur in promissione vitæ æternæ meritis iustorũ. Verũ est igitur, quod diximus, promissiones indulgẽtiæ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

non esse propriè pacta, in quibus fundari possit meritum pœnitentiæ: sicut promissiones vitæ æternæ vera sunt pacta, in quibus fundatur meritum operum bonorum, quæ à iustis fiunt.

Porrò negamus, nullam esse in merito de congruo dignitatem. Nam cum sit opus illud à Deo, & sit opus gratiæ, & donũ Spiritus sancti, quo pacto fieri potest, vt nullam habeat dignitatem? Illud quidem est verum, totá eius operis dignitatem pendere à gratia, & ideo non tam esse hominem, qui meretur, quàm ipsam gratiam; quæ (vt loquitur Augustinus in epist. 106.) mereturaugeri, vt aucta mereatur & perfici.

Neque tamen hinc iam licebit colligere, hoc esse meritum de condigno; nam etiamsi est à Deo, tamen nõ est à Deo intus inhabitante per gratiam iustificantem, sed extrinsecus excitante, & adiuuante, vt idem Augustinus docet in epistola 105. & præterea est à Deo incipiente, & inchoante, nondum complente, & perficiente: proinde est meritum inchoatum, & imperfectum: & habet aliquam dignitatem, & proportionem ad suum finem, sed non tantam, quantam requirit meritum de condigno. Denique deest, vt diximus pactum propriè dictum, sine quo nullũ potest esse meritũ ex iustitia, siue de condigno.

Ad illud autem S. Avgvstini præfatione in Psal. 31. *Nihil boni fecisti, & datur tibi remissio peccatorum, attenditur opera tua, & inueniuntur omnia mala.* Respondeo S. Augustinum per remissionem intelligere totam iustificationem ab initio primæ dispositionis, quæ est fides, vsque ad plenam reconciliationem. Tunc enim Deus incipit remittere peccata, cùm inspirat fidem, quæ orando impetrat cætera dona. Itaque illud: *Nihil boni fecisti*, intelligitur ante fidem: sicut etiam id quod sequitur, *attenditur opera tua, & inueniuntur omnia mala.* Neque enim mala dici possunt opera, quæ fiunt ex fide.

Id ita esse patet ex præcedentibus, & sequentibus. Sic enim in præcedentibus ait: *Quomodo ergo iustificatur homo ex fide sine operibus? respondet ipse Apostolus, propterea hoc dixi tibi ô homo, ne quasi de operibus tuis præsumere videreris, & merito operum tuorum te accepisse fidei gratiã. Noli ergo præsumere de operibus tuis ante fidem: noueris, quia peccatorem te fides inuenit, &c.* In sequentibus etiã ait: *Debebat tibi Deus vindictam, dat indulgentiam: Incipis ergo esse in fide per indulgentiam. Iam fides illa assumpta spe & dilectione incipit bene operari, &c.* Vides quomodo remissio peccatorum, id est, indulgentia, tunc incipit, cùm incipit fides? proinde ante remissionem peccatorum, quæ inchoatur in fide, nihil boni fecimus, quia ante fidem nihil boni fieri potest. Ex fide enim incipiunt quæcunque sunt bona. In eumdem sensum scribit Augustinus in epist. 105. iustitiam nunquam vocari mercedem, quoniam accipit iustitiam pro toto beneficio iustificationis, ita vt in ea includatur etiã fides, quæ sola non potest esse merces, cùm eam nulla omino merita, neque de congruo, neque de condigno, præcedant. Cætera omnia dona, & gratiæ, & mercedis nomine appellari possunt. Hinc igitur patet explicatio omnium testimoniorum, quæ docent hominem iustificari gratis. Significant enim nulla esse merita ante donum fidei.

CAPVT XXII.

Soluitur argumentum quartum ex Scripturis depromptum pro sola fide.

QVARTVM argumentum depromũt ex illis testimoniis, quæ docent, omnes qui credũt iustificari, & saluari. Quod quidem non esset infallibiliter verum, si non sufficeret sola fides. Ioan. 3. *Vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Act. 10. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere omnes qui credunt in eum.* Act. 13. *In hoc omnis, qui credit, iustificatur.* Rom. 1. *Euãgelium virtus Dei est in salutem omni credenti.* Rom. 10. *Omnis qui credit in eum non confundetur.* 1. Ioan. 5. *Omnis qui credit, quoniam Iesvs est Christus, ex Deo natus est.*

Respondeo, particula omnis potest timprimis rectè exponi negatiuè, vt sensus sit, omnis qui credit, iustificatur, id est, nemo sine fide iustificabitur. Quod illustrat aptissima similitudine S. Avgvstinvs, explicans illud, *Deus vult omnes saluos fieri*, lib. de prædestinatione Sanctorum, cap. 8. nam si in vna aliqua vrbe vnus tantum Grammaticæ doctor esset, & diceretur, omnes in hac vrbe Grammaticam discunt ab isto; non significaretur, omnes in ea vrbe Grammaticam discere, sed neminem discere sine illo. Sic igitur omnis qui credit, iustificatur, quia nemo iustificatur, nisi credat. *Sine fide enim impossibile est placere Deo.* Et hoc videtur Apostolus significare ad Rom. 1. cùm dicit, Euangelium esse virtutem Dei in salutem omni credenti: nã in tota illa disputatione probare nititur, fidem Christi necessariam esse omnibus, & sine illa neque Iudæos per legẽ Mosis, neque gẽtiles per lumen rationis posse coram Deo iustificari. Idẽ etiam videtur esse sensus illius loci Ioannis 3. *Vt omnis qui credit in eum non pereat:* significat enim missum esse filium Dei à Patre in mundum, quoniam sine eius aduentu, & fide nemo saluari potuisset.

Secvndo, potest eadem particula omnis referri ad omnia hominum genera, vt significet, fidem Christi esse viam ad salutem apertam toti mundo, Iudæis, Græcis, Barbaris, non autem vni tantum genti, vt erat lex Mosis. Sic enim explicat B. Paulus illud Isaiæ: *Omnis qui credit in eum, non confundetur*, ad Rom. 10. nam continuò subiungit: *Non enim est distinctio Iudæi & Græci; Nam idẽ Dominus omnium diues in omnes, qui inuocant illum.* Et ea de caussa sæpe Apostolus vrget illam particulam, omnis, vt admoneat Iudæos, gratiam Christi non esse ipsorum propriam, sed communem omnibus gentibus.

Tertio refertur interdũ particula, omnis, ad singulos credentes, & quidem affirmatiuè; sed tamen non significatur illis sententiis, solam fidem sufficere, sed fidem iustificare, & saluare, si non desint cætera; id est, fidẽ ex parte sua semper iustificare, & saluare, modo addantur alia, quę simul requirantur. Id autem ita esse, perspicuum est ex eo, quod in Scripturis etiam de spe dicitur: *Omnis qui sperat in eum, nõ confundetur.* Ecclesiast. & de dilectione: *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* 1. Ioan. 4. & de humilitate: *Omnis qui se humiliat exaltabitur.* Luc. 18. & de oratione: *Omnis qui petit accipit.* Luc. 11. *Quicũque inuocauerit nomen Domini saluus erit.* Rom. 10. & de obedientia: *Factus est omnibus obedientibus sibi caussa salutis æternæ.* Hebræ. 5. & tamen nemo diceret solam spem, aut orationem, aut humilitatem, aut alia sufficere sine fide.

Itaque sententia Scripturæ est, singulas istas virtutes ex parte sua perducere homines ad salutem, nisi aliunde oriatur impedimentum, aut defectus. Atque hoc ipsum sancti Patres passim docent, cùm admonent, non sufficere solam fidem: *Multi*, inquit Avgvstinvs tract. 10. in epist. Ioan. *dicunt credo, sed fides sine operibus non saluat.* Et S. Prosper lib. 1. de vita contemplatiua, c. 19. *Nec opera sine fide, nec fides sine operibus iustificat.* Vide alia testimonia infrà in disputatione de necessitate operum.

CAPVT XXIII.

Soluitur quintum argumentũ ex Scripturis pro sola fide.

QVINTVM argumentum ducunt ab illis testimoniis, quæ prædicant efficaciam Verbi Dei. Verbum enim sola fide apprehẽditur. Psal. 106. *Misit Verbũ suũ, & sanauit eos.* Ioã. 15. *Vos mundi estis propter sermonem, quem loquutus*

loquutus sum vobis. Rom. 1. *Euangelium virtus Dei est in salutem omni credenti.* 1. Cor. 15. *Notum vobis facio Euangelium, quod prædicaui vobis, quod accepistis, in quo statis, per quod & saluamini.* Iacobi 1. *Suscipite insitum verbum quod potest saluare animas vestras.*

Respondeo Verbum Dei sanat, & saluat, sed vt hoc faciat, non satis est vt fide apprehendatur, nisi etiam caritate impleatur. Verbum enim Dei non solùm offert promissiones, sed etiam imperat opera facienda. Quare Dominus Matth. 7. comparat hominem audientem verba sua, & non facientem viro stulto, qui ædificat domum super arenam. Praeterea Verbum, quod fide apprehenditur, non est ipsa salus, sed semen salutis, quod non solùm excipi, sed etiam calefieri, & excoli debet, vt fructum faciat. Quocirca rectè S. Iacobus, non ait, Suscipite insitum verbum, quod saluabit, sed quod potest saluare animas vestras, si videlicet excipiatur in corde bono, & retineatur cum patientia tempore tentationum, vt dicitur in parabola seminantis, Matth. 13.

Sed contrà occurrit Lvtherv s in libro de libertate Christiana, vbi probat, fidem solam cum Verbo Dei sufficere. Primùm enim (vt ipse dicit) fides implet omnia mandata. Nã audiens in Verbo præcepta, & promissa, & prudenter intelligens præcepta non posse seruari, confert se ad promissa, quæ docent, omnia esse posita in fide, & credentem in Christum omnia habere. Nam cõclusit Deus omnia sub incredulitate, vt omnium misereatur. Et dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius. Rom. 11. & Ioan. 1. Deinde, fides exhibuit Deo summum obsequium, dum credẽdo cõfitetur, illum esse veracem in omnibus suis promissis. Deus autem glorificantes se glorificat, vt dicitur 1. Reg. 2. Vnde Abraham credidit Deo, & reputatum est ei ad iustitiam, quia videlicet dedit gloriam Deo: plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere. Denique, fides copulat animã Deo, iuxta illud Oseæ 2. spõsabo te mihi in fide: & ideo omnia quæ Christi sunt efficiuntur communia cum anima fideli.

Respondeo, hoc argumentum Lutheri ex tribus virtutibus fidei ductum, magis Lutheranos, quàm Catholicos lædit. Nam si Deus glorificat nos, & iustificat, quia summum cultum illi exhibemus per fidem, certè sequitur vt merito fidei, id est, propter virtutem, & dignitatẽ ipsius fidei iustificemur. Quod tamen Philippus & Kemnitius, & quotquot sunt hodie Lutherani abiurdum, & falsum esse contendunt.

Sed excutiamus breuiter fidei virtutes, quas Lutherus prædicat. Primam illam virtutem, quod videlicet fides impleat omnia mandata, furtim subripuit Lutherus caritati, vt tribueret fidei. Sed vera fides non viuit ex raptu, & ideo clamat verum esse, quod Apostolus dicit, Rom. 13. *Qui diligit legem impleuit.* Et: *Plenitudo legis est dilectio.* Et quod ipse Dominus ait Ioan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* Et: *Qui non diligit me, sermones meos non seruat.* Conuertit se quidem fides ad promissa, cùm videt, legis mandata solis naturæ viribus impleri nõ posse: & credens, veram esse illam promissionem, petite, & accipietis, à Deo petit spiritum caritatis, per quem fit verè, vt iustificatio legis impleatur in nobis. Sed non est hæc promissio, quam vellet Lutherus, ipse enim promissionem quærit, per quam liberetur à debito legis implẽdæ, & habeatur, ac reputetur iustus, quãuis sit omni flagitiorum genere coopertus. Sed hanc promissionem in veris Bibliis, id est, in libro Dei numquam inueniet.

Quod enim ipse allegat, cõclusit Deus omnia sub incredulitate, vt omnium misereatur. Et dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in eum, longè aliud significat, quàm illud fit, quod ipse somniat. Dicitur enim Deus cõclusisse omnia sub incredulitate, quia permisit & Iudæos & Gentiles incredulos fieri, vt in vtrisque liberandis misericordiam suam ostenderet. Dedit autem potestatem iis, qui credunt in eum, vt filij Dei fiant: proinde non sunt hoc ipso, quod credunt, filij Dei, sed fieri possunt, si renascantur ex aqua & Spiritu sancto, & sic diffusa caritate in cordibus eorum per Spiritũ sanctum, qui datus est eis, incipiãt dicere Deo, Abba Pater.

Iam verò quod attinet ad alteram virtutem fidei, exhibet quidem fides cultum, & obsequium Deo, cùm dat illi gloriam, credens eum fidelem esse in omnibus verbis suis. Sed neque sola fides exhibet cultum Deo, cùm scriptum sit Matth. 5. *Videant opera vestra bona, & glorificent Patrẽ, qui in cœlis est.* Et Ioan. 21. de S. Petro legamus, eum morte sua clarificasse Deum. Neque fides obsequiũ placet Deo, nisi fides ipsa per dilectionem operetur. Nã & Dæmones velint, nolint, dant gloriam Deo, dum credunt, illum esse veracem, sed nihil eis prodest obsequium illud coactum. Et nos ipsi, si habeamus omnem fidem, caritatẽm autem non habeamus, nihil sumus.

Itaque Deus glorificat eos, à quibus ipse glorificatur ex caritate, sine qua nihil prosunt omnia, quæ ab inuitis deferuntur obsequia. Eiusmodi autem fuit obsequium Abrahæ, qui vsque adeo Deum dilexit, vt etiam filium vnigenitum, vt Deo pareret immolare voluerit. Et ideo rectè dicit S. Iacobus in epist. cap. 2. fidem Abrahæ ex operibus consummatam fuisse. Quare non est mirum si talis fides, videlicet perfecta, & caritate formata, ac per dilectionem operans reputata fuerit ad iustitiam, id est, (vt erat verè) opus existimata, ac iudicata iustitiæ.

Porro Tertia virtus fidei fortasse caret fundamẽto. Nã quod legimus Oseæ 2. *Sponsabo te mihi in fide*, non videtur accipiendum de fide, qua credimus Deo, sed de fide qua Deus præstat promissa. Nam paulò ante dixerat Deus in eodem Propheta: *Sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia, & miserationibus:* & mox addidit, *& sponsabo te mihi in fide.* Quorum omnium verborum illa videtur esse sententia, sponsabo te mihi iustè, misericorditer, atque fideliter. Sed si accipiatur fides pro fide, qua nos credimus Deo, certè ficut sponsamur Deo per fidem, ita coniungimur in matrimonium perfectum, & consummatũ per caritatem. Non enim fides, sed caritas est vinculum perfectionis Coloss. 3. &, *qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo*, 1. Ioan. 4.

Denique siue per fidem, siue per caritatem, siue (quod est verius) per vtrumque sponsemur Christo, erunt quidem nostra, quæ Christi sunt, & Christi quæ nostra sunt, vt Lutherus dicit, sed non eo modo, quo ipse dicit. Non enim nostra erit Christi iustitia, quia reputabitur nostra, sed nostra erit, quia caussa erit iustitiæ in nobis inhærentis, nosque verè, & formaliter perficientis: quemadmodum nostra mortalitas, & cæteræ pœnæ, in quas per lapsum primi parentis incidimus, nõ fuerũt in Christo per solam reputationem, sed per veram, & realem assumptionem. Lutherus enim parum liberalem sponsum nostrum facit, quem vult ea, quæ nostra sunt, re ipsa sibi assumere, ea verò, quæ sua sunt, nobiscum sola reputatione communicare. Sed de his hactenus.

CAPVT XXIV.

Soluitur argumentum sextum ex Scripturis pro sola fide.

POSTREMVM argumentum ex Scripturis illis accipiunt, quę docẽt, irritam fore promissionem, si lege, aut operibus nitatur, & non sola fide accipiatur. Rom. 4. *Si ex lege hæreditas, exinanita est fides, abolita est promissio.* Et ibidem: *Ideo ex fide, vt firma sit promissio:* Et Galat. 3. *Vt promissio ex fide daretur credentibus.* Et Galat. 4. *Euacuati estis a Christo, qui in lege iustificamini.*

Respondeo, hoc argumẽtum solutum est, partim

Universidad de Deusto
Biblioteca

cap. 11. in respõsione ad quintam obiectionem: partim cap. 19. in explicatione vocabulorum legis, & operum. Summa est, docet Apostolus, inanem fore fidem nostram, & irritam promissionem Dei, si iustificatio haberi possit per solam cognitionẽ legis, aut opera facta solis naturæ viribus. Nusquam autem docet, iustificari hominem ex sola apprehensione promissionis per fidem, aut iustificationem non pendere ex conditione operum. Quin potius in infinitis locis Scriptura testatur, & iustificationem, & salutem pendere ex conditione pœnitentiæ, & operum bonorum: *Nisi pœnitentiam habueritis*, inquit Dominus, *omnes similiter peribitis*, Lucæ 13. & Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

CAPVT XXV.

Soluitur argumentum ex traditione veterum Patrum pro sola fide.

QVAMVIS aduersarij testimonia sanctorum Patrum non magnipendant, cùm ipsorum erroribus manifestè repugnant, tamen cupidè illa eadem colligunt, si quando in specie saltem nobis contraria esse iudicãt. Percurram igitur breuiter testimonia, quæ ab illis adferri solent, tametsi non ignorem iam ab vno, aut altero, fortasse etiam à plurimis ex nostris, satis diligenter esse fermè omnia explicata.

PRIMO loco proferunt ex Origene in cap. 3. epist. ad Rom. hæc verba: *Et dicit (Apostolus) sufficere solius fidei iustificationem, ita vt credens quis tantummodo, iustificetur, etiamsi nihil ab eo operis fuerit expletum.*

RESPONDEO, Origenes opponit fidem operi externo, ac docet, posse hominem interdum iustificari, etiamsi nullum opus externum faciat. Ponit enim exemplum peccatricis, & latronis, qui non leguntur ieiunasse, aut eleemosynas fecisse antequam iustificarentur. Itaq; per vocabulum SOLA, excludit Origenes necessitatem operis externi: quando videlicet, aut potestas, aut occasio deest eiusmodi operis faciendi.

Non excludi autem ab Origene dilectionem, & pœnitentiam, perspicuum erit ex verbis eius in cap. 4. eiusdem epistolæ ad Rom. *Puto*, inquit, *quod prima salutis initia, & ipsa fundamenta fides est, profectus verò, & augmenta ædificij, spes: perfectio autem, & culmen totius operis, caritas.* Et infrà: *Credentibus quidem Christo, nec tamen deponẽtibus veterem hominem cum actibus suis, fides reputari non potest ad iustitiam.* Vides igitur non sufficere solam fidem, sed etiã spem, & dilectionem, & dispositionem veteris hominis, quod fit par pœnitentiam, omnino requiri.

SECVNDO proferunt ex Hilario illa verba can. 8. in Matt. *Mouet Scribas, remissum ab homine peccatum, hominem enim tantum in* IESV CHRISTO *intuebantur, & remissum ab eo quod lex laxare non poterat. Fides enim sola iustificat.*

RESPONDEO, non excludit Hilarius per particulã *sola*, nisi legem Mosis, de qua loquebatur. Qui enim dicit, lex non iustificat, sed sola fides, idem est, ac si diceret ex his duobus sola fides vim habet iustificandi, siue, fides iustificat, lex non iustificat. In quem sensum scriptum est Actor. 8. *Nondum Spiritus sanctus, in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini* IESV, non enim illud, *tantum*, excludit fidem, aut alias virtutes, sed solum visibilem Spiritus sancti aduentum. Itaque idem Hilarius canone 7. in Matth. cùm fide conjungit opera, cùm sic loquitur: *Salus gentium omnis in fide est, & in præceptis Domini vita est vniuersorum.*

TERTIO, proferunt ex Basilio illa verba in homilia de Humilitate: *Hæc est perfecta, & integra gloriatio in Deo, quando neque ob iustitiam suam quis se iactat: sed nouit quidem se ipsum vera iustitia indigum, sola autem fide in Christum iustificatum.*

RESPONDEO, excludit Magnus Basilius per vocem *sola*, opera, quæ fiunt sine fide, & gratia Dei. Hortatur enim ad humilitatem, ac monet, vt vnusquisque intelligat, se nihil iustitiæ à se habere, sed quidquid habet, donum esse Dei. Itaque sola fide iustificari apud Basilium, nihil est aliud, nisi ex dono Dei tantùm iustificari: nõ ex operibus præuenientibus omnia dona Dei. Et valdè accommodatè ponit exemplum Apostoli, qui ad Philipp. 3. non vult habere iustitiam suam, id est, opera facta solis naturæ viribus, sed iustitiam fidei, id est, opera facta ex gratia fidei. Et ibidem reprehendit ingratos, qui gloriantur de bonis suis, quasi dona Dei non essent. Porro idem Basilius in sermone de fide, posteaquam docuit necessitatem fidei, adiungit etiam necessitatem caritatis. Quod probat, tum ex Apostolo 1. Corinth. 13. tum ex ipso Domino, qui Ioan. 15. non ex fide, sed ex caritate discipulos suos cognoscendos esse prædixit.

QVARTO, proferũt ex Ambrosio verba illa in serm. 45. *Sicut sufficit Iudæ ad scelera, Christum deseruisse: ita sufficit latroni ad innocentiam, Domino credidisse.* Item ex comment. in ca. 3. ad Rom. *Iustificati sunt gratis, quia nihil operantes, neque vicem reddẽtes, sola fide iustificati sunt dono Dei.* Item in caput 4. *Non ergo opus est lex, quando impius per solam fidem iustificatur.* Item ibidem: *Sic decretum dicit à Deo vt cessante lege, solam fidem gratiæ Dei poscerent ad salutem.* Item: *Beatos dicit, de quibus hoc sanxit Deus, vt sine labore, & aliqua obseruatione, sola fide iustificentur apud Deum.* Item in cap. 9. *Sola fides posita est ad salutem.*

RESPONDEO, Ambrosius (si tamen is est auctor vel sermonis illius, vel commentariorum in Paulum) per vocem SOLAM, non excludit, nisi opera cæremonialia legis veteris, aut certè necessitatem operum externorũ. Nam idem auctor sic loquitur in comment. ad 4. cap. ad Hebr. *Magna res est fides & salutaris, & sine hac non est saluari possibile. sed sola fides non sufficit: Operari fidem per dilectionem necessarium est, & conuersari digne Deo.*

Idem etiam auctor in cap. 3. ad Rom. explicat, gentilem saluari sola fide, quia sine obseruatione circumcisionis, sabbati, neomeniæ, & similium saluantur. Sic etiam in caput 4. ideo dicit, cessante lege, solam fidem sufficere, quia loquitur de lege cæremoniali, quæ iam cessauit. Nam in caput 6. tractans illud: *Gratias autem Deo, quia cum fuissetis serui peccati, &c.* dicit, nos iam seruire Deo, non per legem Mosis, sed per legem naturæ. Denique in cap. 9. antequam diceret, sola fides posita est in salutem, præmiserat, per fidem hominem cõsequi salutem sublatis neomenijs, & sabbato, & circumcisione, & lege escarum, & oblationibus pecorum.

QVINTO, proferunt ex Chrysostomo illa verba in homilia de fide, & lege naturæ: *Eum qui operatur opera iustitiæ, sine fide non possum probare, viuum esse: fidelem absque operibus possum monstrare, & vixisse, & regnum cælorum assequutũ, nullus sine fide vitã habuit, latro autem credit tãtùm, & iustificatus est.* Itẽ illud ex homil. 3. in epist. ad Tit. *Si credis fidei, cur alia infers, quasi fides iustificare non sufficiat sola.*

RESPONDEO, Chrysostomus in priore loco docet, fidem solam, id est, sine opere externo interdum sufficere, opus externum sine fide numquam sufficere. Et rationem reddit, quia fides parit opera, opera non pariunt fidem: in posteriore loco docet fidem solam, id est, sine cæremoniis legis veteris abunde sufficere. Nam post verba allegata, mox addit: *Quid te spontaneæ seruituti subdis, & legis iugo collum submittis?*

Chrysostomum autem non fuisse in ea sententia, vt existimaret, fidẽ sine dilectione, & pœnitentia, aliisque similibus operibus sufficere, facilè potest intelligi ex illis verbis ipsius hom. 70. in Matt. *Ne fideles sola se fide saluari posse cõfidãt, de pœna malorũ disserit. Ita infideles ad fidẽ, fideles*

fideles vero ad rectè viuendum cohortatur. Vide etiam homil. 5. 25. & 26. in Matt. Item homil. 18. 29. & 31. in epist. ad Romanos. Itẽ homilia prima in priorem Epistolam ad Tim. vbi sic ait: *Non sit de solam opus est, sed etiam caritate.*

SEXTO, proferunt ex Augustino illud: *Quantalibet fuisse virtutis antiquos prædices iustos, non eos saluos fecit, nisi fides Mediatoris.* Lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 21. Item illud: *Si quis cum crediderit, mox de hac vita decesserit, iustificatio fidei manet cum illo: nec præcedentibus bonis operibus, quia nõ merito ad illam, sed gratiã peruenit: nec consequentibus, quia in hac vita esse non sinitur.* Libro 83. quæst. q. 76.

RESPONDEO, in priore loco solùm docet Augustinus, neminẽ sine fide saluari: proinde antiquos iustos neque per naturam, neque per legẽ Mosis, sed per ipsam Christi fidem esse saluatos. Ipsa enim sola ex rebus enumeratis vim habet saluandi. Quomodo si tres ambularent, & diceretur nobis, nullus est Doctor nisi ille, qui ambulat medius: non intelligeremus, nullum esse in orbe terrarum Doctorem præter illum, sed non esse inter eos tres Doctorem nisi vnum.

In posteriore loco apertissimè loquitur sanctus Augustinus de fide viua, & caritate perfecta, atque formata, quæ sine operibus in actu esse potest, sed non in habitu. Dixerat enim in verbis immediatè præcedentibus, hominem iustificari sine operibus præcedentibus fidem, sed fidem iustificantem esse fidem, quæ per dilectionem operatur. Idem autem Augustinus in infinitis locis, vt suprà citauimus, docet, fidem sine caritate nihil esse nisi fundamentũ ædificij, & initiũ, ac radicem iustificationis.

SEPTIMO, posset adduci Cyrillus Alexandrinus, qui lib. 10. in Ioan. cap. 18. scribit, hominem per solam fidem inhærere Christo. SED in eodem loco satis ipse se explicat, cùm dicit, posse hominem in Christo manere per fidem, & tamen carere dilectione, & perire.

OCTAVO, adduci potest Leo in epist. 70. vbi sic ait: *Sola fides Catholica viuificat, & sanctificat.* Et serm. 4. de Epiphania: *Hoc est, quod iustificat impium, hoc est, quod de peccatoribus facit sanctos, si in vno, eodemq; Domino Iesu Christo, & vera Deitas, & vera credatur humanitas.*

Sed RESPONSIO est in promptu, siquidem per vocem SOLA, nihil aliud S. Leo excludit, nisi falsam fidem & hæreticas sectas. Sola enim fides Catholica, id est, nõ Ariana, non Eutychiana, non Lutherana iustificat. Vt illud omittam, quod non loquitur Leo, sicut etiam neque alij Patres, de fide speciali promissionum: sed de fide dogmatica, quam aduersarij neque solam, neque cum aliis virtutibus iustificare concedunt.

NONO, adduci potest Theophylactus, qui in cõment. ad cap. 3. ad Galat. ait. *Fides sola habet in se iustificandi virtutem.* SED locus iste similis est testimonio S. Augustini suprà citato, neque aliud significat, nisi nihil esse, quod sine fide iustificare valeat.

DECIMO, adduci potest, & solet Bernardus, qui serm. 22. in Cantica, sic ait: *Quisquis pro peccatis compunctus exsurit, & sitit iustitiam, credat in te, qui iustificas impium, & solam iustificatus per fidem pacẽ habebit ad te.* Et in epist. 77. citans illud: *Qui credidederit, & baptizatus fuerit, saluus erit: Caute*, inquit, *non repetiit, qui vero baptizatus non fuerit condemnabitur. Sed latum, qui vere non crediderit, innocens minimum, solam fidem interdum sufficere ad salutem, & sine illa sufficere nihil.*

In priore testimonio loquitur de fide viua, & cum caritate coniuncta. Nam illa est, quæ esurit, & sitit iustitiã, & quæ pro peccatis non timore pœnæ, sed iustitiæ amore compungitur. Itaque idem est, ac si dixisset, Qui toto corde auersatur peccatum, & cupit operibus pœnitentiæ Domino satisfacere, etiam antequam opera ista aggrediatur per fidem viuam, & caritatem feruentem Domino reconciliatur.

In posteriore testimonio per vocẽ SOLAM, Baptismi necessitatem excludit, quando videlicet eius percipiendi facultas non datur. Iustificat enim fides sine Baptismo in necessitatis articulo, non autem Baptismus sine fide. Ea tamen fides, quæ sine Baptismo aliquando iustificat, numquam sine voto Baptismi, & pœnitentia, ac dilectione iustificat. Sic enim loquitur idem Bernardus serm. 24. in Cantica: *Non facit hominem rectum fides etiam recta, quæ non operatur ex dilectione.* Et infrà: *Neque opera sine fide, neque fides sine operibus sufficit ad animi rectitudinem.*

Habemus igitur ex testimoniis veterum Patrum, fidem solam aliquando iustificare, sed numquam in eo sensu, quo id accipiunt aduersarij.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LIBER SECVNDVS, DE IVSTIFICATIONE,

Qui est de iustitia inhærente.

CAPVT PRIMVM.

De variis erroribus circa formalem causam Iustificationis.

EXPEDITIS IIS, QVAE IVSTIFICATIONEM præcedunt, de ipsa iustificatione id est, de caussa formali, propter quam homo dicitur iustus coram Deo, disserendum est. Magna sanè quæstio, & hoc tempore præter cæteras maximè necessaria.

Hæretici siquidem Lutherani ad hanc disputationem illustrandam, magnum à se lumen accensum esse gloriãtur. Cùm tamen tanta eam opinionum confusione turbauerint, vt multi iam apud eos de veritate reperienda non sine ratione desperent. Exponam igitur breuiter præcipuas eorum sententias, vt inde statu quæstionis inuento, commodius & veritatem comprobare, & quæ contra eam obiiciuntur argumenta refutare possimus.

Primus igitur LVTHERVS caussam formalem iustificationis aliquando fidem, aliquando Christum ipsum fide apprehensum facere videtur. Sic enim loquitur in commentario ad cap. 2. ad Galatas. *Sicut Sophistæ dicunt caritatem informare, & imbuere fidem, sic nos dicimus, Christũ informare, & imbuere fidem, vel formam esse fidei. Ergo fide apprehensus, & inhabitans, Christus, est iustitia Christiana, propter quam nos Deus reputat iustos, & donat vitam æternã.* Ibidem tamen etiam hæc habet: *Est ergo formalis nostra iustitia, ipsa fides, & nebula cordis: hoc est, fiducia in rem, quæ non videtur.* Itaque variè loquutus est Lutherus: & ideo discipuli eius in varias sententias abierunt, quamuis in eo conuenirent, vt dicerent, sola fide hominem iustificari, & nullam esse in nobis inhærentem iustitiam.

PHILIPPVS MELANCHTHON in Confessione Augustana art. 4. scribit, fidem ipsam nobis pro iustitia imputari coram Deo. Sed in artic. 20. & in Apologia Confessionis art. 4. 5. 6. & 20. sæpius repetit, non propter ipsam fidei virtutem nos coram Deo iustos reputari, sed propter Christi meritum: dici autem nos fide iustificari, quia fides apprehendit misericordiam Dei. Proinde Philippus quoque non semper vno modo loquitur, cùm interdum fidem, interdum Christi meritum, interdum Dei misericordiam videatur facere formalem caussam iustificationis.

Quocirca OSIANDER in confutatione scripti, quod contra ipsum ediderat Melãchthon testatur, viginti discrepantes sententias apud solos Confessionistas numerari de iustificatione. Et in libro, quem scribit contra Nicticoracem quemdam, ita loquitur de Philippo, eiusque discipulis: *Simul ac locum aliquem Scripturæ viderunt, in quo iustitiæ mentio fieret, statim ex eo nouam iustitiam sunt fabricati.* Atque ibidem recenset quatuordecim de iustificatione sententias. Ipse autem Osiander ex Lutheri libris docuit, formalem caussam iustificationis esse illam ipsam iustitiam, qua Deus essentialiter iustus est. Sic enim intellexit, quod Lutherus ait, ipsum Christum in nobis habitantem esse formalem nostram iustitiam. Itaque Osiander non agnoscit imputatiuam iustitiam cum aliis Lutheranis, neque inhærentem cum Catholicis, sed inhabitantem cum Luthero, vt ipse eum interpretatur. Extat eius confessio, in qua sic loquitur. *De confessionistis, Hypocritæ docent, iustitiam nostram nihil esse aliud, quam quod Deus nos pro iustis habet, etiam si simus peccatores, & nostram iustitiã esse extra nos.* Et in confutatione scripti Philippi, scribit Deum non acceptare vllam iustitiam, nisi suam propriam, & essentialem. Refellunt hanc Osiandri sententiam, cùm alij permulti, tum Ioannes Caluinus satis copiosè lib. 3. Instit. cap. 11.

MATTHIAS ILLYRICVS in Centuriis cent. 1. lib. 2. col. 238. his verbis proponit sententiam, quam ex Luthero se didicisse gloriatur: *Iustitia, quam Deus impio imputat, non sunt qualitates, aut virtutes nostræ, neque ipsa Dei essentia, seu diuina, & substantialis iustitia, sed totum opus, quod Christus homo, & Deus in vna persona mediator noster pro toto genere humano præstitit.* Eodem fere modo loquuntur in Colloquio Altemburgensi tũ Saxonici, id est, Lutherani rigidi: tũ electorales, id est, molles: *Inter nos,* inquiunt isti *nulla est dubitatio, quin sacra Scriptura iustitiam Christi, per quam nos coram Deo iustificamur, & qua iusti sumus, passionẽ, & obedientiam Christi claris, & perspicuis verbis appellet.* Et ibidem Saxonici: *Obedientia,* inquiunt, *& meritum Christi est res ipsa, quæ nobis imputatur, est iustitia ipsa, quæ nobis donatur, atque adscribitur.*

IOANNES CALVINVS admittit quidẽ cum Lutheranis, non esse in nobis vllã inhærentẽ iustitiã, & imputari Christi iustitiã, & propter eam cõdonari peccata, propriè tamẽ in ipsa remissione peccati sitã esse docet iustificationem. Existimat enim nomen iustificationis esse forense, neque aliud esse iustificare, nisi iustũ pronunciare. Itaque in lib. 3. Instit. c. 11. §. 2. sic ait: *Nos iustificationem simpliciter interpretamur acceptionẽ, qua nos Deus in gratiam receptos pro iustis habet: eaq; in peccatorũ remissione, ac iustitiæ Christi imputatione posita esse dicimus.* Et ibidẽ §. 3. *Iustificare nihil aliud est, quam eũ qui reus est, vel agitur, tanquã approbata innocẽtia à reatu absoluere. Cùm itaque nos Christi intercessione iustificet Deus, non propria innocentia approbatione, sed iustitiæ imputatione nos absoluit, vt pro iustis in Christo censeamur, qui in nobis non sumus.* Itaque cũ idẽ Caluinus in eodẽ c. 6. §. 21. & 22. & in Antidoto Concilij ad sess. 6. cõtendit, Iustificationem non esse positam nisi in peccatorum remissione, non excludit imputationem iustitiæ Christi, sed internam renouationem, & sanctificationem, quam iustitiæ nomine omnino indignam esse iudicat.

MARTINVS BVCERVS in libro Cõcordiæ, vt fortasse Catholicos aliquos seduceret, vt fecit, duplicem iustitiam excogitauit, à qua formaliter iustificaremur: vnam imperfectam, quæ in virtutibus in nobis inhærentibus sita sit: alteram perfectam, quæ est ipsa Christi iustitia nobis imputata. Quoniam enim iustitia nostra nũquam talis esse potest, vt iudicium Dei sustineat, vt ipse dicit, ideo necessariam esse imputationem iustitiæ Christi, vt illa induti, & quodammodo tecti coram Deo compareamus, & iusti pronunciemur. Hinc in libello Imperatori Ratis-bonæ exhibito à Lutheranis (quorum princeps Bucerus erat) sic legimus in artic. 5. *Et si autem is qui iustificatur iustitiam accipit, & habet per Christum etiam inhærentem: tamen anima fidelis huic non innititur, sed solã iustitiæ Christi nobis donatæ, sine qua nulla omnino est, nec esse potest iustitia.*

In eandem sententiam, siue potius errorem incidit Albertus Pighius in secunda controuersia, & auctores Antididagmatis Colonienſis. Quocirca Bucerus in libro

libro Concordiæ iam citato, in articulo de Iustificatione, fatetur, Pighij sententiam non dissentire à Lutheranorum sententia, quod attinet ad caussam formalem iustificationis, sed solum quantum ad caussam apprehensiuam, quam Lutherani solam fidem, Pighius dilectionem potius, quàm fidem esse definit.

Cæterum quicquid Bucerus de Pighij communione cum Lutheranis dicat, duabus in rebus dissidet à Lutheranis Pighius. PRIMVM enim Lutherani virtutes, quæ sunt in nobis per gratiam Dei, non dignantur vllo modo nomine iustitiæ (solo excepto Bucero) sed inchoatam obedientiam, & renouationem vocant, quam ipsam per se adeo contemnunt, vt iniustitiam esse velint, & sempiterna morte dignam existiment, vt perspicuũ est ex Caluino, Kemnitio, & aliis: *Omnia hominum opera* (inquit Caluinus libro 3. Institutionum, cap. 12. §. 4.) *si sua dignitate censeantur, nihil nisi inquinamenta sunt, & sordes.* Et cap. 14. §. 9. *Nullum à sanctis exire potest opus, quod non mereatur iustam opprobrij mercedem.* Neque ipsum Bucerum credibile est, iustitiam in nobis inhærentem posuisse, nisi nomine. Neque enim axioma illud Lutheri negare ausus fuisset: *Iustus in omni bono opere peccat mortaliter.* At Pighius, & Colonienses iustitiam inhærentem imperfectam dixerunt, non quod iniustitiam esse crederẽt, sed quod eam imparem esse censerent ad magnitudinem adoptionis filiorum Dei, quæ per iustificationem acquiritur.

DEINDE (quod est discrimen longè maximum) Bucerus, & cæteri Sectarij, sententiam suam obstinatè defendunt, neque Ecclesiæ Catholicæ iudicio acquiescere sunt parati: proinde non errantes, sed hæretici meritò nominantur. Pighius autem, & Colonienses semper in Ecclesiæ Catholicæ communione manserunt, parati, illius iudicio iudicium suum, sententiamque subiicere, quocirca illorum errorem nulla animositate, sed sola ignoratione defensum tegere potuit caritas vnitatis.

Ex his, quæ hactenus dicta sunt, errores de iustificatione QVINQVE numerari posse videntur. VNVS est, formalem caussam iustificationis esse fidẽ. Id enim (saltem verbo) tum in Lutheri scriptis, tum in Augustana Confessione reperimus. ALTER, formalem caussam iustificationis esse Christi obedientiam, & iustitiam nobis imputatam. Id enim Illyricus, & plerique alij docent. TERTIVS, formalem caussam Iustificationis esse iustitiam Dei essentialem nos inhabitantem. Id enim docuit Osiander. QVARTVS, formalem Iustificationem sitam esse propriè in sola remissione peccati. Id enim Caluinus affirmat, quamuis non neget (vt diximus) ad iustificationem requiri etiam imputationem iustitiæ Christi. QVINTVS, formalem caussam iustificationis duplicem esse iustitiam nostram inhærentem, & Christi iustitiam imputatam. Id enim Pighius, & quidam alij docuerunt.

His verbis, omnes quinque errores damnantur, quos capite superiore numerauimus. Nam cùm dicitur, Vnica esse formalis caussa, reiicitur sententia Buceri & Pighij, de duplici iustitia: cum dicitur, ea esse iustitia Dei, non qua ipse iustus est, reiicitur sententia Osiandri de iustitia diuina per essentiam: cum dicitur, qua renouamur spiritu mentis, & quæ inhæret, & qua iusti verè nominamur, & sumus, reiicitur sententia Lutheranorum de iustitia imputatiua: cùm dicitur ea iustitia non consistere in sola remissione peccatorum, reiicitur sententia Caluini de iustificatione more forensi: cùm dicitur, iustitia nostra esse fides, spes, & caritas infusa, reiicitur sententia Lutheri de sola fide.

Porro status totius controuersiæ reuocari potest ad hanc simplicem quæstionem, sit ne formalis caussa absolutæ iustificationis iustitia in nobis inhærens, an non. Nam si quis probet partem affirmantem, eodem tempore refellet omnes contrarios errores. Nam si formalis caussa iustificationis est iustitia inhærens, non igitur iustitia Dei inhabitans: vel iustitia Christi imputata: vel sola remissio peccati sine renouatione hominis interioris. Et si iustitia inhærens est formalis caussa absolutæ iustificationis, non igitur requiritur imputatio iustitiæ Christi, quæ iustificationem alioqui inchoatam, & imperfectam absoluat. Neque sola fides est nostra iustitia, cùm fides (ipsis etiam Lutheranis testibus) non possit absolutè iustificare, & ideo (vt loquitur Confessio Augustana artic. 4.) non tam sit, quàm reputetur à Deo iustitia. Itaque omnes illi errores, aut non ponunt iustitiam inhærentem, sed extrinsecam: aut si ponunt inhærentem, nolunt eam absolutè iustificare. Proinde omnes refutantur, si probetur iustitia inhærens, quæ absolutè, simpliciterque iustificet.

Est autem hoc loco breuiter ANNOTANDVM, Kẽnitium more suo fraudulenter admodum proponere statum quæstionis de formali iustificatione. Dicit enim id in cõtrouersiam vocari, Quid sit id, propter quod Deus hominem in gratiam recipiat? an sit meritum filij Dei, an inchoata in nobis nouitas? & planè tragicè quæritur, nos detrahere vim iustificandi merito Christi, vt tribuamus eam virtutibus, & qualitatibus nostris. Vbi PRIMVM de industeria loquitur impropriè, vt cõfundere possit caussam formalem cum meritoria, & illa ambiguitate sententiam Catholicam odiosam reddat. Nam si quis propriè loqui velit, non vtetur voce, *propter*, sed *per*, cùm formalem caussam designare voluerit. Siquis enim quærat, per quid viuit homo? per quid ignis est calidus? per quid lucent syderа? rectè respondetur, per animã, per calorẽ, per lucẽ, quæ sunt caussæ formales. Si verò quærat, propter quid Imperator triũphat? propter quid milites pugnant? respondebitur, non reddendo caussam formalem, sed meritoriã, aut finalem. Dicemus enim, milites pugnare, vt vincãt, imperatorẽ triumphare, quia vicit, & vincendo triũphum promeruit. Sic igitur, si Kemnitius sine fraude ageret, propriè loqueretur, ac diceret, id esse quod quæritur, quid illud sit, per quod homo iustificatur, an iustitia sibi à Deo per Christi merita donata, & inhærẽs, an ipsum Christi meritum extrinsecus imputatũ.

DEINDE, in eo quoque fraudulẽter egit quod merito filij Dei opposuit, quasi è regione inchoatam renouationem nostram, inde inuidiam nobis apud suos concilians, quasi pluris faciamus renouationem nostram quantumuis imperfectam, & inchoatam, quàm ipsum perfectissimum, atque absolutissimum meritũ filij Dei.

Remotis igitur fraudibus, & ambiguitate verborum, Ad quæstionem (vt à Kemnitio proponitur) an videlicet iustificemur propter meritum filij Dei, an propter inchoatam renouationem nostram, RESPONDEMVS, si illud, *propter*, significet caussam formalem, nos iustificari propter nouitatem nobis inhærentem, non propter meritum

CAPVT II.

Proponitur sententia Ecclesiæ, & aperitur status quæstionis.

ECCLESIAE Catholicæ sententia de caussa formali Iustificationis, explicatur à Tridentina Synodo sessione 6. capite 7. his verbis: *Vnica formalis caussa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati, renouamur spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed verè iusti nominamur, & sumus.* Et paulò infrà: *Id in hac impy iustificatione fit, dum eiusdem sanctissima passionis merito, per Spiritum sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret. Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc simul infusa accipit homo per* IESVM CHRISTVM, *cui inseritur, fidem, spem & caritatem.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

stum Christi, quod inhærere non potest, Si verò significet causſam meritoriam, nos iustificari dicemus propter meritum filij Dei, nō propter nouitatē in nobis inhærētem. Si denique significet causſam incommuni, asseremus, iustificari hominem propter vtrumque, sed propter meritum filij Dei meritoriè, propter nouitatem in nobis inhærentem formaliter.

Sed non minori fraude Concilij Tridentini sententiam CALVINVS exposuit. Sic enim scripsit in antidoto ad sess. 6. *Causſam iustificationis Tridentini faciūt duplicē, ac si partim remissione peccatorum, partim spiritualē regeneratione iusti essemus. Vel vt aliis verbis exprimam, quod sentiunt, ac si partim imputatione, partim qualitate iustitia nostra constaret. Ego autem vnicam, & simplicē esse assero.* Sed hoc ipsum nos in illum maiori ratione regerere possumus, quippe qui libro 3. Institutionum, capite 11. §. 2. disertis verbis iustificationem in peccatorum remissione, & iustitiæ Christi imputatione sitam esse scripsit. Quid enim hoc aliud est, nisi causſam iustificationis duplicem facere? Concilium autem Tridentinum sess. 6. cap. 7. apertissimis verbis vnicam esse dixit formalem causſam iustificationis, iustitiam videlicet Dei, nobis infusam & inhærentem.

Quod si Concilium in eodem loco separatim meminit remissionis peccatorum, & infusionis gratiæ, id fecit, non vt significaret, duplicem esse causſam formalem iustificationis, sed vt indicaret, duos esse terminos eius motus, qui dicitur iustificatio, siue duos effectus eiusdem causſæ: nam (vt idem Concilium rectè definit) iustificatio est translatio hominis ab eo statu, in quo nascitur filius primi Adami in statum adoptionis filiorum Dei, iuxta illud Apostoli, ad Colossenses 1. *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.* Non potest autem hæc translatio fieri, nisi homo per remissionem peccati desinat esse impius, & per infusionem iustitiæ incipiat esse pius. Sed sicut aër cum illustratur à Sole, per idem lumen, quod recipit, desinit esse tenebrosus, & incipit esse lucidus: sic etiam homo per eandem iustitiam sibi à Sole iustitiæ donatam, atque infusam, desinit esse iniustus, delente videlicet lumine gratiæ tenebras peccatorum, & incipit esse iustus, succedēte nimirum tenebris peccatorum ipsa luce iustitiæ.

Quod autem Caluinus dicit ex sentētia Concilij, iustificari hominem partim imputatione, partim qualitate, mirum est vnde illi venerit in mentem, nisi fortè sentētiam Pighij legerit, & eam Catholicis omnibus communem esse censuerit. Certè Concilium non solùm cap. 7. vnicam tantum facit causſam formalem iustificationis, & eam in ipsius iustitiæ inhærentis infusione constituit, sed etiam canone 10. disertis verbis anathema dicit iis, qui sentiunt, nos per Christi iustitiam, iustos esse formaliter, quo canone, sententia Pighij sine dubitatione damnata est.

Quod autem can. 11. idem Concilium anathema dicit iis, qui docent, hominem iustificari aut sola imputatione iustitiæ Christi, aut sola remissione peccatorum. Damnantur eo canone duo quidam errores, alter Lutheranorum, Caluini alter, sed non significatur, Concilij sententiam esse, hominem iustificari quidem imputatione iustitiæ Christi, sed non sola: iam enim, vt diximus canone 10. absolutè fuerat definitum, non iustificari hominem formaliter per iustitiam, qua Christus ipse iustus est. Ac de statu quidem quæstionis satis est dictum.

CAPVT III.

Inhærentem esse iustitiam nostram formalem probatur ex Scripturis.

NVNC ad argumēta pro veritate veniamus. PRIMVM argumentum sumitur ex verbis illis Apostoli ad Rom. 5. *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum: multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes in vita regnabunt per vnum* IESVM CHRISTVM. *Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obedientiam iusti constituentur multi.*

Ex hoc loco habemus, iustificari per Christū, non esse haberi, aut pronunciari iustos, sed verè fieri atque cōstitui iustos, per adeptionem inhærentis iustitiæ, & iustitiæ non imperfectæ, sed absolutæ, & perfectæ. Nam iustificare hoc loco est iustum facere, non iustum pronunciare, perspicuum est: TVM ex illis verbis, Iusti constituentur multi, vbi declarat Apostolus ipse, quid sit iustificari ac dicit, esse iustum constitui, iustum autem constitui, & iustum fieri idem sunt: TVM ex antithesi Adami ad Christum, scribit enim Apostolus, sic nos constitui iustos per obedientiam Christi, quo modo constituti sumus iniusti per inobedientiam Adami: constat autem per inobedientiam Adami nos iniustos esse cōstitutos, iniustitia in nobis verè, ac re ipsa inhærente, non iniustitia Adami nobis imputata.

Esse autē iustitiam, quam per Christū adipiscimur, veram, absolutamque iustitiā, intelligi potest, TVM ex eo, quod Apostolus vocat eā abundantiam iustitiæ: TVM ex eo, quod idē Apostolus dicit, maius esse Dei donū, quàm Adæ peccatum. Inde enim sequitur, vt si peccatum Adæ veram in nobis, & absolutam iniustitiam posuit, vt omnium consensu posuit, certè Dei donum veram in nobis, absolutamque iustitiam ponat.

Sed occurrunt Caluinus & Kemnitius, & probare nituntur, Apostolum hoc loco per vocem, *iustificare*, nihil aliud significare voluisse, nisi iustū pronunciare. PRIMO, quoniā opposuit verbum, *iustificare*, verbo, *condemnare*, cùm ait, *iudicium ex vno in condemnationē, gratia ex multis in iustificationem.* Et rursus capite octauo: *Deus, qui iustificat, quis est, qui condemnet.* SECVNDO, quoniam Apostolus sine dubio phrasim Hebraicam imitatur, tametsi Græcè scribat: Hebraicè autē verbum, *iustificare*, forensem planè significationem habet. TERTIO, quoniā Latina vox, si proprietas inspiciatur, nihil significat aliud nisi iustum pronūciare. Quamuis enim à Patribus interdum iustificare, accipiatur pro eo, quod est iustum facere, tamen ea notio non inuenitur apud bonos linguæ Latinæ auctores. DENIQVE, Catholicos Kemnitius reprehendit, quod nimis hæreant in ipsa compositione vocabuli, quasi iustificare sit iustum facere, quia componitur ex nomine iustum, & verbo facere.

RESPONDEO ad PRIMVM, iustificatio rectè opponitur condemnationi, & tamen non ideo semper est forense vocabulum. Nam ipsa etiam condemnatio interdum est actus iudicis deputantis ad pœnam eum, qui in iudicio reus inuentus est interdum autem est effectus culpæ quæ pœnam commeruit. Siquidem & Adam nos condemnauit, & Deus. Sed Adam nos condemnauit nō iudicando, nec modo forensi, sed imprimendo culpam originalem: Deus autem iudicando damnauit. Ad eundem igitur modum & iustificatio nunc est actus iudicis, nunc effectus gratiæ: & ipse idem Christus primò,

primò, vt secundus Adam, nos iustificat delendo peccata, & gratiam infundendo, secundò, in die iudicij nos iustificabit, declarando iustos, quos ipse antea fecit iustos.

Præterea quamuis condemnatio, & iustificatio alicubi significent actionem iudicis, vt in illo loco citato, Iudicium ex vno in condemnationem, &c. tamen quando Deus iustificat impium, declarando iustum, facit etiam iustum: quoniam iudicium Dei secundum veritatem est. Itaque siue Christus per obedientiam suam, siue per iudicium suum nos iustificet, semper facit iustos. Et hoc modo locum istum intellexit S. Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, cap. 15. vbi dicit, in Christo iustificari, ex sententia Apostoli ad Rom. 5. non esse solùm imitatione Christi iustum fieri, sed etiam per eius gratiam regenerari: sicut in Adamo condemnari, non esse solùm imitatione Adami, sed carnali etiam generatione ad culpam trahi.

Ad SECVNDVM de voce Hebraica, DICO verbum צדק *ifedech* & הצדיק *hitzerich* propriè nihil esse aliud, nisi iustum facere: sed quia potest aliquis fieri iustus, tum intrinsecè per adeptionem iustitiæ, tum extrinsecè per declarationem, inde eamdem vocem ad varia significanda traduci. Porro non deesse loca in Scripturis, vbi vox illa significet iustum facere non more forensi declarando, sed verè efficiendo iustitiam, perspicuum est ex verbis illis Danielis capite duodecimo. *Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates.* Illud enim: *Qui ad iustitiam erudiunt*, in Hebræo est מצדיקי רבים *matsdeddi chim* id est, iustificantes, siue qui iustificicant. Et non potest hoc trahi ad iudices declarantes: significat enim Propheta magnam futuram esse gloriam Doctorum, qui multos ad iustitiam docendo perduxerint.

Neque multum prodest aduersarijs, quod aliqui eorum dicunt, Danielem loqui de ministris Euangelij, qui annunciant remissionem peccatorum per fidem Christi, quasi iustificare sit indulgentiam prædicare. Nam etiam hoc modo iustificare non erit forense vocabulum, quomodo Caluinus & Kemnitius, illud accipiunt. Non enim qui prædicat Euangelium, pronunciat homines esse iustos, more iudicis, sed aperit viam ad iustificationem, & eo modo causſa est, vt auditores iusti efficiantur ex impiis. Non enim dicit, ego vos omnes iustos esse pronuncio, sed ait, credite Euangelio, & iustificabimini: quemadmodum nullus iudex loquitur. Itaque certum est apud Danielem loco notato, verbum *iustificant*, non admittere forensem significationem.

Sed est alius locus adhuc illustrior apud Isaiam cap. 53. vbi de Christo sic loquitur Isaias: *In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit.* Vbi est verbū in hiphil יצדיק *iatzeddich* quod iustum facere significat. Conatur quidem Kemnitius hunc etiam locum detorquere ad significationem forensem, sed frustra. Quatuor enim vocabula manifestè repugnant eius interpretationi.

PRIMVM est, *in scientia sua*. Id enim significat, interprete sancto Hieronymo, Christum variis modis iustificasse homines, atque vnum ex eis modis fuisse doctrinam. Qui autem docendo iustificat, certè non iudicis more iustificat.

ALTERVM est, *ipse iustus*, qua voce significatur, Christum non solùm docendo, sed etiam iustè operando, ac nobis iustitiam suam impartiendo iustificare. Porro non requiritur ad iustificandū more forēsi, vt is iustus sit, qui alios iustificat, sed necessariò requiritur, vt is iustus sit, qui benè operando iustificare debet. Et ideò B. Paulus ad hunc locum alludens ait ad Rom. 3. *Vt sit ipse iustus, & iustificans.*

TERTIVM est, *seruus meus*. Sic enim legendum est, non seruos meos, vt habent aliqui codices vitio librariorum, in Hebræo enim est עבדי *habeddi* significat autem hæc vox, Christum seruisse Deo Patri in opere iustificationis, ac per hoc iustificasse homines non iudicando, sed ministrando, vt ipse dicit Mat. 20. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.* Vnde & ab Apostolo Rom. 15. vocatur minister circumcisionis ad confirmandas promissiones Patrum.

QVARTVM est, *iniquitates eorum portabit*. Hic enim significatur modus, quo Christus ministrando iustificat, vbi vox Hebræa יסבל *ichebbd* significat, gestare quasi in humeris. Itaq; docet Isaias, Christū nos iustificasse portando sarcinam peccatorum nostrorum in humeris suis, id est, luendo pœnam nobis debitam. Quo alludit sanctus Petrus in epistola 1. cap. 2. cùm ait: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus, cuius liuore sanati estis.* Vbi vides effectum satisfactionis Christi, esse iustitiam, & sanitatem nobis inhærētem. Non igitur in hoc Isaiæ testimonio, *iustificare*, accipitur more forensi: neque enim iudices ita iustificant, vt pro reis pœnas luant, eósque peccatis mori, & iustitiæ viuere, ac demum spiritualiter sanos esse faciant.

Est etiam alius locus in Scriptura, vbi *iustificare*, nullo modo potest accipi more forensi, nimirum Apocalypsis 22. *Qui iustus est, iustificetur adhuc, & qui sordidus est, sordescat adhuc.* Et tamen non ignorabat sanctus Ioannes Hæbraicas phrases.

Ad TERTIVM, de vsu Latinæ vocis apud bonos auctores, RESPONDEO, auctores linguæ Latinæ non habere hanc vocem in vlla significatione, & ideo non esse mirum, si non possimus ostendere in Terentio, vel Cicerone, *iustificare*, positum esse pro eo, quod est iustum facere. Nam nec ipse Kemnitius, aut Caluinus ostendet in iisdem auctoribus, *iustificare*, vlurpatum esse pro eo, quod est iustum pronunciare.

Deinde non esset etiam mirum, si profani auctores haberent hanc vocem solùm in vsu forensi, cùm ignorauerint iustificationem iudicis Dei. Deus enim cùm iustificat impium, pronunciat quidem illum iustum, quod & homines faciunt, sed absoluendo facit illum verè iustum ex impio, quod homines facere non possunt. Atque hinc est, quod apud homines, qui fatetur delictum, condemnatur, qui negat, iustificatur: contrà autem apud Deum, qui negat, condemnatur: qui fatetur, iustificatur. Nam cùm non possint homines eum, qui delictum fatetur, facere iustum ex reo, damnare debent, non iustificare, si nolint errare. Deus autem, cuius iudicium secundùm veritatem est, pronunciat iustum eum, qui se fatetur reum, sed pronunciando iustum (vt suprà diximus) facit re vera iustum. Proinde solus Deus non errat, cùm impios, iniustosque iustificat.

Quod mysterium non ignorantes sancti Patres, Latinæ etiam linguæ non imperiti, verbum, *iustificare*, passim vsurpant pro eo, quod est iustum facere: *Quis est*, inquit AVGVSTINVS in Psal. 30. concione 1. *qui iustificat impium? qui facit ex impio iustum.* Item lib. 2. de peccatorum meritis & remissione, cap. 33. *Gratia Dei iustificamur, hoc est, iusti efficimur.* Item libro de spiritu & litera, cap. 26. *Quid est aliud iustificati, quam iusti facti?* Epist. 105. *Iusti enim facti sunt, cum iustificati sunt.* Et epist. 106. *Antequam gratia iustificetur, id est, iustus efficiatur, impius quid est, nisi impius?* Et epistola 120. cap. 20. *Credens in eum qui iustificat impium, id est, ex impio facit pium.*

Quanta igitur importunitas nouatorum est, vt in quæstione Ecclesiastica repudient Patres, neque velint quiescere, nisi Ciceronem illis, vel Terentium iudicem proferamus. Et cùm Apostolus ipse tā apertè significauerit, iustificari esse iustū constitui, ac per hoc vocis cōpositionem, & notionē aperuerit, calumnietur Kemnitius adhuc, quod ex compositione vocis interpretationem nominis eruamus? sed de his satis multa dicta sunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ALTERVM testimonium pro iustitia inhærente sumitur ex cap. 3. ad Rom. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in* CHRISTO IESV, *quem proposuit propiciatorem per fidem in sanguine ipsius.* Hoc loco simul explicantur ferè omnes caussæ iustificationis: nam iustificamur à Deo gratis, id est, ex mera eius liberalitate, quantum ad nostra merita: nullo enim nostro opere meremur iustificari. At hæc Dei liberalitas est caussa efficiens. Iustificamur autem per gratiam ipsius, id est, per iustitiam ab illo donatã, & infusam: & hæc est caussa formalis. Iustificamur item per redemptionem, quæ est in CHRISTO IESV: & hæc est caussa meritoria. Denique iustificamur per fidem in sanguine propitiatoris: & hæc est caussa dispositiua.

RESPONDENT aduersarij, Caluinus, Kemnitius, & alij, per gratiam non significari donum aliquod infusum, & inhærens, sed ipsum Dei fauorem, & beneuolentiam, qua nos prosequitur, dum per Christi merita nos reconciliat, non imputans delicta nostra, sed imputans iustitiam, & obedientiam Christi.

At INPRIMIS fauor Dei satis explicatur per illam vocem, *gratis*, qui enim gratis iustificat certè ex beneuolentia, & liberalitate iustificat. Illa igitur additio, *per gratiam*, non ipsum fauorem, sed aliquid aliud, id est, effectum illius fauoris significabit.

DEINDE Præpositio, *per*, non rectè accommodatur fauori, & beneuolentiæ, sed caussæ formali, aut meritoriæ, aut instrumentali. Non enim rectè diceremus, Deus per suum fauorem, aut per suam beneuolentiam nos iustificat: rectè autem dicimus, per gratiam inhærentem, per meritum filij sui, per fidem, & Sacramenta iustificat.

AD HAEC beneuolentia Dei non potest esse inanis, sed omnino præstat, atque efficit id bonum, quod alicui vult. Omnia enim quæcunque voluit fecit: Psal. 113. & si vellet alicui bonum, & non faceret, non esset omnipotens, sed similis nobis infirmus. Cur enim multa volunt homines, quæ non faciunt, nisi quia multa volunt, quæ non possunt? cùm verò Deus nos diligit, ac benè vult, id sine dubio vult, vt simus verè iusti, & sancti coram ipso: *Elegit enim nos*, vt Apostolus loquitur ad Ephes. 1. *vt simus sancti, & immaculati in conspectu eius.* Et: *Hæc est voluntas Dei* (inquit idem Apostolus 1. Thessal. 4.) *sanctificatio vestra.* Igitur si gratia iustificans est fauor, & beneuolentia Dei, & Deus non solum extrinsecus fauet, neque inaniter bonum vult, sed facit Sanctos, & immaculatos, quales esse nos vult: certè sequitur, vt per gratiam iustificari, non sit iustos reputari, & non esse, sed re vera iustos, sanctos, atque immaculatos esse.

PRAETEREA gratiam iustificantem non esse solum fauorem Dei, sed donum in anima inhærens, intelligi potest ex variis attributis, & nominibus eius. Nam dicitur donum, quod accipimus, ad Rom. 5. *Accipientes abundantiam gratiæ, & donationis.* Item dicitur dari per Christum: *gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*, Ioannis 1. Non autem rectè dicitur facta per Christum beneuolentia Dei Patris. Item dicitur dari ad mensuram ab ipso Christo: *Vnicuique nostrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi*, ad Ephes. 4. At beneuolentia Dei non datur ad mensuram, neque à Christo. Item comparatur essentiæ, quæ datur per creationem. Inde enim dicimur *creari in Christo*, ad Eph. 2. Et esse *noua creatura*, ad Galat. 5. At id, per quod creaturæ dicimur, intimum, & inhærens est.

DENIQVE comparatur luci, secundæ ad Corinthios, sexto, *Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? quæ societas luci ad tenebras?* ad Ephes. quinto. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* 1. Ioannis 2. *Qui dicit, se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est.* At certè lux non facit corpus lucidum, nisi inhæreat, neque patitur secum tenebras. Quomodo igitur potest homo iustificatus, non tantùm lucidus dici, sed etiam lux in Domino, cùm antea tenebrosus esset, si adhuc tenebræ peccatorum in ipso inhærent, & gratiæ lux extrinsecus manet?

Præterea gratia, per quam iustificari nos dicit Apostolus, dicitur etiam *Charitas diffusa in cordibus per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*, ad Roman. quinto. Et quamuis aduersarij, Philippus, Caluinus, Petrus Martyr, & alij, contendant, Apostolum loqui de charitate, qua Deus nos diligit, hoc est, de fauore, & beneuolentia, quæ in ipso Deo est: tamen sanctus Augustinus, quem sibi anteponi, velint nolint aduersarij, pati debent, dissertis verbis contrarium docet. Sic enim loquitur in libro de Spiritu, & litera, cap. 32. *Charitas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos.* Ipse etiam Apostolus ad Roman. 8. de hoc ipso spiritu, nobis dato loquens: *Accepistis*, inquit, *spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.* At certè clamamus, Abba Pater, per charitatem, qua diligimus nos Deum, non qua diligit nos Deus. Et in eodem cap. per gratiam iustificantem viuere dicimur: *Corpus quidem*, inquit, *mortuum est propter peccatum, spiritus autem viuit propter iustificationem.* At non rectè dici possumus viuere per extrinsecum Dei fauorem: cùm nihil sit magis intimum, quàm vita.

TERTIVM testimonium est in epistola priore ad Corinth. cap. 6. vbi sic explicat Apostolus iustificationem: *Et hæc quidem* (peccatores videlicet) *fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri.* Quo loco, vt exponunt Chrysost. Ambrosius, Theophylactus, & alij, docet Apostolus, homines in Baptismo per inuocationem nominis Christi, & operationẽ Spiritus S. purgari, & sanctificari. Atq; hoc ipsum esse iustificari, ita vt iustificatio duo illa contineat, purgationẽ, siue ablutionem, & sanctificationem. Quod si iustificatio est ablutio, & sanctificatio: sequitur, vt iustificatio non sit sola peccatorum remissio sine interna sanctificatione. Item sequitur, vt iustificatio non sit imputatio iustitiæ, vel declaratio, more forensi. Nam imputatio, & declaratio nõ egent inuocatione nominis Christi, aut virtute Spiritus sancti. Apostolus autẽ dicit, Corinthios fuisse ablutos, sanctificatos, & iustificatos, in nomine Christi, & in virtute Spiritus sancti.

QVARTVM testimonium est in epistola ad Titum, cap. 3. *Cùm apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei non ex operibus, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ.* Ex verbis illis postremis: *Vt iustificati gratia ipsius, &c.* intelligimus, in verbis superioribus descriptam esse iustificationem, ita vt secundùm Apostoli sententiam, iustificatio sit regeneratio, & renouatio, Dei benignitate, per lauacrum Baptismi, & effusionem Spiritus sancti, in nobis facta.

Hanc autem regenerationem, & renouationem, quæ est ipsa iustificatio, formaliter fieri per donum aliquod inhærens, tribus argumentis probari potest: PRIMO, ex ipsa natura, & ratione regenerationis: neque enim intelligi potest, quemadmodum regeneretur aliquis, sine vlla sui mutatione, per solam Dei beneuolentiam, in ipso Deo existente: vel per solam extrinsecam iustitiæ alterius imputationem. Nam certè regeneratus, diligitur vt filius, cùm antea odio haberetur, vt inimicus, igitur mutatio aliqua facta est: non potuit autem in Deo fieri, igitur in homine facta est. Ac per hoc regeneratio aliquid in ipso homine ponit, ob quod filius Dei nominetur, & sit.

DEINDE, idem probatur ex caussis huius renouationis,

nis, quas hoc loco idem Apostolus numerat. Nominatur enim benignitas Dei, quæ est efficiens caussa: CHRISTVS, qui est caussa meritoria: lauacrum Baptismi, quod est caussa instrumẽtaria: effusio Spiritus, siue Spiritus effusus, qui est caussa formalis. Per effusionem autem Spiritus, siue spiritum effusum, nihil rectius intelligitur, quàm primarium eius donum, quod est charitas, quæ idcirco etiam dicitur diffundi in cordibus nostris.

DENIQVE idem probatur ex confessione aduersariorum: fatentur enim etiam ipsi, esse in nobis inhærentem aliquam renouationem per Spiritum sanctum, sed negant eam propriè esse iustitiam, aut per eam nos absolutè iustificari, & ideo confugiunt ad Christi iustitiam imputatam: At Apostolus hanc ipsam renouationem iustificationem appellat, vt ostendimus. Id enim significat illud: *Vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus, secundum spem vitæ æternæ.* Reddit enim caussam, cur nos Deus per lauacrum, & spiritum sanctum regenerauerit, ac renouauerit: & ait caussam fuisse, vt iustificati, id est, vt per eam regenerationem, & renouationem iustificati, hæredes regni, ac vitæ sempiternæ effici mereamur.

QVINTVM testimonium est, ad Hebræos vndecimo, vbi testatur Apostolus, aliquos homines fuisse verè, & absolutè iustos: nam de Abel scribit: *Testimonium consecutus est, esse iustus.* De Noë, *Iustitiæ, quæ per fidem est, hæres est constitutus.* Isti certè, & alij eorum similes, verè iusti erant, nec iusti imperfectè, & inchoatè, sed absolutè, & perfectè. Neque enim Scriptura iustos absolutè vocaret eos, qui absolutè iusti non essent. Quid? quod etiam perfectos, & immaculatos appellat? Nam Genesis sexto de Noë dicitur: *Noe vir iustus, atque perfectus fuit.* Et Dauid in Psal. 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.*

Porrò hæc eorum iustitia non erat iustitia Dei inhabitans, aut iustitia CHRISTI imputata, sed iustitia in illis inhærens, & propria. Nam Apostolus ostendere volens, vnde Abel iustitiæ testimonium consequutus esset, ait: *Testimonium perhibente Deo, muneribus eius.* Vbi videmus, probari iustitiam Abelis, ab effectu ipsius iustitiæ. Nam vt ait sanctus Ioannes in epistola prima, capite secundo: *Qui facit iustitiam, insitus est.* Itaque probat Apostolus, Abelem fuisse iustum, quia iusta opera faciebat, cùm Deo ritè sacrificaret. Iusti autem operis caussa, est iustitia inhærens, non imputatio iustitiæ, quæ cùm extrinseca sit, principium operis esse nõ potest. Sic etiam Noë fuisse iustum, probat ibidem Apostolus, quia credidit Deo, timuit iudicium Dei, obediuit mandatis Dei. Et in Genesi, cap. sexto, dicitur, fuisse iustus, quia ambulauit cum Deo. Quomodo etiam probat sanctus Lucas, capite primo, Zachariam, & Elisabetham fuisse iustos coram Deo, quia incedebant in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini.

SEXTVM testimonium est Apostoli ad Romanos octauo, & 1. ad Corinthios 15. vbi dicit iustos conformes esse imagini Christi, & portare imaginem Christi. *Quos*, inquit, *præscuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filii sui: vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Et sicut portauimus imaginem terreni, ita portemus & imaginẽ cœlestis.* Christus autem non est iustus per imputationem, neque per solam inhabitationem iustitiæ increatæ, sed iustus est verè, ac propriè, etiam vt homo, per creatam, & inhærentem sibi iustitiam, ex qua iustissima opera faciebat: igitur & nos si similes, si fratres, si imagines eius esse debemus, iustitiam veram, & inhærentem habere necesse est. Nam si re ipsa iniusti, & solum putatiuè iusti simus, magis diaboli, quàm Christi imaginem geremus. Rectius enim denominamur ab eo, quod sumus, quàm ab eo, quod esse putamur. PRAETEREA terreni hominis, id est, Adami, peccatoris, veram imaginem portauimus, quoniam peccatum in nobis non putatiuè, sed verè, & re ipsa inhærebat, igitur & Christi veram imaginem geremus, si iustitia nobis, non putatiuè, sed verè ac re ipsa inhæreat.

SEPTIMVM testimonium est in epistola ad Romanos, cap. 6. vbi Apostolus docet, nos per iustificationem, qua morimur peccato, & resurgimus iustitiæ, repræsentare Christi mortem, & resurrectionem. Et inter alia dicit: *Qui mortuus est, iustificatus est à peccato.* Quod etiam significauit Apostolus Petrus in priore epistola, capite 4. cùm ait: *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini. Quia qui passus est in carne, desiit a peccatis.* At Christus non putatiuè, sed verè mortuus est, & verè resurrexit. Igitur & nos non putatiuè, sed verè morimur peccato, & resurgimus ad iustitiam, cùm per Baptismum iustificamur.

OCTAVVM testimonium est in epistola ad Romanos, cap. 8. vbi Apostolus scribit: *Nos iam per Christum accepisse spiritum adoptionis filiorum Dei, quoad animam, quæ viuit* (vt ibidem dicitur) *propter iustificationem, quamuis corpus mortuum sit* (id est, adhuc mortale sit) *propter peccatum.* Sed paulò post addit: *Nos iam primitias spiritus habentes, intra nos gemere, expectantes adoptionem filiorum Dei, redemptionem corporis nostri. Nam*, vt idem ait ad Philippenses tertio: *Saluatorem expectamus, qui reformabit corpus, humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Atqui adoptio filiorum, quam expectamus in redẽptione corporis, verissima erit, & inhærens in ipso corpore, id est, immortalitas, & impassibilitas, non putatiua, sed vera. Igitur adoptio, quam nunc habemus in Spiritu per iustificationem, vera etiam esse debet nõ putatiua. Alioqui, sicut expectamus redemptionem corporis, ita quoque expectaremus redemptionem animæ.

CAPVT IV.

Fidem nõ esse integram formalẽ caussam iustificationis.

HACTENVS cõmunibus argumentis probatum est, caussam formalem iustificationis nostræ esse iustitiam inhærentem: ex qua sententia refelluntur quinq; illi errores, quos suprà notauimus, nunc seorsim singulos paucis refellemus.

PRIMVS igitur error fuit, caussam formalem iustificationis nostrę solam esse fidem. Id enim Lutherus disertis verbis posuit in commentario ad secundum caput epistolæ ad Galatas, & Philippus in ipsa Confessione Augustana, articulo quarto, & quãquam Lutherani omnes, tum rigidi, tum molles, ab hoc errore iam recessisse videntur, vt suprà notauimus ex colloquio Altemburgensi: nihil tamen oberit, si hunc ipsum errorem breuiter confutemus,

PRIMVM, in ipsa epistola ad Galatas, capite quinto, Apostolus, cùm dixisset: *Nos autem spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus*: subiunxit continuo: *Nam in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur.* Vbi verba illa, *Ex fide spem iustitiæ expectamus*, duobus modis intelligi possunt, VNO modo, vt sensus sit, ex fide speramus vitam æternam, quæ est merces iustitiæ. Sæpè enim Apostolus ponit spem pro ea re, quæ speratur, vt ad Titum tertio: *Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei.* Itaque spes iustitię erit id, quod iustitia sperat, id est, quod iustitiæ debetur, videlicet, præmium vitæ beatæ. ALTERO modo, vt sensus sit, ex fide spem iustitiæ expectamus, id est, ex fide speramus, nos posse iustificari. Vtrumque sensum attigit sanctus Augustinus in libro de spiritu, & litera, capite trigesimo secundo. Sed hic posterior simplicior, & magis congruens cum præcedentibus verbis esse videtur: & tamen vterque in idem recidit: cùm ex vtroque id manifestè colligatur, ex fide, non ex lege, aut operibus, antè fi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem factis, hominem iustificari.

A Ne daretur occasio errandi, explicuit idem Apostolus, quæ fides sit illa, quæ iustificat, cùm ait: *Nam in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium.* id est, neque lex circumcisis data, neq; opera gentilium, in præputio facta, iustificant, *sed fides:* non quæcunque autem fides, sed *quæ per dilectionem operatur*, id est, fides, quæ agitur ac mouetur, formatur, & quasi animatur per dilectionem. Quod si charitas est forma fidei, & fides non iustificat formaliter, nisi ab ipsa charitate formata, certè multò magis charitas ipsa iustificat.

Huc etiam pertinent illa testimonia, quæ indicant, vel solam fidem non sufficere, vt 1. ad Cor. 3. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Et Iacobi 2. *Fides sine operibus mortua est.* Et illa, quæ docent necessariam esse charitatem, vt B 1. Ioan. 3. *Qui non diligit, manet in morte. Et nos scimus, quia translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.*

Deinde, potest hoc idem probari ex Patribus, qui docent, fide tantùm inchoari iustitiam, perfici verò per dilectionem, quos citauimus libro superiore, capite decimo septimo, quibus addi possunt, duo testimonia sancti Avgvstini, Vnvm ex libro de spiritu, & litera, capite vigesimo nono, vbi dicit, fide impetrari iustificationem: *Iustitiam*, inquit, *qua ex fide est, impetrando ex Deo, non ex semetipsis præsumendo.* Et infrà: *Opus, quod qui fecerit, viuet in eo, non fit nisi à iustificato. Iustificatio autem ex fide impetratur.* Et sermone decimo quinto, de verbis Apostoli: *Iustitia sit, sed ex gratia sit, à Deo tibi sit, non tua sit.* Et mox de eadem: *Geme, vt impetres, plora vt impetres, crede vt impetres. Qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit, iu-* C *stus erit.* Quod si fides impetrat iustificationem, certè non formaliter sola ipsa iustificat: Nam si formaliter ipsa sola iustificaret, esset homo formaliter iustus, antequam iustificationem impetraret, cùm fidem habeat ante impetrationem iustitiæ, atque ita esset iustus antequam esset iustus. Alterum testimonium est in libro de natura, & gratia, cap. vltimo, vbi iustitiam S. Avgvstinvs in ipsa charitate constituit: *Charitas*, inquit, *inchoata, inchoata iustitia est, charitas prouecta, prouecta iustitia est, charitas magna, magna iustitia est, charitas perfecta, perfecta iustitia est.*

Tertio, probatur ratione, ducta ex natura ipsius fidei, & iustitiæ. Nam iustitia res est, adeò bona, vt cum nullo alio bono pugnet, & ideò adiunctione aliorum bonorum non minuatur, nec desinat esse, sed perficiatur D semper, & crescat, vt perspicuum est ex eo, quod inuenitur in beatis, in Christo, & in ipso Deo: At fides repugnat beatitudini, neque in Deo, aut in Christo, vnquam fuit, neque in Angelis, & hominibus manet, cùm beati esse incipiunt: non igitur fides est ipsa formalis iustitia, nisi inchoata, & imperfecta.

Præterita iustitia facit nos Christo similes, & per eam gerimus Christi imaginem, vt supra probatum est ex capite octauo ad Romanos, & capite decimo quinto prioris ad Corinthios. At fides non facit nos Christo similes, sed potius aliquo modo dissimiles, cùm in Christo fides non fuerit, quippè qui faciem Patris semper viderit. Adhæc iustitia virtus est, per quam lex diuina completur: at plenitudo legis non est fides, sed charitas, E Apostolo teste, ad Romanos decimo tertio.

Denique, iustitia non potest esse informis, & mortua, cùm ipsa sit animæ vita, nec possit fieri, vt quis eodem tempore sit peccator, & iustus, hoc est, mortuus secundùm Spiritum, & secundùm spiritum viuus: at fides informis, & mortua esse potest, vt libro superiore probauimus ex Apostolo Paul. 1. ad Cor. 13. & Apostolo Iacobo capit. 2. non igitur sola fides est nostra integra, formalisque iustitia.

Sed occurrendum est Lvthero, & Calvino, qui

A freti testimonio Prophetæ Habacuch: *Iustus ex fide viuit*, miris modis exagitant distinctionem fidei, in fidem formatam, & informem. Et Lutherus quidem in com. ad c. 3. ad Gal. eam distinctionem Satanicam, & pestilentem vocat: Caluinus in lib. 3. Instit. c. 2. §. 8. nugatoriam, putidam, & insulsam nominat. Et quoniam ipse quoque fatetur, quâdam fidem, videlicet historicam, separa tam esse posse à charitate, & non iustificare. Ne cogatur fidem informem admittere, dicit, duas esse formas fidei, quarum vna iustificat, altera non iustificat. At Caluini distinctio in duas formas fidei, ad verborum nouitates relegari debet. Nusquam enim Scriptura, vel traditio Ecclesiastica duas istas formas sed vnam fidem vbique prædicat.

Distinctio verò vnius fidei in formatam, & informem ab Apostolis Christi Paulo, & Iacobo manifestissimè B traditur. Nam quid, quæso, interest, si dicamus fidem viuam, & mortuam: vel formatam, & informem? Certè enim res viua, per aliquam formam viuit, & res mortua, propter absentiam alicuius formæ mortua est. Fidem autem viuam, & mortuam Iacobus appellat in epistola sua, c. 2. Sed Apostolus Paulus non solùm docet, fidem charitate formari, sed etiam explicat, dilectionem formã esse extrinsecam fidei, non intrinsecam, & quæ det illi, non vt sit, sed vt moueatur: ac per hoc fides sine dilectione non desinat esse fides, sed desinat esse res actuosa, & operans. Sic enim Apostolus ait ad Gal. 5. *Fides per dilectionem operatur.* Vbi illud (*operatur*) passiuè accipiẽdum est, non actiuè. Est enim in Græco ἐνεργουμένη, id est, mota, atq; acta.

Itaque sensus Apostoli est, fidem à charitate agi, & moueri, quo modo à spiritu mouetur, & agitur corpus. C Ac per hoc dilectionem non esse signum viuẽtis fidei, vt aduersarij dicere solẽt, sed etiam ipsam vitam fidei, & fidem sine dilectione similem esse corpori, sine spiritu, vt rectissimè scribit Iacobus. Rectè igitur Catholici dicũt, fidem sine charitate esse informem, & cum charitate formatam. Et non rectè Caluinus duas facit fidei formas: nam cùm duæ sunt formæ, nunquam potest vna fieri altera: fides autem informis, formata fieri potest, & quæ formata est, reddi potest rursus informis.

Piget autem multis refellere ineptias, & nugas Lvthери. Colligit enim, si charitas sit forma fidei sequi, vt charitas sit præstantior fide, & in ea sita sit summa Christianæ religionis: & inde obscuretur Christvs, eiusque beneficium: & omissa fide incipiant homines niti dilectione, & moralibus operibus: quærit etiam, an Spiritus sanctus nõ potuerit, si veritas id postulasset, per Prophetam dicere, Iustus ex fide formata viuit: Denique addit, charitatem ad legem pertinere, fidem autem non esse ex lege, proinde neque esse ex charitate, ac per hoc nullo modo charitate formari.

Respondeamvs totidem ferè verbis, Charitatem præferri fidei libenter admittimus, neque id absurdum videri potest, nisi hæretico, qualis fuit Lutherus, qui Apostolo repugnare non vereatur. Quid enim clariùs dici potuit, quàm quod ait Apostolus 1. ad Cor. 13. *Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem horum est charitas?* In eadem charitate sitam esse summã Christianæ religionis, nunquam Lutherus negãsset, si Christum audire voluisset in Euangelio suo dicentem: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem.* Et: *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem*, Ioannis 13. & Apostolum exhortantem: *Super omnia hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*, ad Colosss. 3. & sanctum Augustinum, qui tractat. 83. in Ioannem breuissimè demonstrat, summam Christianæ religionis redigi ad charitatem, non ad fidem, quoniam qui diligit, necessariò etiam credit, & sperat. Non autem omnis qui credit, continuò etiam sperat, & diligit.

Obscurari autem Christum, & eius beneficia, si charitas ita magni fiat, vt fidei forma esse dicatur, tam est con

consequens, quàm Solem contemni ab iis, qui eius lucè A cupide fruuntur. Quid enim est charitas, nisi summum Christi beneficium? *Charitas enim diffunditur in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Hoc autem donum, nonne Christus ipse ad Patris dexteram exaltatus effudit, vt Apostolus Petrus ait Actorum secundo? Neque periculum est, ne fidem negligant, aut in operibus moralibus per solas vires liberi arbitrij factis, spem ponant, qui charitatem imprimis prædicant. Sciunt enim charitatem sine fide in hac vita esse non posse: & charitatem laudant, non quæ ex lege, aut ex viribus liberi arbitrij, sed quæ ex Deo, & eius gratia possidetur.

Porrò non deerant verba Spiritui sancto, quibus per Prophetam suum illud efferret, Iustus ex fide formata, aut etiam ex charitate viuit, sed maluit dicere, ex fide viuit, vel quia non loquebatur de vita iustitiæ, sed vita spei, B quæ iustum patienter expectare facit: vel quia commendare voluit id, vnde initium ducit vita iustorum. Sed sicut per Prophetam Spiritus sanctus vitam iustorum tribuit fidei, quoniam inde inchoatur: sic per Apostolum eandem vitam tribuit charitati, quoniam inde perficitur: *Translati sumus* (inquit Ioannes in epistola prima, cap. 3.) *de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Et: *Qui non diligit, manet in morte.*

Quis autem ferat charitatis donum, quod est ipse nucleus (vt sic loquar) Euangelij, transferri ad legem, & opponi fideiſi charitas ad legem pertinet, quia lex charitatem præcipit: cur non etiam fides relegatur ad legem, cùm tam multa sint in lege de fide præcepta? *De fide* (inquit sanctus Avgvstinvs tract. 85. in Io.) *quam multa mandata sunt? quis potest cuncta colligere? quis enumerando* C *sufficere?* Eat igitur Lutherus, & fidem cum charitate ab Euangelio separet: & legem scriptam in cordibus, dicat non esse Testamentum Nouum, vt Hieremias prædixit c. 31. sed Testamẽtum vetus, & omnia more suo inuertat, atque confundat. Itaq; præceptum charitatis, vt etiam fidei ad legem pertinet, Spiritus autem charitatis, & fidei ad Euangelium. Sed de discrimine legis, & Euangelij plura dicemus, cùm controuersiam de iustitia operum, & legis obseruatione tractabimus.

CAPVT V.

Formalem causam iustificationis non esse iustitiam Dei essentialem, ac diuinam.

Secvndvs error Osiandri est, qui D iustificari hominem dixit per illam ipsam iustitiam, qua Christus non vt homo, sed vt Deus essentialiter iustus est. Refellitur hic error ab Apostolo ad Roma. 4. vbi ex proposito de iustificatione disseritur: & apertissimè demonstratur, iustitiam, per quam iustificamur, esse fidem, viuam videlicet, & per dilectionem operantem: illam enim fidem Deus pro iustitia habet: & quia Deus non fallitur: eadem fides verè iustitia est, & iustitia fidei nominatur. *Credenti*, inquit, *in eũ, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam.* Et infra: *Dicimus, quia reputata est Abrahæ fides ad iustitiã.* Et infra: *Signum accepit circumcisionis signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio, vt sit pater omnium credentium per præputiũ, vt reputetur & illis ad iustitiam.* Et similia habentur ad Gal. 3. *Nos fide spem iusti-* E *tiæ expectamus: nam in Christo Iesu neq; circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur.* Quod si fides per dilectionem operans, est illa iustitia, per quam iustificamur, certè non iustificamur per iustitiam Dei essentialem, nisi quis ita desipiat, vt fidem nostram iustitiam Dei essentialem esse deliniat.

Secvndo, refellitur ex Avgvstino, qui sæpissimè repetit, & inculcat, nos iustificari iustitia Dei, non qua ille iustus est, sed qua nos iustos facit. Libro de spiritu, & litera, capite nono: *Sicut*, inquit, *fides Christi dicta est, non qua credit Christus, sic iustitia Dei, non qua iustus est Deus.* Et paulò antè: *Iustitia Dei, non qua Deus iustus est, sed qua induit hominem, dum iustificat impium.* Et capite trigesimo primo dicit, Iustitiam, qua iustificamur, dici iustitiam Dei, qua in eum credimus, & salus Dei, qua saluamur. Et in epistola 120. cap. trigesimo: *Ignorantes*, inquit, *Dei iustitiam, qua nos eius gratia iusti sumus, vt ipsa Dei iustitia nos simus, cum iuste viuimus, credentes in eum, qui iustificat impium, non illa, qua ipse iustus est æterna sua, & incommutabili iustitia.* Et libro tertio contra duas epistolas Pelagianorum, capite septimo: *Non propterea*, inquit, *iustitia Dei dicitur, quoniam Deus iustus est, sed quia homini ex Deo.* Similia repetit in lib. de gratia & libero arbitrio, cap. 12. & alibi sæpè.

Tertio, refellitur rationibus variis. Prima ratio, Iustificatio præcedit inhabitationem Dei, non igitur homo iustificatur per iustitiam essentialem inhabitantem. Iustificationem præcedere testatur Scriptura, Sapientiæ primo, vbi dicitur: *Spiritus sanctus non habitare in corpore subdito peccatis.* Testatur item Avgvst. in epist. 105. ad Sixtum: *Post remissionem*, inquit, *peccatorum nisi mundatam domum habitet Spiritus sanctus, nonne cum aliis septem redit spiritus immundus. Vt autem inhabitet Spiritus sanctus, nonne vbi vult spirat, & charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, non à nobis, sed à Spiritu sancto, qui datus est nobis?* Hic videmus, prius remitti peccata, & mundari domũ, & ornari etiã charitate, vt in illa Spiritus sanctus habitare dignetur.

Neque his repugnat, quod Spiritus S. prius dari videtur, quàm charitas diffundi, cùm ipse sit, qui eam diffundit, & peccata remittit. Nam, vt idem Avgvstinvs ait sermone vndecimo, de verbis Domini: *A quo mundamur, accipiendo indulgentiam, ipsam accipimus habitatorem ad faciendam, augendam, perficiendamq; iustitiam.* Et in epistola 105. *Aliter adiuuas Spiritus nondum inhabitans, aliter inhabitans: adiuuat enim, vt efficiamur fideles, cum non inhabitat: cum verò inhabitat, adiuuat iam fideles. Itaque purgat, & iustificat, vt purgatos, & iustificatos inhabitet.* Et hoc idem aperte Scriptura demonstrat, cùm dicit ad Ephes. 4. Christum habitare per fidem in cordibus nostris. Et 1. Io. 4. eum, qui manet in charitate, in Deo manere, & Deum in eo. Quia nimirum non habitat Deus in nobis, nisi fides, charitasque præcedant. Inhabitatio igitur Dei non facit iustos, vt Osiander existimat, sed iam iustificatos Deus inhabitans adiuuat (vt loquitur Augustinus) ad faciendam, augendam, perficiendamque iustitiam.

Secvnda ratio, si essemus iusti, iustitia Dei essentialis nos inhabitante, essemus omnes æquè iusti atque ipse Christus. Nam ipse quoque non aliter iustus esse posset, nisi per iustitiam Dei essentialem; si Deus nullam iustitiam acceptat, nisi suã essentialem, vt Osiander somniat. At Scriptura Io. 1. disertis verbis testatur, nos omnes de plenitudine Christi accepisse: & ad Eph. 4. Vnicuiq; nostrum dari gratiam secundùm mensuram donationis Christi, non igitur iusti sumus iustitia illa essentiali, sed iustitia creata, quæ maior, & minor esse, & sub certam mensuram cadere potest.

Tertia ratio, Scriptura docet, aliquos homines verè esse iustos, vt Noë, Gen. 6. Zachariã, Luc. primo, Abel, & multos alios, ad Hebræos vndecimo. At non potest homo verè denominari à forma extrinsecus inhabitante, sed solùm ab inhærente, alioqui enim, si satis est iustitia inhabitans, vt verè iusti esse dicamur, cur non dicimur etiam immortales, æterni, beati, omnipotentes, cùm immortalitas Dei, æternitas, beatitudo, omnipotentia, & alia omnia eius attributa nos inhabitent? & cur non dicuntur omnes homines iusti, immò & omnes lapides, omnia ligna, omnia sydera, cur non rectè iusta dicentur, si inhabitatio Dei denominationem illam tribuere

Universidad de Deusto
Biblioteca

poterit? Quamuis enim non inhabitet Deus omnia per fidem, & charitatem, tamen per potentiam, essentiam, & præsentiam omnia prorsus inhabitat. Ofiander autem non facit nos iustos, quoniam per fidem, & charitatem inhabitamur, sed quoniam à iustitia essentiali simpliciter inhabitamur.

QVARTA ratio, si nullam iustitiam Deus acceptat, nisi suam essentialem, ac propterea per illam nos inhabitat, vt iustos efficiat: Certè sequitur, vt Christi iustitiam, qua is pro nobis Patri satisfacere patiendo, & moriendo voluit, Deus non acceptet. Illa enim Christi iustitia, iustitia fuit creata, non diuina, & essentialis. Quod si Christi iustitia Patri non satisfecit, quorsum ille carnem suscepit? quorsum tanta pati voluit? quorsum humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortē, mortem autem crucis? nūquid vt tantis sumptibus nihil redimeret? B

At longè aliud nos docent Isaias, & Paulus. Ille enim cap. 53. scribit de Christo: *Iustificabit ipse iustus seruus meus multos.* Et iste ad Rom. 3. & 5. *Reconciliatos*, nos dicit, *Patri in sanguine filij sui.* Quid Apostolus Ioannes? an non affirmat in epistola prima, cap. 1. sanguinem Christi mundare nos ab omni peccato? Et capite secundo, Christum propitiationem esse pro peccatis totius mundi? DENIQVE, nihil frequentius omnis Scriptura testatur, quàm Christi passionem, & mortem, plenam, atque perfectam satisfactionem fuisse pro peccatis. Quare Ofiandri sententia recipi non potest, nisi quis velit totum mysterium humanæ redemptionis, & reconciliationis euertere.

Neque argumenta, quibus ille nititur, aliquid soliditatis habent, præcipua sunt. Quoniam beatus Petrus in epist. 2. cap. 1. scribit, nos effici diuinæ consortes naturæ. C Et quia Deus non acceptat vllam iustitiam, nisi suam. Sed Apostolus Petrus non dicit, nos effici diuinæ consortes naturæ per inhabitationem iustitiæ essentialis. Hæc enim est glossa Ofiandri, non sententia B. Petri.

Quomodo autem efficiamur diuinæ consortes naturæ, indicat ipse idem, cùm ait: *Vt per hæc efficiamur, &c.* Illud autem, *hæc*, refert sententiam præcedētem, *Per quem nobis maxima, & preciosa promissa donauit.* Vbi nomine promissorum intelligūtur res promissæ, non ipsæ promissiones, non enim donantur promissiones propriè loquendo, sed dona, quæ fuerant promissa. Itaque donauit nobis Deus per Christi merita res maximas, & preciosas, quas antè promiserat, & per hæc dona facti sumus diuinę consortes naturę. Quoniam per hæc dona efficimur filij Dei, & cohæredes Christi, & hoc modo participamus natu- D ram Dei, quomodo filij participāt naturam Patris: Vnde est illud: *Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes.* Vbi dicūtur Dij, id est, diuinæ consortes naturæ, qui filij sunt Dei. Quæ sint autē dona, quæ nos filios Dei faciant, explicat Apostolus Io. in epist. 1. c. 3. cùm ait: *Videte qualem charitatem dederit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus.* Et c. 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Et ibidē: *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et ipse B. Petrus ideò, posteaquam dixerat: *Vt diuinæ efficiamini consortes naturæ*, adiunxit, *fugientes eam, quæ in mundo est, concupiscentia corruptionem.* Nam cupiditati opponitur charitas, & qui per charitatis donum efficitur diuinæ consors naturæ, hoc ipso fugit eam, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem.

Fuit autem hoc donum promissum nobis â Deo, PRI- E MVM per Prophetam Hieremiam, cap. 31. *Dabo legem meam in cordibus eorum.* Et Ezech. c. 36. *Dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis.* DEINDE per ipsum Christum sæpissimè Io. 14. & Act. 1. & alibi. Et de eodem dono promisso, & dato, loquitur Apostolus ad Rom. 8. *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.*

Quod verò attinet ad argumentum illud de acceptatione iustitiæ: vel acceptare iustitiam, est acceptare satisfactionem pro peccato: vel est approbare iustitiam alicuius, tanquam veram, & solidam, non simulatam, & apparentem. PRIORE modo non acceptat quidem Deus in veram satisfactionem pro peccato nisi iustitiam infinitam: quoniam peccatum offensa est infinita: sed vt aliqua iustitia sit infinita, id est, infiniti pretij, & valoris, non est necesse, vt sit iustitia Dei essentialis, sed satis est, vt sit iustitia personæ infinitæ, qualis est Christus, Deus & homo. Itaque obedientia, passio, & mors filij Dei, quamuis in se, & essentialiter fuerit creata, & finita, tamen ratione personæ obedientis, patientis, & morientis infinita fuit, & ex vero iustitię rigore propitiatio fuit pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. POSTERIORE modo acceptat Deus non solùm iustitiam infinitam, sed etiam finitam, modò vera sit iustitia, non fucata.

Id autem ita esse, perspicuum est ex ipsius Dei testimonio. Nam ad Noë dicit Deus Gen. 7. *Te vidi iustum coram me in generatione hac.* Et de Abel scribit Apostolus ad Hebræos vndecimo: *Testimonium consequutus est, esse iustus, testimonium perhibente Deo operibus eius.* Et certè si non acceptaret Deus iustitiam, nisi suam essentialem, non verè diceret Apostolus Paul. 2. ad Tim. vltimo: *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus iudex, non solum autem mihi, sed etiam iis, qui diligunt aduentum eius.*

Itaque viderit Ofiander, in qua Scriptura repererit, à Deo non acceptari iustitiam, nisi suam diuinam, & essentialem. Nos enim contrariam sententiam in omnibus diuinis libris prædicari existimamus.

CAPVT VI.

Iustificationem nostram non constare sola remissione peccatorum.

HERTIVS error CALVINI erat, qui, quāuis cum Lutheranis agnoscat imputationem iustitię CHRISTI, & non imputationem peccatorum, & inchoatam etiā renouationem, & sanctificationem: tamen contendit, vt suprà ostendimus, iustificationem propriè in sola remissione, id est, non imputatione peccatorum positam esse: cùm Lutherani in imputatione potius iustitiæ Christi eam propriè sitam esse contendant.

Refutauimus hunc errorem suprà capite tertio, & refutabimus copiosius in libro de iustitia operum. Id enim potissimùm Caluinus efficere conatur, vt nulla sit iustitia operum in hac vita. Nunc igitur id solùm ex Scriptura, ex Augustino, & ex ratione probabimus. Iustificationem non consistere in sola remissione peccatorum, sed etiam in interna renouatione, ita vt ipsa renouatio iustitia dicenda sit, & non tantùm iustificationis effectus.

PRIMVM igitur Apostolus Paulus ad Rom. quarto, ita loquitur de Christo: *Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Hic Apostolus nomen iustificationis tribuit potius renouationi internæ, quàm remissioni peccatorum, ac per hoc docet iustificationem non modò non constare sola remissione peccatorum, sed neq; præcipuè ea constare. Neq; enim dubitari potest, quin Apostolus velit mortē Christi fuisse exēplar mortis peccatorū, id est, remissionis, & deletionis peccatorum nostrorum: resurrectionē autem exemplar renouationis, & regenerationis internę, per quam in nouitate vitæ ambulamus. Id enim explicat multis verbis in c. 6. vbi etiam docet, Baptismi ceremoniam, qua mergimur in aquam, & emergimus ex aqua repræsentare Christi mortem, & resurrectionem, & simul mortificationem vitiorum, & nouitatem vitæ.

Cùm igitur Apostolus dicit, Christum traditū esse ad mortem, propter delicta nostra, videlicet remittenda, & resur

resurrexisse propter iustificationem nostram, id est, vt in A vitæ nouitate ambulemus, apertissimè demonstrat in ipsa renouatione iustificationem esse positam: alioqui dicere debuisset: Qui traditus est propter iustificationem à peccatis, & resurrexit propter vitæ nouitatem.

Est autem hoc loco breuiter ANNOTANDVM, mortem Christi, quæ precium fuit redemptionis, non solùm caussam fuisse remissionis peccatorum, sed etiam internæ renouationis. Nam secundùm Ecclesiæ Catholicæ doctrinam hæc duo separari nequeunt, cùm vna, & eadem gratia per Christi meritum nobis infusa, atque in nobis inhærens, & peccata deleat, & animam iustitia exornet.

Sed quamuis hoc ita sit, tamen ad iustificationem nostram non satis erat mors Christi, sed necessaria erat etiam resurrectio. Deus enim ita constituerat, vt PRIB MVM Christus ipse glorificaretur, DEINDE, mitteretur Spiritus sanctus, Euangelium prædicaretur, gentes conuerterentur, & per fidem, & Sacramenta iustificarentur: *Nondum erat* (inquit Ioannes in Euangelio capite septimo) *Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Et Apostolus 1. ad Corinthios decimo quinto: *Si Christus non resurrexit, inanis est fides vestra, adhuc estis in peccatis vestris.* Itaque cùm tam mors, quàm resurrectio ad iustificationem necessaria esset, potuisset beatus Paulus vtramque partem iustificationis, id est, remissionem peccati, & donum renouationis tribuere morti Christi, vel resurrectioni, sed maluit distinguere, & morti quidem tribuere remissionem peccati, resurrectioni autem renouationem propter similitudinem, quam habet extinctio peccati cum morte carnis, & renouatio spiritualis, cum re- C surrectione corporali.

SECVNDO, probatur idem ex capite quinto ad Romanos. Nam cum Apostolus ait ad Romanos quinto: *Sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam.* Opponit iustitiam peccato, & per iustitiam intelligit internam renouationem, ex qua procedunt opera vitæ. Id enim requirit antithesis. Peccatum enim regnásse dicitur in mortem, quia operabatur opera mortifera: contrà igitur, gratia Dei regnare dicetur per iustitiam in vitam, quia per iustitiam infusam operabitur opera vitæ. Quod si renouatio interna, quæ est principium operum bonorum, rectè vocatur iustitia, proculdubio iustificatio in illa renouatione, & non in sola peccatorum remissione constituenda erit.

RVRSVS idem probatur ex cap. 6. ad Rom. vbi Apo- D stolus dicit: *Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ Deo.* Docet. n. in nobis esse iustitiam loco peccati, & per iustitiam intelligit aliquid inhærens, vnde procedunt opera. Nam ideo dicit, nos esse ex mortuis viuentes, & membra nostra esse debere arma iustitiæ Dei, vt videlicet membris vtamur ad opera iustitiæ faciendæ ad gloriam Dei.

QVARTO, idem probatur ex cap. 8. ad Rom. vbi præter alia dicit Apostolus: *Spiritus viuit propter iustificationem.* Vel (vt habent Græca) *Spiritus vita* (videlicet est) *propter iustitiam.* Iustificatio enim, siue iustitia, quæ facit viuere, & per hoc operari, non potest esse sola remissio peccati, sed aliquid internum, & inhærens. E

QVINTO, idem probatur ex c. 3. ad Galat. 3. vbi cùm Apostolus dicit: *Si data esset lex, quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia.* Apertè demonstrat, iustitiam, vnde dicitur iustificatio, esse aliquid, quod vitam animæ præbet, eámque in motu, & actione constituit.

SEXTO, idem patet ex illo ad Eph. 4. *Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis.* Vbi renouari in Spiritu explicat Apostolus per induere nouum hominem: nouum autem hominem appellat, creatum in iustitia, & sanctitate veritatis. Proinde renouationem, iustitiam, & sanctitatem vocat.

Quod autem ex Scripturis probauimus, longè adhuc facilius ex testimonio S. Aug. probari potest. Nā in epist. 105. ad Sixtum, vltra medium: *Nec quisquam*, inquit, *liberatur, & iustificatur, nisi gratiā Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, non solum remissione peccatorum: sed prius ipsius inspiratione fidei, & timoris Dei impartito salubriter orationis affectu, & effectu.* Item in Enc. c. 52. *Quemadmodum*, inquit, *in illo vera mors facta est sic in nobis vera remissio peccatorum: & quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera iustificatio.* Vbi S. Aug. Apostolum sequutus, iustificationis nomen tribuere maluit internæ renouationi, quàm remissioni peccatorum.

Item lib. 1. de pec. merit. & remiss. c. 13. *Quid est*, inquit, B *quod abundantiam gratiæ, & iustitiæ accipiunt, nisi quod non ei tantum peccato, in quo omnes peccauerunt, sed eis etiam, quæ addiderunt, gratia remissionis datur: eisq; hominib. tanta iustitia donatur, vt cùm Adam consenserit ad peccatum suadenti, non cedant isti etiam cogenti.* Annon apertissimè hoc loco S. Aug. præter remissionem peccatorū, ponit in homine iustitiam, per quam diuina præcepta, diabolo etiam tentante, ac penè ad præuaricandum cogente, custodiat?

Item ser. 16. de verbis Apostoli, *Iustificati sumus*, inquit, *sed ipsa iustitia cum proficimus crescit.* At remissio peccatorum non propriè dicitur crescere, sed virtus fidei, spei, & charitatis, ipsa est iustitia, quæ, cùm proficimus, crescit, & eodem loco fusius idem Doctor exponit.

DENIQVE in libro de spiritu & litera, c. 17. *Ibi lex*, inquit, *intrinsecus posita est, qua iniusti terrerentur, hic intrinsecus data est, qua iustificarentur.* Quo loco dicit, hominem C iustificari per legem scriptam in cordibus, quæ vt ipse ibidem explicat, nihil est aliud, nisi charitas Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Itaque de sententia sancti Augustini nulla omninò relinquitur dubitatio.

Accedat ad hæc testimonia ratio naturalis. Nam iustificatio sine dubio motus quidam est de peccato ad iustitiam, & nomen accipit à termino, ad quem ducit, vt omnes alij similes motus, illuminatio, calefactio, & cæteri: non igitur potest intelligi verā iustificatio, nisi aliqua præter remissionem peccati, iustitia acquiratur. Quemadmodum nec vera erit illuminatio, nec vera calefactio, si tenebris fugatis, vel frigore depulso, nulla lux, nullusque calor in subiecto corpore subsequatur. D

DEINDE, iustificatio non ideò solùm nobis confertur à Deo, vt gehennæ pœnas euadamus, sed etiam vt præmia vitæ cœlestis acquiramus: id quod significauit Apostolus ad Romanos sexto, cùm ait: *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam.* Et ca. 8. *Quos prædestinauit, hos vocauit: quos vocauit, hos iustificauit: quos iustificauit, hos & magnificauit:* vbi ponitur magnificatio effectus iustificationis, sicut est ipsa iustificatio vocationis, & vocatio prædestinationis effectus. Quo etiam pertinet illud 2. ad Tim. vlt. *Reposita est mihi corona iustitiæ.* At certè sola remissio peccatorū liberat à pœna, nō tribuit gloriā. Quod ipsum quotidie in foresi iudicio videmus. Qui enim à iudice absoluuntur, eripiuntur â morte, sed non consequuntur noua præmia propter hoc solum, quod iudicentur non fuisse, aut non esse rei.

DENIQVE iustificatio ex inimicis facit amicos, filios, dilectos, ciues Sanctorum, domesticos Dei, hæredes regni, vt Scripturæ passim loquuntur: non igitur sola remissione peccatorum constat, sed & infusione virtutum, ob quas homo dignus tā insignibus appellationibus habeatur. Non enim dignus est amore aliquis ob hoc solùm, quod ei debita condonata sunt, cùm ea dissoluere non posset. Neque continuò efficitur filius, aut ciuis, aut domesticus, aut hæres, qui pœnam, cui iuste adiudica-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tus erat, iudicis clementiâ non subibit.

Argumenta quæ pro sententia sua Caluinus excogitauit, in extrema disputatione cum argumentis aliorum hæreticorum commodius diluentur.

CAPVT VII.

Iustificationem non consistere in imputatione iustitiæ Christi.

QVARTVS & QVINTVS error, & qui plures assertores habent, in imputatione iustitiæ Christi iustificationem constituunt, quasi videlicet nos iusti simus coram Deo, quoniam tegit nos Christus iustitiâ sua, & eo modo tectos Deus nos videns, pro iustis se habere pronunciet.

Omittam autem ineptias, nugasque KEMNITII, qui nesciens quid loquatur, neque de quibus affirmet, dicit, vocabulum imputationis esse relatiuum, & fundamentum quidem huius relationis esse Christi iustitiam: terminum autem, hominem credentem: alium terminum iustitiam, seu beatitudinem: relationem ipsam, Dei misericordiam. Quia videlicet misericordia Dei imputat homini credenti iustitiam Christi, ad iustitiam, & beatitudinem. Ita tribus verbis totam Aristotelis doctrinam de relationibus subtilissima hac disputatione Kemnitius noster euertit. Et quid mirum, si temeritas horum hominum tot monstra pariat in doctrina supernaturali, cum in rebus Philosophicis, & ab ipsis Ethnicis, tam luculenter expositis, ita delirent? Certè si misericordia Dei relatio est, quia iustitiam Christi credentibus imputat: Philemon quoque relatio erit, quoniam illi scribit Apostolus, vt sibi imputet debitum Onesimi. Sed nolo, vt dixi, cum Kemnitio ineptire.

PRIMVM igitur satis refutatur error aduersariorum, quod nullum in Scripturis, aut Patribus, testimonium habeat. Hactenus enim nullum omninò locum inuenire potuerunt, vbi legeretur, Christi iustitiam nobis imputari ad iustitiam: vel, nos iustos esse, per Christi iustitiam nobis imputatam. Legimus quidem, beatum esse, cui non imputantur peccata: & fidem reputari ad iustitiam, & Christum factum esse nobis à Deo sapientiam, iustitiam, & redemptionem. Sed sicut non legimus nobis imputari redemptionem Christi, aut sapientiam, quasi nos redemptores haberi debeamus humani generis, vel ipsum Dei verbum, & sapientiam: ita non legimus, nobis Christi iustitiam imputari.

At (inquit Kemnitius) *Concilium Tridentinum non abhorret ab hoc modo loquendi. Cum enim in sexta sessione, canone vndecimo neget, nos iustificari sola imputatione iustitiæ Christi, concedit, nos iustificari sola imputatione iustitiæ Christi, sed non sola.* RESPONDEO, Concilium Tridentinum in illo canone damnare voluit errorem illorum, qui dicunt, sola imputatione iustitiæ Christi hominem iustificari, quales sunt Lutherani: sed nó propterea approbauit idem Concilium errorem aliorum, qui dicunt, hominem iustificari partim renouatione interna, partim imputatione iustitiæ Christi. Nam ex sententia eiusdem Concilij, non iustificari hominem formaliter per iustitiam Christi vllo modo, habetur expressè in can. 10.

SECVNDO, refutatur idem error ex eo, quod nulla necessitas eiusmodi imputationis adferri potest. Nam si necessaria esset imputatio ista, ideo potissimùm necessaria esset, quod homo post remissionem peccati adhuc sit verè peccator, peccato videlicet tecto, non deleto. At ista necessitatis causa locum non habet, nisi quis Scripturarum euidentissimis testimoniis repugnare velit. Scriptura siquidem vtitur omni genere vocabulorum, quæ excogitari poterant ad veram peccati remissionem significandam: vt si quis de industria quærat vocabula, quibus perspicuè declaret, peccatum aliquod verè tolli, & aboleri: non possit aliquod reperire, quod ipsa Scriptura diuina antè non occupauerit.

Dicit enim peccata tolli, 1. Par. 2. *Obsecro, Domine, aufer iniquitatem serui tui.* Dicit deleri, Isaiæ 44. *Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua.* Vbi similitudo nubis, & nebulæ indicat, ne vestigium quidem veræ culpæ remanere. Dicit mundari, Ezechielis 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Dicit ablui, Psal. 50. *Asperges me, Domine, hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor.* Vbi etiam obiter comparatio illa notanda est, *super niuem dealbabor.* Quomodo enim super niuem dealbatur, à quo nihil omninò nigredinis, & sordium aufertur? Dicit purgari, Prou. 15. *Per misericordiam, & fidem, purgantur peccata.* Dicit remoueri à nobis, & lõgissimè proiici, Psal. 102. *Quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras.* Et Michææ 7. *Proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Dicit deniq; peccatũ fuisse, & non esse, Psal. 9. *Quæretur peccatum illius, & non inuenietur.* Cant. 4. *Tota pulchra es, & macula non est in te.*

Nec solùm in testamento veteri, sed etiam in nouo, phrases eiusmodi frequentantur. Io. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Actor. 3. *Conuertimini, vt deleantur peccata vestra.* 1. Io. 1. *Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato.* Act. 22. *Ablue peccata tua, inuocato nomine ipsius.* Heb. 1. *Peccatorum purgationem faciens.* Heb. 9. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* 2. ad Cor. 6. *Hæc quidẽ fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis.* Et ad Ephes. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Et ibidem: *Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neq; rugam.*

Multa possent huc adduci alia grauissima argumenta, sed iam allata sunt in lib. de Baptismo, c. 13. Vnum hoc loco non videtur omittendum, quod nullam omnino responsionem videtur admittere: videlicet argumẽtum petitum ex antithesi Adami ad Christum. Nam (vt Apostolus ait ad Rom. 4.) *Sicut per inobedientiam Adami peccatores constituti sunt multi, ita per obedientiam Christi, iusti constituuntur multi.* Et vt in eodem loco idem Apostolus ait: *Maior est Christi gratia, quam Adami peccatum.* Inobedientia verò Adami non imputatiuè, sed verè peccatum in nobis impressit: igitur obedientia Christi non imputatiuè, sed verè peccata nostra sustulit, atque deleuit.

TERTIO, refutatur idem error ex remotione alterius causſæ, quam aduersarij pro imputatione iustitiæ Christi prætexere solent. Dicunt enim imputationem hanc propterea necessariam esse, non solùm quod verè peccatum in nobis perpetuò hæreat, sed etiam quod iustitia nostra inhærens, non tam sit perfecta, vt simpliciter, & absolutè iustificet. At causſam istam facilè refutabimus, si Scripturis sanctis aduersarij fidem habere voluerint. Nam iustitia inhærens, siue renouatio interior in fide, spe, & charitate, potissimùm sita esse cognoscitur. Id enim affirmat Apostolus 1. ad Cor. 13. cùm ait: *Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc.* Idem docet sanctus Aug. in Enchiridio, cap. 3. & præfat. in Psal. 31. & alibi: neque aduersarij hoc negant. Quare si probauerimus fidem, spem, & charitatem in hac vita posse esse perfectam, probatum quoq; erit, non esse necessariam imputationem iustitiæ Christi.

AC FIDEM quidem in hac vita tenuem, ac languidam semper esse, docet Philippus in Examine ordinãdorum, & ideo non posse nos fide iustificari, vt fides est opus, aut virtus, sed solùm vt organum est, apprehendens Christi iustitiam. AT si fides in hac vita non potest esse perfecta, nunquam omninò poterit esse perfecta. Nam in alia vita non perficietur, sed euacuabitur. Quis autem credat tam insignem virtutem nunquam futurã esse perfectam?

DEINDE S. Petrus in epist. 1. c. 1. apertè docet, fidem perfectam esse posse, cùm ait: *Vt probatio vestra fidei multò pretiosior auro, quod per ignem probatur, inueniatur in laudem, & gloriam, in reuelatione Domini nostri.* Sicut enim aurum perfectum est, quod ignem sustinet, ita planè fides perfecta est, quæ in camino tentationis probata, pretiosior auro inuenitur.

PRAETEREA qui credit ex toto corde, certè perfectã habet fidem: talem autem habuisse Eunuchũ illum, quem Philippus baptizauit, testatur sanctus Lucas Act. 8. AD HAEC fidem Abrahami omninò fuisse perfectam, docet Apostolus ad Rom. 4. cùm ait: *Contra spem in spem credidit, non infirmatus est fide, non hæsitauit diffidentia, plenissimè sciẽs, &c.* ponitur illud πληροφορηθεὶς, quod summam plenitudinem, perfectionemq; designat. Idem quoq; Apostolus ad Heb. 11. non languidam fidem, sed robustissimam commendat, cùm ait: *Sancti per fidem vicerint regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, &c.* Et S. Io. in epist. 1. c. 5. non de languida fide, sed de perfecta dicit: *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Et Apostolus Petrus in epist. 1. c. 5. *Cui resistite fortes in fide.* Et Apostolus Paulus ad Eph. 6. *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Certè enim fides, quę mundum vincere, diabolo resistere, & omnia eius tela retundere potest, non imbecilla, nec languida, sed fortis, & robusta esse debet.

DENIQVE ad Heb. c. 3. negari non potest, quin Apostolus perfectam fidem agnoscat, vbi dicit: *Accedamus cũ vero corde, in plenitudine fidei:* est enim hic vox illa (πληροφορία) quæ aduersariorum etiam consensu plenissimam, ac perfectissimam persuasionem significat.

Iam verò de SPE testimonium Apostoli ad Heb. 6. satis esse poterit. Ibi enim spem nostram esse debere affirmat, tanquam anchoram animæ tutam, ac firmam.

DENIQVE de CHARITATE, in qua præcipuè iustitia nostra consistit, & de qua scribit AVGVSTINVS lib. de natura, & gratia, c. 32. *Ipsa charitas est verissima, plenissimaq; iustitia.* Et c. vltimo. *Perfecta charitas, perfecta iustitia est.* Testimonia autem diuina vbiq; occurrunt. Nam Dominus Io. 15. ait: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Constat autem plurimos homines, id est, omnes Martyres hãc perfectionem charitatis attigisse. Item 1. Io. 2. *Qui seruat* (inquit Ioannes) *verbum eius, in hoc verè charitas Dei perfecta est.* Seruari autem posse verbum eius docet idem Apostolus in eadem epistola, cap. 5. cùm ait: *Et mandata eius grauia non sunt.*

DENIQVE non desunt in Scripturis exempla Sanctorum, qui Deum toto corde dilexerint. Nam de Dauid scribitur Eccles. 47. *De omni corde suo laudauit Dominum, & dilexit eum, qui fecit illum.* Et in Deuteronomio promittitur hæc perfectio charitatis populo Dei, cũ dicitur, c. 30. *Circumcidet Dominus cor tuum, & cor seminis, vt tui diligas eũ in toto corde, & in tota anima tua.* His accedit, quod Matth. 5. Dominus dicit: *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* Et Apostolus agnoscit se, & alios quosdam esse perfectos, cùm scribit 1. ad Cor. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Et ad Philip. 3. *Quicumque ergo perfecti sumus, &c.* Constat autem perfectionem in charitate consistere, cùm sit ipsa vinculum perfectionis Coloss. 3. Igitur fatendum est, charitatem etiam in hac vita posse esse perfectam. Quod si fidem, spem, & charitatẽ, ac per hoc iustitiam inhærentem, perfectam habere possumus, frustra laborant hæretici in asserenda imputatione iustitiæ, quasi alioqui nullo modo simpliciter, & absolutè iusti esse possimus.

QVARTO, refellitur idem error, quia fieri non potest, vt Christi iustitia nobis imputetur, præsertim in eo sensu, qui probatur hæreticis. Nam si solùm vellent, nobis imputari Christi merita, quia nobis donata sunt, & possumus ea Deo Patri offerre pro peccatis nostris: quoniam CHRISTVS suscepit super se onus satisfaciendi pro nobis, nósque Deo Patri reconciliandi: recta esset eorum sententia, quamuis modus loquendi in Scripturis, & Patribus, aut nunquam, aut rarissimè inueniatur: sed ita imputari nobis Christi iustitiam, vt per eam formaliter iusti nominemur, & simus, id nos cum recta ratione pugnare contendimus. Nam tametsi aliquando denominatio fiat à forma extrinseca, quo modo res dicitur cognita per cognitionem, quæ est in mente, & paries dicitur visus, per visionem, quæ est in oculo. Tamen cùm in aliquo duæ sunt formæ contrariæ, vna inhærens, altera extrinseca, sine dubio denominatio absoluta sumitur ab inhærente forma potius, quam ab extrinseca. Si quis enim Æthiopem candida veste indueret, non rectè diceret, hic Æthiops est albus, sed contra rectè diceret hic Æthiops est niger. Quoniam magis pertinet ad eum propria, & inhærens nigredo, quàm ille ascititius candor externus. Sic igitur, si hominem verè impium, & iniustum, per inhærentem iniustitiam, induas per apprehensionem, & cogitationẽ iustitiã Christi, non rectè pronũciabis eũ iustum: sed impium, & iniustum, iustissimè nominabis.

QVINTO refellitur, quoniam, si verè nobis imputaretur Christi iustitia, vt per eam iusti haberemur, ac censeremur, perinde, ac si propriè nostra esset intrinseca, formalisque iustitia, profectò non minus iusti haberi, censerique deberemus, quàm ipse Christus: proinde deberemus dici, atque haberi Redemptores, & Saluatores mundi, atque alia id genus vocabula, & attributa recipere, quod est absurdissimum.

SEXTO, Christus in nobis restituit, quod perdideramus in Adam, vt scribit sanctus IRENAEVS libro tertio, capite vigesimo: *Quando*, inquit, *incarnatus, & homo factus Christus longam hominum expositionem in se ipsa recapitulauit, in compendio nobis salutem præstans, vt quod perdideramus in Adam, id est, secundum imaginem, & similitudinem esse Dei, hoc in Christo Iesu reciperemus.* Et sanctus AVGVSTINVS lib. 6. de Genes. cap. 24. *Recipimus*, inquit, *iustitiam, ex qua per peccatum lapsus est homo.* Et cap. 26. *Renouamini*, inquit, *spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. Ecce quod amisit Adam per peccatum. In hoc ergo renouamur secundùm id, quod amisit Adam, id est, secundùm spiritum mentis nostræ.* Et c. 27. *Hanc imaginem in spiritu mentis impressam, amisit Adam per peccatum, quã recipimus per gratiã iustitiæ.* Vbi NOTANDVM est, in 2. lib. Retr. c. 24. explicari hũc locum ab eodem Augustino, qui monet, imaginem nõ fuisse amissam omninò, sed tantùm deformatã per peccatum, vt reformatione opus haberet. At in Adã non perdidimus iustitiam imputatã, neq; esse ad imaginem, & similitudinẽ Dei, per imputationem, sed verã iustitiam inhærentem, per quam verè similes eramus Deo: igitur per Christum veram iustitiam, Deiq; similitudinem, non extrinsecam tantùm, imputatámq; recipimus.

SEPTIMO, si per iustitiam Christi, nobis imputatam, verè dici possumus iusti, & filij Dei: ergo poterit etiam Christus, per iniustitiam nostram, sibi imputatã, dici verè peccator, &, quod horret animus cogitare, filius diaboli. Nam aduersarij concedunt, ita Christo imputatum fuisse peccatum, vt nobis iustitia imputatur. Immò Illyricus in Conf. Antuerp. c. 6. & in Apologia einsdẽ admittit, Christum verissimè dici peccatorem per potentissimam Patris imputationem, & volũtariam in se peccatorum receptionem. At ista ipsorum blasphema, & sacrilega impudentia toti Scripturę repugnat. Christus enim in sacris literis dicitur semel peccatum per tropum, quia hostia fuit pro peccato 2. ad Cor. 5. & item semel dicitur maledictum, ad Galat. 3. quia maledictis, & opprobriis, ac pœnis plurimis subiectus fuit. At nusquã dicitur peccator, impius, sceleſtus, diaboli filius, nisi forte ab inimicis, & infidelibus: sed vbique sanctus, innocens, immaculatus, impollutus, iustissimus prædicatur.

Quare si Christus, quia verè in se sanctus erat, quamuis ei no

Universidad de Deusto
Biblioteca

ci nostra iniquitas imputaretur: non iniquus, sed iustus A nominatus est: certè eadem ratione, si nos verè immundi essemus, & impij etiam post iustificationem: quauis nobis Christi iustitia imputaretur, non iusti, sed iniqui dicendi essemus, at Scripcura vocat nos iustos, & sanctos, Deiq; filios, & hæredes post lauachrum regenerationis, & renouationis, vt patet ex c. 8. ad Rom. cap. 1. ad Ephes. cap. 3. ad Col. & aliis plurimis locis, non igitur per imputationem iustitiæ, sed per ipsam iusticiam inhærentem in nobis, & manentem iustificamur.

OCTAVO, Christus in Canticis Canticorum comparatur sponso, & Ecclesia, siue anima iustificata, comparatur sponsæ. Dicitur autem sponsa illa pulcherrima pulchritudine sibi inhærente, non pulchritudine sponsi sibi imputata. Nã idcirco tribuitur sponsæ pulchritudo propria mulierum, & sponso pulchritudo propria virorum, B vt intelligamus aliam esse pulchritudinem Christi, aliam Ecclesiæ, vel animæ iustificatæ. Adde quod esset absurdissimum, si sponsus cœlestis, & verè pulcherrimus, sponsam haberet turpissimam, & solum ornatam extrinsecus preciosa aliqua veste viri.

NONO, per iustificationem mundatur cor, vt præparetur ad visionem Dei. Nam ideo dicitur Mat. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et Act. 15. *Fide purificans corda eorum.* At oculus re ipsa immundus, quamuis mundissimus habeatur, non potest Solem videre: igitur neq; cor immundum, quamuis mundum reputetur, Deum vmquam videbit. Vera igitur mundities, non imputatiua confertur in iustificatione, si ad visionem diuinam præparare nos debet.

DECIMO, CHRISTVS passus est, *vt sanctificaret per* C *suum sanguinem populum*, vt dicit Apostolus ad Hebr. 13. *Et tradidit semetipsum pro Ecclesia, vt eam sanctificaret, mundans eam lauachro aquæ in verbo vitæ*, ad Eph. 5. *Et mundaret sibi populum acceptabilem*, ad Tit. 2. Et ipse Dominus ait, Io. 17. *Et pro eis ego sanctifico me ipsum, vt & ipsi sint sanctificati in veritate.* At si non verè, sed imputatiuè tantùm populum suum Christus sanctificauit, frustrà passus, & mortuus est: & non potuit perficere, quod optabat. Velle enim sanctificare, & sanctificare in veritate, non significat solùm velle liberare à pœna peccati, aut velle, vt habeamur pro sanctis, quamuis re vera non simus, sed velle id efficere, vt verè sancti, mundi, & immaculati simus. Aliæ rationes multæ adferri possent, sed hæ visæ sunt nobis præcipuæ.

D

CAPVT VIII.

Traditio veterum Patrum, ac potissimum Augustini, de iustitia inhærente.

NVNC adferemus testimonia veterum Patrum pro iustitia inhærente. Sed duas ob caussas erimus in hac parte breuiores. Nam & protulimus non pauca testimonia, quæ huc etiam pertinent, in lib. 1. de gratia, & libero arbitrio, cap. 4. & aduersarij concedunt, sanctos Patres iustificationis gratiam ad internam renouationem, & sanctificationem, non ad solam peccatorum remissionem retulisse. Nam CALVINVS, qui solùm Augustinũ excipere solet, cùm sanctos Patres reiicit, lib. 3. Institutionum, cap. 11. §. 15. etiam Augustinum in hac quæstio- E ne repudiat: *Ac ne Augustini quidem*, inquit, *sententia recipienda est, qui gratiam ad sanctificationem refert, qua in vitæ nouitatem per Spiritum regeneramur.*

KEMNITIVS quoque in prima parte Examinis Concilij Tridentini, admittit Patres ita loqui de iustificatione, vt nos loquimur: *Non mouemus*, inquit, *litem, quo modo iustificationem accipiant Patres.* Et infra: *Nõ ignoro*, inquit, *aliter loqui Patres, sed de proprietate linguarum quæstio est.* Scilicet, Patres omnes imperiti, ac rudes, proprietatis linguarum erant. Proferamus igitur pauca, de multis, testimonia veterum, ac potissimum S. Augustini.

Sanctus AVGVSTINVS tomo 1. libr. 12. Confessionum, cap. 15. *Quantum*, inquit, *distat inter lumen, quod illuminat, & quod illuminatur: tantum distat inter iustitiam iustificantem, & iustitiam qua iustificatione factæ est.* Quo loco iustitiã nostram distinguit à iustitia Dei, & sine dubio creatam qualitatem facit, vt est lumen, sapientia, & similia.

Tomo secundo in epist. 85. ad Consentium: *Quid est*, inquit, *aliud iustitia, cùm in nobis est, vel quælibet virtus, qua rectè, sapienterq; viuitur, quam interioris hominis pulchritudo?* Et hic apertissimè ponit iustitiam nostram, in interna renouatione mentis, & decore virtutis.

Tomo tertio libro decimo quinto, de Trinitate, cap. 8. *Quæ natura*, inquit, *cum à suo conditore iustificatur, à deformi forma formosam transfertur in formam.* Igitur non manet deformis, vt aduersarij volunt, homo iustificatus, neque eget imputatione alienæ iustitiæ, qua iniustitia propria, & inhærens tegatur. In eodem tomo est liber de spiritu & litera, quem scriptum esse cõtra inimicos gratiæ Christi, qua iustificamur, testatur ipse idem Augustinus lib. 2. Retract. cap. 37. in eo autem toto libro gratia Dei dicitur charitas diffusa in cordibus, quæ facit, vt lex impleatur: charitas igitur, qua legem implemus, est iustitia, qua iustificamur.

Tomo quarto lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. *Quia*, inquit, *manet propositum Dei, vt iustificet credentes, ideo inuenit opera, quæ iam eligat ad regnum cœlorum.* Vbi iustificatio vocatur id, vnde opera bona procedunt. Et infra: *Nisi*, inquit, *vocando præcedat misericordia Dei, nec credere quisquam potest, vt ex hoc incipiat iustificari, & accipiat facultatem benè operandi.* Itaque per iustitiam, qua iustificamur, intelligitur fides, & charitas, quæ est ipsa facultas benè operandi.

Tomo quinto, lib. 19. de ciuitate Dei, cap. 27. *Hic*, inquit, *in vnoquoq; iustitia est, vt obedienti Deus homini, animus corpori, ratio autem vitiis, etiam repugnantibus, imperet, vel fœdigendo, vel resistendo: atque vt ab ipso Deo petatur, & meritorum gratia, & venia delictorum, ac de acceptis bonis gratiarum actio persoluatur.* In hac definitione iustitiæ nullum locum habet iustitia Christi imputata, sed sola iustitia nobis inhærens, per quam ratio vitia subigit, & Deo obedientiam præstat. Quia tamen hæc iustitia inhærens Deo, indiget adiutore, vt opera iusta exequi valeat, ideo ad iustitiam nostram pertinere dicit Augustinus, vt à Deo petamus gratiam meritorum, & veniam delictorum, & pro beneficiis acceptis, gratiam persoluamus.

Tomo sexto in lib. de hæresibus, cap. 88. explicans quæ sit gratia Dei, cuius inimici sunt Pelagiani, & per quam iustificamur (vt ipse ait lib. 2. Retract. cap. 37. & 42. & alibi) dicit esse eam, *qua eruimur de potestate tenebrarum, vt in Christum credamus, atque in regnum ipsius transferamur, & qua diffunditur charitas in cordibus nostris, vt fides per dilectionem operetur.* Vbi manifestè gratiam iustificationis constituit in remissione peccatorum, & in infusione virtutum, fidei præsertim, & charitatis.

Tomo septimo, lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione, cap. 10. *Legimus*, inquit, *iustificari in Christo, qui credunt in eum, propter occultam communicationem, & inspirationem gratiæ spiritalis.* Item in lib. de natura, & gratia, capite 38. 42. & 70. docet, charitatem infusam in cordibus, esse veram iustitiam nostram.

Tomo octauo in Psalm. 118. concione 26. *Iustitia*, inquit, *virtus est animi magna, præcipueq; laudabilis.* Et continuò de hac ipsa virtute: *Quis fecit*, inquit, *in homine iustitiã, nisi qui iustificat impium? hoc est, per gratiam suam de impio facit iustum.* Et hic apertissimè iustificari dicimur per iustitiam, quæ sit virtus inhærens. Item in Psal. 98. tractans illud: *Iustitiam, & iudicium in Iacob tu fecisti: exaltate Dominum Deum nostrum. Verè*, inquit, *exaltatate, benè exaltatè, lau-*

laudemus, & exaltemus illum, qui fecit ipsam iustitiam, quam A *habemus, ipse in nobis fecit. Quis enim in nobis fecit iustitiam, nisi qui nos iustificauit? nos ergo impij, ille iustificator, quando & ipsam iustitiam ipse in nobis fecit, qua illi placeamus.*

Tomo nono, tractatu 26. in Ioann. *Quid est*, inquit, *iustitia Dei, & iustitia hominis? Iustitia Dei dicitur, non qua Deus iustus est, sed quam dat homini Deus, vt iustus sit homo per Deum.*

Tomo decimo, sermone 15. de verbis Apostoli: *Qui crediderit in eum, non habebit suam iustitiam, qua ex lege est, quamuis sit bona lex, sed implebit ipsam legem non suã iustitia, sed data à Deo. Charitas enim plenitudo est legis. Et vnde ista charitas diffusa est in cordibus nostris? non vtique à nobis, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Hoc loco perspicuè docet sanctus Augustinus, iustitiam, quæ nobis ex Deo B est, esse ipsam charitatem, in corde diffusam, per quam legem implemus. Et totus ille sermo, longissimus, & pulcherrimus hoc idem confirmat.

Itaque prudenter fecit Caluinus, vt sanctum Augustinum à patribus suis non stare, ingenuè fateretur. Alioqui testimoniis eius, ex singulis tomis petitis, planè obrui potuisset. Velim tamen non obliuiscereturhunc esse Augustinum illum, quem ipse idem lib. 3. Institutionum, capite tertio, §. 10. & libro quarto, cap. decimo quarto, §. 26. fidelissimum, atque optimum testem antiquitatis esse prædicauit. Addamus nunc etiam pauca quædam ex aliis Patribus.

Sanctus AMBROSIVS libro sexto Exam. cap. octauo: *Vtrum*, inquit, *iustificatio secundum corpus, an secundum animam tibi conferri videatur, quæso respondeas. Sed dubitare non potes, cùm iustitia, vnde iustificatio derinata est, mentis tuæ* C *vtique, non corporis sit.* Hic certè per iustitiam non potest intelligere solam remissionem peccati, aut iustitiam Dei, vel Christi, imputatam, quæ nec propriè corporis, nec propriè mentis est, cùm in neutra parte hominis inhæreat, sed intelligit iustitiam, quæ virtus animi est, & non in corpore, sed in animo propriè inhæret. Idem auctor libro 6. in Lucam: *In eo*, inquit, *iustificatio Dei est, si non ad indignos, & obnoxios, sed ad innocentes per ablutionem factos, videatur & iustos sua munera transtulisse.* Docet hoc loco sanctus Ambrosius, Deum in Baptismo iustificare, & iustificari: iustificare, quia per ablutionem facit mundos de sordidis, iustos de iniquis, de obnoxiis innocentes: iustificari autem, quia se iustum ostendit, dum non ad impios, & iniustos, sed ad pios, & iustos à se factos. D munera diuina transmittit. At si vera esset hæreticorum sententia, Deus iustificari non posset, quia munera sua largiretur hominibus verè sordidis, & iniustis, qui falsò iusti, & innoxij haberentur.

Sanctus HIERONYMVS libro primo aduersus Pelagianos: *Hæc*, inquit, *est hominis summa iustitia, quidquid potueris habere iustitiæ, non tuum esse putare, sed Domini, qui largitus est.* Et libro tertio: *Nunc*, inquit, *mundus factus es in lauacro, & de te dicitur: Quæ est ista, quæ ascendit de albata, & lota quidem sit, sed custodire non valeat puritatem suam, nisi à Domino sustentetur.* Vides quemadmodum sanctus Hieronymus iustitiam ponat in virtute, & puritate, quam acquirimus per Baptismum, non in aliqua imputatione alienæ iustitiæ.

Sanctus PROSPER in respons. ad caput sextum Gal- E lorum: *Iustificatus*: inquit, *homo, id est, ex impio, pius factus, nullo præcedente bono merito accipit donum, quo medio acquirat & meritum, vt quod in illo inchoatum est per gratiam Christi, etiam per industriam liberi augeatur arbitrij, nunquam remoto adiutorio Dei, sine quo nec proficere, nec permanere in bono quisquam potest.* At imputatio iustitiæ Christi non est donum, vnde acquirantur merita, neque augetur industria liberi arbitrij.

Sanctus CYRILLVS Alexandrinus libro sexto de Trinitate: *Calor*, inquit, *Spiritus est, qui simul vt charitatem in nobis diffuderit, & eius igne mentes nostras inflammauerit, iam sumus iustitiam consequuti.* Vide eundem libro vndecimo in Ioannem, capite vigesimo quinto, & lib. 12. Thesauri, cap. 3. & 5.

Sanctus GREGORIVS lib. 18. Moralium, cap. 33. exponens illud capitis 28. *Non commemorabuntur in comparatione eius. Omnes*, inquit, *superna patriæ electi, sancti quidem, & iusti sunt, sed participatione sapientiæ, non comparatione. Iustitia quidem sapientia, iustitia, & serui sapientia nuncupantur, sed illa iustitia iustificans est, isti autem sunt iustitia iustificata.*

Vide etiam Basilium libro primo de Baptismo, capite secundo. Nyssenum, & Nazianzenum oratione in sanctum Baptisma: Chrysostomum homilia decima sexta in priorem ad Corinthios, in illud: *Et hæc quidem fuistis*, 1. ad Corin. 6. & in eundem locum Theophylactum, & Oecumenium. Leonem epistola nonagesima prima, cap. 1. & Bernardum sermone quarto, de dedicatione Ecclesiæ, & in epistola 190. ad Innocentium Papam.

CAPVT IX.

Soluuntur argumenta aduersariorum ex epist. ad Rom.

SVPEREST vt argumentis aduersariorum respondeamus, è quibus præcipua nobis esse videntur, quæ profert CALVINVS lib. 3. Instit. c. 11. quamuis multa eorum communia sint etiam Lutheranis. PRIMVM igitur ex epistola ad Romanos colligit argumenta nonnulla, quæ ordine proponemus, & diluemus.

PRIMVM sumit ex nomine iustificationis, quod ad C Rom. 5. & 8. contendit sumi pro declaratione iustitiæ. RESPONDEO, Nomen iustificationis accipitur quidem sæpè in Scripturis pro declaratione iustitię, sed non semper: loca protulimus cap. 3. Porrò ad Rom. 5. accipi iustificationem pro eo, quod est iustum facere, siue constituere demonstrauimus loco citato ex ipsa B. Pauli declaratione, qui cùm dixisset: *Per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem*, exposuit dicens: *Per obedientiam vnius hominis iusti constituentur multi.*

Sic etiam ad Rom. 8. accipi verbum iustificare, pro eo, quod est, iustum facere, non autem solùm, iustum pronunciare: perspicuum est ex similitudine huius vocis ad alias, quæ in eodem loco ponuntur. Ait enim Apostolus: *Quos iustificauit, hos & magnificauit.* Ibidem etiam vtitur verbis viuificandi, mortificandi, conglorificandi, quæ D sunt omninò similia verbo iustificandi. Nemo autem negaret, magnificare, esse magnum facere, viuificare, viuum facere, mortificare, mortuum facere, conglorificare, gloriosum cum alio facere: cur igitur iustificare non sit etiam iustum facere?

DENIQVE, vt ostendimus loco citato, etiamsi iustificare acciperetur vbique pro iustum pronunciare, nihil tamen aduersarij obtinerent. Non enim potest impius verè iustificari, id est, iustus pronunciari, nisi qui pronunciat iustum, simul faciat iustum. Hinc enim solus Deus iustificat impios, quia solus potest de impiis facere pios. Homines autem qui iustificant impios, non minus abominabiles sunt, quàm si condemnarent iustos, vt ait Salomon Prouerbiorum 17.

SECVNDO, petit argumentum ex c. 4. ad Romanos, E vbi dicit Apostolus, Abrahæ fidem reputatam esse ad iustitiam. Hinc enim colligit, nihil esse aliud nostram iustitiam, nisi fidem in Christum, id est, Christi iustitiam, fide apprehensam.

RESPONDEO, Fides quidem reputata est Abrahæ ad iustitiam, vt Apostolus dicit: sed nõ admittimus glossam, quod reputari fidem ad iustitiam, sit nobis imputari Christi iustitiam, si fide illam apprehendamus. Nam glossa hæc repugnat Apostolo, duas ob caussas. PRIMVM, quoniam Apostolus ipsam fidem dicit imputari ad iu

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad iustitiam, fides autem non est iustitia Christi, id est, qua Christus iustus est, sed iustitia nostra, id est, qua nos iusti sumus ex dono Dei. DEINDE, quoniam verbum (*imputare*) hoc loco non significat nudam existimationem, sed existimationem, cui veritas in re ipsa respondeat, vt perspicuum est ex illis verbis: *Ei qui operatur, merces imputatur non secundum gratiam, sed secundum debitum.* Certum enim est, ei, qui operatur, non sola opinione, & existimatione, sed verè ac re ipsa deberi mercedem.

TERTIO, petit argumentum ex illis verbis Psal. 31. in eodem cap. 4. ad Romanos, citati: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.* Quærit hoc loco Caluinus, an hæc sit plena definitio iustificationis, an dimidia. Nam si plena sit, verum erit quod ipse docet, iustificationem sola peccatorum remissione constare. Nulla enim hîc mentio fit infusionis virtutum, & donorum, sed solius remissionis. Si dimidia sit, quomodo beatus dici poterit, qui non erit, nisi media ex parte iustificatus? At beatum dicit Dauid eum, cui non imputauit Dominus peccatum.

Præterea colligunt ex hoc loco, ipsam etiam remissionem non esse veram peccati ablutionem, & extinctionem, sed non imputationem. Quod enim dixerat: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*, explicuit per illa verba: *Quorum tecta sunt peccata.* Et: *Cui non imputauit Dominus peccatum.* Ac ne fortè dicamus, non imputare peccatum, esse delere peccatum, & infundere iustitiam: occurrit Kemnitius, & probat, à contrario sensu id esse falsum. Nam si non imputare peccatum, esset delere peccatum, & infundere iustitiam: imputare peccatū esset delere iustitiam, & infundere iniquitatem, quod est absurdissimum. Igitur imputare peccatum, est habere hominem pro peccatore, non imputare peccatum, est habere pro iusto. Idem etiã Kemnitius alio loco probat, tegere peccata, non esse delere, sed abscondere, vt sint, & non videantur. Nam prouerbiorum duodecimo: *Homo astutus, tegit scientiam.* Vbi ineptè exponas, delet scientiam, cum sensus sit, homo astutus, abscondit scientiam, vt non facilè percipiatur, quod ipse nouit.

RESPONDEO, Ad quæstionem Caluini posset obiici alia similis quæstio, Sit ne plena definitio iustificationis, an dimidia illa eiusdem Prophetæ, *Beatus vir qui timet Dominum*, Psal. 111. Et illa: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, Psalmo centesimo decimo octauo. Nam si plena sit, vbi est remissio peccatorum? si dimidia, quomodo dicuntur beati, qui non sunt nisi media ex parte iustificati? Potest igitur ad omnes eiusmodi quæstiones responderi, non poni in his locis integram definitionem iustificationis, aut beatitudinis: sed explicari solùm aliquid, quod pertinet ad iustificationem, vel beatitudinem acquirendam. Nam hoc etiam modo accipimus illa Domini verba Matthæi quinto: *Beati pauperes spiritu, beati mites, beati qui lugent*, & alia, quæ eo loco sequuntur. Neque beatus Paulus ad Romanos quarto, allegat hoc testimonium Psalmi, vt definiat integrè iustificationem sed solùm vt probet iustificationem veram esse donum Dei, nec posse propriis viribus obtineri. Id autem rectissimè probat ex eo, quod Dauid beatum dicit eum, cui Deus peccata remittit, hoc est, qui dono, & gratia Dei iustificatur.

Potest etiam responderi, in his verbis definitionem integram, sed implicitè contineri. Nam remissio peccatorum non potest fieri, nisi iustitia infundatur, quomodo non fugantur tenebræ, nisi lumen succedat. Id quod Apostolus ipse manifestè indicat, cùm ait, *Dauid dicit, beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, &c.* Vbi ex non imputatione peccatorum, colligit imputationem iustitiæ, ac per hoc docet, non posse duo ista separari, remissionem peccati, & donationem iustitiæ. Atque hæc de quæstione Caluini.

Porrò regi, & non imputari peccata, non est quidem, si vim horum vocabulorum spectes, deleri, atque extingui: sed tamen est deleri, atque extingui quoad sensum, si hæc referantur ad Deum. Nam Deo non potest aliquid tegi, nisi penitus deleatur. *Omnia enim nuda sunt, & aperta oculis eius*, ad Hebræos quarto. Quare si Deo tegitur aliquid, hoc ipso ex necessitate deletur, & euanescit. Neque potest Deus non imputare peccata, hoc est, non habere hominem impium, pro pio, nisi desinat esse impius: & quia non potest homo transire ab impietate ad pietatem, nisi per gratiam eius, qui iustificat impium: ideo non imputatio peccati necessariò trahit secum veram peccati remissionem, & iustitiæ infusionem. Itaque in Scriptura ferè semper coniunguntur hæc duo remittere, siue delere, & tegere peccata, vt intelligamus vnum non esse sine altero. 2. Eldræ 4. *Ne operias iniquitatem eorum, & peccatum eorum coram facie tua non deleatur.* Psal. 50. *Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* Psalmo octogesimo quarto. *Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum.* Sic igitur etiam dictum est, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.*

Neque aliquid probant argutiæ Kemnitij. Nam non dicimus, non imputare peccatum, esse infundere iustitiam, nisi consequenter, quia videlicet sequitur infusio iustitiæ ad non imputationem, cùm Deus non possit falli non imputando id, quod imputari deberet. A cõtrario autem sensu non efficitur, vt imputare peccatum, sit delere iustitiam, vel infundere impunitatem, ne consequenter quidem: nã cum Deus imputat peccatum, habet pro peccattore eum, qui re vera est peccator, propria voluntate, & operibus. Non enim necessarium est, vt Deus iustitiam deleat, vel iniquitatem infundat, cum satis per se sit homo potens, & fortis ad malum. Præterea si diceremus, non imputare peccatum, esset infundere iustitiam: imputare peccatum, non esset infundere iniquitatem, sed esset, non infundere iustitiam. Quemadmodum enim non imputare peccatum, & imputare peccatum, contradicentia sunt, non contraria: ita quoque à contrario sensu colligi debent duo contradicentia, infundere iustitiam, & non infundere iustitiam, non autem duo contraria, infundere iustitiam, & infundere iniquitatem.

Sed ignoscendum est Kemnitio, qui tam fuit occupatus in arte Grammaticæ, vt non ei vacauerit dare operam Dialecticæ. Illud autem, quod obiicit, tegere scientiam, non esse delere scientiam, non ignorabamus: sed simul etiam sciebamus, quædam tegi, vt conseruentur, quædam vt deleantur, quo modo teguntur vulnera emplastro. Sed placet adferre sententias Patrum de hoc testimonio Psalmi, vt aduersarij intelligant quàm longè aberrent à sententia veteris, orthodoxæque Ecclesiæ.

Sanctus IVSTINVS Martyr in Dialogo cum Triphone Iudæo, propè finem: *Beatus*, inquit, *cui non imputabit Dominus peccatum, hoc est, cui pœnitenti Deus peccata remittet. Non sicut prædicatis vosmetipsos fallentes, & alij quidam vestri similes asseuerant, etiamsi peccatores fuerint, modo Deum nouerint, non imputabit eis Dominus peccata.*

ORIGENES libro quarto in epistolam ad Romanos, scribit, Dauidem quasi quibusdam gradibus ascendisse, vt diceret, magnum esse beneficium, cùm alicui peccata dimittit, maius cùm tegit, maximum cùm non imputat. Tunc enim ita funditus delentur, vt ne vestigium quidem vllum appareat, & perinde sit, ac si talis homo nunquam peccãsset.

Sanctus HIERONYMVS in commentario Psal. 31. per similes quosdam gradus Prophetam deducit: scribit enim peccata remitti per Baptismũ, tegi per charitatem, non

non imputari per Martyrium.

Sanctus AVGVSTINVS concione secunda in hunc eundem Psalmum: *Non sic*, inquit, *intelligatis quod dixit, peccata cooperta sunt, quasi ibi sint, & viuant.* Et infra: *Medicus*, inquit, *tegat, vt curet, emplastro enim tegit.* Similem expositionem habet vterque Gregorius, ROMANVS videlicet in Psalmũ secũdum pœnitentialẽ, & NAZIANZENVS in sanctum lauacrum; quod attinet ad modum tegendi peccata per gratiam, quasi per emplastrum.

QVARTVM argumentum sumit Caluinus ex capite quinto ad Romanos, vbi cùm dicit *Apostolus, per obedientiam vnius hominis iustos constitui multos: nihil aliud significare videtur, nisi ipsam Christi obedientiam nostram esse iustitiam.*

RESPONDEO, Iam suprà diximus, obedientiam Christi causſam fuisse efficientem, non formalem nostræ iustificationis. Id quod ex antitheſi probauimus, quoniam inobedientia Adami nos constituit peccatores, non formaliter, sed efficienter. De qua re vide Augustinum libro primo de peccatorum meritis, & remissione, capite nono.

QVINTVM argumentum sumit ex capite decimo ad Romanos, vbi beatus Paulus reprehendit Iudæos, quòd ignorantes Dei iustitiam, & suam quærentes constituere, iustitiæ Dei subiecti non essent. Id enim in nos quoque conuenire videtur, qui ignorantes Dei iustitiam, nobis imputatam, & nostram inhærentem quærentes constituere, iustitiæ Dei subiecti non sumus.

RESPONDEO, sanctus Augustinus libro de gratia, & libero arbitrio, capite duodecimo, & alibi, locis propè infinitis, docet, Iustitiam Dei vocari ab Apostolo iustitiam, quæ est in nobis, ex dono Dei; iustitiam autem nostram dici eam, quæ propriis viribus, sine gratia Dei, paratur, aut parari creditur. Itaque reprehenduntur ab Apostolo Iudæi, qui legem Dei se propriis viribus implere posse credebant: *Cõmendat* (inquit AVGVSTINVS sermone decimo tertio de verbis Apostoli) *hoc assiduè Apostolus commendans fidem gentibus, qua fide impetrant adiutorium, vt impleant legem, non per legem, sed vires implendi impetrantes per fidem. Ad hoc assiduè ducit, & commendat ista Apostolus propter Iudæos, qui de lege gloriabantur, & libero suo arbitrio legem sufficere arbitrabantur: ac per hoc, quia libero suo arbitrio legem sufficere arbitrabantur, ignorantes Dei iustitiam, id est, ex fide iustitiam datam à Domino, & suam volentes statuere, quasi suis viribus impletam, non dante fide impetratam, iustitiæ Dei non sunt subiecti.*

Vbi vides, iustitiam Dei appellari gratiam, & virtutem, qua lex impletur, quæ est caritas, in corde diffusa, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: iustitiam autem propriam, nominari præsumptionem legis implendæ, solis naturæ viribus. Non igitur abducimus homines à Christo (vt aduersarij mentiuntur) cùm iustitiam inhærentem docemus, sed eos maximè adducimus ad Christum, cùm docemus, iustitiam illam inhærentem, per quam iustificatio legis impletur in nobis, non esse in nobis, ex nobis, sed ex dono, & gratia Dei, per meritum Iesu Christi, Domini nostri. Ipsi autem verè extenuant beneficium Christi, cùm illum velint, non veram, absolutamque iustitiam sed imputatitiam tantùm, & relatiuam, nobis tot suis laboribus, & doloribus cõparasse.

CAPVT X.

Soluuntur argumenta ex epistolis ad Corinthios.

EX EPISTOLIS ad Corinth. depromunt CALVINVS & alij argumenta tria.

PRIMVM argumentum sumunt ex illis verbis, 1. ad Cor. 1. *Qui factus est nobis à Deo sapientia, & iustitia, & redemptio.* Cui loco adiungunt illud Hierem. 23. *Et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustitia nostra.* Sic enim vertunt ex Hebræo. Ex his locis colligunt, nostram iustitiam non esse aliam, nisi eam, quæ est in Christo nobis imputatam.

RESPONDEO, Rectè dicitur Christus nostra iustitia, non quod iusti simus ea iustitia, quæ est in Christo nobis imputata, sed duab. aliis de causſis. PRIMVM, quia Christus causſa est efficiens nostræ iustitiæ. Sic n. dicitur Christus iustitia nostra, quomodo dicitur Deus fortitudo nostra in Psal. 17. & patientia nostra in Psal. 70. & salus nostra in Psal. 26. quod explicatur in Psal. 36. cũ dicitur: *Salus autẽ iustorũ à Domino.* DENIQVE sic dicitur Christus iustitia nostra, quomodo dicitur sapientia nostra, & redemptio nostra: & alibi pax nostra: quia videlicet nos redemit, & iustos, ac sapientes fecit, & Patri suo reconciliauit, pacificans quæ in terris, & quæ in cœlis sunt.

DEINDE, dicitur Christus iustitia nostra, quoniam satisfecit Patri pro nobis, & eam satisfactionem ita nobis donat, & communicat, cùm nos iustificat, vt nostra satisfactio, & iustitia dici possit. Nam etiamsi per iustitiam nobis inhærentem verè iusti nominemur, & simus: tamen nó per eam satisfacimus Deo, pro culpis nostris, & pœna æterna: sed est illa iustitia inhærens cum remissione culpæ, & sempiternæ pœnæ, effectus satisfactionis Christi, quæ (vt docet Concilium Tridentinum sessione sexta capite septimo) nobis in iustificatione confertur, & applicatur. Et hoc modo non esset absurdum, si quis diceret, nobis imputari Christi iustitiam, & merita, cum nobis donẽtur, & applicentur, ac si nos ipsi Deo satisfeciſſemus: modò nó negetur esse in nobis, præterea iustitiam inhærẽtem, eamque veram, & absolutam esse iustitiam, cui iusto Dei iudicio non debeatur pœna, sed gloria. Sic enim loquitur sanctus BERNARDVS in epistola 190. ad Innocentium: *Nam si vnus*, inquit, *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: vt videlicet satisfactio vnius omnibus imputetur, sicut omnũ peccata vn⁹ ille portauit.*

ALTERVM argumentum sumunt ex cap. 5. posterioris ad Corinth. *Deus erat in Christo mundũ reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.* Videtur enim hoc loco B. Paulus in eo constituere iustificationem, quod peccata non imputentur.

RESPONDEO, Non imputatio, vt suprà dixi, remissionem peccati, & iustitiæ infusionem secũ trahit. Ideo siquidem non reputat nobis Deus delicta, quoniam satisfecit Christus pro nobis, & Deus ea satisfactione placatus, reconciliauit nos sibi, & ex inimicis amicos fecit. Quare idem Apostolus quod hîc dixit, *reconcilians*, & *non reputans delicta*, dixit ad Col. 2. *Conuiuificauit vos Christo, donans vobis omnia delicta, delens quod aduersus vos erat chirographum decreti.* Vbi vides viuificationem, quæ pertinet ad internam renouationem, & donationem delictorũ, quæ pertinet ad remissionẽ peccati, & deletionẽ chirographi, quæ significat omnimodã extinctionẽ debiti.

Et ad Rom. 5. cũ idem Apostolus dixisset: *Gloriamur in Deo, per Dominum nostrum Iesum Christum: per quem nũc reconciliationem accepimus*, explicat paulò infrà, quid sit accipere reconciliationem & ait: *Abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes, regnabunt in vita per ipsum.* Nõ igitur reconciliatio est sola nó imputatio delictorũ, sed acceptio abundantis gratiæ, & iustitiæ, & donorum, per quæ ad ipsum quoque regnum, & vitam peruenitur æternam. Sed clarissimè explicat idem Apostolus effectum reconciliationis ad Colosſ. 1. cùm ait: *Nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius, per mortem exhibere vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso.*

TERTIVM argumentum sumit ex illis verbis eiusdẽ epistolæ, & eiusdem capitis: *Eum qui non nouerat peccatũ, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficiamur iustitia Dei in ipso.* Hinc enim sequi dicunt, vt nos iusti simus ipsa iustitia Dei, quæ est in Christo: sicut ipse dicitur peccatum, id est, peccator, per peccata, quæ sunt in nobis. Vt enim

Universidad de Deusto
Biblioteca

imputantur illi peccata nostra, ita imputatur nobis iu- A stitia illius.

RESPONDEO, Non dicitur Christus peccatum, id est, peccator, neque imputantur illi peccata nostra, quasi ipse illa fecerit, & iniquus haberi possit. Sed solùm imputantur Illi, quoad debitũ satisfaciendi, quod ille sponte suscepit. Ex quo non peccator, sed iustus dici meretur. Qui enim pro alio satisfacit, iustissimus est. Sic igitur & nobis imputatur iustitia eius, quoad satisfactionem, quã pro nobis præstitit: sed non propterea nos iusti, id est, mundi, & immaculati haberi possumus, si verè in nobis peccatorum maculæ, & sordes inhæreant.

Haci igitur falsa expositione reiecta, TRIBVS modis potest hic locus exponi. VNO modo, vt iustitia Dei, sit iustitia ipsa diuina, quæ est in Christo. Quæ iustitia nos B esse dicimur, non in nobis, sed in illo, quia ipse est caput nostrum, & quod conuenit capiti, conuenit etiam membris, non vt sunt membra distincta à capite, sed vt faciũt vnum, & sunt vnum cum ipso capite. Ob quam vnionem cum capite scribit Apostolus ad Ephes. 2. *Conresuscitauit nos, & consedere fecit in cœlestibus in Christo.* Et propter eãdem vnionẽ tribuit ipse Christus sibi passiones nostras, & hinc Saulo dixit Act. 9. *Quid me persequeris?* & Apostolo Petro: *Vado Romam iterũ crucifigi.* Et sicut nos dicimur iustitia in illo, non quia simus formaliter iusti, iustitia eius, sed quia iumus membra eius: sic etiam contrà dicitur ipse peccatum, non quia formaliter sit peccator, sed quia caput est nostrum, & peccata nostra, sua esse voluit, vt pro eis satisfaceret. Isaiæ. 53. *Posuit in eo iniquitatem omnium nostrum:* Et in Psal. 21. ipse dicit: *Longè a salute mea verba delictorum meorum.* C

ALTERA expositio est, vt per iustitiã Dei intelligatur iustitia nobis inhærens, quæ dicitur Dei, quia donatur nobis à Deo, vt Augustinus exponit in libro de Spiritu, & litera, capite 18. & dicitur in ipso, id est, in Christo, quia per eius meritum donatur. Et dicimur iustitia potius, quàm iusti, vt seruetur antithesis, cum voce (*peccatum*) quoniam enim dixerat, Christum factũ esse peccatum, id est, hostiam pro peccato, maluit dicere, nos esse iustitiam, quàm iustos. Neque est absurdum, vt homines iusti dicantur iustitia, cùm dicantur etiam lux Matt. 5. *Vos estis lux mundi.* Et ad Ephes. 2. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Addit S. Ioã. Chrysostomus in commentario huius loci, nos dici iustitiam, & iustitiã Dei, quia tanta est iustitia, quam nobis Deus donat per D Christum, vt nulla in iustificatis macula relinquatur.

TERTIA expositio est, vt per iustitiã Dei intelligatur quidem iustitia inhærens, sed dicatur iustitia Dei per tropum, quia est effectus, & imago iustitiæ Dei. Nam Christus dicitur peccatum per tropum, quia fuit hostia pro peccato; & etiam quia participauit carnem similem carni peccati. Probat enim sanctus Augustinus in libro secundo aduersus Maximinum, capite secundo, hunc ipsum locum Apostoli exponens, peccatum in Scripturis sæpè accipi pro victima oblata in expiationem peccati, vt cùm dicuntur Sacerdotes manducare peccata populi: nec non pro similitudine carnis peccati, vt ad Rom. 8. *De peccato damnauit peccatum.* Et ad Rom. 6. *Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel.*

Sicut igitur Christus factus est pro nobis peccatum, E id est, assumpsit similitudinem carnis peccati, vt fieret victima pro peccato: ita nos efficimur iustitia Dei, per similem tropum, quia iustitiam inhærentem recipimus, quæ est iustitia Dei, id est, effectus iustitiæ Dei, & item iustitia Dei, id est, similitudo quædam iustitiæ Dei. Et sicut Christus non imputatiuè, sed verè participauit similitudinem carnis peccati, cùm verbum factum est caro: & non imputatiuè, sed verè factus est victima pro peccato: ita nos in iustificatione non imputatiuè, sed verè participamus effectum, & similitudinem diuinæ iustitiæ, cùm iustitiam inhærentem accipimus. Vide Cyrillum libro 12. thesauri, cap. 3. qui hunc locum ita exponit.

CAPVT XI.

Soluuntur argumenta ex epistola ad Ephesios.

EX EPISTOLA ad Ephesios duo argumẽta depromunt. PRIMVM est ex cap. 1. vbi Apostolus ait: *Deus nos acceptos, siue gratiosos habuit in dilecto filio suo.* Vbi clarissimè videtur ostendere, nos in nobis semper esse turpes, & odio dignos, sed in Christo, id est, coopertos iustitia Christi, nobis imputata gratiosos, & acceptos fieri coram oculis Dei. Huc etiam trahunt illa omnia testimonia, quæ docent, nos in Christo, aut per Christum iustificationem, & remissionem peccatorum accipere.

RESPONDEO, verbum Græcum, ἐχαρίτωσε, quod noster interpres vertit, gratificauit, nõ significat (vt Caluinus existimat) gratiosos, vel acceptos habuit, sed gratiosos fecit, id quod vel ex vnius S. Ioannis Chrysostomi verbis intelligere licebit. Fuit enim vir ille non solùm diligentissimus Apostoli explanator, sed etiam eloquentissimus, & Græcæ linguæ peritissimus, vt Caluinus ægrè ferre non debeat, si in intelligentia Græci vocabuli, & sententiæ Paulinæ neminem Chrysost. præferamus.

Sic igitur ille loquitur in comment. huius loci: *Gratiosos*, inquit, *nos reddidit, hoc est, non solum peccatis liberauit, sed & dilectos amicos effecit. Quemadmodum enim, si quis scabiosum quemdã, pestẽ, morbo, senio, paupertate pariter ac fame corruptum, nactus, formosum mox adolescentem reddat, qui quoſuis venustate superet, vehementem splendorem ex genis emittat, ipsaq, fulgura oculorum repercussionibus obscuret. Quem deinde & in ipso ætatis flore constituat, atque insuper & purpura, & omnigeno mundo vestiat, atque exornet. Non aliter animam nostram Deus, & elaboratam, & pulchram, & desiderabilem, ac dilectam reddidit.* Habemus igitur (interprete Chrysostomo) ex Apostoli sententia, in iustificatione non solũ dari nobis remissionem peccatorũ, sed etiã donũ iustitiæ, animã renouantis, & exornantis: & nos à Deo nõ modò gratiosos, & acceptos haberi, sed etiã verè gratiosos, & interna, ac spirituali pulchritudine formosissimos reddi.

Illud autem, *in dilecto filio*, siue, *in Christo*, siue, *in ipso*, quod tam sæpè Apostolus reddit, nihil aliud significat, nisi nos omnia nostra bona debere Christo. Quoniam Deus Pater, intuitu Christi, nos iustificat, quia videlicet diligit filium: quia ipse hoc meruit; quia par est, vt membra dilecti filij sint cõformia capiti; quia decet vt sponsa filij, speciosi præ filiis hominum, sit etiam pulchra atque formosa; quia fratres Christi non debent esse dissimiles primogenito, prædestinauit enim nos conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Itaque valdè absurdè sentiunt hæretici, cũ nos in Christo iustificari, ita exponũt, ac si per Christi iustitiam imputatã, iusti haberemur, quãuis reipsa sordidi semper, & immundi essemus. Sic. n. Christus horribile monstrũ videri posset, cùm caput quidem formosissimum, membra verò turpissima haberet. Et sponsus ipse pulcherrimus, sponsæ teterrimæ coniunctus esset.

ALTERVM argumentũ sumunt ex ca. 4. ad Ephes. vbi B. Paulus: *Induite nouum hominem, qui secũdum Deũ creatus est.* Ista. n. similitudo ab indumento petita, indicat nos iustificari per iustitiam extrinsecam, quæ non inhæret, sed per fidem apprehenditur, & nos tegit, atque operit, ne turpitudo nostra Dei oculos offendat. Confirmant hoc argumentũ exemplo Patriarchæ Iacob, qui indutus vestibus primogeniti, ac pro primogenito reputatus, benedictionem, & hæreditatem à patre obtinuit. Gen. 27.

RESPONDEO, similitudo indumẽti aptissimè conuenit iustitiæ inhærẽti. PRIMVM. n. iustitia inhærẽs cõparatur indumento, quia non est naturalis, nec nascitur nobiscum,

biscum, sed extrinsecus accedit ex infusione Spiritus S. A Sic exponit S. AVG. ser. 15. de ver. Apost. *Sacerdotes tui*, inquit, *induantur iustitia. Vestis accipitur, non cũ capillis nascitur. Pecora de suo vestiuntur.* DEINDE, comparatur etiã vestimento, quia vestes distinguunt homines, vt alij ab aliis discernantur: sic iustitia per bona opera distinguit nos ab impiis, & facit, vt Christum, quem in corde gerimus, vita, & moribus exprimamus. Itaque in hoc ipso loco Apostolus antequam diceret: *Induite nouum hominẽ*, ait, *deponite secundùm priſtinam conuersationem veterem hominem.*

DENIQVE secundùm Hebraicam phrasim verbum *induere*, significat abundanter, & copiosè tegere. Sic dicitur in Psal. 64. *Induti sunt arietes ouiũ, & valles abundabũt frumento.* Est. n. sensus, abundasse greges fœtib. & valles B frumento. Sic etiam Iudicum 6. Spiritus Domini dicitur induisse Gedeonem, quia videlicet copiosè in eum descendit, & quasi vndique illum texit. Sic in Psalmis sæpè legimus, induantur confusione, vbi significatur magna confusio, quæ vndique se ostendat, nec tegi vllo modo possit. Sic igitur dicuntur induere Christũ, siue nouũ hominẽ, qui pleni fide, & caritate in omnib. operibus suis Christum imitantur, & eius doctrinam, vitam, & mores exprimunt, & illi dicuntur induere iustitiam, qui abundantiã gratiæ, iustitiæq; accipiunt. Habemus igitur similitudinem indumenti, non necessariò requirere imputationem iustitiæ Christi, cum satis aptè conueniat in ipsam iustitiam inhærentem.

Potest tamen sano modo accommodari hæc similitudo, vt etiam exemplum Patriarchæ Iacob, iustitiæ imputatæ: si quis dicat, oportere, vt induamus merita Christi, C & illis quodammodo tecti petamus à Deo indulgentiã peccatorum. Nam (vt supra dixi) solus Christus pro peccatis nostris satisfacere potuit, & reipsa ex iustitia satisfecit, & illa satisfactio nobis donatur, & applicatur, & nostra reputatur, cùm Deo reconciliamur, & iustificamur. Itaque si exemplum illud referatur ad iustitiam satisfactionis pro culpa, admitti potest: si verò referatur ad iustitiã, qua formaliter iustificamur, cùm de peccatoribus iusti, & impij de impiis efficimur, omninò reiiciendum, cùm Scripturis, & Patribus, & ipsi rationi manifestè repugnet. Quod enim vnus pro alio satisfaciat, facilè potest intelligi, quod autẽ vnus, sit iustus, quia alius est iustus, est omninò inauditum, & non tam suprà, quàm contrà omnem rationem. D

CAPVT XII.

Soluuntur argumenta ex Actis Apostolorum, & ex parabola publicani.

EX Actis Apostolorum sumit CALVINVS argumentũ vnũ, in quo magnam spem posuisse videtur. Ait enim Apostolus, vt refert S. Luc. Act. 13. *Per hunc annunciatur vobis remissio peccatorum ab omnibus, a quibus non potuistis in lege Moysis iustificari. In hoc omnis, qui credit, iustificatur.* Vbi illud, *Per hunc*, significat, per Christum, nõ per nostras virtutes, & qualitates nos iustificari. Illud *annunciatur*, significat ipsam annunciationẽ diuinæ promissionis, si fide apprehendatur, iustificare, nam vt statim idem Apostolus explicat, in hoc omnis, qui credit, iustificatur. Illud, *remissio peccatorũ*, significat iustificatio- E nem nulla alia in re positam esse, quã in remissione peccati. Proinde non est altera pars iustificationis interna renouatio. Ista enim renouatio non tam est iustificatio, quã iustificationis effectus. Denique illud: *à quibus nõ potuistis in lege Moysis iustificari*, significat, iustificationẽ non consistere in obseruatione legis, sed (vt dictũ est) in sola remissione peccatorũ propter Christi iustitiã imputatã.

RESPONDEO, Illud, *per hunc*, significat quidem, per Christũ, sed non excludit virtutem, & qualitatem à Deo infusam. Nam per Christum iustificamur, vt per causſam efficientem, per virtutem & qualitatem infusam, vt per causſam formalem. Particulam autẽ, *per*, significare causſam efficiẽtem, perspicuum est ex illo Prouerb. 8. *Per me reges regnãt.* Et Io. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Et ad Ro. 1. *Per quẽ accepimus gratiam, & Apostolatũ.* Et ad Hebr. 1. *Per quẽ fecit & secula.* Et ex aliis plurimis locis. Et cùm sit Christus, vel eius iustitia causſa efficiens nostræ iustitiæ, non potest fieri, vt sit causſa formalis eiusdẽ, nisi velimus vnam rem, & eandem esse causſam, & effectum respectu eiusdẽ rei. Causſa. n. formalis, effectus est causæ efficientis. Neq; est cur cõfugiãt ad latibulũ mysteriorũ, & dicãt (vt solẽt) hoc esse mysteriũ fidei, quod ratione attingi nõ potest. Nã mysteria fidei superant quidẽ rationẽ, sed nõ repugnant rationi; neque oportet mysteria fingere, vbi Scripturæ facilem, & perspicuam sententiam præbent.

Illud autem, *annunciatur*, non significat ex sola annunciatione remissionis fidei apprehẽsa homines iustificari. Alioqui nõ dixsset Petrus Act. 2. *Pœnitẽtiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Sed significat, annũciari remissionem peccatorum iis omnibus, qui credunt in Christum, vt oportet, id est, faciendo quicquid ille fieri iussit. Iuxta illud Matt. vlt. *Docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis.* In hoc sensu, omnis qui credit in Christo, iustificatur, id est, qui credit, sicut oportet, implendo videlicet omnia, quæ fides implenda esse demonstrat. Neque enim qui credit Medico, quamuis peritissimo, & infallibiliter curanti, sanatur, nisi pharmaca ab illo instituta recipiat.

Quod verò solã hoc loco nominat Apostolus remissionem peccatorum, non impedit quominus iustificatio constare intelligatur remissione peccatorum, & infusione iustitiæ. Nam (vt suprà non semel ostendimus) remissio peccatorum non est sola condonatio pœnæ, sed est ablutio, & emundatio culpæ, quæ ablutio, & emundatio non fit, nisi succedente nitore gratiæ, & decore iustitiæ. Quod etiam præfert nomen iustificationis, quod à iustitia nomen accepit.

DEINDE, quamuis hoc loco sola mentio fieret iustificationis à peccato; tamen in aliis multis locis mentio fit sanctificationis, mundationis, ablutionis, renouationis. & similium, quæ alterã partẽ iustificationis ostẽdunt.

DENIQVE illud: *A quibus non potuistis in lege Moysis iustificari*, significat obseruationẽ legis, propriis viribus, vel sola ipsa lege iuuante præsumptam, non iustificare, non quod vera legis obseruatio non sit iustitia: sed quod lex ante remissionem peccatorum seruari non possit: Deus enim, cùm per CHRISTI merita reconciliat aliquem, simul ei peccata dimittit, & caritatem infundit, per quam legis mãdata custodiat. Id quod significat sanctus AVGVSTINVS, cùm tam sæpè repetit, opera non præcedere iustificandum, sed sequi iustificatum. Loquitur enim de operibus verè iustis, quibus legis mandata integrè, perfectèque seruantur. Quod, vt possimus, ille facit: *Qui de peccato damnauit peccatum, vt iustificatio legis impleretur in nobis*, ad Romanos octauo.

ALTERVM argumentum sumunt ex alio libro eiusdem beati Lucæ, videlicet ex cap. 18. Euangelij, vbi proponitur parabola publicani, & Pharisæi. Nã publicanus dicitur iustificatus, cùm solùm postulasset remissionem peccatorum, dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Cõtrà, Pharisæus prædicans dona Dei sibi collata, & gratias agens, discessit minimè iustificatus. Igitur iustificatio non in donis, & operibus bonis, etiam Deo adiuuante, factis, sed in sola peccatorum remissione consistit.

RESPONDEO, Publicanus, cùm dixit, Deus propitius esto mihi peccatori, non petiit solã debiti condonationem, quasi vellet iniquus esse, sed non haberi à Deo, neque puniri: sed petiit integram reconciliationẽ: & talẽ

Universidad de Deusto
Biblioteca

obtinuit. Vnde Dominus parabolâ cõclusit: *Descẽdit hic iustificatus ab illo, quia omnis qui se humiliat, exaltabitur, & qui se exaltat, humiliabitur.* Exaltatio autẽ humilis, & pœnitẽtis publicani, aliquid amplius certè significat, quàm solam delictí condonationem. Non enim dicuntur exaltari, quibus debita dimittuntur, sed qui ad gradus, & honores euehuntur. Itaque publicanus ideo dicitur exaltatus, quia de peccatore iustus, de seruo peccati, seruus iustitiæ, de filio diaboli, filius Dei repentè factus est.

Porrò Phariſæus, nõ quia dona Dei recenſebat, & ipſi Domino gratias agebat, publicano poſtponi meruit, ſed quia tumore ſuperbiæ plenus erat, & in ſua iuſtitia ita cõfidebat, vt nihil ſibi addi, nihil ſibi ignoſci peteret: inſuper etiam publicanum humilem contemnebat. Alioqui enim alius publicanus Lucæ 19. qui bona opera promittebat, dicens: *Domine, ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſi quem defraudaui, reddo quadruplum.* audiuit à Domino: *Hodie ſalus huic domui facta eſt.* Et Ezechias Rex, qui morti proximus in oratione, bona ſua opera ſincero corde prædicauit, dicens: *Obſecro, Domine, memento, quæſo, quomodo ambulauerim coràm te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonũ eſt in oculis tuis fecerim.* Iſaia teſte c. 38. exauditus eſt à Deo, & additi ſunt ad vitam eius quindecim anni. Non igitur confeſſionẽ operum bonorum, ſed tumorem ſuperbiæ: & inanem fiduciam Deus in Phariſæo dãnauit, qui, (vt ait S. Auguſtinus hom. 2. ex lib. 50. homiliarũ) iactabat merita ſua, & occultabat vulnera ſua.

CAPVT XIII.

Soluuntur argumenta ex Patribus.

PRAETER loca Scripturarum profert etiã CALVINVS tria teſtimonia Patrum.

PRIMVM eſt ſancti AMBROSII in Pſal. 118. ſermone tertio: *Qui dicit* (inquit Ambroſius) *peccata ſua, iuſtificatur.* Si dicere peccata iuſtificari eſt, nihil erit aliud iuſtificatio, niſi remiſſio peccatorum. Nam ideo qui dicit, peccata ſua, iuſtificatur; quia confitenti Deus ignoſcit, iuxta illud: *Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.*

RESPONDEO, Iam ſæpè diximus, Iuſtificationem, eſſe remiſſionem peccati, & remiſſionem peccati, eſſe iuſtificationem, ſed remiſſionem iſtam peccati nõ eſſe ſolam liberationem à debito luendi pœnam, ſed eſſe ipſius iniquitatis, & maculæ in animo reſidentis per infuſionem gratiæ, & inſtitiæ mundationem. Id quod vel ex vno Dauidis Pſalmo intelligi poteſt. Quod enim ait Dauid 2. Regum duodecimo: *Peccaui Domino*: & audiuit, *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum à te*: & quod dixit in Pſal. 31. *Dixi: confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam, & tu remiſiſti impietatem peccati mei*: explicat fuſius in Pſalmo quinquageſimo, vbi ex eo, quod petiit, intelligimus quid acceperit. Sic igitur ait: *Amplius lauа me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me. Aſperges me, Domine, hyſſopo, & mundabor, lauabis me, & ſuper niuẽ dealbabor. Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.*

Hoc modo fatemur eum, qui dicit peccata, iuſtificari; & iuſtificationem eſſe remiſſionem peccati, ita vt anima ante ſordida mundetur, & ſuper niuem dealbetur, & cor immundum, & diſtortum, reformetur, ac renouetur, vt iam aliud, & quaſi recens creatum videri poſſit.

ALTERVM teſtimoniũ eſt ſancti AVGVSTINI. lib. 19. de ciuitate Dei, c. 27. vbi ſic ſcribit: *Ipſa noſtra iuſtitia, quamuis vera ſit propter veri boni finem, ad quem referuntur: tanta tamen eſt in hac vita, vt potius peccatorũ remiſſione conſtet, quàm perfectione virtutum.* Quibus verbis negare videtur ſanctus Auguſtinus, iuſtitiam noſtram eſſe virtutem à Deo infuſam. Qui enim dicit, hoc potius volo, quam illud, idem eſt, ac ſi diceret, hoc volo, non illud.

RESPONDEO, Illud, *potius*, hoc loco non excludit perfectionem virtutum, ſed præponit remiſſionẽ peccati, vt ſenſus ſit, iuſtitiam noſtrã, quæ partim in remiſſione peccati, partim in perfectione virtutũ ſita eſt, magis cõſtare remiſſione peccati, quàm perfectione virtutis. Id autem ita eſſe manifeſtè probatur. PRIMO ex eo, quod dicit Auguſtinus, hanc eſſe veram iuſtitiam propter finẽ veri boni, ad quẽ refertur. Hæc enim iuſtitia non eſt iuſtitia Chriſti imputata, nec abſolutio à peccatis, ſed iuſtitia nobis inhærens, quam dicit eſſe veram, propter veri boni finem. vt eam diſtinguit à iuſtitia Philoſophorũ, quorum opera iuſta erant ex genere ſuo, ſed carebãt recto fine, quia non referebantur ad Deum, cùm non fierent ex fide, vt prolixè diſputat idem Auguſtinus libro 4. in Iulianum. Noſtra autẽ iuſtitia vera eſt, quia per eã non ſolùm facimus opera iuſta ex genere, ſed etiam ex omnibus circumſtantiis, ac potiſſimum ex fine. Cùm igitur ſit in nobis vera iuſtitia, Auguſtini teſtimonio, & ea iuſtitia ſit virtus, diuinitus infuſa: quomodo diceret Auguſtinus, iuſtitiam noſtram non conſtare perfectione virtutis, ſed ſola remiſſione peccati?

SECVNDO, idem probatur ex eo, quod in eodem capite, paulò infrà idem Aug. dicit: *Hæc itaque in vnoquoque iuſtitia eſt, vt obedíeti Deus homini, animus corpori, ratio autẽ, vitiis etiã repugnantibus imperet, vel ſubigendo, vel reſiſtendo: atque vt ab ipſo Deo petatur, & meritorum gratia, & veniæ delictorum, ac de acceptis bonis gratiarum actio perſoluatur.* Vbi vides, iuſtitiam definiri non ſola remiſſione peccati, ſed etiam perfectione virtutis, qua ratio Deo paret, & corpori imperat, & vitiis dominatur.

TERTIO, probatur ex omnib. illis locis, quos adduximus c. 8. & ipſius Caluini confeſſione, qui (vt ibi notauimus) fatetur, Auguſtinum ad ſanctificationem, & renouationem, iuſtificationis gratiam retuliſſe.

Cur autem dicat Auguſtinus, iuſtitiam noſtrã in hac vita potius, id eſt, magis conſtare remiſſione peccati, quam perfectione virtutis, duplex eſt ratio: VNA, quia peccata in Baptiſmo perfectè delentur, & purgantur, vt nihil omninò remaneat, quod habeat rationem culpæ: virtutes autem infuſæ, ita ſuo quodam modo perfectæ ſunt, vt quotidie magis, ac magis perfici debeant.

ALTERA, quoniam remiſſio peccati, ſemel facta, nõ eget noua infuſione virtutum: at virtus ſemel infuſa, eget quotidie noua remiſſione peccati, non lethalis, quod cũ iuſtitia ſimul eſſe non poteſt, ſed venialis. Iuſti enim, tametſi multa bona, & iuſta opera faciunt, tamen ſæpè etiã labũtur in peccata leuia, & venialia. Atque hoc eſt quod in eo loco potiſſimum ſanctus Auguſtinus intẽdit. Nam cùm dixiſſet, iuſtitiam noſtram in hac vita potius conſtare remiſſione peccati, quàm perfectione virtutis: Continuò, vt id probaret, ſubiunxit hæc verba: *Talis eſt oratio totius ciuitatis Dei, quæ peregrinatur in terris. Per omnia quippe membra ſua clamat ad Deum, Dimitte nobis debita noſtra. Nec pro eis eſt efficax hac oratio, quorum fides ſine operibus mortua eſt. Sed pro eis, quorum fides per dilectionem operatur. Quia enim Deo quidem ſubdita, in hac tamen conditione mortali, & corpore corruptibili, quod aggrauat animam, non perfectè ratio vitiis imperat, ideo neceſſaria eſt iuſtis talis oratio.* Vides iuſtos eſſe, qui ſic orant, ac per hoc egere indulgentia venialium delictorum, quæ iuſtitiam non tollunt è medio, non autem remiſſione lethalium, quæ ſi iuſti cõmitterent, hoc ipſo iuſti non eſſent.

TERTIVM teſtimonium eſt ſancti BERNARDI, qui in epiſtola 190. ad Innocentium ſic ait: *Iuſtum me dixerim, ſed illius iuſtitia. Quoniam ipſe finis legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. Denique qui factus eſt nobis*, inquit, *iuſtitia, a Deo Patre.* Et ſermone vigeſimo ſecundo in Cantica, exponens illud: *Qui factus eſt nobis ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio. Sapientia*, inquit, *in prædicatione, iuſtitia in abſolu-*

abſolutione peccatorũ. Et infrà: *Delicta iuuẽtutis meæ, & ignorantias meas ne memineris, & iuſtus ſum.* Et ſermone vigeſimo tertio: *Sufficit mihi ad omnem iuſtitiam ſolũ habere propitium, cui ſoli peccaui.* Et paulò pòſt: *Non peccare Dei iuſtitia eſt, hominis iuſtitia, indulgentia Dei.*

RESPONDEO, In epiſtola 190. iuſtitiam Chriſti ſanctus Bernardus vult eſſe noſtram, quomodo peccatum Adami fuit noſtrum, quia videlicet iuſtitiam Chriſti participamus per regenerationem, ſicut peccatum Adami per generationem. Proinde ſicut peccatum Adæ in nos traductum, nõ eſt illud, quod Adamo inhærebat, ſed aliud nobis inhærens, ſed ab illo deriuatum: ſic iuſtitia Chriſti, nobis donata, non eſt illa, qua ipſe iuſtus eſt, ſed alia, quæ nobis inhæret, ſed ab illa ſine dubio deriuata.

Sed verba eius audiamus: *Qui factus eſt*, inquit, *nobis iuſtitia à Deo Patre, qua ergo mihi iuſtitia facta eſt, mea non eſt? Si mea traducta culpa, cur non & mea indulta iuſtitia? Et ſanè mihi tutior donata, quam innata.* Et infrà: *Ergo docuit iuſtitiam, non dedit? oſtendit caritatem ſed non infudit?* Vbi reprehẽdit Petrũ Abailardũ, qui dicebat, CHRISTVM profuiſſe hominibus doctrina, atque exemplo, non autẽ nos redemiſſe, nec iuſtitiam, & caritatem infudiſſe.

In ſermonibus autem in Cantica dicit quidem, Chriſtum nobis eſſe iuſtitiam, quia nos à peccato iuſtificauit; & indulgentiam Dei noſtram eſſe iuſtitiam: ſed nomine indulgentiæ, & remiſſionis, intelligit plenam iuſtificationem; quoniam (vt ſæpè diximus) nunquam remittitur culpa, quin ſimul infundatur iuſtitia. Quod ſi aliquãdo per indulgentiam intelligit ſolam remiſſionẽ, adiũgit tunc etiam iuſtificationem, vt cùm ait in ſermone vigeſimo ſecundo: *Tam validus es ad iuſtificandum, quam multus ad ignoſcẽdum.* Et infrà: *Sic tactus a peccatrice iuſtus, iuſtitiam impertit, non perdit, nec ſorde peccati, qua illam mundat, ſe inquinat.* Vides hìc apertè diſtingui duas partes iuſtificationis, cùm CHRISTVS iuſtitiam Magdalenæ impertit, & maculas tergit. Et infrà de ſancto Petro: *Qui lapſus fleuit amarè, quatenus culpam dilueret, recuperaret iuſtitiam.* Idem etiam ſanctus BERNARDVS in ſermone quinto de verbis Iſaiæ: *Vidi Dominum, &c.* luculenter tradit iuſtitiam nobis inhærentem, eámque diſtinguit à iuſtitia, qua iuſtus eſt CHRISTVS, quod noſtra in hac vita ſit recta, ſed non pura, ob admixtionem venialium delictorum: CHRISTI. autem, & recta ſit & pura.

CAPVT XIV.

Soluitur argumentum petitum ex ratione.

ARGVMENTVM POSTREMVM ex dupli ci ratione depromũt. PRIMA ratio ſumitur ab imperfectione iuſtitiæ noſtræ: Iuſtitia enim debet exactè reſpõdere legi: nulla autem humana iuſtitia exactè reſpondet legi, iuxta illud Pſal. 142. *Non intres in iudicio cũ ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* Et illud S. GREGORII. lib. 8. Moraliũ, c. 23. *Quamlibet iuſtitia polleant, nequaquam ſibi ad innocentiã vel electi ſufficiunt, ſi in iudicio diſtrictè requirãtur.* Cùm igitur humana iuſtitia iudiciũ Dei ſuſtinere nõ poſſit, neceſſe eſt, vt confugiamus ad iuſtitiam Chriſti, quæ nobis imputetur, vt per eam iuſti haberi, ac pronunciari in diuino iudicio valeamus.

RESPONDEO, hoc argumentum, ſi quid probat, probat iuſtitiam actualem non eſſe perfectam: non autem probat, iuſtitiam habitualẽ, qua formaliter iuſti ſumus, vt paulò pòſt fuſius oſtendemus, non eſſe ita perfectam, vt abſolutè, ſimpliciter, & propriè iuſti nominemur, & ſimus. Non enim formaliter iuſti ſumus opere noſtro, ſed opere Dei, qui ſimul maculas peccatorum tergit, & habitum fidei, ſpei, & caritatis infundit. *Dei autẽ perfecta ſunt opera*, Deuteronomij trigeſimo ſecundo. Et *Exquiſita in omnes voluntates eius*, Pſal. 110. Vnde paruuli baptizati, verè iuſti ſunt, quamuis nihil operis fecerint. Addo præterea, nec de iuſtitia actuali argumentum illud rectè concludere. Iuſtitia enim actualis, quamuis aliquo modo ſit imperfecta, propter admixtionem venialium delictorum, & egeat quotidiana remiſſione peccati; tamen non propterea deſinit eſſe vera iuſtitia, & ſuo etiã quodam modo perfecta. Sed de hac re dicemus in libro de iuſtitia actuali.

ALTERVM argumentum aduerſariorum ſumitur ab iniuria, quã ipſi exiſtimant fieri meritis, & iuſtitiæ Chriſti, ſi per inhærentem iuſtitiam iuſtificari dicamur. Addunt etiam TERTIVM ab occaſione ſuperbiæ, quam dicunt hominibus præberi, ſi eis dicatur, propriam ipſos, atque inhærentem habere iuſtitiam.

RESPONDEO, Neque Chriſti gloria, neque noſtra humilitas indiget protectione mendacij, nihil detrahimus Chriſti meritis, cùm ab illorum virtute, & efficacia confiteamur iuſtitiam noſtram omninò pendere. Sed aduerſarij multum detrahunt de Chriſti gloria, cùm affirmant eum non potuiſſe tot ſuis laboribus, & doloribus tam profunda humilitate, tam accurata obedientia, tam ardenti caritate à Patre impetrare, vt peccata noſtra verè deleret, noſque ad veram iuſtitiã reformaret. Et plus multò tribuũt Sathanę ad nocendum, quàm CHRISTO ad curandum: & maiores vires peccati volunt fuiſſe, quàm gratiæ.

Nulla quoque datur ſuperbiendi occaſio iis, quibus dicitur: *Quid habes, quod non acceꝑiſti, ſi autem acceꝑiſti, quid gloriaris quaſi non acceꝑeris?* Et: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Et: *Gratia ſalui facti eſtis per fidem.* Et: *Hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur.* Hæc autem omnia Catholici dicunt, cùm dicunt, homines ex dono Dei habere iuſtitiam, id eſt, caritatẽ in corde diffuſam per Spiritum ſanctum, qui datus eſt eis ex merito obedientiæ & paſſionis Chriſti.

Aduerſarij verò an non incredibili tumore ſuperbiũt, qui ſe ipſam Chriſti iuſtitiã apprehendiſſe iactant, & inde ſe nulli Sanctorum æquare formidãt. Certè Lutherus in ſerm. de natali B. Virginis, omnes fideles ipſi Deiparæ facit æquales. Nec defuerunt, qui ſe ipſi etiam Chriſto æquare contenderent, vt Ruardus teſtatur in explicatione articuli de iuſtificatione.

CAPVT XV.

Iuſtitiam, qua formaliter iuſtificamur, habitualem eſſe, non actualem.

EXPEDITA controuerſia de iuſtitia in hærente, ſequitur ALTERA quæſtio breuior, Vtrũ iuſtitia inhærens, per quã formaliter iuſti ſumus, ſit iuſtitia habitualis, an actualis, an vtraque. Diſputant enim de hac re Catholici Doctores, cùm in eo conueniant omnes, vt ſit in nobis vera iuſtitia inhærens, non autem Chriſti iuſtitia imputata.

NOS eorum ſententiam magis conformem eſſe iudicamus Scripturis, Concilio Tridentino, teſtimoniis Patrum, & rationi, quæ docet, ſolam eſſe habitualem iuſtitiam, per quam formaliter iuſti nominamur, & ſumus: iuſtitiam verò actualẽ, id eſt, opera verè iuſta, iuſtificare quidẽ, vt ſanctus Iacobus loquitur, cùm ait c. 2. ex operibus hominem iuſtificari, ſed meritoriè, nõ formaliter.

Quod igitur ad SCRIPTVRAS attinet, ea teſtimonia nobis hoc loco ſufficere poſſe videntur, quæ docent, nos per Sacramenta iuſtificari Ioãnis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, &c.* Ad Epheſ. 5. *Mundãs eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Ad Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè.* At certè Sacramenta non iuſtificant, niſi concurrẽdo per modum inſtrumenti ad infuſionem

Universidad de Deusto
Biblioteca

iustitiæ habitualis. Nam si iustificare deberent excitando actualem fidem, & dilectionem, frustrà adhiberetur Baptismus infantibus, & frustrà baptizarentur, vel reconciliaretur ij, qui vi morbi alicuius, vsum rationis, & sensuum amisissent. Quos tamen rectè baptizari, vel reconciliari docet sanctus AVGVSTINVS libro primo de adulterinis coniugiis, capite vltimo. Vide alia testimonia in lib. 1. de gratia, & libero arbitrio, capite 4. vbi ex Scripturis, & Patribus probauimus, gratiam gratum facientem, esse qualitatem.

Quod verò attinet ad CONCILIVM TRIDENTINVM, pespicua res nobis esse videtur. Nam quod agnoscat Concilium habitualem iustitiam, patet ex sess. 6. cap. 7. vbi dicit, causſam formalem iustificationis esse iustitiam, siue caritatem, quam Deus vnicuique propriam infundit, secundùm mensuram dispositionum, & quæ in cordibus iustificatorum inhæret. Quæ certè non conueniunt propriè, nisi in iustitiam habitualem. Illa enim est, quæ requirit dispositiones; illa quæ propriè infunditur ab alio, non à nobis exhibetur: illa quæ verè, & permanenter inhæret, cùm non sit actus transiens, sed qualitas permanens.

Quod autē idem Concilium negat, per actualem iustitiam nos formaliter iustificari, intelligi potest ex eodem capite, vbi Concilium docet, vnicam esse formalem causſam iustificationis. Nam si vnica est formalis causſa iustificationis; non igitur iustificamur formaliter per habitualem, & actualem iustitiam, cùm istæ duæ sint, non vna. Adde quod idem Concilium in eadē sessione sexta, canone tertio, distinguit gratiā iustificationis ab actibus fidei, spei, & dilectionis. Adde etiam testimoniū Catechismi Romani, eiusdem Concilij auctoritate confecti. Sic enim loquitur in tractatu de Baptismo: *Est autē gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendū pœna anathematis proposita, decreuit non solum per quam peccatorum sit remissio, sed diuina qualitas in anima inhærens, ac veluti splendor quidam, & lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasq; animas pulchriores, & splendidiores reddit.* Et paulò pòst addit auctor eiusdem libri, per eam qualitatem ad omnia Christianæ pietatis officia nos habiles reddi. Et rursus paulò infrà adiūgit, ex eadem pias, honestasque actiones proficisci. Quem locum citauimus in 1. lib. de gratia, & libero arbitrio, sed placuit eū repetere, quoniam luculenter explicat Concilij sententiam, & nulla ratione, quæ Concilium de causſa formali tradit, ad actualem iustitiam detorqueri patitur.

Iam verò quod attinet ad testimonia PATRVM vnius Aug. testimonio cōtēti erimus, quod satis multa loca patrū loco notato sint à nobis allata. Sāctus igitur AVGVSTINVS plurimis in locis docet, opera iusta esse effectus iustificationis, ac per hoc non causam formalem eiusdē, lib. de fide, & operibus, cap. 14. *Sequuntur opera iustificatum, non præcedunt iustificandum.* Lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum, c. 2. *Non viuunt homines benè, nisi prius effecti sint filij Dei.* In Psal. 110. *Iustitiam homo non operatur, nisi iustificatus.* Lib. de spiritu, & litera, cap. 26. Sic *intelligendum est, factores legis iustificabitur, vt sciamus, eos non aliter esse factores legis nisi iustificentur: vt non iustificatio factoribus accedat, sed factores legis iustificatio præcedat.* Et cap. 30. *Per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam sanatio animæ à vitio peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrij, per liberum arbitrium iustitiæ dilectio, per iustitiæ dilectionē legis operatio.* Denique in Psal. 118. cōcione 26. explicās illud: *Feci iudicium, & iustitiā*, inquit, *nomine hoc loco non ipsa virtus, sed opus eius significatum est. Quis enim fecit in homine iustitiā, nisi qui iustificat impiū? hoc est, per gratiam ex impio facit iustum. Facit ergo iustitiam, id est, opus iustitiæ, qui habet in se iustitiam, id est, opus gratiæ.* Vbi per opus gratiæ intelligit sine dubio ipsam virtutē infusam. Nā ideo dixerat, per iustitiā, quā facit, homo, nō intelligi virtutem, sed opus eius, quoniam virtutem in homine non facit homo, sed Deus. Et initio dixerat, iustitiam esse virtutem magnam, præcipuéque laudabilem.

Circa hæc Augustini testimonia, sunt aliqua breuiter obseruanda; PRIMVM est, impudenter iis abuti nonnūquam hæreticos, vt probent, opera non misceri iustificationi, & solā fidem in ea locū habere. Falluntur enim hæretici duabus de causſis; PRIMO, quoniam non loquitur Augustinus de operibus, quæ disponunt ad iustitiam acquirendam, quales sunt actus fidei, spei, dilectionis, pœnitentiæ, & alij similes: sed solùm de operibus absolutè iustis & meritoriis. Quamuis autem opera, absolutè iusta, vt Augustinus rectè dicit, sequantur iustificatum, non præcedant iustificandū: tamen opera pœnitentiæ disponentia ad gratiam iustificationis omninò præcedunt, vt suo loco ex eodem Augustino docuimus. SECVNDO falluntur, quoniam sanctus Augustinus loquitur de prima tantùm iustificatione, qua iustificatur impius, non dè secunda, qua iustus iustificatur adhuc, id est, in iustitia crescit. Quamuis autē fateamur cum Augustino, in prima iustificatione non admisceri opera, perfectè iusta, tamen in secunda iustificatione docemus cum eodem Augustino, opera iusta maximè admisceri, vt in disputatione de actuali iustitia suo loco, Deo fauente, monstrabimus.

SECVNDO loco obseruandum est, non posse eludi testimonia à nobis allata, si quis fortè dicat, Augustinū per iustificationem intelligere initium iustificationis, id est, fidem, ac velle dicere, opera iusta non posse fieri sine fide. Nam in Psalm. 110. vbi Augustinus dixit, non posse fieri opera iustitiæ, nisi ab homine iam iustificato; ibidem obiicit sibi orationem, & confessionem publicani, quæ præcessit iustificationem, & tamen fiebat ex fide. *Vnde ergo*, inquit, *illa confessio? nondum quidem opus est iustitiæ, sed delicti improbatio.* Hic certè videmus AVGVSTINVM loqui de operibus iustitiæ, quæ prærequirunt perfectam iustificationem. Idem etiam AVGVSTINVS, cùm tam sæpè repetit, fide impetrari iustificationem, vt in libro de spiritu & litera, cap. 29. & alibi, apertè distinguit iustificationem à fide. Et cùm dicit, homines non benè viuere, nisi prius effecti sint filij Dei: nonne apertissimè loquitur de perfecta iustificatione, quæ non solum initium fidei, sed etiam ipsam regenerationem, & adoptionem includit?

TERTIO NOTANDVM est, non posse etiam eludi hæc testimonia, si quis dicat, Augustinum per iustificationis gratiam, quæ præcedit operationem iustitiæ, non intelligere habitum aliquem permanentem, sed continuam motionem Dei, vel ipsam rectitudinem voluntatis erga Deū, vt ipse Augustinus definit in lib. 19. de Ciuit. Dei, c. 27. qui etiam alibi dicit, caritatem esse motū animi. Non possunt, inquam, hoc modo eludi testimonia allata. Nam motio illa Dei nihil ponit in nobis reale, & inhærēs, nisi actus nostros. Actus autem nostri ex Augustino prærequirunt iustificationem, non ipsi formaliter iustificant: proinde iustificatio non esset aliquid reale in nobis, & inhærens ex sententia sancti Augustini, quod nemo Catholicus admittet. DEINDE, Augustinus apertè dicit, nos iustificari per infusionē iustitiæ, quæ est virtus magna, præcipuéque laudabilis, concione 26. in Psal. 118. & eam distinguit ab opere iustitiæ. DENIQVE, idem Augustinus in lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione, c. 9. scribit, nos iustificari per communicationem gratiæ spiritualis, quam Deus latenter infundit & paruulis. At certè paruuli non habent continuam illam Dei motionem.

Rectitudo autem illa voluntatis, & aliarum potentiarum, si præcisè sumatur, non est aliquid reale, infusum, & inhærens, sed ordo quidam, & relatio rationis. Fides autem Catholica iustificari nos docet per aliquid reale

reale, infusum, & inhærens. Iustitia igitur, qua formaliter iustificamur, est habitus infusus, & inhærens, ex quo rectitudo illa potentiarū consequitur. Sāctus autem Augustinus in lib. 19. de Ciuit. Dei, cum dicit, caritatem esse motum animi, definit iustitiam actualem, vel certè ab effectu declarat, quid sit illud quo formaliter iusti sumus. Atque hæc de sententia Augustini.

Porrò rationi consentaneam esse hanc sententiam, quæ docet, nos formaliter iustificari per habitum, non per actum, facilè probari potest. PRIMVM enim iustitia, qua formaliter iustificamur, non est solum in adultis, sed etiam in paruulis baptizatis. At in paruulis nulla esse potest iustitia actualis.

SECVNDO, iusti non tantùm, cùm operantur, sed etiam cùm cessant ab opere, iusti sunt, neque enim dormientes iustos deserit iustitia.

TERTIO, Spiritus sanctus peculiari modo inhabitat iustificatos, non adultos tantùm, sed etiam paruulos, vt sanctus Augustinus scribit in epist. 57. ad Dardanum, & 105. ad Sixtum: nec desinit vnquam inhabitare, donec iusti sunt, vt omnes concedunt. At non potest intelligi, quomodo Spiritus sanctus semper inhabiter iustos, & non inhabiter peccatores, nisi aliquid, atque id permanens, efficiat in iustis, quod non efficit in peccatoribus. Id autem est gratia iustificationis.

QVARTO, non dicitur homo peccator, quia malè operatur, sed quia transeunte opere malo, remanet in illo peruersio, & macula per modum habitus: Igitur à contrario sensu, non dicitur iustus formaliter, qui operatur iustitiam, sed qui habet in se iustitiam, & rectitudinem, per modum habitus permanentem.

QVINTO, ipsi etiam Philosophi hoc docent, non posse rectè dici iustum, qui vnum, aut aliud opus efficit iustum, sed qui per habitum ita dispositus est, vt possit, quando velit, facilè, perfectè, & cum delectatione operari iustitiam.

CAPVT XVI.

Soluuntur obiectiones contra doctrinam capitis superioris.

ADVERSVS ea, quæ diximus obiici possunt, PRIMO, testimonia Scripturarum, quæ docent, homines iustificari operibus, vt ad Roman. 2. *Factores legis iustificabuntur.* Iacobi 2. *Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo.* 1. Ioan. 3. *Qui facit iustitiam, iustus est.*

RESPONDEO, PRIMVM testimonium TRIBVS modis explicari potest. Nam factores legis iustificabuntur, id est, augmentum iustitiæ merebuntur, ac per hoc iustificabuntur per opera meritoriè, non formaliter. ITEM, factores legis iustificabuntur, id est, qui cupiunt verè legis esse factores, dent operam, vt iustificentur. Nō enim iustitiam legis faciunt, nisi iustificati. Ita explicat sanctus Augustinus libro de spiritu, & litera, cap. 26. DENIQVE, factores legis iustificabuntur, id est, in diuino iudicio iusti iudicabuntur, & iustitiæ coronam iustè consequentur. Sic etiā exponit in eodem loco idem Augustinus. Estque hæc, præter cæteras maximè literalis expositio. Siquidem tractat eo loco beatus Paulus de præmiis, & pœnis, in quibus nō debet esse exceptio personarum: *Gloria*, inquit, *honor, & pax omni operanti bonum, ira, & indignatio omni operanti malum. Non enim est acceptio personarum apud Deum, & quicumque sine lege peccauerunt, sine lege peribunt, & quicumque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.*

ALTERVM testimonium explicatur ab ipso Tridentino Concilio, sess. 6. cap. 10. de secunda iustificatione, qua qui iustus est, iustificatur adhuc, dum per opera iusta iustitiæ habitualis augmentum promeretur.

TERTIVM testimonium non docet, quid faciat hominem formaliter iustum, sed vnde possit cognosci, an aliquis sit iustus. Ille enim iustus est, qui iustitiam facit, sicut ille viuens est, qui mouetur: & illa est arbor bona, quæ fructus facit bonos, nec tamen ideo est arbor bona, quia facit fructus bonos, nec ideo viuit aliquis, quia mouetur, sed contrà ideò mouetur: quia viuit, & ideò facit fructus bonos, quia est arbor bona: Sic igitur qui facit iustitiam, iustus est, sed non ideò iustus, quia facit iustitiam, sed ideò iustitiam facit, quia iustus est.

SECVNDO, obiici potest TRIPLEX ratio, ducta ex natura iustitiæ habitualis. PRIMO, si iustitia habitualis esset formalis causſa iustificationis, formaliter peccato opponeretur. Id autem non ita est, nam iustitia habitualis non opponitur peccato contrariè, nec priuatiuè, proinde nullo modo: non opponitur contrariè, quoniam habitus iustitiæ contrarius est habitui iniustitiæ, qui non est peccatum, sed vitium ex malis actibus contractum, quale etiam in iustificatis reperiri potest, non opponitur priuatiuè: quoniam peccatum non est priuatio iustitiæ habitualis, sed deuiatio, ac recessus à regula rationis, siue à lege Dei. Neque enim sunt idem recessus à regula, & priuatio iustitiæ habitualis, vt ex eo potest intelligi, quod qui in peccato sunt, iterum peccant, si præuaricentur legem, & tamen iustitiam habitualem non amittunt, cum eam non habeant: neque enim amitti potest, quod non habetur.

SECVNDO, si iustitia habitualis, esset formalis causſa iustificationis: ea iustitia faceret nos gratos Deo, & acceptos ad regnum: at non ita est, nam iustitia habitualis donum Dei est, & ex prædestinatione datur electis iam antè ad regnum. Itaque quia sunt grati, & electi in prædestinatione, datur illis hoc donum, tanquam medium ad consequendum finem.

TERTIO, si iustitia habitualis esset formalis causſa iustificationis, non posset vllo modo aliquis iustificari, sine infusione iustitiæ habitualis, causſam enim formalem, ne à Deo quidem suppleri posse scholæ communiter docent. At non desunt grauissimi Theologi, qui sentiant, posse per Dei potentiam absolutam, tolli peccatum, sine infusione iustitiæ: igitur non est omninò certum, nec tamquam dogma Ecclesiasticum defendi debet, causſam formalem iustificationis esse habitum caritatis infusum.

Ad hæc omnia argumenta RESPONSIO erit in prōptu, si breuiter explicemus, ac probemus, habitualem iustitiam QVATVOR habere formales effectus, videlicet, purgare peccatum, effiecre iustum, conciliare Deo, ordinare ad regnum.

De PRIMO effectu multa disseruimus in quinto libro de statu peccati, qui erat secundus de peccato originis, in duobus extremis capitibus. Nunc in pauca rem contrahemus. SCIENDVM igitur est, non esse multum laborandum, quemadmodum tollatur actus peccati, is enim per se transit, dum fit: sed quemadmodum tollatur id, quod manet, transeunte actu, & vnde dicitur homo formaliter peccator. Hæc autem sunt auersio à Deo, macula, dignitas pœnæ, & indignitas gratiæ: reatus, siue obligatio ad pœnam, & offensa, atque inimicitia Dei.

Porrò auersio, siue declinatio à DEO, & à lege, quæ maximè propriè peccatum est habituale, priuatiuè opponitur conuersioni ad Deum, & conformitati ad legem: proinde non potest tolli, etiam de potentia Dei absoluta, sine ipsa conuersione, & conformitate. Hæc, autem conuersio, & conformitas habitualis esse debet sicut auersio, & declinatio habitualis est. Conuersio

Universidad de Deusto
Biblioteca

verò, & conformitas habitualis vera, atque perfecta, quæ est, vel esse debet in homine, nihil est aliud, nisi habitus caritatis, qui omnes virtutes eminenter continet, & (vt loquitur AVGVSTINVS) plenissima iustitia est. Ergo solus habitus caritatis formaliter tollit, quod in homine peccatore maximè propriè habet rationem peccati.

Macula quoque non potest vlla ratione formaliter tolli, nisi per eumdem habitum caritatis. Nam quemadmodum ex auersione illa orta est macula, ita ex conuersione contraria tollitur macula. Neque differunt, nisi ratione auersio, & macula, ac per hoc eadem est ratio vtriusque.

Dignitas, siue meritum pœnæ, & indignitas gratiæ, nascitur ex auersione, & macula: proinde ex conuersione, & restituto decore tolletur. Nam quemadmodum qui à Deo recessit, & distortus, ac deformis euasit, dignus est qui odio habeatur, & indignus qui diligatur: Sic etiam, si rursus ad Deum accesserit, atque ab eo lumen & decorem acceperit, dignus erit qui diligatur, indignus qui odio habeatur.

Reatus pœnæ, & offensa, possent quidem tolli sine infusione iustitiæ, nihil enim impedire videtur, quo minus possit Deus velle non ordinare ad pœnam, & condonare offensam, & non habere pro inimico illum, cui donum habitualis iustitiæ non cõcesserit, tamen tolluntur etiam ista per habitualem iustitiam: & sine ea ordinariè non tolluntur: nec possunt non tolli, si donum illud præcesserit. Quomodo enim fieri potest, vt velit Deus inimicus esse illi, atque eum in æternum perdere, quem per infusionem caritatis amicum suum, immõ & filium fecerit? Habemus igitur primum effectum formalem iustitiæ, id est, caritatis habitualis, diuinitùs infusæ, esse de medio tollere, ac delere peccatum.

De ALTERO effectu res erit adhuc facilior. Nam tametsi possit homo vtcumque iustus fieri, per humanas virtutes, Dei potissimùm adiutorio concurrente, acquisitas: tamen iustus ea iustitia, quæ hominem perfectè disponat in ordine ad vltimum finem, etiam supernaturalem, & ad omnes leges, etiam supernaturales, nullo modo fieri poterit, nisi per caritatem diffusam in corde, per Spiritum sanctum, ea siquidem est verissima, plenissima, perfectissimaque iustitia, vt sanctus AVGVSTINVS rectè docet in libro de natura, & gratia, capite quadragesimo secundo, neque sufficit actualis dilectio, qualis per auxilium Dei speciale haberi potest, sed requiritur habitualis. Nã (vt suprà diximus) non est iustus, qui interdum iusta opera facit, sed qui perfectè, atque intrinsecè ita dispositus est, vt possit, quando velit, promptè, facilè, cum delectatione operari.

TERTIVS effectus infusæ caritatis, est reconciliare hominem Deo, id est, gratum, & amicum Deo facere, & hic quidem non est immediatus caritatis effectus, sed consequens ex natura rei absolutè. Caritas enim infusa, si consideretur, vt habet ordinem ad subiectum, propriè facit hominem iustum, bonum, formosum, si consideretur, vt habet ordinem ad opus, facit hominem expeditum ad diligendum Deum, & proximum, & per hoc ad legem implendam. Sed quia ex natura rei, amor petit amorem mutuum, & reciprocum, inde consequitur, vt qui diligit Deum, diligatur à Deo. Rursus, quia simile, ex natura rei, diligitur à simili, & nihil est, quod similiores nos Deo reddat, quàm dilectio, vt sanctus AVGVSTINVS docet in Psalmum nonagesimum nonum, ideo qui diligit Deum, diligitur à Deo. DENIQVE, quia iustus Dominus est, & iustitiam diligit, fieri non potest, vt caritas, quæ facit hominem iustum & bonum, non faciat etiam Deo gratum, & amicum.

QVARTVS effectus est ordinare ad gloriam. Et quidem posset fortasse Deus ordinare ad gloriam hominem carentem isto habitu, & contrà non ordinare ad gloriam hominem isto habitu præditum: Non enim videtur tanta esse vis huius habitus absolutè consideranti, vt ex necessitate petat, tanquam sibi debitam beatitudinem. Tamen quoniam Deus promisit (vt ait sanctus Iacobus, capite primo) coronam vitæ, omnibus diligentibus se: ideò caritas infusa, non solum facit iustos, & amicos, sed etiam hæredes regni: nec potest vllus, secundùm ordinariam Dei legem, acceptus esse ad regnum, qui non sit per infusam caritatem adoptatus in filium.

Ex his ad rationes, quæ contrà obiiciebantur, facilè respondebitur. Ad PRIMAM DICO, iustitiam habitualem opponi peccato priuatiuè, id est, vt opponitur habitus priuationi. Neque verum est, quod in argumento assumebatur, non idem esse recessum à regula, & priuationem iustitiæ habitualis, immò sunt prorsus idem, si de recessu, & auersione habituali sermo sit, de qua nos in præsentia loquimur, illa est enim, quæ remanet in homine, transeunte actu peccati, & quæ facit hominem formaliter peccatorem, per accidens autem est, quod qui semel peccauit, cùm iterum peccat, non amittat iustitiam, quam non habet. Satis est enim, quod peccatum ex natura sua iustitiam expelleret, si in homine reperiret. Actus enim peccati opponitur gratiæ habituali, non priuatiuè, sed contrariè, & eam expellit efficienter, siue dispositiuè: quomodo actus dilectionis super omnia opponitur peccato habituali, non priuatiuè, sed contrariè, & expellit illud efficienter, siue dispositiuè per modum vltimæ dispositionis, ita vt ex natura rei, & infallibiliter sequatur ad illum actum infusio gratiæ, & deletio peccati habitualis, sicut ad vltimam dispositionem in generatione humana sequitur ex natura rei, & infallibiliter infusio animæ rationalis. Itaque sine miraculo non potest post actum peccati manere gratia, nec post actum dilectionis super omnia manere peccatum.

Ad SECVNDAM, rationem DICO, Deum in prædestinatione acceptâsse electos ad gloriam, sed voluisse, vt ad eam non peruenirent, nisi prius per infusam caritatem iusti grati, amici, & filij facti essent. Proinde acceptâsse fatemur Deum electos ad gloriam prædestinatione, quamuis nondum caritate præditos, sed non acceptare in exequutione ad eamdem gloriam, nisi præditos caritate. Sicut etiam dilexit nos Deus, cùm adhuc peccatores essemus, vt iustos faceret, & cùm inimici essemus, vt amicos faceret: quos posteà diligit, quoniam iustos, amicos, & viuentes cernit.

Ad TERTIAM rationem DICO, auctores, qui docent, peccatum remitti posse sine infusione iustitiæ, vel niti falso quodam fundamento, quod videlicet nihil maneat in peccatore præter reatum pœnæ: vel certè loqui de peccato, quod ab homine in puris naturalibus condito committeretur: nam si quis admittat, peccatum, à quo formaliter nominatur homo peccator, non esse solùm reatum pœnæ, sed auersionem & maculam, vt suprà ex diuinis literis manifestè probauimus, & loquatur de homine, qualis nunc est post lapsum Adæ, non qualis esset, si in puris naturalibus conderetur, certè negare non poterit, nullo modo fieri posse, vt qui peccator est, & per hoc habitualiter auersus à Deo & à diuina lege, iustificari possit à peccato, sine conuersione habituali ad Deum, & ad diuinam legem. Neque enim priuatio tolli potest formaliter, nisi per habitum, vt neque habitus, nisi per priuationem.

Quod autem quidam dicunt, peccatum, & iustitiam, non esse contraria immediata, vt necessariò vnum alteri succedere debeat, cùm sit medius status innocentiæ naturalis: rectè refellitur à sancto Thoma in quæstione vegesima, octaua, de veritate, articulo secundo, vbi docet, peccatum, & iustitiam, esse cõtraria immediata, si non

si non respectu hominis absolutè, saltem respectu hominis conditi in gratia. Quemadmodum visus, & cœcitas, non sunt contraria immediata, respectu canis, ante nonum diem, quando non est aptus ad videndum, sed tamen post eum diem sunt omninò contraria immediata.

At, inquiunt illi, si potuit Deus condere hominem in puris naturalibus, ac per hoc non conuersum ad DEVM, vt obiectum surpernaturale: cur non poterit nunc etiam velle, vt aliquis peccator non teneatur esse conuersus ad Deum, vt obiectum supernaturale, ac per hoc efficere, vt carentia iustitiæ diuinitùs infusæ, non sit illi amplius priuatio, sed simplex negotio, & consequenter non habeat culpæ rationem? RESPONDEO, Si id ponatur, perinde erit, ac si conditus fuisset homo ille in puris naturalibus. Quare nihil impediet ista positio, quo minus verum sit, quod diximus, non posse fieri, vt homo qualis nunc nascitur, iustificetur à peccato, sine infusione iustitiæ habitualis. Sed de his rebus non est necesse hoc loco subtilius disputare.

LIBER TERTIVS, DE IVSTIFICATIONE,

QVI EST DE INCERTITVDINE, MVTABILITATE, ET INÆQVALITATE IVSTITIÆ.

CAPVT PRIMVM.

De variis erroribus recentium, hæreticorum, circa Iustificationem.

EX EA FORMA IVSTIFICATIONIS, quam Lutherani constituunt, multi ac varij deducuntur errores: quos in hoc tertio libro, Dei gratia adiuuante, profligare conabimur.

Errores præcipui QVATVOR esse videntur. PRIMVM enim ex eo, quod sibi persuaserunt, iustificationis formalem causam non esse donum aliquod infusum à Deo, atque in nobis inhærens, sed iustitiam Christi, fide apprehensam, colligũt, posse, ac debere omnes certò statuere, se esse iustos. Et in hoc errore conueniunt planè omnes huius temporis hæretici. DEINDE, quoniam ipsorum sententia iustificatio non est doni alicuius infusio, sed acceptatio ad gratiam, & beneuolentiam per Christum, ac per hoc nihil ponit in homine, sed est actio Dei immutabilis, ac sempiterna, & eadem omnino cum electione, & prædestinatione.

Colligunt SECVNDO, debere homines certò credere, non tantùm se esse iustos, sed etiam electos: ac prædestinatos. Quem errorem audacter docent Caluinistæ, timidius autem Lutherani.

TERTIO, ex præcedente errore colligunt Caluinistæ, fidem, ac iustitiam semel adeptam, nullo vnquam tẽpore posse perdi: proinde qui post fidem, & iustificationem ad peccata redeunt, eos nec veram fidem, nec veram vnquam habuisse iustitiam.

QVARTO, ex isdem fontibus imputatiuæ iustitiæ, colligunt Lutherani omnes, non esse vnum alio iustiorem, cum omnium iustitia sit ipsa Christi obedientia, fide apprehensa, & à Patre imputata. Hos igitur quatuor errores in hoc libro, quem de incertitudine, mutabilitate, & inæqualitate iustitiæ idcirco inscripsimus, refutare aggrediemur, sed præcipuè primum, qui latius patet, & non solùm hæreticos huius temporis omnes, sed etiam aliquos ex Catholicis patronos inuenit.

CAPVT II.

Proponitur status quæstionis de incertitudine iustitiæ.

VT PRIMVS error distinctè, & perspicuè refellatur, operæpretium erit explicare quid sit, & quotuplex certitudo, & inde controuersiæ statum OD oculos manifestè ponere.

Certitudo igitur nihil aliud esse videtur, nisi firmitas quædam, & immutabilitas veritatis. Illud enim dicitur certum, quod explorate, & immobiliter est verum. Est autem DVPLEX certitudo, VNA obiecti, id est, rei cognitæ, vel creditæ: ALTERA subiecti, id est, hominis cognoscentis, vel credentis. PRIOR certitudo est immutabilitas rei, quæ re vera aliter se habere non potest, quàm creditur, vel cognoscitur: qua notione dicimus, certum esse, Deum esse bonum, peccatum esse malum. POSTERIOR certitudo est firmitas quædam assensus nostri ad rem, quæ cognoscenda vel credenda proponitur, de qua certitudine loquimur, cùm dicimus, hoc mihi est certum, ego de hac re certus sum, hoc habeo pro comperto, id est, ita firmiter adhæreo huic sententiæ, vt prorsus de illius veritate non dubitem.

Oritur PRIOR certitudo vel à necessitate ipsius rei, si fortè non sit contingens, sed necessaria, vel à determinatione iam facta, si non sit necessaria, sed contingens. Deum esse bonum, certum est, quoniam est in se necessarium. Christum venturum esse ad iudicandos viuos, & mortuos, certum est, quoniam à diuina voluntate determinatum est, quamuis alioqui contingens esset in se, non necessarium.

Certitudo POSTERIOR nascitur partim à medio, quo nobis res aliqua suadetur, partim ab ingenij bonitate, & voluntatis affectu. Quædam enim sunt media, quæ vim habent gignendi firmum assensum, quædam sunt etiam, quæ non habent. Sic etiam aliqui ex bonitate, vel exercitatione ingenij planè percipiunt vim mediorum, & certi redduntur, alij contrà ex ingenij tarditate non assequuntur efficaciam mediorum, & ideo certi reddi non possunt. Vir doctus, & acutus certus est, Solem multò terra tota esse maiorem, quod multi rudes non modò non credunt, sed etiam ridendos existimant esse eos, qui credunt.

DENIQVE ipsum quoque affectum non parum valere ad certitudinem ex parte subiecti efficiendam, testes esse possunt hæretici rudiores, qui sæpè nescíut ipsi quid credant, & tamen ità firmiter adhærent hæresibus, quæ in sua patria prædicantur, vt aliquando malint occidi, quàm illas non credere. Quamquam, si propriè loquendum sit, certitudo vera ex parte subiecti, numquam seperatur à certitudine ex parte obiecti. Qui enim certò credunt ea, quæ falsa sunt, non tam certi, quàm persuasi dici debent. Potest tamen certitudo vera ex parte obiecti, separari à certitudine ex parte subiecti, cùm multa sint in se certa, quæ nobis videntur incerta.

Sed est alia etiam partitio certitudinis. Quædam enim est certitudo EVIDENS, quædam OBSCVRA, & in vtraque TRES quasi gradus distingui possunt. Certitudo

Universidad de Deusto
Biblioteca

situdo EVIDENS est earum rerum, quæ aliquo modo videntur. Cuius certitudinis PRIMVM gradum obtinēt prima rerum principia, quæ solis vocabulis explicatis, sine alia ratiocinatione ab omnibus vera esse creduntur, vt non posse idem esse, & non esse, totum maius esse, quam partem, & similia: atque hæc dicitur certitudo intellectus, siue habitus principiorum. SECVNDVM gradum certitudinis euidentis obtinent conclusiones ex principiis primis euidenter deductæ: atque hæc dicitur certitudo scientiæ. TERTIVM gradum obtinent ea, quæ sensibus corporis percipiuntur, quæ dicitur certitudo experientiæ.

Certitudo OBSCVRA est earum rerum, quæ sola fide, vel opinione nituntur. Cuius certitudinis PRIMVM gradum habent, quæ propter diuinam auctoritatē certò credūtur, & hæc est certitudo fidei Catholicæ, & diuinæ, estque absolutè ac simpliciter certitudo, quoniam nulla ratione potest ei subesse falsum. SECVNDVM gradum obscuræ certitudinis habent ea, quæ credūtur ob auctoritatem humanam, sed ita confirmatam, & celebrem, vt omnem formidinem prorsus excludat, qualia sunt, Ciceronem, & Virgilium fuisse insignes viros: Augustum magnæ parti orbis terrarum feliciter imperāsse: multas esse ciuitates præclaras in prouinciis à nobis longè dissitis. Alexandriam in Aegypto, Constantinopolim in Thracia, Hierosolymam in Palæstina, Antiochiā in Asia. Atque hæc dicitur certitudo fidei humanæ, siue certitudo moralis, quæ tametsi non tanta sit, vt ei nullo modo falsum subesse possit (omnis enim homo mendax) tamen tanta est, vt temerarius meritò iudicetur, qui contra sentiat, aut disputet. TERTIVM gradum habent illa quæ tot signis, & coniecturis nituntur, vt securum hominem reddant, & anxietatem excludant non tamen formidinem omnem expellant atque hæc dicitur certitudo coniecturalis, & opinionis est potius, quàm fidei.

His explicatis, ad statum controuersiæ accedamus. CALVINVS in Antidoto Concilij, & KEMNITIVS in Exam. eiusdē Concilij, sess. 6. ad inuidiam Catholicis solito more conflandam, & ponentes mendacium spem suam, nec rectè statum quæstionis proponunt, & apertissimè mentiuntur. Nā Caluinus quidē scribit, Patres Cōcilij miscere dubitationem cum fide. Kemnitius autem adhuc impudentius dicit, Consilium Tridentinum facere dubitationem virtutem fidei, & ornamentum, ita vt sine dubitatione non sit fides vera, neque iustificans. Et in alio loco scribit, quæstionem inter nos, & Lutheranos esse, *An fides iustificans sit fiducia, an dubitatio de remissione peccatorum*, quasi nos fidem iustificantem doceamus esse dubitationem. At Concilium Tridentinum, tantū abest, vt dubitationem cum fide miscuerit, vt potius ideo reiecerit fidem specialem hæreticorum, & non fidem, sed inanem fiduciam esse dixerit, quoniam ea fides certa esse non potest, cùm fides vera certissima esse debeat.

Porrò statum quæstionis ita proponit Kemnitius, *Virum peccator in seria pœnitentia ex fide vera in Christum possit certà fiducia statuere, sibi remissa esse peccata.* Sed non istum esse quæstionis nostræ statum ex duobus intelligi potest, TVM quia quæstio esset conditionalis, nō absoluta, TVM quia non de fiduciæ, sed de fidei certitudine disputamus. Quæstio (inquā) esset conditionalis, nam illud, *in seria pœnitentia*, idē significat, ac si diceretur, si seria sit pœnitentia. Quod si quæstio ita conditionaliter proponatur. An possit homo certò statuere, sibi remissa esse peccata, si constet eum seriam egisse, vel agere pœnitentiam: nemo Catholicorum erit, qui non respondeat, posse, atque debere. Non igitur conditionaliter, sed absolutè controuersia hoc tempore inter Catholicos, atque hæreticos, de certitudine iustitiæ magna contentione tractatur.

DEINDE, si de fiducia tantùm ageretur, vt Kemnitius proponit, non esset etiam opus longa disputatione. Neque enim Catholici negant, certam fiduciā in Deo collocandam esse, & certò confidendum post actam legitimè pœnitentiam, & Sacramentum Baptismi, vel Absolutionis ritè perceptū, remissa esse peccata. Sed aduersarij, vt fidem cum fiducia, ita certitudinem fidei cum certitudine fiduciæ confundunt. Multum autem interest inter vtramque certitudinem, nam certitudo fidei, quia nititur sola Dei auctoritate, omni ex parte dubitationem excludit. Certitudo fiduciæ (vt suo loco inferius fusius explicabimus) partim nititur diuina promissione, partim propria dispositione, & quod attinet ad diuinam promissionem, omnem similiter formidinem excludit, & est absolutè, & simpliciter certitudo: quod attinet ad propriam dispositionem, non excludit quidem penitus formidinem, neque est certitudo simpliciter, sed secundùm quid, & coniecturalis, tamen tanta est, vt satis esse possit ad securitatem gignendam. Sed de hac re suo loco dicemus.

Status igitur quæstionis, si absque fallacia, & ambiguitate constituatur, hic erit: *Virum debeat, aut possit aliquis sine speciali reuelatione certus esse, certitudine fidei diuinæ, cui nullo modo potest subesse falsum, sibi remissa esse peccata.* Neque necesse est hoc loco distinguere fidem Catholicam à fide diuina speciali, quamuis enim inter se differant, quod fides Catholica non tantùm diuina sit, sed etiam omnibus hominibus necessaria: fides autem diuina specialis ad eos tantùm pertineat, ad quos reuelatio pertinet: tamen non differunt, quantum ad certitudinē, neque sunt habitus diuersi, sed vnus & idem, cùm eiusdem æternæ veritatis auctoritate nitantur.

CAPVT III.

Recensentur variæ sententiæ de proposita quæstione.

DE PROPOSITA igitur quæstione tres videntur esse sententiæ, siue potius errores. PRIMVS est, omniū huius temporis Hæreticorum, quia tria docent. PRIMO, posse fideles, eam notitiam habere de sua gratia, vt certa fide statuant, sibi remissa esse peccata. SECVNDO, non solùm posse, sed etiam debere omnes hoc de se statuere, alioqui nec fideles, nec iustos futuros. TERTIO, hac ipsa fide, & sola hac fide homines iustificari. Ita Lutherus in art. 10. 11. & 12. & eorundem articulorum assertione. Melanchthon in locis, titulo de fide, & in Apologia Confessionis, art. 4. & 20. Bucerus in libro Concordiæ in art. de Iustificatione. Caluinus in Antidoto Concilij sess. 6. & in lib. 3. Instit. cap. 2. §. 16. 17. 18. & cæteris vsque ad finem capitis. Kemnitius in Exam. Concilij Trident. sess. 5. & alij.

ALTERA sententia est auctoris Enchiridij Coloniēsis in tractatu de iustificatione, qui ex tribus illis hæreticorum erroribus solùm tertium non recipit. Vult enim necessarium esse ad iustificationē, vt certò credat vnusquisque sibi remissa esse peccata: sed tamen negat, hominem sola fide iustificari: *Fatemur*, inquit, *verum esse ad iustificationem hominis omnino requiri, vt homo certò credat, non tantum generaliter, quod propter Christum verè pœnitentibus remittantur peccata, sed & quod ipsimet homini credenti remissa sint propter Christum per fidem.* Hæc ille. Sed liber is in multis aliis censura Ecclesiastica dignus esse videtur. Certè in modo loquendi doctrinam Melanchthonis, & Buceri valdè redolet.

TERTIA sententia est Ambrosij Catharini qui solùm in primo dicto cum hæreticis communicat. Non enim docet, certitudinem fidei de propria gratia necessariam esse ad iustificationem, neq; hac fide, qua homo credit, se iustum esse, & multò minus hac sola fide hominem iustificari, sed tantùm asserit, posse hominem fidelē habere certitudinem fidei, de sua gratia. Proinde sententia eius

eius longè distat ab hæresi Lutheranorum, tametsi erronea non immeritò iudicari soleat. Vide assertiones eius, & Apologiam contra Dominicum à Soto.

His erroribus contraria est sententia communis ferè omnibus Theologis, qui docent, non posse homines in hac vita habere certitudinem fidei de sua iustitia, iis exceptis, quibus Deus speciali reuelatione hoc indicare dignatur. Ita docet sanctus Thomas in 1. 2. quæst. 112. articulo quinto. Item sanctus Bonauentura, Scotus, Durandus, & alij, in primum Sentent. distinctione decima septima, & ex recentioribus Ioann. Roffensis contra articulū 10. & 11. Lutheri, Alphonsus à Castro libro 7. aduersus hæreses verbo, Gratia, Dominicus à Soto libro 3. de natura, & gratia, cap. 10. & sequentibus. Ruardus Tapper in explicatione articuli 9. Louaniensium, Ioannes à Louanio in libro de fide speciali. Andreas Vega libro 9. in Concilium Tridentinum, Nicolaus Sanderus, & Thomas Stapletonus in libris de iustificatione, & alij.

Videtur autem hæc esse sententia non solùm particularium Theologorum, sed etiam ipsarum Academiarū, & quod longè maius est, ipsius Concilij Oecumenici. PARISIENSIS Academia in iis censuris, quas ad articulos Lutheri edidit, recitatis verbis illis Lutheri: *Pessimè docent Theologi, quando dicunt, nos nescire, quando simus in gratia*, hanc censuram adiecit: *Hac propositio intelligendo nescire certitudine fidei, de qua loquitur scribens: est falsa, sacris Doctoribus dissona, & sacræ intelligentiæ Scripturæ.*

LOVANIENSIS Academia in articulis aduersus Lutheranos, articulo nono, sic habet: *Fides, qua quis firmiter credit, & certo statuit, per Christum sibi remissa esse peccata, seque possessurum vitam æternam, nullum habet in Scripturis testimonium, immò eisdem aduersatur.*

Nititur quidem Ambrosius Catharinus hæc duo testimonia aliò detorquere: dicit enim ab iis Academiis solùm damnatam esse sententiam hæreticorum, quæ docet, hominem certum esse sibi remissa esse peccata certitudine fidei, non cuiuscumque autem fidei, sed fidei, quę sola iustificet.

At frustra nititur. Nam Parisiensis Academia, cùm ait: *Intelligendo certitudine fidei, de qua loquitur scribens*, per illud (*de qua*) non significat fidem sed certitudinem. Distinguit enim certitudinem fidei, à certitudine scientiæ. Præterea damnant Parisienses, quod Lutherus affirmat, & probant, quod ipse improbat. Lutherus autē cùm Theologos reprehendit, quod dicant, nescire nos, quando simus in gratia, non agit de iustificatione, sed de certitudine fidei. Non enim Theologos arguit, quod negent, nos iustificari sola fide, sed quod dicant, nos ignorare, quando simus in gratia. Igitur Parisienses hoc ipsum in Luthero censura dignum esse iudicārunt, quod affirmauerit, nos certitudine fidei statuere posse, quando simus Deo grati.

Louaniensium verò sententia clarior est, quàm vt depraui possit. Nam errorem illum de fide sola iustificante, iam antè damnauerant in articulo 8. proinde in artic. 9. non iterum repetunt, quod dixerant, sed alium errorem damnant, qui est de certitudine propriæ iustificationis.

Sed Concilij TRIDENTINI, cui Catholici omnes ingenia sua, atque iudicia sponte subiiciunt, decretum audiamus: *Sicut* (inquit sessione sexta, capite nono) *Nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute, & efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum seipsum, suamque propriam infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest. Cum nullus scire valeat, certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consequutum.* Et capite decimo sexto: *Et quia in multis offendimus omnes, vnusquisque sicut misericordiam, & bonitatem, ita seueritatem, & iudicium ante oculos habere debet, neque seipsum aliquis, etiamsi nihil sibi conscius sit, iudicare, quoniam omnis hominum vita non humano iudicio examinanda, & iudicanda est, sed Dei.*

Ad hoc testimonium Concilij Catharinus longa oratione respondet, summa est, Concilium edidisse decretum illud aduersus hæreses Lutheranorum, non contra opiniones Catholicorum, id quod probat ex titulo capitis, qui est, contra inanem hæreticorum fiduciam. Addit eo decreto, non negari omnem fidei certitudinem de propria gratia, atque iustitia, sed certitudinem fidei Catholicæ. Probat autem id, TVM ex illis verbis: *Cui non potest subesse falsum*, quæ non conueniunt, nisi fidei Catholicæ: TVM ex eo, quod alioqui nemo posset certus esse, certitudine fidei, sibi remissa esse peccata. Etiamsi haberet specialem reuelationem. Concilium enim nihil excepit.

Hæc Catharini defensio non videtur esse satis idonea. Nam inprimis nihil impedit, quo minus Concilium præcipuè decretum edat aduersus hæreticos, & simul damnet omnes opiniones erroneas, quæ aliquid commune habēt cum hæreticorum erroribus, qui eo decreto damnantur. Itaque titulus illius capitis non indicat, quò potissimùm spectent verba decreti, sed non prohibet, quo minus intelligamus, alia quoque damnari, quæ in eo titulo non sunt expressa, modò sint expressa in decreto.

Quod verò Concilium non reiiciat certitudinem solius fidei Catholicæ, sed omnis diuinæ fidei, intelligi potest PRIMVM ex eo, quod Concilium, data opera, non fecit mentionem fidei Catholicæ, vt similibus glossis aditum præcluderet, & omnem fidem veram, atque diuinam includeret. DEINDE ex eo, quod disertis verbis docet, neminem esse, qui non possit de sua gratia formidare. At qui habet certitudinem fidei, non potest formidare, alioqui facit iniuriam diuinæ fidei. TERTIO, quoniam omnis fides diuina habet certitudinem fidei Catholicæ, fides enim non est certa, quia Catholica, sed quia diuina. Non enim ideo certitudinem habet fides, quia toti Ecclesiæ communis est, sed quia nititur auctoritate Dei, qui nec falli, nec fallere potest, cum sit ipsa veritas.

At, (inquit Catharinus) *soli fidei Catholicæ conuenit, vt ei falsum subesse nequeat, quoniam est de obiecto probato ab Ecclesia: fidei autem diuinæ particulari falsum subesse potest, quoniam est de obiecto non probato ab Ecclesia.* RESPONDEO, nouam, atque inauditam hāc esse doctrinam, vt fidei diuinæ possit subesse falsum, antequam eius obiectum probatum fuerit ab Ecclesia. Probatio enim Ecclesiæ facit vt omnibus innotescat, obiectum illud esse reuelatum à Deo, & propter hoc certum, & indubitatum, non autem tribuit firmitatem verbo Dei aliquid reuelanti.

Itaque implicat contradictionem, vt aliquid sit reuelatum à Deo, & possit ei subesse falsum, siue illud ab Ecclesia probatum sit, siue non sit. Alioqui quod CHRISTVS Paralytico, & Magdalenæ dicebat, Remittuntur tibi peccata tua, poterat esse falsum, quia nondum fuerat ab Ecclesia approbatum, quis ita desipiat, vt verba CHRISTI ab Ecclesiæ approbatione pendere arbitretur? Et si quis infantem baptizet, cum intentione verè baptizandi, nonne hæreticus censebitur, si dubitet, an infans ille sit verè iustificatus? Et tamen non est hoc obiectum ab Ecclesia approbatum.

DENIQVE Prophetæ, & Apostoli, quibus immediatè mysteria diuina reuelabantur, nonne tenebantur ea credere, antequam ab Ecclesia probarentur? & nonne fides eorum tam certa erat, vt nullo modo falsum ei subesse posset? Nam si Prophetarum, & Apostolorum fidei falsum subesse poterat, certè multo magis fidei reliquæ Ecclesiæ falsum subesse posset. Reliqua enim Ecclesia superædificatur super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, vt ait Apostolus ad Ephes. 2.

Cap

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cur igitur (inquit Cathar.) *Concilium non excepit specialem reuelationem, cum definiuit, neminem esse, qui de sua gratia formidare non possit?* RESPONSIO est in promptu, quia priuilegia semper intelliguntur excepta. Concilium enim cùm docet, neminem esse certum certitudine fidei sibi esse remissa peccata, loquitur de certitudine, quæ habetur per media ordinaria, qualia sunt Scripturæ, Sacramenta, opera bona, & alia id genus. Porrò idem Concilium disertissimis verbis damnat errorē Enchiridij Colonienſis, cùm sic loquitur sess. 6. can. 13. *Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, vt credat certò, & absq; vlla hæsitatione propriæ infirmitatis, & dispositionis peccata sibi esse remissa, anathema sit.*

CAPVT IV.

Probatur testimoniis Salomonis incertitudo propriæ gratiæ, atque iustitiæ.

SEDIAM ad argumenta veniamus, ac primum ad ea, quę ex testimoniis diuinæ Scripturæ ducuntur.

PRIMVM testimonium habetur in variis locis Prouerbiorum, Ecclesiastæ, & Ecclesiastici. PRIMVS locus est in libro Prouerbiorum capite 20. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato.* Notat hoc loco Venerabilis Beda in comment. rectè Salomonem non dixisse, neminem esse mundum corde, & purum à peccato, sed neminem posse dicere, mundum est cor meum, & purus sum à peccato. Nam nisi possent homines per gratiam Dei mundum cor habere, non diceret Dauid Psalm. 50. *Cor mundum crea in me Deus.* Neque in Psalm. 118. *Beati immaculati in via.* Neque Dominus Matth. 5. *Beati mundo corde.* Sed quoniam illi ipsi, qui mundi sunt, non possunt hoc certò scire, neque testimonium aliquod infallibile habent de sua iustitia, ideo nemo potest gloriari, ac dicere, mundum est cor meum.

CALVINVS lib. 3. Instit. cap. 13. §. 3. respondet, hoc dictum esse, quia nemo est in hac vita verè mundus, & ideo egent omnes Christi iustitia imputata. AT repugnant loca paulò antè citata. *Beati mundo corde.* Et: *Beati immaculati in via.* Et: *Cor mundum crea in me Deus.* Et illud ad Ephes. 1. *Vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius.* Et cap. 5. *Mundans eam lauacro aquæ.* Et ad Tit. 2. *Mundans sibi populum acceptabilem, &c.*

CATHARINVS respõdet, in Hebræo esse, Quis potest dicere, mũdaui cor meum? & purificaui me à peccato meo? proinde reprehendi hoc loco superbiam eorũ, qui suis viribus existimabant se posse iustificari, nó autẽ prædicari incertitudinem propriæ gratiæ. SED quamquam in Hebræo verba sint actiuæ vocis, tamen sine dubio eum habent sensum, quẽ & LXX. Interpretes, & sanctus Hieronymus reddiderunt. Nam apud Hebræos cõstans erat fides, purgationem peccatorum à solo Deo fieri. Id enim significat Iob, cùm ait capite 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* Vnde & Dauid à Deo petit, *Cor mundum crea in me Deus.* Et Pharisæi, cùm audiebant Christum dicentẽ: *Remittuntur tibi peccata tua*: dicere solebant, *hic blasphemat, quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Marc. 2. Luc. 5. & alibi. Itaque, mũdaui cor meũ, significat mũdũ est cor meũ, vt etiam Rabbini ipsi hunc locum enarrant.

Posset fortasse solidius responderi, Salomonem hoc dixisse propter peccata venialia. Sed hæc solutio PRIMVM nihil iuuat Lutheranos, qui non distinguunt peccatum mortale à veniali. DEINDE, non est probabile, Salomonem loqui de solis venialibus, quoniam sola venialia non impediunt, quo minus homines mundi, & immaculati esse dicantur: Non enim peccatis venialibus carebãt, de quibus dicitur: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Rectus igitur sensus eorũ verborũ est, vt nemo sit, qui quãtũuis sibi cõscius nõ videatur esse peccatorũ, non possit meritò de sua iustitia formidare.

SECVNDVS locus est in libro Ecclesiastæ, capite 9. *Sunt iusti, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei. Et tamen nescit homo, vtrum odio, vel amore dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta.* Addamus huic loco commentarium S. HIERONYMI. *Sensus*, inquit, *est, inueni iustorũ quidem opera in manu Dei esse, & tamen virũ amentur à Deo, annon nunc eos scire non posse, & ambiguos fluctuare, vtrum ad probationem sustineant, qua sustinent, an ad supplicium. In futuro igitur scient, & in vultu eorum sunt omnia, id est, antecedet eos, cum de hac vita discesserint, notitia istius rei. Quia tunc est iudicium, & nunc certamen. Et quicunque aduersa sustinent, vtrum per amorem Dei sustineant, vt Iob, an per odium, vt plurimi peccatores, nunc habetur incertum.*

Ad hunc locum respondere nituntur, non solum hæretici, Bucerus, Caluinus, atque Kemnitius, sed etiã Ambrosius Catharinus. Quare ipsorum obiectiones breuiter refellendæ erunt.

PRIMVM igitur queritur KEMNITIVS, locum hũc esse depraua tum, ad stabiliendum dogma de dubitatione fidei in iustificatione. Nam ad verbum ex Hebræo sic reddi posset: *Et amorem, & odium non sciens homo, omnia ante eos.*

SED hoc facilè refellitur. Nam cùm editio vulgata antiquissima sit, non potuit deprauari ad stabiliendum dogma, quod ipsi recens, & Papistarũ proprium esse dicunt. Vel certè fateri debent, sententiam nostram esse antiquissimam. & sanctum HIERONYMVM, qui Ecclesiastem vertit ex Hebræo, vt nos habemus in editione vulgata, egregium fuisse Papistam. Cæterùm, versio sancti Hieronymi non reddidit quidem verbum verbo, sed sententiam fideliter, & eleganter expressit, ac præsertim in Ecclesiaste, vt omnes eruditi fatentur, & si id Kemnitius neget, hoc ipso se imperitum linguæ Hebraicæ, & rationis interpretandi demonstrabit.

SECVNDO dicunt, Salomonẽ non absolutè negare, posse hominem scire, sit ne dignus odio, vel amore, sed negare, id posse cognosci ex euentis externis. Id verò probant, quoniam alioqui sequeretur, non posse homines manifestè impios scire, se dignos esse odio, nó amore, quod absurdissimum est.

SED facilis est responsio. Nam Salomon non loquitur, nisi de iustis, vt verba illa declarant: *Sunt iusti, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo* (iustus videlicet) *vtrum odio, vel amore dignus sit.* Idẽ perspici potest ex commentario sancti Hieronymi suprà citato, qui sic ait: *Inueni iustorum opera in manu Dei esse, & tamen, vtrum amentur à Deo, an non, nunc eos scire non posse.*

TERTIO obiicit CALVINVS lib. 3. Instit. c. 2. §. 38. verba quæ locum citatum proximè consequuntur, *Eò quod vniuersa æquè eueniant iusto & impio.* Hæc enim ratio satis apertè ostendere videtur, loqui Salomonem de notitia, quæ haberi potest ex euentu externo.

RESPONDEO, Nõ est necesse, vt ratio æquè latè pateat, atque ipsa conclusio, quæ ratione probanda est. Salomon igitur probare voluit, non posse homines iustos certò cognoscere vtrum diligãtur à Deo: id autem rectè probat ex eo, quod si possent id certò cognoscere, maximè cognoscerent ex beneficiis Dei. At beneficia Dei communia sunt iustis, & impiis, & vniuersa æquè eueniunt iusto, & impio. Deus enim vt suos in humilitate conseruet, interdum finit eos affligi: & rursus ne desperent, interdum eos mirificè consolatur. Et similiter impios nunc vt alliciat ad se, beneficiis temporalibus cumulat, nunc vt eosdem deterreat à peccatis, seuerè punit. Ita beneficia, & flagella diuina nec odij, nec amoris, certa sunt indicia.

Falsam autem esse illam interpretationem: nesciunt an odio,

an odio, vel amore digni sint, id est, nesciunt id non absolutè, sed ex præsenti rerum euentu, perspicuum est ex illis verbis proximè sequentibus. *Sed omnia in futurum seruantur incerta.* Non enim post hanc vitam seruatur nobis cognitio, an digni essemus odio, vel amore, quantum ad signa præsentium euentorum, sed absolutè. Nã si sciremus, nunc esse nos iustos. & dignos amore, quamuis non sciremus ex euentu præsenti, non esset verum, omnia in futurum incerta seruari, neque nos de futuro solliciti essemus contenti cognitione præsenti.

QVARTO obiicit CALVINVS similem locum ex capite tertio eiusdem libri Ecclesiastæ. Nam cùm Salomon ait, non posse sciri quid interfit inter animam hominis, & animam iumenti, cùm vtrumque similiter intereat: certè non significat ignorari absolutè, vtrum anima hominis sit immortalis, anima iumenti mortalis: sed nõ posse id colligi ex morte corporali, cum illa communis sit homini cum iumento.

RESPONDEO, Loquitur in eo capite Salomon ex persona insipientium, qui omnia metiuntur præsenti voluptate, aut dolore, quique ex eo, quod cernunt homines, & iumenta similiter interire, vix adduci possunt, vt credant, animam hominis esse immortalem: *Quis nouit*, inquit, *vtrum spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & spiritus iumentorum descendat deorsum?* id est, quotus quisque est ex vulgo hominum, qui intelligat, aut cogitet, spiritum hominis redire ad Deum, vt ab illo pro factis iudicetur: spiritum autem iumentorum descendere deorsum, id est, resolui in terram, vnde sumptus erat. Ipsum enim Salomonem hoc non ignorasse, perspicuum est ex capite duodecimo, vbi disertis verbis dicit, spiritum hominis redire ad Deum, qui dedit illum. Quod si multi ob istam mortis communionem, quam cum iumentis habemus, ignorant id, quod alioqui naturali ratione discere potuissent, quanto magis ignorabunt omnes homines statum gratiæ, qui nisi ex diuina reuelatione cognosci non potest?

QVINTO obiicit Catharinus, posse exponi locum Salomonis, propositum de cognitione, quam habet homo, vt homo, non autem de ea, quam habet vt est filius Dei. Neque enim scire potest homo, vt homo, id est, per solam ratiocinationem humanam, vtrum dignus sit odio, vel amore: sed tamen id scire potest ex testimonio spiritus, quem habemus in corde, si filij Dei sumus.

RESPONDEO, Potest quidem homo iustus, si spiritus ei perspicuè id reuelare voluerit, scire, se dignum esse amore, non odio: tamen ordinariè spiritus id non reuelat per manifestam notitiã, sed per experimenta quædam & internas consolationes, quæ non faciunt certam fidem, vt infrà suo loco dicemus. Hoc autem loco Salomonem absolutè loqui de incertitudine, quam habent iusti, siue vt homines, siue vt filij Dei, de propria gratia, intelligi potest ex duobus: PRIMVM ex illis verbis: *Sed omnia in futurum seruantur incerta.* DEINDE, ex intentione Salomonis, quæ erat ostendere, vnam ex miseriis huius vitæ, eamque non minimam esse, quod homines iusti meritò formidare possint, ne fortè non sint verè iusti. At si scirent, se verè esse iustos, vndecumque id scirent, non omnia in futurum seruarentur incerta, neque miseriam illam experirentur, quam Salomon docet, iustis omnibus esse communem.

SEXTO, Idem Catharinus non dedignatur testimonium accipere à Rabbi Salomone, qui hunc locum ita exponit: *Nescit homo, id est, carnalis, & peccator.* At Rabbi Salomon Regi Salomoni manifestè repugnat. De iustis enim, non de peccatoribus se loqui testatur, cum ait: *Sunt iustorum opera in manu Dei, &c.* DEINDE carnales, & peccatores facile scire possunt, se odio esse dignos, non amore. Non enim tam difficile est cognoscere se peccatorem, quàm cognoscere se iustum, cum peccatum sit opus nostrum, iustitia inhærens, & infusa, de qua loquimur, sit opus solius Dei, & quidem occultum, & abditum valdè. DENIQVE mirum est, cur Catharinus velit nos homini Indæo, & fabellarum architecto, potius fidem habere, quàm sancto HIERONYMO, Ecclesiæ Doctori, & non solùm linguarum, sed etiam dogmatum peritissimo.

VLTIMO obiiciunt aliqui, quod hic locus à sancto Bernardo exponi soleat de incertitudine prædestinationis, vt in sermone primo, de Septuagesima. & in sermone secundo in octaua Paschæ, de verbis Ioannis: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo.*

RESPONDEO, Non pugnant inter se incertitudo iustitiæ præsentis, & incertitudo prædestinationis, immò ex vna colligitur altera. Et ideo hic locus de vtraque rectè exponi potest.

TERTIVS locus est in libro Ecclesiastici, cap. quinto: *De propitiato peccato noli esse sine metu: neque adicias peccatum super peccatum, & ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.* Hic locus mirificè pungit hæreticos huius temporis. Ipsi enim propriè illi sunt, qui vbi fide sibi visi sunt Christi iustitiã apprehendisse, nullo deinceps metu tanguntur. Et quãuis adiiciant peccatum super peccatum, putant sibi salutem perire non posse, quia miseratio Domini magna est, & credentibus non imputat multitudinem peccatorum. Quos sanè vanissimos iudicat Ecclesiastes capite 8. cum ait: *Sunt impij, qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant. Sed & hoc vanissimum iudico.*

Respondet ad hunc locum KEMNITIVS, verba illa deprauata esse à Papistis, cùm ex Græco legendum esse constet *de propitiatione, non de propitiato.* Addit præterea, locum istum pugnare contra carnalem securitatem eorum, qui spe misericordiæ peccare non desinunt.

Sed inane est quod quæritur de corruptione verborũ. Idem enim prorsus est sensus, siue dicas, de propitiato peccato, siue de propitiatione peccati. Non enim loquitur de propitiatione futura, sed præterita. Nam de futura adiungit quæ sequuntur: *Et ne dicas, miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorũ miserebitur.*

Similis est hic locus illi, qui habetur capite vigesimo primo: *Fili peccati, ne adiicias iterum, sed & de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur.* Vbi duplicem sollicitudinem adiungit. VNAM pro futuris, ALTERAM pro præteritis. Sic igitur & hoc loco PRIMVM admonet, vt de propitiato peccato, siue de propitiatione peccati, quam quis existimat se accepisse, non sit absque metu, sed adhuc sollicitè oret, vt sibi dimittatur: DEINDE, vt caueat in futurum, & non adiiciat peccatum super peccatum spe facilis indulgentiæ.

Sed, si daremus, loqui Ecclesiasticum de propitiatione futura, adhuc error aduersariorum non difficulter euerteretur. Nam ideò de propitiatione futura, non possumus esse securi, quia nescimus, an habebimus spacium pœnitentię. Quod explicat idem Ecclesiasticus, cùm ait: *Non tardes conuerti ad Dominum, neque differas de die in diẽ, subitò enim veniet ira illius.* Proinde requiritur ad obtinendam indulgentiam aliquid etiam ex parte nostra, nimirum seria conuersio, & pœnitentia. Quis autem potest certus esse, præsertim ex fide diuina, se veram habere conuersionem, & pœnitentiam?

Itaque loquitur quidem Ecclesiasticus contra carnalem securitatem, sed eam securitatem non solùm constituit in eo, quod aliqui spe misericordiæ adiiciunt peccatum super peccatum; sed etiam in eo, quod aliqui non precantur pro pristinis, vt sibi dimittantur, sed certo credunt, sibi esse remissa, ob id solum, quia credunt, sibi esse remissa; & cum Luthero auctore carnalis securitatis, dicunt, se non posse perdere salutem suam, etiamsi velint, modò nolint credere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT V.

Idem probatur testimonio, & exemplo Iob, Dauidis, & Pauli.

SECVNDO loco petemus argumentum à testimonio, & exemplo trium perfectissimorum hominum Iob, Dauidis, & Pauli. Nam si viri isti tam insignes, quorũ VNVS dicebat: *Non reprehendit me cor meum, in omni vita mea.* ALIVS: *In innocentia mea ingressus sum.* TERTIVS: *Nihil mihi conscius sum:* non audebant sibi certitudinem propriæ gratiæ arrogare, quis erit ille, qui de propria iustitia non formidet?

Igitur sanctus IOB capite nono: *Si venerit*, inquit, *ad me, non videbo eum: Si abierit, non intelligam.* Item: *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me, si innocentem ostendero, prauum me comprobabit, etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Et infrà: *Verebar omnia opera mea: sciens quod non parceres delinquẽti.* Et cap. 31. *Quid faciam, cùm surrexerit ad iudicãdum Dominus? Et cum quæsierit, quid respondebo illi?*

Addamus ad hæc loca comment. S. Gregorij. lib. 9. Moral. ca. 17. & 19. *Quid de aliis loquar, qui ipse pro me testimonium ferre non valeo?* Et infrà: *Si subtilis*, inquit, *discussione nos requirimus, plerumque inter vitia virtutes q; caligamus.* Et infrà: *Conditoris contra me iudicia, qua temeritate redarguo, qui ipsum me ex infirmitatis caligine ignoro?* Et infra: *Sed iustorũ corda, quia ad perfectum se examinare nequeunt: ægrè hoc exilium cæcitatis ferunt. Vnde, & benè subditur, & tædebit me vitæ meæ. Tædet iustum viuere, quia & operando vitam non desinit quærere: & tamen eiusdem vitæ suæ meritum non valet inuenire.*

Ad hunc locũ Catharinus respondet, sanctũ Iob non ignorasse iustũ se esse, cùm in toto hoc libro, contra amicos suo disputando, defendat: sed noluisse iactare iustitiã suam, nec sibi aliquid superbè arrogare. AT sancti humiles esse debent, sed non mendaces. Proinde si Iob certus fuisset, certitudine fidei, de sua iustitia, non potuisset sine mendacio, vel etiam sine perfidia dubitationem illam ostendere: *Si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Et: *Verebar omnia opera mea, &c.* Neque enim sine peccato dubitare, vel dubitationem ostendere possumus in iis rebus, quas fide tenemus. In toto autem libro sanctus Iob asserit quidem innocentiam suam, quia nullius criminis sibi conscius erat, & docet, se non puniri tã grauiter propter scelera sua, vt amici eius existimabant; sed non dicit, se certò scire se iustum esse in oculis Dei: immò formidare se affirmat, sicut verè formidabat, ne fortè de se ipso aliud esset iudicium suum, aliud iudicium Dei.

Iam verò sanctus DAVID in Psalmo decimo octauo: *Delicta quis intelligit?* inquit, *& ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo.* S. Hieronymus lib. 1. & 2. aduersus Pelagianos, & sanctus Bernardus in epistola quadragesima secunda, sententiam huius loci esse volũt, neminem esse iustorũ, qui plenè intelligat, careat ne peccatis, an non. Et quamuis hic locus interdum exponi soleat de peccatis venialibus; tamen probabilius est extendi ad omnia, cùm sententia sit generalis, & nihil sequatur absurdi, si generaliter exponatur. Præterea distinctio peccati mortalis, & venialis nihil aduersarios nostros Lutheranos, & Caluinistas iuuat, qui omnia peccata, mortalia esse contendunt.

Quod autem Catharinus dicit, ab Augustino, & Hieronymo hunc locum exponi de peccatoribus, qui dum in tenebris sunt, peccata sua videre non possunt: non infirmat argumentum nostrum. Loquuntur enim sancti illi Patres de visione peccati, vtili ad ea curãda, neque enim dicere volunt, peccatores non intelligere, homicidium, & adulterium, & similia, quæ ab illis committuntur, esse peccata: Sed indicare volunt peccata nõ videri à peccatoribus, quia non cogitant peccatores quam magna sint illa mala, & quã grauiter per ea ipsi lædantur, quod tamẽ cognoscere incipiunt, cùm à Domino conuertuntur, & ideo quasi tunc primum ea vidissent magno horrore cõcutiuntur, & de eorum curatione magno studio satagũt. Hæc autẽ doctrina, quę verissima est, nihil impedit, quo minus iustissimi quique dicant. Ab occultis meis munda me Domine, metuentes videlicet, ne fortè hoc ipso peccatores sint, & excœcati, quòd peccata non vident. Nam Dauid sanctus erat, & tamen dicebat; *Ab occultis meis munda me Domine*: & ipse etiam sanctus Augustinus concione 2. in hunc Psalmum, pro se, & vniuerso populo dicit: *Ab occultis meis munda me Domine.*

Sed iam ad Apostolum veniamus. In epistola priore ad Cor. c. 4. *Nihil*, inquit, *mihi conscius sum sed nõ in hoc iustificatus sum.* Propositum Apostoli erat deterrere Corinthios à iudiciis temerariis, quibus vnus aliũ aut iustum, aut peccatorem iudicat. Ostendit autẽ iudiciũ de nostra iustitia Deo esse relinquendum, cùm ne nos quidem ipsi nos plenè cognoscamus: *Mihi*, inquit, *pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die*, id est, nõ magnifacio aliena iudicia de me, quia nõ ignoro, quã sint incerta: sed neque me ipsum iudico, id est, nec meo iudicio fidere audeo, quoniam etiamsi nihil mihi conscius sim, tamẽ non in hoc iustificatus sum, id est, non ideo iustus sum, quia bonam conscientiam habeo. Fortasse enim Deus videt in conscientia mea id, quod ego ibi nõ video: *Qui autem iudicat me Dominus est*, id est, solus Deus est verus iudex, ille solus omnia nouit, & tunc verè iustum me putabo, cùm Dominus me iustum esse pronunciabit: *Nolite itaque ante tempus iudicare, quousque veniat Dominus, qui reuelabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo.*

Ad hoc testimonium alio atque alio modo respondẽt Lutherani, & Catharinus. Lutherus in assertione articuli decimi quarti, Caluinus libro tertio Institutionum c. 17. §. 14. Petrus Martyr in commentario huius loci, & Kemnitius in Examine Concilij dicunt, Apostolum significare potuisse, se contra maledicos, & obtrectatores, innocentiam suam testari, tamen coram Deo se non esse iustum ex vlla virtute, aut qualitate, aut opere bono, sed ex sola Dei misericordia, quæ propter Christum peccata credentibus non imputat.

Hæc expositio PRIMVM absurda esse cõuincitur, ex illis verbis: *Nihil mihi conscius sum:* Nam VEL significant illa verba; Non agnosco in me vlla peccata, quasi re vera in me existentia, & inhærentia: VEL significant: Video mea peccata per misericordiam Dei tecta, & ideo existimo: non esse amplius mea, quamuis in me sint, & viuant: Si dixerint PRIMVM, falsum erit, Apostolum non fuisse iustum coram Deo, ex vlla virtute, & qualitate. Quomodo enim non est iustus ex interiori puritate, & virtute, si re vera nullum in eo peccatum inhæret? vel si verè peccata in illo inhærebant, immò omnia eius opera, iuxta doctrinam Lutheranorum, erant peccata mortalia, falsò dixit, Apostolus: *Nihil mihi conscius sum*, & cõtra potius dicere debuit, Multa mala mihi conscius sum: quoniã omnia mea opera sũt ex se peccata mortalia. Si dixerint SECVNDVM, falsum erit illud: *Non in hoc iustificatus sum.* Nam si B. Paulus nihil sibi conscius erat, quia peccata non imputari sibi, & per non imputationem tecta esse credebat: certè per hoc ipsum iustificabatur ex sententia Lutheranorum. Quomodo igitur opponit illud: *Nihil mihi conscius*, illi, *Sed non in hoc iustificatus sum?* debuisset igitur dicere, Multa bona opera, & multas bonas qualitates, & virtutes me habere, mihi conscius sum, sed non propter eas, sed propter solam Dei misericordiam iustificatus sum.

Respondebunt fortasse, illud, *Nihil mihi conscius sum*, hunc

hunc habere sensum, non agnosco in me vlla ex illis criminibus, quæ humano iudicio damnari solent, tamen nõ ideò iustificatus sum, quoniam illa ipsa opera, quæ videntur bona, in me peccata sunt. AT hęc responsio refellitur ex illis verbis: *Sed neque meipsum iudico.* Apostolus enim cũ dicit: *Nihil enim mihi conscius sum*, non reddit causam, cur non timeat externa iudicia, sed cur non audeat ipse se iudicare. *Sed neque*, inquit, *me ipsum iudico: nihil enim mihi conscius sum, &c.* non igitur loquitur de criminibus, quæ externo iudicio damnari solent, sed de peccatis, quæ ipse ad suum internum tribunal adducere posset. Potuisset autem ipse se facilè iudicare, si vera esset sententia Lutheranorum: facilè enim cognosceret opera sua per se esse mala, sed à Deo non imputari.

PRAETEREA tota hæc hæreticorum expositio repugnat scopo, siue proposito Apostoli. Nã, vt antè diximus, cupiebat deterrere Corinthios à iudicio temerario, & ideo ait: *Nolite ante tempus iudicare.* Et: *Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer.* Et: *Neque me ipsum iudico.* Et: *Qui iudicat me, Dominus est.* Ad hoc autẽ propositũ nihil pertinet illa ratio, non iustificor ex virtutibus, aut qualitatibus meis, sed ex Dei misericordia nõ imputante peccata: multum autem pertinet illa, ita incerta sunt humana iudicia, vt nemo possit etiam ipse se, nedum alios, iudicare, quod attinet ad iustitiam, & peccata.

POSTREMO, repugnat ista Lutheranorum expositio, communi Patrum interpretationi, qui omnes ex hoc loco colligunt incertitudinem gratiæ.

Sanctus AMBROSIVS (vel quicunque est auctor cõmentariorum illorum) hunc locum enarrans: *Humiliat*, inquit, *se, & loquitur, vt homo, qui possit peccatum incurrere nescius.*

Sanctus IOANNES CHRYSOSTOMVS in hunc eumdem locum: *Non Corinthios*, inquit, *tantum, sed ipsum quoque hoc priuat iudicio, quod cognitione sua maius testatur.* Et infrà: *Qua ratione*, inquit, *si res meas non satis exploratas habeo, aliena potero iudicare?*

Sanctus HIERONYMVS libro secũdo aduersus Pelagianos: *Qui hoc*, inquit, *dicebat, nullius vtique peccati sibi conscius erat, sed quia legerat, Delicta quis intelligit, idcirco temperabat sententiam, ne fortè per ignorantiam deliquisset.*

Sanctus AVGVSTINVS in Psalmum quadragesimum primum, tractans illud: *Abyssus abyssum inuocat*, dicit omnes Sanctos, quantumuis proficiant, adhuc esse abyssum, quoniam non se ipsi nouerunt, & adducit hunc locum Apostoli: *Quanta*, inquit, *abyssus sit, audite, tantam profunditatem credit esse in homine, quæ lateat ipsum hominẽ, in quo est: cùm enim dixisset, Nihil mihi conscius sum, adiecit, sed non in hoc iustificatus sum.*

Sanctus BERNARDVS in epistola quadragesima secunda, ad Henricum Senonẽsem Archiepiscopum: *Cùm Apostolus*, inquit, *diceret, Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die: adiecit. Sed neque me ipsum iudico. Quare? non possum, ait, ratum de me proferre sententiam. Ego enim nihil mihi conscius sum, non tamen in hoc iustificatus sum. Non ex toto credo me vel ipsi conscientiæ meæ. Quippe cùm ne ipsa quidem queat me comprehẽdere totum. Neque potest indicare de toto, qui totum non audit. Qui autem iudicat me, Dominus est. Dominus, inquit, cuius vtique scientiam non fugit. Sententiam non subterfugit, etiã quod propriam latet conscientiã. Audit Deus in corde cogitantis, quod nõ audit vel ipse, qui cogitat.*

Vide quæ citamus capite septimo, & præterea Theophylactum, sanctum Anselmum, sanctum Thomam, & alios huius loci interpretes, qui omnes in eamdem sententiam manifestè conueniunt.

Iam verò Ambrosius Catharinus in commẽtario huius loci, ne sententiam suam de certitudine gratiæ, ex tã aperto Apostoli testimonio refutari posse concederet, ita hunc locum exponi voluit, *Nihil mihi conscius sum*, id est, ego quidem scio me iustum, & innocentem esse, *tamen non in hoc iustificatus sum*, hoc est, sed non propterea iustus sum coram hominibus, qui iustitiam meam internam videre nõ possunt: *Qui autẽ iudicat me, Dominus est*, id est, Deus ipse in extremo iudicio, me iustum esse coram aliis omnibus declarabit.

Hæc expositio PRIMVM refellitur, quia est noua, & contraria Patribus, paulò antè citatis. SECVNDO, quia non benè cohæret cum verbis illis: *Sed neque meipsum iudico.* Huius enim sententiæ causam reddit, cùm ait: *Nihil enim mihi conscius sum, &c.* Quæ est autem ista connexio, Ego me ipsum non iudico, quia scio me esse iustum, sed non ideò iustus sum apud homines? TERTIO, quia repugnat scopo, & proposito Apostoli, vt ostendimus. QVARTO, quia Concilium Tridentinum sessione sexta, cap. 16. hunc locum intelligendum esse docuit, iuxta cõmunẽ Patrũ sententiam, de certitudine gratiæ: *Vnusquisque*, inquit, *sicut misericordiã, & benignitatẽ, ita & veritatẽ & iudicium ante oculos habere debet, neque se ipsum aliquis, etiamsi nihil sibi conscius fuerit, iudicare: quoniam omnis hominum vita, non humano iudicio, examinanda, & iudicanda est, sed Dei, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo.*

CAPVT VI.

Idem probatur ex variis locis Prophetarum, & Apostolorum.

EADEM veritas probari potest testimoniis Prophetarum, & Apostolorum, quæ vel requirunt ex parte nostra varias conditiones, vt iustificemur, vel indicant incertum esse, an qui agit pœnitentiam, consequatur remissionem, vel admonent, vt non simus nimium securi, quasi certi simus de iustitia iam adepta.

PRIMI generis sunt hæc testimonia, Deut. 4. *Cùm quæsieris ibi Dominum* (nimirũ post varia peccata) *inuenies eum, si tamen in toto corde quæsieris eum, & in tota tribulatione anima tuæ.* 2. Paralip. 6. *Si peccauerit tibi, & iratus fuerit, &c.* Et infrà: *Si conuersi fuerint ad te in toto corde suo, & in tota anima sua, tu exaudies de cœlo, & dimittes populo tuo.* Isai. 1. *Quiescite agere peruersè, discite benefacere, quærite iustitiam &c. & venite, & arguite me, dicit Dominus, si fuerint peccata vestra sicut coccinũ, sicut nix dealbabitur, & si fuerint rubra, sicut vermiculus, sicut lana alba erunt.* Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, & fecerit iudicium, & iustitiam, vita viuet, &c.* Io. 13. *Vos amici mei eritis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Act. 8. *Si credis in toto corde, licet.*

Hæc & similia testimonia manifestè significãt requiri aliquid in nobis, vt iustificemur. Neque aduersarij hoc negare possunt, qui tametsi dicant, remissionem non pẽdere à conditione operum, neque pœnitentiam, aut fidẽ, aut vllum actum nostrum, esse causam, aut meritum iustificationis, tamen non negant, requiri fidem, & pœnitentiam, & fidem, viuam, & pœnitentiam seriam, & sine his neminem iustificari. At nemo certus esse potest, præsertim certitudine fidei, se toto corde conuersum esse ad Dominum, & fidem, ac pœnitentiam habere, qualis requiritur, cùm in nulla Scriptura testimonium eiusmodi inueniatur de fide, & pœnitentia nostra in particulari; igitur nemo certus esse potest, certitudine fidei, sibi remissa esse peccata. Hæc planè Theologica demonstratio est, de qua satis multa diximus in libro primo, vbi probauimus, non esse veram fidem illam, qua quis credit, sibi remissa esse peccata.

SECVNDI generis sunt hæc testimonia, Dan. quarto: *Forsan ignoscet Deus dilectis tuis.* Ioelis 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, &c.* Et paulò pòst: *Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus?* Ionæ 3. Idem habetur: *Quis scit, si conuer-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatur, & ignoscat Deus. Act. 8. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi.* Hæc, & similia, quæ significant incertitudinem remissionis, non faciunt dubias promissiones Dei, quibus promisit verè pœnitẽtibus indulgentiam. Illæ enim certissimæ sunt: sed respiciunt incertitudinem nostræ dispositionis. Vndecunque autẽ veniat incertitudo, semper probant hæc testimonia non debere hominem ita esse securum, vt non semper à Deo petat seriam pœnitentiam, & peccati remissionem.

Sic exponit sãctus HIERONYMVS illud Ionæ 3. *Ideo*, inquit, *ambiguum ponitur, & incertum, vt dum homines dubij sunt de salute, fortius agant pœnitentiam, & magis ad misericordiam prouocent Deum.* Huc etiam pertinere docet S. AVGVSTINVS illud Psal. 50. *Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Vbi etiam allegat locum Ionæ: *Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus. Incertum est*, inquit, *cùm dicitur, quis scit. De incerto pœnitentiam egerunt, & certam misericordiam meruerunt.*

TERTII generis sunt hæc testimonia, Prouer. 2. *Beatus homo, qui semper est pauidus.* 2. ad Cor. 10. *Non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* At certè si quis certitudine fidei sciret, se iustũ esse, posset vtique se commendare, & probatus esset, quia sine dubio minimè falleretur. Ad Philip. 2. *Cum metu & tremore salutẽ vestram operamini.* 1. Petr. 1. *In timore incolatus vestri tempore conuersamini.* 2. Petr. 1. *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* At si per bona opera certitudo vocationis quærẽda est, certè & iã iustificationis. Nam *quos vocauit, hos & iustificauit.* ad Rom. 8. Quod si certitudo iustificationis ex bonis operibus pendet; non igitur certus est homo de sua iustificatione, mox atque iustificatus est. RVRSVS, non igitur ex sola fide pẽdet certitudo iustificationis. DENIQVE, non igitur certa est iustificatio nostra certitudine fidei, quæ infallibilis est, sed certitudine operum, quæ coniecturalis, atque imperfecta certitudo est.

CAPVT VII.

Idem probatur testimoniis sanctorum Patrum.

ADFEREMVS nunc testimonia veterũ Patrum, ad rem eamdem comprobandam.

S. AMBROSIVS serm. 5. in Psalm. 118. tractans illud: *Amputa opprobrium meũ, quod suspicatus sum*, sic loquitur: *Sui volebat auferri opprobriũ, quod suspicatus est, vel quia cogitauerat in corde, & non fecerat, & pœnitentia licet abolitum, suspectus tamen erat, ne fortè adhuc maneret eius opprobrium, & ideo Deũ precatur, vt illud auferat, quia solus nouit, quod nescire potest etiã ipse qui fecit.* Et addit testimonium Apostoli: *Nihil mihi conscius sum, &c.*

S. BASILIVS in Constit. Monasticis, c. 2. *Multa*, inquit, *peccantes, plurima neque intelligimus. Quapropter dicit Apostolus, Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, hoc est, multa pecco, & non intelligo.*

S. HIERONYMVS libro 2. aduersus Pelagianos: *Sunt*, inquit, *iusti, ad quos peruenit quasi opus impiorum: & impij, ad quos peruenit, quasi opus iustorũ. Hoc idcirco dicitur, quia certum iudicium solius Dei est.* Idẽ libro tertio, in Hieremiam, exponens c. 13. *Homo*, inquit, *videt in facie, Deus in corde, & quod nobis interdum mundum videtur, illius oculis sordidum deprehenditur.*

S. IOANNES CHRYSOSTOMVS, hom. 87. in Ioãnem, sanctum Petrum, sic loquentem inducit: *Propterea contristatus sum, ne fortè me amare arbitratus, non amem, vt antè, cum me fortem, & constantẽ putarẽ, imbecillis inuentus sum.* Et hom. 11. in priorem ad Corinth. *Multis de caussis incertum est*, inquit, *nostrum iudicium, vna, quod multa opera nostra nos lateant, &c.*

Sanctus AVGVSTINVS in Psalmum quadragesimũ primum, tractãs illud: *Ad me ipsum anima mea turbata est. Noui*, inquit, *quia iustitia Dei mei manet, vtrum mea maneat, nescio. Terret enim me Apostolus, dicens: Qui se putat stare, videat ne cadat.* Idem serm. 23. de verbis Domini: *Fortasse*, inquit, *tu nihil inuenis in conscientia tua: inuenit ille, qui melius videt.* Idem hom. 35. *Quamdiu*, inquit, *viuimus hic, de nobis ipsis nos ipsi iudicare non possumus, non dico quid cras crimus, sed quid hodie simus.* Idẽ in Psal. 50. super illud: *Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi: Quæ occulta*, inquit, *& quæ incerta? quia Deus ignoscit & talibus. Nihil tam occultum, nihil tam incertum.* Idem in lib. de perfectione iustitiæ, post medium: *Quantalibet*, inquit, *iustitia sit præditus homo, cogitare debet, se aliquid in illo, quod ipse non videt, inueniatur esse culpandum.*

THEODORETVS in cõment. ad c. 4. prioris ad Cor. enarrans illud: *Nihil mihi conscius sum: Non me*, inquit, *à peccato immunem pronunciabo, sed Dei sententiam expectabo. Sæpe enim euenit, vt etiam ignorantes peccent, æquum, & iustũ esse existiment, sed hoc aliter videt vniuersorum Deus.*

Sanctus GREGORIVS lib. 6. epist. 22. ad Gregoriã, Augustæ cubiculariã: *Quod verò*, inquit, *dulcedo tua in suis epistolis subiunxit, importunam se mihi existere quoad vsque scribam, mihi relatum esse quia peccata tua dimissa sunt: rẽ & difficilem etiam & inutilem postulasti. Difficilem quidem, quia ego indignus sum, cui reuelatio fieri debeat. Inutilem verò, quia securæ de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum iam in die vitæ tuæ vltimo, plangere eadem peccata minimè valebis. Quæ dies, quousque veniat, semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lauare.*

Sanctus BEDA in comment. ad c. 20. Prouerb. *Potest*, inquit, *hic versus, & de electis accipi: Qui habent aliquando latentia in mente mala, quæ ab aliis videri non possunt hominibus, quæ tamen ipse Dominus cernit.* Et infrà: *Sunt*, inquit, *multi mundo corde, & iuxta humanæ possibilitatis modum, puri à peccato, nec tamen se ipse quisquam mundicordem, & immunem à peccato absque temeritate pronunciauerit.*

Sanctus BERNARDVS ser. 3. de aduentu: *Accedit*, inquit, *ad sollicitudinis cumulũ, & pondus timoris, quod cùm & meam, & proximi conscientiam seruare necesse sit: neutra mihi satis est nota: vtraque abyssus est imperscrutabilis, vtraque mihi nox, est & nihilominus exigitur à me vtriusque custodia.* Idem in epistola 107. *De qua tamẽ*, inquit, *percepta suimet ex parte notitia, interim quidem gloriatur in spe, nondum tamen in securitate.* Idem sermone secundo in octaua Paschæ: *Nouit Dominus, qui sint eius, quis verò scit hominum, si est dignus amore, an odio?* Idem serm. 1. de Septuagesima: *Quis potest dicere, ego de electis sum, ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero filiorum? quis hæc, inquam, dicere potest, reclamante Scriptura, nescit homo, si dignus sit amore, an odio? certitudinem vtique non habemus, sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis huius anxietate penitus cruciemur.*

His accedat INNOCENTIVS tertius, Papa doctissimus, qui capite vltimo de purgatione canonica, scribit, iuramentum cuiusdam hominis, qui iurare paratus erat, se à certis criminibus immunem esse, quæ per pœnitentiam sibi dimissa fuisse credebat, esse iuramentum temerarium, & indiscretum, eo quòd nemo scire possit, an, vt oportet, egerit pœnitentiam: ac per hoc an ad veram peruenerit indulgentiam.

CAPVT VIII.

Idem probatur rationibus variis.

PRAETER testimonia Scripturarum, & Patrum, non desunt etiam egregiæ rationes, quibus hæc veritas comprobetur. Probabimus igitur ratione PRIMVM, non posse haberi certitudinem fidei de propria iustitia. SECVNDO, neminem teneri ad illam habendam, etiamsi fortè posset haberi. TERTIO, non expedire, vt ordinariè

ordinariè habeatur. QVARTO, reipsa non haberi, nisi à paucis, quibus à Deo specialiter iustificatio propria reuelatur.

PRIMA ratio, Non potest aliquid certum esse certitudine fidei, nisi aut immediatè cõteneatur in verbo Dei, aut ex verbo Dei per euidentem consequentiam deducatur: Fides enim nõ est, nisi verbi diuini auctoritate nitatur. Neq; de hoc principio vel Catholici, vel Hæretici dubitant. At in verbo Dei nõ cõtinetur immediatè particularis ista propositio, Talis, vel talis homo verè iustificatus est, exceptis enim paucissimis, vt Magdalena, & quodam Paralytico, qui ab ipso Christo audierunt, *Remittuntur tibi peccata tua*: Cæteri homines in sacris literis, ne nominantur quidem. Vniuersales autem promissiones, conditiones suas requirere, vt singulis applicentur, iam suprà in primo libro demonstrauimus. Oportet igitur vt ex verbo Dei, per euidentem consequentiam id colligat, quisquis eam certitudinem habere se iactat. Id autem fieri non posse probamus hoc modo.

Ratiocinatio, quà quis certitudinem fidei de sua iustitia ex verbo Dei concluderet, hæc esse deberet. Verbum Dei testatur, omnes verè conuersos ad Deum, & pœnitentiam seriò agentes peccatorum, indulgentiã, & gratiam obtinere: Mihi autem euidens est mea vera conuersio, & pœnitentia: igitur mihi certum est, certitudine fidei, me indulgentiam, & gratiam accepisse.

Huius argumenti assumptionem dico non solùm falsam, sed etiam impossibilem esse, nisi adsit reuelatio: nam IMPRIMIS *prauum est cor hominis, & inscrutabile, & quis cognoscet illud?* (inquit Hieremias capite decimo septimo. DEINDE videmus reipsa multos falli, qui se putant habere quod non habent. Certè beatus Petrus, cùm diceret, *Tecum paratus sum in carcerem, & in mortem ire*: paratum se esse credebat mortem subire pro CHRISTO; & tamen verè paratus non erat, vt euentus ostẽdit. Et Apostolus Paulus, cùm in Christianos fureret, magna se Dei caritate flagrare arbitrabatur, & tamen ex ignorãtia fallebatur. Et quis est, qui certus sit, se non laborare ignorantia aliqua non probabili, sed crassa, & ex ea peccandi affectum gerere, quem ipse non videat? DENIQVE, nulla sunt clariora signa veræ conuersionis, & gratiæ iam adeptæ, quàm opera caritatis, & præsertim, si quis animam pro Deo ponat: at hoc ipsum potest esse signum fallax, cùm Apostolus dicat prima ad Corinthios decimo tertio, posse hominem sine vera caritate Dei consumere in cibos pauperum omnes facultates suas, & tradere corpus suum ita vt ardeat. Et reipsa interdum videmus, hæreticos pro defensione perfidiæ suæ mortem libenter oppetere, qui se Deum ardentissimè amare non dubitant, cùm tamen ne micam quidem veræ caritatis habeant.

DICENT fortasse aduersarij, non requiri talem conuersionem, sufficere solam fidem. At hoc iam sæpè refutatum est, præsertim cùm ipsi quoque Lutherani veram fidem à caritate, & pœnitentia separari non posse contendant. SED fortasse Catharinus respondeat, non exigi necessariò perfectam conuersionem, & pœnitentiam, nisi extra Sacramentum, cum Sacramento autem sufficere, vt quis obicem non ponat. AT neque potest quis certus esse, certitudine fidei, se non ponere obicem, cùm possit ex ignorantia crassa gerere affectum ad peccatum: neque potest certus esse, certitudine fidei, se percipere verum Sacramentum, cùm Sacramentum sine intentione ministri non conficiatur, & intentionem alterius nemo videre possit. Nec ignoro quid de intentione, in Sacramentis conficiendis, sentiat Catharinus: sed eius sententia definitioni Ecclesiasticæ contraria esse conuincitur, vt alibi demonstrauimus.

SECVNDA ratio erit ad probandum neminem teneri certò credere certitudine fidei, sibi remissa esse peccata. Nam eiusmodi articulus in nullo Symbolo fidei continetur. Et eiusmodi præceptum in nullo canone Ecclesiastico reperitur. Percurrantur Symbola, Apostolicum, Nicænum, Constantinopolitanum, Athanasij, nusquam reperietur talis articulus, *Credo me esse iustum.* Quod autem in Symbolo Apostolico dicitur: *Credo remissionem peccatorum*, significat, in Ecclesia dari Baptismum in remissionem peccatorum, vt explicatur in Symbolo Constantinopolitano.

Porrò in Conciliis Ecclesiasticis non solùm non habetur tale præceptum fidei, sed habetur etiam expressè contrarium in Concilio Tridentino, sessione sexta, canone decimo tertio, id est, nõ teneri homines ad credẽdum, sibi remissa esse peccata.

Adde, quod si eiusmodi articulum fidei haberemus, sequeretur, omnem hominem, qui peccat, quocunque genere peccati mortalis, continuò fieri hæreticum, atque ita nullum esse peccatorem, qui non simul esset hæreticus, neque enim potest, qui voluntariè peccat, credere se iustum esse, nisi falsum, dedita opera, credere vellit. At certè inauditum est, in Ecclesia nullum esse peccatorem, qui nõ sit hæreticus. Et præterea cùm omnes hæretici ab Ecclesia separentur, & foris sint; sequeretur, nullum peccatorem in Ecclesia esse posse, quæ fuit hæresis Donatistarum, & ab Augustino, & cæteris Patribus ex Euangelio manifestè refutata est. Quid enim sunt grana, & paleæ in eadem area, boni, & mali pisces, in eodem reti, oues, & hædi in eodem ouili, nisi iusti, & peccatores in eadem Ecclesia? Viderint igitur Lutherani, qui per omne peccatum fidem iustificantem, id est, veram fidem excuti dicunt, quomodo se ab hæresi Donatistarum expediant, & quomodo non apertè cum ipso Euangelio pugnent.

TERTIA ratio probabit, non expedire vt homines habeãt ordinariè certitudinẽ de propria gratia. *Nam* (vt sanctus AVGVSTINVS ait in lib. de corrept. & gratia, c. 13.) *in hoc loco tentationis tãta est infirmitas, vt superbiam possit generare securitas.* Vnde etiam sanctus GREGORIVS scribit libro nono Moraliũ, capite 17. *Si scimus nos gratiam habere, superbimus.* Et ipse Dominus Luc. 18. per parabolam Pharisæi, & Publicani ostẽdit, eos, qui se iustos esse confidunt, facilè se cæteris anteponere, eosque despicere: *Non sum*, aiunt, *sicut ceteri hominum, velut etiam hic publicanus.* Contra autem ignoratio huius secreti humilitatem conseruat, & auget; facit enim vt se fideles superiores inuicẽ arbitrentur, & vnus aliũ honore præueniat.

DICES, si ita est, cur Deus aliquibus iustificationẽ propriam reuelat? QVONIAM sicui speciali hoc fauore dignos illos iudicat, ita etiã præuidet, sic in humilitate, & caritate radicatos esse, vt non sit illis ab hac elatione periculum, quod tamen infirmioribus, & imbecillioribus facilè imminere posse cognoscit.

QVARTA ratio docebit, re ipsa fidelibus, eiusmodi certitudinem non adesse. Nam imprimis quibusdam singulari beneficio reuelatum esse cõstat, ipsis remissa fuisse peccata. Id enim testatur de sancto Antonio Magnus Athanasius in eius vita. de sancta Galla S. Gregorius in libro 4. Dialogorum, c. 13. de sancto Francisco sanctus Bonauentura in eius vita, capite tertio, nec desunt alia eiusdem generis exempla. Quorsum autem Deus id certis hominibus reuelaret, quasi speciali prærogatiua, si fidelibus omnibus esset notitia ista communis?

DEINDE non minus constat, alios quosdã, alioqui perfectissimos, in obitu suo propter hoc incertum non mediocriter trepidasse. Refert sanctus Hieronymus, beatum HILARIONEM in morte dixisse: *Egredere anima mea, quid times? egredere, quid trepidas? Septuaginta prope annis seruisti Christo, & mortem times?* Similia exempla trepidantium sanctissimorum Patrum recenset Ioannes Climacus. At certè si viri etiam sanctissimi propter incer-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ritudinem gratiæ,& abyssum iudiciorum Dei trepidant, A quomodo credibile erit, omnibus fidelibus certitudinẽ adesse de propria gratia, atque iustitia?

DENIQVE idem apertissimè probat experientia huius temporis hæreticorum. Nã cùm omnes omninò hãc certitudinem iactent: tamen ipsorum sententia falluntur plurimi, nostra autem, omnes. Neque pertinet ad rem, quod dicit Kemnitius, falli Sacramentarios, & Anabaptistas,& alios, præter suæ sectæ homines, quoniam illi errant contra fundamentum fidei. Hoc, inquam, ad rem nõ facit: nam si per fundamentum fidei intelligatur fides in Mediatorem Christum, non descendendo ad particulares articulos, tenent illi quoque fundamentum: Sin autẽ per fundamentum intelligantur omnia dogmata fidei, quæ in Scripturis habentur, errant quidẽ illi contra fundamentum, vt etiam errat ipse Kemnitius: tamen isti er- B rores sunt in fide historica, non in fide iustificante, omnes enim eodem prorsus modo credunt, se iustos esse propter Christi merita imputata: & easdem promissiones fide amplectuntur. Vnde igitur fit, vt illi fallantur, & non isti? *Quoniam* (inquit BVCERVS) *in illis ista certitudo non est ex motu Spiritus sancti.* At hoc ipsum est, quod quærimus, cur non sit ex motu Spiritus sancti, si fidem iustificantem habent.

DICENT, eos non habere fidem iustificantem, quia fides iustificans, cum errore coniuncta esse non potest. AT experientia docet, fidem quam ipsi iustificantem esse definiunt, cum errore facilè permanere. Nam Anabaptistæ, & Sacramentarij, quos Lutherani errare contendunt, firmiter credunt, sibi propter Christum, fide apprehensum, remissa esse peccata. C

DEINDE, quo certo indicio Lutherani docebunt, Anabaptistas,& Sacramentarios errare, se autem non errare, cùm omnes iactent Scripturas, & non sit apud eos vllum commune iudicium, quo ipsorum controuersiæ dirimi queant.

DENIQVE vndecunque accidat, vt fallantur Anabaptistæ,& Sacramentarij, iudicio Lutheranorum,& cõtrà Lutherani, iudicio Anabaptistarum, & Sacramentariorum, nos euidenter concludimus: atque hoc potissimùm vrgemus, maximam partem eorum, qui hanc certitudinem iactant, ipsis etiam testibus, sine dubio decipi.

CAPVT IX.

Soluuntur argumenta aduersariorum, ex testimoniis Scripturarum deprompta. D

QVONIAM testimonia Scripturarum, quæ Caluinus Kemnitius, & Catharinus adducunt, plurima sunt, vt saltem multitudine testimoniorum speciem aliquã probabilitatis efficiant, nos illa omnia secundùm ordinem Scripturarum proponemus,& refellemus.

PRIMVM igitur testimonium Catharin. profert ex c.17.Luc. *Cùm feceritis hæc omnia, dicite, serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* At hoc quo modo potest quis dicere, nisi certò sciat, se fecisse omnia quæ præcepta sunt: qui autem certò scit, se omnia mandata complêsse, certò quoque scit, se diligere Deum, & diligi à Deo,& iustum esse: *Qui enim diligit me, sermones meos seruabit.* Et: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* Dominus ait. E Et: *Qui facit iustitiam, iustus est,* inquit Ioannes.

RESPONDEO, Absit vt Christus eo loco nos hortetur, vt dicamus, vel existimemus, nos fecisse omnia, quæ præcepta sunt nobis. Id enim esset ad iactantiam, & superbiã exhortari; cùm contrà potius ad humilitatem nos eo loco Saluator informet. Sententia igitur Domini est, vt cũ bona fide fecerimus, quæ præcepta sunt nobis, ita vt cor nostrum nos non reprehendat; nõ inde superbiamus, sed dicamus, serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.

SECVNDVM testimonium profert ex c. 3.Ioan. *Qui facit veritatem, venit ad lucẽ, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.* At quis auderet venire ad lucem, id est, ad Christum iustitiæ solẽ,& opera sua diiudicanda proferre, nisi certò sciret, illa esse verè bona? RESPONDEO sententia huius loci est, hãc esse naturam operũ malorũ, vt quærant latebras, quoniam reprehensionẽ timent: cõtrà verò naturam esse operum bonorũ, vt si opus sit proferri in lucem, non erubescant, nec timeant reprehendi. Ex hac autem generali, verissimaque doctrina nõ debet colligi, eundum nobis esse ad Christum, vt apud eũ prædicemus opera nostra. Neque etiã colligi debet, omnes qui ad Christum libenter accedunt esse perfectè iustificatos. Multi enim ad illum accedũt, vt iustificentur, iuxta illud, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiã vos.* Matt. 11. sed colligi debet id, quod ipse Christus in eo loco colligit: qui eius consortium fugiebãt, vt Pharisæos, & Scribas, hoc ipso fuisse homines malos: fugiebant enim Christi consortium, quia timebant reprehensionem: qui autem ad eum accedebãt, vt publicanos, & peccatores, vel etiam veros Israëlitas, in quibus dolus nõ erat, vt Nathanaëlem, & Nicodemum, hoc ipso fuisse bonos, vel voluisse fieri bonos: & denique bonã fuisse illam voluntatem, qua Christum quærebant.

Quod si peccatores ad Christum accedere poterant, & hoc ipso veritatem faciebant, & veniebant ad lucem, nec timebant manifestari opera sua, id est, desiderium, & voluntatem suam, quam habebant recuperandæ salutis: multò magis possunt, qui nõ sunt sibi conscij peccatorũ, syncero corde ad Christum accedere, non vt iactent opera sua, sed vt ab eo illuminentur, & proficiant, si boni sunt, vel corrigantur, si fortè boni sibi videntur, & non sunt.

TERTIVM testimonium profert ex illo Ioannis 13. *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Quanto igitur magis poterit vnusquisque cognoscere, se verè discipulum fuisse Christi, si dilectionem proximi habere se videat?

RESPONDEO, Nihil planè cõcluditur ex hoc loco: nisi quis velit, non solùm nos ipsos, sed etiã omnes alios certò cognoscere nostram gratiam. Dominus enim non ait: In hoc cognoscetis, sed, in hoc cognoscent omnes, At profectò absurdissimum est tribuere omnibus hominibus certitudinem fidei de aliena iustitia. Sententia igitur Domini est, Discipulos Christi non posse internosci ab aliis clariori signo, quam dilectionis. Eiusmodi autẽ externa signa non efficiunt certitudinem fidei diuinæ, sed humanam, & coniecturalem: cùm hoc ipsum non possit sine reuelatione cognosci, an quis verè diligat Deum, & proximum, vt oportet. Sæpè enim cupiditas se venditat pro caritate, id est, amor concupiscentiæ pro amore amicitiæ.

QVARTVM testimonium non à Catharino tantum, sed etiam à Caluino producitur ex illo Ioan. 14. *Vos autẽ cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Item: *In illa die cognoscetis, quia ego sum in Patre, & vos in me, & ego in vobis.*

RESPONDEO, ex priore loco solum colligitur eos qui per fidem Spiritum sanctum nõscunt, non sine eius gratia,& auxilio noscere. Quomodo etiã dicitur de notitia Christi: *Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* Dixerat enim Dominus: *Mittam vobis Spiritum paracletum, quem mundus non potest accipere, quia non nouit eum, nec scit eum: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Ex quibus verbis intelligimus, non posse accipi Spiritum sanctum, nisi prius cognoscatur,& tamen non posse cognosci, nisi prius habeatur.

Proinde duobus modis haberi potest Spiritus sanctus. VNOmodo, vt per donũ iustitiæ, & caritatis inhabitet in nobis, tanquam in templis mundatis, & sanctificatis:

ALTE

ALTERO, vt per donum fidei præparet sibi templum in A nobis, & capaces efficiat perfectæ iustificationis. De PRIORE modo dictum est: *Mundus eum non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum,* id est, non potest mũdus accipere Spiritum sanctum, ad perfectam iustificationem, quia nondum habet illum ad fidem. Neque est capax donorum eius, quem non cognoscit, nec videt oculis fidei. De POSTERIORE modo dictum est: *Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit.* Vel vt habent codices Græci, & plerique Latini: *Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manet,* id est, vos iam illum habetis ad fidem,& ideò cognoscitis, eum,& capaces facti estis donorum eius, & propterea mittam eum ad vos. Non igitur habetur ex hoc testimonio, nos certos esse de nostra iustitia,& gratia, sed solùm, si cognoscimus DEVM per B fidem, certos esse id non fieri sine ipsius auxilio.

In ALTERO testimonio, si credimus Augustinó, & Cyrillo in commentario huius loci loquitur Dominus de cognitione beata, quæ post hanc vitam erit, cùm videbimus Deum, sicuti est. Tunc enim apertè cognoscemus, Filium esse in Patre,& nos in Filio, & Filiũ in nobis. Si quis autem contendat, in hac etiam vita compleri, quod Dominus ait, in promptu erit respõsio, cognoscere nos esse in Filio,& Filium in nobis, non esse cognoscere nos esse iustos: sed Christum esse caput totius Ecclesiæ: sic enim est Christus in nobis, id est, in Ecclesia, & Ecclesia in Christo; quia ipse est caput, & Ecclesia est corpus.

QVINTVM testimonium sumunt hæretici ex illo ad Romanos tertio: *Iustitia Dei in omnes, & super omnes, qui credunt in eum.* Et ad Romanos quarto: *Si ex lege hæreditas, exinanita est fides, abolita est promissio.* Itẽ ibidem: *Ideo ex fide, vt firma sit promissio.* Et ibidem: *Ideo reputatum est ei ad iustitiam.* Hinc enim colligunt omnes qui credunt, etiamsi nihil aliud agant, certissimè iustificari, & hoc ipso iustificari, quòd credunt. Proinde non pendere promissionem iustificationis ab vlla conditione operis, & ideo nihil esse, quòd illam incertam possit efficere. Itaque KEMNITIVS his locis citatis exclamat: *Hæc non verba sunt, sed fulmina contra Tridentinum decretum, quod dicit, Nemini, qui in fiducia, & certitudine remissionis peccatorum, iuxta promissionem acquiescit, remitti peccata. Paulus verò dixit, ideo reputatum est ei ad iustitiam.*

RESPONDEO, Hæc omnia sunt à nobis explicata in primo libro, ideò nunc paucis respondemus. PRIMVM manifestè hallucinantur hæretici, cùm existimant, Apo- D stolum loqui de fide seu fiducia, qua quis credit, sibi remissa esse peccata. Nusquam enim id Apostolus significat, sed loquitur de fide, qua credimus, Christum resurrexisse à mortuis: & qua credidit Abraham, se habiturum filium ex vxore vetula,& sterili, iuxta promissum diuinũ.

DEINDE, manifestè falsum assumunt, immò secum ipsi pugnant, cùm dicunt, promissionem non pendere ab vlla conditione operis,& tamen requirere fidem. Nam ipsa fides est quoddam opus, & conditio,& omninò sufficit ad hoc, vt iustificatio reddatur incerta. Nam nemo certus esse potest certitudine fidei, se habere fidem illã, quæ requiritur ad iustificationem, cùm hoc in nulla parte verbi Dei contineatur. ITAQVE certũ est, omnes, qui credunt, vt oportet, id est, viua fide, iustificari, sed nemo certus est ex fide, se fidem viuam habere. RVRSVS cer- E tum est, hominẽ iustificari ex fide, non ex lege, aut operibus, id est, non ex sola notitia legis, vel operibus factis solis naturæ viribus, sed ex gratia Dei, quæ primum inspirat fidem, vt per illam iustificatio impetretur, sed (vt diximus) non sumus certi ex fide, nos vel fidem habere, qualis requiritur, vel per fidem impetrasse iustificationem. DENIQVE certum est, Abrahæ reputatam fuisse fidẽ ad iustitiam: sed nemo certus est ex fide, se talem habere fidem, qualem habuit Abraham. Ostendat Kemnitius ex verbo Dei, se, aut alios in particulari habere eiusmodi fidem viuam, & per dilectionem operantem, & tum fulmina contra Concilium iactet: alioqui sciat, verba quidem Apostoli fulmina esse, sed per paralogismos non benè torqueri, vel potius in caput recidere imperiti fulminatoris.

SEXTVM testimoniũ sumũt ex illo ad Rom.8. *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba Pater. Ipse enim Spiritus testimoniũ reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei.* At Spiritus testimonium certitudinẽ summam efficere debet, cùm Spiritus sanctus nec falli possit, nec fallere. Atque hoc testimonium, vt vnum ex præcipuis, non solùm Caluinus,& Kemnitius, sed etiam Catharinus maximi facit.

RESPONDEO, Duæ sunt huius loci expositiones, vt etiã duæ sunt lectiones. VNA lectio est Latini codicis, quæ habet, Spiritum S. testimonium reddere spiritui nostro: ALTERA est codicis Græci, quæ habet, Spiritum sanctum simul testari cum spiritu nostro, *ἀυτὸ τὸ πνεῦμα συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν.* Iuxta PRIOREM respondemus cum Latinis interpretibus, Spiritum sanctũ attestari spiritui nostro, quod simus filij Dei, sed hoc testimonium non esse per verbum aliquod expressum, id est, per reuelationem, sed per experimentum cuiusdam suauitatis,& pacis internæ, quæ non gignit certitudinem, nisi coniecturalem.

Iuxta POSTERIOREM lectionem respondemus cũ interpretibus Græcis, testimonium Spiritus nihil esse aliud, nisi ipsam orationem, qua dicimus: *Abba Pater.* Illa enim oratio testimonium est nostrum, & Dei: NO- C STRVM, quia nos sumus, qui dicimus: *Abba Pater,* ac per hoc testamur hac oratione, Patrem nos habere Deum: DEI autem, quia Deus est, qui mouet nos, vt dicamus, *Abba Pater,* & hoc modo Spiritus Dei simul cum spiritu nostro testimonium perhibet, quod simus filij Dei.

Sed hoc ipsum, quod videlicet Spiritus sanctus sit, qui nos mouet, cùm dicimus, *Abba Pater,* non constat nobis ex fide diuina, sed solùm ex coniecturis, quæ fallaces esse possunt. Multi enim non solum peccatores inter Catholicos, sed etiam hæretici dicunt Deo, *Pater noster qui es in cœlis.* & tamen non sunt ipsi verè filij Dei. Et Iudæis dicentibus. Ioan. 8. *Nos vnum Patrem habemus Deũ,* Christus dixit: *Vos ex patre diabolo estis.* Non igitur hoc testimonium fidem facit, nisi coniecturalem.

SEPTIMVM testimonium sumunt Calui.& Kemnit. ex illis verbis ad Rom.8. *Certus sum, quia neque mors, neque vita poterit nos separare à caritate Dei.*

RESPONDEO, Duæ sunt etiã huius loci expositiones, VNA quod loquatur Apostolus de prædestinatis in genere. Vt sensus sit, certũ esse, omnes prædestinatos perseueraturos in caritate Dei. Nã paulò antè dixerat idem Apostolus: *Scimus, quoniã diligentib. Deũ omnia cooperantur in bonũ his, qui secundùm propositum vocati sunt sancti. Nam quos præscíuit, & prædestinauit, &c.* Atque hæc est S. Augu. sententia de hoc loco Apostoli in li. de correp.& grat. c. 7.

ALTERA expositio est, quod loquatur Apostolus de se in particulari, & aliis similibus sibi: sed per illud, *certus sũ,* nõ intelligat certitudinẽ fidei diuinæ, sed quandã persuasionẽ, & confidentiã, ad quã gignẽdam satis est certitudo cõiecturalis. Id autẽ ita esse perspicuum est ex verbo Græco, quo vtitur. Nã *πέπεισμαι,* significat propriè persuasus sum, siue confido. Nam cõment. Ambrosij hoc loco,& S. Hieron. in epist. ad Algasiã, q. 9. legunt: *Confido quia neq, mors, neq, vita, &c.* & idem Apostolus in hac ipsa epi. c. 15. vtitur eodẽ verbo, cũ dicit: *Certus sũ fratres mei, & ego ipse de vobis, quoniã & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, &c.* Et 2.ad Tim. 1. *Certus sũ autẽ quod & in te.* Et Luc. 20. *Certi sũt enim Ioan. Prophetã esse.* Deniq; ad Heb. 6. vbi nos habem⁹: *Cõfidimus de vobis meliora,* habetur Græcè *πεπείσμεθα.* Quis autẽ ita desiperet, vt diceret, Apostolũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

certum fuisse ex fide, omnes Romanos plenos fuisse dilectione, & scientia? Illa igitur est vis eius verbi in omnibus locis citatis, vt significet persuasionẽ, & cõfidentiã, quam possumus habere ex variis coniecturis, quamuis ea non sit eiusmodi, vt omnem formidinem prorsus excludat. Vide aliam expositionem huius loci apud August. in lib. de moribus Ecclesiæ, cap. 11. & sequent.

OCTAVVM testimonium sumunt ex ca. 2. prioris ad Cor. vbi legimus: *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus quæ donata sunt nobis.*

RESPONDEO, Nõ loquitur Apostolus de notitia beneficiorũ Dei, quæ in particulari ad hũc, aut illũ pertinent, sed de notitia beneficiorũ, q̃ Deus præparauit electis suis qualia sunt in primis hæreditas, & gloria regni cælorum. Quã notitiã habemus per Spiritũ Dei, qui in Scripturis ea reuelauit: non per Spiritum huius mũdi, id est, nõ per sapientiam, & studium, hamanũ. Nã paulò antè dixerat. *Et ego, cũ venissem ad vos fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annunciãs vobis testimonium Christi.* Et infrà: *Sicut scriptum est, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligẽtibus se: nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum.* Et infrà cum dixisset: *Vt sciamus quæ donata sunt nobis*, subiecit continuò, *quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus.*

NONVM testimonium sumunt ex illo 1. ad Corinth. 11. *Probet se vnusquisque, & sic de pane illo edat.*

RESPONDEO, Hæc discussio, atq; probatio nõ exigit certitudinẽ fidei, sed qualẽ possumus ex ipsa nostræ conscientię examinatione consequi. Ille n. paratus dicitur ad percipiendã Eucharistiã, qui post discussionẽ non est sibi cõscius alicuius criminis, quod per pœnitẽtiã expiare neglexerit, & neq; fidẽ, aut caritatẽ, aut deuotionẽ tãto Sacramento debitam sibi deesse bona fide existimat.

DECIMVM testimonium sumunt ex illo 2. ad Cor. 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* A gloria ista inquiunt, *inanis esset, nisi testimonium conscientiæ certitudinem infallibilem gigneret.*

RESPONDEO, testimoniũ conscientiæ magnã lætitiã adfert, sed nõ infallibilẽ certitudinem: non enim solũ lætamur, & gloriamur de iis rebus quas certi sumus nos habere, vel habituros, sed etiã de iis, quas vel nos habere cõfidimus, vel habituros esse speramus, quãuis non sine timore. Vnde etiã iubemur in Psal. 2. exultare cũ tremore. Denique testimonium conscientiæ nõ parere certitudinẽ absolutã, testis est idẽ Apostolus, qui ait 1. ad cor 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.*

VNDECIMVM testimoniũ sumunt ex illo 2. ad Corinth. 13. *Vosmetipsos tentate, si estis in fide, annon cognoscitis vosmetipsos, quia Christus in vobis est, nisi forte reprobi estis?*

RESPONDEO, Loquitur Apostolus de præsentia Christi apud Corinth. non secundũ gratiam gratũ facientem, sed secundũ potentiam, prouidẽtiam, & miracula, quæ apud illos faciebat. Alioqui enim cum idem Apostolus in toto eo cap. & tribus præcedentibus, eos reprehendat, & seuerã vltionem cõminetur, quomodo consequens esset, vt affirmare vellet omnes illos eo tempore iustos fuisse?

Sed ex verbis præcedẽtibus perspicuũ erit, de qua præsentia Christi apud Corinth. loquatur Apost. *Ecce*, inquit, *tertio venio ad vos. In ore duorum, vel trium testiũ stabit omne verbũ. Prædixi, & prædico, vt præsens iis, qui antè peccauerunt, & cæteris omnib. Quoniã si venero iterũ non parcã. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis? Nã etsi crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei.* Hoc est, vultis ne experiri animaduersionem Christi, qui per me tradat aliquos vestrum Sathanæ, in interitum carnis? Nam etsi Christus secundùm infirmitatem carnis crucifixus fuit, tamen nunc immortalis regnat per potentiam Dei, & quos vult punire potest.

Et mox adiungit: *Nam & nos infirmi sumus cum illo sed viuimus cũ eo ex virtute Dei in vobis. Vosmetipsos tentate, &c.* id est, Nos quoq; in vtroq;, in infirmitate videlicet, & in potentia Christo similes sumus: & ideo secundum infirmitatem multa quotidie patimur, secundum potentiam, signa, & prodigia facimus, & ex auctoritate Christi omnem inobedientiam castigare parati possumus. Id quod vel ex vobis ipsis intelligere potestis. Nam si vos ipsi cõsideretis, & ea, quæ apud vos facta sunt, si quid fidei in vobis est, & non estis traditi in reprobum sensum, facilè cognoscetis, Christum in vobis esse, & res vestras administrare. & ipsum esse, qui per ministerium nostrum tradit inobedientes Sathanæ in interitum carnis. Hęc est Apostoli sententia, ex qua nihil omninò colligi potest pro certitudine gratiæ.

DVODECIMVM testimonium sumunt ex cap. 3. ad Ephes. *Per quem habemus fiduciam, & accessum in confidẽtia per fidem eius.* In Græco nomine fiduciæ est παῤῥησία, id est, audacia. *Audacia verò* (inquit CALVINVS) *plus est quam certitudo. Igitur per fidem plus quàm certi sumus, nos esse gratos Deo, atque inde ad Deum audaciter accedimus.*

RESPONDEO, Audacia non est certitudo, neque esse audacẽ, est esse certum: sed certitudo gignit audaciam. Itaq; ex quadã certitudine summa, & infallibili audaces sumus. Cæterùm ea certitudo non est de iustitia nostra, sed de veritate mysteriorum fidei, Nimirum quia certissimi sumus ex fide Catholica, Christum pro nobis natũ, passum, & mortuum esse, & eumdem resurrexisse, & ascẽdisse in cœlum, & nunc astare vultui Dei pro nobis, inde nos tanto intercessore freti, audemus confidenter accedere ad thronum gratiæ, & sperare à Deo indulgentiam, iustificationem, sanctificationem, & alia id genus beneficia. Itaque paralogismus Caluini in eo consistit, quod per fidem accipiat notitiã propriæ iustificationis, quam non esse fidem, sed falsam persuasionem in primo libro copiosè probauimus.

TERTIVMDECIMVM testimonium sumunt ex epistola prima sancti Ioannis: nam in 3. cap. sic legimus: *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Et cap. 4. *In hoc cognouimus, quoniam in ipso manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* Et cap. 5. *Scimus quoniam ex Deo sumus.* Et ibidẽ: *Qui credit in filium Dei, habet testimoniũ Dei in se.*

RESPONDEO PRIMVM, Illę voces *scimus*, & *cognoscimus*, non necessariò includunt certitudinem fidei diuinæ. Dicimur enim etiam scire, & cognoscere ea, quæ ex signis, & cõiecturis colligimus. DEINDE, quamuis B. Ioannes in prima persona loquatur, tamen sententiæ illę generales sunt, non particulares: significant enim, eos translatos esse de morte ad vitam, qui diligunt fratres: & eos in Deo manere, & Deũ in ipsis, qui habent in se Spiritum Dei: & denique eos ex Deo esse, qui iustè, & sanctè viuunt. Loquitur autem sanctus Ioannes in prima persona, quia bona spe confidebat, se vnum ex illis esse, qui diligunt fratres, qui habent Spiritum Dei, & qui sunt ex Deo. Sicut etiam beatus Paulus, cùm loquitur de prædestinatis, ferè semper ita loquitur, quasi certus esset, non solum se, sed etiam illos omnes, ad quos scribit, in numero electorum fuisse: quia videlicet, id cupiebat, & sperabat.

Illud autem: *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se*, non est ad propositum. Quoniam non loquitur sanctus Ioannes de testimonio nostræ iustificationis, sed de testimonio diuinitatis Christi. Dixerat enim paulò antè: *Hoc est testimonium Dei, quod maius est, quia testificatus est de filio suo.* Et mox subiungit: *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se*, id est, retinet, & conseruat, & acceptat testimonium Dei, non de se, sed de filio Dei in se, qui autẽ nõ credit non recipit hoc testimonium in se, & ideo mendacem facit eum, qui de filio testificatus est, cùm dixit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*

VLTIMVM testimonium sumunt ex illo secundæ Petri 1. *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.*

RESPONDEO, Hoc testimonium non adfertur à Lutheranis, & meritò, quia cum eorum sententia manifestè pugnat. Ipsi enim certitudinem suam priorem operibus esse volunt, non posteriorem. Sed neque Catharinum hæc auctoritas iuuat. Non enim certitudo, quæ ex operibus nascitur, potest esse certitudo fidei, sed tantùm coniecturalis, vt omittam quod Apostolus non tam loquitur de certitudine ex parte subiecti, quàm ex parte obiecti. Id enim monet, vt per bona opera certam, id est, ratam, & firmam vocationem, & electionem faciamus. *Nam cum Deus nos elegerit, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in caritate*, ad Ephesios primo, illi electionem suam confirmant, & certam reddunt, qui sancti, & immaculati fieri student, & in caritate magis, ac magis, Deo adiuuante proficiunt.

CAPVT X.

Soluuntur argumenta ex Patribus.

EXPATRIBVS multa testimonia Catharinus adducit, quædam etiam hæretici Kemnitius, & Caluinus.

PRIMVS est DIONYSIVS AREOPAGITA in libro de diuinis nominibus, cap. 7. prope finem, qui sic ait: *Nouit penitus is, qui veritati coniunctus est, quam bene se habeat, etiamsi plures illum corripiant, quasi amentem.*

RESPONDEO, Fallitur Catharinus, existimãs. loqui Dionysium de certitudine propriæ iustitiæ, cum ipse loquatur de certitudine Christianæ religionis, quæ stultitia eo tempore Gentilibus esse videbatur. Itaque sentẽtia Dionysij est, pios Christianos omninò scire, & certos esse, quàm bonum sit in Christiana religione viuere quamuis propterea vt stulti à mundi sapientibus arguantur. Et subiungit paulò pòst, sanctos martyres huic ipsi veritati quotidie libenter etiã cũ vitæ periculo testimoniũ dare. Certè autẽ sancti Martyres nõ pro sua iustificatione, sed pro CHRISTI diuinitate mortẽ oppetebãt.

SECVNDVS est sanctus BASILIVS, qui in quęstionibus breuiter explicatis, quæst. 12. & 296. quærit: *Quomodo certificatur anima, quod Deus dimiserit ei peccata?* Et respondet: *Si contemplabitur ipsum in affectu eius, qui dixit, iniustitiam odio habui, & abominatus sum.*

RESPONDEO, Loquitur Basilius de certitudine cõiecturali, quæ satis est ad animæ tranquilitatem. Alioqui enim certitudinem fidei diuinæ, non potest gignere quiuis affectus, & odium contra peccata, nisi Deus reuelare dignetur, affectum illum & odium esse purum, & syncerum, atque ex vera Dei caritate, non ex solo pœnæ timore procedere.

TERTIVS est sanctus GREGORIVS NAZIANZENVS, cuius testimonium adducit Kemnitius ex oratione de plaga grandinis: *Quis scit*, inquit, *numquid conuertatur, & pœniteat, & relinquat post se benedictionem? atqui manifestè hoc scio. Ego diuinæ clementiæ sum fideiussor. Nam iram, quæ præter naturam ipsius est, remittet, & ad misericordiam, quæ secundum naturam eius est, conuertetur.*

RESPONDEO, Valdè acutus est Kemnitius, qui videt argumenta etiam vbi non sunt. Quid enim hoc testimonium facit ad rem? affirmat verò Gregorius, se manifestè scire, Deum esse clementem, & nullis verè pœnitentibus indulgentiam denegare. Et verba illa Prophetica: *Quis scit si conuertatur, &c.* non falsa esse contẽdit, sed exponit, docens, dubitationem illam non pertinere ad ipsum Deum, quasi is non velit pœnitentibus veris dare. Nusquam autem Gregorius dicit, se manifestè scire, omnes qui videntur pœnitentiam agere, ex animo illam agere, neque se fideiussorem nostrę pœnitentiæ, quam perfectè scire non poterat, sed diuinæ clementiæ, cuius ex diuinis literis certissimus erat, offerre non dubitat.

QVARTVS est sanctus IOANNES CHRYSOSTOMVS, cuius illa verba Catharinus profert ex homil. 14. in epist. ad Rom. *Quãdo verò spiritus testatur, quanã relinquitur ambiguitas?* Et infrà: *Suprema illa essentia, quæ & hoc ipsum largitur, quod promittit, atq; adeo orare etiã iussit, testimonium perhibente, quisnã de dignitate hac deinceps dubitare audebit?*

RESPONDEO, S. Ioann. Chrysostomus explicat verba B. Pauli de testimonio, quod Spiritus S. perhibet, dum efficit in nobis, vt clamemus *Abba Pater.* Ex quo testimonio certissimè colligitur, eos qui verè, & ex corde dicũt, *Abba Pater*, esse filios Dei. Nã ista vox est à spiritu sancto, qui nulla ratione falli potest. At nõ dicit Chrysostomus omnes qui dicunt, *Abba Pater*, ex corde, & sicut oportet, illud dicere, ac per hoc non affirmat Chrysostomus, omnes qui dicunt, *Abba Pater*, hoc dicere, impulsos à Spiritu sancto, & proinde esse filios Dei. Itaque Chrysostomi sententia conditionata est, non absoluta, generalis, non particularis.

QVINTVS est sanctus CYRILLVS lib. 10. in Ioan. cap. 3. qui sic ait: *Cum non rectè à discipulo verba sua intellecta Christus videret, repetit rursus quod dixit, dilucidèque docet, nõ solũ cognitione ipsa cõmuni, amicis se suis manifestaturũ sed excellentiori quadam fulgoris modo. Nam rudiores ab impio idolorum cultu ad cognitionem Dei vocati, solummodo per fidẽ discunt, quod vnus Deus, qui nos creauit, colendus est. Qui verò omni virtute mentem suam purgando apti iam ad maiora facti sunt, Spiritus illuminatione receptа, oculis animi habitantem in se Deum videbunt.*

RESPONDEO, Nulla est in hoc difficultas. Nam loqui videtur sanctus Cyrillus de notitia beata, quæ obtinebitur post hanc vitam, vt ex capite primo, & secundo intelligi potest. Proinde non distinguit rudiores à perfectioribus, id est, alios ab aliis in hac vita, sed eosdem ipsos rudiores in hac vita à se ipsis perfectioribus in alia. DEINDE, si loqueretur de notitia solius huius vitæ, diceremus, eum non prædicare certitudinẽ fidei, sed notitiam maiorem, quam vulgus habere consueuerit.

Iam verò ex Latinis PRIMVS, quem adducunt, sanctus CYPRIANVS est. Cuius auctoris duo loca profert Catharinus, vnum Kemnitius, PRIMVS locus est in libro aduersus Demetrianum, vbi sic legimus: *Viget apud nos spei robur, & firmitas fidei, & inter ipsas seculi labentes ruinas erecta mens, & immobilis virtus, & de Deo suo semper anima securа.*

SECVNDVS locus est in ser. de Cœna Domini, vbi Cyprian. dicit, animam fidelem in perceptione Eucharistiæ mirabiliter affici, dum videt, quod Deus condonet, & quid etiam donet. Et addit, *se donatam & sanctificatam agnoscens, fletibus se ablui, & lachrymis se baptizat.*

TERTIVS locus est in libro de mortalitate, vbi hæc habẽtur verba: *Quis hic anxietatis, & sollicitudinis locus est? quis inter hæc trepidus, & mœstus est, nisi cui spes & fides deest, eius enim est mortem timere, qui ad Christũ transire nolit. Ejus est ad Christum nolle ire, qui se non credit cum Christo incipere regnare. Scriptũ est enim: Iustus ex fide viuit, si iustus es, & fide viuis, si verò in Deũ credis, cur non cum Christo futurus, & de Domini pollicitatione securus, quod ad Christię voceris, amplecteris?* Item ibidem: *Deus tibi de mundo recedenti immortalitatẽ pollicetur, & tu dubitas? hoc est Deũ omnino non nosse hoc est, Christum credentiũ Magistrũ peccato incredulitatis offendere, hoc est, in Ecclesia cõstituti, fidem in domo fidei nõ habere.*

RESPONDEO, primum testimonium omninò gratis adducitur. Fatemur enim apud omnes pios vigere spei robur, & fidei firmitatẽ, & animã de Deo suo semper esse securã. Sed negamus, inde sequi, vt certi sint certitudine fidei

Universidad de Deusto
Biblioteca

fidei, de sua iustitia, vt enim securi de Deo viuamus, satis A
est, si certi simus, Deum fidelem esse in omnibus verbis
suis: & non deserere suos, nisi prius ipse deseratur ab illis.

ALTERVM quoque testimonium nō docet agnitionem certā certitudine fidei, sed experimentalem, & coniecturalē, quæ non ex testimonio, id est, ex verbo aliquo Dei, sed ex infusa diuinitùs lætitia, & suauitate oritur.

TERTIVM testimonium pugnat aduersus eos, qui de promissionibus Dei dubitant, id est, qui non satis firmiter credunt, parata esse gaudia sempiterna diligentibus Deum, & spem talem non gerunt, qualis requiritur: & ideò nimis anxiè mortem timent, & fugiunt. Nos autem non negamus, oportere fidem certissimam, quæ dubitationem prorsus excludat, haberi de diuinis promissionibus, & spem etiam talem, ac tantam, quæ desiderium moriendi pariat, quamuis ea spes cum timore coniuncta esse debebeat propter incertitudinem dispositionis nostræ, vt hoc modo seruiamus Domino in timore, & exultemus ei cum tremore. B

Reprehendi autem à sancto Cypriano trepidationem natam ex incredulitate, perspicuum est, TVM ex verbis citatis, TVM etiam clarius ex verbis interiectis inter duo testimonia allegata. Sic enim loquitur Cyprianus: *Hoc autem fit, fratres dilectissimi, quia fides deest, quia nemo credit futura esse, quæ promittit Deus. Si tibi vir grauis, & laudabilis aliquid polliceretur, haberes vtique pollicenti fidē: nunc Deus tecum loquitur, & tu mente incredula perfidus fluctuas?*

At (inquiet KEMNITIVS) *hoc est, quod nos dicimus, diuinæ promissioni fidem esse habendam, etiam in particulari, vt ad nos pertinet, & per hoc nihil esse dubitandum de remissione peccatorum, vel æterna salute.* RESPONDEO, Diuinæ promissioni etiam in particulari fides habenda est, quantum pertinet ad veritatem promittentis. Et hoc dicit S. Cypria. & probat similitudine allata grauis alicuius, & laudabilis viri. C

Cæterùm ex parte dispositionis nostræ, sine qua non iustificamur, potest locum habere formido. Promissio enim remissionis peccatorum, & salutis, non est absoluta vt Kemnitius somniat, sed conditionata, & ab operibus pendet, vt sanctus ipse CYPRIANVS multis in locis docet, ac præsertim in serm. 5. de lapsis, vbi inter alia sic loquitur: *Putas*, inquit, *tu, Dominum citò posse placari? putas eum facilè misereri tui? orare oportet impensius, & rogare, diem luctu transigere: vigiliis noctes, & fletibus ducere: tempus omne lachrimosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere cineri, in cilicio, & sordibus volutari, &c.* D

Ergo cùm ipse idem Kemnitius affirmet, Catholicos ideo docere incertitudinem iustificationis, quia existimant eam pendere à conditione operū pœnitentiæ: quāuis non dubitent de promissionibus ex parte Dei, cogetur omninò, nisi secum pugnare velit, concedere S. Cyprianum non docuisse certitudinem fidei habendam de remissione peccatorum absolutè, sed tantum ex parte Dei, cùm tam apertè idem Cyprianus doceat, iustificationem ab operum pœnitentiæ conditione pendere.

SECVNDVS ex Latinis, quē adducit KEMNITIVS, est S. HILARIVS, cuius hæc verba citat ex comment. in c. 5. Matt. *Regnum cœlorū, quod Dominus in se esse positū est ꝓfessus, vult sine aliqua incertæ voluntatis ambiguitate sperari: Alioqui iustificatio ex fide nulla est, si fides ipsa fiat ambigua.* E

RESPONDEO, Hoc testimoniū verissimum est, sed ad rem propositam nihil pertinet. Non enim loquitur sanctus Hilarius de fide propriæ iustificationis, quasi vnusquisq; sine ambiguitate credere debeat sibi remissa esse peccata: sed de fide resurrectionis corporū, quæ nisi certissima sit, ita vt omnem dubitationem excludat spes quoque nulla esse poterit. Quomodo autem iustificabitur ex fide, qui fidem verbo Dei resurrectionem futuram protestanti non habet? aut quomodo regnum Dei consequetur, qui illud venturum esse non sperat?

Loqui verò sanctum Hilarium de fide dogmatica resurrectionis, intelliget quicumque locum illum allegatum consulere voluerit. Dixerat enim paulò antè, quosdam ob præsentium delectationem, & futurorum desperationem fieri negligentes. Ac deinde in sequētibus explicauerat, desperationem futurorum inde nasci, quod nonnulli adduci non possunt, vt credant, corpora mortuorum esse resurrectura. Inde posteà subiunxit, regnum cœlorum sine ambiguitate sperandum: & quia spes oritur ex fide, addiderat iustificationem nullam futuram, si fides ipsa sit ambigua.

TERTIVS est sanctus AMBROSIVS, cuius duo testimonia profert Catharinus, VNVM ex libro quinto de Sacramentis, cap. 2. vbi dicit, animam post Baptismum susceptum, videre se à peccatis esse mundatam. ALTERVM ex serm. 5. vbi sic loquitur Ambrosius: *Quisquis illi fermento Christi adhæresci, efficitur & ipse fermentum, tam sibi vtilis, quam idoneus vniuersis, & de sua certus salute, & de aliorum acquisitione securus.*

RESPONDEO, In PRIORE loco docet Ambrosius, animam videre se ipsam esse mundatam, quoniam ita sibi persuadet, tum ex certa fide virtutis Baptismi, tū ex bona spe, quam de sua dispositione gerit. In eo verò fallitur Catharinus quod vbicūque, legit *videre, scire, cognoscere*, & similia verba continuò interpretatur de notitia fidei diuinæ: cùm tamen ea verba multis aliis modis accipi queant, & soleant.

In POSTERIORE loco loquitur de certitudine conditionali non absoluta, vt sensus sit, eum qui adhæret Christo, certum esse de sua salute, & de aliorum acquisitione, si Christo verè adhæreat, & in illo permaneat: quomodo loquitur Apostolus cùm Timotheo scribit: *Hæc faciens, & te ipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.* Non loqui autem Ambrosium de certitudine absoluta, perspicuum est, quia nō solum dicit, hominem fore certum de sua salute, sed etiam affirmat, eum fore securum de aliorum acquisitione. At ne Catharinus quidem dixerit, hominem iustum certitudine fidei diuinæ, absolutè esse de aliorum acquisitione securum.

QVARTVS est S. HIERONYMVS, cuius testimoniū adfertur ex comment. ad cap. 6. ad Galat. tractans enim Hieron. illa verba: *Vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerās te ipsum ne & tu tenteris*: obiicit ipse sibi: *Ergo iustus, qui de sua certus est mente, qui scit se non posse labi, non debet instruere peccatorē in spiritu lenitatis.* Admittit igitur Hieronymus, aliquos esse ita perfectos, vt certò sciant, se non posse labi.

RESPONDEO, Non negamus esse quosdam, qui ex multis victoriis contra aliqua vitia probabilem certitudinem perseuerantiæ sint adepti. Nam qui ad senectutē virgines peruenerunt, quod exemplum Hieronymus adfert, non immeritò certi, ac securi dici possunt de sua cōtinentia. Nō enim probabile est, vinci posse in senectute qui in adolescentia carnis petulantiam adeò gloriosè vicerunt.

Nihil autem pugnat hoc testimonium contra sententiam nostram, TVM quia sanctus Hieronymus loquitur de certitudine in aliquo certo genere virtutis, non absolutè de iustificatione: TVM quia non loquitur de certitudine fidei, cui falsum subesse non potest, sed de certitudine coniecturali, atque humana. E

QVINTVS est S. AVGVSTINVS, cuius vnum testimoniū profert Caluinus, duo Kemnitius, multa Catharinus. PRIMVS igitur locus est in tractatu super Psalm. 88. *Hoc dixit Deus, hoc promisit Deus: si parum est, hoc iurauit. Quia ergo non secundum opera nostra, sed secundum illius misericordiam firma est promissio, nemo debet cum trepidatione prædicare, de quo non potest dubitare.*

RESPONDEO, est argumentum hoc in specie magnū, in rei veritate nullum. Nam non loquitur sanctus

AVGVST.

AVGVSTINVS de verbo, aut iuramēto Dei, quod iste, A
aut ille sit iustus, sed quod Christus sit perpetuò regnaturus in Ecclesia. Explicans enim versiculum illū: *Iurauit Dauid seruo meo, vsque in æternum præparabo semen tuum*, ait: *In æternum regnabit Christus in Sanctis suis, hoc dixit Deus, hoc promisit Deus, &c.* Et quis credat S. Augustinum dicturum fuisse, Nemo debet cum trepidatione prædicare, si de prædicatione propriæ iustitiæ loqueretur? an nō fuisset hoc ad iactantiā homines exhortari? igitur de regno Christi perpetuo, cuius absoluta est promissio, nec vllo modo pendens ab operibus nostris, nemo debet cū trepidatione prædicare, de quo non potest sine perfidia dubitare.

SECVNDVS locus est in sermone 28. de verbis Domini: *O homo, facient tuam non audebas attollere, oculos tuos in terram dirigebas, & subitò accepisti gratiam Christi, omnia tibi peccata dimissa sunt. Ex malo seruo factus es bonus filius. Ideo præsume non de operatione tua, sed de gratia Christi. Non ergo arrogantia est, sed fides, prædicare quod accepisti, non est superbia, sed deuotio. Ergo attolle oculos ad Patrem, qui te per lauacrum genuit, qui te per filium redemit, & dic Pater noster.* B

RESPONDEO, Hæc omnia libenter amplectimur, asserimus, prædicamus, nec videre possumus, qua in re sententiæ nostræ repugnent. Non enim hortatur Augus. recens baptizatos, vt certò credant, sibi remissa esse peccata ea certitudine, qua credunt Christum esse Deum, id est, certitudine fidei diuinæ, sed vt confidant, se per Baptismum iustificatos, & filios Dei effectos, & ideo cùm fiducia oculos ad Patrem attollāt, & dicant: *Pater noster.* Ad hanc enim fiduciam gignendam abūdè sufficit fides, qua certissimè credimus per Baptismum ritè collatum, & susceptum omnia peccata deleri, & gratiam iustificationis infundi, & præterea bona conscientia, quæ non reprehendat cor nostrum de obice diuinæ gratiæ posito, id est, de affectu aliquo erga peccatum. Itaque nos ipsi, qui contendimus, non posse quēquam sine peculiari reuelatione, certò scire, certitudine fidei, sibi remissa esse peccata, tamen quando Sacramenta percepimus, & cor nostrum non reprehendit nos, magna cum fiducia, & securitate dicimus, *Pater noster.* C

TERTIVS locus est in tractat. 22. super Ioannem: *Oportet omnes nos exhiberi ante tribunal Christi, & tu tibi audes promittere, quod in iudicium non venies? Absit*, inquis, *vt hoc ego mihi promittere audeā: sed credo promittenti. Saluator loquitur, veritas pollicetur, ipse dixit mihi, qui audit verba mea & credit ei, qui me misit, habet vitam æternā, & in iudiciū non venit. Ego audiui verba Domini mei, credidi. Tā infidelis cùm essem, factus sum fidelis, sicut ipse monuit, trāsij de morte ad vitā ad iudiciū, nō venio, nō præsuptione mea, sed promissione ipsius.* D

RESPONDEO, Ex promissione Christi potest vnusquisque vt sanctus Augustinus rectè docet, colligere, se transisse de morte ad vitam, & in iudiciū se non esse venturum. Cæterum, quæstio est, qua certitudine id possit colligere, id enim Augustinus non explicat. Nos verò dicimus, id eū posse colligere certitudine infallibili, planeque diuina, si promittentis fidelitas attēdatur, sin autē consideretur dispositio propria, nō maiorē certitudinem illi damus, quàm coniecturalem. Quoniā promissio Christi non absoluta, sed conditionalis est. Non enim dixit absolutè Christus, tu in iudicium non venies, aut ille in iudicium non veniet: sed *qui audit verba mea, & credit ei, qui misit me, in iudicium non veniet*, Vtrum autem ego verba eius sicut oportet, audierim, & crediderim, mihi ipse non dixit, sed experientiæ meæ, quæ fallax esse potest, credere me oportet. E

QVARTVS locus est super Psalmum 149. *Est ergo modus gloriandi in conscientia, vt noueris fidem tuam esse sinceram, vt noueris spem tuam esse certam, vt noueris caritatem tuam esse sine simulatione.*

RESPONDEO, Loquitur sanctus AVGVSTINVS de notitia humana, & coniecturali, quæ sufficit ad gloriam conscientiæ, de qua dicit Apostolus 2. ad Corinthios primo: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Nam ibidem admonet AVGVSTINVS, cùm hac notitia, & gloria, posse cōsistere peccatum occultum, & ideo scriptum esse Prouerbiorum vigesimo: *Quis gloriabitur mundum se esse a peccato? sed quoniam*, inquit, *multa sunt adhuc, quæ possunt forte offendere oculos Dei, lauda eum qui ista tibi donauit, tunc perficiet, quod donauit, id est, lauda eum, quod scias te multa peccata non fecisse, & non habere, & ipse dabit etiam vt auferantur, si quæ habes occulta.* A

QVINTVS locus est in serm. sexto de verbis Apostoli ferè extremo: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Ecce adiuuāte ipsius misericordia spiritum Christi habemus, ex ipsa delectatione iustitiæ, integra fide, Catholica fide, spiritum Dei in nobis esse cognoscimus.* B

RESPONDEO, Hūc locum, quem tanti fecit Catharinus, vt diceret, per eum planè obstrui ora omnium aduersariorum, dico nihil omninò concludere, si ambiguitas sententiæ tollatur è medio. Illud enim, *Catholica fide*, non debet referri ad modum cognoscendi, sed ad signū, & coniecturam. Nō enim significauit S. Augustinus nos Catholica fide cognoscere, Spiritum Dei esse in nobis, quasi Spiritum Dei esse in nobis, sit obiectum fidei Catholicæ: Sed dicit, nos ex fide Catholica, quam habere nos experimur, tamquam ex quodam signo colligere posse, Spiritum Dei esse in nobis.

Hanc autem esse mentem sancti Augustini euidēter probamus ex eo, quod idem Augustinus coniungit cum fide Catholica delectationem iustitiæ, dicens: *Ex ipsa delectatione iustitiæ, integra fide, Catholica fide, Spiritum Dei in nobis esse cognoscimus.* Nam vel particula, *ex*, refertur etiam ad fidem Catholicam, vel non refertur: si refertur, tunc sensus iste erit ex delectatione iustitiæ, & ex Catholica fide, tamquam duobus signis, spiritum Dei in nobis esse cognoscimus. Si non refertur, iste erit sensus, ex delectatione iustitiæ, tamquam ex quodam signo cognoscimus fide Catholica, Spiritum Dei esse in nobis. Hic autem sensus absurdissimus est, repugnantiam inuoluit: quomodo enim Catholica fide cognoscimus, si ex iustitiæ delectatione cognoscimus? fides enim Catholica, in diuina reuelatione, nō in nostra delectatione niti debet. Itaq; idē est, ac si quis diceret, sententiā aliquā se certissima demonstratione concludere ex argumento Topico. Prior igitur sensus, qui verus est, Augustino tribui debet. C

Adde quod cùm Tridentinum Concilium, ipso etiam Catharino teste, definiat, non posse haberi de propria iustitia certitudinem fidei Catholicæ, si Augustinus diceret contrarium, vt iam videtur Catharinus velle, pugnaret Conciliū cum Augustino, & Catharinus cum Concilio. Quæ si Catharinus concedere non audet, non dicat etiam eo testimonio obstrui ora contra sentientium.

SEXTVS locus est in tract. 75. super Ioan: *Tunc erit, vt possimus videre quod credimus. Nam nunc est in nobis, & nos in illo. Sed hoc nunc credimus, tūc etiam cognoscemus.* ERGO (inquit Catharinus) *nunc fidei certitudine certi sumus, Christum esse in nobis, & nos in illo.* D

RESPONDEO Ita est, sed Christum esse in nobis, & nos in illo, non significat, in me, aut in te in particulari esse Christum per gratiam iustificantem, sed significat Christum esse in Ecclesia, vt caput in corpore, & Ecclesiam esse in Christo, vt corpus in capite. E

SEPTIMVS locus est in lib. 13. de Trinit. c. 1. *Fidem ipsam videt quisque esse in corde suo, si credit: vel non esse, si non credit.* Et lib. 8. cap. 8. *Qui diligit*, inquit, *fratrem, magis nouit dilectionem, qua diligit, quam fratrem, quem diligit.*

RESPONDEO, loquitur sanctus Augustinus de actione credendi, & diligendi. Certissimi enim sumus nos credere, & diligere, quando credimus, & diligimus: sed vtrū actus illi sint, quales oportet, & vtrū ex habitu proficiscantur

Universidad de Deusto
Biblioteca

santur, sine reuelatione sciri non potest.

OCTAVVS locus est in tractatu 5. super epist. Ioan. *Nemo interroget hominem, redeat ad cor suum, sibi inuenit caritatem, securus sit, quia transiit a morte ad vitam.*

RESPONDEO, Caritas sine vlla dubitatione viuificat, & ideo si quis illam inueniat in conde suo, securus ritò esse potest. Cæterùm quamuis possit vnus quisque in corde videre actum dilectionis, tamen (vt dixi) non potest certò cognoscere, sitne ille actus veræ caritatis, an non. Proinde poterit quidem securus esse, quoniam ad hoc sufficit certitudo moralis, non tamen certus erit certitudine fidei, cui falsum nulla ratione subesse possit.

NONVS locus est in libro de pœnitentiæ medicina, cap. 2. *Dimitte nobis debita nostra, nō dicimus pro iis peccatis, quæ remissa credimus in Baptismo, nisi de ipsa fide dubitemus.*

RESPONDEO, Illud (*credimus*) positū est pro eo quod est, existimamus, censemus, arbitramur. Vnde in lib. 2. aduersus Cresconium, capite 28. eamdem sententiam idem Augustinus repetens, vsus est verbo, *confidimus: Dimitte nobis*, inquit, *debita nostra, non dicimus, pro iis debitis, quæ semel in Baptismo dimissa esse confidimus.* Illud autem, *nisi de ipsa fide dubitemus*, ideo positū est, quoniam si quis dubitet, an in Baptismo peccata omnia deleantur, de ipsa fide Baptismi dubitare censebitur: non quod fieri non possit, vt vel propter defectum intentionis ministri, vel propter indispositionem suscipientis non sint deleta peccata, sed quia vt plurimum nulla est rationalis caussa dubitandi de intentione, vel dispositione, quod attinet ad Baptismum ritè ministrandum, & suscipiendum: & ideò si quis dubitet, de ipsa efficacia Baptismi, hoc est, de fide Catholica dubitare videbitur.

DICES, ergo talis certitudo haberi debet de remissione peccatorum in Baptismo, vt omnem dubitationē prorsus excludat. RESPONDEO, ita esse, si per dubitationem intelligas eam animi dispositionem, per quam neutri parti assentiri quis auder, illi enim dubij propriè sunt, qui ita fluctuant, vt nihil decernere audeāt. At si per dubitationem intelligas formidinem, quam interdum habemus de contraria parte, etiamsi vni parti assentiamur, nego talem certitudinem haberi debere, quæ dubitationem, id est, formidinem prorsus excludat. Sanctus autem AVGVSTINVS dicit, eos dubitare de fide, qui dicunt, *Dimitte nobis debita nostra*, pro iis peccatis, quæ in Baptismo dimissa esse confidere debent, quoniam qui orant pro illis peccatis, videntur esse dubij priore modo, ac per hoc anxij, & fluctuantes: quæ fluctuatiō non præsumitur nasci, nisi ex defectu fidei de efficacia Sacramenti, vt dictum est.

DECIMVS locus est in tractatu super Psal. 85. *Dicat vnusquisque fidelium, sanctus sum: non est ita superbia elati, sed confessio non ingrati.*

RESPONDEO, dicat sanè vnusquisque fidelium, qui nihil sibi conscius est, ex bona spe, sanctus sum. Nam ex fide diuina non potest hoc dicere, nisi hoc ipsum Deus ei reuelauerit. Alioqui falsa esse posset fides, cùm facilè fieri possit, vt aliqui sanctos se esse credant, & non sint.

SEXTVS est sanctus LEO in serm. 2. de festo Paschæ: *Discutiant se fidelium mentes, & intimos sui cordis affectus vera examinatione diiudicent, vt si depositum aliquid in conscientiis suis de fructibus caritatis inuenerint, Deum sibi inesse non dubitent.* Et idem habet in serm. 8. de Epiphania.

RESPONDEO, eadem est sententia S. Leonis, quæ S. Augustini in tract. 5. in epist. Ioannis. De quo loco paulò antè loquuti sumus.

SEPTIMVS est sanctus GREGORIVS, in primo libro Dialogorum, cap. 1. *Mens quæ sancto spiritu impletur habet euidentissima signa sui, virtutes scilicet, & humilitatem, quæ si vtraque perfectè in vna mente conueniunt, liquet, quod de præsentia sancti Spiritus testimonium ferat.*

RESPONDEO, loquitur sanctus Gregorius, de euidentia signorum, quæ quamuis tanta sit, quanta esse potest, semper tamen est euidentia signi, id est, coniecturalis: ac per hoc certitudinem efficit coniecturalem, non fidei diuinæ. Deinde, non videtur loqui sanctus Gregorius de notitia, quam vnusquisque habet de se, sed potius quam habet de aliis, in quibus videt, cum summis virtutibus humilitatem esse coniunctam.

OCTAVVS est sanctus ANSELMVS, in comment. ad cap. 8. ad Rom. *Per hoc, quod Spiritus sanctus caritatem nobis infundit, quia nos facit imitatores esse diuinæ bonitatis, vt diligamus inimicos: euidenti testimonio declarat menti nostræ, nos esse filios Dei.*

RESPONDEO, loquitur de euidentia signorum, vt paulò ante dicebamus, signum enim omnium maximum gratiæ Dei, est dilectio, ac præsertim inimicorum.

NONVS est sanctus BERNARDVS, quem pro sententia sua omnes adducunt, Lutherus, Caluinus, Philippus, Bucerus, Kemnitius: Et ex Catholicis Catharinus. Is igitur in serm. 1. de Annunciatione Dominica habet hæc verba: *Si credis peccata tua non posse deleri, nisi ab eo, cui soli peccasti, & in quem peccatum non cadit, bene facis, sed adde adhuc vt credas, quia per ipsum tibi peccata donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet in corde nostro Spiritus sanctus, dicens, Demissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus, gratis iustificari hominem per fidem.*

RESPONDEO, sanctus Bernardus in eo sermone, proponit explicanda verba illa Psalmi, *vt inhabitet gloria in terra nostra.* Et statim in ipso principio, dicit, hanc gloriam esse illam de qua loquitur Apostolus, 2. Cor. 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Deinde docet, hoc testimonium conscientiæ, esse testimonium, quod perhibet Spiritus sanctus in corde nostro, non testimonium quod ipsi perhibemus de nobis. Et addit, esse testimonium triplex, de remissione peccatorum, de meritis vitæ æternæ, de electione ad gloriam.

Vt autem quis habeat hoc testimonium triplex, & possit dicere: *Gloria nostra hæc est. &c.* TRIA necessaria esse demonstrat, PRIMVM est, vt quis credat, non posse haberi remissionem peccatorum, neque merita, neque vitam æternam, nisi per gratiam Dei. Et de hoc primo non est quæstio: certum enim est, hoc debere credi fide Catholica. SECVNDAM est, vt quis credat, per Christū sibi indulgeri peccata, donari merita, & paratam esse vitam sempiternam. De hoc secundo, quæstio est, quo pacto intelligi debeat.

Aliqui ex Catholicis dicunt, sanctum Bernardum non loqui de fide Catholica, sed de fide, quæ haberi potest ex coniecturis & signis, vt sensus sit, debere hominem sibi persuadere, & confidere sibi remissa esse peccata, non tamen id certò credere certitudine fidei diuinæ. SED hæc responsio non videtur solida, TVM, quia S. Bernardus eadem voce (*credendi*) vtitur, cùm dicit, credendum esse non posse deleri peccata, nisi per gratiam, & cùm dicit, credendum esse, per Christum remitti peccata: & in priore sententia sine dubio loquitur de fide Catholica, non de persuasione ex signis, neq; credibile est, eum intra duas lineas æquiuocatione vti voluisse: TVM, quia mox adiungit de hac fide, qua credimus, nobis per Christum remitti peccata, *sic enim arbitratur Apostolus, gratis iustificari hominem per fidem.* At certè nō iustificamur per illam persuasionem ex signis, sed per veram, & Catholicam fidem.

Dico igitur, sanctum Bernardū loqui de fide Catholica, qua credimus, Deum velle nobis peccata remittere, & re ipsa ex parte sua remittere, modò conditio impleatur, de qua paulò post dicemus: non autem loqui de fide, qua absolutè, & sine respectu dispositionis credamus, nobis peccata remitti, vt hæretici somniāt. Id autē probo PRIMVM: quoniā sanctus Bernardus, sicut dicit, credendum esse nobis remitti peccata, ita etiā dicit in eodē loco

loco, credendum esse nobis donari merita, & paratam esse vitam æternam: at idem Bernardus in epist. 107. & in serm. 1. de septuagesima, & alibi, disertis verbis dicit, de vita æterna consequenda spem nos habere, non securitatem.

DEINDE, idem Bernardus probare volens, nos debere credere, peccata per Christum nobis remitti, merita donari, & vitam æternam esse paratam, dicit, argumenta validissima esse Christi mortem, resurrectionem, & ascensionem. At hæc argumenta verè validissima sunt ad probandum, Deum velle peccata remittere, & ex parte sua reipsa illa remittere, & merita donare, & vitam æternam parare. Non enim Christus mortuus est, resurrexit, & ascendit, vt ostenderet sine sua gratia, non posse deleri peccata, haberi merita, & vitam æternam, sed vt ostenderet, se velle ista omnia præstare: & re ipsa ex parte sua iam præstare. At non probant hæc argumenta nobis in particulari, sine vlla dispositione ex parte nostra, dimitti peccata, donari merita, & vitam æternam. Nam si ita esset, omnes homines iustificarentur, & saluarentur, quia pro omnibus Christus mortuus est, & resurrexit.

TERTIO, idem Bernardus Paulò post (vt mox dicemus) apertè docet, multas conditiones ex parte nostra requiri, vt iustificemur, & saluemur: non igitur docet, credendum esse absolutè, nobis remitti peccata, donari merita, & vitam æternam.

Adde VLTIMO, quod cum Bernardus antea loquutus esset de potentia Dei, cùm dixit, necessarium esse credere, non posse deleri peccata, haberi merita, & vitam æternam, nisi per gratiam Dei: recto ordine adiungit, credendum esse secundo loco, Deum velle delere peccata, donare merita, & vitam æternam, vt habeamus primò testimonium potentiæ, secundo testimonium voluntatis. Atque hæc de secundo.

TERTIVM, quod necessarium esse demonstrat Sanctus Bernardus, est, vt nobis applicetur in particulari remissio peccatorum, & merita donentur, & spes vitæ æternæ conferatur, vt non solùm habeamus testimonium potentiæ, & voluntatis, sed etiam exequutionis. Et in hoc tertio non dicit Bernardus, credendum esse, sed potius experiendū, an habeamus conditiones, quæ requiruntur. *Sic ergo* (inquit loquens de applicatione in particulari) *inhabitat hæc gloria etiam hic in terra nostra, si misericordia, & veritas obuient sibi, & se se iustitia, & pax osculentur. Præuenienti siquidem misericordiæ, vt veritas nostræ conuersionis occurrat necesse est, ac de cætero sanctimoniam sectemur & pacem, sine qua nemo videbit Deum. Vbi enim compungitur quis, tunc eum misericordia præuenit, sed nequaquam ingredietur, donec ei veritas confessionis occurrat. Et hoc quidem, vt declines à malo. Iam verò vt facias bonum, in tympano, & choro tibi psallendum est, vt ipsa mortificatio carnis tuæ, & pœnitentia fructus, ac iustitiæ opera in vnitate, & concordia fiant.* Et infrà: *Sanè quisquis ille est, in quo misericordia, & veritas obuiauerunt sibi, iustitia, & pax osculata sunt, securè glorietur, sed in eo, qui sibi testimonium perhibet, in Spiritu vtique veritatis.* Hæc ille.

Vides igitur S. Bernardum non docere, absolutè credendum esse sine respectu operum, nobis remitti peccata, sed eum requirere conditionem conuersionis, confessionis, fructum pœnitentiæ, & similium operum, ex quibus, vt ex signis quibusdā gignitur persuasio, & securitas gratiæ, non tamen certitudo fidei Catholicæ, vel diuinæ. Hunc locum fusius explicare volui, quoniam ex verbis huius sermonis perperam intellectis, duxit originem pernicioſa illa hæresis de fide speciali, quæ magnam partem Septentrionis infecit.

* * *

CAPVT XI.

Soluuntur argumenta ex ratione.

PRAETER testimonia scripturarum, & Patrum, multas quoq; rationes colligunt aduersarij.

PRIMAM rationem ducunt ab exemplis sanctorum, qui certi fuisse narrantur de sua iustitia. Enumerant Kemnitius, & Cathatinus sanctos Patriarchas, Abel, Henoch, Noë, Abraham, & similes, quos ipsa scriptura commendat.

SED facilis est responsio. PRIMVM enim pauci illi viri, & ij valdè eximij, fortasse peculiari reuelatione certi fieri meruerunt de gratia, quam apud Dominum inuenerunt. Certè ad Abraham manifestè dictum esse legimus Gen. 22. *Nunc cognoui, quod timeas Dominum*: id est, nunc te cognoscere feci, quod verus sis cultor, & amator Dei. Sic enim exponit sanctus Augustinus, quæstion. 57. & 58. in Genes. ex quo intelligimus non esse commune omnibus iustis, vt se iustos esse certò sciant. Quandoquidem Patriarcha Abraham, tot annis piè Deo seruierat, & tamen tunc solùm audire meruit, Nūc cognoui, quod timeas Deum, quando ad imperium Dei vnigenitum filium immolare decreuit. DEINDE, scriptura dum sanctos cōmendat, & eorū iustitiā, & virtutes laudat, nos certos reddit, quibus id vtilissimū erat, potius quam illos.

SECVNDAM rationem petunt Kemnitius & Caluinus à veritate promissionum. Deus enim, qui mētiri non potest, gratiam promisit non solùm in genere omnibus, sed etiam in particulari singulis. Id enim sonant illa verba, Zach. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi*, Et Luc. 12. *Complacuit patri in te.* Addit CALVINVS in Antidoto confirmationem ex Concilio Tridentino. *Concilium sess. 6. cap. 9. monet, vt nemo dubitet de efficacia passionis Christi: at numquid in aëre*, (inquit Caluinus) *locanda est ista efficacia? Si efficax fuit Christi passio, certe mihi, & tibi fuit efficax, non Ideæ platonica.*

RESPONDEO, multa de hac re diximus in 1. lib. ideo breuiter nunc respondemus, PRIMVM promissiones allegatas non esse particulares, sed generales. Illud enim, *Ecce Rex tuus venit tibi*, dicitur filiæ Sion, id est, toti Ecclesiæ. Et illud (*Complacuit patri in te*) dicitur toti gregi pusillo, id est, eidem Ecclesiæ. DEINDE audimus, promissiones istas posse quidem etiam applicari singulis in particulari, sed tunc esse conditionatas, non absolutas. Non enim quæ promittuntur Ecclesiæ, conueniunt singulis hominibus, nisi illi per fidem, & charitatem incipiant esse membra viua corporis Ecclesiæ, immo nisi prius renascantur ex aqua, & Spiritu sancto, & posteà seruent omnia, quæ mandata sunt.

TERTIAM rationem sumunt iidē ab efficacia, & proprietatibus fidei, & spei, Scriptura enim tribuit fidei πληροφορίαν, id est, plenissimā certitudinem, ad Heb. 10. Itē vt fit conuictio, & hypostasis, ad Heb. 11. Et Iacobi 1. Fidei opponitur hæsitatio. Præterea ipsi etiā spei tribuitur firmitas, & certitudo, imo & πληροφορία, ad Heb. 6. vbi etiam cōparatur anchoræ propter stabilitatē, & immobilitatē: Igitur promittēti Deo remissionē peccatorū, debet homo firmissimè, ac certissime credere, & confidere, sibi remitti peccata. Alioqui fides, & spes dubiæ esse possent.

RESPONDEO, quod attinet ad FIDEM, nulla est in hac parte difficultas. Fides enim certissima est. Neq; vllus vnquam Catholicus dixit, fidem non esse certam, aut posse dubitari, vel cum formidine assentiri, in iis, quæ ad fidem pertinent. Sed paralogismus aduersariorum in eo positus est, quod assumūt remissionem peccatorum, siue iustificationem vnuscuiusque, ad fidem propriè dictam pertinere, quòd falsum esse ostendimus in 1. libr. neque possunt aduersarij vllum argumentum, non solùm verè solidum, sed neque in specie solidum contrà proferre.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quod autem attinet ad SPEM: fatemur, eam quoque A esse debere certissimam, sed in suo genere. Alia enim fidei, alia spei certitudo est. DVPLEX igitur in spe certitudo considerari potest, VNA ex parte voluntatis, ALTERA ex parte intellectus. Ex parte voluntatis certitudo spei est firma adhæsio voluntatis ad rem speratam: & hæc maxima esse potest, etiamsi ex parte intellectus non sit homo certus, se rem illam consecuturum. Imo videtur spes non solùm non exigere, sed nec ferre posse ex parte intellectus certitudinem absolutam. Nã quod certò scimus nos habituros, non propriè speramus, sed simpliciter expectamus. Hoc enim modo animæ beatorum non propriè sperant corporum resurrectionem, sed tantum expectant, quia certissimæ sunt ex parte intellectus, eam sibi deesse non posse. Itaque Hæretici nostri temporis, B qui certitudinem absolutam ex parte intellectus requirunt de iustificatione, & salute, nullum locum spei propriè dictæ relinquunt.

Quamuis autem (vt diximus) absolutam certitudinem spes non requirat, ex parte intellectus, tamẽ habet etiam ex parte intellectus DVPLICEM certitudinẽ. PRIMA oritur ex fundamento spei primario, quod est promissio Dei. Certi enim sumus, Deum non posse fallere. Et si quidem nihil requireretur ad iustificationem, vel salutem nisi promissio Dei, haberemus etiam de his rebus absolutam, & infallibilem certitudinem: tamen quia requiruntur etiam alia, de quibus nõ sumus tam certi, ideo spes non expellit omnem timorem. De hac certitudine, ex parte fundamenti, loquitur Apostolus 2. Tim. 1. *Scio* C *cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem.* Et ad Heb. 6. *Interposuit (Deus) iusiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam.*

ALTERA certitudo spei ex parte intellectus oritur ex charitate, ac per hoc non conuenit nisi hominibus iustis. Amicus enim ab amico omnia bona sperare potest, neq; periculum est, ne cõfundatur. De hac certitudine scribit Apostolus ad Rom. 5. *Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Et siquidem amicitia ista cum Deo corrumpi non posset, infallibiliter, & absolutè de salute securi essent, qui charitate cum Deo con- D iuncti sunt: tamen quia dum peregrinamur à Domino, fieri potest, vt qui amicus est, iterum fiat inimicus. Idcirco non possunt etiam iusti sine timore aliquo viuere.

Habemus igitur spem Christianorum certissimam esse, tum ex parte voluntatis, tum ex parte intellectus: sed ex parte intellectus certitudinem absolutam, & infallibilem habere, ratione fundamenti, & ratione formæ, id est, ratione promittentis Dei, & ratione charitatis, quæ est forma spei: & solùm ratione propriẽ dispositionis formidinem aliquam habere coniunctam.

QVARTAM rationem ducunt aduersarij ex natura, & efficacia Sacramentorum. Sed aliter hoc argumẽtum texunt hæretici, aliter Catharinus. Hæretici sic ratiocinantur, Sacrapenta sunt instituta ad obsignandam gratiam E per Christum acceptam, vel quę per Christum accipitur, vt nimirum hoc symbolo externo sustentetur fides, & certi reddamur de eo, quod non videmus. Igitur qui dicit, baptizatos non esse certos de remissione peccatorum, iniuriam Sacramentis facit, & ipsi etiam Deo, quasi fallacia signa instituerit. Præterea, cùm Minister absolutè, in Christi nomine pronunciat, Ego te absoluo, vel est certum quod dicit, vel incertum: si certum, igitur peccat qui non credit, se certò esse absolutum, ac per hoc iustificatum: si est incertum, igitur peccat Minister, tam audacter pronuncians Christi nomine, quod fortasse est falsum: *Et posset ei dici* (inquit LVTHERVS) *Domine tu mentiris.*

Catharinus autem in hunc modum argumentum proponit, Sacramenta non ponenti obicem certò gratiam conferunt: potest autem qui Sacramentum recipit, certò scire à se obicem nullum poni: igitur potest idem ipse certus esse, sibi peccata esse dimissa.

RESPONDEO, Falsò assumunt Hæretici Sacramenta instituta esse præcipuè ad fidem sustentandam, & nos certos de Dei voluntate reddendos: nam (vt in lib. 1. de sacramentis, in genere demonstrauimus) si ita esset, frustrà baptizarentur infantes, & amentes, qui eiusmodi effectus capaces non sunt. Potissima igitur causa institutionis Sacramentorum est, vt sint instrumenta iustificationis efficiendæ. Et ideo B. Paulus ad Tit. 3. non dixit, certos nos fecit, sed *saluos nos fecit per lauacrum*: neq; lauacrum dixit certificationis (vt sic loquar) sed, *regenerationis, & renouationis.* Et ad Ephes. 5. non dixit, certam faciens Ecclesiam, sed, *mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Concedimus tamen Sacramenta non solùm esse causas, sed etiam signa iustificationis, & quidem infallibilia ex parte sua, non absolutè. Non enim significat ceremonia illa Baptismi, hominem absolutè lauari, & mundari à peccato: sed lauari, & mundari, quod attinet ad vim, & efficaciam Sacramenti, modò non impediatur effectus per indispositionem suscipientis. Requiri autem dispositionem fidei, & pœnitentiæ, & posse fieri, vt quis fidem, & pœnitentiam simulans ad Baptismum accedat, neq; hæretici negant.

Itaque non sunt fallacia signa, neq; potest dici Ministro, Domine tu mentiris, si quis forte ficto corde accedens à Ministro, qui id ignorat, simpliciter baptizetur. Non enim ille, cùm dicit, ego te baptizo, aliud significat, nisi ego Sacramentum tibi præbeo, quod vim habet omnia peccata delẽdi: vel (quod est in me) abluo te, & mundo à sordibus peccatorum. Et hoc ipsum est, quod credere tenetur, qui Sacramentum recipit, nimirum sibi remitti peccata vi sacramenti illius, nisi forte ipse per indispositionem suam in causa sit, cur non succedat iustificationis effectus.

Iam verò ad Catharinum RESPONDEO, argumentum eius rectè concludere, posse eum, qui non est sibi conscius fraudis alicuius, certum esse de remissione peccatorum, sed certitudine quadam humana, & morali, non certitudine fidei. Quoniam (vt suprà ostendimus) non, potest haberi certitudo fidei (si reuelationem remoueas) de intẽtione Ministri, sine qua non perficitur sacramentum, neq; de remotione omnis impedimenti, cùm fieri possit, vt aliquis non sit sibi conscius obicis, & tamen re ipsa obicem ponat, cùm affectum gerat ad peccatum aliquod lethale, quod esse peccatum ignoret.

QVINTAM rationem ducit Kemnitius ab origine sententiæ nostræ. Scribit enim eam ortam esse ab errore Pharisæorum, & Nouatianorum. Quod inde probat, *quoniam Pharisæi* (vt ipse dicit) *non dubitabant de remissione peccatorum in genere, sed murmurabant, quia Christus iubebat homines cõfidere, sibi in particulari dimissa esse peccata. Nouatiani vero* (vt ex Ambrosio de pœnitentia, & ex historia tripartita, lib. 8. Kemnitius citare se dicit) *non dubitabant in genere posse dimitti peccata, sed an Minister deberet certò affirmare, an dubitatiuè in particulari pœnitentib⁹ peccata dimitti.*

RESPONDEO, Hæc verò non argumenta, sed impostura, & mendacia sunt. Nam Euãgelium apertissimè testatur, Pharisęos non murmurasse, quòd Christus iuberet in particulari fiduciam concipi de remissione peccatorum, sed quod se Deum facere videretur, dum potestatem peccata relaxandi soli Deo propriam sibi sumebat. Sic enim Pharisæi loquuntur, Marci 2. *Quid hic sic loquitur? blasphemat. Quis enim potest peccata dimittere, nisi solus Deus?* Et Luc. 7. *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* Adde quod Dominus non iusit, homines credere fide Catholica, sibi peccata esse dimissa, sed tantùm confidere.

Quod

Quod ipsum Catholici omnes docent, quippe qui sciunt A hdem, & fiduciam non esse idem: & posse hominem confidere sibi remissa esse peccata, etiamsi ex parte intellectus, non habeat eius rei certitudinem absolutam.

Quod ad Nouatianos pertinet, mirum est, cur audeant Lutherani nobis errorem Nouatianorum tribuere, cùm ipsi verissimi sint Nouatiani. Nam error Nouatianorum ille erat, quod nullum in Ecclesia Sacramentum pœnitentiæ, & reconciliationis agnoscebant distinctum à Baptismo. Quod ipsum Lutherani omnes docent. Sed quoniam nondum Satanas inspirauerat Nouatianis, vt diceret per memoriam Baptismi posse homines reconciliari, quod Lutheranis posteà inspirauit: ideo Nouitiani lapsos post Baptismum monebant, vt cum Deo agerent, in Ecclesia enim non esse potestatem reconciliandi. Sic Ambrosius loquitur lib. 1. de pœnitentia, cap. 1. *Aiunt* B *Nouatiani se Domino debitre reuerentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem permittunt.* Et Socrates lib. 8. Tripart. & lib. 4. historiæ suæ, cap. 23. *Nouatus* (inquit) *Ecclesiis scribebat, ne eos, qui dæmonibus immolauerant, ad Sacramenta susciperent, sed inuitarent quidem ad pœnitentiam, remissionem verò Deo relinquerent potestati, cuius solius est peccata remittere.*

POSTREMAM rationem ducunt ab absurdo. Nam valde absurda videtur esse doctrina, quæ perpetuam dubitationem, hæsitationem, & fluctuationem docet. *Qualis* (inquit KEMNITIVS) *est illa doctrina, cuius effectus, summa, & finis est, vt animæ conscientiæ, quærentes consolationem, reiiciantur in perpetuas hæsitationes, & dubitationes suæ cum* C *Deo reconciliationis, salutis, & vitæ æternæ?*

RESPONDEO, Posset hoc argumentum, si rethorica- C ri liberet, multò verius in aduersarios retorqueri, qui miseras animas quærentes consolationem ita seducunt, vt in vanissimam fiduciam, & temerariam præsumptionem præcipitare non dubitent. Sed his omissis, dico nullum esse Catholicum scriptorem, qui doceat oportere homines perpetuò dubitare, & hæsitare de sua cum Deo reconciliatione.

TRES enim videntur numerari inter Catholicos de hac quæstione sententiæ, quarum VNA, quæ est Ambrosij Catharini, non solùm dubitationem omnem excludit, sed etiam addit posse iustos habere de sua iustificatione certitudinem fidei diuinæ, de qua sententia non potest Kemnitius queri.

ALTERA sententia non docet quidem certitudinem D fidei diuinæ, tamen affirmat posse, imo etiam solere præsertim homines perfectos ad eam securitatem venire, vt nullam habeant de sua iustificatione formidinem: planè ad eum modum, quo credimus sine vlla hæsitatione, & formidine deceptionis, Cæsarem imperasse in Italia, Alexandrum in Græcia: Ciceronem Oratorem, Liuium Historicum, Virgilium Poëtam fuisse: Constantinopolim esse vrbem in Thracia, & Antiochiam in Syria, quamuis neutram viderimus.

De qua etiam sententia non video cur Kemnitius queri possit. Quamquam (vt verum fatear) mihi hæc sententia non probatur: TVM quia Concilium Trident. sess. 6. c. 9. docet, neminem esse, qui dum considerat suam infirmitatem, & indispositionẽ, non possit de sua gratia formidare, ac timere: TVM etiam quia exempla sanctorum, Iobi, Dauidis, Pauli, Hilarionis, & aliorum perfectissimorum E hominum suprà citata contrarium persuadent. TVM denique quoniam de Cæsare, Alexandro, Cicerone, Liuio, Virgilio, Constantinopoli, & Antiochia, aliisq; similibus rebus ideo non dubitamus, quoniam habemus plurimos oculatos testes, nec vnquam in ciusmodi rebus accidit deceptio: vel multis seculis res celebrata est, & nemo vnquam contradixit, & ciusmodi res sunt, quæ sub aspectũ cadunt, & facili negocio cognosci possunt. Sæpe etiã nihil ad nos pertinent, & ideo malumus simpliciter credere, quàm anxiè quærere, vtrum sic, an aliter se habeant. At negocium iustificationis, & salutis æternæ ad nos maximè pertinet, neq; vllos habemus de ea re testes oculatos, & scimus non paucos vehementer esse deceptos, & res est altissima, atque abdita valde.

TERTIA sententia, quæ communior in Ecclesia est, non tollit quidem omnẽ formidinem, tamen tollit omnem anxietatem, & hæsitationem, & ipsam etiam dubitationem, si dubius dicatur, qui nõ audet alteri parti assentiri. Neq; enim bona est argumentatio, Catholici nõ habent certitudinem fidei de sua iustificatione, igitur semper dubitant, hærent, anxij sunt. Sicut neq; contra rectè quis concluderet: Catholici non sunt anxij, neq; hæsitant de sua iustificatione, igitur certi sunt certitudine fidei, sibi remissa esse peccata. Datur enim aliquid mediũ inter hæc extrema, videlicet certitudo quædam moralis. Ex parte intellectus, & spes, ac fiducia ex parte voluntatis.

Porrò solidam consolationẽ, & pacẽ, ac tranquillitatẽ, & lætitiam interiorem longè melius gignit in Catholicis bona conscientia, contritio, charitas, studiũ bonorum operum, frequens Eucharistiæ perceptio, visitatio Spiritus sancti, quæ est manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Quam inanis illa fiducia, & verè temeraria præsumptio in Lutheranis. Nam de bona conscientia scribit Apostolus, 2. Cor. 1. *Gloria nostra, hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Et S. Ioannes, in epist. 1. c. 3. *Si cor nostrum non reprehenderit nos: fiduciam habemus apud Deum.* De vera contritione scribit Salomon, Prou. 14. *Cor quod nouit amaritudinem animæ suæ, in gaudio eius non miscebitur extraneus.* Verè enim incredibilis lætitia oritur ex eo, quod quis videat se amarissimè peccata sua desiere. Porrò charitas nihil prius gignit quàm gaudium, & pacem. Inde enim dicitur, Galat. 5. *Fructus Spiritus est charitas, gaudium, pax, &c.*

Sed ex patientia (vt alia nunc omittam) solidissima oritur consolatio. Nam vt ait Apostolus, Rõ. 5. *Gloriamur in tribulationibus, quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit, &c.* Et 2. Cor. 7. *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Et cap. 8. *Notum* (inquit) *vobis facimus fratres gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ, quod in multo experimento tribulationis abundantia gaudij ipsorum fuit.* Et Iacobus, cap. 1. *Omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet.* Et ante hos omnes Propheta Dauid: *In tribulatione* (inquit) *dilatasti mihi.* Et rursus: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

Sancti quoque Patres, quorum testimonia perperam adduxerunt aduersarij pro certitudine fidei, & præsertim Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Leo securitatẽ animę, non ex fide remissionis peccatorum, sed ex conscientia charitatis, & operũ bonorum colligebant. Placet autem nomine aliorum sancti BERNARDI testimonium hìc adscribere, vt omnes intelligant, vnde petenda sit solida consolatio. Sic igitur loquitur in sem. 69. in Cantica: *Quanta putas ex hac mansione inter animam, & verbum familiaritatis gratia oriatur. Quanta de familiaritate sequatur fiducia? Nõ est (vt opinor) quod iam talis anima dicere vereatur, dilectus meus mihi: quæ ex eo quod se diligere, & vehementer diligere sentit, etiam diligi nihilominus vehementer non ambigit: ac de sua singulari intentione, sollicitudine, cura, opera, diligentia, studioq; quo incessanter, & ardenter inuigilat quẽadmodum placeat Deo, eąnè hæc omnia in ipso indubitanter agnoscit recordans promissionis eius: in qua mensura à mẽsi fuerint remetientur vobis. Ergo ex propriis, quæ sunt penes Deum agnoscit: nec dubitat à se amari quæ amat.* Et infrà: *Vides quomodo non solũ de amore suo certum te reddit, siquidem tu ames illum, sed etiam de sollicitudine sua, quam pro te gerit, si te senserit sollicitum sui.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hanc igitur certitudinem libenter agnoscimus, quæ non oritur ex præsumptione imputatæ iustitiæ, neq; est certitudo fidei Catholicæ, sed oritur ex charitatis, & operum bonorum experimento, ac per hoc moralis, & coniecturalis certitudo nominari potest.

CAPVT XII.

Refellitur error de certitudine Prædestinationis.

HACTENVS primum errorē ex illis quinque, quos initio huius libri proposuimus, expugnare conati sumus. Sequitur vt aduersus secundùm breuiter disseramus.

SECVNDVS error eorum erat, qui non solùm de præsenti gratia, atq; iustitia, sed etiā de prædestinatione, atq; electione ad gloriā certitudinem fidei haberi contendunt. Docuit hunc errorē MARTINVS BVCERVS, in Colloquio Ratisbonensi. Nā extat in eo Colloquio inter alios titulos, vnus de firmissima æternæ salutis fiducia, & certitudine, & in eo affirmat Bucerus, non esse verū Christianum, qui non eadem fidei certitudine, credit se habiturū esse vitam æternā, qua credit, Christū esse, & Deum etiam esse. Idem etiā docet in lib. de concordia, in conciliatione, articuli de iustificatione: Idem quoq; docet PETRVS MARTYR, in com. ad c. 8. epist. ad Rom. Eundē errorem mordicus defendit IOANNES CALVINVS, in lib. 3. Instit. c. 2. vbi sic loquitur, §. 16. *Verè fidelis non est, nisi qui solida persuasione Deū sibi propitium persuasus, de eius benignitate omnia sibi polliceatur: nisi qui diuinæ erga se benevolentiæ promissionibus fretus, indubitatam salutis expectationem præsumit.* Vide eundē §. 40. & in antidoto Concilij. In eodem errore versatur KEMNITIVS, in Examine Concilij Tridentini. Reprehendit enim quod Concilium docet, sess. 6. c. 12. neminem sine peculiari reuelatione, certò statuere debere se esse ex numero prædestinatorum. Affirmat verò Kemnitius, hanc falsam esse doctrinam, & probat ex cap. 8. ad Rom. Ex verbo Dei posse, ac debere omnes iustificatos certò statuere, de sua prædestinatione.

Cæterum hic error pugnat cum scripturæ diuinæ testimoniis, cum sententiis sanctorum Patrum, & cum manifesta, atque apertissima ratione.

PRIMVM igitur, Apostolus Paulus ad Rom. 11. de Prædestinatione disputās, refert hoc mysterium inter altissima Dei secreta, exclamans: *O altitudo diuitiarū sapientiæ, & scientiæ Dei, quā inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Et, quis nouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Et quamuis hæc altitudo secreti præcipuè respiciat causam, cur Deus vnū eligat, alterū non eligat: tamē indicat etiā non posse sciri sine reuelatione, quem Deus elegerit, & quē nō elegerit. Nam ex hoc ipso, quòd ignoramus, quid moueat Deū, vt hunc potius, quā illum eligat, & in eius voluntatē rem totā referre cogimur: intelligimus non posse aliā via cognosci, quem eligere, & quē non eligere voluerit, nisi per reuelationem specialē, qua suam ipse voluntatem alicui manifestare dignatur.

SECVNDO, Scriptura hortatur omnes fideles ad timorem, cùm ait Rom. 11. *Tu autē fide stas: noli altū sapere, sed time, ne forte & tibi non parcat.* Et 1. Cor. 10. *Qui stat videat ne cadat.* Et Phil. 2. *Cum timore, & tremore salutem vestram operamini.* Et Apoc. 3. *Tene quod habes, ne forte alius accipiat coronam tuam.* Et in epi. 2. idem Ioannes: *Videte* (inquit) *ne perdatis, quæ operati estis.* Et in Psal. 2. *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.*

Ad hæc, & similia respondent CALVINVS, & KEMNITIVS, hæc dici ad excutiendū torporem, & carnalem securitatem, quæ homines in operibus bonis negligēres faciunt: nō quod reuera periculum sit, ne veri fideles excidāt à salute. AT verū quidem est, nullū esse periculū, ne prædestinati salutem æternam perdant, & terrores illos à Spiritu sācto, per scripturas sanctas adhiberi, vt electi ad sollicitudinē, & diligentiā excitentur: sed hæc omnia locum habent in iis, qui prædestinationē suam ignorant, non in iis, qui de illa certissimi sunt. Nam qui certò persuasi sunt, se omninò saluandos, nō possunt timere, ne excidant à salute: imo nec debent timere, si id certò credunt certitudine fidei, quomodo credunt Christum esse Deum: nam isto suo timore iniuriam fidei facerent.

Proinde si vera esset responsio hæreticorum, Spiritus S. hortaretur electos ad infidelitatem cū hortatur ad timorem amittendæ salutis. Quemadmodum enim si quis admoneret fidelem vt timeret, ne fortè non sit verum, Christum esse Deum: ad impietatem sine dubio eum impellere videretur. Ita prorsus Spiritus S. (quod blasphemum est cogitare) ad impietatē prouocaret electos, dum hortatur vt timeant, ne forte excindantur, ne pereant de via iusta, ne amittant coronam suam. Igitur qui timere iubemur, non debemus, nec possumus certò credere certitudine fidei, nos esse de numero saluandorum.

TERTIO, Scriptura disertis verbis docet, salutē pendere à conditione operum, Mat. 5. *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Mat. 19. *Si vis ad vitā ingredi, serua mandata.* Rom. 8. *Quod si filij, & hæredes, si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* 2. Tim. 2. *Si commortui sumus, & conuiuemus.* Et ibidem: *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* AT concedunt aduersarij nullam esse posse certitudinem salutis, si ea pendeat à conditione operum: vnde igitur tam confidenter affirmant se de salute, & vita æterna esse certissimos?

Respondebunt fortasse, hæc omnia se habere non in se, sed in Christo, cuius facti sunt membra per fidem. Sic enim iubet Caluinus, vt fidelis non respiciat se, & opera sua, sed respiciat Christū, non vt extra se positū, sed vt in se manentem, & omnia bona sua cōmunicantē. SED hęc responsio non est solida. Nam Christus ipse requirit à membris suis, vt ipsa etiam benè operentur, & tanquam vitis requirit, vt palmites fructū ferant. Alioqui excisionem minatur: *Ego sum vitis vera,* (inquit Io. 15.) *& Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentē fructum, tollet eum.* Et infrà: *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes arescet, & colligent eum, & in ignē mittent, & ardet.* Non igitur sufficit ad salutem insertum esse in vitem Christum, nisi quis vt palmes fructum bonorum operum pariat. DEINDE, cùm Dominus ait: *Nisi abundauerit iustitia vestra, &c.* Et: *Si vis ad vitam ingredi, &c.* Non significat vt membra iustitiam capitis sibi arrogēt, sed vt ipsa quoq; operentur, & iustitiam faciant: vt perspicuum est ex sequentibus, vbi ait Mat. 5. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, &c.* Et Mat. 19. *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & habebis thesaurum in cœlo.*

Respondere solent, opera quidem requiri sed non vt conditionem, à qua pendeat promissio vitæ æternæ, sed quia fides vera non est nisi sit viua, & fructificet opera bona: nam peccata, id est, opera carnis excutiunt fidē, & effundunt Spiritum S. AT non laboramus hoc loco cur sint opera necessaria: contenti sumus, si detur nobis, ea necessariò exigi, & sine illis non obtineri vitam æternam. Hinc enim euidenter concludimus, sine diuina reuelatione neminem certò statuere posse, se esse de numero electorum, cùm nemo, ipsis etiam aduersariis testibus, certò statuere possit, se facturum omnia illa bona opera, quæ Christus fieri iubet.

QVARTO, Scriptura testatur, multos ad tempus credere, & posteā circa fidem naufragare, & perire, vt patet Luc. 8. de semine quod cecidit super petram, quod exponit Dominus de iis, qui ad tempus credūt, & in tempore tentationis recedunt. Et 1. Tim. 4. *Spiritus manifestè dicit, quia in nouissimis diebus discedent quidam à fide.* Et cap. 9. *Quam quidam appetentes erraverunt à fide.* Qui autem à gra

gratia & fide exciderunt, nullam certitudinem habent suæ restitutionis in gratiam: imo Scriptura dicit, hoc planè esse incertum. Cùm ait 2. Tim. 2. *Ne forte det illis Deus pœnitentiam & resipiscant.* Et Ioelis 2. *Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus?* AT si multi credentes à veritate postea aberrant, & reprobi fiunt, igitur non erant illi certi ex fide se perseuraturos: alioqui falsa fuisset eorū fides. Non potest autem certitudo prædestinationis haberi sine certitudine perseuerantiæ, cùm perseuerantia sit effectus maximè proprius prædestinationis, & sine perseuerantia non possit impleri prædestinatio: igitur neque de prædestinatione homines illi certi fuerunt ex fide. Ac per hoc falsum est, omnes fideles certos esse certitudine fidei de sua prædestinatione.

Ad hoc argumentum vtrumque respondere potest CALVINVS, quippe qui negat habuisse veram fidem illos qui non perseuerant. Quem errorem paulò post refellemus. KEMNITIVS verò nihil omninò respondere potest. Ipse enim apertè fatetur, posse fideles excidere à gratia, & non perseuerare, & tamen audacter affirmat debere eos, qui fidem habent certò statuere se esse prædestinatos. Quæ quàm malè inter se cohæreant, nemo non videt. Nam si omnes debent ex fide certò statuere se esse prædestinatos, & tamen possunt non perseuerare, & per hoc non saluari, igitur vel potest falli prædestinatio Dei, vel potest homo ex fide certo credere id, quod est incertum, & quod fieri potest vt sit falsum.

Respondet Kemnitius, fidem semper esse veram: quia quod aliqui non perseuerent, non fit ex eo quod Deus nolit conseruare eos vsque in finem: sed quia ipsi per opera carnis fidem excutiunt. AT inepta solutio est. Hoc enim est quod nos vrgemus, non posse vllum ex fide certum esse, se ad numerum electorum pertinere, quia potest fieri, vt excutiat fidem, & tandem sit reprobus. Nam cùm vera fides possit esse in eo, qui re vera corā Deo reprobus est, cum præsciatur non perseueraturus: euidēter sequitur, vt vel fides non doceat eum esse de numero electorum, vel fides sit falsa: quomodo enim reprobus credere potest ex fide vera se non esse reprobum, sed electū?

Ad hæc testimonia Scripturæ addi possunt etiam testimonia Patrum. S. IOANNES CHRYSOSTOMVS hom. 11. in epist. ad Philip. *Si Paulus* (inquit) *qui tanta passus est, nondum de resurrectione illa securus fuit, quid sane nos dicemus?*

S. HIERONYMVS lib. 2. aduersus Pelagianos: *Ne beatum* (inquit) *dixeris quempiam ante mortem, quamdiu enim viuimus, in certamine sumus: quamdiu in certamine, nulla est certa victoria.*

S. AVGVSTINVS lib. 11. de ciuit. Dei, cap. 12. *Licet* (inquit) *sancti de sua perseuerantia præmio certi sint, de ipsa tamen perseuerantia sua reperiuntur incerti. Quis enim hominum se in actione, profectuq; iustitiæ perseueraturum vsque in finem sciat nisi aliqua reuelatione ab illo fiat certus, qui de hac re iusto, latentiq; iudicio omnes instruit, sed neminem fallit?*

Martinus Bucerus, in lib. de concordia, sub finem conciliationis, articuli de iustificatione, hunc vnum locum sibi ipsi obiecit, & duas adhibuit, responsiones, siue malis dicere tergiuersationes. PRIMO dicit, sanctos ex se non posse certò statuere, an sint perseueraturi: tamen quia vocati sunt ad sempiternum Christi consortium, ex fide debere omnino certos esse, se vsq; in finem perseueraturos. SECVNDO dicit, Augustinum loqui de certitudine scientiæ, non de certitudine fidei. AT si sancti ex se statuere debeant, id est, ex viribus naturæ suæ: certò statuere debent, se non perseueraturos. Quo modo enim sine Dei gratia perseuerarent? Itaq; si ex se statuere debent, non sunt incerti, vt Augustinus dicit, sed planè certi.

Dicet fortasse Bucerus, illud (*ex se*) non debere ad vires perseuerandi referri, sed ad cognitionē, vt sensus sit, sanctos nō posse statuere certò se perseueraturos ex lumine solius rationis, sed ex lumine fidei omnino posse. AT cōtra, nam de præmio perseuerantiæ non sunt certi ex se, id est, ex lumine solius rationis, sed ex lumine fidei: & tamen Augustinus scribit, de præmio perseuerantiæ sanctos esse certos, de ipsa perseuerantia incertos. Præterea si certi essent sancti ex lumine fidei de sua perseuerantia, omnes, qui fide præditi sunt, hanc certitudinem haberent, At Augustinus dicit, non omnes sanctos, id est, non omnes qui hdem habent, esse de hac re certos, sed illos tantum, quibus Deus per specialem reuelationem id manifestare dignatur. Vult igitur Augustinus non solum ex se, sed etiam ex fide, & non solum certitudine scientiæ, sed etiam certitudine fidei sanctos de sua perseuerantia esse incertos.

Sed vt omnem tergiuersandi occasionem Bucero auferamus, addamus alia duo loca in libro de correptione, & gratia, cap. decimo tertio. *Quis* (inquit) *ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate viuitur in numero prædestinatorum se esse præsumat?* Item in libro de bono perseuerantiæ, cap. decimo tertio. *Ad quam vocationem* (secundùm propositum, quę propria est electorum) *pertinere nullus est homo ab hominibus certa assecuratione dicendus, nisi cùm de hoc seculo exierit. In hac autem vita humana, quæ tentatio est super terram, qui videtur stare, videat ne cadat.*

S. GREGORIVS, lib. 6. in primum Regum: *Quia iudicium* (inquit) *omnipotētis Dei imperscrutabile est, vnde veniat, & quo vadat homo nescit? quia sciri non potest, an quis in gratia, quam recipit, perseuerare in perpetuum debeat.*

S. PROSPER, in lib. 2. de vocatione gentium, cap. vlt. *In remotissimo* (inquit) *ab humana cognitione secreto prædinitio huius electionis abscondita est. Et de nullo ante ipsius finem prænunciari potest, quod in electorum gloria sit futurus, vt perseuerantem humilitatem vilis metus seruet, & qui stat videat ne cadat.*

S. BERNARDVS, quem virum Dei loco citato Bucerus appellat, & Lutherani omnes in quæstione de Iustificatione magnificare solent, sic loquitur in serm. 1. de Septuagesima: *Quis potest dicere, ego de electis sum? ego de prædestinatis ad vitam? ego de numero electorum? certitudinem vtiq; non habemus, sed spei fiducia consolatur nos.* Idē in epist. 107. *Datur* (inquit) *aliquid præsentire de sua ipsius futura beatitudine, quemadmodum ab æterno latuit in iustificante plenius apparituram in beatificante. De qua tamen iam percepta suimet ex parte notitia, interim quidem glorietur in spe, nondum tamen in securitate.*

Addamus vlt. rationes. PRIMA ratio, Nihil affirmari debet de his, quæ pendent ex sola Dei voluntate, nisi ex manifesta reuelatione ipsius: si enim nemo certo scire potest, quid sit in homine nisi spiritus eius, quanto magis nemo scire poterit quid sit in Deo nisi Spiritus Dei? Pendere autem prædestinationem ex Dei voluntate, perspicuum est, quia *cuius vult miseretur, & quem vult indurat*, Rom. 9. Et quos eligit non ex operibus, sed ex misericordia eligit. DICENT, reuelauit Deus per Spiritum suum in Scripturis, omnes qui credunt, habituros esse vitam æternam. AT nusquam reuelauit omnes qui dicunt se credere, eos credere sicut oportet. Nam si satis esset dicere ego credo, vel etiam, ego rectè credo, & sicut oportet, credo: omnes hæretici saluarentur.

SECVNDA ratio, Non potest homo certus esse ex fide, an sit dignus odio vel amore secundùm præsentem iustitiam, quam in se habet, vt ostendimus in disputatione præcedenti, igitur multò minus ex fide certus esse potest, an sit dignus odio vel amore secundùm æternum decretum, quod in ipso Deo latet. Neq; enim dubitari potest, quin facilior sit notitia præsentis iustitiæ, quàm æternæ prædestinationis.

TERTIA ratio sumitur ab vtilitate huius secreti. Nā vt scribit S. Augustinus, in lib. de corrept. & gratia, cap. 13. vtilissimum est ad humilitatem conseruādam, vt non

Universidad de Deusto
Biblioteca

sciatur in hac vita, quis ad numerum electorum certò pertineat. Et quamuis posset Deus alia etiam ratione huic elationis morbo medicinam facere: tamen sic placuit magno illi medico, qui ordinem sanandi non accipit ab ægroto.

QVARTA ratio est sancti Prosperi loco notato, quoniam id etiam vtilissimum fuit propter reprobos. Nam si scirentur qui sint prædestinati, reliqui omnes desperantes de salute nihil omnino boni peragere curarent. Itaque, vt qui stat, videat ne cadat, & qui victus tentatione cecidit, resurgere conetur, & nemo de Dei misericordia diffidat, nemo desperet, vtilissimum fuit, vt secretissima esset electio.

CAPVT XIII.

Soluuntur obiectiones.

QVAMVIS autem is, quem refutauimus error exploratus, & apertissimus esse videatur: non tamen desunt argumenta aliqua, quæ pro illius defensione Bucerus, Caluinus, & Kemnitius excogitarunt.

PRIMVM igitur ita ratiocinatur BVCERVS: *Assiduè pro dono perseuerantiæ nobis orandum esse non dubium est: dicit autem Iacobus, cap. 1. de eo, qui cupit à Deo aliquid impetrare, Postules in fide nihil hæsitans: igitur nihil hæsitare debemus. sed certò credere, nos accepturos perseuerantiam, ac proinde etiam esse prædestinatos.*

RESPONDEO, Potest optimè coherere oratio in fide sine hæsitatione cum incertitudine de re illa adipiscenda, quæ petitur. Nam in oratione requiritur tum fides, tum etiam fiducia, & vtriq; suo modo contraria est hæsitatio. Et quidem de fide nulla est difficultas. Nã fide credere debemus, Deũ posse facere quod petimus, fidelẽ quoq; esse in omnibus verbis suis, & per hoc velle etiam facere quod petimus, nisi ex parte nostra sit defectus, & de his rebus non debemus vel minimum hæsitare. Non autem tenemur certò credere, nos absolutè impetraturos quod petimus: alioqui fides falsa esse posset. Certè cum Apostolus ter rogauit, vt liberaretur à stimulo carnis, in fide nihil hæsitans orauit, & non impetrauit tamen quod petiit, ex quo intelligimus, eum non credidisse absolutè se liberandum.

AT Dominus Marci 11. dicit: *Quidquid orantes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis.* RESPONDEO, credendum esse quia accipiemus, si bona petamus, & si expedit nobis: non absolutè. Porrò perseuerantiæ donum planè expedit nobis, sed non benè petit, qui non assiduè petit. Nõ enim perseuerãtia res est eiusmodi, quę vno die peti, & accipi possit, sed quotidie petenda est, vt quotidie detur, & sic tandem fiat, vt in finem vsq; perseueremus. Tũc enim data intelligitur perseuerantia cũ perseueratum est vsq; in finem. Itaq; credere debemus nos accepturos perseuerantiam, si perseueranter eam postulauerimus: vtrum autem perseueranter eam postulaturi simus, qui scire potest, nisi Deus, & cui voluerit Deus reuelare?

Quod autem attinet ad fiduciam, confidere debemus, nos accepturos, quod petimus, & non hæsitare, id est, non diffidere. Cæterum sicut fiducia non est in intellectu, sed in voluntate, ita hæsitatio cùm opponitur fiduciæ, nó est incertitudo intellectus, sed infirmitas, & instabilitas voluntatis. Qnare fiducia sine hæsitatione non requirit certitudinem intellectus de re impetranda, sed firmam adhæsionem voluntatis erga bonitatem Dei, à qua sperat homo se impetraturum quod postulat. Nihil igitur concludit Buceri ratiocinatio.

SECVNDO, obiicit idem auctor illud, 1. Io. 5. *Hæc scribo vobis, vt sciatis, quia vitam habetis æternam, qui creditis in nomine filij Dei.* RESPONDEO, Multa hic dici possent, sed iam sæpè de hac re loquuti sumus.

DICO igitur eos qui credunt, habere vitam æternam: sed in spe, non in re. *Spe enim salui facti sumus*, inquit B. Paulus ad Rom. 8. porrò vt in re vita habeatur æterna, requiritur (præter alia multa) perseuerantia in fide. Sic enim Scribit Apostolus ad Heb. 3. *Videte fratres ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi à Deo viuo. Sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ vsq; ad finem firmum retineamus.* Et idem ipse Ioannes, qui dixit, credentes habere vitam æternam, scribit quibusdam credentibus, in epi. 2. *Videte vosmetipsos ne perdatis quæ operati estis.* Quare si probare Bucerus cupit sententiam suam laborare debet, vt inueniat scripturæ testimonium, in quo habeatur, se, & alios in particulari vsque in finem perseueraturos.

TERTIO, obiicit CALVINVS, 1. cap. epist. ad Ephes. vbi Apostolus dicit, nos habere pignus hereditatis: at qui pignus habet, certus est de hæreditate. Item ibidem Apostolus orat Deum, vt illuminet oculos Ephesiorum, vt cognoscant, planèq; perspiciant se prædestinatos in adoptionem filiorum.

RESPONDEO, Qui spiritum habent inhabitantem, sine dubio pignus habent hæreditatis: hoc enim Apostolus dicit. At quis certus esse potest certitudine fidei, se spiritum inhabitantẽ habere? Deinde, qui pignus habent hæreditatis, sine dubio consequentur hæreditatem, modò pignus diligenter conseruent. Nam si fortè illud amiserint, antequam hæreditatem accipiant, nihil eis proderit aliquando pignus eiusmodi accepisse. Non scribit autem Apostolus, omnes qui pignus habent, illud sine dubio seruaturos, ac patrifamilias suo tempore repræsentaturos. Neq; est aliqua ratio, Dei reuelatione excepta, per quam huius rei certi reddi valeamus.

Porrò rogat idem Apostolus Deum, vt illuminet Ephesiorum oculos, non vt cognoscant se esse prędestinatos: sed vt intelligant quæ sit spes vocationis, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis in sanctos, id est, quanta sit ea gloria, quam Deus præparauit diligentibus se.

Sed libenter quærerem à Caluino, si ex fide certus est omnis, qui iustificatur, se prædestinatum esse, cur ipsi Ephesij iamdudum fideles, & iustificati egebant illustratione noua, vt cognoscerent se esse prędestinatos? Nam si id non certo nouerant, non erant fideles, & iustificati, si verum est dogma Caluini: si autem fideles, & iusti, imò & sancti erant, vt eos Apostolus vocat: igitur vel non egebant isto nouo lumine, & Paulus frustra pro illis orat, vel quod est verius, non certi erãt, ex fide se esse iustificatos.

QVARTO, obiicit idem Caluinus illud, 1. Thessal. 1. *Scientes fratres dilecti à Deo electionem vestram, quia Euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed & in virtute, & in Spiritu sancto, & in plenitudine multa.* Vbi probat Apostolus Thessalonicẽses fuisse electos, ex eo quod fidem haberent, per quam Euangelium receperant. Ex quo sequitur, vt fides sit propria electorum, & qui illam habent, sciant etiam se esse in numero electorum.

RESPONDEO, PRIMO illud: *Scientes electionem vestram*, non refertur ad ipsos Thessalonicenses, quasi ipsi scirent electionẽ suam, sed ad Paulum, qui dicit se cum Siluano, & Timotheo scire electionẽ illorũ. DEINDE, loquitur Apostolus de scientia, nõ ex reuelatione, sed ex signis, quia videlicet nouerat se illis prædicasse cũ adiunctione miraculorum, & cum plenitudine multa Græcè πληροφορία, id est, cũ magna copia testimoniorum diuinorum, quę apta erant ad certã persuasionẽ gignendã. Idem etiã probat ex operibus Thessalonicensiũ, quia in tribulatione multa cum gaudio virtũ Dei receperant. Itaq; nihil aliud ex eo loco colligitur, nisi Apostolũ optimam spem habuisse de electione Thessalonicensium, ex multis signis, quæ de ipsorum electione habebat.

QVINTO, obiicit Kemnitius illud, Ro. 8. *Quos vocauit, hos & iustificauit, quos iustificauit, hos & magnificauit.* Nam in hoc loco dicit Kemnitius, patefactum esse fundamentum huius certitudinis, quam habent iusti ex fide de sua electione.

RESPONDEO, si omnes vocati essent electi, argumentum Kemnitij solidissimum esset: sed Dominus dicens Mat. 22. *Multi sunt vocati, pauci verò electi*, nullius roboris argumentum illud esse ostendit. Cum igitur Apostolus ait: *Quos vocauit, hos & iustificauit*, non loquitur de omnibus vocatis, sed de vocatis secundùm propositum: & cùm addit, *quos iustificauit, hos & magnificauit*: non loquitur de omnibus iustificatis, sed de iustificatis secundùm propositum, de quibus dicitur in eodem capite: *Scimus quia diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum his, qui secundùm propositum vocati sunt sancti.* Vide Augustinũ in lib. de bono perseuerantiæ, cap. 13. qui sint autem vocati, & iustificati secundùm propositum, nemo scire potest. Quis enim nouit sensum Domini, aut quis cõsiliarius eius fuit?

VLTIMO, obiicit Kemnitius multa loca, quæ nihil ad rem faciunt, vt Ioan. 10. *Nemo rapiet eas de manu mea.* Rom. 8. *Quis accusabit aduersus electos Dei?* 1. Cor. 1. *Confirmabit vos vsque in finem.* Eph. 1. *Elegit nos ante mundi constitutionem.*

RESPONDEO, priora duo loca docent, electos non posse perire: sed non docẽt electos nosse de se in particulari, se esse tales. Quæ autẽ est ista consecutio, Nemo rapiet oues de manu Christi, ergo Kẽnitius certò scit certitudine fidei se esse de numero electorũ? Duo loca posteriora, vt etiã multa alia similia testãtur Apostolũ bene sperasse de salute Corinthiorum, & Ephesiorum: non autem certum fuisse certitudine fidei, eos omnes saluãdos.

Hinc prudenter monet S. Augustinus, in lib. de bono perseuerantiæ, cap. 22. vt cùm in concione ad populum de electis loquimur, vtamur prima, vel secunda persona, ponentes in eo numero nos, & auditores nostros, vt ostendamus, nos benè sperare cùm de nobis, tùm etiam de illis: at cùm loquimur de reprobis, vtamur verbis tertiæ personæ, ne nobis, aut auditoribus malè ominari videamur.

CAPVT XIV.

Fidem, ac iustitiam non esse propriam electorum, & semel habitam amitti posse.

VENIO ad errorem TERTIVM, qui proprius est CALVINI, qui docet in libr. 3. Instit. c. 2. §. 11. Fidem & iustitiam propriã esse electorum, & semel verè acceptam, nõ posse vlla ratione amitti, & qui eam videntur amittere, nunquam verè habuisse. *Solos* (inquit) *electos semine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, vt nũquam dispereat semen vitæ in eorum cordibus insitum.* Et infrà §. 12. *Hoc* (inquit) *interim tenendum est, quamuis exigua sit, ac debilis in electis fides: quia tamen spiritus Dei certa illis arrha est, ac sigillum suæ adoptionis, nunquam ex eorum cordibus deleri posse eius scalpturam.* Et ibidem affirmat plurimos decipi, qui fidem se habere putant, cùm nihil habeant, nisi fidei vmbram, & simulacrum.

Repugnant Caluino non solùm Catholici, sed etiam plerique Lutheranorum, & ipse etiam Petrus Martyr, in com. ad c. 8. ad Romanos, & Kemitius in Examine Concilij. Quamuis hi duo postremi etsi apertè doceant, posse iustum interdum labi: tamen sentire videntur non posse fieri, quin ante mortem redeat ad fidem. Certè cogit error ille de fide prædestinationis, vt credant, nullum fidelem esse posse reprobum, nisi secum ipsi apertissimè pugnare velint. Quomodo enim ex fide certos esse dicerent omnes fideles de sua prædestinatione, si crederent, fideles aliquos in æternum posse perire?

Itaq; hoc solùm inter Caluinum, & ipsos interesse videtur quod Caluinus dicat, fidem non solùm nõ esse nisi in electis, sed etiam addat, in electis esse planè immobiliter: ipsi verò connecti argumentis fateantur, posse fidem ad tempus amitti, non tamen ita, vt ante mortem non redeat. Refelli potest vterque error testimoniis, & exemplis diuinæ, scripturæ, definitione Ecclesiastica, & ratione.

Quod attinet ad scripturæ testimonia, tã multa, & tam perspicua sunt, vt mirum sit, potuisse in mentes hominum eiusmodi errorem cadere. Ezec. 18. *Cum auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem morietur in illa.* Quid clarius? Quomodo quæso auertitur iustus à iustitia, si fide sola iustificatur, & fides semel concepta extingui non potest?

Sed veniamus ad Euangelium. Luc. 8. *Nam quod super petram: qui cum gaudio suscipiunt verbum, & hi radices non habent. sed ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Isti certè suscipiunt semen verbi Dei cum gaudio, & credunt: neque deest illis fides, sed perseuerantia in fide.

Ioan. 15. *Omnem palmitem in me non ferentẽ fructum, tollet eum.* At palmes esse non potest, qui aliquando non vixerit in vite: non enim palmites aliunde inseruntur, sed nascuntur ex vite, & non mortui, sed viui nascuntur. Sic igitur fideles renascuntur in Christo, & cùm renascuntur, non mortui sunt, sed viui: & tamen si postquam renati sunt, fructum bonorum operum ferre recusent, arescunt, præciduntur, & pereunt. Ex quo non solum Caluinus, sed etiam Martyr, & Kemnitius refutantur. Dominus enim non solum dixit, palmitem arescentem, seperandum à vite, sed addit, *& colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Potest igitur, qui aliquando palmes in vite, id est, membrum in corpore Christi per fidem viuam fuit, mitti in ignem æternum, vt semper ardeat.

Matt. 24. *Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Qui autem perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit.* Ex hoc loco intelligimus, non omnes iustos perseuerare, ac per hoc nõ omnes iustos saluari. Illud enim (*refrigescet charitas*) extinctionem planè significat charitatis, alioqui non opponeretur perseuerantiæ vsque in finem.

1. Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* At Caluinistæ meritò non castigant corpus suum, & operibus pœnitentiæ valedixerunt, quia certi sunt certitudine fidei, se reprobos fieri nulla ratione posse.

Galat. 5. *Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis.* Quomodo possent euacuari à Christo, & à gratia excidere, si in Christo, & in gratia verè nunquam fuissent?

1. Tim. 1. *Quidam circa fidem naufragauerunt.* 1. Tim. 4. *In nouissimis diebus discedent quidam à fide.* 1. Tim. 6. *Quam quidam appetentes errauerunt à fide.* Hebr. 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti: gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutes q; seculi venturi, & prolapsi sunt: renouari iterum ad pœnitentiam, &c.* Quid hic dici potest? Non habuerunt verã fidem, qui discesserunt à fide? Et quomodo naufragarunt qui in naui nunquam fuerũt? Non verè iustificati fuerant, qui illuminati gustauerant donum cœleste, & participes facti erant Spiritus sancti? & tamen prolapsi sunt.

Et vide quantum interfit, inter sententiam Pauli Apostoli, & Petri pseudo martyris: iste dicit, certissimè renouandos ad pœnitentiam qui prolapsi sunt: ille dicit, impossibile, hoc est, difficillimum, & rarissimum esse, vt renouentur. Nam vt idem ait, cap. 10. *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iã non relinquitur hostia pro peccato: terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios.* 2. Petri 2. *Melius erat illis nõ agnouisse viã iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sanctõ mandato. Contigit enim illis illud veri Prouerbij, Canis reuersus ad suum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

uomitum, & sui lota in volutabro luti. Poterat ne clarius explicari vera prolapsio? Nam qui reuertitur ad suum vomitum, certè antea vomuerat, & vomendo pectus purgauerat: & sus lota non diceretur reuerti ad volutabrum luti, nisi de illo antea exiuisset, & lota verè fuisset.

Veniamus nunc ad exempla eorum, qui Spiritu sancto referente, fidem vel charitatem amiserũt. Atq; vt altè incipiamus, PRIMO, Angeli mali, qui scriptura teste peccauerunt, & ex Angelis diaboli fieri meruerunt, certè antequam peccarent iusti fuerant, vt colligunt sancti Patres, ex c. 14. Isaiæ, & 28. Ezechielis.

SECVNDO, primi nostri parentes ad imaginem, & similitudinem Dei conditi, fide & gratia ornati erant, etiam aduersariis testibus, & tamen eos grauissimè lapsos esse, aduersarij negare non possunt.

TERTIO, Saul Rex initio bonus, & iustus erat, & tamen non solùm peccauit, sed etiam reprobus, & damnatus creditur. Id enim insinuat scriptura, 1. Reg. 15. & 16. Et apertè asserit Augustinus lib. 2. ad Simplicianum, q. 1. Et antè eum Cyprianus, libro 1. epist. 5. Negat quidem Caluinus, Saulem fuisse vnquam verè iustum. Sed audi, quid Spiritus S. dicat, in 1. lib. Reg. c. 9. *Erat Saul electus, & bonus, & non erat vir de filiis Israel melior illo, ab humero & sursum eminebat super omnem populum.* Hic planè describitur vir animo, & corpore præstans: & cùm nemo esset in filiis Israel melior illo, si non erat hic verè iustus, nullus tunc fuisset in vniuerso populo Dei verè iustus. Quod falsum esse certum est, cùm adhuc viueret Samuel, & multi cum eo prophetæ, & prophetarum filij.

QVARTO, Dauid Rex omnium consensu iustus fuit, cum de eo diceret Deus: *Inueni Dauid virum secundum cor meum.* Act. 13. & tamen quis negare potest, eum verè à gratia, & iustitia, & secundùm aduersarios, qui sola fide iustificant, à fide excidisse? Magnitudinem enim peccati eius testatur pœnitentiæ magnitudo, qua lauabat per singulas noctes lectum suum, & lachrimis suis stratum suum rigabat, Psal. 6.

QVINTO, Salomon fuit aliquando verè iustus, & à Deo singulariter dilectus. Nã 2. Reg. 7. dicit de eo Deus: *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium.* Et c. 12. *Vocauit nomen eius Salomon, & dominus dilexit eum, misitq; in manu Nathan Prophetæ, & vocauit nomen eius Amabilis Domino, eo quod Dominus diligeret eum.* Deniq; filius erat Dauidis, hominis sancti, igitur secundùm doctrinam Caluini, & Petri Martyris, & ipse sanctus erat. Hunc autem virũ in senectute à gratia & iustitia excidisse, scriptura testatur. Quæ refert eum etiam idola omnium concubinarum suarum turpissimè coluisse. Eumdem planè reprobum, atq; damnatũ esse, indicat S. Cyprianus lib. 1. epist. 5. Et post eum S. AVGVSTINVS in lib. 22. contra Faustum, cap. 88. his verbis: *De Salomone quid dicam? quem vehementer arguit sancta Scriptura, atque condemnat: nihilq; de pœnitentia eius, vel in eum indulgentia Dei omnino commemorat?*

SEXTO, S. Petrus sine dubio iustus erat, cùm ei diceretur à Domino, Matth. 16. *Beatus es Simon Bar-Iona.* Et Io. 13. *Qui lotus est, non eget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus.* Et tamen peccauit negando Christum, & negationem periurio confirmando. Docet autem S. Augustinus, tract. 66. in Io. peccatum illud sancti Petri fuisse lethale, & reprehendit defensores Apostoli, qui audent excusare peccatum, cuius magnitudinem ipse idem amarissimè flendo monstrauit.

SEPTIMO, Simon Magus, conuersus à Philippo credidit, & baptizatus Philippum sequebatur, vt Lucas scribit Act. 8. Et tamen hæresiarcha factus miserè periit. Dicit quidem Caluinus, eum non verè credidisse, sed fidem simulasse. At nos magis credimus sancto Lucæ, qui dicit, eum credidisse, & hoc dicit, vbi alios multos credidisse dicit, qui permanserunt in fide: nec vllo verbo indicat simulationem Simonis.

OCTAVO, Iudas proditor, etiamsi solus esset, exemplo suo omnia ora obstrueret. Nam fuisse Iudam aliquãdo iustum, probat S. Hieronymus, in lib. 3. aduersus Pelagianos, ex illis verbis Domini, Io. 17. *Pater quos dedisti mihi custodiui, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.* Nam si Pater dedit illum filio, certè bonus erat: & si perijt ex grege, certè antequam periret, in Christi grege numerabatur. Constat autem Iudam reprobum, & damnatum esse, tum ex hoc loco, vbi dicitur *Filius perditionis:* tum ex c. 26. Matthæi, vbi Dominus de Iuda dicit: *Melius erat ei, si natus non fuisset homo ille.*

Habemus igitur octo exempla, quorum tria, Adami, Dauidis, & Petri, demonstrant, iustitiam posse & amitti, & recuperari: alia quinque Satanæ, Saulis, Salomonis, Simonis, & Iudę, indicãt, posse aliquos verè iustos ita excidere à iustitia, vt inter reprobos numerari non sine ratione credantur. Proinde iustitiam non semper esse propriam electorum, sed cum reprobis aliquãdo cõmunem.

His testimoniis, & exemplis diuinæ scripturæ addi potest traditio, ac definitio Ecclesiastica. Nam eumdẽ hunc errorem olim in Iouiniano damnauit Ecclesia. Testantur enim sanctus Hieronymus, lib. 2. aduersus Iouinianum, & sanctus Augustinus, hæres. 82. Vnum ex erroribus eius fuisse, iustos post baptismum non posse peccare, & si forte peccent, eos quidem fuisse lotos aqua: spiritum autem gratiæ minimè recepisse. Itaque error Caluini iam antè mille, & ducentos annos in Iouiniano diiudicatus, & damnatus fuit.

Præter hoc publicum antiquitatis testimonium disertis verbis idem testatur S. AVGVSTINVS, in libr. de corrept. & gratia, c. 13. *Credendum est* (inquit) *quosdam de filiis perditionis non accepto dono perseuerandi vsque in finem, in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere viuere, & aliquãdiu fideliter, & iuste viuere, & postea cadere, neque de hac vita priusquam eis id contingat, auferri.* Et S. GREGORIVS, lib. 30. Moralium, cap. 32. *Quis* (inquit) *intelligat, quod alius Catholicæ matris ventre proditus, iuxta vitæ terminum erroris voragine deuoratur, alius autem vitam suam in Catholica pietate consummat, qui ortus in perfidia, cum lacte matris hauserat virus erroris?*

Accedant VLTIMO rationes. PRIMA ratio, Fides quæ secundùm Caluini sententiam, immobiliter hæret in corde hominis semel iustificati: sine dubio non est actus, sed habitus: actus enim non semper est in corde hominis iustificati, vt experientia testatur: habitus autem non impedit ex necessitate actum contrarium, vt perspicuum est ex ratione, & natura omnium aliorum habituũ, qui inclinant ad suum actum, sed non cogũt. Poterit igitur is, qui habet habitum fidei, facere actum infidelitatis. At secundùm scripturas, qui facit actũ infidelitatis, perdit etiam habitum: nam efficitur simpliciter infidelis, & inimicus Dei, & reus mortis æternæ: & ex doctrina aduersariorum per omne peccatum excutitur fides iustificans, & effunditur ex corde Spiritus sanctus.

DICENT fortasse, non esse ex natura fidei, quod immobiliter hæreat, sed ex assistentia, & prouidentia Dei, qui non permittit homines semel verè iustificatos labi in peccatum. AT si ita esset, cur dicerent ipsi, omnia opera iustorum esse peccata mortalia? Et vbi est promissio ista Dei, quod non permittet iustos labi in peccatum? Nõne scriptura contrarium disertis verbis docet? Cùm ait, *Cùm auerterit se iustus à iustitia sua.* Ezech. 18. &. *si negauerimus, & ille negabit nos.* 2. Tim. 2. & alia, quæ suprà citauimus?

SECVNDA ratio, Infantes omnes per Baptismum verè iustificantur, & fidem accipiũt etiam testimonio Lutheranorum, imo etiã sine Baptismo, ex sententia Caluini, & Petri Martyris, & Buceri, filij fidelium nascuntur sancti: at quis credat omnes filios fidelium, vel certè omnes, qui

qui in infantia baptizantur esse prædestinatos, & non posse peccare secundùm Caluinum, vel non posse damnari secundùm Bucerum, & Martyrem? Nonne videmus multos in infantia baptizatos, cum adoleuerint grauissimè peccare? Adde quod, si verum esset paradoxum istorum, omnes Catholici, qui in infantia baptizati sunt, prædestinati essent ad vitam, & perire non possent: quos tamen isti pro membris Antichristi, & infidelibus habent.

TERTIA ratio, si fides amitti non potest, vnde tot sunt in mundo hæretici? Hoc enim interest inter paganos, & hæreticos, quod pagani fidem numquam habuerunt, hæretici habuerunt, & amiserunt. *Ex vobismetipsis* (inquit Apostolus Act. 20.) *exurgent viri loquentes peruersa.* Et 2. Tim. 2. *Hymenæus, & Philetus a veritate exciderunt.* Et ad Tit. 3. *Hæreticum deuita, sciens, quia subuersus est, &c.*

QVARTA ratio si iusti peccare non possunt, quorsum tot admonitiones, & cohortationes Apostolorũ, & Prophetarum, & omnium sequentium Doctorum Ecclesiæ ad populum Dei, vt timeant, vt caueant, vt solliciti sint? Quorsum ipse Dominus Apostolos suos, & omnem Ecclesiam orare iussit: *Dimitte nobis debita nostra, ne nos inducas in tentationem, & libera nos à malo?* Quorsum pœnitentia, absolutio, & reconciliatio lapsorum defenditur contra Nouatianos, si iusti peccare non possunt?

QVINTA ratio, sententia ista Caluini, ex parte etiam Buceri, Martyris, & Kemnitij, non solùm certitudinem nullam adfert, sed planè desperationem inducit: proinde non modò contraria est veræ doctrinæ Catholicorum, sed etiam ipsorum hæreticorum proposito, & instituto, qui nihil sæpius iactant, quàm solidam consolationem se conscientiis hominum ex certitudine iustificationis adferre. Nam si præsens gratia, & iustificatio vera esse nõ potest, nisi qui certus sit de perseuerantia, ita vt vel certò sciat se numquam lapsurum, vel ad pœnitentiam redicturum: quomodo fieri potest, vt vllus sani cerebri certò speret, se verè iustum esse, cum de futuris euentibus nihil sibi certi polliceri nisi temerè possit? Et cum videat quotidie se, & alios in varia peccata, etiam contra conscientiam labi? *Ne glorieris in crastinum* (inquit Sapiens, Prouerb. 27.) *ignorans quid superuentura pariat dies.* Et Ecclesiast. cap. 11. *Ante mortem ne laudes quemquam.* Et sanctus Iacobus cap. 4. *Ignoratis quid erit in crastino.*

CAPVT XV.

Soluuntur obiectiones.

OCCVRRVNT in diuinis literis testimonia quædam, quæ partim aduersarij pro causa sua allegant, partim etiam talia sunt, vt eis in speciem non parum fauere videantur.

PRIMVM est illud Cant. 8. *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, neq; flumina obruent illam.* Quod si charitas nõ potest extingui, certè nec fides, cùm sine fide charitas esse non possit. RESPONDEO, hoc testimonium non probat, non posse amitti charitatem, si quis velit etiam exuere, & cupiditatem in eius locum recipere, vt multi quotidie faciũt, quibus dicitur in Apoc. cap. 2. *Habeo aduersum te pauca, quia primam charitatem reliquisti. Memor esto vnde excideris.* Sed probat, manente charitate nullam esse tribulationem, quæ non facilè toleretur. Nam aquarũ nomine hoc loco tribulationes significari testantur Ambrosius, in li. 1. de Iacob, c. 7. Et Gregorius in com. huius loci, charitatem autem omnia tolerare docet Apostolus, 1. Cor. 13. *Charitas omnia suffert, omnia sustinet, benigna est, patiens est, &c.*

SECVNDVM testimonium Io. 4. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* RESPONDEO, eadem est vis huius testimonij, quæ superioris. Nam in quo manet gratia Dei, siue charitas, is non sitiet in æternũ, cùm habeat in se fontem viuum: tamen fons ille siccari, & obstrui potest, dum sumus in hoc loco tentationum. Etsi forte siccetur, id est, si excidamus à gratia, iuxta illud Galat. 5. *A gratia excidistis:* quid mirum, si iterum delectationes vanas, vrgente cupiditate, sitire incipiamus?

TERTIVM testimonium Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi?* Et infrà: *Certus sum, quia neq; mors, neq; vita, &c. poterit nos separare à charitate Dei.* RESPONDEO, S. Augustinus, in lib. 1. de moribus Ecclesiæ, c. 11. & sequentibus, explicans hunc locum, docet, hic explicari efficaciam, & potentiam charitatis, quæ si adsit in corde nostro, omnes tribulationes vincit, vt sensus totius illius sententiæ sit, nullum esse terrorem, qui possit efficere in homine, in quo ardeat charitas, vt Deum suum offendat: tamen ibidem idem Augustinus monet, posse in hac vita amitti charitatem, & ideo diligentissimè tantum bonum esse seruandum. Posset tamen etiam responderi, Apostolum hìc loqui in persona electorum, vt suprà diximus c. 9. in explicatione testimonij septimi.

QVARTVM testimonium 1. Cor. 13. *Charitas nunquam excidit.* RESPONDEO, Charitas nunquam excidit, quia non frangitur laboribus, sed omnia tolerat, vt exponit hoc loco S. Io. Chrysostomus. Rursus & magis ad literam, charitas ex se nunquam excidit, sed nos ab illa interdum excidimus. Ipsa (inquam) ex se nunquam excidit, quia & in hac vita, & in futura locum suum habet. Non sic autem fides, & spes, quæ post hanc vitam non erunt. Itaq; non significat Apostolus, nullum esse, qui charitatem amittat, sed ostendit, non repugnare charitati, vt semper vigeat, sicut id fidei, & spei repugnat.

QVINTVM testimonium 1. Ioan. 3. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen illius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* RESPONDEO, Variæ sunt huius loci, qui omnium est difficillimus, expositiones.

PRIMA est sancti Ambrosij, in commentario Isaiæ (vt S. Augustinus testatur lib. 4. ad Bonifacium, cap. 7.) Refert hæc expositio hunc locum ad statũ futuræ gloriæ, vt sensus sit, eos non posse peccare, qui nati sunt ex Deo, per secundam illam regenerationem, de qua dicitur Mat. 19. *In regeneratione cum sederit filius hominis, &c.* Vera est hæc doctrina, sed videtur Ambrosius potius alludere voluisse ad hunc locum, quàm eum ex proposito explicare. Apostolus enim Ioannes docet in eo capite, quo signo internosci possint in hac vita filij Dei, à filiis diaboli, & dicit, illud esse primarium signum, quod filij Dei non peccant, filij diaboli peccant, atque ita vtrique patrem suum imitantur, illi Deum, qui est ipsa iustitia, isti diabolum, qui ab initio peccat.

SECVNDA expositio est sancti Bernardi, in 1. sermone de septuagesima, & serm. 23. in Cantica, qui per semen Dei intelligit gratiam prædestinationis, ac dicit, prædestinatos non posse peccare, non quod reuera quandoque non peccent, sed quod perinde sit, ac si nunquam peccarent, cùm certum sit, eis peccata remittẽda esse, imo ipsa etiam peccata eis cooperentur in bonum. Hæc quoque expositio veram doctrinã continet: sed non explicat propriè sensum Apostoli, & credibile est, sanctum Bernardum, more suo vti voluisse scripturæ verbis, ad sententiam quandam veram explicandam, quamuis non eo loco intentam ab eo, qui verba illa conscripserat. Certè S. Ioannes sicut dicit, omnem, qui est natus ex Deo, non peccare: ita etiam dicit, omnem, qui facit iustitiã, ex Deo natum esse. Nec tamen significare voluit, omnem, qui facit iustitiam, esse prædestinatum. Præterea docere intendit Apostolus (vt diximus) quomodo discernantur filij Dei à filiis diaboli, non autẽ quo modo internoscantur electi à reprobis. Nam de electis, & reprobis ne verbum quidem facit, neque possunt in hac vita discerni, vt suprà docuimus.

TER

Universidad de Deusto
Biblioteca

TERTIA expositio est aliorum, qui docent, illud (*non potest peccare*) positum esse pro eo, quod est, non debet peccare. Refert hanc sententiam S. Augustinus, in lib. de natura, & gratia, cap. 14. Sed non videtur hæc sententia multum ad rem facere. Nam etiam qui non est natus ex Deo, non debet peccare. Nemo enim debet peccare, alioqui peccatum non esset, si fieri deberet.

QVARTA expositio est sancti Augustini, in lib. 2. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 7. de gratia Christi, c. 21. & alibi, qui refert hunc locum ad peccata venialia, vt sensus sit, eum, qui natus est ex Deo, non posse peccare etiam venialiter, quatenus est filius Dei, id est, quatenus operatur ex charitate: sed posse tamen eumdem peccare, quatenus idem ipse ratione corruptionis carnis est adhuc filius huius seculi.

Sed procul dubio melior est expositio QVINTA, quæ est eiusdem Augustini tract. 5. in epist. Ioannis, & Hieronymi lib. 1. aduersus Pelagianos, & lib. 2. aduersus Iouinianum. Hæc sententia docet, S. Ioannem loqui, de peccatis lethalibus, non de venialibus. N. distinguit filios Dei a filiis diaboli per hoc, quod est, peccare, & non peccare: non autem distinguuntur filij Dei, à filiis diaboli, id est, iusti ab impiis per hoc, quod iusti non peccent venialiter, & impij venialiter peccent. Igitur sententia Apostoli hæc est: Qui natus est ex Deo nō peccat, nec peccare potest lethaliter, dum perseuerat filius Dei, quoniam semen illius, id est, charitas, quæ omnibus peccatis lethalibus contraria est, in ipso manet. Charitas enim est plenitudo legis, ac per hoc nullo modo fieri potest, vt sit præuaricator, qui charitatem habet. Id quod de nulla alia virtute dici potest? Nam qui fidem habet, qui temperantiam habet, qui liberalitatem habet, qui fortitudinem habet, qui reliquas virtutes habet, potest qualibet earum retenta contra aliam peccare: at qui charitatem habet, non potest ea retenta contra aliam virtutem peccata committere, quoniam charitas virtutes omnes continet. Benigna est, pariens, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, &c. Quare ipsa sola certissima nota, qua discernuntur filij Dei a filiis diaboli.

Ex quo intelligimus, omnia quinque testimonia pro immobilitate charitatis adducta, excellentiam charitatis probare, non autem immobilitatem: quoniam si maneat, efficit vt homo non peccet, nec possit peccare: tamen potest non manere, si quis (vt diximus) eam abiiciat, & cupiditati sponte succumbat.

CAPVT XVI.

Non esse omnes iustos inter se pares.

QVARTVS restat error breuiter refellēdus. Nam vt initio diximus in eo conueniunt LVTHERANI, vt dicant, omnes iustos æqualiter esse iustos, ita vt neq; vnus sit iustior alio, neq; idē homo in iustitia crescat. Similē errorē docuit olim IOVINIANVS, teste sancto Hieronymo, in lib. 2. aduersus Iouinianum: quamuis non ex fundamento eodē. Iouinianus enim docebat virtutes esse pares, & peccata etiam paria, iuxta antiquā sententiā Stoicorum. Lutherani verò non dicunt (quod sciā) virtutes esse pares, aut peccata paria, neq; negant, posse hominē crescere in fide, spe, dilectione, aliisq; virtutibus, neq; dicunt, nō esse vnum alio maiorem quod attinet ad eiusmodi virtutes: sed affirmant, per has virtutes neminē iustificari, ac per hoc crescere in fide, & charitate, non esse crescere in iustitia: & ex eo quòd alius alio fide, & charitate sit maior, non effici, vt vnus sit alio iustior, quandoquidem vna, & eadem Christi iustitia fide apprehensa, atque à Deo imputata omnes iustificari docent.

Nos igitur primùm aduersus Iouinianum proferemus pauca quędam testimonia scripturarum, & Patrum: deinde alia quædam seorsim aduersus Lutheranos.

Quod attinet ad IOVINIANVM, euidenter refellitur error ipsius ex his testimoniis. Iob. 1. *Numquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra?* 1. Reg. 9. *Non erat vir de filiis Israël melior illo.* Eccl. 44. *Non inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi.* Psal. 83. *Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo, disposuit in valle lachrymarum in loco, quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, &c.* Quem locum tractans S. GREGORIVS, hom. 15. in Ezechielem: *Non mirum* (inquit) *si de virtute in virtutem gradus sunt, quando ipsa vnaquæq; virtus quasi quibusdam gradibus augetur, & sic per incrementa meritorum ad summa perducitur.* Luc. 17. Apostoli petunt sibi fidem augeri. Ex quo loco ducit argumentum S. HIERONYMVS, lib. 2. in Iouinianum: *Quare* (inquit) *dicunt Apostoli, Adauge nobis fidem, si omnium vna mensura est?* Matth. 11. *Non surrexit maior Ioanne Baptista.* Mat. 8. *Non inueni tantam fidem in Israel.* Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

Huc pertinent variæ similitudines. Nam Mat. 13. comparatur Ecclesia terræ, quæ pro varia dispositione alicubi reddit fructum tricenum, alicubi sexagenum, alicubi centenum. Rom. 12. & 1. Cor. 12. comparatur Ecclesia corpori humano, in quo sunt varia membra, alia sublimiora, alia inferiora, alia nobiliora, alia viliora. 2. Tim. 2. alia non minus aptа similitudine dicuntur in domo Dei esse vasa aurea, & argentea, lignea, & fictilia. Et sine dubio præstantiora sunt aurea, quàm argentea, & argentea, quàm lignea, vel fictilia. Quo etiam spectat illa similitudo eiusdem Apostoli, 1. Corin. 3. de his, qui supra fundamentum fidei ædificant aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulas.

Deniq; idem probant omnia testimonia, quæ docent, præmia in cœlo non esse paria: vt illud Io. 14. *In domo patris mei, mansiones multæ sunt.* Et 1. Cor. 15. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum, & stella differt à stella in claritate, &c.* Neq; his repugnat, quod Mat. 20. dari videtur idem præmium omnibus operariis, videlicet denarius quidam diurnus. Nam denarius ille significat æqualitatem æternitatis, non gloriæ, & excellentiæ.

Pulchrè S. AMBROSIVS, lib. 7. in Lucam, exponens c. 15. *Æqualem* (inquit) *dignatus soluere mercedem æqualem mercedē vitæ, non gloriæ.* Itaq; datur omnibus idē denarius, quoniā sancti omnes sine fine regnabunt, quamuis non omnes eadē eminentia regnabunt. Quemādmodū commune stellis omnibus est perpetuò fulgere in cœlo, tametsi aliæ aliis clarius micent. Atq; hoc modo locum istum exponunt sancti Patres, Ambrosius loco citato, Hieronymus lib. 2. in Iouinianū. Augustinus lib. de sancta Virginitate, c. 26. Gregorius lib. 4. Moral. c. 42.

At (inquies) si denarius diurnus non significat omnino par præmium, vnde murmurabant operarij, qui plus laborauerant, quod eamdem mercedem acciperent cum iis, qui minus laborauerant? Introducitur murmur illud in parabola, non quod in cœlo vllum futurum sit murmur: sed vt ostendatur, nullam esse in Deo iniquitatem, si cum aliis liberalior, quàm cum aliis esse velit. Et si (quod fieri non potest) murmur inter beatos oriretur, illud esse planè iniustum. Non enim facit Deus iniuriam ei, cui debitam mercedem reddidit, si parem, vel maiorem alteri ex benignitate donauerit.

Ad hæc testimonia scripturæ addi possunt testimonia Patrum. S. AMBROSIVS, in epist. 81. ad Siricium: *Agrestis* (inquit) *vlulatus est, nullam virginitatis gratiā, nullum castitatis ordinem seruare, promiscuè omnia velle confundere, diuersorum gradus abrogare meritorum, & paupertatem quandam cœlestium remunerationum inducere, quasi Christo vna sit palma, quam tribuat, nec plurimi abundent tituli meritorum.*

S. HIERONYMVS lib. 2. aduersus Iouinianum, ex instituto hoc agit, vt superuacaneum sit testimonium eius adducere.

S. Av

S. AVGVSTINVS in epist. 57. ad Dardanum: *Deus* (inquit) *totus adesse rebus omnibus potest, & singulis totus: quamuis in quibus habitat, habeant eum pro sua capacitatis diuersitate alij amplius, alij minus, quos ipse sibi dilectissimum templum gratiæ suæ bonitatis ædificat.* Et ibidem: *Vnde in omnibus sanctis sunt alij aliis sanctiores, nisi abundantius habendo habitatorem Deum?*

S. GREGORIVS lib. 4. Moralium, cap. 42. *Quia* (inquit) *in hac vita nobis est discretio operum, erit procul dubio in illa discretio dignitatum, vt quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat.* Atque hæc in Iouinianum.

Nunc aduersus LVTHERANOS PRIMO pugnat illud Prouerb. 4. *Iustorum semita quasi Lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* Hic enim describitur iustitiæ ipsius progressus per similitudinem lucis, quæ ab aurora progreditur ad meridiem. Sicut enim vera lux est, quæ fulget in aurora, & semper augetur, & crescit vsque ad perfectionem meridianam: sic etiam vera iustitia est in hominibus iustificatis, & ea tamen semper magis, ac magis augetur, donec ad perfectionem beatorum in cœlesti felicitate pertingat.

SECVNDO, illud Apostoli, 2. Corint. 9. *Augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* Quomodo enim Deus augebit incrementa frugum iustitiæ nostræ, si nulla est in nobis iustitia, nisi Christi, quæ augeri non potest?

TERTIO, illud sancti Ioannis in Apocalypsi, cap. vlt. qui iustus est, iustificetur adhuc, & qui sanctus est, sanctificetur adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc. Quis autem dubitat, eos, qui in sordibus sunt, verè posse adhuc sordescere, & vnum esse sordidiorem alio? cur igitur non concedunt, posse etiam iustos effici iustiores, & vnum alio in iustitia esse maiorem?

QVARTO, pugnant aduersus eos omnia loca, in quibus dicitur charitas augeri, & in vno maior esse, quàm in alio, vt Io. vlt. *Diligis me plus his?* Et Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum:* Et: *Cui minus dimittitur, minus diligit.* Et Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Et 1. Io. 4. *Perfecta charitas foras mittit timorem:* Et: *Qui timet, non est perfectus in charitate.* Nam secundùm scripturas, iustitia nihil est aliud nisi charitas. Nam 1. Io. 3. Apostolus pro eodem accipit esse iustum, & diligere: *In hoc* (inquit) *manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli. Omnis qui non est iustus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum. Quoniam hæc est annūciatio, quam audistis ab initio, vt diligatis alterutrum.* Et ibidem: *Qui non diligit, manet in morte.* Et: *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Item Apostolus Paulus cum ait, Rom. 14. *Regnum Dei est iustitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Per iustitiam intelligit charitatem, cuius proprij sunt effectus pax, & gaudium, iuxta illud Gal. 5. *Fructus autem Spiritus sunt, Charitas, gaudium, pax.* Et Dominus Matth. 5. cùm admonet, vt iustitia nostra abundet plusquam Scribarum, & Pharisæorum, præcipuè loquitur de charitate. Scribarum enim & Pharisæorum iustitia erat, diligere amicos, & odio prosequi inimicos: iubet autem Christus, vt diligamus etiam inimicos, & sic iustitia nostra abundet plusquam Scribarum, & Pharisæorum. Itaq; cùm aduersarij non negent, disparitatem esse charitatis in regeneratis: non possunt etiam negare, disparitatem esse iustitiæ, nisi verbo repugnare velint.

QVINTO, pugnant contra eos omnia loca, quæ docent, in cœlo varietatem esse præmiorum, & coronarum, quæ suprà citata sunt contra Iouinianum. Nam præmia regni cœlorum propriè iustis parata sunt, vt Dominus ait, Mat. 25. *Ibunt iusti in vitam æternam.* Et Philip. 3. Apostolus vocat beatitudinem *brauium supernæ vocationis.* Et apertiùs, 2. Tim. 4. vocat *coronam iustitiæ, quam reddit iustus iudex.* Quare si diuersitas est in cœlo præmiorum, sine dubio diuersitas est in terra meritorum, & si varia est corona iustitiæ, varia quoque est ipsa iustitia. Non sunt igitur omnes regenerati æquè iusti.

Accedant vlt. testimonia sancti AVGVSTINI, serm. 16. de verbis Apostoli: *Iustificati* (inquit) *sumus: sed ipsa iustitia dum proficit, crescit.* Item in epist. 29. ad Hieronymum: *Induti sunt sancti iustitia alius magis, alius minus.* Item tract. 6. in Ioannem: *Ipsi* (inquit) *spiritales sancti in Ecclesia, sunt alij aliis sanctiores, alij aliis meliores.*

Argumenta contraria nulla remanent hoc loco soluenda, quoniam non alia sunt, quàm quæ in libro superiore dissoluimus. Quibus videlicet inhærentem iustitiam oppugnare, & imputatitiam propugnare aduersarij nitebantur.

LIBER

Universidad de Deusto
Biblioteca

LIBER QVARTVS, DE IVSTIFICATIONE, QVI EST DE IVSTITIA OPERVM.

DE IVSTITIA ACTVALI, SIVE OPERVM QVATVOR SVNT QVAESTIONES, VNA de necessitate, ALTERA de veritate, TERTIA de merito, QVARTA de perfectione. Dissidemus enim ab Hæreticis huius temporis PRIMVM, an sint hominibus iustificatis opera necessaria ad salutẽ, cũ qua quæstione fere coincidit illa, Vtrum iusti legẽ Dei seruare teneantur, & quid interfit inter legem & Euangeliũ. DEINDE, dissentimus de ipsa veritate iustitiæ actualis, id est, vtrum opera iustorum sint vere iusta, ita vt coram Dei iudicio comparere audeant, cum qua quæstione coincidit illa, possit ne homo iustus legem diuinam ita implere, vt in eo opere peccatum prorsus non admittat. TERTIO, contendimus de meritis operum bonorum, vtrum ex iustitia digna sint retributione. QVARTO, disceptamus de perfectione iustitiæ, sed ea duobus in locis à nobis explicata est, in libro de Monachis, & in libro de distinctione peccati mortalis, & venialis.

CAPVT PRIMVM.

Quod Hæretici huius temporis negent operum necessitatem.

VTIGITVR à PRIMA QVAESTIONE incipiamus, explicanda est sententia aduersariorum de necessitate operum. Siquidem multi ipsorum aliud loquuntur, aliud sentiunt. Non desunt enim, qui clament iniuriam Lutheranis fieri, cùm dicuntur opera bona, tanquam non necessaria ad salutem contemnere.

AC PRIMVM confessio ipsa Augustana art. 20. falsò dicit accusari suos, quod bona opera negligant, vel prohibeant. Philippus quoq; in locis, Brentius in Catechismo, Kemnitius in Examine Conc. sess. 6. prope finẽ. Caluinus lib. 3. Instit. c. 16. Et ipse etiam Lutherus, in lib. de visitatione Saxonica, docent opera bona esse facienda, & aliquo modo indicant esse necessaria, cùm affirment, veram fidem non esse, quæ nõ parit opera bona, & quæ charitatem comitem non habet. Deniq; in Colloquio Altemburgensi Maioristæ, siue Electorales disertis verbis docent, opera bona esse ad salutem necessaria, non quidem necessitate efficientiæ, sed necessitate præsentiæ: Illiriciani autẽ, siue Saxonici non negant opera esse necessaria necessitate præsentiæ: sed temen propter scãdalum, & periculum contendunt, istam propositionem, opera sunt necessaria ad salutẽ, non esse in Ecclesia tolerãdam.

Cæterum quidquid sit de modis ipsorum loquendi, cùm excutiuntur ipsorum principia, & pleraq; dicta, & scripta Lutheri, videntur omnino existimare posse hominem saluari, etiamsi nulla bona opera faciat, nec mandata diuina custodiat. Quod his argumentis probo.

PRIMVM, ex verbis disertis Prophetæ ipsorum Lutheri, qui affirmat mala opera credenti nihil nocere. Sic enim loquitur in libro de libertate Christiana: *Bona opera non faciunt bonum virum, nec malum mala.* Et paulò post: *Vt infideli nullum bonum opus prodest ad salutem, & iustitiam: sic è diuerso nullum malum opus facit malum, & damnatum, sed sola incredulitas.* Idem in serm. Sic Deus dilexit mundum: *Vbi fides est* (inquit) *nullum peccatum nocere potest.* Et in lib. de captiuitate Babylonica, cap. de Baptismo: *Vides* (inquit) *quam diues sit homo Christianus, vel baptizatus, vt etiam volens non possit perdere salutem suam, quantiscunq, peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata possunt cum damnare, nisi sola incredulitas.* Hæc & similia manifestè docent, omnia bona opera posse tutò omitti, ac per hoc non esse necessaria. Nam si quæuis peccata non faciunt hominem malum, neq; ipsum damnant: quare non possunt omitti? Et si possunt omitti, quare sunt necessaria?

In comment. ad cap. 2. ad Galat. *Quando* (inquit) *sic docetur, fides in Christum iustificat quidem, sed simul seruari oportet mandata Dei, quia scriptum est. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: ibi statim Christus negatus est, & fides abolita, quia mandatis Dei, siue legi tribuitur quod est solius Dei.* Item in sermone de nouo testamento, siue de Missa: *Caucamus* (inquit) *à peccatis, sed multo magis à legibus, & operibus bonis: tantum attendamus Dei promissionem & fidem.*

Denique in serm. citato, sic Deus dilexit mundum: *Ego* (inquit) *dico tibi, quia angusta est via: oportet te fieri tenuem, si vis per eam venire. Cæterum qui operibus onerati sunt, sicut conchilibus onustos videmus Iacobi peregrinos, vt non potuerint penetrare.* Et infrà: *Si veneris cum magnis saccis operum plenis, deponere oportebit, aliequi non poteris penetrare.*

Hæc & similia, quæ in Lutheri scriptis contra studium operum bonorum passim leguntur, satis indicant mentem eius: & quomodocunq; excusentur, certè magnam vim habent ad persuadendum simplici populo, & ad malum propenso, non esse facienda opera bona.

SECVNDO, idem probatur ex illo communi ipsorum dogmate, quod omnia opera iustorum sint ex natura sua peccata mortalia, vt patet ex Luthero in assert. art. 31. 32. & 36. Et ex Caluino lib. 3. Instit. c. 12. §. 4. & cap. 14. §. 9. Nam si bona opera sunt peccata mortalia, & tamen propter fidem non imputantur, certè poterunt etiam mala opera propter fidem non imputari: ac per hoc non nocere. Neq; erit causa cur vitentur. Atque hoc est, quod dicit Lutherus, in captiuitate Babylonica, loco citato, omnia peccata in momento à fide absorberi.

Dicent fortasse, mala opera non posse cum fide consistere, quoniam qui habet propositum peccandi, non potest concipere fiduciam remissionis peccatorum: & ideo fides vera semper est cum charitate coniuncta. AT contra, nam si hoc esset verum, non possent etiam opera, quæ dicuntur bona cum fide consistere. Nam opera bona non sunt bona (ex ipsorum sententia) nisi nomine, & secundùm quid, re ipsa verò, & simpliciter sunt peccata mortalia. Quare qui habet propositum faciendi eleemosynam, quoniam scit hoc se non posse facere, nisi peccando mortaliter, habet propositum peccandi mortaliter: atqui hoc propositum cum fide consistit, imo propter fidem non reputatur peccatũ: igitur eodem modo qui habet propositum furandi poterit simul habere fidẽ, & propter eam fidem furtum non reputabitur ad peccatũ. Sequitur igitur ex hoc ipsorum dogmate, vt re vera nõ sint necessaria bona opera ad salutẽ, sed perinde sit vtrũ quis amet coniugem suam, an alienã, vtrum furetur, an doneт.

TER.

TERTIO, idẽ probamus ex discrimine legis, & Euãgelij. Nam ex doctrina ipsorum communi hoc interest inter legem, & Euãgelium, quod lex proponit iustitiam, & salutem cum conditione totius legis implendæ: Euangelium promittit iustitiam, & salutem sine vlla conditione, sed absolutè, vel cũ sola conditione fidei. Et hinc deducunt alterum discrimen, quod lex terret, Euangelium consolatur. Ita docet Lutherus passim in comment. ad c. 2. ad Galat. & alibi, Philippus in locis, tit. de lege, & de Euangelio, & alij. Et in Colloquio Altemburgensi ita loquuntur Saxonici: *Legis promissiones sunt conditionales: proponunt enim cum conditione obedientiæ: sed promissiones Euãgelij nõ sunt conditionales, sed gratuitæ.* AT si Euangeliũ nullam requirit conditionem obedientiæ: sed est sola fide contentum: certè qui nihil boni faciat, consentaneè ad Euangelium viuet.

Quod si dicas, Euãgelium non requirit conditionem operum, fides tamen requirit; non enim erit fides, nisi pariat bona opera: sequetur aut fidem non esse conformem Euangelio, aut Euangelium si non immediatè, saltẽ mediatè requirere conditionem operum. Quomodo enim fides si requirit opera, non erit potius ex lege, quàm ex Euangelio? aut si Euangelium requirit fidem, & fides requirit opera, nonne etiam consequenter Euangelium requirit opera? Quare vel inane est discrimen quod frequentissimè tradunt inter legem, & Euangeliũ, vel cogũtur dicere, absolutè nulla bona opera necessaria esse ad salutem; & consolationem magnam ex Euangelio percipere, & iusticari, & saluari etiam eos, qui voluntariè in sceleribus perseuerant.

QVARTO, probamus idem ex libertate Christiana, quam ipsi communi consensu docent. In eo si quidem libertatem Christianam constituunt, quod homo iustus sit liber à debito legis implendæ coram Deo, & per hoc omnia opera sint illi iã indifferentia, id est, nec præcepta, nec prohibita. Quod necessario colligunt ex alio principio, quo docẽt legis obseruationem esse etiã iustis penitus impossibilẽ. Nam si lex impossibilis est, nisi tollatur debitum eius implendæ, omnes damnabit. Ne igitur iusti damnentur, ab eius iugo, & debito liberantur.

Ita docet Lutherus, tum in libro de libertate Christiana, tum in commẽt. epistolæ ad Galat. tum in sermone de Mose. *Sola fides* (inquit in ca. 2. ad Galat.) *necessaria est, vt iusti simus, cætera omnia liberrima, neque præcepta amplius, neque prohibita.* Ibidem: *Si conscientia dicat, peccasti, respondeo, peccaui: ergo Deus puniet, & damnabit? Non: At lex hoc dicit. Sed nihil mihi cum lege. Quare? Quia habeo libertatẽ.* Et in argumento eiusdem epistolæ: *Summa ars* (inquit) *& sapientia Christiana est, nescire legem, ignorare opera, & totam iustitiam actiuam.* Et in lib. de libertate Christiana: *Nullo opere, nulla lege homini Christiano opus est, cum per fidem sit liber ab omni lege.*

ET CALVINVS lib. 3. Instit. ca. 19. §. 2. 4. & 7. tribus in rebus libertatem Christianam ponit, PRIMVM in eo, quod vbi fiducia iustificationis quæritur, nulla legis, vel operũ ratio habeatur. DEINDE in eo, vt opera bona non fiant tamquã examinanda ad regulã legis, sed tamquam certò acceptanda à Deo qualiacũque sint. DENIQVE in eo, vt omnium rerum externarum vsus habeatur pro indifferenti, ita vt homo nulla religione tangatur, siue eas vsurpet, siue relinquat. Ex hac doctrina quis non videt, quàm lata porta sceleribus, & flagitiis omnibus patefiat? Et quis ambigat, nulla esse opera bona necessaria ad salutem: si res omnes externæ, proinde etiam Baptismus, & Eucharistia, adiaphoræ sunt, & nihil ad legis regulam examinandum est?

QVINTO, probamus ex vita, & moribus Lutheranorum, qui occasione huius doctrinę ita cœperunt incredibili licentia in omnia scelera, & peccata prorumpere, vt necesse fuerit, Lutherum ipsum Visitationem instituere, & laudare opera bona, atque ad ea populos adhortari. Sed quàm parum feliciter id ei successerit, scribit Ioannes Cochleus in eius vita. Rectè igitur, id est, consentaneè ad Lutheri dogmata in Colloquio Altemburgensi dixerunt quidam ex rigidis Lutheranis: *Opera bona, & nouam obedientiam non ad regnum Christi, sed ad mundum pertinere.* Item: *Ad Satanam spectare Christianos cum operibus bonis.* Item: *adeo non esse necessaria opera bona, vt etiam ad salutem incommodẽt, sintq, perniciosa.* Denique: *precari oportere, vt in fide sine omnibus operibus bonis, vsque in finem perseueremus.* Vide Petrum Canisium in lib. 1. de corruptelis verbi Dei, cap. 10. vbi multa huius generis ex aduersariorum libris refert.

CAPVT II.

Refutatur falsum discrimen legis, & Euangelij, & inde probatur operum necessitas.

NVNC vt errorem omnium perniciosissimũ refellamus: PRIMO probabimus, in Euangelio cõtineri doctrinam operum, & leges varias, eiusq; promissiones requirere conditionem legis implẽdæ. DEINDE, Iustos non esse liberos ab obseruatione legis diuinæ. POSTREMO, opera bona simpliciter ad salutem esse necessaria.

Igitur SCIENDVM est Euangeliũ DVOBVS modis accipi posse, VNO modo pro doctrina, quam Christus, & Apostoli prædicarunt, & in libris Euangelistarum, aliisque Apostolorum scriptis continetur. ALIO modo pro gratia noui testamenti, quæ & lex scripta in corde, & spiritus viuificans, & lex fidei dici solet, quamuis (vt verum fatear) nomen Euangelij non videatur in scripturis vsquã accipi, nisi priore modo, id est, pro doctrina. Et quidem, si loquamur de gratia noui testamenti, non distinguitur lex ab Euangelio, quòd lex requirat opera, Euãgelium non requirat opera, sed quòd lex doceat quid sit faciendum, Euangelium præbeat vires ad faciendum: inde enim dicitur lex scripta esse in tabulis, Euangelium in cordibus. De quo discrimine copiosè scribit sanctus Augustinus in lib. de Spiritu, & litera ad Marcellinum. in epist. 200. ad Asellicum, & alibi.

Neque de hac acceptione hoc loco controuertia est. Nam ipsi etiam aduersarij, cùm de discrimine legis, & Euangelij disserunt, nomine Euangelij non gratiam ipsam, sed prædicationem Christi, & Apostolorum intelligunt, quam ideo Euangelium, id est, bonum nũcium aplatam esse dicunt, quoniam nihil nisi consolationem annunciat. Nos verò cõtendimus Euangelio contineri illa omnia, quæ aduersarij soli legi tribuũt, quæ sunt præciputè tria, leges propriè dictæ, comminationes, & promissiones cum conditione obedientiæ.

Quod attinet ad leges propriè dictas, id probamus ex c. 5. Matth. vbi Dominus confirmat, explicat, & perficit legem Mosis de homicidio, adulterio, periurio, & similibus rebus. Nam quod re vera Dominus eam legem, vt à se explicatam seruari velit, perspicuum est. PRIMO, ex modo illo loquendi: *Ego autem dico vobis.* Quæ verba Legislatorem propriè decent.

SECVNDO, ex eo quod Dominus ait: *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Si enim nulla esset in Euangelio legis obligatio, sustulisset Dominus legem veterem, etiam quoad præcepta moralia.

TERTIO, ex eo quod dicitur Matth. 7. in fine: *Quod erat docens sicut potestatem habens, non sicut Scriba, & Pharisæi.* Id est, sicut Legislator, qui ex auctoritate leges interpretatur, vel mutat, vel addit, non sicut Legisperitus, qui solum ex scientia legem explicat.

QVARTO, ex eo quod concludit: *Si quis ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Non igitur Dominus solùm explicat legem veterem, sed etiam iubet eã seruari,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod attinet, ad præcepta moralia. Alioqui non diceret, qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cœlorum.

PRAETEREA, si lex vetus moralis ad Christianos nõ pertineret, quare Dominus tam accurratè illam exponeret, & perficeret? Nam Euangelium Christi ociosè in rerum inutilium explicatione consumi debuit? Vide plura de hoc argumento infra capite tertio.

Quod attinet ad ALTERVM de comminationibus, & terroribus: quæ maior comminatio excogitari potest, quàm illa Dominico ore prolata, Matt. 5. *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis?* Et Matth. 7. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Similes autem comminationes habentur in Euangelio passim, Matthæi 22.23.25. Marci. 9. Lucæ 12.

Sed respondent aduersarij, comminationes quæ in Euangeliis reperiuntur, ad legem pertinere, sicut etiam contra, promissiones remissionis peccatorum, quæ legũtur in Prophetis, ad Euangelium. A T certè coguntur ita dicere qui Euangelium sola consolatione definiunt. Sed cogitent, an non latius esset, corrigere definitionem illã, quàm dicere maximam partem sermonum Christi non esse Christi verba, sed Mosis: & Christum in Euangelio nihil minus, quàm Euangelium prædicare.

Deinde, nonné Apostolus Paulus ad Rom. 1. & 2. ipsi Euangelio tribuit officium terrendi? *Non erubesco* (inquit cap. 1.) *Euangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudæo primum, & Græco. Iustitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem. Sicut scriptum est, Iustus autem ex fide viuit. Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem, &c.* Ista revelatio irę Dei manifestè tribuitur Euãgelio, revelatur enim in Euangelio iustitia Dei ex fide, vt iustificati euadant iram Dei, quam idem Euangelium omnibus impiis imminere testatur. Vnde in 2. capite, idẽ Apostolus ait: *In die cum iudicabit Dominus occulta hominum, secundum Euangelium meum.*

Ad hæc, Nonné Apostolus Petrus in die Pentecostes, accepto Spiritu sancto Euangelium prædicauit: Quis autem fuerit eius prædicationis effectus, docet sanctus Lucas, Actor. 2. cùm ait: *His auditis compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos, Quid faciemus viri fratres?* Euangelium igitur non solùm consolatur, sed etiam terret. Compunctio enim ex terrore nascitur.

Nec solùm Petrus, sed etiam Paulus cùm Euangeliũ prædicaret, homines terrefaciebat. Sic enim scribit idẽ Lucas, Actor. 24. *Veniens Felix cum Drusilla uxore sua, quæ erat Iudæa, vocauit Paulum, & audiuit ab eo fidem, quæ est in Christum Iesum. Disputante autem illo de iustitia, & castitate, & de iudicio futuro, tremefactus Felix respondit, quod nunc attinet, vade, &c.* Non audebunt (credo) Lutherani dicere, Paulum vocatum, vt prædicaret fidem Christi, pro fide legem, pro Christo Mosem, pro Euangelio aliquid Euangelio contrarium prædicasse: & tamen finis prædicationis fuit terror, & tremor audientium.

Quid sanctus Iacobus? An ipse quoque Euangelium non prædicabat, cùm scriberet in epistola sua, c. 5. *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miseriis, quæ aduenient vobis?* Et Frater eius Iudas item Apostolus, quid nisi Euangelium prædicabat, cùm in epistola sua scriberet: *Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorũ?*

Denique sanctus Ioannes Apostolus, & Euangelista in Apocalypsi, c. 14. *Vidi* (inquit) *alterum Angelum volantem per medium cœli, habentem Euangelium æternum, vt euãgelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum dicẽs magna voce, Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius.*

Cùm igitur Christus, & omnes Apostoli euangelizãdo terreant, & in Symbolo Apostolico, quod Euangelij summam continet, sit etiam articulus vnus de futuro iudicio, falsò docent Lutherani, proprium esse legis officium terrere, & ad Euangelium non pertinere.

AT si res ita se habet (inquiunt) *cur Apostolica prædicatio dicitur Euãgeliũ, id est, lætus, & bonus nuncius? Et cur sanctus Paulus ad Rom. 8. scribit, nos non accepisse Spiritum seruitutis iterum in timore?* RESPONDEO, Nomen Euangelij impositum est ad significandum officium vnum, idque potissimum Apostolicæ prædicationis: sed non propterea sequitur non esse etiam alia officia Euangelij, quamuis eo nomine non explicentur. Quomodo clauis dicitur quia claudit, & tamen etiam aperit; & lingua dicitur instrumentum lingendi, quod est tamen instrumentum etiam loquendi.

Dicitur igitur Euangelium. quia annunciant Saluatoris aduentum, reconciliationem cum Deo, aditum patefactum ad regnum cœlorum. Vnde etiam dicitur Euangelium Regni, Matth. 24. Et Marci 1. Sed simul etiam annunciat iram, & indignationem his, qui non recipiunt Saluatorem, neque pœnitentiam agunt. ADDE quod Euangelium terret, vt consoletur, quo modo medicus vulnerat vt sanet. Quod non tam propriè conuenit legi Mosis, quæ terrebat comminando supplicia peccatoribus, & non ostendebat nisi obscurè liberatorem.

Quod autẽ attinet ad spiritum timoris, & caritatis non colligitur inde discrimẽ inter legẽ, & Euangelium, quatenus Euangelium significat doctrinam Christi, & Apostolorum; secundùm quam acceptionem nos hic loquimur de Euangelio; sed inter testamentum nouum, & vetus. Nam testamentũ vetus propriè nõ cõtinet, nisi quod Moses attulit, id est, legem scriptã in tabulis, quæ quidẽ in seruitutem generat, vt dicitur ad Galat. 4. Et timorem incutit, quoniam ostendit quid facere oporteat, & non dat vires faciendi: at nouum testamentum continet id, quod Christus attulit: Christus autem non attulit solùm doctrinam, & præcepta Euangelica, quamuis hæc etiam attulerit, sed gratiam quoque Spiritus sancti, quæ est lex in corde scripta, id est, caritas in corde diffusa, per quam non timore pœnæ, sed amore iustitiæ lex in tabulis conscripta seruatur. Atque hoc discrimen indicat Apostolus ad Rom. 8. ad Gala. 4. ad Hebr. 8. & 10. Et S. Augustinus, in libro contra Adimantum, c. 17. breuissimam differentiam esse scripsit, non legis, & Euangelij, sed testamenti veteris, & noui timorem, & amorem.

Veniamus ad TERTIVM discrimen, quod est huius loci maximè proprium. Igitur promissiones Euangelicas conditionales esse, non absolutas, probatur PRIMO ex c. 5. Matthæi: *Nisi abũdauerit iustitia vestra plusquã Scribarũ, & Pharisæorum non intrabitis in regnum cœlorum.* Hęc certè promissio est Euangelica, cùm regnum cœlorum comprehendat. Et tamen requirit conditionem iustitiæ non imputatitiæ, sed actualis, & operosæ, quę in perfecta mandatorum obseruatione consistit. Explicat enim Dominus quid sit, iustitiam nostram abundare plusquã Scribarum, & Pharisæorum, cùm dicit, Pharisæorum, & Scribarum iustitiam fuisse diligere amicos: non occidere, non mœchari, non peierare: nostram autem esse debere, diligere etiam inimicos: nõ irasci sine causa: non videre vxorem alienam ad concupiscendum, non iurare omnino absque necessitate.

SECVNDO, probatur ex c. 19. Matthæi: *Si vis ad vitã ingredi, serua mandata.* Hæc enim apertissima promissio vitæ æternæ, apertissimam conditionem exigit obedientiæ. Et similis habetur promissio, Luc. 10. vbi cùm is, qui Dominum rogauerat, quid facto opus esset ad vitam æternam acquirendam, mandata legis exposuisset, Dominus ait: *Rectè respondisti, hoc fac, & vives.*

Ad hæc loca respondent aduersarij, Dominum hæc dixisse ironicè, cùm solùm significare vellet, fieri nõ posse, vt aliquis mandata diuina custodiat: quomodo si quis diceret, si vis in cœlum conscendere, vola per aërem: vel hoc fac, assume pennas sicut columbæ, & altissimè volabis. Ita docet LVTHERVS, in comment. ad cap. 3. ad Galat. explicans illud: *Qui fecerit ea, viuet in illis.* Quæ verba dicit esse intelligenda ironicè, sicut illa Christi: *Hoc fac, & vives.*

Sic etiam CALVINVS lib. 3. Instit. cap. 18. §. 9. dicit Christum attemperare solitum sua responsa iis, qui eum interrogabant: & quoniam Legisperitus persuasione legalis iustitiæ imbutus erat, & in operum fiducia cæcutiebat, ideo à Christo ad legis obseruationẽ esse remissum. Idem quoque in antidoto Concilij exagitans illud quod monet Concilium sess. 6. cap. 7. catechumenis dicendũ esse, si vis ad vitam ingredi serua mandata; *Væ* (inquit) *eorum catechumenis, si tam dura illis conditio imponitur. Quid enim aliud, quàm æterna illis maledictio indicitur?*

Porrò Ioannes Brentius hom. 1. in Dominic. 13. post Trinitatem audet etiam dicere, Christum sic respondisse, cùm ait: *Si vis ad vitam ingredi serua mandata*, vt potius indicauerit ei viam ad æternam damnationem. Ita videlicet isti verbi Dei simplicita em peruertunt, & ad suos errores, & blasphemias detorquere conantur.

At multis de causis nihil eos confícta ista ironia iuuare poterit. PRIMVM, quoniam si ironica esset responsio, ideo talis esset, quoniam ad Legisperitos, vel Pharisæos dirigitur: igitur cũ Dominus Apostolos suos alloquitur, non ironicè, sed propriè, & seriò loquitur. Audiant ergo quid Apostolis suis dicat, Ioã. 13. *Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.* Io. 15. *Vos amici mei eritis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Et illud quod ante citauim⁹, Matt. 5. *Nisi abũdauerit iustitia vestra, &c.* Et c. 6. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cœlestis peccata vestra, si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis.* Hæc, & similia non possunt eludi per ironiam, & tamen promissiones continent, cùm conditione operum bonorum, & obedientiæ legis.

SECVNDO, is cui Dominus dixit, si vis ad vitam ingredi serua mandata, non erat Scriba, nec Pharisæus, aut Legisperitus, sed Adolescens quidam dives: Matthæus enim c. 19. adolescentem vocat, & diuitem fuisse narrat. Marcus cap. 10. non meminit, nisi diuitiarum. Lucas c. 18. principem appellat. Legisperitum, Scribam, aut Pharisæum, nullus Euangelistarum nominat. Præterea non venit ille vt Christum tentaret, sed vt simpliciter viam salutis addisceret. Nam tentationis hoc loco nulla mentio est: & Marcus scribit eum genu flexo rogasse Dominum de via salutis. Et addit: *Intuitus eum Dominus, dilexit eum.* Certè tam adolescentis erga Christum humilitas, quàm Christi erga adolescentem beneuolentia manifestè indicant serium fuisse colloquium: neque vllam ironiæ suspicionem subesse.

TERTIO is, cui Dominus dixit: *Hoc fac & vives.* Luc. 10. Legis quidem peritus erat, & Dominum tentaturus accessit: sed nõ propterea sequitur, vt ironicè Dominus illi responderit. Nam tentatio illa non erat ad fallendum, sed ad inquirendũ quid Dominus de via salutis sentiret, quidue doceret: id quod intelligi potest, TVM ex eo quod Dominus illi ait: *Rectè respondisti, hoc fac, & vives.* Quomodo enim Dominus diceret, rectè respõdisti, ei quem hypocritam, & tentatorem subdolum esse cognosceret? TVM ex eo quod ibidem Dominus, vt illũ magis instrueret, parabolam adiecit de eo, qui incidit in latrones, & cùm narrasset opus misericordiæ, quod in eũ Samaritanus quidam exercuit, ait ad Legisperitum: *Vade, & tu fac similiter.* Vbi nullo modo ironiam suspicari fas est, nisi velimus Dominũ ironicè commendasse opera misericordiæ, verè autem, & propriè contemptum eorum docuisse. Quod si in illis verbis, *Vade, & tu fac similiter*, nulla ironia est, certè neque in illis est, *Rectè respondisti, hoc fac & vives.* Nam ad eundem, ab eodem, eadem phrasi, in eodẽ loco & tẽpore, & eadẽ occasione dicũtur.

QVARTO, cùm Dominus tentaretur tentatione fallaci, & subdola non reddebat dolum pro dolo, sed vincebat in bono malum, & non ironicè, sed propriè respondebat, & doctrinam seriam, & solidam tradebat, vt patet Matth. 22. vbi primum Pharisæi consilium ineuntes, vt caperent eum in sermone, quærunt, liceat ne censum dare Cæsari an non; deinde Sadducæi non dissimili studio quæstionem proponunt, cuius viri futura sit vxor in resurrectione, quæ septem viris sibi per mortẽ ordine succedentibus nupserat. Denique Legisperiti tentantes interrogant, quod sit mandatum magnũ in lege. Omnibus autẽ quæstionibus Dominus verè, propriè: simpliciterque respõdit. Ad primam: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Ad secundã: *In resurrectione neque nubent, neque nubẽtur sed sunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Ad tertiam: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Audeant Caluinistæ, & Lutherani, si pudorem penitus exuerunt, has responsiones Domini ironicas facere. Si verò non audent, multò minus Matth. 19. & Luc. 10. ironiam suspicentur, cùm in his locis minor occasio ironiæ reperiatur.

TERTIO probari potest, promissiones Euangelicas esse conditionales ex doctrina Apostolorum, qui passim conditiones operum inculcant, Rom. 8. *Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Et ibidem: *Cohæredes autem Christi, si tamen compatimur.* 2. Timoth. 2. *Si commorimur simus, & conuiuemus, si sustinebimus, & conregnabimus.* Iacobi 2. *Si tamen legem perficitis regalem.* 2. Petri 1. *Sic enim* (si videlicet *per bona opera certam vestram vocationem faciatis*) *abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri.* 1. Ioan. 1. *Si confiteamur peccata nostra fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra.* Apoc. 3. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.*

QVARTO, probatur ex doctrina prophetica. Nam promissiones remissionis peccatorum, etiã si in Prophetis sint, non ad legem, sed Euangelium pertinere aduersarij non negant. Sic igitur loquitur Ezechiel, cap. 18. *Si impius auerterit se ab impietate sua & fecerit iudicium, & iustitiam, vita viuet, &c.* Vbi non semel, sed sæpius Dominus repetit, se indulgentiam, & vitam impio donaturum, si tamen pœnitentiam egerit à peccatis, & mandata omnia custodierit. Et contra, se iustum grauiter puniturum, si auerterit se à iustitia, & mandata omnia non custodierit. Quo loco sicut auerrere se à iustitia, & mandata non custodire, conditio est, à qua pendet comminatio mortis, omnium consensu; & nemo dicere auderet comminationem mortis non esse conditionalem, sed absolutã: ita quoque auertere se à peccato, & facere iudicium, & iustitiam, conditio est, à qua pendet promissio vitæ: & nemo dicere debet promissionem vitæ non esse conditionalem, sed absolutam, nisi diuinis literis apertè repugnare velit.

QVINTO, probatur ex conditione fidei, quam requiri ad salutẽ non negant aduersarij, cùm scriptum sit Marci vltimo. *Qui crediderit, saluus erit; qui non crediderit, condẽnabitur.* Ex hac enim fidei conditione sequitur PRIMO, vt falsum sit quod ipsi dicunt, promissiones Euangelij non esse conditionales. quomodo enim conditionales non sunt, si conditio aliqua, fidei videlicet, in omnibus requiritur? SECVNDO, vt etiam falsum sit, non requiri conditionalem legis implẽdæ. Nam quibus verbis Scriptura docet, requiri conditionem fidei ad salutem, iisdẽ vel etiam clarioribus docet, requiri conditionem legis implendæ, vt patet ex tot locis suprà citatis.

AT (inquiunt) *promissiones Euangelij gratuitæ sunt, non igitur conditionales.* RESPONDEO, Gratuitum nõ opponitur cõditionali, neque est idem, quod absolutum, alioqui promissio Euangelica conditionem fidei non requireret. Gratuita igitur dicitur promissio, quamuis conditionalis, quoniam ipsa etiã conditio gratuita est: gratuita

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim est promissio indulgentiæ, tametsi fidem,& pœnitentiam exigat, quoniam fides & pœnitentia dona sunt Dei,& gratuita est promissio vitæ æternæ, quãuis obedientiam legis requirat, quoniam ipsa etiam obedientia legis donum Dei est:& hoc modo gratiam dat Deus pro gratia,vt legimus Ioan.1.Quoniam gratiam vitæ æternæ dat pro gratia meritorum:& gratiam indulgentiæ dat pro gratia pœnitentiæ.

CAPVT III.

Asseritur verum discrimen legis, & Euangelij, & inde necessitas operum comprobatur.

EXplicabimvs nunc verum discrimen legis,& Euangelij, vt hinc etiam necessitas bonorum operum comprobetur.

Dvo sunt præcipua discrimina legis,& Euãgelij,ex quibus multa alia cõsequũtur.

Primvm igitur illud interest inter legem, & Euangelium,quod inter doctrinam inchoatam,& perfectam: continetur enim Euãgelium in lege,vt arbor in semine, vt S.Thomas rectè docet,in 1.2.q.107.Vnde S.Augustinus,lib.16.de ciuitat.Dei,c.26.scribit, testamentum vetus esse occultationem noui, & testamentũ nouum esse reuelationem veteris.Et S. Gregorius homil.6.in Ezechielem,explicans mysteriũ rotæ,quæ erat in rota:dicit rotã in rota esse testamentũ nouũ in testamento vetere.

Tria continet scriptura vtriusque testamẽti, mysteria, promissiones,& præcepta, id est, res credendas,sperandas, & faciendas, quibus fides, spes, caritasque respondent.Nam ad hæc tria reuocatur summa totius doctrinæ cœlestis, vt S. Augustinus docet in Enchiridio, in lib.de agone Christiano. in lib.de catechizandis rudibus,& alibi.Sed in omnibus tribus longè præstat doctrina euangelica,& Apostolica doctrinæ legis, & Prophetarum.

Nam quod attinet ad Mysteria Fidei,doctrina veteris testamenti vnitatem Dei manifestè docet: Trinitatem personarum. & Incarnationem verbi non nisi obscurè,& imperfectè,vt ea potius adumbret, quàm exprimat:doctrina verò testamenti noui hęc omnia perspicuè tradit,& prædicat. Itaque ad hoc significandum, Moses cùm loqueretur ad populum,faciem velabat:nobis autẽ Christus ipse reuelata facie loquutus est,annunciãs omnia,quæcunque audiuit à Patre suo. Vnde Apostolus 2. Cor.3.*Moyses*(inquit)*ponebat velamen super faciem suam, vt non intenderent filij Israel in faciem ejus:nos autem reuelata facie, gloriam Domini speculantes,transformamur a claritate in claritatem,tanquam a Domini spiritu.*

Quod attinet ad Promissa,Lex & Prophetæ pollicentur expresè bona temporalia, figuratè autẽ regnũ cœlorum:Christus,& Apostoli manifestè regnũ cœlorũ, & vitam æternam pollicentur,bona temporalia adiicienda esse dicunt, & ideo non esse sollicitè, & anxiè requirenda. Et quoniam promissionibus adiungi solent etiam minæ,Lex & Prophetæ comminantur temporalia mala, Christus,& Apostoli mortem sempiternam. *Si audieritis me*(inquit Dominus,per Prophetam Isaiæ 1.) *bona terræ comedetis:quod si nolueritis,& me ad iracundiã pronocaueritis, gladius deuorabit vos.* Christus autem Matth.5. *Beati pauperes spiritu,quoniam ipsorum est regnum cœlorum:Beati mundo corde,quoniam ipsi Deum videbunt.*Et infra:*Quid dixerit fratri suo fatue,reus erit gehennæ ignis.*

S.Avgvstinvslib.18.Ciuit.Dei,c.11.*Eductο* (inquit)*populo in monte Syna, diuinitus acceptam tradidit legẽ, quod vetus dicitur testamentum, quia promissiones terrenas habet,& per Iesum Christum futurum fuerat testamentum nouum,quo regnum cœlorum promitteretur.*Et in Psal.73. *Deus se vtriusque testamẽti esse voluit auctorẽ, vt & terrena promitteret in veteri testamento,& cœlestia in nouo testamẽto.*Obseruat idem Augustinus in lib.19.contra Faustum, cap. vlt. in prophetis inueniri nõ raro testimonia de resurrectione,& vita æterna:sed regnum cœlorum nusquam expresè nominatum,ne dũ promissum,nisi in Euangelio.Quanõ immeritò S.Hieronymus,in lib.1.aduersus Pelagianos, reprehendat Pelagianos, quòd dicerent in testamento veteri regnum cœlorum esse promissum.

Restant Leges,& Mandata,quorũ alia ceremonialia,alia iudicialia,alia moralia erãt in veteri testamẽto.In nouo autẽ pro Ceremoniis illis Mosaicis,quę propemodũ infinitæ erant *instituit in Euangelio* Christvs,vt S.Avgvstinvs loquitur in epist.118.ad Ianuarium:*Sacramenta numero paucissima, obseruatione facillima,significatione præstantissima,quibus societatẽ noui populi colligauit.*Et in Psal.73.*Mutata* (inquit) *sunt Sacramenta, facta sunt pauciora,faciliora, salubriora,f.liciora.*

Iudiciales leges in Euangelio,Christus non tulit,sed ferendas reliquit iis,qui variis in locis Rempublicam gerentes pro rerum, personarum, & temporum diuersitate instituendas esse iudicauerint.Hoc enim interest inter populum Hebræum, & Christianum, quod illevnam gentem, & vnam regionem, eamq; satis exiguam continebat.De qua re vide Hieronymũ in epist. ad Dardanum,de terra promissionis: ille autem orbẽ terræ cõplexus est,vbi regiones sunt & regna vastissima, mores, & consuetudines diuersissimæ, temperamenta, ingenia, habitus animorum,& corporũ infinitis modis variantes. Hinc igitur facilè poterat Hebræus populus iisdẽ iudiciis regi,non potest autem populus Christianus vlla ratione iisdẽ particularibus ritibus, & legibus gubernari.

Morales leges, quæ perpetuæ sunt, easdem ferè habent lex,& Euangelium:vt ostendit S.Augustinus lib.19.contra Faustum c.28.sed in hoc præstat Euangelium legi,quod quædam grauiora,quæ à Iudæis propter infirmitatem ipsorum in lege non exigebantur,à Christianis in Euãgelio exiguntur:vt patet de libello repudij, & polygamia:quædam etiam expressius leguntur in Euangelio,quę obscurius habebantur in lege.Quare S.Augustinus,cum in libro contra Adimantum,c.3 scripsisset, nihil esse in Euangelica, & Apostolica disciplina, quod in lege,& Prophetis desideretur:admonuit postea in lib.1. retract.cap.22 addendam fuisse vocalem *fere*, non enim omnia, sed ferè omnia, quæ ad mores pertinent, habet Euangelium cum lege communia.

Sed vt planè intelligatur,quemadmodum in Euangelio Dominus legem moralem nõ sustulerit, sed perfecerit, exponam breuiter summam sermonis Domini in monte, quem verè scripsit S. Augustinus lib. 1. de serm. Domini,in monte,cap.1.omnibus præceptis, quibus vita hominis formari potest esse perfectum.

Initio igitur sermonis sui, Dominus, quasi loco proœmij,diuino prorsus artificio, simul explicat finem vltimum hominis,& virtutum, atque operũ bonorũ vtilitatem proponit, dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*Et quæ sequuntur. Quoniam enim vltimus finis,principium, & fundamentum est totius doctrinæ moralis, ideo primo loco exponi debuit: simul autem adiungi par fuit vtilitatem virtutis,vt discipuli attentiores efficerentur.

Deinde,quasi proœmio explicato, accedit Dominus ad præcepta tradenda,& primùm instruit Doctores, deinde auditores.Doctores admonet, eos salem terræ, & lucem mundi esse debere.id est,sapientia, & caritate ita cæteris præstare, vt alios sapientes, & ardentes efficere possint.Quas duas conditiones non semel repetiuit,cùm præpositos Ecclesiæ fideles, & prudentes esse debere præmonuit.

Aggreditur deinde instructionem populorum, eósque instruit, tum quoad Svbstantiam præceptorum diuinorum, tum quo ad Finem: nam in vtroque Scribæ,

Scribæ,& Pharisæi prauas opiniones induxerant.

Quod attinet ad Svbstantiam præceptorum,reprobat Dominus quinque Pharisæorum corruptelas. Primvm, deprauabant Scribæ, & Pharisæi præcepta grauissima de homicidio,& adulterio, docentes in eiusmodi præceptis,actum externum solum esse prohibitũ, non autẽ internum, nisi fignis exterioribus proderetur. In quo errore fuit etiam Iosephus lib.12.antiquitatum, c.13.& Dauid Kimhi in comment.Psal.66. v.17. exponens illud:*Iniquitatem si aspexi in corde meo,non audiet Dominus:*deprauat enim illud:*non audiet Dominus*, vt significet,non imputabit Dominus aduersus eiusmodi corruptelas,declarat Dominus legem,non occides, non solùm manum,sed etiam linguam, & animum cohibere: & legem,non mœchaberis, extendi vsque ad concupiscentiam in ipsa mente conceptam.

Deinde,Pharisæi deprauabant legem de repudio: quod enim ob infirmitatem eorum hominum lex impunitum dimiserat, ipsi vt rem absolutè iustam proponebant.Dominus autem docuit,non licere vxorem dimittere,nisi causa fornicationis,& legem de libello repudij penitus abrogauit.

Tertio,Pharisæi docebant, non esse peierandum, tamen frequentare iuramenta, etiam leui de causa, nullum peccatum esse ducebant. Contra Dominus iubet, non esse iurandum omnino, nisi (videlicet) subsit iurandi necessitas.

Qvarto, corrumpebant Pharisæi legem illam talionis,oculum pro oculo,dentem pro dente. Nam cum non animaduerterent, eam legem constitutam fuisse ad iustitiam conseruandam,nõ ad appetitum vindictæ saturandum docebant, licitum esse vindictam appetere. Dominus igitur, monet, non esse appetendam vindictam,nec malum pro malo reddendum:sed potius paratum esse debere hominem probum si opus sit,percutienti maxillam vnam,præbere etiam alteram.

Qvinto,peruertebant Pharisæi primariũ dilectionis præceptum. Quoniam enim lex iusserat, vt hostes suos occiderent,non odij causa,sed zelo iustitiæ, qua iusta bella interdum etiam à piis Regibus indicuntur; illi generale præceptum tradebant,diligendos esse amicos, odio habendos inimicos.Dominus ergo grauissimè admonet, diligendos esse inimicos,benefaciendum his qui nos oderunt, orandum pro persequentibus, & calumniantibus nos.

His ita explicatis transit ad modum, ac docet, cauendam esse imprimis inanem gloriam,& non esse facienda opera bona ea intentione,vt videantur,& laudentur ab hominibus.Et quoniam nimis prolixũ fuisset, de singulis operum bonorũ generibus differere: reuocauit omnia ad tria capita,orationem,ieiunium,& eleemosynam, quorum primum erga Deum, alterum erga nos ipsos, tertium erga proximum exhibemus:& vno mentem,altero corpus, tertio bona externa sacrificamus.

Addit postea Dominus,ac docet,quæ sint impedimẽta cauenda,& quæ adiumenta quæranda iis, qui cupiunt ad perfectionem iustitiæ peruenire. Impedimenta tria demonstrat, nimiam sollicitudinem in opibus congregandis: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra:* superuacaneam diligentiam in rebus etiam necessariis procurandis,*Nolite solliciti esse in crastinum.* Temerarium iudicium de vita,& factis alienis,*Nolite iudicare.* Adiumenta etiam tria ostendit, orationem assiduam, *petite & dabitur vobis:*conatum, & contentionem proficiendi, & superandi omnes difficultates:*Contendite intrare per angustam portam:*electionem bonorum Magistrorum: *Attendite vobis a falsis Prophetis.*

Postremò concludit sermonẽ iterũ cõmendans vtilitatem operũ bonorũ, vt in proœmio fecerat:*Omnis qui audit verba mea hæc,& facit ea,similis est viro sapienti,qui edificauit domum suam supra petram,&c.*Atque hæc de sermone Domini in monte.

Perfecit autem Dominus legem moralem, nõ solùm explicando, & addendo,quæ diximus,sed etiam adiiciẽdo consilia quædam ad perfectionem caritatis,quæ finis est omnium præceptorum adipiscendam aptissima: de quibus satis multa disputauimus in lib. de Monachis. Habemus igitur primum discrimen legis, & Euangelij, ex quo manifestè colligitur obedientiam legis, atque opera bona non minus, sed multò magis in Euangelio, quàm in lege doceri. Proinde Lutheranos sine dubitatione verum Euangelij,ac legis ignorare discrimen.

CAPVT IV.

Ostenditur alterum discrimen legis & Euangelij.

ALtervm discrimen legis, & Euangelij sumitur ex annexis. Nã lex per Mosem data est, qui legis lator tantum fuit,Euangelium per Christũ,qui non fuit solùm legislator,sed etiã Redẽptor. Proinde lex venit sola;Euangelium non solùm,sed cum gratia. Itaque qui legem in monte Syna per Mosem acceperunt, doctrinã tantùm acceperũt,vt instructi per legẽ,inter vitia, virtutésque discernerent:qui verò per Christũ Euangeliũ acceperunt, nõ solam doctrinam,sed etiã gratiã acceperũt vt non modò inter virtutes, & vitia discernerent,sed etiã vt iustitiam diligerent,& odio haberent iniquitatem.

Hoc discrimen prædixerunt Ezechiel c. 36. & Hieremias cap.31. Ille enim cum Baptismum adumbrasset illis verbis:*Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris:*adiungit de spiritu gratiæ:*auferam a vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum,& spiritum meum ponam in medio vestri, & faciã, vt in præceptis meis ambuletis.* Iste autem distertis verbis duo testamenta distinguit:*Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Israel,& domui Iuda fœdus nouũ, non secundum pactum,quod pepigi cũ patribus vestris,in die, qua apprehendi manum eorum,vt educerem eos de terra Aegypti:pactum, quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc est pactum,quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum,& ipsi erunt mihi in populum.*

Quam prophetiam de testamento nouo, cuius Christus auctor est,exponit Apostolus ad Hebræ. 8. & 10. & idem Apostolus ad Rom.5.cum dicit: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris,per spiritum S.qui datus est nobis.*Significat legẽ in corde scriptam.de qua loquitur Hieremias, & spiritum in medio nostri positum, de quo vaticinatur Ezechiel,nihil esse aliud,nisi caritatẽ in corde diffusam. Tunc enim Deus facit, vt ambulemus in præceptis suis, cùm caritatem,in cordibus nostris diffundit: *Quoniã qui diligit,legem impleuit,& plenitudo legis est dilectio,*Rom. 13. Quod discrimen copiosè, & eleganter persequitur S. Augustinus in pluribus locis, sed præcipuè in toto libro de spiritu, & litera.

Porrò hoc discrimen legis,& Euangelij tãtùm abest, vt operum necessitatem ab Euangelio remoueat,vt eam potius ad Euangelium maximè pertinere demonstret. Quorsum enim cum Euangelio gratiam benè operandi, & legis ipsius implendæ Christus coniunxit,nisi vt,quod per literam legis euangelicæ discimus esse faciendum, id per spiritum,& gratiam impleamus? Quod enim Apostolus ait,2.Cor.3.*Litera occidit,spiritus viuificat.*Demonstrat S.Augustinus, manifestissima ratione, non tantùm intelligi debere de litera legis Mosaicæ, sed etiam de litera legis Euangelicæ:vtraque enim occidit, si à spiritu separetur. Sed ideo scriptum est de lege Mosis, lex iram operatur.Non autem scriptum est de lege Christi: Euãgelium iram operatur,quoniam (vt diximus) cum Moses legem dedit,nihil nisi literã dedit, Christus autẽ cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Euangeliũ dedit, simul cum litera spiritum dedit. Quare S. Ioannes hoc ipsum discrimen attendẽs ait: *Lex per Mosem data est, gratia, & veritas per Iesum Christũ facta est*, Ioã. 1. Habemus igitur duas potissimas differentias legis, & Euangelij. Nunc paucis percurremus alias, quæ ex his duabus tanquã ex fontibus deriuantur. Ex primo discrimine nascuntur alia tria, & ex secundo item tria.

TERTIVM igitur discrimen legis, & Euangelij est, quod lex Mosis vni tantùm genti data fuit, lex Christi omnibus gentibus. Deut. 4. *Quæ est alia gens, vt habeat cæremonias, iustaq; iudicia, & vniuersam legem, quam ego ponam hodie ante oculos vestros?* Psal. 147. *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.* Rom. 3. *Quid ergo amplius Iudæo est, aut quæ vtilitas circumcisionis? Multũ quidem per omnem modum, primum, quia credita sunt illis eloquia Dei.* Et cap. 9. *Optabam ego ipse anathema esse pro fratribus meis, secundum carnem, quorum est testimonium, & legislatio, &c.* At Christus Matth. vltimo. *Euntes* (inquit) *docete omnes gentes*: Et Marci vltimo. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et Lucæ vltimo. *Oportet prædicari in nomine meo pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Hierosolyma.* Et Apostolus ad Rom. 1. *Nõ erubesco euangelium. Virtus enim Dei in salutem omni credenti. Iudæo primum, & Græco.* Oritur hoc discrimen ex primo. Lex enim Mosis positiua (id est) ceremonialis, & iudicialis angusta erat, & ritus, ac iudicia particularia continebat: Euangelium vero lex est perfecta, & ritus, præcepta, & sacramenta ita vniuersalia comprehendit, vt toti mundo communia esse possint.

QVARTVM discrimen, quod oritur etiam ex primo, in eo positum est, quod lex vmbram, & figuras rerum futurarum magna ex parte complectitur: Euangeliũ ipsum corpus, & veritatem exhibet. Ioan. 1. *Lex per Mosem data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.* Lex enim per Mosem data, per Christum facta est gratia, propter infusionem fidei, & caritatis, facta est veritas, propter impletionem omnium figurarum. 1. Cor. 10. *Hæc autẽ in figura facta sunt nostri.* Et paulò post: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem.* Hebr. 10. *Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* Denique passim in Euangelio legimus, varia in Christo mysteria fuisse completa, quoniam sic scriptum erat in lege, aut Prophetis.

QVINTVM discrimen est, quod lex Mosis aduenientẽ Christi lege mutanda erat, Christi autem legi nulla succedere debet alia lex. Oritur hoc discrimen, vt alia duo, item ex primo: ideo quidem mutanda fuit lex Mosis, quoniam imperfecta erat: omne enim imperfectum perfectiori cedit: & vmbræ luce apparente diffugiunt. Luc. 16. *Lex & Prophetæ, vsque ad Ioannem Baptistã.* Hebr. 7. *Translato sacerdotio necesse est, vt & legis translatio fiat.* Et ibidem: *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem, & inutilitatem.* Et cap. 8. *Dicendo nouum veteravit prius. Quod enim antiquatur, & senescit, prope interitum est.* Et ad Gal. 3. *Quid ergo lex? propter transgressionem posita est, donec veniret semen, cui promiserat.* At Christi legem non esse finem habituram, perspicuum est ex ductibus. PRIMO, quoniam sacerdotium Christi manet in æternum, iuxta illud Psalm. 209. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* SECVNDO, quoniã regni Christi nullus erit finis, vt legimus Daniel. 2. & Luc. 1. Lex enim cũ sacerdotio, & regno ita cõiũcta est, vt illis manẽtibus, & ipsa manere debeat: quod de sacerdotio & lege Apostol' docet ad Heb. 7. de regno, & lege dubiũ esse nõ potest, cũ regũ proprium sit leges ferre, neque vllũ sit regnum, quod proprias leges non habeat. DENIQVE, Testamentum nouũ æternũ dicitur, Psal. 110. *Mandauit in æternum testamentum suum.* Baruch. 2. *Statuã illis testamentũ alterum sempiternum.* Ad Hebr. 13. *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum Christum.*

Est autem hoc loco breuiter annotandũ, legem Mosis, quoad præcepta ceremonialia, & iudicialia simpliciter abrogatam esse: quoad moralia præcepta, & doctrinã fidei mutatam esse, non abrogatione, sed profectu: non enim sublata est lex moralis, nec fides vnitatis Dei, sed aucta, amplificata, perfecta: quomodo mutari solet infans in adolescentem, adolescens in virum: & quo modo populus Dei, Christo adueniente, non periit, sed statum mutauit. Lex autem euangelica sempiterna dicitur, non quod Sacramenta & omnia eius præcepta nullam sint finem habitura: sed quoniã vsque ad mundi consummationem legi euangelicæ nulla succedere debet alia lex, cùm hæc perfectissima sit: & præterea quia caritas, quæ est lex noua, & Testamentum nouum scriptum in cordibus, nunquam excidit, & sine fine in omnem æternitatem durare debet.

SEXTVM discrimen, quod oritur ex secundo, illud est, quod lex Mosis non habebat vim iustificandi, neque data erat, vt iustificaret, sed vt morbũ ostenderet, & ad quærendum medicum excitaret: Lex autẽ Christi, id est, Euangelium vim habet iustificandi, & ad hoc ipsum datum est. vt ab iniquitate iustificet. Rom. 3. *Per legẽ cognitio peccati.* Galat. 2. *Si per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est.* Et cap. 3. *& quoniam in lege nemo iustificatur, manifestum est, quia iustus ex fide viuit: lex autem non est ex fide.* Item si data esset lex quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia. At Euangelium (vt dicitur ad Rom. 1.) *Virtus Dei est in salutem omni credenti.* Et 1. Cor. 15. *Notum vobis facio* (inquit Apostolus) *Euangelium, quod prædicaui vobis, quod & accepistis per quod & saluamini.*

Sed hoc quod dicimus, Euangelium vim habere iustificandi, non ita accipiendum est, quasi sola litera Euangelij salutem adferre possit: sed quoniam (vt dictum est in secundo discrimine) cum Euangelij doctrina data est etiam gratia fidei, & caritatis, quia legislator noster, simul etiam Redemptor fuit, & simul cum lege dedit benedictionem, id est, gratiam implendi legem, iuxta illud Psal. 83. *Etemm benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem.* Quocirca B. Paulus vbicũque dicit legẽ non iustificare, nõ opponit legi Mosis doctrinã Euãgelij, sed legi opponit fidem, operibus, gratiam, & literæ, spiritũ. Alioqui enim etiam litera Euangelij, sine spiritu & gratia, itã operaretur, & occideret, vt iã sæpè diximus.

SEPTIMVM discrimen, quod item oritur ex secũdo, illud est, quod lex Mosis, lex timoris, & seruitutis fuit. Euangelium lex amoris, & libertatis. Rom. 8. *Nõ accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritũ adoptionis filiorũ, in quo clamamus Abba Pater.* Gal. 4. *Hæc enim sunt duo testamenta, vnum quidem in monte Syna, in seruitutem generans, quæ est Agar.* Et infrà: *Itaque fratres, non sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit.* 2. Tim. 2. *Non dedit nobis spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis.*

Sed hoc discrimen fusius explicabimus in sequenti capite. Interim illud annotasse satis erit, legem Mosis dici legem timoris, & seruitutis, quoniam legis mandata sine gratia Dei, quam Moses dare non potuit, reos constituunt homines, & pœnæ obnoxios: Euangelium Christi legem esse libertatis, & amoris, quoniam Christus, qui dedit mandata, dedit etiam spiritum, per quem in corde diffusa est caritas.

OCTAVVM discrimen est, quod lex Mosis grauissima, & importabilis erat: Euangelium Christi iugum suaue, & onus leue. Sic enim de lege Mosis B. Petrus loquitur Actor. 15. *Quid tentatis imponere iugum super cervicem discipulorum, quod nec nos, nec patres nostri portare potuimus?* De lege autẽ sua Christus Matth. 11. *Tollite iugũ meũ*, inquit, *super vos. Iugũ enim meũ suaue est, & onus meũ leue.* Oritur hoc quoque discrimen ex secundo. Potissima enim caussa

caussa cur lex noua sit leuis, & lex vetus grauis, est annexa legi nouæ gratia caritatis. Quod est enim durum, & importabile timenti, leue est, & facilè diligenti. Et hanc rationem reddit S. AVGVSTINVS in omnibus ferè locis, vbi de hac re tractat, q. 166. in Exod. in lib. 83. quæst. q. 66. libro de gratia & libero arbitrio, c. 17. in libro de natura & gratia, cap. 69. & in libro de perfectione iustitiæ post ratiocinationem 16. Vbi etiam addit insignem similitudinem de pẽnis auium, quæ non tam premunt, quàm subleuant: *Perfecta*, inquit, *caritas foras mittit timorẽ, & facit præcepti sarcinam leuem, non solum non prementem onere ponderum, verùm etiam subleuantem vice pennarum.*

Sunt tamen etiam aliæ duæ rationes cur lex noua verè dici possit facilior vetere: VNA est, quam reddunt Nazianzenus in 2. orat de Pascha, & Chrysostomus homil. 8. de pœnitentia, quod spes retributionis longè sit maior in lege noua, quàm in vetere, cùm iã propalata sit via sanctorum, atque aditus pateat ad regnum felicitatis æternæ. ALTERA ratio est, quoniã in lege vetere præcepta ceremonialia, & iudicialia plurima erant, & parũ vtilia, in lege noua paucissima sunt, & vtilissima: præcepta verò moralia ferè sunt eadem in vtraque lege. Nam illa quoque quæ videntur in Euangelio esse grauissima de dilectione inimicorum, & de concupiscentia cohibẽda, inueniuntur Exod. 20. Prouerb. 25. & alibi, vt S. Augustinus demonstrat in libro contra Adimantum cap. 3. & libro 19. contra Faustum, cap. 28.

Itaque non ait Dominus Matth. 5. Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam legis, & prophetarum, sed plusquam Scribarum & Pharisæorum, vt videlicet significaret, se non tam addere velle ad onera præceptorum legis, quàm tollere de medio corruptelas Scribarũ & Pharisæorum. Quod si quæ grauiora præcepta addidit, aut certè magis expressè tradidit, vt de non dimittenda vxore per libellum repudij, & si quæ sunt alia, non debent illa grauia videri populo Christiano, etiamsi grauia viderentur populo Iudæorum. Nam non est graue viro forti, quod puero delicato importabile solet videri.

CAPVT V.

Refellitur falsa libertas Christiana, & inde probatur necessitas operum.

DISSERVIMVS hactenus de falso, & vero discrimine legis, & Euãgelij. Nũc de falsa, & vera libertate Christiana breuiter disseremus. Nã hoc est alterum caput, vnde magna ex parte dependet quæstio de necessitate operum ad salutem.

Igitur aduersarij, vt suprà diximus, in eo ponũt Christianam libertatem, vt nulli legi subiecti sint in conscientia, & coram Deo, & Christum habeant pro Redemptore, non pro Legislatore, Moses autem cum suo Decalogo nihil ad eos pertineat. Nos verò cũ Tridentino Concilio in sess. 6. can. 19. 20. & 21. docemus, homines Christianos & iustificatos, non esse liberos ab obligatione præceptorum Dei, & Ecclesiæ, & eã, quã Hæretici prædicant, non esse Christianam, sed profanam libertatem, & verius peccati, ac diaboli voluntariam seruitutem.

PRIMVM, id probamus ex iis testimoniis, quę docẽt, Christum verum fuisse Legislatorem. Neque enim negare audebunt, se legi subiectos esse, si Dominum suum Legislatorem fuisse negare non possint. Isaias quidem c. 33. de Saluatore dicit: *Dominus Iudex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster ipse saluabit nos.* Ac ne ad tropum aliquem fortè confugiant, audiamus Mosem in Deuter. c. 18. *Prophetam*, inquit, *de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus: ipsum audies.*

Hunc Prophetam, Christum esse, testatur Apostolus Petrus Act. 3. & S. Stephanus Act. 7. sed apertissimè Apostolus Paulus Christum cõfert cum Mose, vt Legislatorem cum Legislatore. Nam in epist. ad Hebr. c. 2. dicit, sermonem factum per Angelos in manu Mosis, ita firmũ fuisse, vt omnis inobedientia dignã receperit vindictæ retributionem. Et inde colligit, multò magis timendum esse nobis, si sermonem filij Dei contempserimus. Et c. 3. dicit, Mosem fidelẽ fuisse in tota domo Dei tamquam famulum, Christum autem in domo sua tamquam filium. Et ca. 5. dicit, Christum factũ esse omnibus obedientibus sibi caussam salutis æternæ. Obedictia autem propriè Legislatori debetur, & cap. 12. ita cõcludit: *Videte ne recuseris loquentẽ. Si enim illi nõ effugerunt, recusantes eum, qui super terram loquebatur, multo magis nos, qui de cælis loquentem nobis auertimus, cuius vox mouit terram tunc, nunc autem repromittit dicens, adhuc semel & ego mouebo non solum terram, sed & cælum.*

Præterea Christũ esse Regem nostrũ omnis Scriptura testatur, Psa. 2. *Ego autẽ constitutus sum Rex ab eo.* Micheæ. 5. *Ex te exiet Dux, qui regat populum meũ Israël.* Lucæ 1. *Et regni eius non erit finis.* Apocal. 1. dicitur: *Princeps Regum terræ.* Et c. 19. *Rex regum, & Dominus dominantium.* At Regis proprium est leges condere, ideo siquidem Isaiæ 33. coniungitur, *Legifer noster*, cum verbis, *Rex noster*, & Prouerb. 8. dicitur: *Per me Reges regnant, & legũ conditores iusta decernunt.* Christus igitur Rex noster legem aliquam sine dubio, nobis dedit, per cuius custodiam obedientiam illi præstemus.

SEGVNDO idem probamus ex testimoniis, quæ docent, Euangelium esse quamdam legem. Nam Isaiæ 2. & Micheæ 4. dicitur: *De Syon exibit lex, & Verbum Domini de Hierusalem.* Quæ verba intelligunter cõmuniter de prædicatione euangelica, quæ ab vrbe Hierosolyma per totum mundum propagata est. Vide Augustinum lib. 18. de ciuit. Dei, c. 50. & Isa. 42. *Ecce seruus meus electus meus, cõplacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet.* Et paulò post: *Et legẽ eius insulæ expectabunt.* Et c. 51. *Attendite ad me populi mei, quia lex a me exiet, & iudicium meum in lucem populorum requiescet.*

Pertinere autem hæc ad Christum, perspicuum est ex verbis sequentibus: *Propè est iustus meus, egressus est Saluator meus.* Et Matth. 11. cùm Dominus ait: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Nonne apertè legem aliquam se artulisse testatur? neq; enim promissio, exhortatio, instructio, iugum, & onus dici possunt. Sed lex, quæ obligat, & obligando premit, & grauat, rectè dicitur iugum. Vnde Actor. 15. & ad Galat. 5. lex Mosis iugum ab Apostolis appellatur. Præterea B. Paulus 1. Cor. 9. *Iis*, inquit, *qui sine lege erant, factus sum tamquã sine lege essem, cùm sine lege Dei nõ essem, sed in lege essem Christi.* Et ad Gal. 6. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.*

TERTIO, probatur ex particularibus, & propriis Christi mandatis. Nã imprimis mãdatũ Christi in Euãgelio contineri, de suscipiẽdo Baptismo & Eucharistia, nemo negare potest, cùm tã apertè scriptũ legamus, Ioã. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, nõ potest introire in regnũ Dei.* Et Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, nõ habetis vitã in vobis.* Deinde lex prohibens libellũ repudij, & præcipiens, vt vir vxorẽ nõ dimittat, neq; vxor virũ, nisi in caussa fornicationis, & si dimiserint, hac etiã de caussa maneãt innupti, vel coniugibus reconciliẽtur, propria Christi est, de qua sic loquitur Apostolus 1. Cor. 7. *His, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego sed Dominus, vxorẽ à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptã, aut viro suo reconciliari.* Et Matth. vlt. Dominus ipse aliqua se mandasse, & ab omnibus esse custodienda, testatur his verbis: *Docete omnes gentes baptizantes, eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, quæ mandaui vobis.*

QVARTO, probatur ex testimoniis, quæ docent, legem Mosis, quæ ad mores pertinet à Christo, & Apostolis ap-

Universidad de Deusto
Biblioteca

probatam, & fidelibus ad obseruandum traditam. Nam IMPRIMIS perspicuum est ex c. 5.6.& 7. Matth. vbi Dominus approbat, & explicat legem Mosis. De qua re diximus supra in c. 1.& 2. DEINDE, idē patet ex ca. 19. Matt. 19. Marc.& 18. Luc. Vbi Dominus iterū approbat Decalogū Mosis, ac dicit, eā legē viam esse ad vitā æternam. De quo etiam diximus cap. 1. TERTIO, probatur euidenter ex eo, quod idem Dominus testatur Matt. 22. præceptum dilectionis esse primū, & maximum mandatum & ab eo legē, prophetasq; pēdere, quippe quod virtute Decalogum, & omnes alias leges, & præcepta comprehendit, & hoc ipsum mandatum ita commēdat Apostolis, & per eos Ecclesiæ vniuersæ, vt dicat Ioan. 15. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Et rursus: *Hæc mādo vobis, vt diligatis inuicem.* Et Ioan. 13. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem.* Vbi nouum appellat, tum quia renouari illud volebat, tum quia illud vnum diligenter seruatum homines facit nouos.

Nec solùm Dominus, sed etiam Apostoli Mandata Decalogi, & ipsum dilectionis præceptum, in quo totus Decalogus (vt diximus) continetur, fidelibus omnibus diligenter, assidueque cōmendant, quod certè non facerent, si decem præcepta non pertinerent ad Ecclesiam Christianorū Rom. 13. *Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nā non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimoniū dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatū, in hoc verbo instauratur, Diliges proximū tuū sicut te ipsum. Dilectio proximi malum non operatur, plenitudo ergo legis est dilectio.* Idem ad Ephes. 6. *Honora*, inquit, *patrem tuum, & matrem tuam, quod est mandatum in primum promissione.*

Apostolus quoque Iacobus cap. 2. *Si tamen*, inquit, *legem perficitis regalem secundum Scripturas, Diliges proximū tuum sicut teipsum, bene facitis: Si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege quasi transgressores. Quicumque autem totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Qui enim dixit, non mœchaberis, dixit, & non occides, quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis.* Vides quàm apertè Iacobus Decalogum Mosis ad nos quoque pertinere demonstret?

Porro S. Petrus in epist. 1. cap. 1. & 4. & S. Ioannes in tota. 1. epist. immo etiam in 2. & 3. nihil sæpius admonēt, quàm vt dilectionis præceptum implere satagamus, scientes videlicet in eo præcepto, vt sæpe diximus, vniuersam legem plenissimè contineri.

QVINTO, probatur ex testimoniis illis, quæ docent, legem Mosis moralem nō esse per fidem Christi, & Euāgelium abrogatam. Matt. 5. *Nolite putare, quoniā veni soluere legem, nō veni soluere, sed adimplere.* Quomodo verò se dixerit impleturū, explicat in sequentibus, vbi perfectissimè seruari mandat præcepta legis, Non occides, Non mœchaberis, & similia. Et Apostolus ad Rom. 3. *Quid ergo legem destruimus per fidem? absit, sed legem ſtatuimus.* At si prædicatio euangelica solam fidem ita docet, vt opera non requirat, nec legem vllam propriè dictā admittat, quid ni verū fit legem destrui per fidem? quid enim est, legem destruere, nisi vim obligandi ab ea tollere? idem quoq; Apostolus ad Rom. 7. *Itaque*, inquit, *lex quidē sancta, & mandatum sanctum, iustum, & bonum.* Et ibidem: *Cōsentio legi, quia bona est.* Item: *Ego ipse mente seruio legi Dei.* Et cap. 8. *Deus filium suum mittens in similitudinē carnis peccati, de peccato dānauit peccatū, vt iustificatio legis impleatur in nobis.* Quis igitur credat, legem illā à Christo esse subla tam, quam sanctam, bonam, & iustam appellauit Apostolus, & cuius gratia misit Deus filium suum, & de peccato damnauit peccatum, vt eam videlicet, ipso adiuuante, implere possemus?

SEXTO, probatur ex testimoniis, quæ habent nomen debiti, vt Rom. 8. *Debitores sumus non carni, vt secundùm carnem viuamus,* & c. 1. Ioan. 4. *Nos debemus alterutrum diligere.* 1. Ioan. 2. *Qui se dicit in Christo manere debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.* 1. Ioan. 3. *Nos debemus pro fratribus animas ponere.* Luc. 17. *Quod debuimus facere fecimus.*

SEPTIMO, probatur ex iis, quæ docent, Christum esse iudicem totius mundi, & in vltimo die secundùm opera vniuscuiusque, vel pœnas, vel præmia distributurum. Id enim habetur expresè Matth. 25. Actor. 10. & 17. Rom. 2. & 14. 1. Petri 4. & alibi passim. At quale iudiciū erit, si nullæ sunt leges, ex quarum præuaricatione dānari, vel obseruatione coronari mereamur? quod enim quidam ex nouatoribus dicunt, in iudicio extremo examen futurum de sola fide, manifestè pugnat cum verbis Domini, qui Matth. 25. iustis dicturum se esse testatur: *Possidete paratū vobis regnū, esuriui enim, & dedistis mihi māducare,* &c. iniustis autem. *Ite maledicti in ignem æternum: esuriui enim, & non dedistis mihi manducare,* &c. In quo loco (vt notat S. Augustinus in lib. de fide & operibus, c. 15.) nulla mentio fidei facta est, vt intelligeremus, Christianis, qui damnantur, non fidē, sed opera defuisse. Id quod etiam apertissimè docet Apostolus 2. Cor. 5. cū ait: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bonū, siue malum.*

OCTAVO, probatur ex testimoniis Patrum, CLEMENS in lib. 6. Apostolicarum constitutionum, c. 19. *Cognoscitis*, inquit, *Deum per Christum, vniuersamq; eius dispēsationem à principio institutā, quod dedit nobis legē simplicē ad auxilium naturalis legis purā, salutarem, sanctā, in qua & proprium nomen reposuit, perfectam, absolutam, decem præcepta continentē, reprehensione carentem, conuertentem animas,* &c.

S. AVGVSTINVS in libro de spiritu & litera, ca. 14. *In illis*, inquit, *decem præceptis, excepta sabbati obseruatione, dicatur mihi, quid non sit obseruandum à Christiano.* Et infrà: *Quid horum quisquam dixerit, non debere seruare Christi. hūi?* Item lib. 10. contra Faustum, cap. 2. *Iudæo dicenti mihi, cur tenes vetus Testamentū, cuius præcepta non seruas? Respondeo, seruari à Christianis etiam ex ipsis libris præcepta vitæ agendæ: præcepta autem vitæ significandæ tunc rectè obseruata, cum prænunciabātur, quæ nūc reuelata sunt.* Itē tractat. 3. in Ioā. *Illa*, inquit, *omnia (moralia præcepta) nobis magis præcipiuntur, & obseruanda sunt.* In Psal. 73. non procul ab initio: *Si discernimus*, inquit, *duo Testamenta vetus, & nouum, non sunt eadem Sacramenta, non eadem promissa, eadem tamen plerag; præcepta. Nam non occides, Non mœchaberis, Non furaberis, Honora patrē & matrem, Non falsum testimoniū dixeris, Non cōcupisces res proximi tui, Non concupisces vxorē proximi tui, & nobis dictum est, & quisquis ea non obseruauerit, deuiat, nec omnino dignus est, qui accipere mereatur montem sanctum Dei.* Et infrà: *Discussa ergo præcepta, aut eadem omnia inueniuntur, aut vix aliqua in Euangelio, quæ non dicta sint à Prophetis, præcepta eadem, Sacramenta non eadem.*

S. LEO serm. 6. de ieiunio decimi mensis: *Ex ipsa*, inquit, *Ecclesiastica deuotione demonstratur, quod Dominus Iesus Christus non venit legem soluere, sed adimplere. Cessantibus enim significationibus, quibus Saluatoris nostri nūciabatur aduētus, & peractis figuris, quas abstulit ipsa præsentia veritatis, ea quæ vel ad regulas morū, vel ad simplicem Dei cultum ratio pietatis instituit, in eadem apud nos forma, in qua sunt condita perseuerant, & quæ vtrique Testamento erant congrua, nulla sunt cōmutatione variata.* Idē in ser. 14. de passione Domini: *Sicut*, inquit, *nemo est credentiū, cui dona negāda sint gratia, sta nemo est, qui nō sit Christianæ debitor disciplinæ. Quia & si remota sit mystica legis asperitas, voluntaria tamē obseruātia crescit vtilitas.* Vbi vox illa, *voluntaria*, nō opponitur debitæ, alioqui secū ipse pugnaret, sed opponitur asperæ, & seruili, vt fusius in sequenti capite declarabimus. Vnde subiungit ibidē S. Leo: *In præceptis moralibus nulla prioris Testamenti decreta reprobata, sed euangelico ministerio multa sunt aucta, vt perfectiora, & lucidiora essent dantia salutem, quàm promittentia Saluatorem.*

Possent eiusmodi testimonia adhuc multa proferri, sed non

non est opus, cùm obuia sint, & legentibus passim occurrant. Id vnū addam, nōnullos ex Patribus nō solùm obiter hoc dixisse, sed etiam studiosè collegisse ex vtroque testamento præcepta moralia, quibus ad perfectionē iustitiæ informari debeat vita fideliū. Vide Clemētē Alexandrinū li. 3. Pedagogi, c. 10. Cyprianū lib. 3. ad Quirinū. Augustinū in Speculo, tomo. 3. nā alius liber de Speculo, qui habetur tomo 9. non videtur esse Augustini. Simile opus meditabatur quoque S. Basilius, sed angustiis temporis exclusus nō collegit præcepta moralia, nisi ex Testamēto nouo, vt ipse testatur in præfatione moraliū.

NONO, probatur euidentissima ratione. Nā vel homo Christianus, & iustus peccat, cùm moralia legis veteris præcepta trāsgreditur, vel nō peccat. Si peccat, igitur nō est liber ab eius legis obseruatione. Quid enim est peccatū, nisi præuaricatio legis? nō autē præuaricatur legem, qui nō habet legē. Nam vbi non est lex, nec præuaricatio: proinde si lex illa moralis Testamenti veteris nō est homini Christiano, & iustificato verè lex, nō peccat, dū eā non seruat, vel si peccat, igitur est illi verè lex: Denique fingi non potest, quomodo peccet, qui liber sit à lege. Quod si nō peccat, igitur falsum est quod sectarij omnes dicunt, omnia opera hominis iusti esse peccata mortalia. Itē si non peccat, igitur vera est Libertinorum hæresis, quod nihil sit peccatum, nisi falsa imaginatio, & laxandæ sunt omnibus habenæ, vt vnicuique liceat quod ei libet. Ista videlicet libertas est Christiana, quā sectarij prædicāt, libertas omnia flagitia sine scrupulo perpetrādi, libertas carnis non spiritus, filiorum diaboli, non filiorum Dei, libertas denique omni seruitute miserior.

DICENT fortassè, non ita se intelligere libertatem à lege, quasi præuaricatio legis non sit peccatum, sed quod fidelibus ea præuaricatio non imputetur. Hunc enim sensum videntur efficere verba Lutheri in lib. de votis Monasticis, vbi dicit, in eo consistere libertatē, quod pia conscientia sit libera ab omnibus operibus, non quidem faciendis, sed accusantibus, & defendentibus, quia nulla sunt tam mala, quæ possint illum accusare, & damnare, nulla tam bona, quæ eum queant defendere, & iustificare. Et 2. cap. ad Gal. vbi agnoscit hominem peccare, sed dicit, nihil tibi esse cū lege, quia non potest eum damnare. Eumdem sensum faciunt verba Caluini lib. 3. Instit. cap. 19. §. 4 & 7. vbi dicit, libertatem in eo consistere, vt faciamus opera non tamquam examinanda ad regulam legis, sed tamquam acceptanda qualiacumque sint.

AT si ita dixerint, fateri debent, verè & propriè legem ad se pertinere, eiusque iugo se quoque esse subiectos: nā si verè peccant, licet peccatū eis non imputetur, verè præuaricantur legem. Proinde verè legem habent. Non enim verè præuaricatores dici possent, nisi legem haberent: neque verè peccarent, nisi legem præuaricarentur.

Præterea quæro, vtrum præuaricatio legis, vt exempli gratia, homicidiū, adulteriū, periuriū, cum fide simul habitare possit, vel nō possit: nā si non potest, igitur præuaricatio illa non solùm est peccatum, sed etiā imputatur. Quomodo enim non imputatur, si excutit fidem? an etiā infidelibus præuaricatio non imputatur? si verò potest præuaricatio legis habitare cū fide, vt latis aperte indicat Lutherus. cùm dicit in lib. de captiu. Babylonica cap. de Baptismo, nulla peccata nocere posse baptizato, quia si stet, vel redeat fides, in momēto absorbētur, vbi significat posse stare fidē. Et li. de votis Monasticis, vbi dicit, credentis nulla esse tā mala opera quæ eū accusare, vel damnare possint. Igitur non sunt necessaria opera bona, etiā vt fructus, & signa fidei? igitur nulla est omnino ratio, cur sint scelera, & flagitia fugienda, nisi forte ex metu supplicij temporalis? Vides vt semper ad id reuoluatur error sectariorum, vt aditum patefaciant vitiis & peccatis, & tamen passim vociferantur, sibi magnam à Catholicis iniuriam fieri quasi negligant opera bona.

CAPVT VI.

Asseritur vera libertas Christiana & inde quoque probatur necessitas operum bonorum.

VERA igitur Christiana libertas ex Euangelicis, & Apostolicis literis, tribus in rebus sita esse cognoscitur, in libertate à peccato, & morte, in libertate à iugo legis ceremonialis, & iudicialis Hebræorum, & à dominio, & reatu legis naturalis, atque moralis.

De libertate à peccato, & morte, quæ ex peccato sequitur, loquitur Dominus Ioan. 8. *Si vos Filius liberauerit, verè liberi eritis.* Nam paulò antè dixerat: *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* De eadem loquitur Apostolus ad Rom. 6. *Cum serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ: nūc autem liberati à peccato, serui autem factī Dei, habetis fructū vestrū in sanctificatione, finē vero vitam æternam.* Et c. 7. idem Apostolus hoc rursus confirmat similitudine mulieris, quæ per mortē viri liberatur à seruitute eiusdem viri, vt possit liberè cū alio viro coniungi. Tres enim personę in ea similitudine introducuntur, persona mulieris, persona viri morientis, & persona alterius viri, cui rursus mulier nubit.

Applicando autem similitudinem, per mulierem intelligit Apostolus homines baptizatos, & iustificatos, per virum, cui rursus mulier nubit, intelligit Christum, per virum morientem, à quo mulier liberatur, intelligit peccatum, & mortem, sed reddita est obscura sententia Apostolica, quomā cùm debuisset dicere, peccatum esse mortuum, ipse contra dixit, nos mortificatos esse per mortem Christi. Nam in idē recidit, siue nos moriamur peccato, siue peccatum moriatur nobis. Obscurior etiā sententia reddita est, quoniam cum debuisset saltem dicere, nos mortificatos esse peccato, vel morti, dixit, nos mortificatos esse legi, quoniam lex (vt infrà explicat) ex occasione peccatum fouebat, & augebat, & nos ipsi peccato, vt coniugem viro subiectos tenebat.

Quod autem intentio Apostoli fuerit dicere, nos per Christi mortem liberatos esse à peccato, & in ea similitudine peccatum tenere locum viri morientis, perspicuum est ex illis verbis: *Itaque fratres mei, & vos mortificati estis legi per corpus Christi, vt sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, vt fructificemus Deo: cū enim essemus in carne, passiones, quæ per legem erāt, operabantur in membris nostris, vt fructificaremus morti. Nunc autem soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ.* Vbi sicut ex eo, quod dicit, *vt fructificemus Deo*, intelligimus Deū esse secundum virum cui nubit anima, & cui fructificat, proles bonorū operū pariēdo, sic etiam ex eo, quod dicit, *vt fructificaremus morti*, intelligimus mortem esse priorem virum, cui copulata erat anima, & cui fructificabat, proles malorum operum patiendo. Vide S. Augustinum copiosè hunc locum explicantem in lib. 83 quæst. q. 66. & li. 15. contra Faustū, c. 8. vbi monet, hominem baptizatum dici mortificatum legi, non quia sit mortuus legis iustitiæ, sed legis reatui, & præuaricationi, quam lex per literam, cum gratia defuit, faciebat.

Ex hac prima libertate colligimus, aduersarios grauiter errare, cùm dicunt, peccatum in hominibus iustificatis semper viuere, sed non imputari. Nam si ita esset, non essemus verè, & propriè liberati, neq; esse mus peccato verè mortui, sed adhuc fructificaremus morti, & seruiremus in vetustate literæ, non in nouitate spiritus.

Iam verò de libertate SECVNDA, quæ est ab oneribus legis ceremonialis, & iudicialis, extāt etiā apertissima testimonia. Hoc enim est quod clamat Apostolus Petrus Act. 15. *Quid tentatis imponere iugū super ceruices discipulorū, quod nec nos, nec patres nostri portare potuimus.* Et Apostolus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Holus Paulus ad Galat. 2. *Nec Titus*, inquit, *compulsus est circumcidi, cum esset gentilis. Sed propter falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatẽ nostram, quã habemus in Christo Iesu, vt nos in seruitutem redigerent.* Et cap. 4. *Quomodo iterum conuertimini ad infirma, & egena elementa, quibus denuo seruire vultis.* Et cap. 5. *State, & nolite iterum iugo seruitutis contineri. Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Et ad Hebr. 7. *Translato enim sacerdotio necesse est, vt & legis translatio fiat.* Et ibidem: *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatẽ. Nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Et cap. 9. vocantur ceremoniæ legis, iustitiæ carnis vsq; ad tempus correctionis impositæ. Neque de hac libertate vlla iam dubitatio est.

De TERTIA libertate, quæ est à domino legis diuinæ moralis, id est, per quam fit, vt lex nobis non dominetur tamquam seruis, imminens flagello, & timorem semper incutiens, sed vt imperet liberis, & liberaliter obtemperare volentibus: non adimendo legi vim obligandi, sed addendo hominibus caritatem illam libenter implendi, loquitur idem Apostolus, cùm ait ad Rom. 6. *Nõ estis sub lege, sed sub gratia.* 2. Cor. 3. *Vbi spiritus Domini, ibi libertas.* Ad Gal. 5. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Et 1. Tim. 1. *Iusto non est lex posita, sed iniustis, & non subditis.* Nã vt S. Augustinus obseruat in explicatione primi Psalmi, aliud est hominẽ esse sub lege, aliud hominem esse in lege. Sub lege enim dicitur esse, qui à lege agitur tãquam seruus: in lege est, qui secũdũ legem agit, vt liber. Quare Apostolus 1. Cor. 9. dicit se factum esse omnia omnibus, iis, qui sub lege sunt, quasi esset sub lege, cùm verè nõ esset sub lege: iis qui sine lege sunt, quasi sine lege esset, cùm tamen sine lege Dei nõ esset, sed in lege esset Christi. Vbi negat se esse sub lege, & affirmat se esse in lege.

Vnde in lib. de continentia, cap. 3. idem AVGVSTINVS ait: *Non sumus sub lege bonum quidem iubente, non tamen dante, sed sumus sub gratia, quæ id quod lex iubet, faciens nos amare, potest liberis imperare.* Et in lib. de natura & gratia, c. 57. *Si spiritu*, inquit, *ducimini, nõ estis sub lege, vtique lege quæ timorem incutit, non tribuit caritatem.* Et in lib. de spiritu & litera, c. 10. explicat illud: *Iusto non est lex posita*, de lege terrente, & minante, qua iusti non indigent, sed iniusti. Quod etiã pulchrè explicat in eandem sententiã S. Ambrosius in Psal. 36. tractãs illud: *Lex Dei eius in corde ipsius.* Vbi dicit, legem scriptam fuisse in tabulis lapideis propter iniustos, de quorum cordibus lex Dei deleri iam cœperat. Iuxta illud ad Galat. 3. *Lex propter transgressionem posita est.* Vt videlicet transgressores eam videre cogerentur in tabulis, qui non amplius eã videbant in cordibus. Nam iustis non est necessaria lex scripta in tabulis, cùm eam diligenter seruent in cordibus. Lex enim Dei eius in corde ipsius.

Addunt aliqui ex Catholicis, in quibus est Dominicus à Soto lib. 2. de Iustitia & Iure, q. 5. art. 4. nõ solum Christianos liberatos esse à lege ceremoniali, & à reatu, & terrore legis moralis, sed etiã à tota lege scripta in libris Mosis, non quod nõ teneamur seruare legẽ illã Mosis, vt est naturalis, & quatenus in Euangelio, & epistolis Apostolorum renouatur, sed vt est ab ipso Mose scripta. Non enim Moses nos iã obligare potest, sed solus Christus: Christiani enim sumus, non Iudæi. Et videtur id satis efficaciter probari PRIMO, ex ipso principio Decalogi vt scribitur Exodi 20. *Egosũ Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti.* Nos enim nũquam fuimus serui in Aegypto. SECVNDO ex illo Luc. 16. *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem.* TERTIO ex Apostolo, qui ad Rom. 7. ad Hebr. 7. & ad Gal. 3. videtur absolutè dicere totam legem Mosis esse sublatam.

Cæterum nos verius putamus, legem moralem, etiam vt est data per Mosem, & Prophetas, atque vt est in libris veteris Testamenti scripta, verè obligare Christianos. Nam quod Dominus ait Matt. 5. *Non veni legem soluere, sed adimplere*, intelligitur de lege morali, vt patet ex toto illo capite. Adimplere autẽ non est (vt Dominicus à Soto ait) adducere tempus, quo lex illa cessare debet, id est, per aduentum suum illi finem imponere, quãdoquidem vsque ad Christi aduentum duratura erat. Non (inquã) id est, eo loco adimplere, sed perficere, & stabilire remotis corruptelis, quæ per falsas interpretationes illi accesserant. Adimpleuit enim Christus legem de cauendo homicidio, quia docuit cauendam esse etiam iram, quæ est via ad homicidium.

Præterea S. Paulus ad Rom. 3. cùm ait: *Numquid legem destruimus per fidẽ? absit, sed legem statuimus.* Loquitur de lege Mosis: illa enim in Scripturis intelligitur cùm absolutè lex nominatur.

Ad hæc Apostoli semper allegant verba Testamenti veteris, cùm præcepta moralia seruanda esse docent, vt patet ad Rom. 13. *Non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, &c.* Ad Ephes. 6. *Honora patrem & matrẽ, quod est mandatum primum in promissione.* Iacobi 2. *Si tamẽ legem perficitis regalem secundum Scripturas, Diliges proximum tuum sicut te ipsum, &c.* At cur Apostoli hoc facerent, si testimonia illa ad Christianos non pertinerent?

Sane mirum est, cur Dominicus à Soto loco notato scripserit, nullum testimonium ex libris veteris Testamenti quoad vim obligandi adduci posse Christianis. Nam non solum Apostoli, sed etiam Patres omnes, immo & Theologi omnes testimonia veteris Testamenti allegant ad probanda præcepta moralia, vt verbi gratia ad probandum vsuras esse prohibitas, quis non allegat Psal. 14. & Ezech. cap. 18?

Ad hæc S. Augustinus lib. 10. contra Faustum, cap. 2. disertis verbis dicit, seruari à Christianis præcepta vitæ ex ipsis libris Testamenti veteris. Et tam ipse, quàm alij Patres citati capite superiore crebro repetunt, præcepta moralia data Iudæis obligare etiam Christianos. Et nõne in Catechismis, quibus omnis Christianorum Ecclesia vtitur, scribuntur decem præcepta ad verbum deprompta ex cap. 20. Exodi? Denique lex moralis Testamenti veteris, non tantum diuina est, sed etiam spiritualis, sancta, iusta, bona, vt dicitur ad Rom. 7. & præterea immaculata, conuertens animas, & illuminans oculos, vt dicitur in Psal. 18. denique liber mãdatorum Dei, & lex, quæ est in æternum, vt dicitur Baruch. 4. quare nulla est ratio, cur non conueniat Christianis, vel cur abrogari debuerit à Christo.

Neque contraria argumenta conuincunt, sed potius sententiam nostrã confirmare videntur. Nam (quod attinet ad illud) *Ego sum Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti.* nobis etiam conuenit, quippe qui fuimus in Aegypto, & ex Aegypto liberati sumus in personis patrũ nostrorum. Nam qui ex gentilitate cõuersi sumus ad Deũ, in radicem bonæ oliuæ inserti sumus, id est, ad populum Patriarcharum adiuncti, vt dicit Apostolus ad Rom. 11. non enim populus Dei veteris Testamenti extinctus est, sed creuit ex adiunctione gentilium, vnde idem Apostolus 1. Cor. 10. alloquens Christianos ex gentilibus, dicit: *Nolo vos ignorare fratres, quoniã patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, &c.* Itaque nos sumus Abrahæ filij, quos ei Deus promisit, cùm ait Genes. 17. *Patrem multarum gentium constitui te.* De qua re vide plura apud Apostolũ ad Rom. 3. & 4. & ad Gal. 4. & apud Augustinũ in epist. 200. ad Asellicum. Vbi deducit ex Scripturis, Iudæos, qui secundũ carnẽ ex Sara, & Israël descendunt, & tamẽ increduli sunt, secundũ spiritum esse ramos fractos, & ad Agar & Esau pertinere: nos autẽ qui secundùm carnem Iudæi non sumus, & tamen in Christum credimus, esse veros Iudæos in spiritu, & ad Saram, & Israël pertinere. Et ibidẽ dicit, omnia præcepta legis veteris

veteris moralia, à nobis, qui iam sumus populus Dei, sine dubitatione esse seruanda. Præterea si non fuimus in Aegypto captiui, fuimus tamen in potestate diaboli, quam seruitus illa significabat, & si liberati non sumus ab oneribus duris luti, & laterum, liberati tamen sumus ab oneribus longè durioribus peccatorum. Itaque rectè nobis quoque Deus dicit: *Ego sum Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me, &c.*

Ad illud: *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem*, responsio est in promptu. Nam loquitur Dominus de lege prophetante per figuras, non de lege instituente mores hominum. Quod apertius habetur Matth. 11. *Omnes Prophetæ, & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt*, id est, omnes prædictiones futuri Messiæ, siue per verba Prophetarũ, siue per figuras, & ceremonias legis nõ vltra Ioannẽ extenduntur, qui fuit nouissimus Prophetarum. Itaq; locus iste de ceremoniali lege non de morali intelligi debet.

Porro ad Rom. 7. iam supra ostendimus in huius capitis initio, non abrogari legem, sed reatũ legis. Quod vel inde confirmari potest, quod in eodem ca. 7. idem Apostolus ait: *Condelector legi secundum interiorem hominem.* Item: *Consentio legi, quia bona est.* Item: *Ego ipse mente seruio legi Dei.* Certè si seruiebat legi Dei, non erat mortuus legi, nec lex erat illi mortua, quoad obligationem, & debitum implendi. Quare initio cap. 8. dicit, lex spiritus vitæ liberauit me à lege peccati, & mortis, id est, lex in corde scripta, quæ est caritas liberauit me à lege scripta in tabulis, quæ sine spiritu litera erat occidẽs. Liberauit autem, quia effecit (vt mox idem Apostolus subiungit) vt iustificatio legis (scriptæ nimirum in tabulis) impleretur in nobis.

In locis autem ad Galat. 3. & ad Hebr. 7. sermo est de lege ceremoniali, vt suprà dictum est. Vide quæ diximus cap. 2. in explicatione quinti discriminis legis, & Euangelij. Habemus igitur ex vera Christiana libertate colligi legis custodiam, & opera bona homini Christiano esse maximè necessaria.

CAPVT VII.

Probatur ex Scripturis necessitas operum ad salutem.

SED iam propius ad quæstionem ipsam de necessitate operum accedamus.

Aduersarij in eo conueniunt, vt opera bona nõ sint necessaria ad salutem, nisi necessitate præsentiæ. Cuius propositionis hic sensus est, vt opera bona fieri debeãt quoniam alioqui fides nõ esset viua, nec vera, nisi fructus bonos faceret, quomodo ignis nõ est ignis, nisi calefaciat: tamẽ opera bona non habeant vllã relationẽ ad salutem, quasi sint merita, causæ, conditiones, &c. in quo distingui dicunt fidem ab operibus, quoniam fides habet relationem ad salutem, quia illam apprehendit, & ideo necessaria dicitur ad salutem: opera verò nullam omnino relationẽ habent, & ideo sunt quidem necessaria, sed non ad salutem.

Nos contra dicimus, opera bona homini iusto esse necessaria ad salutem, non solum ratione præsentiæ, sed etiã ratione efficientiæ, quoniã efficiunt salutem, & sine ipsis sola fides non efficit salutẽ. Intelligimus autem hoc esse necessariũ hominibus rationis vsum habentibus: & qui tamdiu post adeptam remissionis gratiam superuiuant, donec occasio implendæ legis occurrat. Nõ enim negamus, quin infantes, & etiam adulti recens baptizati saluentur, si continuo ex hac vita decedant. Censentur enim totam legem implere, qui post iustificationẽ adeptam legis præcepta non violarunt, & qui caritatem, quę est legis plenitudo saltẽ habitualiter in corde gerunt.

PRIMVM igitur probatur necessitas operum ad salutem ex iis, quæ dicta sunt de discrimine legis, & Euangelij, & de libertate Christiana. Nã si promissio vitæ æternæ est conditionata, vt in 1. cap. probauimus, certè necessarium est implere conditionẽ, si quis saluus fieri velit. Et si iustus non est liber ab obligatione diuinæ legis, certè nisi eam impleat non saluabitur.

DEINDE probatur specialibus testimoniis PRIMVM testimonium ad Hebr. 10. *Patientia vobis necessaria est, vt facientes voluntatem Dei, reporteris promissionem.* Hìc habemus IMPRIMIS modum loquendi contrariũ sententiæ Lutheranorũ rigidorũ, qui non admittũt propter periculum erroris (vt ipsi somniãt) opera esse necessaria ad salutẽ. Nam patiẽtia opus quoddam est, cùm fit actus virtutis à fide distinctæ, immo opus perfectum iuxta Iacobum cap. 1. & verbis disertis necessaria prædicatur, & additur ad quid sit necessaria, *vt reporteris* (inquit) *promissionem.* DEINDE, habemus etiam hoc loco, patientiam esse necessariam, non solùm ratione præsentiæ, sed etiam relationis ad salutem. Id enim significat illud, *vt reporteris promissionem.* Nam si tãtum necessaria esse ratione præsentiæ, satis fuisset dicere, patientia vobis necessaria est, sed cùm additur ratio necessitatis, & dicitur, *vt reporteris promissionem*, apertè significatur relatio aliqua patientiæ ad acquisitionem promissionis. Id enim videmus in omnibus similibus loquendi formis: cibus est necessarius, vt nutriamur, aër est necessarius, vt respiremus, vestis est necessaria, ne frigeamus. Vbi semper relatio causæ alicuius exprimitur.

SECVNDVM, testimonium 1. Tim. 2. *Mulier seducta in præuaricatione fuit, saluabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.* Quo loco perseuerantia non in sola fide, sed in fide, dilectione, sanctificatione, & sobrietate ponitur necessaria ad salutem, vt conditio quædam, sine qua mulier saluari non potest.

TERTIVM testimonium Philipp. 2. *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini.* Profectò si actiones bonæ salutem operantur, non sunt necessariæ solùm ratione præsentiæ, sed etiam ratione efficientiæ.

QVARTVM testimonium 2. Corin. 7. *Tristitia, quæ secundum Deum est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Hìc etiam videmus rationem efficientiæ. Nam tristitia pœnitentiam, pœnitentia salutem stabilem operatur. Tristitia enim verè efficit in homine pœnitẽtiam, id est, detestationem peccati, & propositum peccata vitandi: igitur ipsa etiã pœnitentia verè efficit stabilem salutem. Proinde non est necessaria solùm ratione præsentiæ, sed etiam causæ.

QVINTVM testimoniũ 2. Cor. 4. *Id enim quod in præsens est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternũ gloriæ põdus operatur in nobis.* Quid apertius dici potuit? si patientia tribulationis operatur pondus æternæ gloriæ: quis negare potest relationem aliquam esse inter patientiam, & salutem? nisi fortè operari salutem, non sit aliquid operari, vel nulla consequatur ex operatione relatio.

SEXTVM testimonium Rom. 8. *Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Vbi mortificationem carnalium concupiscentiarum necessariam esse ad salutem, vt conditionem, & causam, ac per hoc relationem habere ad ipsam salutem: primùm demonstrat particula conditionalis, *si*: deinde antithesis. Nam paulò ante dixerat, *si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Neque enim dubitari potest, quin secũdùm carnem viuere sit vera causa mortis æternæ. *Stipendium enim peccati mors*, ad Romanos 6. Quod autem additur: *Gratia autem Dei vita æterna*, non significat, vitam æternam non esse stipendium iustitiæ, sed ipsam iustitiam non haberi, nisi ex gratia Dei: vt in libro de Meritis operum fusius declarabimus.

SEPTIMVM testimonium Rom. 8. *Si tamen compatimur, vt & cõglorificemur. Existimo enim, quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriã.* Hìc verò nõ solùm cõditionalis particula indicat causam, sed etiam ratio

Universidad de Deusto
Biblioteca

ratio addita de excessu gloriæ ad passiones. Nam si nullam haberet patientia tribulationum relationem ad salutem, frustra Paulus diceret: *Existimo enim, quod non sunt condigna, &c.* Ista enim collatio passionum ad gloriam, & excessus vnius ad alterum, manifestè declarat, esse aliquam vim in opere patientiæ ad acquirēdam illam gloriam, tametsi absolutè longè maior sit futura illa gloria, quam sit præsens tribulatio.

OCTAVVM testimonium Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Videmus hoc loco non sufficere fidem ad salutē, quæ vera, & integra in corde esse non potest, nisi accesserit etiam externa confessio. Mirum est autem quanta sit in aduersariis audacia, & quid non moliantur, vt euadant retia veritatis. Nam, vt scribitur in Colloquio Altēburgensi Illyricianus quidam, timens ne hoc testimonio stabiliretur necessitas operum ad salutem, pro, *ad salutem*, posuit, *de salute*, vt sensus sit, hominem corde credere ad iustitiam obtinendam, ore autem confiteri de adepta salute. Sed refellit hanc deprauationem Apostolus ipse, cùm ait: *Si enim confessus fueris Dominum* IESVM, *& in corde tuo credideris, quoniam Deus eum suscitauit a mortuis, saluus eris.* Vbi quod confitemur, non est, salutem nos esse adeptos, sed IESVM esse Filium Dei. Respexit enim Paulus ad verba Domini Matth. 10. *Qui me confessus fuerit, confitebor & ego eum coram Patre meo: & qui me negauerit coram hominibus, negabo & eum, coram Patre meo.*

NONVM testimonium Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurijt enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Certè reddita ratio luculēter ostendit, opera bona esse aliquo modo causſam æternæ salutis. Respondent quidem aduersarij, opera bona à Domino commēdari, vt fructus & signa veræ fidei. SED non oportet verba Domini expressa dimittere, & alia, quæ ipse nō dixit, & quæ in quæstione sunt posita aliunde accersere. Quod enim opera sint necessariò cum vera fide coniuncta, & proinde sint eius signa, & testimonia infallibilia, Dominus hoc loco non dicit, vbi fidei ne meminit quidem, & res (vt diximus) in quæstione posita est. At quod propter opera bona detur regnum cœlorum, disertis verbis hoc loco Scriptura testatur, nec solùm hoc loco, sed etiam in aliis plurimis, vt in sequenti libro probabimus.

DECIMVM testimonium Iacobi 1. *Qui autem perspexerit in lege perfecta libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.* At quomodo quæso beatus in facto suo, si facta nullam habent relationē ad beatitudinē, sed solùm præsentiam suam ociosè exhibent? Adde, quod idem Apostolus ait cap. 2. *Quid proderit fratres mei: si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat, numquid poterit fides saluare eū?* De quo testimonio satis multa diximus in 1. lib.

His accedant integræ epistolæ Petri, Ioannis, Iacobi, & Iudę, qui, teste S. Augustino in lib. de fide & operibus, c. 14. intentionem suam eo potissimum dirigunt, vt probent, opera bona iustificatis hominibus ad salutem esse necessaria, neque fidem solam sufficere, vt quidam eo tempore ex epistolis B. Pauli non benè intellectis, prædicare cœperant.

CAPVT VIII.

Probatur operum necessitas ex traditione Ecclesiastica.

AD Scripturæ testimonia traditio Ecclesiastica debet adiungi. Ac primùm testantur Patres, hāc ipsam hæresim, quę negat operum necessitatem ad salutē, patronos habuisse perditissimos hæreticos. Nam ipso tempore Apostolorum nō de fuisse, qui dicerent, solā fidem sufficere, opera non esse necessaria, testatur S. Augustinus, tū in libro de vnico de Baptismo cōtra Petilianum cap. 10. tum in lib. de fide & operibus, cap. 14.

Præterea nominatim Simonem Magum huius erroris assertorem faciunt, S. Irenæus & Theodoretus. S. IRENAEVS li. 1. cap. 20. dicit, vnū ex erroribus Simonis fuisse, saluari homines per gratiam eius, non secundùm operas iustas. THEODORETVS autem de hęreticis fabulis: *Iubebat*, inquit, *Simon suos legis minas non pertimescere, sed tamquam liberos facere quæ vellent. Non enim per bonas actiones, sed per gratiam eos esse salutem consecuturos.*

Deniq; Eunomium corpore, & mente leprosum, atque hæreticorum penè omnium impudētissimum in eodem errore versatum, testatur S. AVGVSTINVS in lib. de hæresibus, cap. 54. *Fertur*, inquit, *vsque adeo fuisse bonis moribus inimicus, vt asseueraret, quod nihil cuiquā obesset quorumlibet perpetratio, & perseuerantia peccatorum, si huius, quæ ab illo docebatur, fidei particeps esset.* Ex his apparet, ab antiquissimis patribus pro hæreticis habitos, qui sine bonis operibus salutem hominibus promittebant. Sed audiamus etiam in particulari aliquot Patrum sententias.

CLEMENS ALEXANDRINVS lib. 5. Stromatum: *Gratiā* inquit, *saluamur, sed non absque bonis operibus.* Et infrà: *Quando audierimus, fides tua te saluum fecit, non accipimus absolutè eos saluos futuros, qui quomodocumque crediderint, nisi facta quoque fuerint consequuta.*

S. HILARIVS can. 7. in Matth. *Salus*, inquit, *gentium omnis in fide est, & in præceptis Domini vita est vniuersorum.*

S. GREGORIVS NAZIANZENVS oratione in sanctum lauacrum, propè extrema: *Operare*, inquit, *bonum super hoc doctrinarum fundamento, quoniam fides sine operibus mortua est, quemadmodum & opera sine fide.*

S. AMBROSIVS, vel quicumque est auctor in comment. ad c. 4. ad Heb. tractans illud: *Festinemus ingredi in illam requiem. Festinemus*, inquit, *quoniam nō sufficit fides, sed debet addi & vita fidei condigna. Opus est quippe omni volenti cœlum possidere, fidem operibus bonis ornare.*

S. IOANNES CHRYSOSTOMVS homil. 30. in Ioa. tractans illud: *Qui credit in filium, habet vitam æternam, Numquid ergo*, inquit, *satis est ad vitam æternam in filium credere? minimè. Non enim omnis qui dicit mihi, Domine Domine intrabit in regnum cœlorum. Et peccatum in Spiritum sanctum vel solum est satis, vt hominem in gehennam detrudat. Et quid de patre loquor? nam si in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum rectè crederis, non autem rectè vixeris, nulla tibi ad salutem vtilitas. Cum ergo dicit, ipsa est vita æterna, vt cognoscāt te solum Deum verum: nolimus hoc nobis ad salutem satis arbitrari. Opus namque nobis est & vitæ, & morū puritate pollere. Et licet hoc in loco dicat, Qui credit in filium, habet vita æternam: non tamen dicimus, satis esse solam fidem ad salutē. Quod quæ de vita sæpe in Euangeliis dicuntur, ostendit.*

S. HIERONYMVS in comment. Isa. ad cap. 26. tractans illud: *Murus, & antemurale ponetur in ea. Murus*, inquit, *bonorum operum, & antemurale fidei. Non enim sufficit murum habere fidei, nisi ipsa fides bonis operibus confirmetur.* Idem in c. 4. Oseæ, imitans penè ipsam Lutheri vocē: *Per dulces*, inquit, *sermones decipiunt infelices. Cum enim viderint aliquot delinquentes, aiunt, Nihil aliud quærit Deus, nisi fidei veritatem, quam si custodieritis, non curat quid agatis.* Quid quæso interest inter ista verba, & illa Lutheri de captiuitate Babylonica cap. de Eucharistia: *Nos cum Deo numquam aliter agere possumus, quàm fide, opera ille nihil curat?*

S. CYRILLVS lib. 10. in Ioan. cap. 18. *Quod autem*, inquit, *fides ad salutem non sufficiat, Christi etiam discipulus ostendit, scribens, Tu credis, quia vnus est Deus, &c.*

S. AVGVSTINVS in libro fide & operibus, cap. 14. *Iam*, inquit, *illud videamus, quod excutiendum est à cordibus religiosis, ne mala securitate salutem suam perdant, si ad eā obtinendam sufficere solam fidem putauerint.* Idem de gratia & libero arbitrio, cap. 7. *Homines*, inquit, *non intelligentes, quod ait Apostolus, arbitramur, hominē iustificari per fidē sine operibus, putauerūt eū dicere sufficere homini fidē etiam si malè viuat, & bona opera non habeat, quod absit vt sentiret vas electionis.* Et in præfatione Psal. 31. explicans præcipitium, quo ruunt, qui sola fide nituntur: *Si*, inquit, *se infirmitati propriæ omni ex parte donauerit, & in hanc cogitationem se inclinauerit, vt dicat, quia misericordia Dei omnibus peccatoribus, in quibuslibet peccatis perseuerantibus, tantum credentibus, quia Deus liberat. Deus ignoscit, ita parata est in finem, vt nemo pereat fidelium iniquorum, id est, nemo pereat eorum, qui sibi dicunt quicquid vis faciam, quibuslibet facinoribus, & flagitiis inquinet, quantumlibet peccem, liberat me Deus misericordia sua quia credidi in eum. Qui ergo dicit, neminem peririe talium, cogitatione mala inclinatur in impunitatem peccatorum. & Deus ille iustus cui cantatur misericordia, & iudicium, non sola misericordia. sed & iudicium, inuenit hominem malè de se præsumentem, & ad interitum suum misericordia Dei abutentem, & necesse est, vt damnetur.*

Vbi S. Augustinus videtur Lutheranum hominem apertè describere, qui infirmitatem suam respiciens, & existimans impossibile esse, vt legem Dei seruare possit, totum se transfert ad præsumptionē misericordiæ Dei, & hoc ipso quod credit se à Deo liberandum, & peccata sua propter fidem non imputanda, existimat sibi iam omnia esse salua. Cæterùm eiusmodi hominem, Augustinus dicit, ad interitum suum abuti misericordia Dei, & necessariò esse damnandum.

S. GREGORIVS hom. 38. in Euangelia, explicans illud: *Amice, quomodo huc intrasti, Amicum*, inquit, *vocat, & reprobat, ac si apertiùs dicat amice, & non amice: amice per fidem, non amice per operationem.*

S. PROSPER in Psal. 111. explicans illud: *Potens in terra erit semen eius, semen futuræ missis*, inquit, *esse opera misericordiæ. Apostolus testis est dicens. Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim proprio metemus. Quid autem potentius hoc semine, cuius impendio comparatur regnum cœlorum & vita æterna?* Idem lib. 1. de vita contemplatiua, cap. 19. *Verbum fidei prædicandum est, vt audiens credat, credens intelligat, intelligens bonum opus perseueranter exerceat, quoniam eum, qui potest vti liberè voluntatis arbitrio, nec opera sine fide, nec fides sola sine operibus iustificat.*

S. FVLGENTIVS in lib. 2. de remissione peccatorum, cap. 1. *Vita*, inquit, *bona non veraciter dicitur, quæ peruersæ credulitatis vitio depraua tur: neque sufficit ad salutem fides rectè credentis, si conuersatio moribus, atque operibus turpatur obscœnis.*

PRIMASIVS in comment. cap. 5. ad Ephes. notat illud: *Omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, &c.* Propriè dictum esse aduersus eos, qui solam fidem sufficere credunt ad salutem.

CAPVT NONVM.

Probatur operum necessitas ad salutem ex ratione.

ADDEMVS POSTREMO rationem illi similem, quam texuimus in primo libro, vt probaremus, fidem solam non iustificare. Sic igitur ratiocinari possumus, si fides sola saluaret, & opera non essent necessaria nisi ratione præsentiæ, vt fructus, & signa fidei, sequeretur, fidem saluare posse, etiamsi careret omni bono opere, & coniuncta esset omnibus vitiis, & peccatis: hoc autem consequens est manifestè falsum, & Scripturis, ac rationi repugnat; igitur fides sola non saluat, & necessaria sunt opera bona, non solùm ratione præsentiæ, sed etiam ratione alicuius efficientiæ.

PROPOSITIO argumenti, quæ conditionata est, probatur hoc modo, opera non requiruntur in actu saluandi nisi per accidens, nullam enim ipsa vim saluandi habent, neque addunt fidei, neque tollunt à fide vim, quam habet saluandi, vt aduersarij contendunt, igitur bonis omnibus operibus sublatis adhuc fides saluaret. Quemadmodum enim quia ignis solo calore calefacit, si tollerentur ab igne omnes aliæ qualitates, quæ per accidens sunt cum calore coniunctæ, adhuc sine dubio calefaceret: & quoniam pater sola relatione paternitatis refertur ad filium; si ab eo, qui pater est, omnia alia attributa remouerentur, vt scientia, nobilitas, potestas, sanitas, pulchritudo, & contrà adderetur ignorantia, obscuritas, debilitas, ægritudo, deformitas; & ex prioribus attributis sola paternitas remaneret, adhuc pater ille referretur ad filium. Ita prorsus quia Christianus per solam fidem salutem apprehendit, atque ad eam refertur per aduersarios, certè sequitur, vt manente fide saluari possit, etiamsi nulla habeat opera bona, & multa habeat opera mala.

Neque respondere debent, nostram hypothesim esse impossibilem; TVM quia probauimus in primo libro verè posse fidem ab operibus separari, non solùm ratione, sed etiam re: TVM quia satis nobis hoc loco est ad hypotheticam propositionem statuendam, fidem posse intelligi sine bonis operibus, atque ab eis si non re, saltem ratione separari. Posse autem fidem intelligi sine operibus, & ab eis saltem ratione separari, aduersarij negare non possunt, quippe qui dicūt, fidem, & opera ita se habere, vt causam, & effectum, vt arborem, & fructus, vt ignem, & calorem. Quidni enim intelligi possit causſa sine effectu, arbor sine fructu, prius sine posteriore? Vera igitur est argumenti propositio ita conditionata, si fides sola saluaret, id præstaret, etiamsi bonis omnibus operibus esset vacua, & cum omni genere vitiorum coniuncta.

ASSVMPTIO eiusdem argumenti, quæ docet, fieri nullo modo posse, vt fides bonis operibus destituta, & malis operibus comitata, hominem saluet, ab aduersariis non negatur, & si negaretur, in promptu esset probatio, cum scriptum sit: *Tribulatio, & angustia in omnē animam operantis malum, Iudæi primum, & Græci: gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum, & Græco.* Rom. 2. Item: *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? nolite errare, neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* 1. Cor. 6. Item: *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, &c. quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Galat. 5. Denique, vt alia multa præteream: *Hoc scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est Idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei.* Ephes. 5.

Sequitur igitur CONCLVSIO, necessaria esse ad salutem opera bona, non solùm ratione præsentiæ, sed etiam alicuius efficientiæ, & non minùs opera, quàm fidem ad salutem suo modo referri. Atque hæc de necessitate operum hoc loco sufficient. Nam argumenta contraria nulla sunt, præter ea, quæ soluimus in primo libro, cùm disputaremus de fide non sola iustificante, & quæ soluemus paulò post in quæstione de iustitiæ veritate in operibus bonis.

CAPVT DECIMVM.

Proponitur quæstio de veritate iustitiæ operum, & sententiæ referuntur Hæreticorum & Catholicorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SEQVITVR altera quæstio de iustitia actuali, quæ est de veritate iustitiæ actualis, siue operum. Est autem hic controuersiæ status: *Vtrum homines iustificati, & gratiâ Domini adiuuante, possint ita legem diuinã implere, vt opera ipsorum non modo non sint appellanda peccata, sed etiam vere, ac propriè iusta dici mereantur.*

Et quidem hæretici huius temporis partem negantem defendunt. Docent enim, legem diuinam esse planè impossibilem homini, etiã iusto, & inde colligunt, nullam esse in nobis veram actualem iustitiam, sed omnia opera iustorum esse peccata mortalia ex natura sua: Ita LVTHERVS docet in libro de libertate Christiana: Æquè, inquit, *nobis impossibilia sunt omnia præcepta, atque illud vnum. Non concupisces.* Idem in assertione art. 2. 31. 32. & 36. apertè scribit, omnia opera hominis iusti esse peccata mortalia.

Idem habet IOANNES CALVINVS lib. 3. Instit. capit. 14. §. 9. *Nullum* inquit, *a sanctis exire potest opus, quod non mereatur iustam opprobrij mercedẽ.* Idem etiam in Antidoto Concilij sess. 6. cap. 11. sic ait: *Non sunt tantoperè exagitandi qui dixerunt quamlibet bona opera, si exacto rigore censeantur, æterna potius damnatione quàm vitæ præmio digna esse.* Ibid. disputat contra id quod habet Concilium, legẽ Dei non esse impossibilẽ. Et in lib. 2. Instit. ca. 7. §. 5. ex instituto probat, ne sanctis quidem possibilem esse legis impletionem, præsertim quod attinet ad illud: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Et illud: *Non concupisces.*

Idem habet PHILIPPVS anni M. D. XXI. tit. de peccato: *Consequitur itaque,* inquit, *omnia hominum quantumuis laudabilia opera, planè vitiosa esse, & morte digna peccata.* Idem habet in Confessione Augustana, art. 6. & in Apologia tit. de impletione legis, & in locis, tit. de libero arbitrio.

KEMNITIVS in Examine Cõcilij, more suo fraudulenter agens, videtur admittere, legem Dei per gratiam posse seruari, modò non addatur, *perfectè.* Nam reprehendens cap. 11. sess. 6. accusat Patres Concilij, quod non explicauerint, an lex Dei posset impleri perfectè, an inchoatè: *Nam posse per gratiam legem impleri, non est,* inquit ipse, *controuersia.* Et ibidem: *Persuasio,* inquit, *quæ renatorum operibus bonis in hac vita tribuit perfectionem, facit Christum post primam reconciliationem ociosum.* Vbi si existimaret Kemnitius, non posse legem impleri ita perfectè, vt iusti in tota vita non admiscerent operibus bonis vlla peccata venialia, nobiscum sentiret, & cum ipso Concilio, vt patet ex illo ipso cap. 11. sess. 6. sed non hoc sensu negat ille perfectionem operibus iustorũ, sed quia cum cæteris sectariis censet, non posse ita legem impleri, vt opus simpliciter iustum appellari queat. Impertectam enim dicit esse nostram obseruantiam legis, quia iudicat eam contaminatam, & immundam. Vnde approbat dictum Lutheri, quod omnia opera iustorum sint verè peccata.

Porro Catholici omnes summa consensione contrarium docent; Fatentur enim PRIMO, legem Dei iustis hominibus absolutè esse possibilem, non quidem per solas vires liberi arbitrij, vt Hæretici calumniantur, nos dicere, sed per auxilium gratiæ Dei, & spiritum fidei, & charitatis in ipsa iustificatione nobis infusum.

SECVNDO, opera iustorum simpliciter, & absolutè iusta, & suo etiam modo esse perfecta, quamuis non ea perfectione, quin crescere possint, & quin (vt paulò ante dixi) non admisceantur interdum operibus bonis aliqua opera mala, non quidẽ mortifera, sed venialia, quæ non impediunt, quò minùs iusti maneant, qui iusti erant. De qua re disseruimus in primo libro de statu peccati.

TERTIO, operibus iustis hominem verè iustificari, non prima, sed secunda iustificatione, quæ non facit iustos ex impiis, sed iustiores ex iustis. Hæc tria habentur in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 10. & 11. & nos eadem tria in sequentibus capitibus, Domino adiuante, probabimus.

CAPVT XI.

Legem Dei esse possibilem probatur ex diuinis literis.

LEGEM igitur Dei esse possibilem, probamus PRIMO iis testimoniis, quibus vtitur Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 11. quæ non solùm possibilia, sed etiam facilia testantur esse mandata. Matth. 11. *Iugum meum suaue est, & onus meũ leue.* Et Ioan. 5. *Et mãdata eius grauia nõ sunt.*

RESPONDENT, Caluinus in antidoto, & Kemnitius in Examine, legem Dei vocari iugum suaue, & onus leue, & mandata non grauia, quoniam renatis non imputatur præuaricatio. Christus enim nos liberauit de maledicto legis, vt dicitur ad Gal. 3. & nihil damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu, vt dicitur ad Rom. 8.

AT hæc solutio non tollit, nec minuit vim argumenti, nam imprimis vel illa non imputatio tollit obligationem legis, ita vt præuaricator non incurrat reatum; vel tollit reatum ex præuaricatione contractum. Si tollit obligationem, facit, vt lex non sit lex, & iugum non sit iugum. Proinde Scriptura falsò dicit, legem esse iugum suaue, & mandata non esse grauia. Neque enim sine obligatione lex esse potest.

Si verò permittit contrahi reatum, sed contractum postea tollit: tunc non facit iugum esse suaue, neque onus leue, immò ostendit iugum esse durissimum, & onus grauissimum, quippe quod portari non potest. Certè si boues sub iugo ad singulos passus caderent, etiamsi aratoris industria continuò resurgerent, non tamen propterea diceretur iugum eorum suaue, & onus leue. Domini autem, & Apostoli verba indicant, legem Dei esse iugum, quod facilè portatur, & mandata eius non esse grauia, sed paruo negocio custodiri, quod euidentiùs expressit Dauid sub metaphora viæ, cum ait in Psalm. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Et Apostolus Philip. 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Vbi vides dilatationem cordis per infusam charitatem, & gratiam Domini confortãtem efficere, vt mandata facilè obseruentur. Quod multò antè futurum prædixit Ezechiel. cap. 36. cum ait: *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis.*

Et hoc idem confirmant loca, quæ illi contrà adducunt. Nam Christus liberauit nos de maledicto legis, quia fecit, vt mandatum impleremus, & nulla damnatio est his, qui sunt in Christo, non quia non imputatur præuaricatio, sed quia ij non secundùm carnem ambulant, & quia per gratiam Dei fit, vt iustificatio legis impleatur in ipsis, vt ibidem subiungit Apostolus.

SECVNDO probatur ex testimoniis, quæ docent mandata seruari ab his, qui diligunt, vt etiam Concilium in eodem loco argumentatur. Ioan. 14. *Qui diligit me, sermonem meum seruabit.* Rom. 13. *Qui diligit proximum legem implenit.* Gal. 5. *Omnis lex in vno sermone impletur; Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* At certè debemus, & possumus diligere Deum, & proximum, alioqui non possumus esse Christi discipuli, cum ipse dicat Ioan. 13. *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Nec possemus vnquam amici Christi fieri, si non possemus diligere. Ipse enim ait Ioan. 15. *Vos amici mei eritis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Quid autem præcipiat, explicat ibidem dicens: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.*

Ad hoc argumentum RESPONDENT, Caluinus &

& Kemnitius; locis notatis, eum, qui diligit, legem implere, sed neminem esse qui diligat sicut oportet, vt precepto diuino satisfiat. Hic enim inchoatam tantum esse dilectionem, non perfectam.

AT nos fatemur dilectionẽ in hac vita imperfectam esse, quia potest crescere, & quia maior erit in patria: tamen non posse esse etiam tam perfectam, vt præcepto adimplendo sufficiat, omnino negamus. Nam imprimis (vt diximus) non possemus esse Christi discipuli, & amici, nisi hoc præceptum dilectionis impleremus. Valdè autem absurdum est, neminem esse posse Christi discipulum, vel amicum.

Deinde nihil Deus requirit, cum dilectionem præcipit, nisi vt diligamus ex toto corde: at hoc non solùm posse fieri, sed etiam fuisse futurum in statu Testamenti noui testatur Scriptura, Deut. 30. *Circumcidet*, inquit Dominus, *cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum in toto corde tuo, & in tota anima tua.* Denique Scriptura docet, homines posse esse perfectos in hac vita, ac per hoc verè, perfectèq; diligere: charitas enim est vinculum perfectionis Genes. 6. *Noë vir iustus fuit, atque perfectus*, Genes. 17. *Ambula coram me, & esto perfectus.* Matth. 5. *Estote perfecti.* Matth. 19. *Si vis perfectus esse.* Philipp. 3. *Quicunque perfecti sumus.* 1. Ioan. 5. *Qui seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est.*

Porrò Philippus Melanchthon in Apologia titulo de impletione legis, in solutione argumentorum, videtur concedere, posse diligi proximum, sed negat ab eo, qui diligit proximum, legem impleri. Stultum esse dicit, somniare, quòd dilectio proximi iustificet coram Deo, & legi diuinæ satisfaciat. AT hoc est negare Verbum Dei expressum. Quid enim apertiùs scribi potest, quàm, qui diligit proximum, legem impleuit?

TERTIO probatur ex testimoniis, quæ docent, aliquos seruasse mandata, ac præcipuè de dilectione ex toto corde, & de non concupiscendo. Psal. 118. inquit Dauid: *In toto corde meo exquisiui te.* Et de eodem dicitur lib. 3. Reg. 14. *Non fuisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & sequutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo.* Et Act. 13. *Inueni*, inquit, *Dauid filium Iesse, virum secundum cor meum, qui omnes voluntates meas faciet.* Et 3. Reg. cap. 15. *Et quod fecisset Dauid rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Vriæ.* Item de Iosia lib. 4. Reg. cap. 23. *Similis non fuit ante eum Rex, qui reuerteretur ad Dominum omni corde suo, in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua.* Item de Asa, & populo lib. 2. Paralip. cap. 15. *In tota voluntate sua quæsierunt Dominum, & inuenerunt.* Item de Iosue in eius libro cap. 11. *Sicut præceperat Dominus Mosi seruo suo, ita præcepit Moses Iosue, & ille vniuersa compleuit. Non præteriit de vniuersis mandatis nec vnum quidem verbum, quod iusserat Dominus Mosi.*

Neque dubium est, quin similia dici possint de Abraham, de Mose, de Samuele, de Helia, de Helisæo, Isaia, Hieremia, aliisque Prophetis. In Testamento nouo legimus Luc. 1. de Zacharia, & vxore: *Erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela.*

De Apostolis Dominus ait Ioan. 17. *Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt.* Eosdem etiam vocat amicos, Luc. 12. *Dico autem vobis amicis meis.* Et Ioan. 15. *Vos autem dixi amicos.* Et tamen ibidem iam dixerat, solos amicos esse, qui præcepta custodiunt.

Apostolus verò Paulus Rom. 7. de præcepto, Non concupisces, verba faciens: *Quod nolo*, inquit, *facio, si autem quod nolo facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Vbi apertè demonstrat, se non peccare, dum inuitus concupiscit, quia non ipse illud opus facit, proinde seruare se legem, quæ cùm iubet, non concupisces, voluntati præcipit, ne velit concupiscere, non sensui, qui legis capax non est. Vnde ibidem addit: *Ego ipse mente seruio legi Dei.* At si mente seruiebat legi, certè non peccabat, non enim peccatum esse potest nisi in mente, aut cum aliquo mentis consensu. Quod autem de Apostolis legimus, ambigi non potest, quin etiam de Ioanne Baptista dici possit, cùm inter natos mulierum non surrexerit maior Ioanne Baptista. Habemus igitur, multos seruasse legem Dei; ex quo euidenter sequitur, vt non sit impossibilis.

Neque ad hoc argumentum applicari potest communis Lutheranorum solutio, quod sancti Patres mandata seruasse dicãtur, tum propter inchoatam obedientiam, tum propter non imputationem Dei. Non enim dici potest, absolutè implere mandatum, sed potiùs absolutè præuaricati, qui tam imperfectè illud seruat, vt peccet mortaliter, & dignus sit propter illud opus odio, & ira Dei, & supplicio sempiterno. Scriptura autem dicit, illos absolutè seruasse, immò etiam toto corde seruasse; addit etiam Ezechias, Isaiæ 38. se in veritate, & in corde perfecto ambulasse coram Deo. Et non esse mentitum, testis fuit Deus, qui eum exaudiuit, Et si Ezechias corde perfecto coram Domino ambulauit, quis id negabit Abrahamo, cui dictum est: *Ambula coram me, & esto perfectus?* Quis idem negabit Dauidi, Mosi, Heliæ, & similibus, quibus Ezechiam præferre nemo sanus auderet.

CAPVT XII.

Legem Dei non esse impossibilem, probatur ex Patribus.

ACCEDAT traditio Ecclesiastica. Habemus imprimis Concilium II. ARAVSICANVM can. vlt. vbi sic legimus: *Hoc etiam secundùm fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.*

ORIGENES homil. 9. in Iosue prope finem mulieribus comparandos censet eos, qui dicunt, se Dei mandata seruare non posse.

S. BASILIVS oratione in illud, *Attende tibi*, non procul ab initio: *Impium*, inquit, *est dicere, impossibilia esse spiritus præcepta.*

S. IOANNES CHRYSOSTOMVS homil. 8. de pœnitentia, circa medium: *Nequaquam*, inquit, *Dominum accuses, haud mandat impossibilia. Multi & ipsa superant præcepta.* Similia habet homil. 19. in epist. ad Hebr. hom. 39. in Matth. & homil. 2. in epist. ad Philip.

S. CYRILLVS lib. 3. contra Iulianum circa mediũ, ipsum etiã præceptũ, Non cõcupisces, quod omniũ difficilimum iudicatur, dicit, impleri posse per gratiam.

Ex Latinis S. HILARIVS in Psal. 118. tractans illud: *Latum mandatum tuum nimis latum*, inquit, *mandatum Dei est, & in omnia spei nostræ genera diffunditur, vt non difficile sit, si voluntas adsit, præcepto Domini obtemperare.*

S. HIERONYMVS lib. 2. aduersus Pelagianos prope initium: *Deus*, inquit, *possibilia mandauit hoc nulli dubiũ est.* Idem in comment. ad cap. 5. Matt. prope finẽ: *Multi præcepta Dei sua imbecillitate metientes, putant esse impossibilia, quæ præcepta sunt.* Et: *Sciendum est ergo, Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta, quæ fecit Dauid, &c.*

S. AVGVSTINVS lib. de natura & gratia, cap. 43. *Non igitur*, inquit, *Deus impossibilia iubet, sed iubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis.* Vbi docet, mandata omnia esse possibilia, sed alia immediatè, alia mediatè, id est, mediante oratione.

Hoc testimonium Concilium Tridentinum citauit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel potiùs suum fecit sess 6. cap. 11. Ideo respondet Kemnitius, Augustinũ fuisse vexatum à Pelagianis ista quæstione, essent né Dei præcepta possibilia; & ad cauendam inuidiam abstinuisse à voce impossibilitatis, interdum etiam concessisse esse possibilia, sed sine præiudicio veritatis. Nam in lib. de perfectione iustitiæ resp. 16. dicit Augustinus, non esse quæstionem, an possit homo vitare omnia peccata, sed quando, & per quem. Potest enim vitare, sed in alia vita, non in ista, & per gratiam, non per naturam, quod est idem ac si dixisset, legem esse possibilem, sed in cœlo, non in terris, post mortem, non in vita. Item in lib. 3. contra duas epistolas Pelagianorum, c. 7. dicit, gratiam Dei dedisse homini studium præcepta seruandi. & eandem gratiam ignoscere, si quid minus fit. Quibus verbis videtur S. Augustinus dicere voluisse, mandata non esse impossibilia, non quod impleri possint, sed quia quod non impletur, indulgetur.

At Kemnitius confundit more suo duas quæstiones, Vtrum præcepta seruari possint, & an possit homo viuere absque peccato. Istæ enim quæstiones adeò diuersæ sunt, vt ad priorem semper Augustinus respondet affirmando, ad posteriorem respondet semper negando. Peccata enim venialia non sunt contra, sed præter mandata; & etiamsi essent contra mandata, non tamen necesse est, vt in quolibet opere peccatum veniale admisceatur. Itaque S. Augustinus constanter docet, non posse hominem in hac vita cauere omnia peccata venialia, lib. de natura & gratia, cap. 34. de spiritu & litera, cap. vlt. lib. 1. ad Bonifacium contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 14. in epist. 89. & 95. & in toto libro de perfectione iustitiæ.

Atque hoc modo intelligitur, quod obiicit Kemnitius ex libro de perfectione iustitiæ, non enim Augustinus dicit, mandata seruari posse in cœlo, non in terra; sed in cœlo, nõ in terra, habituros nos eam perfectionẽ, vt viuamus omnino absque peccato, etiam veniali. Imò in altero loco nobis obiecto, id est, in lib. 3. ad Bonifacium, cap. 7. cùm Pelagiani colligerent ex sententia Augustini id, quod nunc Kemnitius colligit, legem videlicet in cœlo impleri posse, non in terra, respondit Augustinus, valde illos errare: præcepta enim ad hanc vitam, non ad aliam pertinere: *Hic*, inquit, *præcipitur nobis, vt diligamus. ibi autem diligere, non obedientia, sed felicitas erit.*

Quòd autem ibidem subiungit, gratiam Dei præbere studium ad implenda mandata, & indulgentiam, si quid minùs impletur; non arguit præcepta esse impossibilia, sed hominem non esse impeccabilem. Sensus enim eorum verborum est, ex gratia Dei hominem habere, vt velit, & studeat implere mandata. Quod si fortè aliquando labatur, & non impleat, ex gratia item indulgentiam esse sperandam.

Iam verò quod S. Augustinus ad priorem quæstionem semper respondeat affirmando, hæc loca testantur. Lib. de natura & gratia, cap. 69. *Eo ipso quo firmissimè creditur Deum iustum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Omnia quippe facilia fiunt charitati, cui vni Christi suauis lex is est.* Lib. 2. de peccatorum meritis & remissione, ca. 3. *Non præciperet Deus aliquid, quod esset humanæ impossibile voluntati.* Et in eodem lib. cap. 6. *Dubitare non possunt, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum, & adiuuandum, quo fiat quod iubet, impossibile aliquid esse.* Lib. de gratia & libero arbitrio, cap. 16. *Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt, non iubere Deum, quod fieri, non posse ab homine fieri, quis hoc nescit?* In Psal. 36. *Non imperaret hoc Deus, vt faceremus, si impossibile iudicaret.*

CAPVT XIII.

Legem Dei non esse impossibilem, probatur rationibus.

Accedant postremò etiam rationes. Prima ratio, potest homo facere plusquã Deus præcipiat, igitur multò magis potest implere præceptum. Posse autem fieri plusquam Deus præcipiat, testatur Dominus Matth. 19. qui posteaquam dixerat: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, & quidam respondet, *hæc omnia seruaui à iuuentute mea.* Rursus eidem ait: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, &c.* Testatur quoque S. Ioannes Chrysostomvs loco citato hom. 8. de pœnitentia: *Multi*, inquit, *& ipsa superant mandata.* Testatur denique S. Avgvstinvs serm. 18. de verbis Apostoli: *Non grande onus imposuit virginibus, maior amor imposuit maius onus, tanquam dicerent, quid subes? ne adultera simus? hoc præcipis? amando te plus facimus, quàm præcipis?*

Secvnda ratio, si præcepta essent impossibilia, neminem obligarent, ac per hoc præcepta non essent præcepta. Neque enim fingi potest, quomodo aliquis peccet in eo, quod vitare nõ potest. Quòd si non peccat, qui legis transgressionem vitare non potest, profectò nec legem transgreditur, nec legem vllam habet. Non enim fieri potest, vt legis transgressio non sit peccatum, cùm nihil sit aliud peccatum, nisi transgressio legis.

Tertia, si lex Domini esset impossibilis, sequeretur, Deum omni tyranno esse crudeliorem, & stultiorem, quippe qui ab ipsis etiam amicis tributum exigeret, quod nemo soluere posset, & leges ferret, quas sciret à nemine obseruandas. Quod verò Philippus & Kemnitius dicunt, non esse audiendam politicam iustitiam, quæ docet, nihil præcipi posse aut debere, quod seruari non possit; fortasse locum haberet, nisi huic iustitiæ politicæ, vel potiùs rectæ rationi Scripturarum, & Patrum testimonia consentanea non haberemus. At cùm politica, in hac parte mirificè cum diuinæ Scripturæ auctoritate consentiat, quid ni rationem politicam potiùs, quàm Lutheri delirationem audiamus?

Qvarta ratio, Christvs *passus est, vt iustificatio legis impleretur in nobis*, vt dicitur ad Rom. 8 Item docuit nos orare: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra*, Matt. 6. vbi petimus gratiam implendi præcepta, vt exponunt S. Cyprianus in sermone de oratione Dominica. Et S. Augustinus lib. 3. ad Bonifacium, cap. 7. Denique Christvs *factus est omnibus obedientibus sibi causa salutis æternæ*, Hebr. 5. At si lex impleri non potest, Christus non obtinuit quod voluit; frustra nos oramus quotidie; & nemo omnino saluari poterit. Nam si lex impleri non potest, iustificatio legis nunquam impletur in nobis, etiamsi Christus venerit in similitudinem carnis peccati, & de peccato, id est, victima pro peccato, damnauerit peccatum: nec fit vnquam Dei voluntas in terra, sicut in cœlo, etiamsi Christo magistro freti hanc orationem assiduè frequẽtemus; nec vnquam verè obedimus Christo, ac per hoc nulli nostrum erit caussa salutis æternæ.

Qvinta ratio, omnes verè iustificati Spiritum sanctum habent, vt Scripturæ passim testantur, Rom. 5. & 8. 1. Cor. 3. Gal. 3. Tit. 3. & alibi: At Spiritus sanctus fructus suos parit, qui numerantur ad Gal. 5. *Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Qui verò hos fructus habet, non accusatur à lege, quippe qui eam non præuaricatur, sed implet. Id enim significat quod in eodem loco subiungitur, *aduersus huiusmodi non est lex.* Non enim lex habet, in quo accuset eos, qui sunt præditi charitate, patiẽtia, &c. & ideò paulo ante dixerat idem

idem Apostolus: *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Et Rom. 8. *Lex spiritus vitæ liberauit me à lege peccati, & mortis.* Quia videlicet lex in corde scripta, id est, Spiritus sanctus in corde diffusus facit implendo legem, vt lex non accuset ampliùs, neque occidat, vt præuaricatores: ergo de primo ad vltimum, qui est iustificatus, propter spiritum quem accipit, legem omnino implet, & si non implet, nec spiritum accepit, nec verè iustificatus est.

Sexta ratio, omnes iustificati ex Deo nati sunt, vt perspicuũ est ex plurimis locis diuinæ Scripturæ. Ioã. 1. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto.* 1. Pet. 2. *Quasi modò geniti infantes.* Iacobi 1. *Genuit nos verbo veritatis.* 1. Ioan. 4. *Qui diligit, ex Deo natus est.* Rom. 8. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* At *qui natus est ex Deo, non peccat, nec potest peccare, quia ex Deo natus est*, vt habetur 1. Ioan. 3. qui autem non peccat; non præuaricatur, sed implet legem; qui enim legem non implet, hoc ipso præuaricatur, & peccat. Igitur omnis, qui verè iustificatus est, implet legem, nec potest fieri, vt iustificatus maneat, & legem non impleat. Quare qui legem impossibilem esse dicunt, contra Scripturarum apertissima testimonia, hominem iustificatum ex Deo natum esse, negare cogũtur.

CAPVT XIV.

Soluuntur obiectiones hæreticorum.

Superest vt argumenta Hæreticorum breuiter dissoluamus.

Primo obiiciunt, Caluinus in Antidoto, & Kemnitius in Examine, illud S. Petri Act. 15. *Quid tentatis imponere iugum super ceruices discipulorum, quod nec nos, nec patres nostri portare potuimus? sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi.* Hæc enim verba dicuntur fidelibus, non infidelibus; ne fortè respondeatur, legem esse iugum importabile sine gratia, & non renatis: non autem renatis, & qui gratiam Dei habent. Præterea intelligi debent hæc verba de omni lege, tam ceremoniali, quàm morali; tum quia solæ ceremoniæ legis non superant vires humanas; tum quia particula aduersatiua, *sed*, opponit gratiam legi simpliciter; tum quia si ceremonialis lex iugum est importabile, quanto magis lex moralis iugum erit importabile?

Respondeo, non loquitur S. Petrus nisi de lege ceremoniali. Id quod euidenter probo. Primvm occasione illorum verborum. Scribit enim S. Lucas, surrexisse quosdam ex discipulis, qui dicerent, oportere gentiles conuersos ad fidem circumcidi & Mosis legem omnino seruare: atque istam fuisse caussam, cur Apostoli Concilium coẽgerint, vt viderent de verbo hoc. Perspicuum est igitur, de circumcisione aliisque id genus ceremoniis Apostolum Petrum esse loquutum.

Secvndo, idem probatur ex decreto illius Concilij, quod iuxta Petri sententiam constitutum fuit. Sic enim habet decretum: *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, à sanguine, suffocato, & fornicatione.* Quæro igitur, vtrum ista dicantur sola necessaria ex lege ceremoniali Iudæorum, an ex omni lege simpliciter. Si ex lege ceremoniali Iudæorũ, habemus quod volumus. Si ex omni lege simpliciter, id sequetur absurdi, vt non sit necessarium Christiano non colere idola, non mœchari, non furari, non occidere, non falsum testimonium dicere, & alia, de quibus Apostolus ait 1. Cor. 6. *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Dicent fortasse, necessaria quidem esse hæc omnia, sed non inde homines iustificari. At num ex illis quatuor, quæ sola dicuntur necessaria, homines iustificantur?

Tertio, probari potest res eadem ex ipsa summa decreti, & verborum Petri. Volũt enim Petrus, & Apostoli cæteri remouere iugum legis à ceruicibus discipulorum. Quid verò est remouere iugum legis? tollere ne obligationem, atque abrogare legem, an tollere opinionem iustificationis, ac docere, neminem per eam legem iustificari? si dixerint, remouere iugum esse, tollere obligationem, ergo nulla iam amplius lex obligabit Christianos, excepta lege de immolatis simulachrorum, sanguine, suffocato, & fornicatione, si per legem intelligatur lex omnis non solùm ceremonialis, sed etiam moralis. Atqui hoc absurdissimum esse, neque ipsi quidem aduersarij negare audebunt. Si dixerint tollere iugum, non esse tollere obligationem, sed opinionem tantùm iustificationis, ergo lex ceremonialis de circuncisione, sabbatis, neomeniis, sacrificiis pecorum, non erit sublata, quoad obligationem. Atqui id repugnat Apostolo, qui ad Galat. 5. scribit: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Cogimur igitur dicere, Apostolos iugum importabile appellasse legem ceremonialem, atque eius obligationem declarasse per Christum omnino esse sublatam. Voluisse tamẽ eosdem Apostolos paucas quasdam ceremonias de sanguine, suffocato, & immolatis idolorum à gentibus ad tempus obseruari, quibus adiunxerunt continentiam à fornicatione, quòd fornicatio apud Gentiles non haberetur pro peccato, sicut habebatur adulterium, homicidium, periurium, & alia id genus.

Ad illud igitur quod obiiciunt, ceremonias legis non superare vires humanas præsertim addita gratia Dei, Respondeo verum esse, & ideo Zachariam, & Elisabetham ambulasse in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela: sed tamen dici iugum importabile, quoniam ægrè, ac difficulter portabatur, vt rectè exponit S. Thomas in 2. sent. dist. 28. quæst. vnica, art. 4. ad 3. & Nicolaus Lyranus in hunc locum Actorũ. Et Theophylactus exponens illud Matth. 23. & Luc 11. *Alligant onera grauia, & importabilia in humeros hominum.*

Ad illud autem, quod aduersatiua particula, *sed per gratiam Dei, &c.* videatur opponere gratiam legi simpliciter, Respondeo, S. Petrum duas rationes indicasse, cur non essent obligandi Christiani ad ceremonias legis, Vnam, quòd eæ ceremoniæ essent iugum grauissimum. Alteram, quòd essent inutiles ad iustificationem. Itaque sensus hic est verborum S. Petri, Quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod nec nos, nec patres nostri portare potuimus? præsertim cùm non per eas ceremonias, sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credamus saluari, sicut & illi saluati sunt: vbi in illa particula aduersatiua includitur, siue implicitè continetur altera illa ratio de inutilitate ceremoniarum.

Ad illud quod lex moralis sit grauior ceremoniali, ac proinde iustiùs dicenda sit iugum importabile quàm ceremonialis, Respondeo, legem ceremonialem nõ debere comparari cum morali præcisè, sed conferri debere legem ceremonialem adiunctam morali, cum ipsa morali remota ceremoniali. Non enim lex ceremonialis dicitur iugum importabile, quia sola ipsa sit importabilis, sed quoniam adiuncta legi morali, auget vehemẽter onus, & fit iugum, ferè importabile homini iam onerato lege morali. Quare lex moralis, remota ceremoniali Iudaica, non est iugum importabile habenti gratiã Dei, sed iugũ suaue, & onus leue; & lex ceremonialis Iudaica, adiuncta morali, iugũ est grauissimũ, ita vt importabile dici possit. Quãuis enim per gratiã Dei portatũ fuerit à

Universidad de Deusto
Biblioteca

nonnullis; tamen rectè dicuntur etiã illi portare non potuisse, quod non sine magno labore, & sudore portarunt.

SECVNDA obiectio Caluini eiusmodi est, Paulus ad Gal.3. pro confesso assumit legem esse impossibilem, cũ dicit: *Qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim maledictus omnis qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis huius.* Vbi hoc argumẽtum texit Apostolus, Maledictus est qui non seruat totam legem, vt Moses dicit: *Maledictus omnis qui non permanet, &c.* igitur qui ex operibus legis sunt, id est, qui iustificari volunt implendo legem, maledicti sunt. Quæ consequutio nulla est, nisi subintelligatur assumptio ista, Atqui nullus legem totam seruare potest. Sic igitur argumentum integrum conficiendum erit, Maledictus omnis, qui totam legem non seruat; Nemo potest legem totam seruare; igitur maledictus omnis qui ex operibus legis est, id est, qui vt legi subiectus, ex ipsius obseruatione iustificari quærit.

RESPONDEO, Assumptio necessaria, vt argumentatio Apostoli concludat, quod ipse intendit, non est illa, Atqui nemo totam legem seruare potest: sed ista, Atqui nemo suis viribus, sine fide, & gratia seruare potest totam legem. Illud quoque: *Qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt*, non significat, eos esse maledictos, qui legem implendo iustificari quærunt; cum dicat idem Apostolus ad Rom. 2. *Factores legis iustificabuntur*; sed significat, maledictos esse eos, qui suis viribus sine fide, & gratia legem implere, & iustificari se posse credunt. Nã paulò ante dixerat, eos qui ex fide sunt, benedicendos esse cum fideli Abrahamo, quia scriptum est: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes.* Ideo opponens fidei, opera sine fide subiungit: *Quicunque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.*

Itaque argumentum Apostolicum est hoc, Maledictus est omnis qui non seruat totam legem. At nemo potest suis viribus, sine fide, & gratia totam legem seruare, igitur maledicti sunt omnes illi, qui ex operibus legis sunt, id est, qui suis viribus, sine fide, & gratia totã legem seruare, & eo modo iustificari quærunt. Atque hinc intelligimus id quod sequitur: *Christus nos liberauit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Non significare, vt aduersarij credunt, nos liberatos à lege per non imputationem præuaricationis, sed (vt nos sæpe diximus) nos liberatos à maledicto, quia per Christi fidem, & gratiam legem implere possumus, & implemus.

DICET aliquis, Apostolus Paulus loquitur eo loco de lege circumcisionis, non de lege morali, vt nos etiam supra diximus, cùm ageremus de libertate Christiana: legem autem circumcisionis omnino tollendam, vel sublatam esse contendit: non igitur maledictos eos esse dicit, qui legem non seruant ex fide, & gratia, sed qui eam quomodocunque seruare volunt.

RESPONDEO, B. Paulus in epistola ad Galatas, vt etiam in epistola ad Romanos, duos errores Iudaizantium, quorum vnus est ratio alterius, refellit. VNVS error eorum erat, seruandam esse legem circumcisionis, atque aliarum id genus ceremoniarum. ALTER error erat, ideò seruandã esse legem circumcisionis, quoniam obseruatio legis, esset necessaria præparatio ad fidem, & gratiam Christi, & ideo possent, & deberent omnes seruare legem, & iustificari, vt digni essent Euangelio, & promissis Christi. Apostolus igitur contra priorem errorem, dicit legem ceremonialem fuisse quasi pædagogum, & ad tempus impositam, & non esse amplius seruandam, & hoc diximus cũ agerimus de libertate Christiana: contra posteriorem errorẽ, qui pernitiosior erat, Apostolus dicit, ex operibus legis sine fide nullam posse esse iustitiam, & alioqui Christum gratis mortuum esse, & in hac disputatione contra posteriorem errorem loquitur de omni lege, non solùm ceremoniali, sed etiã morali. Nulla enim lex est, que sine fide & gratia iustificare possit.

TERTIA obiectio sumitur ex illis verbis Apostoli ad Rom. 7. *Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio.*

RESPONDEO, loquitur Apostolus de actu concupiscendi, quem sæpe sentimus, quando etiam non consentimus. Quamuis enim non sit peccatum sentire carnalem concupiscentiam, & non consentire, tamen nollet homo casTus eam sentire, & in partem infelicitatis suæ ponit, quod cogatur etiam nolens, carne seruire legi peccati. Hinc igitur Apostolus dicit: *Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio.* Et: *Infelix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis huius?* Vide Augustinum tract. 41. in Ioan. lib. 6. in Iulianum, cap. 11. & lib. 1. ad Bonifacium, cap. 10.

QVARTA obiectio, Nemo potest vitare omnia peccata, cùm scriptum sit Iacobi 2. *In multis offendimus omnes.* Et 1. Ioan. 1. *Si dixerimus quia peccatum nõ habemus, nos ipsos seducimus.* At qui legem omnẽ impleret, nullũ haberet omnino peccatum: igitur fieri non potest, vt lex omnis à nobis, etiam cum fide, & gratia, impleatur.

RESPONDEO, Ab hoc argumento, quod valde Kemnitius vrget, non tam facilè se expediunt, qui concedunt, peccatum veniale esse propriè contra legem, vt Vega li. 11. in Concilium cap. 20. coguntur enim dicere, legem non esse impossibilem, non quòd tota simul seruari possit, sed quòd seruari possit maior eius pars, & à meliori parte fiat denominatio. Sed videndum est illis, quid respondeant Apostolo Iacobo dicenti: *Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.*

Solida igitur responsio est, peccata venialia, sine quibus non viuimus, non esse peccata simpliciter, sed imperfectè, & secundum quid, neque esse contra legem, sed præter legem, vt S. Thomas rectè docet in 1. 2. q. 88. art. 1. hinc enim omnia cohærent. Nam qui offendit in vno, prævaricans videlicet vnum præceptum, factus est omniũ reus, & iniustus simpliciter constituitur, & tamẽ in multis offendimus omnes, quia tametsi nihil facimus contra legem, tamen multa facimus præter legem. Et qui natus est ex Deo non peccat, transgrediendo legem; & tamen si diximus, quia peccatum non habemus, nihil videlicet præter legem faciendo, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.

QVINTA obiectio, Christus Mediator est non solùm in prima reconciliatione, sed etiam postea in toto vitæ nostræ tẽpore: ergo semper egemus intercessione Christi, ac per hoc semper peccamus, legemq́ue transgredimur; alioqui post primam reconciliationem Christus ociosus esset. Hoc argumentum commune est Caluino, Philippo, Kemnitio, & aliis, qui inde concludunt, si qua est in nobis legis impletio, illam nõ tam esse operum, quæ respondeant perfectioni legis, quam fidei, quæ perpetuò apprehendit remissionem.

RESPONDEO, Christus semper nobis Mediator est, nec vnquam est ociosus; idque duplici ratione, PRIMO, quoniam semper nobis vires, & gratiam subministrat, per quam bona opera faciamus. Ideo siquidẽ rectè comparauit se ipse viti, & nos palmitibus. Vt enim palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite, & succum traxerit ex vite, sic nec nos nisi manserimus in Christo, & spiritum hauserimus ex ipso.

SECVNDO, quoniam peccata nostra, quamuis leuia, & quotidiana, ipse purgat, & sanguis eius emundat nos ab omni peccato. Et si fortè legem præuaricando à iustitia excidamus, ipse nihilominus propitiatio est pro peccatis nostris, & nõ septies, sed septuagies septies nos Patri reconciliat, si per eius gratiam conuersi seriò pœnitentiam

pœnitẽtiam agere incipiamus. Itaque nõ facimus nos, qui legem impleri posse dicimus, Christũ Mediatorem ociosum: sed verè faciunt aduersarij Christi merita inefficacia, cùm docent Christum tam insigni obedientia id efficere non potuisse, vt iustificatio legis impleretur in nobis.

SEXTA obiectio sumitur ex S. AVGVSTINO, qui in lib. 1. Retract. cap. 19. sic ait: *Omnia mandata facta deputantur, quando quicquid non fit ignoscitur.*

RESPONDEO, loquitur eo loco S. Augustinus de summa perfectione implendi præcepta, quam dicit expressam fuisse à Domino per illa verba, Matt. 5. *Iota vnũ, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant*; quærit autem, num hęc perfectio possit haberi in hac vita, & respondet, non posse haberi, nisi in hoc sensu quod omnia mandata facta deputantur, quando quicquid nõ fit ignoscitur. Nam inter alia mandata implenda est etiam illud, vt oremus: *Dimitte nobis debita nostra.* Ex quo intelligimus eam imperfectionem in lege diuina seruãda asseri ab Aug. quæ non sit prævaricatio integri præcepti, sed carẽtia perfectionis in ipsa legis obseruatione: quomodo in scribendo, aut proferendo legem, proferret quidem omnes dictiones, & syllabas, sed literulam, aut literæ partem aliquam non exprimeret. Hac enim similitudine Dominus vsus est, cùm non ait, verbum vnum, sed *iota vnum, aut vnus apex, non præteribit à lege donec omnia fiant.*

Atque hæc dicta sint ad mentem S. Augustini in eo testimonio explicandam. Alioqui enim si aperte dixisset Aug. omnia mandata facta deputantur, quando si quod mandatum violatur, ignoscitur: non deberet, nec posset inde colligi, legem Domini esse impossibilem. Potest enim fieri, vt quis multa mandata integrè seruauerit, & postea tamen aliquod aliud mandatum non impleat, cuius prævaricationis pœnitentiam agat, & indulgentiã impetrata ita saluetur, ac si mandata omnia custodisset.

Addi posset alia obiectio ex præceptis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &, Non concupisces.* Hæc enim duo in hac vita impleri non posse probant aduersarij ex Augustino & Bernardo. SED hæc à nobis fusè tractata sunt in lib. 2. de Monachis, cap. 13. & in lib. 2. de peccato originis, qui in quintus de statu peccati, ca. 10. Ideo videntur hoc loco prætermittenda, ne fatigemus nimia repetitione lectorem.

CAPVT XV.

Iustorum opera non esse peccata, sed iustitiam, probatur ex diuinis literis.

NVNC veniendum est ad ALTERVM caput huius cõtrouersiæ de veritate iustitiæ actualis, in quo probandum erat, opera bona iustorum non esse peccata, sed verè iusta, vt etiam iustitia actualis dicit possint.

PRIMVM igitur testimonium ad hoc probandum sumitur ex lib. Iob ca. 1. *In omnibus his non peccauit Iob labiis suis, nec stultum aliquid cõtra Deũ loquutus est.* Vbi Scriptura reddit testimonium S. Iob, quod in tanta occasione impatientiæ, ne verbo quidem peccauerit, ac ne fortè Lutherani Rabinos quosdã imitari velint qui dicunt, Iob non peccasse labiis, tamẽ corde peccasse; audiamus Deum ipsum in 2. ca. ita loquentem ad Satanam: *Numquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit illi similis in terra, vir simplex, & rectus & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam tuam?* Certè si innocentiam retinebat, & si à malo recedebat, neque lingua, neque corde peccauerat.

Adde quòd cùm Satan nihil aliud quæreret tot suis tentationibus, nisi Iob ad peccandum inducere, contra autem Deus illa omnia tentamenta permitteret, vt patientia, & virtus sancti viri demonstraretur, si Iob peccasset, Deus ipse quodammodo à Satana Superatus fuisset. Quare certum est, opus illud patientiæ S. Iob nullo peccato maculatum fuisse: & Lutheranos, qui id negent, à partibus diaboli contra Deum pugnare.

SECVNDVM testimonium sumi potest ex verbis Dauidis Psal. 7. *Iudica me Domine secũdum iustitiam meã, & secũdum innocentiam meam sũper me.* Psal. 6. *Exaudi Domine iustitiam meam, Deus vultu tuo iudicium meum prodeat. Oculi tui videãt equitatẽ. Probasti cor meum, & visitasti nocte, igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.* Psal. 17. *Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meã, & secundum puritatẽ manuũ mearum retribuet mihi, quia custodiui vias Domini nec impiè gessi à Deo meo.* Psal. 25. *Iudica me Domine, quoniam ego innocentia mea ingressus sum.* Psal. 118. *Feci iudicium, & iustitiam, non calumnientur me superbi.* In his locis Dauid non solùm opera sua iustitiæ nomine ornanda censebat, sed etiam confidebat ea in iudicio Dei posse consistere, atque ideo petens iudicari secundùm iustitiam suam, damnationem pro absolutione quæsisset. Igitur Dauid credebat posse hominem cum Dei gratia facere opera verè iusta.

Neque verò satisfacit Philippi & Caluini responsio, qui dicunt Dauidem non velle in his locis affirmare, opera sua fuisse absolutè iusta, sed per comparationem ad opera aduersariorum suorum, nec id etiam absolutè, sed in certa alia causa. Hæc, inquam, responsio non satisfacit, quoniam verba Dauidis generalia sunt, atque illa præsertim: *Quæ custodiui vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo.* Item: *Ab omni via mala prohibui pedes meos.* Item: *Feci iudicium, & iustitiam. Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.*

TERTIVM testimonium, Matt. 6. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Et Lucæ 11. *Si ergo corpus tuum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.* Hoc loco describitur opus perfectè bonũ, quod videlicet sit bonũ ex genere suo, & ex intentione; aliisq; circumstantiis. Nam oculus simplex, est intentio recta, corpus lucidum, est opus bonum, de quo dicitur Mat. 5. *Sic luceat lux vestra, vt videant opera vestra bona, &c.* Tale autem opus pronunciat Dominus esse lucidum totum, nec vllam habere partem tenebrarum. At si illud opus peccatum esset mortale naturâ suâ, vt Lutherani dicunt, magnam partem haberet tenebrarum, immò esset tenebrosum totum, vt Dominus ibidem dicit de opere quod mala intentione fœdatur. Sicut enim mala intentio, ita quodlibet aliud vitium reddit opus malum, quamuis ex genere suo bonum esset.

QVARTVM testimonium ex Apostolo in priore ad Corinth. ca. 3. *Si quis superædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, fœnũ, stipulã, vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet: si cuius opus arserit, detrimentũ patietur, &c.* Quo loco indicantur esse quædã opera supra fundamẽtũ veræ fidei ædificata adeò bona, vt nihil omnino habeant vitij. Id enim primùm ostendit comparatio ad aurum, argentũ, lapides preciosos. Deinde quòd illa opera in igne diuini iudicij manere dicantur, & mercedẽ accipere. Certè enim peccata nec aurum dici possunt, nec in diuini iudicij igne subsisterent, nec mercedem, sed pœnam, suppliciumque perciperent.

QVINTVM testimoniũ ex Iacobo ca. 3. *In multis offendimus omnes.* Quare quæso non dixit, in omnib. offendimus, omnes? nam si omnia opera iustorum sunt peccata mortalia, certè non tantùm in multis, sed etiam in omnib. offendimus, sed nouerat ipse quid diceret. Nam ca. 2. distinxerat opera bona à peccatis, dicens: *Si legem*

Universidad de Deusto
Biblioteca

perfectis regalem secũdum Scripturas diliges proximum tuum sicut te ipsum, bene facitis: si autem personas non accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege quasi transgressores.

SEXTVM testimoniũ sumitur ex illis locis, quæ hortantur hominem ad non peccandum, Psal.4. *Irascimini, & nolite peccare.* Isaiæ.1. *Quiescite agere perverse, discite bene facere.* Ioan.5. *Noli amplius peccare.* 1. Corint. 15. *Exigilate iusti, & nolite peccare.* 2. Petri.1. *Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis: hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* 1. Ioan.2. *Hæc scribo vobis vt non peccetis.* Quorsum enim pertinẽt hæ cohortationes, vel admonitiones, si in omni opere, quantumuis bono, non possumus non peccare?

SEPTIMVM testimoniũ sumitur ex illis locis, quæ docent opera iustorum placere Deo; Malach. 3. *Placebit Deo sacrificium Iuda, & Hierusalem sicut dies seculi, & sicut anni antiqui.* Sap. 9. *Sapientia custodiet impetentia sua, & accepta erunt opera mea.* Act. 10. *Qui timet Deum & operatur iustitiam, acceptus est illi.* 1. Petri.2. *Offerẽtes spirituales hostias acceptabiles Deo.* Philip.4. *Repletus sum acceptis ab Epaphrodito, quæ misisti in odorem suauitatis hostiam acceptam, placen. em Deo.* Atqui Deo nihil placere potest, nisi q est verè bonũ, & purum ab omni vitio, vt ipse etiam Caluinus fatetur lib.3.Instit cap.12.§.1.

Quod verò idem Caluinus ait, placere Deo eiusmodi opera non ratione propriæ dignitatis, sed quia Deus per indulgentiam lanat operum fœditatem: omninò est absurdum, nisi fortè non solùm peccatoribus imputari velit Christi iustitiã, sed ipsis etiam peccatis, quod nullo modo fieri potest. Nam si quis dixerit, Deum ignoscere culpas, non velle punire, non imputare, facilè intelligetur; at ipsum peccatum per indulgentiam fieri hostiam placentem Deo in odorem suauitatis, quis tandem intelligit?

OCTAVVM testimoniũ ex locis illis, quæ absolutè iustorũ opera, bona opera nominãt, Mat.5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.* 1. Tim. 6. *Diuitib. præcipe non superbe sapere, diuites fieri in operibus bonis.* Tit. 3. *Curent operibus bonis præesse, qui credunt Deo.* Ephes.2. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* At si opera omnia iustorum, essent peccata mortalia, dicenda essent potiùs mala, quàm bona. Nam vt ex Dionysio in cap.4. de diuinis nominib. Theologi colligunt, malum dicitur opus absolutè ex quocunq; vitio, bonum nõ dicitur absolutè, nisi integrè sit bonum. Quomodo igitur Scriptura predicat absolutè opera bona, si nõ sunt bona, nisi secundùm quid, sed absoluté, & simpliciter mala? Omninò necesse, vt vel Spiritus sanctus in hac parte fallatur, vel Lutherus & Caluinus erret. Verum autem horũ sit verius, ipsimet sectariis iudicandum relinquo.

CAPVT XVI.

Opera bona non esse peccata, sed verè bona, probatur ex patribus.

QVOD attinet ad testimonia sanctorum Patrum, si producere vellemus in medium, quę illi dicunt in commẽdationem operum bonorum, nullus esset finis. Solum igitur pauca quædam notabimus. Ex quibus colligi possit, agnouisse Patres opera simpliciter bona, atque à peccatis, verè, propriéque distincta.

Sanctus AMBROSIVS in libro de Apologia Dauid, capit. 6. *Etenim, inquit, quia non potest sine peccato esse humana fragilitas, cauendum est, ne plura peccata sint, quam opera virtutum.* Vbi distinguit apertè sanctus Ambrosius opera virtutum à peccatis, quod non faceret, si existimaret, omnia opera, quantumuis bona, verè esse peccata.

Sanctus HIERONYMVS lib. tertio, aduersus Pelagianos: *Hoc, inquit, & nos dicimus posse hominem non peccare pro loco, pro imbecillitate corporea, quamdiu intentus est animus, quamdiu chorda nullo vitio laxatur in cithara.* Et infrà: *Qui cautus est & timidus, potest ad tempus vitare peccata.* Quo loco sanctus Hieronymus non laborat, vt probet, posse hominem aliqua facere bona, quæ non sint peccata. Id enim in controuersiam nondum venerat; sed nititur contra Pelagianos ostendere vitam humanam, etiam iustorum, non ita esse posse perfectam, vt longo tempore caueat omnia peccata, etiam quotidiana, & leuia. Vbi tamen admittit, saltem aliquanto tempore posse hominem diligẽtem ita viuere, vt nullum peccatum, ne veniale quidem admittat, ac per hoc aliqua opera facere ab omni vitio pura, & integra.

Sanctus AVGVSTINVS in lib. de spiritu & litera, ca. vlt. *Dici potest quædam iustitia minor, huic vitæ competens qua iustus ex fide viuit, quamuis peregrinus à Domino, & ideò per fidem ambulans, nondum per speciem, non absurdè dicitur etiam ad istam pertinere, ne peccet. Neque enim si nondum esse potest tanta dilectio Dei, quãta illi cognitioni plene, perfectæq; debetur, iam culpæ deputandum est. Aliud est enim totam nõdum assequi charitatem, aliud nullam sequi cupiditatem, Quãobrem debet homo quamuis longè minus amet Deum, quàm eum potest amare conspectum nihil tamen appetere illicitum: sicut etiam in his, quæ adiacent sensibus corporis, potest oculus nullis tenebris delectari, quamuis non possit in fulgentissima luce defigi.* Hoc loco Sanctus Augustinus fatetur quidẽ iustitiam nostram in hac vita esse minorem, quàm sit futura in alia vita, tamen distertis verbis affirmat, ad hanc etiam iustitiam nostram pertinere, vt non peccet; & posse, ac debere hominem nullam sequi cupiditatem.

Idem in lib. de bono coniugali, cap.6. *Coniugalis* inquit, *concubitus generandi gratia non habet culpam, concupiscentia vero seiendæ, sed tamen cum coniuge propter fidem thori, venialem habes culpam, adulterium vero, siue fornicatio lethalem habet culpam.* Et cap.7. *Continentia merti est amplioris reddere debitum cõiugi nullius est criminis, exigere vltra generandi necessitatem culpæ venialis, fornicari, vel mœchari, puniendi criminis.* In his quatuor gradib. operũ, quos distinguit Augustinus, assignare debent aduersarij discrimen aliquod; vel potiùs necessariò confiteri, in primo & secundo nullum omninò esse peccatum, neque mortale ex natura sua, neque veniale per misericordiam Dei. Nam si continentia ab omni cõcubitu peccatum est mortale ex natura sua, & veniale per misericordiã Dei, quid erit concubitus gignendi causa, ni peccatum omni ex parte mortale? & si concubitus gignendi causa peccatum est omni ex parte mortale, quid erit concubitus causa libidinis satiande, nisi peccatum in Spiritum sanctum, quod non remittitur, neque in hoc seculo, neq; in futuro? At S. Augustinus huic tertio gradui tribuit culpam venialem secundo gradui nullam culpam, primo gradui meritum ingens. Tantum videlicet interest inter sententiã S. Augustini, & Nouatorum.

Idem denique S. Augustinus lib. 4. in Iulianum, ca. 3. & aliis in locis plurimis, contendit opera infidelium esse peccata, non quòd nõ sint, vel esse possint bona ex genere suo, sed quoniam deest illis intentio bona dirigendi opera illa ad verum Deum, quem ignorant, cùm fidẽ non habeant. Igitur opera fidelium ex sententia S. Augustini poterunt esse simpliciter, & absolutè bona. Nam si fidelium quoque opera essent omnia peccata, & quidẽ morte digna, quorsum tantopere laborasset Augustinus, vt probaret opera infidelium esse peccata?

S. GREGORIVS lib. 2. moral. cap. 8. *Si in sermonibus, inquit,*

inquit, suis dicimus Iob deliquisse, quod sentire nefas est, Deũ dicimus in sua propositione victorium perdidisse. Idem lib. 9. ca. 26. *Ipsa, inquit, bona nostra insidiantis culpæ euadere gladium nequeunt, nisi solicito quotidie timore muniãtur.* Vbi admittit S. Gregorius posse fieri, vt bona nostra insidiantis culpę gladium vitent. Idẽ in epistola ad Augustinum resp. 10. *Bonorum, inquit, mentium est, sibi etiam aliquo modo culpam agnoscere, vbi culpa non est.*

S. BERNARDVS in li. de præcepto, & dispensatione distinguit inter bonũ obedientiæ, & malũ inobedictiæ, & ponit aliquod gradus, vt supra S. Augustt ponebat in concubitu: *Bonus, inquit, obedientiæ gradus est, si vixerit Magistri nostri sententiam, propter metũ gehennæ, seu propter professionẽ sanctam, quã professus est quispiam obedierit. Melior tamen cũ ex Dei amore obeditur. Illa quippe obedientia necessitatis est, ista charitatis.* Et infrà inobedictia: *Hæc, inquit, generalis regula sit vniuersorum, quæ per se, aut propter se nec bona, nec mala sunt, aut propria cuiusque professione, aut diuina institutione fixa non sunt, vt non iussa quidẽ, licite vtrumlibet, vel admittantur, vel omittantur: iussa vero, sine culpa nõ negligantur sine crimine non contemnantur. Vbique enim & culpabilis neglectus, & contemptus damnabilis est.*

Vbi S. Bernardus cum dicit, obedientiam ex metu gehennę esse bonã ex charitate meliorem, intelligit bonam simpliciter, & sine vllo peccato, etiam veniali posse præstari. Alioqui non distingueret eam ab inobedictia propter neglectum, quam dicit esse culpam venialẽ; & inobedientia propter contemptum, quam dicit esse criminalem, atque damnabilem.

CAPVT XVII.

Opera iustorum non esse peccata, sed verè bona probatur rationibus.

IAM verò potest eadem veritas manifestis rationibus comprobari.

PRIMA ratio, si opera bona iustorũ essent omnia vitiata, & corrupta, ita vt peccata mortalia ex natura sua dici deberẽt, id sine dubio, vel ex innata cõcupiscentia, vel ex defectu dilectionis Dei, vel ex administratione peccatorum venialium nasceretur. Istas enim causas aduersarij reddere solẽt, cur opera ex genere suo bona, vel à Deo mandata, & bona intentione facta, tamen peccata mortalia esse contendunt. At nihil horum trium contaminare potest opera iustorum bona.

Nam in primis concupiscentia ipsa peccatum nõ est, sed infirmitas, nisi ei consentiatur. Vnde S. Augustinus in lib. de perfectione iustitiæ, & alibi sæpe repetit, non oportere pro motibus cõcupiscentiæ inuoluntariis dicere: *Dimitte nobis debita nostra.* Deinde etiamsi peccatum esset, tamen non semper mouetur, vt idem testatur Augustinus lib. 6 in Iulianum, cap. 8. ac per hoc opera bona fieri possunt aliquando ex charitate, sine vlla admistione cupiditatis.

Defectus autem charitatis, quod videlicet non faciamus opera nostra tanto feruore dilectionis, quanto faciemus in patria, defectus quidem est, sed culpa, & peccatum non est, vt S. Augustinus docet in libro de spiritu & litera, cap. vlt. Vnde etiam charitas nostra, quamuis comparata ad charitatem beatorum sit imperfecta, tamẽ absolutè perfecta dici potest, vt eam S. Ioãnes appellat, in epist. cap. 2. & 5. & S. Augustinus in lib. 1. de doctrina Christiana, cap. 39. libr. 1. de peccatorum meritis & remissione, cap. 13 & alibi.

Admistio denique venialium peccatorum non impedit veram iustitiam. TVM quia non est necesse, vt in singulis operibus admisceatur veniale peccatum, vt ex Patribus probatum est, & experientia ipsa docet. TVM etiam quia peccatum veniale non est contrarium charitati, nec propriè contra legem, sed præter legem, vt suprà diximus. Itaque Scriptura diuina quamuis dicat, In multis offendimus omnes, & si dixerimus, quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus; tamen absolutè vocat homines quosdam iustos, sanctos, immaculatos, perfectos; quod nullo modo faceret, si veniale peccatũ iustitiam impediret. Gen. 6. *Noë vir iustus fuit, atque perfectus.* Ephes. 1. *Vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius.* Philipp. 3. *Quicunque perfecti sumus, hoc sentiamus, Psal. 118. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Similia habet S. Augustinus in libr. 2. de peccatorum meritis & remissione, cap. 12. & 13 & in li. 3. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 2.

SECVNDA ratio ducitur ab absurdis, nam si omnia iustorum opera essent peccata, etiam opus fidei quo iustificamur, esset peccatum; & illa oratio, quã fundimus, cum dicimus: *Dimitte nobis debita nostra*, esset peccatum. At nonne absurdissimum est, hominem per peccatum iustificari, & per peccatum quærere, & impetrare remissionem peccati?

Item si omnia opera iustorũ sunt peccata, qua fronte dicere potuit Apostolus Paulus: *nihil mihi conscius sum?* nullum ne bonum opus fecerat? aut ignorabat, illa ipsa bona opera peccata esse mortalia? & nonne maior adhuc fuisset audacia pro eiusmodi operibus, id est, peccatis mortalibus expectare à iusto iudice coronam iustitiæ?

Præterea si omnia iustorum opera essent peccata mortalia, sequeretur, ipsum Deum peccare mortaliter: *Deus enim est qui operatur in nobis.* Cùm bona opera facimus, vt dicit Apostolus ad Philip. 1. & 2. neque aduersarij id negant.

Item heret ingens iniuria Redemptori: *Qui*, vt Apostolus ait ad Tit. 2. *dedit semetipsum, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Nam à nulla nos iniquitate vere redemisset, nec verè populum suum mundasset, nec sectatores nos operum verè bonorum, sed peccatorum mortalium effecisset.

Ad hæc si omnia opera bona sunt peccata mortalia, sequitur, vt aliqua peccata mortalia sint opera bona; & posse fieri hos syllogismos, Omnia opera bona sunt facienda, aliqua peccata mortalia sunt opera bona, igitur aliqua peccata mortalia sunt facienda. Item, nullum peccatum mortale est faciendum, omnia opera boni sunt peccata mortalia, igitur nullum opus bonum est faciendum. Dignæ sanè Lutheranis conclusiones, aliqua peccata mortalia sunt facienda, & nullum bonum opus est faciendum.

Denique quis non videt, opera bona esse peccata mortalia, contradictionem implicare, atque inuolucra nam erunt opera bona; digna præmio, & pœna; & per ea seruiemus Deo, & Diabolo, & simul erimus filij Dei, & filij Diaboli.

DICENT fortasse, quod Lutherus dicit in assertione art 6. eadem opera esse bona, vt fiunt à Deo, mala vt fiunt à nobis, vel in nobis. VEL esse bona ex genere suo, siue ex obiecto, mala ex circunstãtia, id est, propter cupiditatem, qua fiunt.

At PRIOR distinctio inanis est, cũ Deus non faciat nostra opera bona, nisi per nos. i. faciendo, vt nos illa faciamus; ac per hoc si, vt à nobis fiũt, mala sunt, simpliciter mala, nõ bona sunt. Id q ex ipso Lutheri exẽplo intelligi potest: *Si quis, inquit, securi corrosa, & dentata secet, licet operator sit bonus faber, tamẽ securis facit malas, & difficiles, & deformes incisiones. Sic per nos operãs, &c.* Ex hac similitudine manifestè colligitur, opera nostra nõ esse bona, & mala, sed tãtũ mala. Bonus enim faber per malã securim nõ facit bonas, sed malas incisiones: sic igitur Deus

per

Universidad de Deusto
Biblioteca

per nos operans non faciet opera bona, sed mala.

POSTERIOR quoq; distinctio non soluit nodum. Nam opera bona ex genere, siue ex obiecto, sed mala ex circumstantia, nõ sunt bona simpliciter, sed mala. Quoniam (vt supra diximus) bonum non existit nisi ex integra causa, malum verò ex quolibet vitio. Quare Dominus Matth. 6. & 7. orationes, ieiunia, & eleemosynas, quæ sunt bona ex genere suo, simpliciter damnat, & mercede apud Deum carere dicit, si fiant intentione captandæ auræ popularis. Pugnantia igitur aduersarij docent, cùm opera bona iustorum bona opera, & peccata mortalia simul esse definiunt.

CAPVT XVIII.

Opera bona non solùm esse verè iusta, sed etiam iustificare, probatur ex capite secundo Iacobi.

NVNC antequam argumenta Hæreticorum cõtra iustitiam operum proponamus, probare nitemur id, quod TERTIO loco probandum esse diximus in cap. 10.

Operibus igitur bonis hominem iustum magis iustificari, atque adeò fieri iustiorem probamus ex epist. S. Iacobi, qui sic loquitur, cap. 2. *Abraham pater noster nõne ex operibus iustificatus est, offerens filium suum super altare? Vides, quoniam fides cooperabatur operibus eius, & ex operibus fides consummata est? & impleta est Scriptura dicens, credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est. Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & nõ ex fide tantùm? similiter autem & Raab meretrix nõne ex operibus iustificata est, suscipiens nuncios, & alia via eiciens?*

Ad hoc testimonium respondere conatur IOAN. CALVINVS in libr. 3. Instit. cap. 17. §. 11. & 12. & in summa TRIA dicit. PRIMO, Scopum Iacobi fuisse ostendere, quæ sit vera fides. SECVNDO per fidem, quæ sine operibus non iustificat, Iacobum non accipere veram fidem, sed vmbram quandam veræ fidei. TERTIO, nomine iustificationis hoc loco non intelligi imputationem iustitiæ Christi, sicut apud Paulum ad Rom 4. sed declarationem iustitiæ. Ex his efficit, vt cùm Iacobus dixit, Abrahamum ex operibus iustificatũ fuisse, intelligere debeamus iustum fuisse declaratum, & ideò iustum, quia veram fidem haberet.

In omnibus tribus ab eo dissentimus; PRIMVM enim diximus, scopum Iacobi fuisse demonstrare, non quæ sit vera fides, sed fidem veram, atque Catholicam ad salutem sine operibus non sufficere, & fidelem, qui benè operatur, in iustitia crescere, qui malè operatur, iustitiam amittere, & fidem in eo mortuam, ociosamque manere.

Id ita esse non esset nobis necesse probare, cùm sententiam suam Caluinus nulla ratione probauerit: tamẽ habemus IN PRIMIS testimonium S. Aug. qui in lib. de fide & operibus cap. 14. disertis verbis affirmat, scopum epistolæ Iacobi, vt etiam Petri, Ioannis & Iudæ, dirigi aduersus hæresim tunc recẽs exortam, eorum qui dicebant fidem sine operibus ad salutem sufficere: *Quoniam*, inquit, *hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ Apostolicæ epistolæ Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ contra eam maximè dirigunt intentionem, vt vehementer adstruant fidem sine operibus nihil prodesse.* DEINDE, scopus Iacobi in hac epistola satis apertè colligitur ex ipso contextu verborum eius. Nam ad finem cap. 1. concludit: *Estote factores verbi, & non auditores tantùm fallentes vosmetipsos, &c.* Et ad initium ca. 2 *Fratres mei*, inquit, *nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi*; hoc est, Nolite cum fide quam habetis in Christum, simul peccata nutrire, quale est acceptio personarum. Deinde pergit explica-

re, magnum esse malum personas accipere, & hoc vnũ sufficere ad æternam damnationem, sicut etiam quodcunque aliud lethale peccatum: *Quoniam*, vt ipse dicit, *qui totam legem seruauerit, offendat autẽ in vno, factus est omnium reus.* Deinde quoniam sciebat pseudoapostolos multùm gloriari de fide, qua iuxta Paulum iustificamur, continuò subiungit: *Quid proderit fratres mei, si quis dixerit fidem se habere, opera autem non habeat, nunquid poterit fides saluare eum?* Atque hinc sumpta occasione demonstrat fidem, si operibus destituatur, reddi ociosam; si verò opera illi adiungantur, hominem iustum fieri iustiorem, quòd ostendit exemplo Abrahæ & Raab. Atque hæc de Scopo.

Quod attinet ad fidem, disseruimus de toto hoc loco in 1. li. ca. 5. vbi ostendimus multis rationibus Iacobum loqui de vera fide, & obiectiones Caluini diluimus, & certè res clarior est, quàm vt probatione indigeat. Iacobus enim dicit, hominem iustificari ex fide, sed non ex fide tantùm, & fidem cooperari operibus; vmbrã autem fidei neque iustificare, neque operibus cooperari posse, non dubium est.

Iam verò de nomine iustificationis, præcipua cõtrouersia est. Caluinus enim contendit, iustificationẽ hoc loco necessariò pro declaratione iustitiæ accipiendam esse, quoniam alioqui manifestè pugnaret Iacobus cum Paulo, cum Iacobus dicat, hominem ex operibus iustificari, Paulus autem ad Rom. 4. dicat, non ex operib. iustificari. Quos ita Caluinus conciliat, vt dicat, Paulum loqui de iustificatione, quæ fit per imputationem iustitiæ Christi, Iacobum verò de declaratione iustitiæ. In vtroque à veteribus, & ab ipsa veritate dissentit.

Nos igitur dicimus, Paulum loqui de prima iustificatione, qua homo ex impio fit iustus; Iacobum de secunda, qua iustus efficitur iustior. Et ideo rectè Paulum dicere, iustificari hominem sine operib. Iacobum, iustificari ex operib. Quemadmodum enim nemo potest opere suo seipse procreare, aut à morte reuocare; procreatus autem, vel à morte reuocatus, ipse se, comedendo, & bibendo nutrit, & auget: sic etiam homo per peccatum mortuus, non potest merito operum suorum, se iustificare, sed posteaquam à Deo iustus factus est, potest rectè viuendo iustitiã in se alere & augere, atq; ita operib. iustificari. Ita conciliat hæc loca Tridentinum Cõcilium sess. 6. cap. 8. & 10. & multò antea S. Augustinus præfatione in Psal. 31. in lib. de fide & operib. cap. 14. in quæstionib. ad Dulcitium q. 1, & in lib. 83. q. 76.

Ac ne sola auctoritate niti videamur, probatur Iacobũ per iustificationem non intelligere declarationẽ, sed incrementũ iustitiæ, PRIMO ex eo, quod Iacobus dicit, fidem Abrahæ cooperatam esse operibus ad eum iustificandum. Neque enim fides cooperatur operibus ad iustitiæ declarationem. Nam neque aduersarij hoc dicũt, fidem iustificare per modum declarationis, neque id ratio fidei patitur.

SECVNDO probatur ex eo, quod Iacobus adiungit, hominẽ iustificari ex operib. & non ex fide tantùm. Vbi non potest iustificatio sumi pro declaratione, eadem de causa, quia videlicet fides non iustificat declarando, sed vel disponendo ad iustitiam, & inchoando iustitiam formalem secundùm Catholicos, vel apprehendendo iustitiam Christi, secundùm Hæreticos.

TERTIO ex eo, quod additur, fidẽ Abrahæ ex operibus consummatã esse. Id enim non potest aliud significare, nisi iustitiam inchoatam per fidem, accepisse incrementum, & perfectionem per opera.

QVARTO ex eo, quod dicitur Raab meretricem ex operib. iustificatam. Neque enim Raab declarari potuit iusta, cùm esset meretrix, sed verè iustificata est, id est, ex infideli fidelis, & ex meretrice iusta facta est. Nõ igitur iustificatio apud Iacobum pro declaratione sumitur.

Iam

Iã verò quod Paulus loquitur de prima iustificatione, quia quis ex impio efficitur iustus, multis argumẽtis probari posset. Sed vnum hoc loco sufficiet, quod ex ipso cap. 3. & 4. ad Rom. petitur. Nam cap. 3. sic ait: *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei iustificati gratis per gratiam eius per redemptionem quæ est in Christo.* Et cap. 4. probare volens Apostolus, hominem iustificari ex fide, non ex operibus, adducit testimonium Prophetæ dicentis: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorũ tecta sunt peccata.* Quod testimonium de iustificatione impij apertissimè loquitur. Præterea ibidem Apostolus dicit: *Ei qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum. credenti autem in eum, qui iustificat impium, deputatur fides eius ad iustitiam.* Vbi non alia de causa, non dixit, credenti in Deum, sed credenti in eum, qui iustificat impium, nisi quia de impij iustificatione tractabat.

Sed vna est hîc grauissima difficultas, ex qua totus hic locus depẽdet. Nam & Paulus & Iacobus, vtitur eodem exemplo Abrahæ, & vterque citat illa verba: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Quare vel eodem modo vterque accipit iustificationem, vel alter eorum ineptè vtitur exemplo Abrahæ, & perperam explicat verba Mosis.

Cæterùm RESPONDEMVS, Paulum & Iacobũ, non eodem modo accipere iustificationem, & tamen ab vtroq; rectè vsurpari exemplũ Abrahę, & verba Mosis. Ac (vt à Iacobo incipiamus) respexit ille præcipuè tẽpus, quo Abraham immolare voluit filiũ suum, quod legitur in Gen. ca. 22. sic enim ait: *Abrahã pater noster nonne ex operib. iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare?* Illo autem tempore certum est, Abraham fuisse iustum, quippe qui iam obedierat Deo, vt exiret de terra sua, & signum acceperat circumcisionem signaculũ iustitiæ fidei, &c. & ideo illo nouo opere obedientiæ non factum esse iustum ex impio, sed iustiorem ex iusto.

Quod verò Iacob. dicit, tunc impletã fuisse Scripturam, quæ ait: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam*; non repugnat sententiæ nostræ. Nam non vult Iacobus dicere, tunc primùm eam Scripturam impletam fuisse. Non enim ignorare poterat, verba illa multò antea fuisse dicta de fide Abrahæ, quando videlicet credidit Deo, promittenti sibi filium ex Sara, quod scriptũ est in Gen. ca. 15. sed dicere voluit, tunc etiam fuisse Scripturam illam impletam, quãdo ex fide obtulit eundem illum filiũ super altare. Possunt enim illa verba applicari ad omnes insignes actus fidei eiusdẽ Patriarchę. Quẽadmodum si quis narraret aliquod factum. Nathanaëlis, in quo eius integritas, & simplicitas appareret, posset verè dicere, nunc impletum est quod Dominus ait, Ecce verum Israëlitam, in quo dolus non est. Itaque de verbis Iacobi nulla remanet quæstio.

De verbis Pauli maior est difficultas. non desunt, qui existiment, Abrahamum tunc primum iustificatum esse à peccatis, cũ credidit Deo promittenti filium, & cũ de eo dictum est: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.* Ita docet Anselmus in comment. ad cap. 4. ad Rom. & eandem sententiã indicare videtur S. Augustinus, præfatione in Psal. 31. cùm ait, exponens hunc locum: *Ergo ex fide iustificatus est Abraham, & si opera nõ præcesserunt, tamen secuta sunt.* Et si quidẽ hæc opinio vera esset, nulla esset in Paulo difficultas.

Cæterùm non auderem dicere, Abrahamum nõ fuisse multò antè iustificatum, quàm de eo dictum sit: *Credidit Abraham Deo &c.* PRIMO, quoniam Gen. cap. 12. 13. & 14. narrantur egregia opera Abrahæ, vt quòd vocatus à Deo, & iussus exire de terra sua, continuò obedierit, quòd aram Deo erexerit, quòd sepius cũ Deo familiariter collocutus fuerit. SECVNDO, quoniam Apostolus ad Heb 11. inter præcipuas laudes Abrahæ ponit, quod fide obedierit exire in locũ, quem nesciebat. Quod certè factũ est multò antè, quàm diceretur de eo: *Credidit Abraham Deo, &c.* TERTIO, quoniã idem confirmant Patres, Origenes lib. 4. in epist. ad Rom. Ambrosius lib. 1. de Abraham, capit. 2. Chrysostomus hom. 31. & 36. in Genes. & Augustinus libr. 16. de ciuitate Dei, capit. 13. QVARTO, quoniam id quod dicitur Gen. 15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam*, si verba Hebræa diligenter inspiciantur, hunc sensum habet, quòd actus ille credendi fuerit opus iustum, & meritorium, & & pro tali sit à Deo iudicatum, & acceptum. Ex quo intelligimus, eum anteà fuisse iustum, cùm opera iusta facere potuerit, eaque fide non esse factum iustum ex impio, sed iustiorem ex iusto.

Dico igitur, Paulum vsum esse exemplo Abrahæ, nõ vt significaret, Abrahamum tunc primùm iustificatum fuisse à peccatis, sed vt ostenderet, non iustificari impiũ ex operibus sine fide, & gratia Dei factis, sed ex fide, & gratia Dei. Nam si Abraham iustus, nõ est factus iustior ex operibus sine fide, multò magis impius non poterit fieri iustus ex operibus sine fide.

Possumus enim doctrinæ causa distinguere TRES iustitias, VNAM, quæ sit gratia & nõ merces, qualis secundùm rei veritatem est illa, qua impius iustificatur; ALTERAM, quæ sit merces, & gratia, qualis esset, si homo ex operib. solius liberi arbitrij viribus factis iustificaretur. Hanc tertiam contendit Apostolus, excludere in epistola ad Romanos & ad Galatas. Ad hoc autem faciendum nihil interest, vtrum sumantur exempla à prima, vel à secunda iustitia, cùm neutra ex operibus sine fide obtineri possit.

Igitur Apostolus ad Rom. 4. loquitur de prima iustificatione, qua quis ex impio fit iustus; tametsi ad probãdum, eam non fieri ex operibus, sed ex fide, exemplum petat à secũda iustificatione, qua quis ex iusto fit iustior. Quare Paulus & Iacobus, cõsentiunt omnino in exemplo Abrahæ, & verbis Mosis intelligendis, quamuis ad varias conclusiones probandas illis vtantur.

Porrò sicut Paulus, cùm loqueretur de prima iustificatione, attulit exemplum Abrahæ, quod erat secundæ, vt probaret à maiori, non posse impiũ iustificari ex operibus sine fide, si Abraham iustus non est factus iustior ex operibus sine fide: sic Iacobus cùm loqueretur de secũda iustificatione, attulit exemplũ Raab, quod est primæ iustificationis, vt probaret à maiori, iustum fieri iustiorẽ operib. & non ex fide tantùm; si Raab ex meretrice facta est iusta ex operib. & non ex fide tantùm. Nam probabile est valde, Raab vsq; ad illud tempus, quo suscepit nuncios Iosue, fuisse non solùm meretricem, sed etiam infidelem; sed ab eo tempore credidisse in Deum, & opere illo misericordiæ præparatam fuisse ad iustificationem, ita vt bonum illud opus ex fide factum, non fuerit meritorium simpliciter iustificationis. sed imperfectè, & de congruo, vt supra diximus de dispositionibus ad gratiam.

CAPVT XIX.

Opera iustificare, probatur ex aliis Scripturis, & rationibus.

PRÆTER Iacobi testimonium, quod apertissimum est, non desunt alia multa, quæ breuiter perstringemus. Idem igitur probatur ex verbis illis Ecclesiastici ca. 18. *Non impedieris orare semper, & ne verearis vsque ad mortem iustificari.* Vbi monet sapiens, vt assidua oratione iustitiam nostram augere, atque alere studeamus.

Caluinus in Antidoto ex occasione Græci vocabuli

μόνος,

Universidad de Deusto
Biblioteca

meres, dicit, legẽdum esse, ne differas iustificari vsque ad mortem, vt hoc testimonium ad primam iustificationẽ, non ad secundam pertineat. At verbum illud Græcum potest etiam commodè verti, ne cesses, quod est idem cum illo, ne vereris, vel, vt legit S. Augustinus in speculo, ne verearis. Omnia enim continuationem, & progressionem, non inchoationem iustitiæ significant. Et consonant huic sensui præcedentia, & sequentia. Illud enim, quod proximè antecedit: *Non impedias orare semper*, significat continuationem, & progressum orationis, quæ propria sunt iustorum proficientium, non impiorum nondum conuersorum. Quod autem proximè sequitur: *Quia merces Domini manet in æternum*, est ratio aptissima, congruens præcepto augendæ iustificationis. Nam primæ iustificationi impiorum non merces, sed indulgentia congruit.

ALTERVM testimonium habetur apud Apostolũ ad Rom. 6. *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, sic exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Quo loco illud, *in sanctificationem*, non significat, ad acquirendam primam sanctitatem, (nam sanctos, & iustos alloquebatur Paulus,) sed ad agẽdam sanctificationẽ. Intelligi autem per sanctificationem, iustificationem: & per sanctitatem, iustitiam, perspicuum est ex antithesi. Opponit enim sanctificationem iniquitati.

TERTIVM testimonium est eiusdem Apostoli in posteriore ad Corinthios ca. 7. *Has ergo habentes promissiones charissimi, emũdemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus perficientes sanctificationem in timore Domini.* Vbi docet Apostolus, per mẽtis, & corporis puritatem proficiendum esse quotidie ad maiorem iustitiam, & sanctificationem.

QVARTVM testimonim 2. Cor. 9. *Multiplicabit semen vestrum, & augebit incremẽta frugum iustitiæ vestræ.* Docemur his verbis, per eleemosynas liberaliter pauperibus erogatas, diminui facultates, sed augeri iustitiam. Vbi opportunè etiam Paulus allegat illud Psal. 111. *Dispersit dedit pauperib. iustitia eius manet in seculum seculi*, pulchrè enim verbo *dispersit*, opponitur verbum contrariũ, *manet*, quia sicut diuitiæ corporales per eleemosynã dissipantur, ita iustitia spiritualis per eãdem eleemosynam radicatur, stabilitur, & crescit, vt manere possit in seculum seculi.

QVINTVM testimonium Ioann. 14. *Qui diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum.* Hæc noua dilectio post impleta mandata, quid est, nisi dilectionis, ac per hoc iustitiæ augmẽtum, quod per obseruantiam diuinæ legis acquiritur?

SEXTVM testimoniũ, Apoc. vlt. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc, & qui iustus est, iustificetur adhuc.* Certè qui magis sordescunt, per mala opera, & noua peccata sordescunt, igitur & qui magis iustificantur, per bona opera, & nouam obedientiam iustificantur.

His addi possunt DVÆ rationes ex iis, quæ in capitibus superiorib. probata sunt. Nam si potest iustus legem diuinã implere, vt suprà demonstratum est, potest etiam sine dubio per opera iustificari. Neque enim aduersarij negant, implenti legem deberi iustitiam: *Obedientia legis* (inquit PHILIPPVS in Apologia Confess. tit. de impletione legis) *iustificat si lex iustitia sit legem faceremus.* Rursus, si potest iustus opera verè bona facere, quæ nullo vitio polluta sint, vt suprà ostendimus; potest vtique iustitiam facere, & multiplicando opera iusta, consequenter augere iustitiam.

CAPVT XX.

Soluuntur obiectiones ex Scripturis cõtra veritatem iustitiæ actualis.

SVPEREST tandem, vt obiectiones hereticorũ, quibus illi probare nituntur, omnia opera nostra esse peccata, breuiter diluamus.

PRIMVM igitur obiicit CALVINVS illud Psal. 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorũ tecta sunt peccata.* Dauid enim cùm hæc diceret, non ad vnum temporis momẽtum, quo homo per Baptismum iustificatur, sed ad totam vitam iustorum respiciebat: Proinde sequitur, vt tota vita iustorum remissione indigeat, quod non fieret, nisi perpetuò, & in omnibus operibus peccaremus.

RESPONDEO, Quàm vera sunt verba Dauidis, tã falsa est glossa Caluini. Nam si tota vita iustorũ, & omnia ipsorum opera peccatis sordescerent, vnde diceret idem Dauid in Psal. 1. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum nõ stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit, sed in lege Domini voluntas eius.* Et in Psal. 100. *Psallã & intelligam in via immaculata, quando venies ad me. Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ. Non proponebam ante oculos meos rem iniustam. Non adhæsit mihi cor prauum, ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* & similia, quæ passim repetit: certè hæc nõ benè cohærent cum eo, quod dicit Caluinus, totam vitam iustorum, ex testimonio Dauidis, nihil esse nisi peccatũ. Loquitur igitur Dauid in Psal. 31. de initio iustificationis, siue de prima iustificatione, per quam remittuntur peccata, & infunditur charitas, vt per eã corde dilatato per viam mandatorum currere valeamus.

SECVNDO obiiciunt aduersarij omnes illud Psalmi centesimi quadragesimi secundi: *Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.*

RESPONDEO, Triplex huius loci explicatio à Patrib. indicatur. PRIMA est S. AVGVSTINI in cõmentario huius loci, vbi dicit, hominẽ coràm Deo iustificari non posse, quoniam ex se iustitiam nullã habet, sed si quã habet, ex Deo habet. *Qui cum illo* (inquit AVGVSTINVS) *volunt intrare in iudicium, nisi qui ignorantes Dei iustitiam suam volunt constituere?* Sententia igitur Dauidis hæc est, Non intres in iudiciũ cum seruo tuo, id est, noli me iudicare ex his, quæ ex me habeo. Sic enim non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et ideò paulò antè dixerat: *In veritate tua exaudi me in tua iustitia*; id est, in iustitia, quam vt haberem, tu dedisti.

ALTERA expositio est eiusdem Augustini in li. de perfectione iustitiæ. Hieronymi in epistola ad Cresiphontem, & Gregorij in cõmentario huius Psal. qui est postremus ex pœnitentialib. qui referunt hunc locum ad peccata venialia, sine quibus in hac vita esse nõ possumus. Non autem sequitur, vt omnia nostra opera sint peccata, etiamsi absque peccato viuere non possimus. Miscentur enim operibus bonis opera quædam mala, quæ tametsi leuia, & quotidiana sint, tamen in iudicio Dei non iniustè puniuntur. Igitur sententia Psalmi hoc secundo modo accepti, hæc erit, Non intres in iudiciũ cum seruo tuo, id est, non cupio tecum contendere, confiteor me peccatorem, & veniam oro. Nam nõ ego solus, sed etiam omnis homo aliquando peccat, nec est vllus ita iustus, qui non aliquando labatur, & erret.

TERTIA expositio est Hilarij, Hieronymi, Arnobij, Euthymij, & aliorum in hunc Psalmũ, & sancti Bernardi sermone quinto, de verbis Isaiæ, qui dicunt, sentẽtiam Dauidis esse, nõ posse hominem iustificari, si comparetur ad Deum, non quod nõ sit in homine iusto vera iustitia, si absoluté consideretur, sed quia tanta est puritas, & sublimitas iustitiæ Dei, vt omnis hominum, & Angelorum iustitia, cum ea comparata, iustitia esse videatur. Sicut etiam stellæ clarissimæ sunt in se, tamen coram Sole continuò tenebrescunt. Atque hoc est, quod in Iob legimus, capite quarto: *Numquid homo Deo compa-*

comparatione iustificabitur? Et capite nono: *Vere scio, quod ita sit, & quod non iustificabitur homo compositus Deo.* Quem locum tractans AVGVSTINVS libro ad Orosium, contra Priscillianistas, & Origenistas, capite decimo: *In comparatione iustitiæ Dei, si nec sancti in cœlis Angeli iusti esse dicuntur, non mihi videtur imporuna sententia: non quia vi hoc essent, à iustitia lapsi sunt, sed quia facti sunt, & Deus non sunt, tantumque spiritalis luminis habere non possunt, quantum habet ille, à quo facti sunt. Ibi enim summa iustitia, vbi summa sapientia, & hoc Deus est, de quo dictum est: soli sapienti Deo.* Et infrà: *Cuius participatione iusti sunt, eius comparatione nec iusti sunt.*

TERTIO, obiiciunt illud Ecclesiastæ 7. *Non est homo iustus, qui faciat bonum, & non peccet.*

RESPONDEO, Non significat sapiens, vt Lutherus existimare videtur, hominem iustum peccare, dum bonum facit: sed neminem esse tam iustum, qui semper bonum faciat: omnes enim aliquando peccant, iuxta illud Prouerbiorum 24. *Septies in die cadit iustus, & resurgit.* Vbi non dicitur iustus ad singulos passus cadere, sed aliquoties cadere, nec dicitur semper cadere, sed aliquando cadere, aliquando resurgere; nisi etiam resurgere apud Lutheranos sit cadere. Vide sanctum Hieronymũ, hæc loca explicantem, tum in commentario Ecclesiastæ, tum in libro primo aduersus Pelagianos, & in epistola ad Cresiphontem.

QVARTO, obiiciunt illud Isaiæ 64. *Facti sumus vt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ, vniuersæ iustitiæ nostræ.*

RESPONDEO, Hic planè triumphare sibi videntur hæretici. Hunc enim locum semper in ore habent; cùm tamen ad rem nihil pertineat, propter TRES rationes. PRIMO, quoniam sine dubio non loquitur Isaias de iustis hominibus, sed de insignibus peccatoribus, ob quorum scelera tradenda erat ciuitas, & totus populus in manu regis Babyloniæ. Quod enim loquatur Isaias in persona eiusmodi hominum sceleratorum, patet PRIMO, quoniam paulò antè dixerat: *Ecce tu iratus es, & peccauimus*; id est, vt Cyrillus exponit, quia tu iratus es, deseruisti nos, deserti autem resistere non potuimus. At iusti non deseruntur à Deo, quippe qui non deserit, nisi priùs deseratur. Nõ igitur de iustis, sed de impiis loquitur. Quod si exponas: *Ecce tu iratus es, & peccauimus*, id est, ideò tu iratus es, quia peccauimus; in idem recidet sententia. Deus enim non irascitur iustis, sed tegit eorũ peccata, & non imputat, vt aduersarij volunt. Loquitur igitur Isaias de impiis, quibus Deus irascitur, non de iustis, quorum peccata dissimulat.

SECVNDO, patet ex verbis sequentibus: *Non est qui inuocet nomen tuum, non est qui consurgat, & teneat te.* At iusti Deum inuocant, & ipse Isaias, qui iustus erat, in hoc ipso capite Deum inuocat, & Philippus in Apologia Confessionis Augustanæ valdè gloriatur, quod propter Lutheri doctrinam didicerit populus exercere opera fidei, & maximè in precibus Deum frequenter inuocando. Loquitur igitur Isaias in persona impiorum, non in persona sua, vel aliorum iustorum.

TERTIO, opera iustorum Scriptura vbique laudat, & dicit, esse Deo placita, & accepta in odorem suauitatis, vt suprà probatũ est; & in hoc ipso capite dicit Isaias: *Occurristi lætanti, & facienti iustitiam: in viis tuis recordabitur tui.* Nõ igitur loquitur de operib. iustorũ cùm dicit, iusti tiam esse quasi pannum menstruatę, nisi quis ita desipiat, vt existimet, Deo placere sordes, & pannum menstruatæ ab illo, qui fons est totius puritatis, acceptari in odorem suauitatis.

Neque mouere nos debet, quod Isaias loqui videatur ita generatim, vt omnes homines comprehẽdat. Est enim iste Scripturæ mos, vt loquatur de multis, quasi de omnibus: *Omnis caro* (inquit Moses Genes. sexto) *corrupera viam suam.* Et tamen ibidem vocat Noẽ virum iustum, atque perfectum. Et Apostolus Paulus 1. ad Corinthios primo, vocat omnes Corinthios sanctificatos in Christo Iesu, & tales, vt nihil eis desit in vlla gratia; & prædicit fore, vt confirmentur à Deo vsque in finem sine crimine. Et tamen capite tertio omnes vocat carnales, & dicit, *Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis.* Cæterùm laudat omnes propter quosdam, qui apud eos laudabiles erant, vituperat omnes propter quosdam, qui apud eosdem vituperatione digni erant. Vide Augustinum libro de vnitate Ecclesiæ, capite duodecimo, vbi hunc morem Scripturę sacrę diligenter obseruat. Atque hæc est PRIMA ratio cur testimonium Isaiæ ad rem non faciat.

ALTERA ratio est, quoniam etiamsi loqueretur Isaias de omnibus, id est, de toto illo populo, tamen no loquebatur de omnibus, pro omni tempore, sed solùm pro eo tempore, quo tradendi erant propter summa ipsorum scelera in captiuitatem Babylonicam. Id enim patet ex sequentibus verbis: *Ciuitas sancti tui facta est deserta, Sion deserta facta est, Hierusalem desolata est, domus sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ, vbi laudauerunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, & omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas.* Non autem sequitur, si quodam tempore totus populus fuit malus, vt omni alio tempore fuerit malus, & omnia opera ipsorum semper fuerint mala.

TERTIA ratio est, quoniam non solùm non loquitur Isaias de iustis, sed de impiis, & de impiis pro certo quodam tempore, sed etiam non loquitur de omnibus operibus illorum impiorum, quasi omnia essent peccata, sed tantùm de operibus illis, quę ipsi iustitias esse putabant, vt sacrificia, neomenias, &c. poterant enim illi ipsi impij multa opera facere, quæ neque essent meritoria apud Deum, neque peccata, sed bona moraliter, vt alibi docuimus. Et ideo non dicit Isaias, omnia opera esse velut pannum menstruatæ; sed, omnes iustitias esse quasi pannum menstruatæ, vocat enim iustitias opera quædam ad cultum, diuinum instituta, in quibus illi præcipuè iustitiam constituebant, quæ quoniam non bona intentione, nec sicut oportebat, ab illis fiebant, meritò panno menstruatæ comparantur. De iis enim dicit Dominus Isaiæ 1. *Ne offeratis vltra sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi. Calendas vestras, & solemnitates vestras odiuit anima mea, &c.*

Ad has causas accedat confessio Lutheri, & Caluini. Vterque enim in commentario huius loci fatetur, hoc testimonium non recte adferri contra iustitiam operum: & tamen idem Lutherus in assertione artic. 31. ex hoc potissimùm testimonio probare conatus erat, omnia opera iustorum esse peccata.

QVINTO, obiicit Lutherus exc. sexto Matthæi orationem Dominicam. Nam ex eo quod oramus quotidie: *Sanctificetur nomen tuum, Fiat voluntas tua, Dimitte nobis debita nostra*, colligi dicit Lutherus, nos omnes in omni opere nostro peccare; quoniam non petimus quod habemus, sed quod non habemus. Igitur semper in nobis polluitur nomen Domini, semperque rebelles sumus in omni opere voluntati Dei, semper denique egemus, vt nobis peccata misericorditer remittantur.

RESPONDEO, Potest hoc argumentum rectissimè in aduersarium retorqueri. Nam Christus non docuit nos petere, quæ nunquam impetraturi essemus, imò promisit nos accepturos, quod peteremus, dicens: *Petite, & accipietis.* Et: *Omnis qui petit accipit.* Petimus autem iustificari nomen Domini, & vt fiat à nobis voluntas Dei; igitur non polluitur semper in nobis, sed sanctificatur potiùs nomen Domini; & legi obedientes, facimus Domini voluntatem. Alioqui frustrà id peteremus, si nun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tium impetraremus. Præterea si non potest quisquam A peccare, vt fiat voluntas Dei, nisi qui semper Dei voluntati rebellis est. Quomodo Christus orauit, Fiat voluntas tua? an etiam Christus semper voluntati Dei rebellis erat?

RESPONDEO igitur, Non solùm posse peti quod non habemus, sed etiam conseruationem, & incrementum eius quod habemus. Sic enim explicat sanctus CYPRIANVS sermone de oratione Dominica primam illam petitionem: *Id*, inquit *petimus & rogamus, vt qui in Baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus, perseueremus.* Et eodem modo explicat sanctus Augustinus in lib. de bono perseuerantiæ, c.2.

Illud autem: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra*, monent prædicti Patres, posse etiam sic intelligi, vt petamus conuersionem infidelium, vt videlicet illi quoque, qui nomine terræ intelliguntur, faciant voluntatem Dei, sicut eam faciunt plerique fideles, qui nomine cœli significantur. Ex quo intelligimus, sanctos Patres contrario modo ex Dominica oratione argumentari, ac Lutherus facere soleat.

Porrò illud: *Dimitte nobis debita nostra*, dicimus non pro omni opere nostro, (pro multis enim gratias agimus, non veniam petimus) sed pro venialibus peccatis, quæ bonis operibus admiscentur. Quod autem Lutherus dicit in assertione articuli secundi, dici illam orationem pro concupiscentia, quæ semper est in nobis; repugnat expresse sancto Augustino, qui in libro de perfectione iustitiæ scribit, non esse opus dicere, Dimitte nobis debita nostra, pro concupiscentia, quæ est in nobis, nisi motibus eius voluntate consentiamus.

CAPVT XXI.

Soluuntur obiectiones ex Patribus, contra veritatem iustitiæ actualis.

PRAETER Scripturæ testimonia proferunt etiam aduersarij nonnulla ex Patribus, Cypriano, Hieronymo, Augustino, Gregorio, Bernardo. Sanctus enim CYPRIANVS in sermone quarto, de mortalitate sic loquitur: *Obsessa mens hominis, & vndique Zabuli infestatione vallata vix occurrit singulis, vix resistit. Si auaritia prostrata est, exsurgit libido, &c.*

RESPONDEO, Nihil hoc loco sanctus Cyprianus dicit, contra iustitiam operum, sed contra miseriam huius vitæ, quæ tota militia, siue tentatio est super terram. Vna enim tentatione deuicta, continuò exoritur alia, atque ita semper pugnæ pugna succedit. Quam autem iustitiam operum veram, & meritoriam Cyprianus agnouerit, perspicuum est ex sermone de eleemosyna, vt B in libro sequenti citabimus.

Ex sancto HIERONYMO adducunt verba illa in primo Dialogo aduersus Pelagianos, *Tunc ergo iusti sumus, quando nos peccatores fatemur, & iustitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericordia.*

RESPONDEO, Potest hic locus referri ad primam iustificationem, per quam ex impijs reddimur iusti: hâc enim iustitiam non ex merito, sed ex misericordia Dei consequimur, atque hanc propriè pœnitentia, & confessio peccatorum præcedit. Nec tamen vllum sequetur incommodum; si idem locus referatur ad secundam iustificationem. Nam ad iustitiam huius vitæ pertinet veritas confessionis, quod sæpè labamur in peccata, saltem venialia, quæ (vt sæpè diximus) non repugnant iustitiæ; & quod quidquid boni facimus, non sine gratia, & auxilio Dei facimus.

Ex sancto AVGVSTINO tria loca obiici solent, præter ea, quę in disputatione de meritis operum in sequenti libro excutiemus. PRIMVS igitur locus est in epist. 29. ad Hieronymum: *Plenissima charitas, quæ iam non possit augeri quamdiu hic homo viuit, est in nemine, quamdiu autem augeri potest, profectò illud quod minus est, quam debet ex vitio est, ex quo vitio non est, qui faciat bonum, & non peccet.* Alius locus est huic similis, in libro de perfectione iustitiæ, respon. 15. *Peccatum*, inquit, *est, cum vel non est charitas, quæ esse debet, vel minor est, quam debet.*

RESPONDEO, Appellat sanctus Augustinus vitium, & largo modo peccatum, imperfectionem; & defectum illum, qui est in nobis, ratione concupiscentiæ. Cuius vitij caussâ nemo est, qui non aliquando peccet. Non esse autem eam imperfectionem peccatum propriè dictum, perspicuum est, TVM ex ipso lib. de perfectione iustitiæ, vbi sanctus Augustinus dicit, non esse opus pro concupiscentia carnis, contra quam Spiritus concupiscit, dicere; *Dimitte nobis debita nostra*: TVM ex B lib. de spiritu & litera, cap. vlt. vbi disertis verbis dicit, non esse ad culpam deputandum, quod charitas in hac vita non tanta sit, quanta erit in patria.

SECVNDVS locus est in li. 9. confess. c. 13. *Ua etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam.*

RESPONDEO, Non dicit S. Augustinus, laudabilia opera esse peccata, si remota misericordia discutiantur: imò in eodem loco separat opera bona matris suæ, pro quibus gratias agit Deo, à peccatis, pro quibus à Deo veniam petit. Solùm igitur dicit, vitam hominis laudabilem propter opera bona, egere misericordia in iudicio Dei, propter peccata saltem venialia, à quibus nemo liber inuenitur.

TERTIVS locus est in lib. 3. contra duas epist. Pelagianorum, c. 7. *Ex quo factum est*, inquit, *virtutem, quæ* C *nunc est in homine iusto, perfectam habemus nominari, vt ad eius perfectionem pertineat etiam ipsius imperfectionis, & in veritate cognitio, & in humilitate confessio.*

RESPONDEO, Nihil aliud hoc loco S. Augustinus dicit, nisi iustitiam in hac vita imperfectam esse, si comparetur ad iustitiam vitæ beatæ: & huius imperfectionis cognitionem, & confessionem, hoc tempore non parùm esse necessariam, ne quis existimet, se esse, quod verè non est, atqua ita se ipse seducat. Nusquam autem in toto hoc libro imperfectionem istam peccatum esse Augustin. dicit, sed contra potiùs veram iustitiam, & suo modo perfectam esse confirmat. Sic enim ait in fine capitis: *Iustitia, secundum quam iustus ex fide vivit, quoniam per spiritum gratiæ homini ex Deo est, vera iustitia est. Quæ licet non immeritò in aliquibus iustis pro huius vitæ capacitate perfecta dicitur, parua tamen est ad illam magnam, quam capiet æqualitas Angelorum, quam qui nondum habebat, & propter illam, qua inerat, perfectum, & propter istam, quæ adhuc deerat, imperfectum se esse dicebat. Sed planè minor ista iustitia* D *facit meritum, maior illa fit præmium, vnde qui istam non sequitur, illam non assequitur.* Hæc ille, ex quibus euidenter apparet, aduersarios abuti Patrum auctoritate ad imperitos, simplicesque fallendos.

Ex S. GREGORIO proferunt multa testimonia. PRIMVM est in li. 9. Moral. c. 1. *Sanctus*, inquit, *vir quia omne virtutis nostræ meritum esse vitium conspicit, si ab interno arbitrio districtè iudicetur, rectè subiungit, si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille.*

RESPONDEO, Districtè iudicari hoc loco virtutis nostræ meritum, nihil est aliud, nisi iudicari ex his, quæ homo ex se habet, remotis donis gratiæ Dei. Sic enim verè, quod virtutis meritum esse videtur, vitium, & peccatum esse cognoscitur. Id ita esse, probamus ex verbis præcedentibus, & sequentibus. Nam districtè iudicari dicit eum, qui se Deo comparat, & cum eo contendere cupit: illum autem se Deo comparare, & cum eo contendere velle dicit, qui non agnoscit, se à Deo habere quod

quod habet, sed totum locum adscribamus: *Homo*, inquit, *Deo non compositus, si sibi vm percipit, compositus amittit, quisquis se auctori bonor. m comparat, bona se, quod acceperat priuat. Qui enim accepta bona sibi arrogat suis contra Deu donis pugnat. Sanctus autem vir, quia omne virtutis nostræ meritum esse vitium conspicit, si ab interno arbitrio districtè iudicetur, rectè subiungit. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille. Cum Deo autem contendere est, non ei tribuere, sed sibi gloriam suæ virtutis arrogare. Sed sanctus vir conspiciat, quia & qui summa vm dona percepit, si de acceptis extollitur, cuncta quæ acceperat amittit, & dicat; Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille.* Ex his intelligimus, eum districtè iudicari apud Gregorium, qui propter superbiam prius amittit dona Dei, quę acceperat, & seuerè secùndùm propria iudicatur.

ALTERVM testimonium est in lib. 9. Moralium, c: 11. *Repentè*, inquit, *Deus interrogat cum nos ad districtionem sui examinis inopinatos vocat, sed interrogationi illius, homo respondere non sufficit quia si remota tunc pietate discutitur, in* B *illo examine etiam iustorum vita succumbit.*

RESPONDEO, Explicat S. Gregorius illa verbo Iob: *Si repentè interrogat, quis respondebit ei?* docet autem, esse valdè periculosum, si quis inopinatò, & imparatus ad iudicium Dei vocetur, quia cùm nemo sit, qui non peccet, qui imparatus vocatur, verisimiliter in peccato aliquo reperitur, cuius nullam pœnitentiam egit. Cæterùm nõ dicit Gregorius, opera iustorum in iudicio succumbere, quasi ipsa bona opera sint peccata, vt Luthe- rani volunt, sed vitam iustorum in iudicio succumbere, quoniam (vt dixi) in peccatis inueniuntur, de quibus nullam pœnitentiam egerunt. Nec dicit, iustos ita succumbere in iudicio, vt ad pœnas destinentur æternas, sed intelligit eos succumbere, quoniam pœna aliqua, saltem purgatoria, temporariaque mulctantur, iuxta illud 1. ad Cor. 3. *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit quasi per ignem.*

TERTIVM testimonium est in eodem libro, c. 14. C Vbi explicans Gregorius illa verba: *Si habuero quippiam iustum, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor*; sic ait: *Omnis humana iustitia, iniustitia esse conuincitur, si districtè iudicetur. Prece ergo post iustitiam indiget, vt quæ succumbere discussa poterat, ex sola iudicis pietate conualescat.*

RESPONDEO, Hic locus eundem sensum habet, cum primo loco. Significat. n. humanam iustitiam esse iniustitiam, si districtè iudicetur, id est, si iudicetur remotis beneficijs Dei, secundùm ea, quæ homo habet ex se. Nam hoc loco hortatur nos Gregorius ad humilitatem, non ad pœnitentiam, vt patet ex verbis sequentibus: *Preci ita que inintendum est, cum rectè agimus, vt omne quod iuste viuimus, ex humilitate eondiamus.* Itaque sensus verborum eius hic est, vt cùm bona opera aggredimur, Dei auxilium inuocemus, scientes nos absque Deo ni- D hil boni facere posse, & posteaquam bona opera fecimus, non superbiamus, quasi nostris viribus illa fecerimus, sed insistamus precibus, orantes Deum, vt confirmet, quod operatus est in nobis.

QVARTVM testimonium est in eodem lib. c. 26. in illud: *Verebar omnia opera mea. Ac si*, inquit, *humili confessione diceretur, quæ aperte egerim, video: sed quæ in his latenter perpetrarim, ignoro.*

RESPONDEO, Non dicit in omni bono opere esse latentem culpam, sed sæpè cùm bona opera facimus, culpam aliquam admisceri, nisi quis diligenter vigilet. Id quod apertiùs dixerat paulò antè, cùm ait: *Ipsa bona nostra, quia insidiantis culpæ euadere gladium nequeunt, nisi solicito quotidie timore muniantur, per sanctum virum nunc rectè dicitur, verebar omnia opera mea.*

QVINTVM testimonium est in eodem lib. c. 28. *Notandum*, inquit, *quod vir sanctus non ait fulserunt mundissimæ manus meæ, sed velut mundissimæ manus meæ; quia quousque* A *pœna corruptionis adstringimur, quælibet recti operibus insudemus vera munditiam nequaquã apprehendimus, sed imitamur.*

RESPONDEO, Vocat Gregorius veram munditiã, munditiam Dei, & beatorum; cuius comparatione, nostra munditia vera non esse videtur, quamuis absolutè sit vera. Sic. n. loquitur idem Greg. li. 5. Moral c. 26. *Humana iustitia diuinæ iustitiæ comparata iniustitia est; quia & lucerna in tenebris fulgere cernitur, sed in Solis radio posita tenebrarum.* Et li. vl. c. 1. *Omnia humana quæ iusta, & pulchra sunt, Dei iustitiæ, & pulchritudini comparata, nec iusta, nec pulchra sunt.*

SEXTVM testimonium est in lib. vlt. c. vlt. *Si autem*, inquit, *de his diuinitus districtè discutimur, quis intersistaremanet salutis locus, quando & mala nostra pœna mala sunt, & bona quæ nos habere credimus, pœna bona esse nequaquã possunt?*

RESPONDEO, Non dicit Gregorius, omnia bona opera nostra esse impura, sed non omnia posse esse pura, quia fieri non potest, vt non aliquando subrepat aliquid, quo bona aliqua opera vitientur. Ita enim seipse B explicat, cùm paulò pòst ait: *Faciendum est igitur, quod rectam intentionem nostram, quæ soli Deo placere appetit, nunquam intentio minus recta, quæ de donis Dei placere hominibus quærit, confidendo comitantur.* Quamuis autem loquatur Gregorius de peccatis venialibus, dicit tamen, non remanere salutis locum, si districtè iudicemur, quoniam peccata etiam venialia, si non misericorditer remittantur, impediunt ab ingressu illius regni, in quod nihil coinquinatum intrare potest.

Cæterùm fieri non potest, vt non misericorditer remittãtur, si iusti simus, & in charitate Dei perseueremus: *Nam*, vt scribit sanctus Augustinus in libro de correptione, & gratia, capite 13. *Misericordia illa iusto Dei iudicio dabitur vobis, quoniam bonis suis operibus meruerunt, vt non sine misericordia iudicarentur. Nam beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, ait Dominus Matthei quinto, & iudicium sine misericordia ei, qui non fecerit misericordiam, inquit Iacobus, c. 2.* C

Ex sancto BERNARDO proferri solet testimoniũ illud, quod habetur in serm. 5. de verbis Isaiæ Prophetę; *Nostra, si qua est humilis iustitia, recta forsan, sed non pura misi forte meliores nos esse credimus, quam patres nostros, qui non minus veraciter quam humiliter dicebant: Omnes iustitiæ nostræ tanquam pannus menstruatæ mulieris. Quomodo enim pura iustitia, vbi non potest adhuc culpa deesse?*

RESPONDEO, Sanctus Bernardus exponit quidem illud Isaiæ de panno menstruatę paulò aliter quam alij Patres exponant: Tamen in re non dissentit à cæteris, neque ab ipsa veritate. Distinguit enim triplicem iustitiam, VNAM, quam dicit esse rectam, sed non puram, nec firmam:

ALTERAM, rectam, & puram, sed non firmam,

TERTIAM, rectam, puram, & firmam. RECTAM esse docet, cùm peccato non consentitur; Sic enim ait; *Recta proinde interim videri potest iustitia hominum, si tamen peccato non consentiant.* PVRAM autem vocat, quæ in eis est, qui nunquam fuerunt iniusti: FIRMAM denique, quę amitti non potest. Itaque in Angelis beatis ponit iustitiam rectam, puram, & firmam; in primis nostris parentibus, antequam peccarent, dicit fuisse iustitiam rectam, & puram, sed non firmam; Denique in nobis dicit esse posse iustitiam rectam, quia possumus peccato non consentire. sed non puram, quoniam nemo nostrùm est, qui non peccauerit in Adamo, & qui non aliquando saltem venialiter peccet. Nec firmam, quoniam nemo est, qui eam non possit amittere.

Videmus igitur sanctum Bernardum iustitiam rectam, id est, quæ in peccatum lethale non consentiat, libenter admittere. Quod vnum planè sufficit ad nouatores refellendos, qui omnia bona opera, peccata mortalia esse definiunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LIBER QVINTVS,

DE IVSTIFICATIONE,

QVI EST DE MERITIS OPERVM.

DISSERVIMVS HACTENVS DE NECESSITATE, ET veritate iustitiæ actualis: nunc de efficacia eiusdem, id est, de meritis operum disserẽdum est. Erit autem QVADRIPARTITA *hæc de meritis disputatio.* PRIMVM *enim tractandum erit, An sint merita aliqua vera iustorum.* DEINDE, *Quid sit meritum, siue quid requiratur ad verum meritum constituendum.* TERTIO, *Qualia sint hæc merita, id est, an ex condigno, an ex congruo tantum.* QVARTO, *Propter quid sint, siue quid illud sit, quod propriè cadit sub meritum.*

CAPVT PRIMVM.

Proponitur controuersia, sint nè opera bona iustorum meritoria salutis æternæ.

PRIMVM igitur controuersia illa principalis tractanda erit: *Sint ne opera iustorum meritoria vitæ æternæ.* DEINDE quæstiones duæ breuiores de intuitu mercedis, & de fiducia meritorum.

Quod igitur ad controuersiam illam principalem attinet, aduersarij, quamuis initiò valdè contemptim loquerentur de operibus bonis, paulatim tamen cœperunt nonnihil eis tribuere, Nam Confessio Augustana, & Apologia articulo 20. dicunt, opera bona iustorum placere Deo, & esse meritoria præmiorum. Sed ne videantur omninò consentire Papistis, addunt DVO temperamenta, quorum VNVM est, opera bona esse meritoria præmiorum temporalium, & spiritualium, in hac vita, & in futura, sed non ipsius vitæ, & salutis æternæ. Ne videlicet falsum sit, quod tam sæpè repetiuerunt, sola fide iustificari, & saluari homines. ALTERVM temperamentum est, opera iustorum non esse meritoria ex propria dignitate, quasi re vera sint iusta, & legi satisfaciant, sed ex fide, & indulgentia Dei, quia videlicet Deus ijs, qui credunt sibi remissa esse peccata, indulgentiâ sua regit operum fœditatem, & sic accipit, quasi iusta essent.

Eandem sententiam habet Ioannes Brentius in Confessione VVirtembergensi, capite de bonis operibus. Kemnitius in Examine Concilij Tridentini, ad finem sessionis sextæ, & alij passim.

Ioannes verò Caluinus libro tertio Institutionum, capite decimo quinto, §. 2. & sequentibus, in re cum Lutheranis consentit, in verbis discrepat. Contendit enim, non esse vtendum nomine meriti, & mercedis, sed dicendum esse, operibus bonis dari à Deo remunerationem aliquam, & compensationem liberalem, & quamuis agnoscet, & fateatur veteres Patres passim vsos esse vocabulis meriti, & mercedis, tamen ita acerbè in eos inuehitur, vt dicat pessimè eõsuluisse fidei sinceritati, qui primus nomẽ meriti operibus tribuit. Qua incredibili arrogantia non solùm totam antiquitatem temerè, & impudenter accusat, sed ipsum etiam Spiritum sanctum corrigit, qui in sacris literis hæc ipsa nomina (vt paulò pòst videbimus) extare voluit. Fatemur nihilominus eum valdè malè consuluisse Caluinianæ, & Lutheranæ fidei, qui hoc nomen primus inuenit. Nihil enim efficacius dici potest ad probandam iustitiam veram operum bonorum, & ad iustitiam imputatitiam refellendam, quàm si opera iustorum merita vitæ æternæ esse dicantur.

Porrò Martin. Bucerus in actis Colloquij Ratisbonen. ne totam antiquitatem contemnere videatur, negat Scripturam, vel Patres, nomine meriti vsos esse, addit tamen, si fortè Patres hoc nomine vsi sint, duram esse in ea voce catachresim. Sed tam frequẽter, & tam apertè vtuntur Patres hoc nomine, vt nesciam, vtrum sit maius Caluini sacrilegium, an Buceri mendacium.

Nos igitur probabimus id, quod habet communis Catholicorum omnium sententia, opera bona iustorum verè, ac propriè esse merita, & merita non cuiuscunque præmij, sed ipsius vitæ æternæ, contra Sectarios omnes. Sed antea tamen contra Caluinum probabimus nomen meriti in Scripturis fundari, ac proinde non malè consuluisse fidei sinceritati sanctos Patres, qui eo nomine passim vsi esse inueniuntur.

CAPVT II.

Probatur ex Scripturis, opera iustorum rectè vocari merita.

QVOD igitur ad nomen meriti pertinet, non desunt testimonia sacræ Scripturæ, vbi eiusmodi nomen vel apertè contineatur, vel vnde facili negotio deducatur.

PRIMVM

PRIMVM testimonium habetur Ecclesiastici, capite 16. *Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundum meritum operum suorum.* Respondet CALVINVS, in Græco textu non haberi nomen meriti, sed solùm κατὰ ἔργα. AT illud κατὰ ἔργα, rectè vertitur secundùm meritum operum, vel pro merito, & dignitate operum. Quid enim est reddere secundùm opera, nisi reddere sicut opera merentur? Quare non solùm vetus interpres Ecclesiastici, sed etiam S. Hieronymus, qui trium linguarum peritissimus erat, latinè reddere solet per vocem MERITI, quod Hebræi, vel Græci dicũt, iuxta vel secundùm opera. Vt exempli caussa, quod habetur Iud. 20. in Hebræo, & Græco, vt possimus reddere contra Gabaa Beniamin, iuxta omnem stultitiam, quam fecerunt in Israël. S. Hieronymus vertit; *Vt possimus pugnare contra Gabaa Beniamin & reddere ei pro scelere quod meretur.*

ALIVS locus est in epist. ad Heb. c. 13. *Beneficentiæ, & communionis nolite obliuisci. talibus enim hostiis promeretur Deus.* Vbi passiuè vsurpauit interpres vocem PROMERETVR, sed alioqui rectissimè vertit vocem Græcam: εὐαρεστεῖται. Significat enim hoc verbũ delectari, hilariter se habere, placari. Itaque sensus est, talibus hostiis delectatur, siue placatur Deus, vt habet commẽtarius Chrysost. vel talibus hostijs placetur Deo, vt exponit Oecumenius. CALVINVS fatetur, Apostolum dicere Deo, atque ei acceptas esse: & tamen negat, rectè vocari merita. AT certè proprijssimè dicimus latinè, vnum apud alterum mereri, & eum sibi obstringere, qui facit aliquid, quod ei placeat, eumque delectet. Adde, quod verbum illud coniunctum cum vocabulo, *hostiarum*, nõ solùm significat, Deum delectari bonis operibus, sed etiã conciliari, & induci ad benefaciendum ijs, qui benè operantur. Hoc autem est, quod dicimus, opera bona esse meritoria.

ALIA loca sunt, vbicunque inuenitur nomen dignitatis. Nam quod nos dicimus mereri, dicunt Græci ἀξιοῦσθαι, id est, dignum esse, & meritum vocant ἀξίαν. Hæc autem verba frequenter habentur in Scripturis, vt 2. ad Thessal. 1. *Vt digni habeamini regno Dei.* Græcè est, εἰς τὸ καταξιωθῆναι ὑμᾶς τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ. quod æquè verti poterat, vt vos mereamini regnum Dei. Et apoc. c. 3. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt*, id est, quoniam id merentur. Et capite 16. *Dedisti eis sanguinem bibere: digni sunt enim*, id est, eiusmodi pœnam merentur. In his omnibus locis, alijsque permultis, ponitur illa vox, qua Græci meritum designare solent.

DENIQVE plurima sunt testimonia Scripturæ, quę disertis verbis continent nomen mercedis. Vt Gen. 15. *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* 2. Paral. 15: *Vos ergo confortamini, erit enim merces operi vestro.* Prou. 11. *Seminanti iustitiam merces fidelis.* Sap. 5. *Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum.* Ecclesiastici 18. *Ne vereris vsque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Isaiæ 40. *Ecce Dominus veniet, & merces eius cum eo.* Matt. 5. *Merces vestra copiosa est in cœlis.* 1. ad Cor. 3. *Vnusquisque propriam mercedem accipiet.* Apoc. vlt. *Ecce venio cito, & merces mea mecum est.* At merces, & meritum, relatiua sunt; merces enim meritis redditur, sicut gratia gratis datur. Igitur cùm tam sæpè, & tam perspicuè præmium operum dicatur merces, dubium esse non debet, quin ipsa opera secundùm morem loquendi Scripturæ, rectè dicantur merita.

Neque probabile est, in tot locis semper esse duram catachresim, vt dicit Bucerus. Catachresis enim, præsertim dura, in vno aut altero loco fortasse tolerari posset? in tot autem locis planè intolerabilis esset, & iniuriam facit Spiritui sancto, qui tot in locis durissima catachresi illum vsum esse confirmat.

CAPVT III.

Opera iustorum meritoria esse vitæ æternæ, probatur ex diuinis literis.

SED vt iam ad rem ipsam veniamus, probare possumus ex diuinis literis sententiam nostrã testimonijs plurimis; sed ea nos ad certa capita reuocabimus.

PRIMVM igitur argumentum ducitur ab ijs locis, vbi vita æterna nominatur merces. Nam si ipsa est merces, bona opera, quibus illa redditur, sine dubitatione sunt merita. Matt. 5. *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra est in cœlis.* Quid autem sit hæc merces, paulò antè explicauerat Dominus dicens: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Dicit igitur, gaudendum, & exultandum in persecutionibus, quoniam copiosa nos manet merces in cœlo, cùm regnum cœlorum ijs paratum sit, qui persequutionem patiuntur propter iustitiam.

Item Matth. 20. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Huius autem mercedis nomine intelligi denariũ diurnum, ex ipsa eadem parabola perspicuum est. Per denarium verò diurnum significari vitam æternam, communi consensu Patres docent. Nam præter commentarios in hunc locum, id habent S. Hieronymus lib. 2. in Iouinianum, S. Augustinus lib. de sancta Virginitate, c. 26. & sanctus Gregorius li. 4. Moral. c. 42.

Ad hoc argumentum respondet PHILIPPVS in Apologia confessionis Augustanæ, mercedem dici præmium, quod Deus reddit, non quia debeatur operibus, sed quia debetur promissioni, qua Deus constituit filijs suis adoptatis per Christum dare vitam æternam. AT Scriptura disertis verbis dicit, hanc mercedem dari operibus, non soli promissioni. Quid enim apertiùs dici potuit, quàm, *Voca operarios & redde illis mercedem?* DEINDE esto, propter solam promissionem aliquid verè, & propriè debeatur; tamen nunquam id mercedis nomine verè appellari poterit, nisi conditio operis, & conditionis impletio interuenerit. Ista enim verè durissima, & intolerabilis esset catachresis, si quis donatiuum à rege promissum, ex mera liberalitate, sine vlla conditione operis mercedem appellare vellet.

CALVINVS aliter respondet, mercedem videlicet, cùm dicitur de vita æterna, non accipi propriè, sed figuratè; quoniam vita æterna in Scripturis vocatur hæreditas, hæreditas autem non est propriè merces, cùm debeatur filijs, quia filij sunt, non quia sibi eam proprijs laboribus pepererunt. AT neque hæc solutio multum valet. Nam cùm in Scripturis vita æterna non minùs sæpè, fortasse etiam sæpius dicatur merces, quàm hæreditas, vnde probabit Caluinus, dicendam esse propriè hæreditatem, improprie mercedem, & non potius contra, mercedem propriè, hæreditatem impropriè? DEINDE, quid si vtrumque possit dici proprie? habet enim vita æterna conditionem mercedis, & hæreditatis. Datur enim ex promissione laborantibus, quod est mercedis proprium? & non datur nisi filijs, quod est proprium hæreditatis.

AT si filijs debetur hæreditas, quia filij sunt, quid opus est pro ea adipiscenda laborare? RESPONSIO est in promptu; nam tametsi paruulis, qui mox à Baptismo decedunt, vita æterna donetur solo iure hæreditatis, tamen voluit Deus filios suos, qui vsum rationis habẽt, proprijs laboribus, & meritis illam acquirere, vt duplici titulo illis vita æterna deberetur, titulo videlicet hæreditatis & iure mercedis, quoniam enim magis honorificum est, habere aliquid ex merito, quàm ex sola donatione, ideò Deus, vt filios suos magis honoraret, id etiam eis præstitit, vt vitam æternam per merita sibi pa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rent. Nam & ipsi Christo debita erat gloria corporis, A & exaltatio nominis, hoc ipso quòd erat filius Dei; & tamen quia humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, propterea Deus illum exaltauit, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Vt interim illud omittam, quòd meritis operum redditur gradus aliquis gloriæ sempiternæ, ad quem non pertingunt, qui solo titulo hæreditatis gaudent.

ALTERVM argumentum ducitur ab ijs locis, in quibus habetur, præmium cœleste dari hominibus secundùm mensuram, & proportionem operum, & laboris. Hinc enim euidenter colligitur, in præmio illo conferendo, non haberi rationem solius promissionis, vel liberalitatis, vel indulgentiæ Dei, sed etiam dignitatis, & efficaciæ ipsorum operum. Loca hæc sunt. Ps. 65. *Reddes vnicuique secundum opera sua.* Matth. 16. *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui, cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundùm opera sua.* Luc. 6. *Eadem mensura, qua* B *mensi fueritis, remetietur vobis.* Ad rom. 2. *Thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundùm opera eius.* 1. ad Cor. 3. *Vnusquisque mercedem recipiet secundùm suum laborem.* Ad Gal. 6. *Quæ seminauerit homo hæc & metet.* Apoc. vlt. *Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundùm opera sua.*

Ad hæc, & similia respondere solent, non negare se, danda esse præmia in hac vita, & in futura bonis operibus; non tamen vitam æternam. AT Apostolus ad Rom. 2. cùm dixisset, Deum redditurum vnicuique secundùm opera sua; subiunxit continuò: *His qui secundum patientiam boni operis gloriam, & incorruptionem quærunt, vitam æternam.* Et ad Gal. 6. cùm dixisset: *Quæ seminauerit homo, hæc & metet*; adiunxit explicans: *Qui enim seminat in carne sua, de carne metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Igitur vita æterna est præ- C mium illud, quod datur secundùm proportionem & mensuram operum.

DEINDE explicare deberent aduersarij, quæ sint præmia reddenda in futura vita, si ad ea non pertinet vita æterna. Certè Scriptura, quamuis nunc regnum cœlorum, nunc visionem Dei, nunc salutem animarum, nunc alijs verbis explicet beatitudinem Sanctorum, tamen semper rem eandem intelligit, id est, vitam æternam, vt sanctus Augustinus docet in lib. 1. de sermone Domini in monte, c. 9.

DENIQVE, cùm Scriptura dicit, Deum redditurum vnicuique secundùm opera sua, omnes consentiũt, malis hominibus secundùm mala ipsorum opera, reddendam esse mortem æternam; cur non igitur consentiunt etiam bonis hominibus secundùm bona ipsorum opera reddendam esse vitam æternam?

Sed rursus respondent; quod Scriptura dicit, reddendam esse vitam æternam bonis operibus, esse phrasim quandam, qua significatur, vitam æternam dandam esse D fidei, cuius signa, & fructus sunt opera bona. Vnde Caluinus dicit, se posse illud in nos regerere, quod habetur prima Petri primo, vitam æternam fidei esse mercedem.

SED neque hæc responsio solida est. Nam si vita æterna non redderetur operibus, nisi vt signa sunt fidei, non rectè diceret Scriptura, dari præmium illud secundùm proportionem laboris, & operis vniuscuiusque; immò nec dici posset dari, secundùm proportionem maioris, vel minoris fidei; immò nec dici posset esse mercedem fidei. Siquidem fides non saluat, vt aduersarij docent, vi sua, quasi sit ipsa meritum, vel caussa vitæ æternæ, sed solùm relatiuè, quia apprehendit promissionem salutis.

Itaque, si vera esset Hæreticorum sententia, sicut iustitia eadem est in omnib. iustis, nec maior in vno, quàm in alio, ita esset eadem beatitudo in omnibus beatis, nec maior in vno, quàm in alio; Proinde nihil interesset, vtrum quis magnam, vel paruam fidem haberet, siue vtrum plura, & maiora opera, vel pauciora, & minora fecisset. At certè longè aliud Scriptura docet, cùm ait: *Vnusquisque mercedem accipiet secundùm suum laborem.* Et cùm opera comparat semini, & vitam æternam frugibus. Verè enim semen est caussa frugum, & secundùm mensuram respondet.

Præterea cùm Scriptura loquatur eadem phrasi de bonis, & malis operibus; si bonis operibus non redderetur præmium, nisi quia signa sunt fidei; certè etiam malis operibus non redderetur pœna, nisi quia sunt signa perfidiæ, vel absentiæ veræ fidei. At quis Christianus id affirmare audeat, homicidio, adulterio, periurio, alijsque id genus sceleribus non deberi supplicium per se, quà talia scelera sunt, sed solùm quatenus sunt signa perfidię, vel absentię verę fidei?

Quod verò sanctus Petrus dicit, verissimum est, & pro nobis facit. PRIMVM enim non dicit, vitam æternam esse mercedem, sed finem fidei, sic enim ait: *Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum.* Non est autem idem finis, & merces. Nam finis relationem habet ad media, siue sint merita, siue non sint; merces relationem habet ad sola merita. Proinde omnis merces est finis, non omnis finis est merces. DEINDE, sine dubio loquitur sanctus Petrus de fide, quę per dilectionem operatur: huius autem fidei, vt etiam cuiuscunque alterius virtutis formatę per charitatem, vitam æternã esse mercedem, libentissimè confitemur.

Sed fortè non seriò Caluinus Petri sententiam nobis obiecit; nam si re vera fidei actum meritorium salutis esse fateretur, omnes protestantes illum, tanquam Papistã nouũ, execrarentur. Nã (vt sæpè diximus) nulli omninò hominum minus tribuunt fidei, quàm Lutherani, & Caluiniani, qui soli fidei omnia tribuere videri volunt.

TERTIVM argumentum sumitur ex illis locis, quę ita vitam æternam reddi testantur operibus bonis, vt ipsã rationẽ, cur detur vita æterna, in operibus ponant. Sunt autem hęc loca, Matthæi vigesimo quinto: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum ab origine mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Item ibidem: *Quia in pauca fuisti fidelis supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui.* Apoc. 7. *Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, &c. ideò sunt ante thronum Dei.* In quibus locis particulæ, ENIM, QVIA, IDEO, sunt omnes caussales, vt notum est.

Respondet CALVINVS, in his locis notari ordinem diuinę prouidentiæ; quæ non donat salutem, nisi ijs, quos antea iustificauit, & bona opera exercere fecit. Itaque sensum illorum verborum: *Possidete regnum, esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c.* hunc esse vult, non possidebunt regnum, nisi qui priùs misericordiæ opera fecerint, non quòd opera misericordię sint merita, vel caussę illius regni adipiscendi, sed quia Deus voluit, priùs fieri opera misericordię ab electis, & posteriùs ab eisdem obtineri regnum. Probat autem Caluinus, in Scripturis illud Enim, vel QVIA, sæpè notam esse ordinis, & consequentię, non autem caussę; quoniam in Genesi capite 15. Deus absolutè, & gratis promittit Abrahę, quòd semen eius multiplicaretur instar stellarum, quæ numerari non possunt. Et tamen c. 22. ait: *Quia fecisti rem hanc, multiplicabo semen tuum, &c.*

AT si ita licet omnia eludere, nullę erunt formæ loquendi, quibus sententias nostras explicare possimus. Fingamus enim, voluisse Christum ostendere, opera misericordiæ esse veram caussam, cur iustis hominibus in iudicio reddenda sit merces salutis ęternæ. Quibus, quęso, verbis breuius, apertiùs, commodiùs id explicare potuisset, quàm illis: *Possidete regnum; esuriui enim, & dedistis mihi manducare?*

DE

DEINDE, nonne eodem modo loquitur Dominus A de bonorum præmijs, & de impiorum supplicijs? certè sicut dixerat: *Possidete regnum; esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c.* ita dicit: *Ite maledicti in ignem æternum; esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* At nemo dicere potest, in his verbis posterioribus non reddi veram caussam, sed ordinem, & consequentiam tantùm ostendi. Nam stipendium peccati mors, vt dicitur ad Rom. 6.

DENIQVE vtrum illę particulę, Enim, &, QVIA, & similes, veræ sint caussales, cùm agitur de bonorum operum præmijs, perspicuum est ex plurimis alijs locis, vbi bona opera dicuntur salutem ipsam efficere, vt 2. ad Cor. 4. *Quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Et ad Galat. 6. *Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Et ad Philippenses 2. *Cum timore, & tremore salutem vestram operamini.* Vide etiam alia, B quæ suprà attulimus in disputatione de necessitate operum bonorum.

Ad illud autem, quod CALVINVS obijcit ex capite 15. & 22. Geneseos, facilis est RESPONSIO, Deus enim voluit, semen Abrahæ multiplicarę sicut stellas cœli; & simul voluit, vt donum illud Abraham bonis operibus promereretur, quemadmodum etiam postea voluit, vt Isaac precibus impetraret filios, quos tamen idem Deus antè promiserat; Voluit enim dare, sed per meritum precum eius. Sicut etiam omnes electos Deus prædestinauit ad gloriam, & tamen vult, vt ad eam per bona opera, meritaque perueniant. Itaque ex eo, quod Deus absolutè promisit Abrahæ multiplicationem posteritatis, non sequitur, vt Abraham eam non verè meruerit; imò sequitur, vt meruerit, cùm Deus per eiusmodi medium promissionem suam implere decreuerit.

QVARTVM argumentum sumitur ab illis testi- C monijs, vbi præmium bonis operibus ex iustitia dicitur esse reddendum. Vt 2. ad Thessalon. 1. *Gloriamur in Ecclesijs Dei, pro patientia vestra & fide in omnibus persequutionibus vestris, & tribulationibus, quas sustinetis in exemplum iusti iudicij Dei.* Et infrà: *Si tamen iustum est apud Deum, retribuere tribulationem his qui vos tribulant, & vobis, qui tribulamini requiem nobiscum.* 2. ad Timoth. 4. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Ad Hebr. sexto: *Non est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri.* Iacob. 1. *Beatus vir qui sustinet tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Apocalyp. 2. *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Huc etiam pertinent illa: *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Prouerbiorum 19. Et: *Nescitis, quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? sic currite, vt comprehendatis.* 1. ad Corinthios nono. Et: *Certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem.* 2. ad Timotheum primo. Siquidem iniuriam faceret, qui D mutuum non redderet, vel brauium vincenti non daret, vel depositum non restitueret. Hæc enim omnia iustitiam includunt.

Respondet CALVINVS ad primum testimonium, afflictiones iustorum esse quasi notas, & stigmata quædam, quibus Christo similes efficiuntur, & illis insigniti sunt, qui in regnum Cœlorum admittantur, non propter meritum patientiæ, sed quia sunt veri Christiani, quod notæ, & stigmata illa testantur. Ad alia loca respondet, Scripturas ita loqui, vt hortentur homines ad opera bona.

SED non solas notas esse veri Christiani, tribulationes patienter propter Christum toleratas, sed etiam veram meritą, perspicuum est, quia quod solis notis respondet non dicitur corona, brauium, & similia. Neque si essent opera illa solùm notę veri Christiani, diceretur Deus iusto iudicio, & vt iustus iudex præmia distribue- re. Denique non diceret Apostolus, eâdem iustitia reddi à Deo tribulationem his, qui tribulant, & requiem his, qui tribulantur. Neque enim qui tribulant, & persequuntur Sanctos, eiusmodi impietate solùm testantur, se veros non esse Christianos, sed verè ac propriè iram diuinam in se prouocant, & supplicia, pœnasque suis sceleribus debitas promerentur.

Quod autem Scriptura hortetur homines ad opera bona, verissimum est, sed illud etiam est verum, cohortationes diuinas non habere officiosa mendacia, sed veritate esse plenissimas. Quare si Deus vt nos ad bona opera cohortetur, dicit, bene operantibus, iusto iudicio reddendam esse coronam iustitię, securi esse debemus, quia non fallit nos Deus, & sic ad bona opera excitari, vt simul credamus, bonis operibus ex iustitia reddendam esse mercedem.

QVINTVM argumentum sumitur ex illis testimo- B nijs, quę docent, vitam ęternam promissam esse operibus bonis, qualia sunt Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Et ibid. *Omnis qui reliquerit domum, vel patrem, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* 1. ad Tim. 4. *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Iac. 1. *Accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* At promissio facta cum conditione operis, non solùm debitam facit rem promissam; qui enim promisit, ex iustitia tenetur stare promissis; sed etiam facit, vt qui opus impleuerit, meruisse rem promissam, eamque vt mercedem iure suo exigere posse dicatur. Sed de hoc plura diximus in libro superiore.

SEXTVM argumentum sumitur ab illis locis, in quibus fit mentio dignitatis. Nam (vt suprà diximus c. 2.) dignum esse præmio, & mereri præmium, idem sunt, iuxta illud Domini Luc. 10. *Dignus est operarius mercede sua.* Sunt igitur hæc loca Sap. 3. *Deus tentauit eos & inuenit eos dignos se.* Item 2. ad Thessal. 1. *Vt digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini.* Luc. 20. *Qui digni habebuntur seculo illo, & resurrectione ex mortuis.* Apoc. 3. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.*

Neque his locis repugnat illud ad Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam.* Loquitur enim Apostolus de substantia ipsorum operum, non de proportione absoluta. Nam passiones huius temporis breues sunt, gloria illa æterna est, tamen proportio est inter has passiones, & illam gloriam propter charitatis dignitatem, vnde procedunt. Nam & Christi passio multò breuior fuit pœnis damnatorum sempiternis, & tamen propter dignitatem personę patientis dignissima fuit, quæ pro illis pœnis iustissimè satisfaceret. Et delicię peccatorum incomparabiliter minores sunt tormentis gehennæ, & tamen propter contemptum Dei dignissimæ sunt, quę illis supplicijs puniantur. Et semen multò est minus, quod ad molem attinet, ipsa arbore; & tamen proportio est inter semen, & arborem tanta, vt semini ritè sato naturali quadam iustitia arbor debeatur. Itaque beatus Paulus 2. ad Corinthios quarto, dicit quidem, passiones huius temporis momentaneas, & leues esse, si conferantur ad pondus æternæ gloriæ, quod expectamus, & tamen addit has ipsas momentaneas, leuesque passiones operari æternum glorię pondus, operari verò sine dubio intelligit non physicè, sed moraliter, id est, non efficienter, sed meritoriè; ac per hoc dignas esse quibus gloria illa, quamuis maxima, & sempiterna, iusto iudicio tribuatur.

SEPTIMVM argumentum sumitur ab illis locis, vbi dicitur Deus iudex iustus, & non acceptor personarum. Vt ad Rom. 2. *Non est acceptio personarum apud Deum.* Ad Gal. 2. *Deus personas non accipit.* 1. Pet. 1. *Si patrem inuocatis eũ, qui sine acceptione personarũ iudicat, secundùm vnuscuiusq; opus, &c.* Act. 10. *In veritate comperi, quia nõ est perso-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

narum acceptio apud Deum. At acceptio personarum est vitium contrarium iustitiæ distributiuæ, cùm videlicet iudex dat præmium sine meritis, aut maius præmium minoribus meritis, vel contrà. Deus igitur in retributione præmiorum merita hominum considerat, & pro meritorum diuersitate vitæ æternæ mansiones assignat.

Itaque rectè S. AVGVSTINVS in epist. 46. ad Valentinum: *Si non sunt merita*, inquit, *quomodo iudicabit Deus hunc mundum?* proinde aduersariorum hæresis, quæ tollit merita, tollit simul articulũ fidei de iudicio futuro.

CAPVT IIII.

Idem probatur ex traditione Patrum.

NVNC addemus testimonia sanctorum Patrum. Ac vt à Græcis incipiamus, DEINDE ad Latinos veniamus:

Sanctus IGNATIVS in epist. ad Romanos: *Smite*, inquit, *me, vt bestiarum esca: per quam possim* B *Deum promereri.*

Sanctus IVSTINVS in Apolog. 2. ante medium: *Homines* inquit, *qui digne se Deo voluntate, & consilio operibus præstiterint, cum eo victuros esse meritis suis simpsimus, ac regnaturos, sic vt ab omni interitu, perturbationeque sint liberi.*

Sanctus IRENAEVS lib. 4. aduersus hæreses, c. 72. *Pretiosam* inquit, *arbitremur coronam, quæ per agonem nobis acquiritur, sed non vltro coalitam, & quanto per agonem nobis aduenit tanto est pretiosior.* Item c. 44. probat meritum operum ex iudicij forma, quæ describitur Matth. 25.

ORIGENES lib. 2. in epist. ad Rom. explicans c. 2. *Primò*, inquit, *excludantur hæretici, qui dicunt animarum naturas bonas & malas, & audiant, quia non pro natura, sed pro meritis reddit Deus. Secundò ædificentur fideles, ne putent hoc solùm sufficere, quod credunt, sed sciant, iustum iudicium Dei vnicuique reddere secundùm opera sua.* Vide etiam Clementem Alex. Origenis præceptorem, lib. 4. Strom.

C Sanctus BASILIVS in lib. de Spiritu sancto, c. 24. *Homo*, inquit, *ex operibus iustitiæ saluatur.* Et oratione in initium Prouerb. *Omnes*, inquit, *qui viam Euangelicam incedimus, mercatores sumus, per opera mandatorum nobis possessionem cœlestium comparantes.*

Sanctus IOANNES CHRYSSOTOMVS hom. 4. de Lazaro, circa medium: *Si iustus*, inquit, *est Deus, & his, & illis reddet pro meritis. Quod si & his, & illis rependet pro meritis; hic verò nullus eorum recepit, neque ille improbitatis pœnam neque hic virtutis præmia perspicuum est, restare tempus aliud, in quo congruens præmium horum vterque ferat.* Vide eundem hom. 42. in Genes. & hom. 43. in priorem ad Corinth.

Sanctus GREGORIVS NAZIANZENVS orat. in S. Baptisma, extrema, *Crede*, inquit, *resurrectionem, iudicium, mercedem, ad istam Dei lancem exigendam.*

Sanctus GREGORIVS NYSSENVS orat. 1. de amandis pauperibus: *Denique*, inquit, *pro suis quemque meritis ornatum cerno. Illis, qui boni, benignique fuerint summa, & perpetua requies tribuitur in regno cœlesti; inhumanis autem, & improbis, supplicium ignis, idque sempiternum.*

Iam ex Latinis, TERTVLLIANVS in li. de resurrectione carnis, vltra medium, tractans cap. 15. prioris ad Corint. *Ordo* inquit, *meritorum, dispositorum nomine disponetur: merita autem cum corpori quoque adscribantur, ordo quoque corporum disponatur necesse est, vt possit esse meritorum.*

Sanctus CYPRIANVS in li. de Simplicitate Prælatorum siue de vnitate Ecclesiæ, vltra medium: *Iustitia*, inquit, *opus est, vt promereri quis possit Deum: præceptis eius, & monitis obtemperandum est, vt accipiant merita nostra mercedem.* Item in sermone de eleemosyna, extremo: *Si*, inquit, *expeditos, si celeres, si in hoc operis agone currentes, dies nos vel reditionis, vel persecutionis inuenerit; nisi quam Dominus meritis nostris ad præmium decreuit. In pace coronam vincentibus candidam pro operibus dabit, in persecutione purpuream pro passione gemmabit.* Vide eundem lib. 2. epist. 4. lib. 3. c. 25. lib. 4. epist. 6. & 8.

Sanctus HILARIVS can. 5. in Matth. *Regnum*, inquit, *Dei vitæ nostræ stipendiis quæramus. Et hæc rectè, perfectéque viuentium merces est, vt in nouam, cœlestémque substantiam ex hac corruptibilis corporis materiæ transferantur, & corruptio terrena, cœlesti incorruptione muteur.* Et can. 6. *De nostro*, inquit, *est beata illa æternitas promerenda, præstandúmque est aliquid ex proprio.*

Sanctus AMBROSIVS lib. 1. de officijs, c. 15. *Nónne*, inquit, *euidens est meritorum, aut præmia, aut supplicia post mortem manere?* Vide eundem in epist. 81. ad Siricium, lib. secundo de Cain, capite nono, lib. de Noë, & arca, c. 7. in Ps. 118. ser. 7. & li. 7. in Luc. in illud: *Nónne duo passeres, &c.*

Sanctus HIERONYMVS lib. 2. aduersus Iouinianũ non procul à fine: *Denarius*, inquit, *quasi indulgentia veri Principis omnes per Baptismum emittit de carcere: Iam nostri laboris est, pro diuersitate virtutum, diuersa nobis præmia præparare.*

Sanctus PAVLINVS in epistola ad Victricium: *Tuarum*, inquit, *tibi præmia se debere virtutum, iudex iustus agnoscet.*

Sanctus AVGVSTINVS in epistola 105. ad Sixtum: *Nullá ne*, inquit, *sunt merita iustorum? sunt planè, quia iusti sunt. Sed vt iusti fierent, merita nõ fuerunt.* Et infrà: *Sicut merito peccati, tanquam stipendium redditur mors, ita merito iustitiæ, tanquam stipendium, vita æterna.* Idem in lib. de moribus Ecclesiæ, c. 25. *Vita*, inquit, *æterna est totum præmium, cuius promissione gaudemus. Nec præmium potest præcedere merita, & prius homini dari, quàm dignus est. Quid enim hoc est iniustius, & quid iustius Deo? non ergo debemus poscere præmium, antequam mereamur.*

Hîc sanctus Augustinus non solùm docet, hominem habere merita vitæ æternæ, sed etiam vnum, & totum esse præmium nostrum vitam æternam, contra sententiam aduersariorum, qui finxerunt varia præmia in hac vita, & in futura, vt eluderent testimonia, quæ loquuntur de meritis, ac ne cogerentur admittere, bona opera esse præmia vitæ æternæ: Item docet hoc loco sanctus Augustinus, meritis operum ex iustitia dari præmium vitæ æternæ, ne fortè dicerent, dari quidem, sed ex mera liberalitate. Item addit, non dari nisi priùs ea digni inueniantur, qui illam habituri sunt, ne dicant nullam esse in operibus dignitarem. DENIQVE dicit, iniustissimũ esse petere à Deo iustissimo iudice vitam æternam, antequam eam merearis accipere; vbi apertè damnat omnes Lutheranos, qui vitam æternam operibus mereri non volunt, & tamen eam sibi certissima fide dandam esse præsumunt. Vide eundem Augustinum in Psal. 83. 93. 100. Item in epistola 46. 47. 52. In Enchiridio, capite 106. & 107. lib. de natura, & gratia, capite secundo, de correptione, & gratia, capite decimo tertio, de gratia & D libero arbitrio, capite quarto, & sequentibus.

Sanctus PROSPER in responsione ad caput 6. Gallorum: *Iustificatus*, inquit, *homo, id est, ex impio pius factus, nullo præcedente bono merito accipit donum, quo medio acquirat & meritum.* Idem habet in lib. 2. de vocatione gentium, c. 8. & in Psal. 125. in vltimis verbis.

Sanctus CAELESTINVS Papa in epistola ad Gallos, c. 12. *Tanta*, inquit, *erga omnes homines est bonitas Dei, vt nos sua velit esse merita, quæ sunt ipsius dona: atque pro his, quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus.*

Sanctus GREGORIVS lib. 4. Mor. c. 42. *Quia*, inquit, *in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa proculdubio discretio dignitatum, vt quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat.* Vide eundem lib. 18. Mor. c. 24. & li. 25. c. 1.

Sanctus BERNARDVS ser. 68. in Cant. *Merita* inquit, *habere*

habere cures, habita data noueris. Pernicioſa paupertas, penuria A *meritorum.* Et serm. 81. Item in Cant. *Omne*, inquit, *quod feceris bonum, maliúue, quod quidem non facere liberum sit, merito ad meritum deputatur.*

His addi possunt testimonia Conciliorum. Nam in Concilio ARAVSICANO can. 8. sic legimus: *Debetur merces bonis operibus si fiant, sed gratia, quæ non debetur, præcedit vt fiant.*

Concilium LATERANENSE Oecumenicum, sub Innocentio tertio, vt habetur in c. Firmiter, de Summa Trin. & fide Catholica: *Non solùm*, inquit *Virgines, & continentes, verùm etiam coniugatæ per rectam fidem, & operationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem peruenire.*

Concilium FLORENTINVM item Oecumenicum in decreto de purgatorio, docet, animas, quæ nihil expiandum habent, in cœlum mox recipi, Deumque videre pro meritorum diuersitate alium alio clariùs, atque perfectiùs. Nihil igitur noui, sed fidem antiquã docuit Concilium Trid. sess. 6. c. 16. & can. 26. & 32. vbi merita B iustorum asseruit.

Accedat VLTIMO ratio euidens ex ijs, quę probata sunt in libro superiore. Demonstratum est enim, opera bona iustorum esse verè iusta, satisfacere legi diuinæ, iustificare hominem. Hinc autem sequitur, esse verè meritoria. Potissima enim ratio, cur hæretici huius temporis merita negent, illa est, quoniam existimant, nullum esse opus in hac vita verè iustum, & quod legi satisfaciat, sed esse omnia opera nostra peccata mortalia ex natura sua, & solùm propter Domini indulgẽtiã venialia.

CAPVT V.

Soluuntur obiectiones ex Scripturis, contra me vita operum bonorum.

ARGVMENTA aduersariorum magna ex parte soluta sunt in libro superiore extremo. C Siquidem illa omnia, quæ adferũtur ad probandum, omnia iustorum opera esse peccata. Adferri solent etiam ad probandum, nulla esse vera merita salutis æternæ. Soluemus igitur hoc loco eas tantùm obiectiones, quę propriè contra merita pugnare videntur.

PRIMVM ex diuinis literis obijciunt illud Psalmi centesimi secundi: *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus.* Item: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiã consequentur.* Et Iacobi 2. *Iudicium sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam.* Hæc enim, & alia similia loca tenent, ipsam etiam coronam glorię, & beatitudinem cœlestem dandam esse sanctis hominibus ex misericordia, non ex iustitia, ac per hoc non reddi propriè meritis, sed gratis dari.

RESPONDEO, Sanctus Augustinus hæc loca diligenter expendit, TVM in epist. 105. TVM in lib. de correptione, & gratia, capite 13. DVAS autem indicat exD positiones. VNA est, quòd beatitudo tribuatur misericordiæ, non quia non sit vera merces meriti, sed quia merita ipsa ex misericordia data sunt. Non enim potest opera meritoria facere homo, nisi priùs iustificatus. Iustificatur autem non ex operibus, sed ex gratia, & misericordia. Quare solet etiam AVGVSTINVS ita distinguere, vt dicat, ipsi iustitiæ vitam æternam esse mercedem, non gratiam, ipsi autem homini esse gratiam, nõ mercedem, quoniam homini iustitia gratia est. Eandem explicationem sequitur S. GREGORIVS in Psalmũ septimum pœnitentialem, tractans illud: *Auditum fac mihi mane misericordiam tuam.*

ALTERA expositio est, quòd in ipsa coronatione, quæ mercès est meriti, sit etiam misericordia necessaria, quæ peccata venialia remittat, sine quibus nulli viuunt, & pauci vitam hanc finiunt, cæterùm addit ibidem Augustinus, hanc ipsam misericordiam debitam esse bonis meritis Sanctorum, & in iudicio non tam donari, quàm reddi, vt dici possit iusta misericordia, quoniam iusto iudicio redditur.

Sed etiamsi ista misericordia non redderetur meritis, sed pura misericordia esset, non tamen impediret rationem meriti in bonis operibus hominum iustorum. Nam comitatur misericordia coronam gloriæ, sed non est ipsa corona gloriæ. Corona enim respicit bona merita, misericordiã respicit peccata venialia, quæ remissione delenda sunt. Sicut enim ex parte hominis duo sunt, bona merita, & peccata venialia, quorum vnum non destruit alterum; ita ex parte Dei duo sunt, corona gloriæ tanquam merces meritis, & misericordia tanquã medicina peccati, & horum etiam duorum vnum non impedit aliud. Nam si remissio illa nullo modo debita esset, sed omninò gratuita: posset quidem Deus non remittere peccata illa venialia, sed tamen nec punire posB set, nisi temporaria pœna, cùm illa peccata maiorẽ pœnam iusto iudicio non mereantur. Soluta verò in igne purgatorio illa pœna, bona merita iusto iudicio coronam iustitiæ nulla re iam impediente perciperent.

SECVNDO obijci potest illud Isai. 55. *Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac.* Et illud Danielis c. 9. *Non in iustificationibus nostris proster-nimus preces nostras sed in miserationibus tuis magnis.*

RESPONDEO, Hæc loca ad rem non faciunt; siquidem vinum, & lac, non gloriam sempiternam, sed gratiam temporis huius eo loco significant. Fatemur autem gratiam Dei non acquiri per merita, sed gratis dari, quamuis non absque opere, & labore nostro. Nam venire, & emere, laborem nostrum designant; absque argento, & absque vlla commutatione, reconciliationẽ non debitam, sed gratuitam plane esse demonstrant. Porrò vinum & lac ad gratiam præsentis temporis pertinere docet sanctus Hieronymus in commentario, vbi etiam dicit, in huius rei signum solitos esse Christianos renatis in Christo præbere gustandum vinum, & lac. Daniel quoque non coronam petit, eo loco, sed liberationem à captiuitate, in quam populus Dei, propter peccata, deuenerat.

TERTIO obijciũt illud Lucæ 17. *Cum feceritis hæc omnia dicite, serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.*

RESPONDEO, Multis modis hunc locum Patres exponunt, & sunt omnes egregiæ explicationes, nec vlla contra merita bonorum operum pugnat.

PRIMVM (vt exponit sanctus AMBROSIVS libro octauo in Lucam) iubet Dominus, vt agnoscamus id, quod sumus ex nobis: *Agnoscenda*, inquit, *gratia, sed non ignoranda natura, &c.* Itaque ex nobis serui inutiles sumus, inepti prorsus ad ea implenda, quæ Dominus præcipit: tamen per eius gratiam vtiles efficimur, iuxta illud ad Timotheum 2. *Qui emundauerit se ab his erit vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino ad omne opus bonum paratum.*

SECVNDO, vt exponit BEDA, iubemur agnoscere, nihil nos Deo vtilitatis adferre, sed quidquid boni facimus, id nobis vtile esse, nõ Deo, qui bonorum nostrorum non eget. Quare summa cum humilitate Deo seruire debemus, & gratias agere, quod obsequium nostrum acceptare voluerit.

TERTIO, vt exponit sanctus AVGVSTINVS serm. 3. de verbis Domini, serui inutiles dici possumus, cùm omnia diuina mandata seruauimus, quoniam nihil facimus vltra id, quod debemus, & nihil inde iustę mercedis petere possemus, nisi Deus liberali pacto nobiscũ conuenire voluisset. Nam ex conditione mancipia Dei sumus, & si velit, potest nos absq; vllo præmio ad omnia opera, quęcunque illi placuerit, obligare. Hãc igitur cõditio

Universidad de Deusto
Biblioteca

ditionem nostram ad humilitatem conseruandam, vult nos Christus agnoscere. Quamuis ex gratuito pacto, quod nobiscum facere dignatus est, possumus cum Apostolo dicere: *Reposita est mihi corona iustitiæ quam reddet mihi in illa die iustus iudex.* Nam & Dominus ipse dicit: *Nonne ex denario conuenisti mecum? tolle quod tuum est, & vade. O magna* (inquit AVGVSTINVS) *bonitas Dei, cui cum pro conditione reddere debeamus obsequium, vt pote serui Domino, amicitiarum nobis præmia repromittit vt a nobis obsequia debita seruitutis extorqueat.*

QVARTO, vt exponit sanctus IOANNES CHRYSOSTOMVS homilia in illud: *Et iustum est cor Oziæ*, non dicit Dominus, cùm feceritis hæc omnia, serui inutiles estis: sed ait: dicite, quia serui inutiles sumus; vbi vult nos de nobis post benefacta humiliter sentire, ne superbia corrumpat opera bona, quæ fecimus. Sed cùm nos dicemus, seruus inutilis sum; dicet ille: Euge serue bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Absolutè enim non esse inutiles eos, qui benè operantur, perspicuum est ex hac ipsa parabola de talentis, Matthæi vigesimo quinto. Nam seruum inutilem vocat Christus eum solùm, qui talentum abscondit, & quem proijci iubet in tenebras exteriores. Alios autem, qui talenta multiplicauerant, vt seruos vtiles laudat, & remunerat.

QVARTO, obijciunt illud Apostoli ad Rom. 6. *Stipendium peccati mors, gratia Dei vita æterna.* Hinc enim videntur aperte excludi merita, tum quia vita æterna non dicitur stipendium bonorum operum, sicut dicitur mors æterna stipendium peccati: tum quia simpliciter dicitur gratia; nam vt idem Apostolus ait ad Rom. 4. *Ei qui operatur, merces nō imputatur secundum gratiā sed secundū debitū.*

RESPONDEO, Hoc argumentum diligenter soluit sanctus Augustinus in epistola centesima quinta, in Enchiridio, capite centesimo septimo, & præcipuè in lib. de gratia, & libero arbitrio, c. 8. & 9. DVO autem dicit,

PRIMO, potuisse Apostolum rectè dicere, stipendium iustitiæ vita æterna, sicut dixit, stipendium peccati mors. Quę S. Augustini confessio causam aduersariorum penitus iugulat. SECVNDO, non esse dictum, stipendium iustitiæ vita æterna, sicut stipendium peccati mors, ne quis existimaret, ita nos ex nobis habere iustitiam, sicut ex nobis habemus peccata. Itaque gratia dicitur vita æterna, non quia non est merces meriti, sed quia ipsa merita habemus ex gratia. In illis autem verbis ad Rom. 4. *Ei, qui operatur &c.* loquitur Apostolus de operibus, quæ sine gratia Dei, solis viribus liberi arbitrij fieri posse credebant ij, quos eo loco refellit.

QVINTO, obijciunt illud ad Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis, &c.* SED hoc iam solutum est c. 3. in argumento sexto pro meritis.

SEXTO, obijciunt illud ad Philip. 3. *Hæc omnia quæ mihi erant lucra, propter Christum detrimentum feci, & arbitror vt stercora vt Christum lucrifaciam; & vt inueniar in illo, non habens meam iustitiam, quæ ex lege est sed illam quæ ex fide est Iesu Christi.* Huc etiam addi possunt illa: *Gratia saluati estis per fidem, non ex operibus* ad Ephes. 2. Et: *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam magnam misericordiam saluos nos fecit*, ad Tit. 3.

RESPONDEO PRIMVM, hęc omnia loca frustrà adferuntur contra merita salutis æternę; cùm Apostolus loquatur de salute inchoata, quæ habetur in hac vita, per gratiam iustificationis, & regenerationis; non de salute perfecta, quæ reposita est nobis in cœlis. Nos autę non contendimus, salutem inchoatam, id est, iustificationem haberi per merita, sed gratis eam donari gratissimę confitemur.

DEINDE loquitur Apostolus de iustitia, & operibus, quæ fidem, & gratiam Dei præcedunt; nam ideo fidei & gratiæ illam opponit, cùm ait: *Vt inueniar in illo non habens meam iustitiam quæ ex lege est sed illam, quæ ex fide Christi.* Et: *Gratiâ ipsis saluati per fidem, non ex operibus, &c.* Istam autem iustitiam & opera, nos quoque despicimus, & merita vitæ æternæ non esse concedimus.

DENIQVE aduersarij, qui hæc loca, ac præcipuè primum locum ex c. 3. ad Philip. impudentissimè referunt ad opera bona, quæ ex fide, & gratia Dei à sanctis, & iustis hominibus fiunt; deberent vel vnum ex tota vetustate producere, qui ea loca ita exposuisset.

Certè S. AVGVSTINVS in lib. 2. de pecc. merit. & remiss. c. 13. dicit, Apostolum vocare detrimenta, & stercora, opera bona, quæ fecerat in iudaismo, quoniam talia videri poterant in comparatione eminentissimæ iustitiæ, quæ habetur per fidem Christi, in Ecclesia Catholica. Vbi iustitiam Christianorum non solùm non vult appellari detrimenta, vel stercora, sed eminentissimam iustitiam nominat. immò nec iustitiam, quę erat in Iudaismo, absolutè damnat eo loco, sed tantùm in comparatione Christianæ iustitiæ.

Idem verò AVGVSTINVS eum locum diligentiùs tractans in lib. 3. ad Bonifacium in lib. de gratia, & libero arbitrio. & in serm. 15. de verbis Apostoli, damnat quidem absolutè iustitiam illam, quam Apostolus vocat detrimenta, & stercora, sed ideo damnat, quia docet illam esse iustitiam superborum, qui suis solis viribus existimant sine fide, & gratia Christi se posse implere iustitiam. Iustitiam enim ex fide, & gratia, vbique Augustinus laudat, & meritum vitæ æternæ esse docet.

Quod verò KEMNITIVS notat, Apostolum in præsenti dixisse, *Arbitror vt stercora*, quasi damnare voluerit impuritatis eam etiam iustitiam, quam ex fide CHRISTI, cùm esset Apostolus, faciebat: puerile est; nam illud (*Arbitror*) non respicit opera præsentia, sed præsens iudicium de operibus præteritis, atque in Iudaismo factis.

SEPTIMO, obijciunt illud ad Romanos tertio: *Exclusa est gloriatio tua, per quam legem? factorum? non, sed per legem fidei.* At si fides excludit omnem gloriationem, quę ex operib. nascitur; certè excludit omnia merita. Si quis enim vera merita haberet, de illis iure gloriari posset.

RESPONDEO, Fides excludit gloriationem eorū, qui in se gloriantur, quasi suis viribus iustitiam facere possint, & à se habeant, si quid boni habent: non autem excludit gloriationem eorum, qui in Domino gloriantur, id est, qui iustitiam, & merita, Deo iuuante, habere se posse confidunt. Alioqui non diceret Apostolus: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Itaque sanctus BERNARDVS sermone decimo tertio in Cantica: *Hæc nobis*, inquit, *gloriatio non solum non prohibetur, sed etiam suadetur, cùm dicitur gloriam ab inuicem quæritis, & gloriam, quæ à solo Deo est non vultis.*

OCTAVO obijciunt, fieri Christo magnam iniuriam, si meritis nostris aliquid tribuatur, quasi non sufficiant Christi merita.

RESPONDEO, Hoc argumentum, quantò ab aduersarijs magis rhetoricè, vel potiùs tragicè amplificatur, tantò, cum discutitur, inanius inuenitur. Siquidem merita iustorum non opponuntur meritis Christi, sed ab illis nascuntur, & quidquid ipsa iustorum merita laudis habent, id totum redundat in laudem meritorum Christi. Ipse est enim vitis, nos palmites; & sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite, sic & nos nihil possumus sine Christo facere. Et sicut nemo vnquam ita desipuit, vt diceret detrahi de gloria vitis, si palmites ipsius multum fructum adferant. Ita nemo, nisi planè stultus, dicere potest detrahi de gloria Christi, si serui eius per gratiam eius, per spiritum eius, per fidē, & charitatem, ab ipso inspiratam, bona opera faciant; quę ita verè sint iusta, vt eis debeatur à iusto iudice corona iustitię.

AT, inquiunt, si requiruntur merita hominum, non igitur

igitur sufficiebāt merita Christi. NON ita est. Nā merita hominum non requiruntur propter insufficientiam meritorum Christi, sed propter maximam eorum efficaciam. Meruerunt enim Christi opera apud Deum, nō solùm, vt salutem consequeremur, sed etiam, vt eam per merita propria consequeremur. Siue (quod est idem) nō solùm æternam salutem, sed etiam virtutem merendi nobis meruerunt. Sicut etiam quòd Deus Sole vtatur ad mundum illustrandum, igne ad calefaciendum, aura, & pluuiis ad refrigerandum, non est in caussa imbecillitas Dei, quasi non posset ipse per se, absque Sole, igne, aura mundum illustrare, calefacere, refrigerare; sed omnipotentia eius, qua potuit non solùm ista facere, sed etiam rebus creatis vim faciendi tribuere.

AT saltem, inquiunt, diuiditur gloria inter Deum, & hominem, si non solis eius meritis, sed etiam nostris salutem assequimur. NEQVE id verum est. Nam merita nostra, dona sunt Christi. & quamuis in opere bono, quod nos, Deo iuuante, facimus, nihil sit nostrum, quod non sit Dei, neque aliquid sit Dei, quod non sit nostrū, sed totū faciat Deus, & totū faciat homo: tamen ratio, cur id opus sit dignum vita æterna, tota pendet à gratia.

DENIQVE, nos ipsi non minùs Christo sumus obstricti, nec minùs salutem nostram totam, atque integram illi acceptam referimus, cùm illam meritis nostris acquirimus, quàm si absque vllis meritis nostris illam acciperemus: immò multò magis nunc illi nos debitores esse fatemur, quandoquidem non solùm per eius gratiam saluamur, sed etiam per eandem nobilissimo modo, honorificentissimóque saluamur.

CAPVT VI.

Soluuntur obiectiones ex Patribus.

IAM VERO ex Patribus nonnulla protulerunt testimonia contra merita humana, quæ facili negotio explicari poterunt.

PRIMO, obijciunt illa verba S. HILARII in Psal. 51. *Non enim illa ipsa iustitiæ opera sufficerent ad perfectæ beatitudinis meritum, nisi misericordia Dei, etiam in hac iustitiæ voluntate humanarum demutationum, & motuum, non reputet vitia. Spes igitur in misericordia Dei in seculū seculi.*

RESPONDEO, Explicatio huius loci petenda est ex iis, quæ diximus ad primam obiectionem capitis superioris. Solùm enim Hilarius docet, cum bonis meritis admisceri peccata quædam, quæ tametsi non faciant hominem iniustum, cùm sint leuia, & venialia, tamen remissione, & misericordia indigent, quia nihil coinquinatum intrare potest in regnum cœlorum.

SECVNDO, obijciunt illa verba S. BASILII in Psal. 114. *Manet sempiterna requies illos, qui in hac vita legiuimè certauerunt, non ob eorum merita factorum, sed de munificentissimi Dei gratia, in qua sperarunt.*

RESPONDEO, Non rectè verba sancti Basilij Kēnitius interpretatur. Non enim in Græco textu inuenitur illud: *Non ob eorum merita*, neque illud, *gratia*. Hæc enim sunt verba: ὁ κῆ ὀφείλημα κῆ ὄψιον ἀποδιδόμενα, ἀλλὰ κῆτὸ μεγαλοδώρεα θεοῦ. Quæ verba significant, requiem æternam reddendam esse legitimè certantibus, non secundùm debitum operum, sed secundùm debitum Dei munificentissimi, id est, non pro mensura operum, sed pro mensura magnificentiæ Dei, siue non quantum debetur operibus, sed multò amplius, quantum videlicet decet munificentiam Dei.

Sed etiamsi rectè Kemnitius verba S. Basilij latinè reddidisset; nihil tamen obtineret ex Basilio contra merita. Diceremus enim à Basilio excludi merita, quæ sint homini à se, & prædicati merita, quæ sint homini ex gratia. Nam cùm dicit, manere requiem æternam legitimè certantes; apertè ponit merita; legitimè enim certanti debetur iure brauium. Cùm autem addit (si tamen addit) *Non ob eorum merita factorum, sed de munificentissimi Dei gratia*, indicat, neminem legitimè certare suis solis viribus, sed per gratiam condonationis. Ac per hoc non ob merita propria, id est, propriis viribus acquisita, sed ob gratiam Dei, à qua merita vera nascuntur, dari certantibus requiem sempiternam.

TERTIO, obiiciunt ex AVGVSTINO illa verba in Psal. 70. concione 2. *Tua peccata sunt merita, Dei sunt. Supplicium tibi debetur, & cum præmium venerit, tua dona coronabit, non merita tua.* Item illa ex sermone 15. de verbis Apostoli: *Pro nihilo saluos facies illos nihil inuenis, vnde salues, & multum inuenis, vnde damnes.* Item illa verba ex libro de gratia, & libero arbitrio, capite 9. *Malui*, inquit, *dicere, Gratia Dei vita æterna, vt intelligeremus, non pro meritis nostris, Deum nos ad æternam vitam sed pro sua miseratione perducere.*

RESPONDEO, Sanctus Augustinus, vbicunque merita damnat, loquitur de meritis, quæ sint in nobis, ex nobis, id est, sine gratia Dei. Id quod ex duobus locis apertissimè intelligi poterit. PRIOR locus est in epistola centesima quinta ad Sixtum: *Ipsa*, inquit, *vita æterna, quæ in fine, sine fine habebitur, & ideo meritis præcedentibus redditur: tamen quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parta sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud nisi quia gratis datur: nec ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita quibus datur.* Et infrà: *Cui debetur vita æterna, vera iustitia est: si autem vera iustitia est, ex te non est: desertum est descendens à Patre luminum, vt haberes eam: si tamen habes, profectò accepisti. Quid enim habes, quod non accepisti? quapropter ô homo si acceperunt ex vitam æternam vestitia quidem stipendium est sed nihi grana est, ei gratia est ipsa iustitia. Tibi enim tanquam debita redderetur, si ex te tibi esset iustitia, cui debetur.*

Habemus ex hoc loco, iustitiam nostram, cui redditur vita æterna, veram esse iustitiam, ac per hoc verè meritoriam, non autem ita imperfectam, vt peccatum dici possit, vt aduersarij dicunt. Habemus deinde AVGVSTINVM, cùm dicit, nobis non deberi vitam æternam ex merito, sed gratis donari, loqui de homine, qualis est sine gratia Dei, & qui suis solis viribus operatur: hominem enim, vt operatur ex gratia, nunquam negauit Augustinus, deberi vitam æternam ex merito, cùm ipsi iustitiæ, quam homo per gratiam operatur, dicat, reddi tanquam stipendium vitam æternam.

Locus POSTERIOR est in libro de gratia, & libero arbitrio, capite sexto: *Cum*, inquit, *dicunt Pelagiani, hanc esse solam, non secundum merita nostra gratiam, quā homini peccata dimittuntur: illam verò, quæ datur in finem, id est, æternam vitam meritis nostris præcedentibus reddi: respondendum est eis. Si enim merita nostra sic intelligerent, vt etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia; quoniam verò merita humana sic prædicant vt ea ex semetipso habere hominem dicant pro suis rectissimè respondet Apostolus, Quis enim te discernit: quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti quid gloriaris quasi non acceperis? prorsus tali cogitanti verissimè dicitur. Dona sua coronat Deus, non merita tua: si tibi a te ipso, non ab illo sunt merita tua. Hæc enim si talia sunt mala sunt, quia mala sunt, non coronat Deus: si autem bona sunt Dei dona sunt.*

Et capite septimo: *Si*, inquit, *Dei dona sunt bona merita tua sed tanquam dona sua.*

Et capite octauo: *Apostolus*, inquit, *cùm diceret, Gratiâ saluati estis per fidem, & hoc non est vobis, sed Dei donum est, non ex operibus ne quis extollatur: videlicet vtique, quia esse possent homines, hoc ita dictum quasi necessaria non sint opera bona credentibus sed eis fides sola sufficiat: & rursus posse homines*

de

Universidad de Deusto
Biblioteca

ac bonis operibus exiisti, velut ad ea facienda sibi sufficiant: A max itaque addidit, ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Quid est hoc, quòd cùm Dei gratiam commendans, dixisset, non ex operibus ne forte quis extollatur; cur hoc dixerit, rationem reddens, ipsius enim sumus, inquit, figmentum, creati in Christo Iesu, in operibus bonis? quomodo ergo non ex operibus, ne forte quis extollatur? sed audi, & intellige, non ex operibus dictum, tanquam tuis ex te ipso tibi existentibus, sed tanquam his, in quibus te Deus finxit, id est, formauit & creauit.

Et infrà: *Illa (inquit) gratia boni operis) cui datur, tantummodo gratia est. Hæc autem (id est, vita æterna) quæ illi datur, quoniam præmium est, gratia est pro gratia, tanquam merces pro iustitia, vt verum sit, quoniam verum est, quia reddet vnicuique Deus secundum opera eius.* Ex his manifestè colligitur, quid sanctus Augustinus de meritis sentiat: neque opus est verbis eius aliquid addere, cùm sine vllis ambagibus dixerit, illa se merita damnare, quę non sunt nobis ex Deo.

QVARTO obiiciunt illud ex sancto PROSPERO in libro primo de vocatione gentium, capite decimo septimo, siue (in alia editione) capite quinto, vbi dicit: *Ideo in parabola de his, qui laborant in vinea, dari idem præmium, eandemque mercedem omnibus operariis, siue multum, siue parum laborauerint, vt ij, qui multo labore fudarunt, nec amplius quam nouissimi acceperunt, intelligant, donum se gratiæ non operum accepisse mercedem.*

RESPONDEO. Considerat sanctus Prosper vitam æternam vt est vna, & eadem, siue vt est æqualis in omnibus beatis. Neque enim alius longiùs, alius breuiùs, sed omnes in æternum viuent. Dicit autem, hanc vitam æternam donum esse gratię, non operum mercedem, eo sensu, quo dixit Augustinus, dona sua coronat Deus, nó merita tua, videlicet non est vita æterna merces operũ, quæ sint nobis à nobis, sed quæ sunt nobis à gratia Dei. C Atque vt hoc intelligeretur, ideo voluit Deus vitam æternam tribuere iis, qui multùm, & iis, qui parùm laborauerant. Ne, qui multùm laborant, de suis viribus extollantur. Sanctum autem Prosperum non negare vera merita, quæ oriuntur ex gratia, planum est ex eodem loco, vbi dicit: *Bona merita sequi in homine post adeptam gratiam, non autem præcedere.*

QVINTO, obiiciunt illud sancti GREGORII libro nono Moralium, capite decimo quarto; *Si opus virtutis exercuero, ad vitam non ex meritis, sed ex venia conualescо.*

RESPONDEO, Loquitur sanctus Gregorius de meritis, quæ sunt in nobis ex nobis, eo modo quo loqui diximus Augustinum & Prosperum. Vult enim ad humilitatem nos adhortari, & ideo dicit, cùm opera virtutis facimus, nos ad vitam conualescere, non ex meritis pro- D priis viribus acquisitis, sed ex venia, per quam iustificati à Deo iustitiam, & bona opera habere incipimus.

SEXTO, obiiciunt sanctum BERNARDVM, qui in sermone primo de Annunciatione sic loquitur: *Neque talia sunt hominum merita vt propter ea vita æterna debeatur ex iure, aut Deus iniuriam aliquam faceret, nisi eam donaret.* Item sermone decimo quinto in Psalm. *Qui habitat Totum*, inquit, *hominis meritum est, si totam spem suam ponat in eo, qui totum hominem saluum facit.* Et serm. 61. in Cantica: *Proinde meritum meum, miseratio Domini.* Addit etiam Kemnitius altercationem sancti Bernardi cum Diabolo, in qua dixisse legitur: *Fateor, non sum dignus ego, nec propriis possim meritis regnum obtinere cœlorum. Cæterum Dominus meus duplici iure illud possidens, hæreditate Patris, & merito passionis, altero ipse contentus, alterum mihi donat.*

RESPONDEO, In primo testimonio docet sanctus Bernardus, vitam æternam non deberi meritis ex iure absolutè, quia merita præsupponunt & gratiam, & pro- missionem. Id enim paulò infrà ita ipse explicat, dicens, propterea non deberi meritis vitam æternam ex iure, quia merita ipsa nascuntur ex gratia. Præsuppositа autem gratia, & promissione, deberi vitam æternam ex iure, docet Apostolus, cùm ait 2. ad Timotheum quarto: *Reposita est mihi corona iustitiæ.* Et ad Hebræos 6. *Non est iniustus Deus, qui obliuiscatur operis vestri, & laboris.* Et sanctus AVGVSTINVS de natura & gratia, c. 2. *Non est iniustus Deus, vt iustos fraudet mercede iustitiæ.*

Ad ALIA loca RESPONDEMVS, ea dicta esse à sancto Bernardo, vt intelligamus, merita nostra non esse ex nobis, sed ex misericordia Dei; quod clarius explicat sermone sexagesimo octauo in Cant. *Merita habere cures; habita, data noueris, &c.* Fortasse etiam sanctus Bernardus, TVM ex humilitate, quæ propria merita ignorat, TVM ex incertitudine propriæ gratiæ, prudenter non confidebat in meritis suis, sed in sola misericordia Domini. Quod imitandum esse in sequenti capite pluribus ostendemus. Sed non ideo merita non habebat, B quia merita sua non agnoscebat.

CAPVT VII.

Quatenus fiducia in meritis collocari possit, exponitur.

CONTROVERSIAE superioti coniunctæ sunt DVAE quæstiunculę breuiores, VNA, de fiducia meritorum; ALTERA, de intuitu mercedis.

Quod attinet ad PRIMAM, Hæretici nostri temporis, nullam omninò fiduciam in meritis cõstitui posse contendunt. Quam sententiam coguntur defendere, si velint in illo errore persistere, quòd omnia opera iustorum sint peccata mortalia.

Sed inprimis IOANN. CALVINVS aduersus hanc fiduciam meritorum tragicè commouetur. Nam in lib. Institut. c. 2. §. vlt. reprehendens Petrum Lombardum, quod scripserit, spem gigni in nobis ex gratia Dei, & meritis præcedentibus: *Quis*, inquit, *non meritò tala bestias execretur? ô magistrum talibus dignum discipulis, quales in insanis rabularum Scholis nactus est.* DEINDE, capite duodecimo, §. 3. & 4. ex instituto docet, nullam in propriis meritis fiduciam esse locandam. Errorem huic planè contrarium docuit IOANNES VVICLEFVS, Pelagium sequutus, vt testatur Thom. VValdensis tom. 3. c. 7.

Sed Catholica Ecclesia mediam viam ingreditur, quę præcipuam quidem spem, & fiduciam in Deo ponendam esse; aliquam tamen etiam in meritis poni posse docet. Sed vt res tota planiùs explicetur, SCIENDVM est, fiduciam nihil esse aliud, nisi spem confirmatam, atque perfectam, vt sanctus Thomas docet in 2. 2. q. 129. art. 6. Quod etiam profani Scriptores tradiderunt. Sic enim loquitur Seneca in epistola 16. ad Lucilium: *De te spem habeo, nondum fiduciam.*

SCIENDVM est etiam, aliud esse fiduciam nasci ex meritis, aliud fiduciam esse ponendam in meritis. Potest enim fieri, vt quis exiguam, ac penè nullam fiduciã in meritis propriis constituat, eò quòd non certò sciat, an habeat vera merita; & tamen veris, magnisque meritis abundet, & ex illis fiducia in ipso erga Deum maxima oriatur. Ex qua distinctione tota quæstio absolui, & variæ Scripturarum, ac Patrum testimonia conciliari poterunt. Igitur tribus propositionibus nostram sententiam complectemur.

PRIMA Propositio sit: *Fiducia Sanctorum, quam in Deo constituunt, non ex fide sola, sed etiam ex bonis meritis nascitur,*

sciunt, atque ideo summo studio merita quærenda sint, vt apud A Deum fiduciam habere possimus.

Hęc propositio directè contra Caluinum ponitur, & ex Scripturis, & Patribus facilè probari potest. Tob. 4. *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna, omnibus facientibus eam.* Iob 11. *Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris, & non manserit in tabernaculo tuo iniustitia; tunc leuare poteris faciem tuam, & habebis fiduciam proposita sine, & defossus securus dormies.* Ad Rom. 5. *Tribulatio patientiã operatur, patientia vero probationem, probatio vero spem.* 1. ad Tim. 3. *Qui benè ministrauerit, gradum bonum sibi acquiret, & multam fiduciam &c.* Ad Heb. 10. *Vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. Nolite itaque amittere confidentiam vestram.* 1. Ioan. 3. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* His apertissimis Scripturæ testimoniis addi possunt hæc testimonia sanctorum Patrum.

Sanctus CYPRIANVS in serm. de eleemosyna, circa finẽ: *Præclara*, inquit, *& diuinares, Fratres charissimi, salutaris operatio, solatium grande credentiũ, securitatis nostræ B salubre præsidium munimentiũ spei, tutela fidei, medela peccati.*

Sanctus IOANNES CHRYSOSTOMVS hom. 2. in posteriorem ad Corinth. *Nos*, inquit, *oramus, vt post Baptismum etiam vitam honestam habeatis: tu contra studes, nihilque nõ facis, vt hinc migres absque bona vua. At nos optamus, vt ex beneficiis habeas fiduciam.*

AVCTOR operis imperfecti hom. 15. in Matth. non procul ab initio, *Sicut oleum*, inquit, *accendit lumen lucernæ ita & bona opera excitant fidem cordis, & dant confidentiam animæ.*

Sanctus AMBROSIVS in comment. ad cap. 17. Lucæ: *Ex fide*, inquit, *charitas, ex charitate spes, & rursus in se sancto quodam circuitu reuoluuntur.* Idem (si tamen idem) in cap. 3. posterioris ad Corinthios: *Nunc*, inquit, *opus est, vt crescat in nobis fiducia bonis actibus comparata.*

Sanctus AVGVSTINVS præfatione in Psal. 31. *Ille sperat qui bonam conscientiam gerit: quem vero pungit mala conscientia, retrahit se à spe, & non sibi sperat nisi damnationẽ. C Vt ergo speret regnum, habeat bonam conscientiam, credat, & operetur.* Idem in ser. 16. de verbis Apostoli: *Quæ spes*, inquit, *est nisi de aliqua conscientiæ bonitate?*

His accedit etiam ratio, nam cùm promiserit Deus coronam vitæ diligentibus se, vt dicit sanctus Iacobus capite primo, ex duobus pendet adeptio gloriæ, ex fidelitate Dei, qui præstat quod promisit, & ex operibus nostris; diligere enim oportet, non verbo, & lingua, sed opere, & veritate, vt ait sanctus Ioannes in epistola prima, capite tertio, proinde sicut spes certa non esset, si nos benè operaremur, sed Deus fidelis non permaneret: ita nec certa esse potest, si Deus quidem fidelis sit, sed nos non benè operemur, nec diligamus opere, & veritate. Spes igitur, ac per hoc etiam fiducia, non solùm ex gratia Dei promittentis, sed etiam ex meritis, & operibus nascitur, vt rectè docuit Petrus Lombardus libr. 3. Sent. dist. 26.

Sed fortè OBIICIET aliquis, quòd his, quæ dicta sunt, repugnare videatur, quòd sanctus Augustinus tra- D ctat. 83. in Ioannem, & Petrus Lombardus in 3. Senten. dist. 25. dicũt, spẽ priorem esse charitate, & sine ea posse consistere, contrà autem charitatem sine spe esse non posse. Nam si hæc vera sint, illud verum esse non poterit, quod suprà dictum est, spem ex charitate, & bonis operibus nasci.

Sed facilis est responsio. Nam (vt rectè ait sanctus Ambrosius) spes oritur ex charitate, & ex ipsa spe oritur charitas. Amor enim beatitudinis, vt rei nobis conuenientis, spem omnem præcedit. Non enim speratur, quod non amatur, vt AVGVSTINVS docet in Enchiridio, capite centesimo decimo septimo.

Itaque in homine nondum conciliato primus motus ad salutem est fidei; inde sequitur amor, & desiderium beatitudinis, per fidem iam cognitæ: post amorem, siue cupiditatem beatitudinis, sequitur in homine spes consequendæ eiusdem beatitudinis, sed ea spes non immediatè, sed mediatè beatitudinem respicit. Non enim qui nondum cum Deo in gratiam rediit, nec habet vlla bona merita, immediatè beatitudinem sperare potest. Ista enim non spes, sed præsumptio esset, vt Augustinus dicit in locis suprà citatis; sed sperat reconciliationem, & bona merita per Dei misericordiam se habiturum. & per hæc tandem ad beatitudinem peruenturum. Post hanc spem quam Theologi vocant informem, sequitur vera charitas, & operatio bona. Inde autem roboratur spes, & fiducia incipit appellari, quæ immediatè beatitudinem respicit.

Sit iam ALTERA Propositio: *In bonis meritis, quæ verè talia esse compertum sit, fiducia aliqua collocari potest, modo superbia caueatur.*

Hæc quoque propositio exemplis diuinæ Scripturæ confirmari potest. Legimus enim in secundo libro Esdræ, capite quinto, Nehemiam virum sanctum, enumerantem opera sua bona, & dicentem Deo: *Memento mei Domine in bono, secundum omnia, quæ feci populo huic.* Item Dauidem dicentem in Psal. 17. *Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, quia custodiui vias eius.* Et Ezechiam orantem apud Isai. cap. 38. *Obsecro Domine memẽto, quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim.* Et sanctam Hester ita orantem capite 14. *Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ & gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detester illud, sicut pannum menstruatæ; & non portem in diebus silentij mei & quod non comederim in mensa Aman nec mihi placuerit conuiuium regis, & non biberim vinum libaminum, & nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum vsque in præsentem diem, nisi in te Domine Deus Abraham, Deus fortis super omnes, exaudi vocem eorum, qui nullam aliam spem habent, & libera nos de manu iniquorum.* Denique Apostolum dicentem: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.*

His exemplis addi possunt alia ex testimoniis Patrũ. Scribit enim S. HIERONYMVS in vita Pauli primi Eremitæ, eundem Paulum mortui propinquum dixisse, *Peracto cursu superest mihi corona iustitiæ.* In vita verò Hilarionis refert idem Hieronymus, dixisse Hilarionem: *Egredere anima mea, egredere, quid times? septuagima propè annis seruisti Christo, & mortem times?* Scribit quoque SVLPITIVS, S. Martinum in exitu Diabolo astanti, magna cum fiducia dixisse: *Quid hìc astas cruenta bestia? nihil in me funestè reperies. Abrahæ me sinus excipiet.* Denique S. BONAVENTVRA scribit, illa fuisse verba extrema sancti Francisci: *Educ de custodia animam meam ad confitendũ nomini tuo. Me expectant iusti, donec retribuas mihi.*

His tot, ac tantis exemplis satis apparet in bonis meritis nonnullam fiduciam reponi posse: addidi autem: *Modò superbia caueatur.* Quoniam si quis in propriis meritis ita consideret, vt ea se à se, non ex gratia Dei habere crederet, vel cæteros præ se despiceret, aut maiora se merita habere existimaret, quàm re vera haberet: is non tam in spem erigeretur, quàm in superbiæ barathrum præcipitaretur.

Posse autem in meritis spem aliquam poni, si vera sint merita, & sobriè id fiat, probari potest hac etiam ratione, quoniam sicut misericordia Dei, ita etiam bona merita sunt vera salutis caussa, licet autem confidere in omni vera caussa, quæ ad finem optatũ, & speratũ consequendum, cognoscatur idonea. Nam & in rebus corporalibus ægrotus rectè confidit non solùm in arte, & industria medici, sed etiam in medicamentorum virtute, & efficacia. Neque hoc est confidere in propria

Universidad de Deusto
Biblioteca

virtute, sed in Deo, & eius gratia, cuius sunt munera omnia merita.

Sit TERTIA Propositio: *Propter incertitudinem propriæ iustitiæ, & periculum inanis gloriæ tutissimum est, fiduciam totam in sola Dei misericordia & benignitate reponere.*

Explico propositionem, non enim ita accipienda est, quasi non sit homini totis viribus studendum operibus bonis, aut non sit in eis confidendum, quasi non sint vera iustitia, aut iudicium Dei sustinere non possint, sed hoc solùm dicimus tutius esse, meritorum iam partorũ, quodammodo obliuisci, & in solam misericordiam Dei respicere, TVM quia nemo absque reuelatione certò scire potest, se habere vera merita, aut in eis in finem vsque perseueraturum; TVM quia nihil est facilius in hoc loco tentationis, quàm superbiam ex consideratione bonorum operum gigni.

Probatur igitur propositio testimoniis illis, quæ aduersarij contra merita operum adferre solent. Nã quod ait Daniel capite nono: *Non in iustificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.* Et quod ipse Dominus admonet Lucæ decimo septimo: *Cum feceritis hæc omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus*; hoc solùm probat, quod nos dicimus, tutum esse in sola misericordia Dei, & non in operibus nostris fiduciam collocare. Quod etiam testantur publicæ preces, quas Ecclesia Catholica ad altare fundere solet. Nam in collecta Dominicæ, quæ Sexagesima dicitur, sic orat Ecclesia: *Deus, qui conspicis, quia ex nulla nostra actione confidimus, &c.* Item in collecta secreta Dominicæ Aduentus: *Vbi nulla suppetunt suffragia meritorum, tuis nobis succurre præsidiis.* Item in canone post consecrationem: *Intra quorum nos consortium non æstimator meriti, sed veniæ quæsumus, largitor admitte.*

Similia passim leguntur in Patribus. Sanctus IOANNES CHRYSOSTOMVS homilia vigesima prima in Genes. ante medium: *Oportet*, inquit, *in virtute & recte factis spem salutis habere; immo neque in illis multum de se sentire; sed tunc magis humilem, & modestum esse, cum magnas virtutum diuitias congerere possumus. Sic enim & ipsi collectas diuitias custodiemus, & gratiã Dei nobis conciliabimus. Enimuero propter hoc & Christus discipulis dicebat, Cum feceritis hæc omnia, dicite, serui inutiles sumus.* Item homilia tertia in illud: *Elatum est cor Oziæ*, sub initium, *Nihil*, inquit, *perinde gignit superbiam, vt bona conscientia, nisi aduigilemus. Vnde & Christus sciens quod post beneficia nos hic morbus adoriatur, dicebat discipulis, cũ omnia feceritis, dicite, serui inutiles sumus.* Item homil. 3. in Matth. inquit, *mercedem reposcere, vt accipias mercedem. Tu saluari te per gratiam confitere, vt se ille tibi debitorem fateatur; nec modo pro operibus tuis, sed etiam pro hac æquanimitate. Quando enim aliqua præclarè feceremus, habemus eum debitorem ob res bene gestas: quando verò nihil arbitramur nos operatos egregium, amplius etiam ob talem meremur effectum, quàm propter opera ipsa, quæ fecimus. Minimum itaque de se sensisse, tam magnum est, quàm maximas res fecisse.*

Sanctus AMBROSIVS, vt in eius vita scribit Paulinus, sub mortem ita loquutus fertur ad ciues Mediolanenses: *Non sic vixi, vt me pudeat inter vos viuere: nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus.* Quæ verba sanctus AVGVSTINVS (vt in eius vita Possidonius refert) vehementer mirati, & laudare solebat; ideò siquidẽ Ambrosium dixisse affirmabat: *Nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus*, ne crederetur præfidens de suis purgatissimis moribus præsumpsisse. Sciens enim Ambrosius examen æquitatis diuinæ, magis de bono Domino, quàm de suis meritis confidebat.

Ipse quoque sanctus AVGVSTINVS libro tertio cõtra Cresconium, capite octogesimo: *Ad existimationem*, inquit, *hominum magna testium, qui me nouerunt, si petit copia: ad Dei verò conspectum sola conscientia, quam contra vestras criminationes, cum intrepidam geram; non me tamen sub oculis omnipotentis iustificare audeo, magisque ab illo efflagitem misericordiæ largitatẽ, quàm iudicis summi examen expecto.*

Sanctus GREGORIVS libro nono Moralium, capite 17. *Si scimus*, inquit, *bona quæ agimus, ad elationem ducimur; si nescimus, minimè seruamus. Quis enim aut de virtutis suæ conscientia non quantulũcunque superbiat? aut quis rursum bonũ in se custodiat, quod ignorat? sed cõtra vtraque quid superest, nisi vt recta q̃ agimus, sciẽdo nesciamus, vt hæc & recta æstimemus, & minima, quatenus & ad custodiã sensificet animã scientia rectitudinis, & in tumore nõ eleuet æstimatio minorationis.*

S. BERNARDVS serm. 9. in Psalm. *Qui habitat. Prætendat*, inquit, *alter meritũ, sustinere se iactet pondus dici, & æstus; mihi adhærere Deo bonũ est, ponere in Domino Deo spẽ meã.* Item in Cant. ser. 68. *Pernicios a paupertas penuria meritorũ: præsumptio autẽ spiritus fallaces diuitiæ. Et ideo diuitias & paupertatẽ ne dederis mihi Domine, ait Sapiens. Felix Ecclesia cui nec merita sine præsũptione, nec præsumptio absque meritis deest. Habet merita, sed ad promerendũ, non ad præsumendũ.* Idem in epist. 42. scribit, vtilissimũ esse corã Deo, non iustitiam prætendere, sed misericordiam postulare. Et in epist. 310. quam in ipsa penè morte constitutus, dictauit: *Orate*, inquit, *Saluatorẽ, vt tepestiuũ iam exitũ non differat, sed custodiat: curate munire votis calcaneũ nudũ meritis.* Vbi sanctus Bernardus ex conscientia bonæ vitæ optat, non differri diutius mortem suam; & tamen adeò non confidebat in meritis, vt existimaret, se nudum esse meritis.

DENIQVE, his accedit ratio manifesta. Vel enim habet homo vera merita, vel non habet; si non habet, pernicioſè fallitur, seque ipse seducit, dum in falsis meritis confidit. Istæ enim sunt fallaces diuitiæ apud S. Bernardum, quæ veras impediunt. Si verò habet, nihil perdit ex eo, quod ipse ea non intuetur, & in solo Deo confidit. Deus enim ea benè nouit, & intuetur, nec irremunerata esse patitur, vt pulchrè docet S. Io. Chrysost. hom. 38. ad populum Antiochen. Habemus igitur quatenus in bonis meritis fidendum, aut non fidendum esse videatur.

CAPVT OCTAVVM.

Licitum esse operari bona opera intuitu mercedis æternæ.

ALtera quæstio est de intuitu mercedis; liceat ne operari opera bona intuitu mercedis æternæ. IOANNES CALVINVS lib. 3. Instit. c. 16. §. 3. & c. 18. §. 2. negare videtur operandum esse intuitu mercedis, & quoniam negare non potuit, Scripturas interdum hortari homines ad bonum spe mercedis, addit, saltem non esse à tali exhortatione ducendum exordium. In Antidoto quoque Concilij, sess. 6. can. 31. dicit, Apostolum ad Ephes. 1. longè aliam doctrinam tradere de intuitu mercedis, quàm Concilium faciat. Fuit etiam in Catalonia quidem Bugantius publicè damnatus, vt Bernardus Lutzemburgensis in suo Catalogo refert, quod diceret, opera bona vitiari, si fierent intuitu mercedis æternæ.

Contrariam doctrinam tradit Concilium TRIDENTINVM sess. 6. ca. 11. & can. 31. vbi tamen non dicit Concilium, operandum esse tantùm affectu mercedis, vt Caluinus in Antidoto significat, cùm cõtra ipse asserit, non tantũ affectu mercedis operãdũ esse. Hæc enim sunt verba Cõcilij, capite 11. *Constat eos orthodoxæ religionis doctrinæ aduersari, qui statuunt, iustos peccare, si suam ipsorum socordiam excitando, & sese ad currendum in stadio exhortando, cũ hoc vt in primis glorificetur Deus, mercedẽ quoque intuẽtur æternã.* Vbi clarè videmus, non tantùm, nec præcipuè amore

amore mercedis operandum esse ex doctrina Concilij, sed PRIMVM quidem propter gloriam Dei, DEINDE etiam, propter mercedem felicitatis æternæ. Quam doctrinam ex Scripturis, & Patribus, & ipsa naturali ratione probabimus.

PRIMVM igitur Christus ipse Matth. 4. prædicationem suam ita exorsus est: *Pœnitemini, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Itẽ Matth. 5. Institutionem Apostolicam ita inchoauit: *Beati pauperes spiritu, quoniã ipsorum est regnum cœlorum.* A simili spe regni cælorum exordium sumpsit Ioan. Baptista Matt. 3. ab eodem iussit Christus, Matth. 10. vt Apostoli exorditentur. Quid igitur est, quod Caluinus dicit, non esse ducendũ exordiũ à promissione mercedis? vtrum, quæso, Christus, & eius præcursor, & Apostoli falluntur, an Caluinus errat.

SECVNDO, habemus Christi non solùm exhortationem, sed etiam præceptum, Matth. 6. *Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adicientur vobis.* Et Luc. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Simile est Apostoli præceptum 1. ad Cor. 9. *Debet in spe, qui arat, arare & qui triturat, in spe fructus percipiendi.*

TERTIO, habemus exempla Sanctorum, in Psal. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem.* Neque obstat, quod in Hebræo habetur, לעולם עקב, id est, in æternum finis, siue merces. Nam idem est sensus; est enim ac si dixisset, quoniam merces, quam expecto, sempiterna erit. Quod expressit Ecclesiasticus cap. 18. cùm ait: *Ne verearis vsque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Itaque non solùm Septuaginta viri verterunt, *propter retributionem*; sed etiam sanctus Hieronymus reddidit, *propter æternam mercedem.* ALIVD exemplum est ad Hebr. 11. *Moses grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem; maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi. aspiciebat enim in remunerationem.* ALIVD exemplum est ipsius Apostoli ad Philipp. 3. *Ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis in Christo Iesu.*

QVARTO, habemus cohortationes Apostoli plurimas. Nam 1. ad Cor. 9. ait: *Sic currite vt comprehendatis*, ad Galat. 6. *Bonum autem facientes non deficiamus. Tempore. n. suo metemus.* ad Colos. 3. *Quodcunque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus, scientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis.*

Quid autem CALVINVS sibi velit, cùm contrà allegat primum cap. ad Ephesios, penitùs nescio. Nihil enim est in eo capite, quod vel imaginem præ seferat argumenti aduersus sententiam nostram. Contrà autem illud est, quod Apostolus orat Deũ, vt illuminet Ephesiorum mentes, *vt sciant quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in Sanctis.* Quæ oratio Apostoli eò tendit, vt Ephesij, cognita præmij magnitudine, prompti ad bona opera facienda, & mala omnia pro Christo ferenda, reddantur.

Addamus his etiam testimonia Patrum. S. CYPRIANVS in libro de exhortatione Martyrij, capite vltimo, posteaquam docuit, quàm magnum præmium in cœlo Martyres maneat: Et *Has cogitationes*, inquit, *quæ persecutio potest vincere? quæ possunt tormenta superare? Et infrà: Hæc oportet mente contemplari, & cogitatione, hæc die, ac nocte meditari. Si talem persecutionis diem Christi miles inuenerit, vincinon potest virtus ad præmium prompta.*

Sanctus Ambrosius in cap. 15. Luc. tractans illud: *Quanti mercenarij, &c.* distinguit bonos mercenarios à malis mercenariis: malos autem esse dicit, qui seruiunt Deo propter lucella bonorũ tẽporaliũ. Ex quo sequitur vt boni sint, qui seruiũt propter lucrũ mercedis æternæ.

Sanctus Hieronymus lib. 2. in Iouin. differens contra quartam propositionem: *Ideo*, inquit, *Paulus hoc facit, vt plus laborans, plus etiam mercedis accipiat.*

Sanctus Augustinus in Psal. 120. super illud: *Dominus protectio tua. super manum dexteram tuam. Quid est*, inquit, *nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua? id est, quando facis opus bonum, propter vitam æternam fac. Nam si opus bonum in terra propter ea feceris, vt terrena tibi cibum dent, scit sinistra tua quid faciat dextera tua, miscuisti dexteram sinistræ. Noli facere, nisi propter vitam æternam, ideo fac, & securus facies. Hoc enim mandauit Deus.*

Sanctus Gregorius homil. 13. in Euangelia: *Nec castitas*, inquit, *magna est sine bono opere nec opus bonum est aliquod sine castitate. Sed si vtrumque agatur, restat, vt quisquis ille est, spe ad supernam patriam tendat, & nequaquam se à vitiis pro mundi huius honestate contineat.*

Neque desunt ad rem eandem confirmandam optimæ rationes. PRIMVM enim, si vita æterna est finis fidei, & operum iustorum, ad Rom 6. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Et 1. Pet. 1. *Vt reporteris finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum.* Quis ambigere potest, liceat ne vitam æternam intueri, atque ad eam opera bona dirigere, cùm certò constet, finem spectandum esse inter operandum, atque ad eum media omnia esse referenda?

DEINDE: si licet propter metum gehennæ cõtinere manum & oculos, & cor ipsum à peccato, & mandata legis implere, vt in 1. li. probatum est, cur non magis licebit idem facere propter spem felicitatis æternæ?

AD HÆC, non vitiantur, pœnitentia & Sacramentorum perceptio, cùm ista fiunt causſa obtinendæ gratiæ Dei: cur ergo vitiabuntur opera bona, si fiant causſa obtinendæ beatitudinis, quæ est gratia consummata, atque perfecta?

POSTREMO, licet omniũ consensu in operib. temporalib. spectare temporalem finem, vt pharmacum sumere gratiã sanitatis, arare, & ferere spe fructus percipiendi; currere, vel decertare in stadio causſa obtinendæ victoriæ. Cur igitur non liceat in opere spirituali, in cursu, & certamine ab ipso Deo proposito, ad brauium supernæ vocationis attendere?

CAPVT NONVM.

Soluuntur obiectiones.

NEque argumenta, quæ contra obiiciuntur, aliquid probant. PRIMVM obiicitur testimonium Domini, qui Io. 10. mercenarios reprehendit. SECVNDO, Additur testimonium S. Bernardi in lib. de diligendo Deo, sic loquentis: *Non sine præmio diligitur Deus, & si absque præmij intuitu diligendus sit. Vacua namque vera charitas esse non potest, nec tamen mercenaria est.* Tertio, testimonium S. Tho. qui in 2. 2. q. 19. art. 4. ad 3. scribit, amorem mercenarium cum vera charitate non posse cõsistere. Quarto, quod seruile, ac sordidum videatur operari propter mercedem. Quinto, quod Deus amore amicitiæ, non amore concupiscentiæ diligendus sit.

Ad PRIMVM. SECVNDVM, & TERTIVM RESPONDEO, Mercenarios proprie non vocari, nisi qui mercedẽ solã, aut præcipuè intuentur. Isti enim sunt, qui si merces nulla præstò esset, Domino non seruirent. Isti etiã sunt, qui vilo lupo fugiũt, & dimittũt oues, quoniã nõ pertinet ad eos de ouibus, id est, nõ ouiũ salutem, sed propriã tãtũ vtilitatẽ propositã habẽt. Hos igitur Dominus reprehẽdit, nec nõ S. Bernardus & S. Thomas. Nos verò non dicimus, in bonis operib. solam, aut præcipuè spectandã esse mercedẽ, sed Deũ, eiusque gloriã, tãquam vltimum finem, mercedem autem, vt finẽ secundarium, qui propter Deũ, eiusque gloriam expetatur. Cupimus. n. Deum videre, atque ex ea visione felices effici, vt tantò ardentiùs, & securiùs Dominum diligamus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad QVARTVM RESPONDEO, seruile, ac sordidum esse intueri mercedem opere ipso, & labore viliorem. Quod faciunt, qui propter temporalia lucra præcipuè Deo seruiunt, aut Ecclesiastica, & spiritalia ministeria obeunt. At spectare mercedem eminentissimã, quę in ipsius Dei visione consistit, non potest esse sordidum, aut seruile, sed nobilissimum, ac regium. Et quamuis ne ipsa quidem vita æterna sit appetenda, plusquam Dei gloria, & vitiosus amor esset, magis beatitudinem propriam amare, quàm Deum; tamẽ incomparabiliter turpius, & periculosius est, temporalem mercedem intueri, quàm æternam; non solùm quoniam (vt diximus) merces temporalis opere ipso vilior est, sed etiam quoniam temporalis mercedis amor impedit amorem Dei, reuocat à Deo, implicat terrenis: amor autem mercedis æternæ, quæ in Dei visione posita est, cum Deo coniungit, auellit à rebus terrenis, purgat animam à prauis cupiditatibus, excitat ad custodiam mandatorum Dei. Denique vix contingere solet, vt aliquis ardenter appetat videre Deum, nisi quia ardenter amat ipsum Deum amore amicitiæ, ita vt cupiat eum videre, quia diligit eum, non quia diligit se.

Atque hinc est, quod Sancti, cùm detestantur amorẽ mercenarium, semper loquuntur de amore temporaliũ commodorum. Vide sanctum Ambrosium lib. 7. in Lucam, in cap. 15. sanctũ Hieronymum libro sexto in Isaiã, propè finem, sanctum Augustinum tractatu 46. in Ioannem, sanctum Gregorium homilia 14. in Euangelia. Hinc etiam sanctus BERNARDVS in lib. de diligendo Deo dicit: *Anima amans Deum aliud præter Deum præmium non requirit; aut si aliud requirit, illud pro certo, non Deum diligit.*

Ad QVINTVM RESPONDEO, Amorem concupiscentiæ propriè dici, cùm potissimùm quis diligit alterùm propter se, non propter illum. Nam si quis diligat amicum, præcipuè propter ipsum, etiamsi secundariò mercedem operis ab illo expectet: non est amor concupiscentiæ, sed amicitiæ.

CAPVT DECIMVM.

Ad meritum constituendum requiri liberum voluntatis arbitrium.

SEQVITVR ALTERA pars disputationis de merito, in qua discutiendum est, *quæ sint, & quot necessaria conditiones, vt aliquod opus dici possit vere, ac propriè meritorium felicitatis æternæ.* De hoc enim potissimùm quærimus. Videntur autem SEPTEM omninò conditiones requiri, quarum tres conceduntur ab omnibus, aliæ quatuor in controuersia sunt.

PRIMA, conditio est, vt sit opus bonum. Mala enim opera merentur quidem, sed pœnam, non præmium. *Quæ mala sunt, non coronat Deus*, inquit AVGVSTINVS de grat. & lib. arb. c. 6. Nos autem de bonis meritis hoc loco disserimus. ALTERA conditio est, vt opus illud bonum fiat in obsequium Dei. Meritum. n. relationem dicit ad mercedem ab alio accipiendam, proinde qui meretur, apud aliquem meretur. TERTIA, vt qui meretur, sit viator. Nam in hac vita stadium est, & præliũ, in alia brauium, & corona. Sed de hac conditione vide infrà cap. 14. vbi agitur de conditione sexta. QVARTA, vt opus sit non solùm bonum, sed etiam liberum. QVINTA, vt qui meretur, sit amicus, & gratus Deo. SEXTA, vt intercedat promissio. SEPTIMA, vt opus ex charitatis virtute procedat.

Omissis igitur tribus prioribus, de quib. nulla quæstio est, examinare incipiamus QVARTAM, sed quamuis non desint, qui doceant libertatem arbitrij ad merendũ non esse necessariam; id enim sensisse Robert. Olchot, testatur Io. Picus in Apologia quæst. 8. tamen communis Theologorum sententia contrarium habet, vt perspicuum est ex sancto Thoma 1. 2. quæst. 114. art. 1. & ex Doctoribus cæteris in 1. Sentent. dist. 17. & in 2. dist. 27. & in 3. dist. 18.

Potest autem hæc sententia vera, atque communis probari, PRIMO ex diuinis literis vtriusque testamenti. Nam Ecclesiastici 31. cùm dictum esset: *Qui potuit transgredi, & non est trangressus, facere malum, & non fecit:* continuò additur meritum, *Ideo stabilita sunt bona illius, & eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum.* Et Apostolus 1. ad Cor. 9. *Si volens*, inquit, *hoc ago, mercedem habeo; si autem inuitus, dispensatio mihi credita est.* Et 2. ad Cor. 9. *Vnusquisque prout destinauit in corde suo; non ex tristitia aut ex necessitate. Hilarẽ enim datorẽ diligit Deus.*

SECVNDO, Idem probatur ex Patribus, quorum testimonia plurima attulimus in 5. lib. de gratia, & libero arbitrio. Ex quibus paucissima adscribemus, quę magis propriè ad rem præsentem faciunt.

Sanctus IVSTINVS in Apologia prima circa medium: *Neque enim*, inquit, *quidquam horum laude dignum esset, nisi illa* (homines videlicet) *vtramque in partem conuertere, & quasi flectere se possent.*

Sanctus IRENÆVS lib. 4. ca. 71. *Qui operantur*, inquit, *bonum, gloriam, & honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cum possent non operari illud.*

CLEMENS ALEXANDRINVS lib. 1. Strom. circa medium: *Sed* inquit, *nec laudes, nec vituperationes, nec honores, nec supplicia iusta sunt, si anima non habeat liberam potestatem & appetendi, & aggrediendi.*

Sanctus BASILIVS in orat. quod Deus non sit auctor malorum: *Deo*, inquit, *non est gratum, quod coactum, sed quod ex virtute rectè geritur. Virtus autem ex voluntate, & non ex necessitate sit. Voluntas autem ex his, quæ in nobis sunt, dependet. In nobis autem est liberum arbitrium.*

Sanctus IOANNES CHRYSOSTOMVS homil. 22. in Genes. *Nónne*, inquit, *manifestum est, suã quemque voluntate vel maliriam, vel virtutem eligere: nam nisi ita esset, & naturæ nostræ potestas insita esset, neque illos puniri, neque istos præmia virtutum accipere oporteret. Verum quia in nostra voluntate totum* (post gratiam Dei) *relictum est, ideò & peccantibus supplicia proposita sunt, & bene operantibus mercedes, & præmia.*

Sanctus CYRILLVS lib. 2. in Ioan. ca. 54. *Liberum*, inquit, *arbitrium hominis his verbis ostendit, qui ad alterutrum secundum animi sui iudicium potest proficisci. Sic enim iustè laudem, si bene agimus, & contraria, si mala committimus, inuenimus.*

TERTVLLIANVS lib. 2. in Marcionem, ante medium: *Cæterum*, inquit, *nec boni, nec mali merces iure penderetur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inuentus, non voluntate.*

Sanctus HILARIVS in Psalmum secundum: *Quid*, inquit, *honoris, ac præmij, bonitatis necessitas mereretur, cum malos nos esse vis quadam inserta non sineret? voluntati ergo promissa bonitas est, vt præmiũ sibi volũtas bonitatis acquireret.*

Sanctus HIERONYMVS lib. 2. in Iouinianum: *Liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur. Alioqui vbi necessitas, nec corona, nec damnatio est.*

Sanctus AVGVSTINVS libro 2. de libero arbitrio, capite primo: *Deinde*, inquit, *illud bonum, quo commodatur ipsa iustitia in damnandis peccatis, rectèque factis honorandis, quomodo esset, si homo voluntatem non haberet liberam? non enim rectè factum, aut peccatum esset, quod non fieret voluntate, ac per hoc & pœna iniusta esset, & præmium, si homo voluntatem non haberet liberam.*

Sanctus PAVLINVS in epist. 2. ad Seuerum: *Quæ nobis*, inquit, *est gratia, si in alieno tantùm fideles fuerimus, nisi de proprio seruiamus, id est, de libero voluntatis arbitrio?*

Sanctus

Sanctus BERNARDVS serm. 81. in Cant. *Vbi*, inquit, *non est libertas, nec meritum. Propterea quæ sunt carentia ratione animalia, nihil merentur, quia sicut deliberatione, ita & libertate carent.*

TERTIO, idem probatur rationibus, PRIMVM enim res multæ, vt Sol, Luna, campi, vineæ, horti: iumenta, pecora, maxima nobis commoda præstant, & tamen non dicũtur propriè de nobis benè mereri, quia non liberè agunt, nec possunt aliud facere, quàm quod faciunt. DEINDE, merito debetur merces; debitum autem non oritur, nisi ex eo, quod vnus dat alteri, quod suum erat. Nam si reni non suam, sed alienam daret, nihil ei deberetur: nihil autem propriè nostrum est, nisi quod pro arbitrio possumus facere, vel omittere. Ista enim in nostra potestate sunt, & horum dominum propriè habere dicimur. DENIQVE mala opera, nisi liberè fiant, pœnam nullam merentur: igitur nec bona opera præmium merebuntur, nisi liberè facta fuerint.

CAPVT XI.

Soluuntur obiectiones.

SED CONTRA doctrinam capitis superioris obiici solet, quod meritum ex acceptatione dependeat, & possit Deus ad vitam æternam acceptare non solùm actiones liberas, sed etiam necessarias, quemadmodum ad Martyrij palmam acceptauit mortem sanctorum Innocentiũ.

Sed facilis est RESPONSIO; pendet enim meritum ab acceptatione Dei, sed non sola. Et potest Deus acceptare ad vitam æternam actionem non liberam, sed non ad meritum vitæ æternæ. Sancti autem Innocentes priuilegio singulari gloriam Martyribus debitam, acceperunt, quamuis illam propriè non meruerint: *Si quæris*, inquit sanctus BERNARDVS in ser. de natali Innocentium, *eorum apud Deum merita, vt coronarentur: quære & apud Herodem crimina, vt trucidarentur. An forte minor Christi pietas, quàm Herodis impietas, vt ille quidem potuerit innoxios neci dare, Christus non potuerit propter se occisos coronare?* Et infrà: *Cæterum si sunt planè Martyres tui Deus, vt in quibus nec homo, nec Angelus meritum inuenit, singularis tuæ prærogatiua gratiæ euidentius commendetur.*

SECVNDO, obiiciuntur Christi merita, quæ constat fuisse maxima, atque verissima: & tamen Christus non liberè, sed necessariò Deum diligebat, quippè qui beatus erat. Nam meritum omne ex charitate pendere, suo loco demonstrauri fumus.

RESPONDEO, Christus simul viator fuit, & comprehensor: & ideo duplex in eo dilectionis actus inueniri poterat, vnus consequens ad visionem Dei, qui necessarius erat; alter consequens ad cognitionem infusam, qui liber ac voluntarius erat. Vide sanctum Thomam 3. p. q. 19. art. 2. ad 1. DEINDE quamuis Christus non posset non diligere Deum, tamen poterat ex actibus charitatis imperatis, alios facere, alios omittere pro arbitrio: quemadmodum cæteri, tum Angeli, tum homines, qui Deum vident, & ipse etiam Deus, non possunt quidem peccare, aut Deum non semper diligere: tamen possunt in aliis multis rebus pro arbitrio agere.

Itaque electionem passionis, qua nos Christus redemit, liberam, voluntariamque fuisse testatur Isaias cap. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Et apertè de merito eiusdem passionis; *si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.* Et infrà: *Pro eo quod laborauit anima eius, videbit, & saturabitur, &c.* Et ipse Dominus Ioan. 10. *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam.* Et: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo.* Vnde ad Philip. 2. dicitur: *Factus obediens vsque ad mortem.* At Christus peccare non poterat: igitur non poterat non implere præceptum, ac per hoc electio illa ponendi animam suam, non libera, sed necessaria fuit.

RESPONDEO, DVPLEX est necessitas, altera INTERNA, altera EXTERNA; necessitas INTERNA est, cùm ipsa potentia naturaliter determinata est ad vnum; vel cùm obiectum eam ex necessitate determinat; & hæc necessitas impedit libertatem, ac per hoc meriti rationem. Necessitas EXTERNA est, cùm remanet in voluntate vera indifferentia, & indeterminatio ad vtrumlibet; sed tamen fieri non potest, vt eligat non seruare præceptum, quoniam regitur, & gubernatur à Deo, qui semper illi obiicit ea media ad non peccandum, quæ videt eam acceptaturam. Hæc necessitas non tollit libertatem, nec meriti rationem, & talis fuit non solùm in Christo, sed etiam in iis, qui dicuntur confirmati in gratia.

AT si res ita se habet, sicut confirmati in gratia, absolutè peccare poterant, quamuis peccaturi non essent, lethaliter saltem, ita & CHRISTVS peccare potuit absolutè, quamuis peccaturus non esset.

RESPONDEO, Magnum est discrimen inter Christum, & alios confirmatos in gratia. Christus enim, quia Deus, & homo erat, etiam cùm viator esset, habebat intra se, vnde peccare non posset. Diuinitas enim, quæ humanitatem regebat vnita erat ipsi humanitati Christi hypostaticè, ac per hoc intrinsecum, & naturale erat Christo, vt non posset peccare etiam secundùm humanitatem, & ideò absolutè, & simpliciter Christus, etiam vt homo viator (stante hypostatica vnione) peccare non potuit: At cæteri confirmati in gratia, non habent intra se, id est, in suo supposito aliquid, vnde peccare non possint, cùm diuinitas, quæ eos regit, ad ipsorum suppositum non pertineat. Proinde ipsi in se considerati, absolutè peccare possunt, etiam lethaliter; sed sine dubitatione immunes erunt à peccato, si Deus eos in gratia confirmauit.

Quod autem diximus, in voluntate Christi humana fuisse veram indifferentiam ad vtrumque, id est, ad præcepti obseruationem, & violationem, & necessitatem non peccandi, respectu illius voluntatis, fuisse extrinsecam: non repugnat his, quæ diximus. Nam necessitas non peccandi ipsi voluntati humanæ Christi præcisè sumptæ fuit extrinseca, sed ipsi Christo, etiam vt homo est, fuit intrinseca, & naturalis.

CAPVT XII.

Ad meritum requiri statum gratiæ, & adoptionis filiorum.

ALTERA quæstio tractãda est propter quintam conditionem meriti: Quæritur igitur, *Vtrum ad meritum vitæ æternæ necessario requiratur, vt homo sit iustus, & gratus Deo, & in filium per regenerationem adoptatus.*

Potest autem quæstio DVOBVS modis intelligi. PRIMO, Vtrum requiratur eleuatio illa naturæ ad statum filiorum Dei, ex parte operum; quia videlicet non possit legem perfectè implere, nisi qui per gratiam iustificantem factus est filius Dei. SECVNDO, Vtrum requiratur ex parte subiecti, quia videlicet, etiamsi quis legem perfectè impleret, tamen non mereretur vitam æternã, nisi esset eleuatus ad statũ illum supernaturalẽ.

Fuit opinio cuiusdam recentioris, cuius multæ sententiæ à Pio Quinto Pontifice damnatæ fuerunt, operibus bonis vitam æternam deberi, ex eo quòd fuerit vera legis obedientia, non quia fiant à persona eleuata per gratiam ad statum filiorum Dei. Intelligit verò

Universidad de Deusto
Biblioteca

Doctor ille non solùm non esse necessariam eleuationem naturæ ex parte subiecti, sed neque ex parte operum. Existimat enim opera verè meritoria vitæ æternæ, posse fieri ab homine nondum renato per Baptismum, vel nondum reconciliato per Sacramentum pœnitētiæ. Itaque ex eius sententia Catechumeni, & pœnitentes, ante remissionem peccatorum seruantes mandata, per auxilium Dei speciale, vitam merentur æternam.

Contraria sententia communis est, & fuit in Scholis Catholicorum Theologorum. Neque solùm nunc in statu naturæ corruptæ, sed etiam in statu naturæ integræ Theologi docent, necessarium fuisse ad meritum vitæ æternæ, vt homo per iustificationis gratiam, & Spiritum inhabitantem adoptaretur in filium, & ad statum quendam supernaturalem, & diuinum eueheretur. Vide Magistrum, & Theologos in 2. Sent. dist. 24. 27. 28. & 29.

Atque hanc ipsam sententiam esse Concilij Trident. ac per hoc Ecclesiæ vniuersæ, certum est ex sess. 6. ca. 16. vbi Concilium docet, vitam æternam esse gratiam, misericorditer filiis Dei per Christum promissam, & simul mercedem bonis eorum operibus fideliter ex Dei promissione reddendam. Idem constat ex can. 32. vbi Concilium declarat, opera meritoria illa esse, quæ fiunt à iustificatis per gratiam Dei, vt sunt viua Christi membra.

Denique extat Bulla Pij Quinti Pontificis, à Gregorio XIII. renouata, in qua damnantur hæ duæ propositiones. *Pelagij sententia est, opus bonum contra gratiam adoptionis factum non esse regni cœlestis meritorium. Opera bona à filijs adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo, quod sint conformia legi.* Nos igitur probabimus, gratiam adoptionis ad meritū constituendum requiri, variis argumentis, quorum aliqua ostendent, eam gratiam esse necessariam ex parte operum, alia ex parte subiecti.

Probatur igitur hæc sententia PRIMO ex diuinis literis; Gen. 4. *Respexit Deus ad Abel, & ad munera eius.* Notat sanctus Gregorius lib. 22. Moralium, cap. 12. hoc ideò dictum esse, quia Deus non habet gratum offerentem propter munera, sed munera propter offerentem. Neque intelligit propter solam intentionem offerentis, sed propter bonitatem, & puritatem, dicit enim, debere ab omni malitia esse purgatum, qui cupit, vt sua munera Domino placeant. Ioan. 15. *Manete in me, & ego in vobis, sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite. sic & vos, nisi in me manseritis, ego sum vitis, & vos palmites; qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Requiritur igitur ad fructum, id est, ad bona opera facienda, non quæcunque gratia, sed ea, quæ facit hominem esse viuum membrum corporis Christi. Idem enim est esse palmitem vitis, & membrum corporis.

AD HÆC Scriptura passim docet, regnum cœlorū esse gloriam, & hæreditatem filiorum. Ioan. 8. *Seruus non manet in domo in æternum, filius manet in æternum, quod si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* Rom. 8. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum. Si autem filij, & hæredes.* Et infrà: *Et ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Galat. 3. *Itaque iam non est seruus, sed filius; quod si filius, & hæres per Deum.* Et infrà: *Sed quid dicit Scriptura? Eiice ancillam, & filium eius. Non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ.* Similia habentur ad Ephes. 1. ad Coloss. 3. ad Tit. 3. ad Hebr. 1, 1. Petri 1. & alibi, vbi vita æterna dicitur hæreditas, quæ propriè ad filios pertinet. Non igitur qui seruus est, vitam æternam vllis meritis obtinere poterit; non enim hæreditas merces est seruorum, etiamsi annis mille seruirent, sed propria portio filiorum. Quare sine dubio necessaria conditio ad meritum vitæ æternæ est regeneratio & adoptio filiorum Dei.

PRÆTEREA, Scriptura testatur ita fundari meritū in amicitia cum Deo, vt statim atque aliquis Deum offendit, amittat omnia bona merita. Ezechielis 18. *Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius non recordabuntur.* Et Iacobi 2. *Si quis totam legem seruauerit, offendat autem in vno factus est omnium reus.* At si merita non penderent à statu, & qualitate personæ, sed à sola obedientia legis, non deberet is, qui Deū offendit, amittere bona merita per obedientiam legis antea parta. Quemadmodum qui laborauit in colenda vinea alicuius certa mercede cōductus, non perdit mercedem suam si fortè inimicus fiat domino vineæ, non enim meritum illud in amicitia, sed in solo opere, & labore fundatur. Igitur meritum vitæ æternæ, quod statim perditur cùm quis Deum ad iracundiam prouocat, non in solo opere, sed etiam in amicitia, & dignitate personæ fundamentū habet. Atque hinc est, quod Scriptura vitam æternam diligentibus Deum promissam esse testatur, Ioā. 14. 1. Corint. 2. 2. Tim. 4. Iacobi 1. & alibi.

Probatur SECVNDO eadem veritas testimoniis sancti Augustini, qui in lib. 1. ad Bonifacium, contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 2. *Non viuunt* (inquit) *rectè homines, nisi effecti filij Dei. Et non fiunt homines filij Dei, nisi per regenerationem, in qua remittuntur peccata, & infunditur gratia gratum faciens.* Item lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. *Sed in quibusdam* (inquit) *tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cœlorum, sicut in Catechumenis, sicut in Cornelio, antequam sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ.*

Neque solùm in statu naturæ corruptæ, sed etiam in statu naturæ integræ agnoscit Augustinus gratiæ necessitatem ad bona merita cōparanda. Sic enim ait in Enchiridio, capite 106. *Quamuis sine gratia nec tunc vllum bonum meritum esse potuisset.* Non loqui autem Augustinum de aliqua gratia auxilij generalis, vel etiam specialis transeuntis, sed de ipsa charitate infusa, & inhærēte, perspicuum est ex libro 12. de ciuitat. Dei, cap. 1. vbi de sanctis Angelis loquens: *Cum amore* (inquit) *casto eos creauit, simul in eis & condens naturam, & largiens gratiam.* Et mox: *Confitendum est igitur cum debita laude creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de sanctis Angelis posse dici, quòd charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum sanctum, qui datus est eis.* Illa igitur gratia, sine qua nec tunc (id est, in statu naturæ integræ hominum, vel Angelorum) vllum bonum meritum esse potuisset, est charitas Dei diffusa per Spiritum sanctum, qui datus est eis.

Huc etiam pertinent, quæ diximus in 2. libro de Iustificatione, vbi probauimus iustificari hominem, per iustitiam habitualem, id est, per gratiam gratum facientem, inhærentem; & permanentem. Nam vt idem Augustinus ait in libro de fide, & operibus, cap. 14. *Sequuntur bona opera hominem iustificatum, non præcedunt iustificandum.* Et in libro de Spiritu, & litera, cap. 29. *Per Spiritum incorporatus, factúsque membrum eius potest quisque illo incrementum intrinsecus dante, operari iustitiam.*

Probatur TERTIO rationibus, PRIMA ratio, Visio Dei, in qua propriè vita æterna consistit, res est non modo supernaturalis, sed vsque adeò naturam omnem creatam excedit, vt nec agnosci, nec appeti, nec cogitari possit, nisi Deo ipso reuelante: *Oculus non vidit* (inquit Apostolus Isaiam citans, 1. Cor. 2.) *auris non audiuit, in cor hominis non ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Atqui ad finem supernaturalem, & diuinum, requiruntur opera supernaturalia, & diuina, præsertim cùm Deus omnia sapienter, suauiterque disponat. Non potest autē diuina, & supernaturalia opera facere, nisi priùs ipse diuinus, & supernaturalis efficiatur, vt S. Dionysius ratiocinatur, in libro de Ecclesiastica Hierarchia, ca. 2. par. 1. debet igitur homo per gratiā inhærentem, & Spiritū inhabitantē euehi ad consortiū diuinæ naturæ, vt opera diuina, id est, vitæ æternæ meritoria facere valeat.

valeat. Atque hæc est ratio sancti Thomæ, sancti Bonauenturæ, & aliorum illustrium Theologorum.

SECVNDA ratio, si merita non penderent à statu, & dignitate personæ, sed solùm ab ipso opere, siue legis obedientia, certè merita Christi non essent infiniti pretij, neque multò essent maiora, quàm cæterorum iustorum. Nam vbi solùm spectatur opus, nihil interest, vtrū qui operatur sit rex, an miles, nobilis, vel ignobilis, probus, aut improbus. At certum est opera Christi fuisse infiniti precij, quandoquidem propitiatio fuerunt, pro peccatis totius mūdi, & copiosa fuit apud eum redemptio; igitur dignitas personæ plurimùm confert ad valorem meriti. Et confirmatur hæc ratio, nam de Christo nullus Catholicus negare audebit, quin eius merita fuerint maximi precij propter dignitatem personæ. Nam (vt alia nunc omittam (extat epistola decretalis Clemētis VI. quæ incipit, Vnigenitus, in quo docemur guttam vnam sanguinis Christi propter infinitam personæ dignitatem ad totius mundi redemptionem sufficere potuisse. At non dissimilis esse debet ratio meriti in capite, & membris: Igitur sicut Christi meritum, ita etiam merita iustorum aliorū vim accipient à dignitate personæ.

TERTIA ratio, Si non requiritur ad meritum adoptio, & regeneratio, certè poterit homo ante remissionē peccati per auxilium Dei speciale mereri vitam æternā, id verò tametsi ab aduersario concedatur, non solùm est falsum, sed etiam repugnantiam cōtinere videtur. Nam idem ipse merebitur vitam æternam, & mortem æternā. Reus enim erit mortis æternæ propter peccata olim admissa, & nondum remissa, & simul ius habebit ad vitam æternam propter bona merita per legis obedientiam acquisita. Mereri autem simul vitam æternam, & mortem æternam, repugnantiam includit, quoniam mors æterna carentiam significat vitæ æternæ, proinde qui talis esset, deberet viuere in æternum, & non viuere in æternum, mori in æternum, & non mori in æternum.

QVARTA ratio, si posset qui nondum regeneratus est, vitam æternam operibus suis verè mereri: certè posset etiam gratiam iustificationis propriè mereri? Nam si mereri potest gloriam, quæ est gratia consummata, cur mereri non poterit gratiam, quæ est gloria inchoata? At gratiam iustificationis, id est, iustitiam ipsam, per quam formaliter iustificamur, non cadere sub meritum propriè dictum, Theologi omnes consentiunt, & ipsum Concilium Tridentinum, disertis verbis affirmat, sess. 6. ca. 8. Vnde etiam S. Augustinus, in epist. 105. ad Sixtū scribit, vitam æternam in scripturis appellari mercedem, & gratiam: ipsam autem iustitiam nunquam appellari mercedem, sed solùm gratiam.

CAPVT XIII.

Soluuntur obiectiones.

SED iam argumenta, quæ contrà obiiciuntur breuiter diluamus. PRIMA obiectio, Scriptura diuina promittit vitam æternam obedientiæ legis, Ecclesiastici 15. *Si volueris seruare, conseruabunt te.* Et Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Non autem dicit, si vis ad vitam ingredi, cura vt adoperis in filium.

RESPONDEO, Imò hoc ipsum scriptura manifestè clamat cùm ait Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et Rom. 8. *Viuificat corpora nostra propter inhabitantem spiritum eius in nobis.* Et ad Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, &c.*

Sed intuendum est in scripturis sanctis ad quos dirigatur ratio. Nam cùm infidelibus scripturæ loquuntur, non tam opera bona, quàm fidem, & Baptismum prædicant: cùm autem alloquuntur fideles, atque regenitos, non ampliùs fidem, & Baptismum, sed opera, & legis obedientiam docent. Quod etiam nobis faciendum esse, vt videlicet aliter fideles, aliter impios adhortemur, monet S. Augustinus in libro de natura, & gratia, ca. 68 Dominus igitur apud Matthæum, & Ecclesiasticus legis obedientiam tanquam viam ad vitam proponunt, quoniam fidelibus loquuntur.

Adde, quòd si quis omnia mandata integrè obseruaret, sine dubio saluaretur. Sed inter omnia est etiam illud primum, & maximum de dilectione Dei super omnia, quod ab hominibus nondum regenitis perfectè obseruari non potest. Actus enim dilectionis Dei super omnia vel non potest haberi, nisi per gratiam gratum facientem, & spiritum cor inhabitantem; vel si potest haberi per auxilium Dei speciale, continuò ad eum tanquam ad vltimam dispositionem sequitur infusio gratiæ iustificantis, & regenerantis, atque in filiū Dei adoptantis.

SECVNDA obiectio, Apostoli Petrus, & Paulus, ille Actor. 10. iste ad Roman. 2. docent Deum non accipere personas, sed gloriam, & honorem tribuere omni operanti bonum. Non igitur requiritur ad meritum vitæ æternæ exaltatio naturæ ad esse quoddam supernaturale. sed sola obedientia legis.

RESPONDEO, sæpe iam diximus cum sancto Augustino, lib. 2. contra duas epist. Pelagianorum, ca. 7. acceptionem personarum vitium esse contrarium iustitiæ, non misericordiæ, vel liberalitati; proinde in iudice locum habere, non in eo qui sua liberaliter donat. Deus igitur in iudicio non accipiet personas, sed vnicuique reddet secundùm opera sua. At opera bona nascuntur ex gratia, & iustificatione, ac regeneratione præcedente, quam gratiam Deus non vt iudex reddit, sed vt Princeps liberalis donat. Itaque etiamsi in iudicio Deus nō respiceret personæ dignitatem, sed solam obedientiam legis, adhuc necessaria esset exultatio illa naturæ ad esse quoddam supernaturale, quoniam sine illa merita vitæ æternæ haberi non possunt.

Sed addo non esse acceptionem personarum, si iudex præmia distributurus dignitatem personæ consideret, quando ex ipsa dignitate meritū pendet. Accipere enim personam nō est attendere ad quamuis qualitatem personæ, sed ad eam, quæ ad causam nihil pertinet. Nam si forte lex sit, vt soli filij nobilium currant ad brauiū aliquod à Rege propositum; nō accipiet personam Iudex, si non solùm celeritatem cursus, sed etiam nobilitatem considerabit. Sic igitur cum vita æterna sit brauium solis iustis, & bonis, & in filios Dei adoptatis propositū: non accipit Deus personas, cùm has personæ qualitates attendit; sicut acciperet si cōsideraret, an qui bene operantur sint Græci, vel Iudæi, liberi, an serui, masculi, an fœminæ: & ideò nominatim Apostoli cùm dicunt, Deū non accipere personas, mentionem faciunt Iudæi, & Græci. Quam rem sæpè repetunt, & inculcant, quoniam Iudæi existimabant se solos ad regnum Dei, & gratiam pertinere.

TERTIA obiectio, Concilium Arausicanum, can. 18. docet, deberi mercedem bonis, si fiant; sed gratiam, quæ non debetur, præcedere, si fiant. Non igitur requiritur ad meritum aliqua exaltatio naturæ, sed sola gratia benè operandi.

RESPONDEO, gratia benè operandi, & gratia adoptans homines in filios Dei, & exaltans in cōsortium diuinæ naturæ, vna atque eadem est nimirūm charitas infusa in cordib. nostris per Spiritū sanctum, qui datus est nobis. Illa enim si consideretur vt virtus, dicitur gratia benè operandi, si consideretur vt forma inhærens in anima, eamque formatam, & diuinam reddens, dicitur graria adoptionis filiorum. Quare idem Cōcilium, can. vlt. dicit, debere homines per baptismum regenerari, vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

possint legem implere sicut oportet.

QVARTA obiectio, S. Augustinus libr. 1. de libero arbitrio, cap. 6. dicit lege naturę constitutum esse, vt bonis beatam, malis miseram vitam ducant.

RESPONDEO, non dicit Augustinus, lege naturæ, sed lege æterna. Nec loquitur de vita beata, quæ in Dei visione consistit, sed de vita beata in genere. Itaque sententia sancti Augustini hæc est, lege æterna, & immutabili constitutũ esse, vt boni benè, & mali malè recipiant: & siquidem boni sint boni bonitate supernaturali, supernaturalem beatitudinem consequantur, si tantùm boni sint bonitate naturali, simili etiam beatitudine sint beati.

QVINTA obiectio, S. Augustinus in lib. de natura, & gratia, capit. 2. *Natura* (inquit) *humani generis ex illius vnius præuaricatoris carne procreata, si potest sibi sufficere ad implendam legem, perficiendámq; iustitiam, de præmio debet esse sicura. hoc est, de vita æterna, etiamsi in aliqua gente aut in aliquo superiori tempore fides eam latuit sanguinis Christi. Non enim est iniustus Deus, qui iustus fraudet mercede iustitia.* Hoc enim loco videtur sanctus Augustinus refellere sententiam Pelagianorum, qui docebant hominem posse suis viribus legem implere, & tamen egere gratia adoptionis, & regenerationis, vt regnum cœlorum valeat obtinere. Sequitur autem ex refutatione, S. Augustinum in ea sententia fuisse, vt existimaret non esse opus gratia adoptionis, & regenerationis, ad regnum cœlorum obtinendum, sed solùm gratia, quæ iuuaret ad implendam legem, perficiendámque iustitiam. Ac per hoc meritum pendere simpliciter ex obedientia legis, non ex dignitate personæ.

RESPONDEO, Propositio conditionata sancti Augustini verissima est, videlicet, si homo sine fide Christi possit suis solis viribus implere legem, de præmio vitæ æternæ debet esse securus. Sed non inde sequitur, nõ esse necessariam gratiã adoptionis ad meritum. Nam (vt idem Augustin. docet, loco citato (id est) lib. 1. ad Bonifacium, cap. 2.) non viuunt rectè homines, ac per hoc nõ implent legem, neque iustitiam perficiunt, nisi priùs filij Dei efficiantur.

Neque eo loco S. Augustin. refellit Pelagianos, quòd existimarẽt gratiam adoptionis esse necessariam. Huius enim rei in toto eo libro ne meminit quidem; sed tãtùm refellit errorem cuiusdam, qui naturæ humanæ nimium tribuebat. In aliis quidem locis idem Augustinus Pelagianis tribuit, quod requirerent gratiam adoptionis tãquam necessariam ad capessendã vitam æternam; sed nõ eos inde reprehendit, quòd eam gratiam requirerẽt, sed quod negarent eam necessariam esse in paruulis ad peccatum originale purgandum, in adultis ad implenda mandata diuina. Vide quæ scripsimus de hac re in 1. lib. de gratia, & libero arbitrio, cap. 5.

AT (inquies) ex hac propositione conditionata sancti Augustini, si homo sibi sufficeret ad implendam legem, perficiendamque iustitiam, de præmio (id est) de vita æterna deberet esse securus; sequitur, non esse necessariam gratiam adoptionis ex parte subiecti, sed tantùm ex parte operis.

RESPONDEO, Id non sequi, quoniam (vt suprà diximus) eadem gratia habitualis infusa, quæ perficit subiectum, est etiam principium operis. AT nónne posset Deus sine habituali illa gratia eleuante naturam, per solum auxilium speciale id efficere, vt homo legem impleret, iustitiamque perficeret? POSSET quidem, sed non quærimus hoc loco quid Deus possit, sed quid velit, & quid faciat. Constat autem nobis ex sacris literis, & ex ipso S. Augustino, non viuere homines rectè, nisi filij Dei efficiantur: proinde nõ sufficere secundum ordinariã Dei legem, siue potentiam, ad bona opera, qualia requiruntur ad meritum facienda, quodlibet auxiliũ speciale, sed exigi gratiam illam adoptionis infusam, quæ naturam eleuat ad esse quoddam supernaturale, atque diuinum.

SEXTA obiectio, Opus malum ex natura sua meretur pœnam, nec requiritur vt procedat ex habitu destruente naturam, igitur & bonum ex natura sua meretur præmium, etiamsi non procedat ex habitu eleuante naturam.

RESPONDEO, Facilius est peccare, quã bene agere. Et ideò ad peccãdum sufficit libertas arbitrij, ad bonum opus requiritur etiam gratia. Præterea, vt peccato debeatur pœna, nulla conuentio, vel promissio necessaria est: qui enim alterum lædit, iustitiam violat, & ideò satisfacere tenetur ex iustitia, etiamsi nulla promissio intercesserit. At vt bono operi debeatur merces ex iustitia, conuentio, vel promissio necessaria est. Non enim tenetur vnus alterius obsequium acceptare, nisi cõuentio intercesserit. Deus autem non promisit mercedem vitæ æternæ, nisi per Christi gratiam regeneratis, & adoptatis, vt passim scriptura testatur.

CAPVT XIV.

Requiri ad meritum vitæ æternæ promissionem Dei gratuitam.

DISCVTIENDA sequitur conditio SEXTA, quam esse diximus promissionem, siue pactum liberale, atque gratuitum. Nam recentior ille doctor, cuius sententiam superioribus duobus capitibus refutauimus; docuit præterea, opera bona ex natura sua esse meritoria vitæ æternæ, ita vt non requiratur pactum aliquod, vel gratuita promissio, ad hoc vt ex iustitia merces vitæ æternæ bonis operibus videatur.

Addidit etiam quod ex hac ipsa sententia manifestè sequitur, Christum nobis non meruisse vitam æternam, nisi quatenus gratiam benè operandi nobis meruit. Sed verba eius ex bulla Pij V. Pontificis audiamus; hęc enim est secunda propositio damnata: *Sicut opus malum ex sua natura est mortis æternæ meritorium, sic opus bonum ex sua natura est vitæ æternæ meritorium.* Et hæc est vndecima, *Quod pię, & iustè in hac mortali vita conuersanti vsque in finem, vitæ cõsequuntur æternam, id non gratiæ Dei propriè, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ, iusto Dei iudicio deputandum est. Neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem humani generis, in qua lege naturali constitutum est, vt iusto Dei iudicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.*

Quamuis autem omnibus Ecclesiæ filiis ad has sententias repudiãdas satis abunde sufficiat Pontificis maximi auctoritas: tamen addemus etiam ad maiorem veritatis confirmationem auctoritatem Concilij TRIDENTINI, & rationes ex Scriptura depromptas. Cõcilium igitur in sext. sess. ca. vlt. *Benè operantibus* (inquit) *vsque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquã merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.* Et can. 16. *Si quis dixerit iustos non debere pro bonis operibus quæ in Deo fuerint facta expectare, & sperare æternam retributionẽ à Deo per eius misericordiam, & Iesu Christi meritum si bene agẽdo, & diuina mandata custodiendo vsque in finem perseuerauerint, anathema sit.* Hic habemus & promissionem, eamque misericordem, & gratuitam. & Christi merita respectu vitæ æternę, nobis tanquam filiis donãdę. Sed veniamus ad rationes.

PRIMA ratio, sumitur ex parte ipsorum operũ, quę si considerentur ex natura sua, remota promissione, & dignitate principij operantis, nullam habent proportionem

tionem ad beatitudinem illam spiritualem; proinde nõ eis debetur ex iustitia merces æternæ vitæ, si ex natura sua tantummodo considerentur. Atque hoc est, quod Apostolus dicit, ad Rom. 8. *Existimo, quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Et 2. Corinth. 4. *Quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Hæc enim non docẽt opera bona nõ esse meritoria vitæ æternæ, sed nõ esse meritoria tãti præmij ex natura sua, sed aliunde, nimirum ex promissione, ex dignitate principij, &c.

Huc etiam pertinent testimonia Patrũ, ATHANASII in vita sancti Antonij: *Nec vniuerso orbi renunciantes, dignum aliquid habitaculis possumus compensare cœlestibus.* EVSEBII EMISSENI, homil. 3. ad Monachos, *Totis licet animæ, & corporis laboribus defudemus, totis obedimus viribus exerceamur, nihil tamen condignum meriti pro cœlestibus bonis cõpensare, & offerre valebimus.* AVGVSTINI, in Psal. 93. *Quanto labore digna est requies, quæ non habet finem? Si verum vis comparare, & verum iudicare, æterna requies æterno labore recte emitur. Verum hoc est, sed noli timere, misericors est Deus.* BERNARDI, in serm. 1. de Annunciatione: *Quid sunt merita omnia ad tantam gloriam?* THOMÆ, in 1. 2. quæstione 114. articulo tertio. *Si consideretur opus meritorium secundum substantiam operis, & secundum quod procedit ex libero arbitrio, sic non potest ibi esse indignitas, propter maximam inæqualitatem.* Cum igitur opera ipsa nostra bona, si per se, & secundùm naturam suam tantum cõsiderentur, sint temporalia, & vilia, & nullo modò æqualia præmio supernaturali, & sempiterno: certè necesse est, vt addatur eis dignitas aliunde, si ex iustitia merces æternæ vitæ illis reddenda sit.

SECVNDA ratio, sumitur ex parte Dei, qui nulla re indiget, & cuius sint omnia iure creationis. Hinc enim sequitur, vt non teneatur Deus acceptare opera nostra ad præmium, iure reddendum, nisi ipse promissione sua liberali, se ante obligare voluerit. Hinc enim Iob dicit, capite trigesimo quinto. *Si iuste egeris, quid donabis ei? aut quid de manu tua accipiet?* Et Apostolus ad Rom. 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Nam ex ipso, per ipsum omnia.* Et sanctus AVGVST. serm. 16. de verbis Apostoli: *Debitor* (inquit) *nobis factus est Deus, non aliquid accipiendo, sed quod ei placuit promittendo. Aliter enim dicimus homini, debes mihi, quia promisisti mihi, Deo igitur quid dicimus? Redde mihi, quia dedi tibi? Quid dedimus Deo, quando quod sumus, & quod habemus bonitatis ab illo habemus? Nihil ergo ei dedimus; non est quemadmodum ista voce exigamus debitorem Deum. Illo ergo modo possumus exigere Dominũ nostrum, redde quod promisisti, quia fecimus quod iussisti. Et hoc tu fecisti, qui laborantes iuuisti.*

S. FVLGENTIVS, in prologo librorum ad Monimum: *Nam* (inquit) *& se ipsum sua largitate dignatus est, facere debitorem.* Et sanctus BERNARDVS, in libro de gratia, & libero arbitrio, extremo: *Promissum quidem* (inquit) *ex misericordia, sed tamen ex iustitia persoluendum.* Et sanctus Thomas in prima, secundæ, quæstione centesima decima quarta, articulo primo concludit, Deum, cũ nobis aliquid debet, nõ tam nobis debere quàm dispositioni, & promissioni suæ.

Denique potest institui hæc ratio, VEL debet Deus vitam æternam bonis operibus reddere, ex iustitia cõmutatiua, VEL ex distributiua: si ex COMMVTATIVA, igitur requiritur pactum, siue promissio. Neq; enim opus, quantumuis eximium, & æquale mercedi, potest ex iustitia commutatiua alterum obligare, nisi conuentio, & pactum ante precesserit. Nã si quis fortè non conductus, sed sponte sua vineam alterius colat, non potest iure mercedem exigere, vt omnes nouerũt, etiamsi alioqui opus eius mercede dignissimum iudicari posset. Itaque in parabola vineæ, Matth. 20. Operarij quidam tota die ocioſi in foro sedere malebant, quàm ad laborãdum in vinea, nisi priùs conducerentur, accedere, & dominus vineæ conuentionem fecisse legitur, cum operariis ex denario diurno.

Si verò ex iustitia DISTRIBVTIVA Deus reddit præmia laboribus; tunc quoque necessaria est promissio, atque conuentio. Nam in iustitia distributiua non solet exigi pactũ, vel promissio saltem expressa, quando Princeps distribuit bona cõmunia; sed planè exigitur, quando propria bona distribuit, vt cùm ad certamẽ brauium sponte proponit. Neque enim debetur velociùs currenti certũ præmium, nisi promissio pactumque præcesserit. Deus igitur qui non distribuit bona communia, sed propria, sine dubio nó tenetur præmia reddere laborãtibus, nisi quia redditurum se antè promisit.

Quòd si quis fortè hîc explicari cupiat, Vtrum Deus secundùm iustitiam distributiuam, an secundùm commutatiuam bonis hominum meritis sit præmia redditurus; illud breuiter habeat, SVBSTANTIAM diuini iudicij secundùm DISTRIBVTIVAM iustitiam fore: MODVM autem secundùm COMMVTATIVAM. SVBSTANTIAM enim illius iudicij futuram esse secundùm iustitiam DISTRIBVTIVAM, docet sanctus Thomas in prima parte, quæstione vigesima prima, articulo primo, & libro primo, contra Gent. capite nonagesimo tertio. Et ratio manifesta est, quoniã Deus, vt summus Iudex præmia pro meritis distribuet. Vnde etiam in sacris literis dicitur Deus nõ esse acceptor personarum, quod vitium, iustitiæ distributiuæ contrarium esse non dubium est.

MODVM autem eiusdem iudicij futurum secũdùm iustitiam commutatiuam, Docet idem sanctus Thomas, in 2. 2. quæstion. sexagesima prima, articulo quarto ad primum. Et ratio est etiam manifesta, quoniam Deus non solùm constituet proportionalem æqualitatem inter merita, & præmia, vt ille plus habeat præmij, qui plus habet meriti, quod proprium est iustitiæ distributiuæ, sed etiam constituet absolutam æqualitatem inter opera, & mercedes, vt vnusquisque nõ minorem habeat mercedem, quàm iusto iudicio mereatur, quod est iustitiæ commutatiuæ. Et ideò Deus in diuinis literis, nũc se Iudicem fore dicit, qui præmia, pœnasque distribuat, vt Matth. 25. in parabola de talentis: nunc patrem familias, qui laborantibus mercedem ex conuentione restituat, vt Matth. 20. in parabola de conductis ad vineam pro denario diurno.

Hoc enim interest, inter iustitiam distributiuam, & commutatiuam, quòd Commutatiua perfectam æqualitatem constituit inter meritum, & præmium; Distributiua proportionalem, siue sint absolutè æqualia, siue non sint. Neque enim iniustus distributor, Princeps erit, si officium præstantissimum in hominem, cæteris omnibus digniorem conferat, etiamsi ille absolutè maiore, vel minore dignus esset. Cæterùm Deus qui thesauros bonorum infinitos habet, nõ solùm (vt diximus) meliores magis remunerat, sed etiam singulis non minùs mercedis attribuit, quàm ipsorum opera iusto iudicio mereantur: atque ita vtrique parti iustitiæ ita plenè satisfacit, vt nihil omninò in eius iustitia desiderari queat.

TERTIA ratio, sumitur ex parte hominum, qui merentur. Nam cum simus omnes conditione serui, & mãcipia Dei, non posset esse iustitia inter nos, & Deum, nisi iple liberali conuentione operibus nostris, alioqui debitis, etiamsi nulla merces illis reddenda esset, præmiũ constituere voluisset. Atque hoc (vt suprà diximus) significauit Dominus cum ait, Luc. 17. *Cùm feceritis hæc omnia, dicite serui inutiles sumus.* Et sanctus AVGVSTINVS serm. 3. de verbis Domini: *O magna bonitas Dei, cum pro conditione reddere debeamus obsequia, vt seruis Domino famulis Deo,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deo, subiecti potentiæ, mancipia redemptori, amicitiarum nobis A *præmia repromittit.* Et sanctus Bernardus, in sermone de quadruplici debito, demõstrat pluribus decausis in solidum, omnia nostra opera bona esse debita Deo, ita vt possit omnia exigere etiamsi præmium nullum dare velit. Inter alia numerat creationem: *Ecce* (inquit) *in vanum est, qui fecit cœlum, & terram, & creator tuus est, tu creatura, tu seruus, ille Dominus ille figulus, tu figmentum. Totum ergo, quod es, illi debes, à quo totum habes.*

Dicent fortasse, conuentionem esse necessariam, sed non aliam, quàm quæ in ipsa creatione, lege naturæ facta est, vt operibus bonis vita æterna reddatur. At si lege naturæ conuentio facta est, & ex natura rei bonis operibus, etiam sine gratia Dei factis, debetur vita æterna; non potuit Deus istam conuentionem non facere; non enim lex naturæ mutabilis est. Proinde non gratuita, sed debita conuentio. Atque hoc quidem Doctor ille concedit; sed reclamant scriptura, & Augustini, ac B Bernardi testimonia iam citata, & ipsa ratio à conditione deprompta.

Præterea idem Augustinus serm. 13. de verbis Apoli, apertissimè tribuit gratiæ, non legi naturæ promissionem vitæ æternæ: *Genus* (inquit) *humanum iusto suo iudicio condemnatum, noluit Deus in interitum sempiternum relinquere, sed misit & medicum, misit saluatorem, misit eum, qui gratis sanaret. Parum est, qui gratis sanaret, qui sanatis ei suis mercedẽ daret. Nihil addi ad istam beneuolentiæ potest. Quis est, qui dicat, sanem te, & do tibi mercedem?* Hic apertè videmus, nõ legi naturæ, sed admirabili beneuolẽtiæ tribui promissionem mercedis. Idem quoque Augustinus in Psalm. 91. cùm dixisset, æternam requiem æterno labore comparandam fuisse. Non addidit, noli timere, quia iustus est Deus: sed *noli timere, quia misericors est Deus.* Vbi ostendit, ex misericordia factum esse, vt bonis operib. quamuis imparibus tanto præmio vita promitteretur æterna. C

Quarta ratio, sumitur ex ipso statu viatorum, qui requiritur ad merẽdum. Nulla enim causa reddi potest, cur opera bona, quæ fiunt in hac vita, mereantur præmium apud Deum, & non mereantur bona opera, quæ fiunt in alia vita; nisi quia requiritur ad meritum promissio Dei liberalis, atque gratuita; placuit autem Deo, vt promissionem suam non vltra tempus vitæ præsentis extenderet. Alioqui enim multa faciunt sancti Angeli, atque homines in cœlo opera bona, liberè, in obsequium Dei, quibus gloriæ incrementum mereri possent, nisi tempus ad merendum præscriptum præteriisset. Et tamen si lege naturæ, siue ex natura rei bonis operibus absolutè præmium deberetur, nullum certũ tempus ad meritum præscribi posset, nisi post illud tempus desinerent esse opera bona, quæ ante illud tempus erant opera bona.

Esse autem certo tempore desinitum spatium ad merendum, scripturæ passim testantur, 1. Corinth. 7. *Tempus breue est.* 2. Corinth. 6. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce* D *nunc dies salutis.* Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum &c.*

Quinta ratio sumitur à virtute meritorum Christi. Nam si distributio præmiorum lege naturæ deberetur obedientiæ legis, Christus nobis non meruisset vitã æternam immediatè, sed solam gratiã benè operãdi. Id quod aduersarius concedere videtur. At contrà est ratio in diuinis literis manifestè fundata. Nã hoc ipso quòd incipimus esse filiis Dei, incipimus ius habere ad hæreditatẽ felicitatis æternæ. *Nam si filij & hæredes,* inquit Apostolus ad Rom. 8. & ad Galat. 4. *Quod si filius, & hæres per Deum.* Incipimus autem esse filij Dei, antequã incipiamus benè operari; nam (vt suprà ex Augustino probauimus) non viuunt homines rectè, nisi priùs filij Dei efficiantur; igitur ius habemus ad æternam hereditatem per gratiam regenerationis, antequam incipiamus benè operari: imò etiam baptizati infantes, per solam eam gratiam, ante omnia opera bona saluantur: meruit igitur Christus nobis ipsam hereditatem, dum gratiam regenerationis, & adoptionis promeruit.

Quòd autem voluerit, vt eandem etiam nos bonis operibus mereremur, argumentum est amplioris gratiæ, & benignitatis ipsius, qui (vt suprà demõstrauimus) non solùm vitam æternam nos habere voluit iure hæreditatis, sed etiam iure promeritorum, quæ vt haberemus, ipse etiam dedit. Rectè igitur Concilium Tridentinum, sess. 6. capite decimo sexto, concludit, vitam æternam proponendam esse: fidelibus, & tanquam gratiam filiis Dei per Christum promissam, & tanquam mercedem bonis operibus à Deo iustè, fideliterque reddendã.

Argumenta soluenda contra hanc nulla sunt. Si qua enim erant, soluta sunt cap. superiore.

CAPVT XV.

Bonum opus non esse meritorium vitæ æternæ, nisi ex charitate procedat.

Restat Postrema conditio, quæ erat, vt opus bonum ex charitatis virtute procedat. Fuit enim singularis opinio Gulielmi Altisiodorensis libro tertio, tractatu duodecimo, capite primo, quæstione secunda, & capite secundo, quæstione prima. Meritum prius, & principalius à fide, quàm à charitate pendere. Quæ sententia non parùm fauere videtur erroribus huius temporis hæreticorum, quamuis ille longè alio sensu fidem ita prædicet, ac hæretici facere soleant, sed profectò tã sunt aperta scripturarum testimonia, vt mirum sit, egregium illum virum in ea re labi potuisse.

Primum enim disertis verbis charitati beatitudo promittitur. Ioann. 14. *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Esse autem in hac manifestatione sitam beatitudinẽ, idem Dominus testatur, cum ait, Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et Ioann. 17. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum & quem misisti Iesum Christum.* Et Apostolus Ioannes in prima epistola capite tertio. *Nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus enim quia cũ apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Præterea rursus de præmio charitatis Apostolus Paulus 1. Corint. 2. *Oculus* (inquit) *non vidit, auris non audiuit in cor hominis non ascenderũt quæ præparauit Deus diligentibus se.* Et 1. Corinth. 13. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.* At quo pacto quæso fides priùs, & principaliùs felicitatem meretur, quàm charitas, si homo fidem habens sine charitate nihil est? Idem Apostolus 2. Timoth. 4. *Reposita est mihi corona iustitiæ quam reddet mihi in illa die iustus iudex; non solum autem mihi sed & iis qui diligunt aduentum eius.* Item beatus Iacobus, capite primo. *Beatus vir qui sustinet tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.*

Deinde argumenta omnia, quibus suprà probatũ est, formalem causam iustificationis non esse fidem sine charitate, sed fidem charitate formatam, ita vt principaliter iustitia vera, & Christiana in charitate consistat; probant etiam meritum principaliter ex charitate pendere; quandoquidem præmium vitæ æternæ nihil est aliud, nisi merces & corona iustitiæ.

Tertio, idem probatur manifesta ratione. Nam meritum vitæ æternæ ita ex diuina ordinatione dependet, vt illa sola opera propriè meritoria vitæ æternæ possint esse, quæ Deus ad vitam æternam accipiare dignatur. Est enim vita æterna veluti brauium quoddam, vt scripturæ loquuntur; & in libera potestate Principis propo

proponentis brauium, est, vt definiat quibus operibus, A quo cursu, quo certamine brauium obtineri velit.

Porrò charitatis opera ad vitam æternam à Deo requiri, perspicuũ est, Tvm ex scripturis paulò ante citatis, Tvm etiam ex ratione suauis prouidentiæ Dei; illa enim media Deus ordinare solet ad finem, quæ maiorẽ cum illo proportionem & cõformitatem habent. Nihil autem esse, quod maiorem proportionem, & conformitatem cum æterna felicitate habeat, quàm dilectionem, & opera ex dilectione manantia, facile probari potest. Nam æterna felicitas est consecutio vltimi finis, atque adoptio summi boni; sola verò charitas est, quæ finem vltimum, summumque bonum tanquam obiectũ propriũ respicit, atque ad illud mouet, & ordinat actus virtutum omnium reliquorum. Inde est enim, quod ipsa sola vera dicitur, & est forma, & regina virtutum; & ipsi soli actus virtutum omnium quasi proprij eius essent, ab Apostolo tribuuntur. *Charitas patiens est, benigna est, omnia credit, omnia sperat &c.* 1. Corint. 13.

Atq; hæc est ratio, cur sanctus Augustinus libro pri- B mo, de moribus Ecclesiæ, capite decimo quinto dixerit, virtutem esse amorem sumni boni: & omnes vitrutes per amorem definiendas esse censuerit. Non quòd ignoraret propriam rationem temperantiæ, prudentiæ, & aliarum virtutum non in amore, sed in alio actu sitam esse, sed vt ostenderet virtutes omnes à charitate moueri, atque formari. Et easdem virtutes, nõ nisi charitate formatas, non ad Deum promerendum posse perducere. Id enim in cap. decimo quarto, extremo posuerat, nos ad summũ bonum non posse nisi dilectione, amore, charitate conscendere.

Ex quo intelligi poterit, quid illud fuerit, quod Altisiodorensem fefellit. Nam ex hoc loco sancti Augustini perperam intellecto, collegit fidem ex propria ratione, & vt est virtus à charitate distincta, includere nõ solùm cognitionẽ, sed etiam amorem primæ veritatis, vt proprium sit fidei, vt fides est, credere primæ veritati pro- C pter amorem ipsius primæ veritatis; & hoc distinguatur à charitate, quod fides sit cognitio, & amor primæ veritatis, charitas verò amor primæ bonitatis, sed non erit opus in his refellendis diutius laborare, cùm nemo sit vel mediocriter in morali disciplina versatus, qui nesciat, fidem non esse amorem, & amorem, non veritatem, sed bonitatem respicere.

His igitur ita constitutis quæri solet à Theologis: *Verum ad meritum vitæ æternæ satis sit, vt opus bonum procedat ab homine iusto & habitu charitatis prædito, an etiã requiratur, vt actu, vel virtute ab ipsa charitate procedat.* Et quãuis non desint grauissimi auctores, qui sentiant, omne opus bonum hominis iusti, & habitu charitatis præditi, vitæ æternæ meritorium esse: nobis tamen probabilius videtur ad meritum exigi, vt opus bonum, vel tunc, cùm fit, actu imperétur à charitate, atque in Deum vt finem supernaturalem, & vltimum referatur: vel certè nascatur ab actu imperato à charitate, atque in Deum ante relato, quod est virtute, non actu in Deum referri. D

Quo loco non est omittendum, quod prudenter monet sanctus Bonauentura in secundo sententiarum, distinctione quadragesima prima, articulo primo, quæstione tertia, non sufficere, vt opus virtute referri dicatur in Deum, si quis ad initium anni, vel mensis, vel etiã diei, generali quadam intentione referat omnia sua futura opera in Deum; sed necesse esse, vt illud ipsum opus particulare referatur in Deum, quod postea faciendum est. Tunc enim dicuntur opera virtute in Deum relata, cùm intentio præcedens est vera causa operũ, quæ postea fiunt, vt si quis apud se certò cõstituat aliquam nummorum summam propter Deum pauperibus erogare; & postea summam illam oblata occasione eroget: is dicetur virtute referre opus suum in Deum, etiamsi dum pecunias illas distribuit, nihil de Deo cogitet.

Hæc sententia, quæ communior in scholis esse videtur, his argumentis cõfirmari potest. Primo, Scriptura testatur, Ioann. 15. ita se habere homines iustos ad Christum, vt palmites ad vitem; constat autem palmites non ferre fructum, nisi succum à vitæ traxerint; igitur neque homines iusti (vt Concilium Tridentinum sess. 6. capite decimo sexto explicat) opera meritoria facere possunt, nisi per illam gratiam, quam Christus in ipsos, vt vitis in palmites influit. Quod etiam confirmatur ex epistola Cœlestini ad Gallos, capit. octauo, vbi legimus, non placere Deo, nisi per illa, quorum ipse auctor est. Item ex Augustino, qui in epistola centesima quinta, & alibi passim scribit, merita nostra munera esse Dei. Non igitur meritoria sunt opera bona tantùm moraliter, quę sine relatione in Deum, per actum Charitatis à iustis fieri possunt.

Secvndo, Dominus Matt. 5. cum ait: *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Sine dubio demonstrat, posse hominem iustũ facere aliqua bona moralia, quale est; Diligere amicum, quoniam ab illo diligeris, & tamen non habere mercedem in vita æterna: Idem etiam Matth. 10. non ait. *Qui recipit iustum, mercedem iusti accipiet:* Sed qui recipit iustum in nomine iusti (id est) ea intentione, quia seruus Dei est: Et Matth. 10. cum diceret: *Omnis qui reliquerit patrem, vel matrem, &c. Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit:* Addere curauit, *propter nomẽ meum,* Vt etiam alibi sæpe addit, *propter me,* Et cur Apostolus tam solicitè monet, 1. Corinth. 10 & Coloss. 3. vt quicquid facimus in nomine Domini, & in gloriam Dei faciamus; si omnia iustorũ opera ex se diriguntur in Deum, & meritoria sunt?

Tertio, Illa solũ opera meritoria sunt vitæ æternæ, quæ ex natura sua charitatem augent. Nam iuxta communem Theologorum sententiam, omne meritum vitæ æternæ, simul etiam incrementi charitatis meritum est: at charitas nõ augetur nisi per actus, qui ex ipsa procedunt; id enim omnibus habitibus commune est. Igitur illa solùm opera meritoria sunt vitæ æternæ, quę vel sunt actus charitatis eliciti, vel saltem imperati.

Qvarto, Conuenit inter omnes, vt opus referri debeat, in Deum, vt finem supernaturalem, si futurum sit meritorium vitæ æternæ, at opera virtutum cæterarũ non referuntur in Deum, vt finem supernaturalem, nisi à charitate imperẽtur, & dirigantur, nam si morales sint non referuntur ex natura sua in Deum, nisi vt finem naturalem, si Theologicæ sint, respiciunt quidem Deum, vt obiectum supernaturale, sed non referuntur in eum, vt finem supernaturalem, vel vt summum bonum; igitur non sunt meritorij actus virtutum reliquarum, nisi à charitate imperentur, & moueantur.

Respondebunt fortasse omnia bona opera iustorum referri in Deum, vt finem supernaturalem, etiãsi à charitate non imperentur, tum quia ipse operans ratione habitualis charitatis est ordinatus in Deum. Tum quia quicunque recipit habitum charitatis infusæ, hoc ipso refert, atque ordinat omnia sua ad gloriam Dei. D

At responsio non rectè soluit argumentum. Nam subiectum ordinatum per habitum aliquem in finem, nõ necessariò communicat operi ordinationem in eundem finem, nisi ex illo habitu operetur, alioqui omnia opera hominis habitualiter à Deo auersi, & ad creaturam, vt ad finem vltimum conuersi essent ordinata ad peruersum vltimum finem, atque adeò peccata essent mortalia, quod esse falsum, & hæreticum, suprà docuimus.

Item nulla esse possent in homine iusto verba, vel facta ociosa; nam illa dicuntur, & sunt ociosa, quæ carent debito fine: nulla verò iusti verba, vel facta debito fine carerent, si ratione subiecti directa, atque ordinata intelli

Universidad de Deusto
Biblioteca

telligerentur in Deum, vt finem. Neque verò sufficit A generalis illa,& cõfusa relatio operum in Deum, quam facere debent,vel solent,qui recipiunt habitũ charitatis infusæ; alioqui (vt diximus) non ita sedulo Apostolus hortaretur,vt omnia in Dei gloriam faceremus, neque diceret 1.Corinth.vlt. Omnia vestra in charitate fiant,si non posset accidere, vt opera iustorum in charitate, vel ex charitate non fierent.Maneat igitur opera meritoria, id ex necessitate requirere, vt actu vel virtute à charitate dirigantur,atque ordinentur in Deum.

CAPVT XVI.

Opera iustorum ex charitate facta,meritoria esse vitæ æternæ ex condigno.

DIsservimvs hactenus de merito, an sit, & quid sit: sequitur nunc, vt quale sit videamus. Sunt autem TRES, de hac re quæstiones, VNA, sit né meritum iustorũ B dicendum ex condigno, an ex congruo. ALTERA,sit né condignum ratione promissionis tantùm,an etiam ratione operis. TERTIA,num Deus,remuneret opera iustorum supra condignum, & impiorum citra condignum.

Quod attinet ad PRIMAM quæstionem. Catholici omnes agnoscunt opera bona iustorum esse meritoria vitæ æternæ;sed tamen aliqui censent non esse vtendum his vocibus de condigno, & de congruo, sed absolutè dicendum,opera bona iustorum esse meritoria vitæ æternæ,ex gratia Dei.Ita docet Thomas VValdensis, tomo tertio,de Sacramentalibus,capite septimo, cui subscribere visus est Paulus Burgensis, in additione ad commentarium Nicolai Lyrani,in Psalm.35.

ALII volunt opera bona iustorum esse meritoria de condigno,largo modo, ita vt hoc condignum respectu C condigni propriè sumpti possit dici congruum; respectu congrui propriè sumpti possit dici condignum. Ita docent Durandus in secundum sententiarum, distinctione vigesima septima,quæstione secunda.Et Gregorius in primum sententiarum,distinctione decima septima,quæstione prima,articulo secundo.

Communis autem sententia Theologorum admittit simpliciter,meritùm de condigno.Quæ sententia verissima est.Et quidem quod ad voces attinet, rectè dicuntur esse munera Dei; tamen non minùs rectè dicuntur esse ex iustitia,& ex condigno.Nam scriptura diuina satis apertè agnoscit has voces, dum dicit, Coloss. 1. *Vt ambuletis digne Deo.* Et 2. Thessal. 1. *Vt digni habeamini regno Dei.* Et Apocal 3. *Ambulabunt mecum in albis, quoniam digni sunt.*

Quod verò quidam distinguunt inter dignum, & condignum; & meritum ex digno admittunt, non ex condigno: nimis leue est. Nam interpres Latinus eandem vocem Græcam, nunc vertit dignum, vt in locis D citatis,nunc condignum, vt Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones,&c.*

Quod verò attinet ad rem ipsam,Durandi sententia, si nihil aliud vellet, nisi merita nostra non esse ex condigno,siue ex iustitia absolutè, sed tantum ex hypothesi,id est posita liberali Dei promissione non esset reprobanda: CÆTERVM videtur omninò velle, merita nostra ex gratia Dei procedẽtia,& posita promissione, adhuc non esse talia,vt eis ex iustitia debeatur merces, sed ex sola Dei liberalitate.In quo sensu refellitur à Theologis communi ferè omnium consensu; & meritò, pugnant enim contra eam sententiam omnia argumenta, quæ fecimus aduersus hæreticos. Omnia enim probant iusto Dei iudicio, deberi meritis operum bonorum mercedem vitæ æternæ.

Neque necesse erit hoc loco illa repetere. Satis erit, paucis refutare quatuor eius dicta, quibus potissimum eius sententia niti videtur. Dicit enim PRIMO, temerarium, & blasphemum esse dicere, Deum fore iniustum, si meritis hominum iustorum non reddat mercedem promissam.

Dicit SECVNDO,Nõ extare in sacris literis promissionem, quæ Deum obliget ad reddendam mercedem; sed tantùm,quæ doceat,Deum ordinasse, ac disposuisse vitam æternam dare iis,qui mandata seruauerint.

Dicit TERTIO,in illis beati Pauli verbis,2.Timot. 4. *Quam reddet mihi in illa die iustus iudex*, rectè positum esse,*Iustus iudex*,& rectè non esse positum, iusto iudicio, quia Deus, qui reddit præmia iustis, & pœnas iniustis, iustus,& misericors est, & vt iustus, iusto iudicio pœnas reddit iniustis:vt misericors, liberaliter præmia tribuit iustis.

Dicit QVARTO, Non posse vllum ex iustitia mercedẽ ab alio petere,nisi reddat ei omnia, quæ illius sunt, & aliquid amplius: non autem, non posse Deo vnquam reddere omnia,quæ illius sunt, nedum aliquid amplius, cùm omnia sint ipsius.

Ad PRIMVM RESPONDEO, non esse temerarium, nec blasphemum, sed pium, & sanctum dicere, Deum fore iniustum, si non seruaret promissa. Sic enim loquuntur scripturæ,& Patres. Quid enim sibi vult illud Psal.44. *Fidelis Deus in omnibus verbis suis?* Et ibidem: *Iustus Dominus in omnibus viis suis?* Et illud 2.Esdræ.9. *Tu ipse Domine Deus,qui elegisti Abraham, & inuenisti cor eius fidele coram te,& percussisti cum eo fœdus, vt dares ei terram Amorrhæi,& Iebusæi,& implesti verba tua quoniam iustus es?* Et illud ad Hebr.6. *Non est iniustus Deus, qui obliuiscatur operis vestri,& laboris?* Certè qui dicit,Deus implet verba sua,quoniam iustus est, & non obliuiscitur Deus laboris,& operis suorum,quia iniustus non est:manifestè significat,eum iniustum fore,si secùs faceret.

S. AVGVSTINVS,lib.de natura,& gratia,capit.2. *Non est*(inquit)*iniustus Deus, qui iustos fraudet mercede iustitiæ.* Et libro 4.in Iulianum,cap.3.*Per quod* (inquit)*vera iustitia,per hoc & regnum Dei, Deus namque ipse, quod absit, erit iniustus,si ad eius regnum verus non admittitur iustus.* Vides quam non timeat S. Augustinus temeritatem, vel blasphemiam,si dicat,Deum iniustum fore, si iustos excludat à regno.

Adde,quod si Deus non seruando promissa,non esset iniustus; posset certè non seruare promissa: ac per hoc posset non esse fidelis, posset mentiri, posset negare se ipsum,quæ verè temeraria sunt,atque blasphema: *Nam si nos negauerimus,ille fidelis permanet,negare se ipsum nõ potest.*2.Timot.2.Item: *Quam promisit qui nõ mentitur Deus.* Tit.1.Item:*Impossibile est mentiri Deum.*Hebr.6.Item: *Fidelis est,qui promisit.*Hebr.10.

Ad SECVNDVM RESPONDEO, Omnem veram promissionem ferre secum obligationem,& ideò ex iustitia implendam esse, atque seruãdam. Nam idcirco fidelis dicitur, qui stat promissis, infidelis, quia promissa non præstat. Extare autem in scripturis non solùm ordinationem,& dispositionem,siue propositum.sed etiã promissionem, quæ ad fidelitatem verè pertineat, perspicuum est ex loco citato; ad Tit. 1. *Secundum spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur, Deus.* Et Iacobi 1. *Accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.*

DEINDE, similitudo brauij,cui comparat Apostolus vitam æternam,1. Corint.9. similitudo denarij diurni ex conuentione promissi laborantibus in vinea,Mat. 20.similitudo depositi,quæ habetur 2. Timoth. 1. & alia id genus multa, nõnne apertissimè significant promissionem ex debito,& obligatione reddendam?

Quid quod Patres passim dicunt, Deũ fieri omnibus propter bona opera debitorẽ.Sanctus CYPRIANVS in

ser.de eleemosyna, extremo, de eo, qui benè operatur:*Deum* (inquit)*computat debitorem.* A

Sanctus BASILIVS,oratione ad diuites:*Opera*(inquit)*ostende & exige retributionem.*

S.AMBROSIVS ser.7.in Ps.118.in illud: *Memor esto verbi tui.Vult* (inquit) *Deus conuenire, vt si quis proposita secutus virtutibus præmia bene certauerit fructum remunerationis expectet,quin etiam exigat.*

S.IOANNES CHRYSOSTOMVS.hom.3.in Mat. *Vt se* (inquit) *Deus tibi debitorem faciat,non solùm pro operibus sed etiam pro hac gratia humilique sententia.*

S.AVGVSTINVS in Ps.83.in illud: *Misericordiam & veritatem diligit Dominus;Ecce* (inquit) *videmus,quia tenet eum Paulus debitorem,*Item:*Debitorem* (inquit)*Dominus ipse fecit nõ accipiẽdo,sed promittẽdo.Nõ ei dicatur,redde quod accepisti,sed redde quod promisisti.* Similia supra citatimus ex Paulino ad Victricium, & Fulgentio ad Monimum.

Ad TERTIVM RESPONDEO. Non rectè à durando exponi sententiam Apostoli; quod enim illa verba,*quam reddet mihi iustus iudex*, sint accipienda formaliter, vt sit,reddet mihi dominus, quatenus est iustus iudex,ac per hoc ex iustitia, non ex sola liberalitate, planum est.Primo,ex singulis penè verbis illius sententiæ, vt ex illis,*bonum certamen certaui.*Item ex illo,*reddet*,& ex illo,*corona iustitiæ.* B

SECVNDO, quia superuacaneum esset illud, *iustus iudex*,eo loco,vbi non agitur de pœnis impiorum, sed de præmijs tantum iustorum;si Deus pœnas solùm vt iustus iudex infligeret,præmia verò, vt liberalis donator effunderet.

TERTIO ex AVGVSTINO,qui loco citato in Ps. 83.hũc locum Apostoli tractans,dicit, Deum indulgentiæ esse largitorem, coronæ autem debitorem. & ideo indulgentiam tribuere vt patrem. coronam iustitiæ, vt C iudicem iustum.Item in li.de gratia,& libero arbitrio, eundem locum exponens,c.6.*Cui redderet*(inquit) *coronã iustus iudex,si non donasset gratiam misericors Pater?* Et in li. de corrept.& gratia,c.13.non solum vitam æternam sed etiam misericordiam in remissione venialium dicit, iusto iudicio bonis meritis reddi.

DENIQVE, in alijs locis idem Apostolus non solum dixit, iustum iudicem esse Deum in remuneratione operum bonorum,sed etiam iustum esse apud Deum, vt bona opera remuneret,2.Thes.1.Et ibidem disertis verbis dicit,iusto iudicio Dei Thessalonicenses dignos haberi regno Dei,pro quo patiebantur.

Ad QVARTVM RESPONDEO, Absolutè non posse hominem à Deo aliquid exigere, cum omnia sint ipsius; tamen posita eius voluntate, & pacto, quo non vult exigere à nobis opera nostra gratis, sed mercedem reddere iuxta proportionem operum,verè possumus ab eo mercedem exigere: quomodo seruus non potest absolutè à domino suo vllum premium postulare, cũ omnia,quæ seruus acquirit,domino suo acquirat: tamen si domino placeat donare illi opera sua, & pro ijsdem tãquam sibi non debitis mercedem promittere,iure mercedem pro suis operibus postulabit. D

DEINDE, obiectio ista Durandi locum haberet, si Deus ex iustitia commutatiua mercedem redderet operibus bonis:sed cum Deus ex iustitia distributiua præmia benè operantibus dare decreuerit, non est opus, vt ei propriè aliquid demus.Nam neque ij,qui currũt ad brauium, dant aliquid Regi, & tamen tenetur Rex brauiũ tribuere ei,qui cæteros in cursu superauerit.Maneat igitur opera bona iustorum ex iustitia, atque adeo ex condigno mereri vitam æternam.

CAPVT XVII.

Opera bona iustorum meritoria esse ex condigno, non solum ratione pacti,sed etiam ratione operum.

ALTERA quæstio sequitur, Vtrum opera bona sint meritoria ex condigno ratione pacti tantum,an ratione operis tantùm,an ratione vtriusque. Neque enim dubitari debet,quin meritum ex condigno his tribus modis variari possit. Nam si forte opus aliquod sit multo inferius mercede ex conuentione promissa, vt si dominus vineæ conduceret operarios, & non denariũ diurnũ, sed centum nummos aureos pro mercede promitteret: esset eiusmodi meritum ex condigno, ratione operis.

Contra verò si opus sit reuera æquale mercedi, vel forte etiam maius: sed conuentio nulla interuenerit; si dici debeat eiusmodi meritum ex condigno; dici debebit ex condigno ratione operis,non ratione pacti. Et in malis quidem facile reperiemus meritum pœnę ex condigno ratione operis, non ratione pacti, quoniam sine vlla conuentione qui alterum lædit, satisfacere tenetur, atque ad pœnam à iudice compelli potest:vtrum autem in bonis sit aliquod meritum verè de condigno ratione operis,non ratione pacti,paulò post videbimus.

Denique,si & pactum intercedat,& opus sit verè par mercedi,vt cum operarij ad vineam iuxta Euangelium conducuntur pro denario diurno:id meritum erit ex cõdigno ratione operis,& ratione pacti.

Non desunt qui censeant, opera bona iustorum esse meritoria vitæ æternę ex condigno ratione operis,etiãsi nulla extaret diuina conuentio.Ita enim docet Caietanus in 1.2.q.114.art.3.Et idem videtur sensisse Dominicus à Soto,li.3.de natura,& gratia,c.7.

Alij contra existimant opera bona ex gratia procedentia non esse meritoria ex condigno ratione operis, sed tantum ratione pacti, & acceptationis diuinæ. Ita docet Scotus in 1.sent.dist.17.q.2. quem alij quoque sequuntur ex veteribus scholasticis,& ex recentioribus.Andreas Vega, in opusculo de iustificatione, quæstione quinta.

Distat autem hæc opinio longissimè ab hæresi Lutheranorum.Non enim Scotus censet,opera bona non esse verè bona,sed peccata, si ad legem diuinam examinentur,vt Lutherani censent; sed existimat opera iustorum esse bona verè,& propriè, sed non tam excellentia, vt proportionem habeant cum vita æterna,& ideo acceptari quidem à Deo ad iustam,& dignam mercedem vitę æternæ,sed ex pacto,& promissione;non ex operis dignitate.

Nobis media sententia probabilior esse videtur, quę docet,opera bona iustorum meritoria esse vitæ æternæ ex condigno ratione pacti,& operis simul, non quidem quod sine pacto,vel acceptatione non habeat opus bonum proportionem ad vitam æternam,sed quia non tenetur Deus acceptare ad illam mercedem opus bonum, quamuis par,& æquale mercedi,nisi conuentio interueniat.Quam sententiam confirmem esse non dubitamus Concilio Tridentino & principibus Theologorum S. Thomæ,in 1.2.q.114.art.1.ad 3.& art.3.S. Bonauenturæ, & alijs in 2.sent.dist.27.

Primum igitur opera iustorum,remoto pacto,vel promissione non esse meritoria vitæ æternæ ex condigno, siue ex iustitia, ita vt non possit Deus sine iniustitia talẽ negare mercedem,satis probatum est suprà c.14.in 2.ratione. Scriptura siquidem & Patres vbicunque dicunt, Deum fidelem esse,& iustum in reddendo præmio,semper,aut ferè semper mentionem faciunt promissionis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

AT (inquiunt) Filio debetur hæreditas, si benè se gesserit, etiamsi nulla conuentio inter patrem & filium intercedat. Nos autem per gratiam filij Dei sumus; igitur, si benè operemur, debebitur nobis hæreditas vitæ æternæ, etiamsi nulla conuentio, vel promissio intercedat.

RESPONDEO, aliud esse loqui de merito personę, aliud de merito operis. Et rursus aliud de vita æterna, vt est hereditas, aliud vt est merces, stipendium, brauium. Nam ex eo quod aliquis est filius Dei per gratiam, meretur ex condigno hæreditatem vitæ æternæ, sine alio pacto, sed merito personæ, non merito operis. Nam etiã infantibus, qui decedunt mox à Baptismo, quia filij Dei sunt, debetur iure hereditas, & ipsi eam mereri dici possunt, non merito operis, sed personæ. Quemadmodum etiam cùm distribuenda sunt officia, vel beneficia publica melioribus ciuibus, illi dicuntur ea mereri ex condigno, qui sunt optimi inter ciues.

Porro bona opera non requiruntur ad vitam æternã B acquirendam, vt hæreditatem, sed requiruntur, ne filius excidat ab adoptione, & iure mereatur exheredari. Proinde filius Dei adoptiuus per bona opera sine alio pacto non meretur vitam æternam acquirere vt hæreditatem, sed meretur eam non amittere. Quod patet tum ex eo, quod hereditas ãte omnia bona opera iure adoptionis illi debetur. Tum quia infantes baptizati, ex hac vita migrantes vitam æternam accipiunt in hæreditatẽ, cùm tamen nulla habeant operum merita, vt experientia testatur, & S. Patres docent, Augustinus in epist. 157. ad Optatum. Et Bernardus ser. 68. in Cantica.

At verò vt filius Dei adoptiuus vitam æternam obtineat, vt mercedem, siue stipendium, & brauium, dicimus requiri promissionem, siue pactum; neque sufficere gratiam adoptionis. Nam etiamsi teneatur pater admittere C probum filium ad hæreditatem, tamen non tenetur admittere opera eius, quãuis alioqui valdè egregia ad obtinendum brauium, nisi pactum, vel promissio intercesserit. Id quod magis apertè perspiceretur, si cœlestis hereditas, & cœleste brauium omnino distingueretur. Tunc enim omnes intelligerent, hæreditatem deberi personæ à Deo in filium adoptatæ, etiamsi nulla alia extaret promissio, iuxta illud, *si filij, & hæredes*, Rom. 8. at brauium deberi operibus ex pacto, & promissione, iuxta illud, *accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se*, Iacobi 1. & *nonne ex denario conuenisti mecum?* Matth. 20.

Sed quamquam ipsa gloria sempiterna, hæreditas est, & brauium; tamen vt hæreditas personæ debetur iure adoptionis sine alio pacto, vt obiectio probat; vt brauium debetur operibus ex pacto, vt nos hîc docemus: & præterea cum varij sint gradus cœlestis gloriæ, vnus tantum debetur personę iure adoptionis, sine alio pacto; reliqui debentur operibus ex promissione. vel pacto.

Iam verò opera bona iustorum meritoria esse vitę D æternę ex condigno non solum ratione pacti, & acceptationis, sed etiam ratione operis, ita vt in opere bono ex gratia procedente sit quędam proportio, & æqualitas ad præmium vitę æternę, probatur his argumentis.

PRIMO, vita æterna est gratia pro gratia, vt dicitur Io. 1. id est, gratia mercedis pro gratia meritorum, siue charitatis patrię pro charitate viæ, vt exponitur à S. Augustino, in epist. 105. & in li. de gratia, & libero arbitrio, c. 9. At inter gratiam & gratiam sine dubio magna similitudo, & proportio est.

Secundo, vita æterna est flumen lętificans ciuitatem Dei, Psal. 45 gratia verò benè operandi est fons aquę salientis in vitam æternam, vt dicitur Io. 4. at fons proportionem habet ad flumen. imo totum flumen virtute continet. Et præterea proportio est inter descensum, & ascensum aquę; tam enim altè ascendit, quàm altè descendit; fons autem aquę vitę, id est, gratia Spiritus sancti diffusa in cordibus nostris, de cœlo descendit, & ideo debita proportione salit in vitam æternam.

TERTIO, vita æterna est denarius diurnus laborãtium in vinea, Matth. 20. At denarius diurnus iustum est precium laboris diurni. Ideo enim vocatur denarius diurnus, quia solet ordinariè ex communi æstimatione respondere labori diurno.

QVARTO, gratia est semen gloriæ iuxta illud, 1. Io. 3. *Semen Dei manet in eo.* At semen non est quidem æquale rei, cuius est semen, quo ad molem, sed est tamen æquale, quo ad virtutem.

Neque Durandi responsio, quod gratia sit semen gloriæ, metaphoricè, non propriè, solida est. Nam hæc ipsa metaphora satis apte, atque accommodatè potest indicare quod volumus. Vt enim semen propriè dictum, arboris videlicet, aut animantis, physica virtute totam arborem, vel animantem continet, sic etiam charitatis Dei in corde diffusa, morali, meritoriáque virtute gloriam ipsam continet.

QVINTO, vita æterna est actio quædam supernaturalis ex parte obiecti, & principij tum efficientis, tum etiam formalis; at meritum, quod in dilectione consistit, est etiam actio supernaturalis ex parte obiecti, & principij tum efficientis, tum formalis; igitur proportionem habent inter se, & vnum ad alterum, quasi recta via ad suum terminum ducit.

SEXTO, Deus est, qui electos per merita ad vitam æternam vt brauium, & coronam iustitiæ perducendos esse decreuit, igitur sine dubio eiusmodi merita illis donat, quibus verè, & propriè, atque adeo ex condigno perueniant ad coronam. Neque enim potestas, vel sapientia, qua id faceret, Deo deesse potuit.

SEPTIMO, merita nostra pendent à meritis Christi, tum quia nobis ille meruit virtutem merendi, tum quia nos meremur vt membra viua Christi, & per influxum, quem ab illo, vt à capite nostro recipimus: igitur detrahitur de gloria Christi, si merita nostra sint ita imperfecta, vt non sint merita ex condigno, nisi ratione acceptationis Dei.

CAPVT XVIII.

Soluuntur obiectiones contra doctrinam capitis superioris.

NEQVE argumenta, quæ contra obijci solent aliquid concludunt. PRIMO, obijci potest illud Apostoli, Rom. 8. *Non sunt condigna passiones, &c.* Et illa testimonia Patrum, quæ nos suprà citauimus, c. 14. in Prima ratione.

Sed intelliguntur illa omnia loca de meritis secundùm substantiam operum, non vt à Spiritu sancto, & gratia Dei proficiscuntur, vt tum eo loco, tum in c. 6 di- D ximus. Quod si velimus locum Apostoli vniuersaliter intelligere de bonis operibus omnibus, etiam vt à Spiritu sancto, & à gratia Dei proficiscuntur; vt S. Fulgentius intellexit in li. 1. ad Monimum. promptum erit respondere, non requiri ad meritum ex condigno absolutã æqualitatem inter meritum & præmium, sed satis esse proportionalem, vt paulò pòst fusius explicabimus.

SECVNDO, obijci potest S. Augustinus, qui lib. 1. Confess. c. 4. dicit: *Qui reddis debita nulli debens.* Et ser. 16. de verbis Apostoli: *Non dicimus Deo, redde quia accepisti, sed redde, quia promisisti.* Item S. Bernardus, qui in ser. 1. de Annunciatione dicit: *Neque enim talia sunt hominum merita, vt propter ea vita æterna debeatur ex iure, aut Deus iniuriam aliquam faceret nisi eam donaret.* Denique S. Thomas, qui 1. 2. q. 114. art. 1. ad 3. dicit, Deum non debere nobis, sed dispositioni suæ.

Sed facilis est RESPONSIO. Nam dicitur Deus, reddere debita nulli debens: quia nihil vlli debet absolutè, sed

sed solum ex promissione & dono suo. Pari ratione di- A
cimus Deo, redde quia promisisti, non dicimus, redde quia accepisti; quoniam fundamentum primum debiti diuini non in opere nostro, sed in eius promissione cõsistit. Nam remota promissione non tenetur acceptare opus nostrum ad mercedem. Quod autem non ex sola promissione, sed etiam ex opere nostro Deus efficiatur debitor, docet ibidem AVGVSTINVS cum subiungit. *Redde quod promisisti, quia fecimus quod iussisti.*

Sanctus quoque BERNARDVS dicit, vitam æternam non deberi ex iure, quoniam (vt ipse ibidem explicat) merita nostra nascuntur ex gratia. Proinde significat non deberi ex rigore iustitiæ (vt Theologi loquuntur) qui gratiam nullam præsupponit; & Deum absolutè non facturum iniuriam iustis, si eos priuet mercede iustitiæ: non tamen negat, quin ex hypothesi Deus iniuriã facturus esset, si vitam æternam bonis operibus, ex con- B
uentione non redderet.

Denique S. THOMAS non dicit, Deum nõ fieri nobis debitorem, sed non fieri nobis simpliciter debitorẽ; quoniam (vt diximus) prima, & potissima ratio debiti diuini, ex ipsius Dei promissione, & dispositione consurgit.

TERTIO obijciunt, inter Deum, & hominem non posse esse iustitiam, nisi secundùm quid, vt S. Thomas docet, 1. 2. q. 114. art. 1. Iustitiam autem secundùm quid, non esse iustitiam simpliciter, & absolutè: quare non esse absolutè dicendum operibus nostris, ex condigno deberi vitam sempiternam.

RESPONDEO, DVOBVS modis dicitur aliquid secundùm quid, VNO modo, cùm caret ea forma, à qua denominatur secundùm quid, quo modo Cygnus dicitur niger secundùm quid, id est, secundùm pedes, & æthiops albus secundùm quid, id est, secundùm dentes: C
ALTERO modo, cùm non caret ea forma, sed tantùm perfectione eius, quæ in alijs rebus eiusdem generis reperitur; quo modo puer dici potest homo secundùm quid, si ad virum perfectum comparetur; & res creatæ dicuntur entia secundùm quid, si conferantur ad Deum: & accidentia dicuntur habere esse secundùm quid, ad substantiam comparata.

Igitur quæ dicuntur secundùm quid priore modo, non possunt simpliciter, & absolutè nominari talia; quæ dicuntur secundùm quid modo posteriore; dicuntur etiam simpliciter & absolutè talia, sed imperfectius, quã alia generis eiusdẽ. Atque hoc modo posteriore Theologi dicunt iustitiam secundùm quid esse inter Deum, & hominem, quia præsupponit gratiam; & tamen simpliciter etiam dicunt esse iustitiam, sed minus perfectã, quam ea sit, quæ nullam gratiam prærequirit.

QVARTO obijciunt, maximam esse inæqualitatem inter opera nostra, quamuis ex gratia proficiscantur, & ipsam æternam beatitudinem, præsertim si beatitudo obiectiuè consideretur, sicut scriptum est: *Ego ero merces tua magna nimis.* D

RESPONDEO, negari non potest, quin beatitudo longe excellat actioni meritoriæ, cum in illa sit cognitio, & charitas perfecta, in ista verò sit cognitio, & charitas imperfecta: sed non requiritur absoluta æqualitas inter meritum, & præmium, secundùm iustitiam distributiuam, vt dici possit præmium deberi merito ex condigno, etiam ex parte operis: sed sufficit, vt sit proportio quædam, secundùm quam is, qui meretur dici possit dignus eo præmio. Nam hic etiam in terris qui doctrina, & bonis motibus præditus est, & pro Ecclesia aliquamdiu laborauit, dignus Episcopatu iudicari solet, quamuis absolutè dignitas Episcopalis ampliss ima sit, & nullo precio comparabilis: in rebus quoque naturalibus, dispositio ad formam multo imperfectior est ipsa forma, & tamen ex naturali quadam iustitia subiecto ritè disposito forma debetur: sic igitur qui Deum ex toto corde diligit, ac per hoc mũdus est corde, pacificus, mitis, humilis, misericors, dignus est, qui ad beatitudinem illam admittatur, quæ diligentibus Deum, mundis corde, pacificis, mitibus, misericordibus, humilibus, vt ritè dispositis promissa est.

Quod autem dicebatur de beatitudine obiectiua, quæ Deus est, non auget difficultatem; nam sicut Deus obiectum est beatitudinis (id est) cognitionis, & amoris beatorum: sic etiam obiectum est meriti, id est, fidei, & charitatis viatorum. Hoc solùm interest, quod fides, & charitas in hac vita minùs perfectè Deum attingunt, quàm visio, & charitas in alia vita: sed ideo dicimus ex condigno fidei formatæ per charitatem deberi visionem cum ardentissima charitate, quia dignum est, vt res à Deo inchoata, & dispositа tandem aliquando perficiatur, & absoluatur. Nam (vt loquitur S. FVLGENTIVS, in li. 1. ad Monimum, c. 10.) *Cum Deus vitam æternam donat, opus suum quod inchoauit iustificans impium, perficit glorificans iustum.*

QVINTO obijciunt, Deum ex communi sententia Theologorum remunerari iustorum opera supra condignum; proinde non esse in operibus iustorum veram condignitatem ad præmium.

RESPONDEO, Deum remunerari suprà condignũ non ita esse accipiendum, quasi bona opera non sint digna præmio vitæ æternę: sed quod vltra præmium, quod ex condigno meritis bonis debetur, Deus ex liberalitate aliquid semper adiungat. Sed de hac re in sequenti capite disseremus.

CAPVT XIX.

Deum remunerari opera bona supra condignum.

POSTREMA restat quæstio, Num Deus opera bona remuneret ex mera liberalitate suprà condignum. Communis enim Theologorum sententia id constanter affirmat, vt perspicuum est ex S. Thoma, S. Bonauentura, Scoto, Durando, & alijs in 4. sent. dist. 46.

Contrarium docuit Andreas Vega, in quinta quęstione de Iustificatione, & doctor ille Louaniensis, cuius multas sententias Pius V. Pontifex damnauit. Est enim inter damnatas sententias, quartadecima his verbis expressa: *Opera bona iustorum non accipient in die iudicij extremi ampliorem mercedem, quam iusto Dei iudicio mereantur accipere.*

Probatur igitur breuiter, Deum remunerari vltra, vel suprà condignum, PRIMO, ex diuinis literis. Nã Matt. 5. non sine causa Dominus ait: *Gaudete, & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Et apertius Luc. 6. *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superefluentem dabunt in sinus vestros.* Certè enim iusta merces esse poterat, mensura bona; cur autem additur, conferta, coagitata, superefluens, si nihil additur suprà condignum?

Item Luc. 19. posteaquam seruus fidelis, qui lucratus fuerat decem Mnas, acceperat præmium suum (id est) imperium suprà decem Ciuitates; rursus extraordinario munere datur ei Mna, quę fuerat ablata à seruo infideli, & pigro. Quid autem hoc significare potest, si Deus in iudicio nulli dabit aliquid, nisi iustè, & ex condigno illud mereatur?

Ad hæc, Matt. 20. in parabola vineæ manifestè videmus multis dari integrum diurnum denarium, cum tamen non integrum diem in opere posuissent. Atque id non ex iustitia, sed ex liberalitate factum esse, indicat Dominus illis verbis: *Volo huic dare, sicut & tibi. An non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequa est, quia ego bonus sum?* Ex quo etiã intelligimus, id, quod suprà condinũ additur, nõ dari ex æquo nec omnib. Fortasse etiam huc pertinet illud Apostoli ad Rom. 8. *Nõ sunt condigna*

Universidad de Deusto
Biblioteca

passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, quamuis & aliter hoc testimonium exponi possit, vt suprà notauimus.

Idem SECVNDO, ex Patribus probari potest. S. BASILIVS, in Psal. 114. in illud: *Conuertere anima mea, in requiē tuam. Proposita est* (inquit) *æterna requies his qui legitimè in hac vita decertarunt, quæ non secundum operum debitum, ac meritum retribuitur sed iuxta magnificentiam Dei his, qui in ipsum sperauerunt exhibetur.* Quem locum ostendimus capite 6. malè allegari contra merita ex condigno, cùm non extenuet merita, sed amplificet munificentiam Dei in retribuendis præmijs etiam suprà condignum.

S. FVLGENTIVS, in li. 1. ad Monimum, c. 10. reddēs rationem cur vita æterna dicatur gratia, cùm merces sit meriti, ita loquitur: *Gratia autem etiam ipsa non iniustè dicitur, quia non solum donis suis Deus dona sua reddit: sed quia tātum etiam ibi gratiæ diuinæ retributionis exuberat, vt incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritū, quantumuis bonæ, & ex Deo ductæ humanæ voluntatis, atque operationis excedat.* Hęc ille. Itaque non temere, nec sine fundamento scholæ Theologorum præmium operibus bonis à Deo suprà condignum reddendum esse confirmant.

Vtrum autem operibus malis Deus pœnam reddat citra condignum, non videtur ita esse certum; nam nec inueniuntur loca scripturæ, quibus id facilè confirmetur; & quamuis S. IOANNES CHRYSOSTOMVS, hom. 37. in Genes. huius sententiæ patronus esse videatur, tamen S. AVGVSTINVS, li. 21. de ciuit. Dei, c. 24. hanc ipsam sententiam tolerat potiùs, quàm probat. Nā cū dixisset illa verba Psal. 76. *Numquid obliuiscetur misereri Deus aut continebit in ira sua misericordias suas*, non pertinere ad reprobos, sed ad electos, ita subiūxit. *Sed quibus placet, istam sententiam vsque ad illa impiorum tormenta protendere saltem sic intelligant, vt manente in eis ira Dei, quæ in æterno est pronunciata supplicio, non contineat Deus in hac ira sua miserationes suas, & faciat eos non tanta quanta digni sunt pœnarum atrocitate cruciari: non vt eas pœnas, vel nunquā subeant, vel aliquando finiant, sed vt eas mitiores, quàm merita sunt eorum, leniatque & paulatur. Sic enim & ira Dei manebit, & in ipsa ira sua miserationes suas non continebit. Quod quidem non ideo confirmo, quia non resisto.* Hæc ille.

Quia tamen hæc sententia de pœnis citra condignum, & multis Theologis placuit, & à S. Augustino minimè refutatur; respondendum erit quatuor testimonijs scripturæ diuinæ, quæ contra eam pugnare videntur.

PRIMVM testimonium est illud: *Non exibis inde, donec reddas nouissimum quadrantem.* Matt. 5. SED facilis est RESPONSIO. Nam siue hic locus intelligatur de pœnis purgatorij, vt nos in 1. li. de purgatorio, & in 1. lib. de statu peccati ostendimus, siue etiam de pœnis gehennę; significat Dominus, nullum peccatum sine suo cruciatu mansurum, nō autem nullam partem eius cruciatus qui singulis peccatis debetur esse minuendam. Deinde loquitur Dominus de pœna, quæ soluenda manebit post latam Iudicis sententiā, non de ea, quā Iudex constituet, eū sententiā feret. Quāuis enim Deus, eū peccatores iudicabit, citra condignum fortasse iudicabit; sed post sententiam latam nihil vnquam de pœna minuetur.

ALTERVM testimonium est Luc. 6. *Qua mensura mēsi fueritis remetietur vobis.* SED absque dubio sententia hæc generatim accipiēda est, vt sensus sit, Qui boni fuerint, bona recipient; qui mali, mala; & qui valde boni fuerint, multum boni recipient, qui valde mali, multum mali. Nam si æqualitas præmij ad merita describeretur, repugnaret hæc sententia verbis illis, quæ ex eodem capite nos citauimus, *mensuram bonam, & confertam, &c.*

TERTIVM testimonium est Iacobi 2. *Iudicium sine misericordia ei, qui non fecerit misericordiam.* SED loquitur Apostolus eo loco de misericordia non quacunque, sed saluante, atque à damnatione æterna hominem liberante. De qua loquitur Dominus Matt. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

POSTREMVM testimonium in Apoc. c. 18. *Quantum se glorificauit, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentū, & luctum.* CAETERVM hic locus docet proportionem quandam futuram inter culpam, & pœnam, vt maiori culpæ maior pœna respōdeat, & minor minori: non tamen necesse est ex hac proportione æqualitatem colligere. Sed de his satis, præsertim cùm de supplicijs citra condignum inferendis res sit (vt diximus) satis incerta.

CAPVT XX.

Vitam æternam etiam, quoad primum eius gradum, reddi meritis operum bonorum.

EXPLICAVIMVS tres partes disputationis de Merito. Sequitur QVARTA, quæ est etiam vltima, in qua breuissimè docendum est, quæ nam sint illa, quæ cadunt sub meritum de condigno.

Sunt autem omnino QVINQVE res, quæ in dubiū reuocari possunt vita æterna, gratia iustificationis, gratiæ incrementum, reparatio post lapsum, & perseuerantia in fide, & charitate vsque in finem. De quib. disputat S. Thomas in 1. 2. q. 114. art. 5. & sequentibus. Nos paucis indicabimus, quæ veriora de his omnibus quæstionibus nobis esse videantur.

PRIMVM igitur de vita æterna solùm quæstio est, Vtrum ipsa vita æterna, an gradus tantùm in ea præstantiores cadant sub meritum de condigno. Sunt enim qui sentiant, vitam æternam, siue primum eius gradum non cadere sub meritum cū debeatur iure hereditatis omnibus filijs Dei, hoc ipso quòd sunt filij Dei. Sunt etiam, qui existimant vitam æternam, siue primum eius gradum, reddi meritis operum si dilectio illa Dei, quæ est vltima dispositio ad iustificationem, oriatur ex ipsa gratia iustificationis, alioqui meritis non reddi.

NOS existimamus, vitam æternam, tum quoad primum gradum, tum quoad cæteros, reddi bonis meritis filiorum Dei: nec multum ad rem facere, vtrum vltima illa dispositio procedat ex gratia iustificante, vel eam præcedat. Nam scriptura diuina passim docet, non solum gloriæ incrementum sed ipsam gloriam simpliciter præmium esse operum bonorum. Vt Matt. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Et ibidem: *Qui reliquerit patrem, vel matrem, &c. Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Et Iacobi 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Gal. 6. *Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Et Colos. 3. Ipsam hæreditatem scribit Apostolus, reddi operibus bonis; *Quodcumque facitis, ex animo operamini sicut Deo, & non hominibus, scientes quod à Domino recipietis retributionem hæreditatis. Domino Christo seruite.*

Ex quo intelligimus illum ipsum gradum gloriæ, qui debetur iure hæreditario, retribui etiam iure mercedis. Non enim est absurdum (vt suprà non semel diximus) eandem rem duplici iure deberi, titulo videlicet hæreditaris, & titulo meritorum. Atque hoc præstabunt in cœlo adulti infantibus, non solùm quod illi ampliorem gloriam obtinebunt, sed etiam quod ipsam gloriam, & primum eius gradum, habebunt infantes solo iure hereditatis, adultis verò gloria illa simul erit & patris hæreditas, & corona victoriæ.

Porrò dispositio illa vltima, si gratiam adoptionis præcedat, non erit meritoria vitæ æternæ de condigno, quia non possunt mereri vitam æternā de condigno, nisi filij Dei, vt suprà demonstratum est: si verò ex gratia illa nascatur, eāque sequatur, saltem ordine naturę, nō poterit mereri primū gradū glorię, si vera sit illorū opinio, qui

qui dicunt, non cadere sub meritum id, quod iam debetur titulo hæreditatis: nam primus gradus gloriæ priùs naturā debetur titulo hæreditaris homini iustificato, quàm vltima illa dispositio ex gratia iustificationis procedat. Sicut enim priùs est in homine gratia adoptionis, quàm dispositio ex gratia ipsa procedat, ita priùs est ius ad hæreditatem, quod à gratia adoptionis separari nequit, quàm ex gratia adoptionis dispositio illa procedat.

Vides igitur ad rem non facere, vtrum illa dispositio gratiam præcedat, vel sequatur. Neutro enim modo meritoria esse poterit primi gradus gloriæ, si quod iam debetur, non potest sub meritum cadere. At si concedatur, quod nos contendimus, & quod S. Thomas docet, in 3. sent. dist. 8. q. 1. art. 5. rem vnam, & eandem variis titulis posse deberi; sine dubio vltima illa dispositio post infusionem gratiæ continuata meritoria erit vitæ æternæ, vt S. Thomas confirmat in 1. 2. q. 112. art. 2. ad 1.

CAPVT XXI.

Non gratiam iustificationis, sed eius incrementum cadere sub meritum de condigno.

IAM verò de gratia iustificationis, & eius incremento, tota res breuissimè expediri poterit. Nam gratiam eiusmodi non posse obtineri, neque ex cōdigno, neque ex cōgruo meritis operum solis viribus liberi arbitrij effectorum, docuimus aduersus Pelagianos, in li. 5. de gratia, & libero arbitrio. RVRSVS, eandē gratiam non posse obtineri ex condigno, sed solùm ex congruo meritis operū ex fide, & auxilio Dei speciali procedentiū, docuimus in li. 1. de iustificatione, c. 21. PRAETEREA, non posse gratiam eandem obtineri meritis consequentibus, hoc est, bono vsu gratiæ, vt quidā olim absurdè dixerunt, docet S. Augustinus, in li. 2. cōtra duas epistolas Pelagianorum, c. 7. & in lib. 1. de prædestinat. sanctorum, c. 12. quod illo argumento potissimum confirmatur, quia gratia iustificationis sæpe datur illis, qui ea benè vti non possunt, vt infantibus mox à baptismo mortuis, vel qui non volunt, vt adultis quibusdam qui gratiam iam acceptam abijciunt, & fiunt nouissima eorum peiora prioribus; sæpe etiam non datur illis, qui ea benè vsuri fuissent, si illam accepissent, quod de Tyrijs, & Sydonijs Dominus ipse testatur, Matthæi 11.

Ad hęc, nullum Christo excepto quamuis iustum, & sanctum posse aliis mereri gratiam de condigno, certa ratio persuadet. Nullum enim extat pactum, nulla promissio de merito alienæ salutis: & solus Christus, vt Ecclesiæ totius caput, eam gratiam habuit, qua membris omnibus gratiam, & gloriam mereretur. *Quamuis* (inquit S. LEO, in epist. 97. ad Leonem, c. 2.) *meritorū sanctorum in conspectu Domini preciosa mors fuerit, nullius tamen innocentis occisio, redemptio fuit mundi. Acceperunt isti, non dederē coronas, & de fortitudine fidelium exempla nata sunt patientiæ, non dona iustitiæ.*

Sed sicut certum est, non posse vnum alteri ex condigno gratiam promereri, ita non dubium est, posse id ex congruo fieri. Quomodo S. Stephanum precibus apud Deum, conuersionem Apostoli Pauli, & S. Monicam lachrymis apud eundem conuersionem S. Augustini promeruisse, nemo est qui neget. Et in ipso Euangelio legimus, Matt. 9. *Videns Iesus fidem illorum dixit Paralytico, Cōfide fili, remittuntur tibi peccata tua.*

Denique posse hominem iustum mereri ex condigno augmentum Iustitiæ, docet Concilium Tridentinum, sess. 6. can. 32. docet etiam S. AVGVSTINVS, tract. 77. in Ioannem, quamuis nomen ipsum de condigno non ponat: *Restat* (inquit) *vt intelligamus Spiritum sanctum habere qui diligit & habendo mereri, vt plus habeat, & plus habendo plus diligat.*

CAPVT XXII.

Reparationem post lapsum, & perseuerantiam vsque in finem non cadere sub meritum de condigno, sed solum de congruo.

DE reparatione post lapsum, & perseuerantia vsque in finem concors est sententia Theologorum, non cadere ea sub meritū de condigno. Ac vt cætera argumēta prętream (si caderent illa duo sub meritum de condigno, nemo iustorum esset, qui non esset etiam de numero electorum, & prædestinatorum ad vitam. Qui error fuit Iouiniani, & Caluini, & à nobis in tertio lib. confutatus est.

Posse autē donum perseuerantiæ precibus impetrari, docuimus in 2. li. de gratia, & li. arbitrio, c. 12. posse verò reparationem post lapsum, eum qui iustus est, mereri ex congruo, negat quidem S. Thomas in 1. 2. q. 114. art. 7. sed idipsum concedere videtur in epist. ad Hebr. capite 6. lect. 3. vt etiam apertè concedit S. Bonauentura, in 2. sent. dist. 28. explicans verba Petri Lombardi. Et certè non desunt optimæ rationes, quib. id probari posse videatur. Nam in 2. li. Paralip. c. 19. dictum est ad Iosaphat Regem Iuda: *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris, & ideirco iram Domini mereberis, sed bona opera inuenta sunt in te, &c.* Ex quo intelligimus sanctum illam Regem bonis operibus apud Deum obtinuisse, vt etiam cum peccaret, à Deo non desereretur, nec pro meritis puniretur. Item in Psal. 70. orat Prophera, quod nos etiam orare conuenit: *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Et certè frustra fieret talis oratio, si nulla ei respondere posset impetratio.

ADHAEC, si potest iustus mereri de congruo, id est, impetrare alteri conuersionem, cur non & ipse sibi postulare, & impetrare possit, vt si labatur non deseratur, sed ad pœnitentiam reuocetur?

PRAETEREA, potest homo nondum reconciliatus per opera pœnitentiæ impetrare, & mereri ex congruo gratiam iustificationis, vt in primo libro demonstratum est, cur igitur non poterit idem ipse, dum est iustus, & amicus Dei impetrare, & mereri ex congruo reparationem, si forte labatur?

Neque obiectio illa conuincit, per peccatum amittūtur omnia merita præcedentia, igitur fieri non potest, vt reparatio post lapsum bonis meritis vlla ratione reddatur. Nam probat quidem hoc argumentum, reparationē non posse esse mercedem, quæ sit reddenda ex iustitia. Qui enim amisit omnia merita, quomodo potest ex iustitia postulare mercedem? AT non probat non esse cōgruens, vt Deus respiciat ex clementia sua ad bona opera præcedentia, & illorum intuitu misereatur eius qui cecidit.

AT (inquies) quo quis plura merita habuit, eo grauiùs Deum offendit, cùm peccat. Quoniam merita nostra munera Dei sunt, & qui plura beneficia accepit, si benefactorem offendat magis est ingratus, & minùs dignus indulgentia. RESPONDEO, argumentum rectè concludit aduersus eos, qui ex malitia, & contemptu benefactoris peccant: at non aduersus eos, qui ex ignorantia, & infirmitate delinquunt. De quibus nos tantū loquimur. Quare S. Thomas in 2. 2. q. 186. art. 10. docet, peccata religiosorum, etiam mortalia, sed ex ignorantia, vel infirmitate commissa minùs esse grauia, & facilius condonari, quàm aliorum hominum, propter bona opera, quæ religiosi assidue faciunt.

Finis secundæ controuersiæ particularis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IHS

TERTIAE CONTROVERSIAE GENERALIS, TERTIA ET VLTIMA CONTROVERSIA PRINCIPALIS.

DE BONIS OPERIBVS IN PARTICVLARI.

ORDO DISPVTATIONIS.

POSTREMA RESTAT CONTROVERSIA EX TRIBVS illis, quas de reparatione gratiæ tractandas esse diximus: ea verò est de bonis operibus in particulari, & tribus libris continetur, quorum PRIMVS erit de oratione, SECVNDVS de ieiunio, TERTIVS de eleemosyna. Tot enim esse præcipua genera operum bonorum, testatur Angelus Raphaël apud Tobiam, c.12. *Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna, magis quàm thesauros auri recondere.*

LIBER PRIMVS, DE BONIS OPERIBVS, IN PARTICVLARI, QVI EST DE ORATIONE,

CAPVT PRIMVM.

Definitio orationis breuiter explicatur.

DE ORATIONE SOLITA A BREVITATE scripturus, PRIMVM de ipsa oratione generatim disseram, DEINDE, de certa illa forma precum, quæ propria est Sacerdotum, & Monachorum, & Horarum canonicarum nomine appellari solet.

De oratione generatim SEPTEM capita tractanda esse sentio, Quid sit oratio: Quotuplex; An sit necessaria, vel vtilis; Quid sit in oratione petendum; Cuius sit petere; A quo, & pro quibus sit petendum; Quomodo sit petendum, vt, quod petimus, impetremus.

Quod attinet ad PRIMVM, sic potest Oratio definiri ex S. Thoma in 2.2.q.83. art. 1. *Est actus rationis practicæ, voluntatis desiderium explicantis, & ab alio aliquid postulantis.*

Dicitur *actus rationis*, quoniam tametsi tum ratio, tum voluntas ad orationem ex necessitate concurrant, tamen propriè actus est rationis, non voluntatis. Nam oratio est petitio quædam, petitio autem cum sit intimatio, ac loquutio, sine dubio ad rationem, & intelligentiam pertinet. Itaque Dominus Matth. 7. *Petite* (inquit) *& accipietis.* Et Marc. 11. *Quicquid orantes petitis, &c.* Et Apostolus ad Rom. 8. *Quid oremus, sicut oportet nescimus; Spiritus postulat pro nobis, &c.* Et sancti Patres, BASILIVS oratione in Iulittam: *Oratio* (inquit) *est boni cuiusdam petitio, quæ à pijs ad Deum effundatur.* GREGORIVS NYSSENVS oratione prima, de oratione Dominica: *Oratio est conuersatio sermocinatióque cum Deo,* & oratione secunda: *Oratio est petitio bonorum, quæ Deo cum supplicatione offertur.* IOANNES CHRYSOSTOMVS, hom. 30. in Gen. *Oratio colloquium est cum Deo.* IOANNES DAMASCENVS, lib. 3. de fide, c. 24. *Oratio est ascensio mentis in Deum, aut decentium à Deo petitio.*

Dicimus DEINDE, esse actum rationis non theoricę, sed *practicæ*, quoniam non ad cognitionem, sed ad impetrationem ordinatur.

Dicimus TERTIO, esse actum rationis: *Explicantis desiderium voluntatis.* Nam cùm intellectus, & affectus ad orandum concurrant, affectus concurrit desiderando id bonum, quo caret; intellectus verò desiderium illud explicando, & proponendo; quemadmodum in rebus corporalib. cũ re aliqua indigemus, per appetitũ, qui cõcupiscibilis dicitur, rem illã desideramus, per linguã verò, quę appetitus interpres est, rem eandem flagitamus.

Dici

Dicimus POSTREMO, esse actum rationis: *Ab alio aliquid postulantis.* Quoniam desiderium voluntatis, si est in nostra potestate, non exprimitur à ratione per modũ postulantis, sed per modum imperantis: at si non in nostra, sed in alterius potestate est, tum demum exprimitur per modum postulantis, & ea propriè dicitur oratio. Atque hæc de definitione.

CAPVT II.

De partitione orationis.

PRIMVM enim ALIA est oratio publica, quę nomine totius populi à sacerdotibus, tamquam publicis Ministris in templis potissimum ritè celebratur; ALIA est priuata, quę ad singulos pertinet, & de qua scribit Apostolus: *Volo ergo viros orare in omni loco leuantes puras manus, sine ira, & disceptatione.* 1. Timoth. 2.

DEINDE, ALIA est oratio tãtùm mentalis, ALIA mentalis simul & vocalis. Neque debet addi tertium membrum (id est) vocalis tantùm. Ea siquidem non est vtilis ad placandum Deum, sed magis ad prouocandum ad iram, iuxta illud: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. Isa. 29.*

Et quidem oratio, quæ sola mente concipitur, cùm quis priuatim orat, vtilissima est, & aliquando vtilior, quàm si etiam vox corporalis addatur. Nam & Deus satis intelligit, quid velimus, & quid petamus, etiamsi id sola mente exprimamus; & nos ipsi nonnunquam toto ictu cordis Dei aures melius attingimus, cum ab omni strepitu corporali vacamus, quàm si voce simul, & corde orare velimus. Et denique (vt S. AMBROSIVS docet, in 6. li. de Sacramentis, c. 4.) *Qui in silentio orat, fidem defert & confitetur, quod Deus scrutator cordis, & renis sit, & orationem tuam antè ille audiat, quàm tuo ore fundatur.*

CAETERVM nõ negamus, quin oratio vocalis sit interdũ vtilis, & aliquãdo etiã necessaria. Vtilis enim est. Quoniam (vt S. AVGVSTINVS loquitur in epist. 121. ad Probam, c. 9.) *interdum voce nos ipsos ad deuotionem acrius excitamus.* VTILIS quoque est, quoniam seruit deuotioni iam excitatæ, quæ erumpere solet, & redundare in externum affectum, iuxta illud Ps. 15. *Lætatum est cor meum & exultauit lingua mea.* Et illud Ps. 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* DENIQVE, vtilis est, vt non solùm corde, sed etiam corpore debitæ seruituti Deo reddamus obsequium, iuxta illud Oseæ vlt. *Omnem auferiniquitatem, & reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Est autem non solùm vtilis, sed etiam necessaria vocalis oratio, quando ex præcepto maiorum, vel publicè, vel priuatim certas preces recitare iubemur.

TERTIA partitio orationis extat apud Apostolum, 1. Tim. 2. vbi QVATVOR facit quasi genera, siue partes orationis, cum ait: *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, &c.* Et ad Philip. 4. *In omni oratione, & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Et quoniam hęc partitio subobscura esse videtur, referam breuiter, quid præcipui Patres de ea scriptum reliquerint.

Igitur S. HILARIVS in explicatione, Psal. 140. ita loquitur: *Quatuor genera orationum Apostolus esse significat, ad Timotheum scribens: Exoro ergo primò omnium fieri precationes orationes, postulationes, gratiarum actiones. Humilitatis nostræ est deprecari, Magnificentiæ Dei est orari, Fidei est postulare, Confessionis & laudis est gratulari.*

S. AMBROSIVS, in li. 6. de Sacramentis, c. 5. *Prima* (inquit) *oratio laudem debet habere Dei, secunda supplicationem, tertia postulationem, quarta gratiarum actionem.* Vbi S. Ambrosius primo loco ponit orationem, secundo loco obsecrationem, nonnihil inuertens ordinem Apostoli, & per orationem intelligit laudem Dei: per obsecrationem intelligit supplicationem, qua petimus, vt Deus nos audire dignetur; per postulationem intelligit petitionem eius rei, quã desideramus; per gratiarum actionem, intelligit iterum laudes Dei. Nam, ipse paulò pòst exponit, quomodo incipit oratio à laudibus Dei, sic debet in Dei laude desinere.

S. AVGVSTINVS, in epist. 59. ad Paulinum q. 5. totum hunc locum refert ad publicas preces, quæ tempore sacrificij ad altare funduntur. Quod idem facit Chrysostomus in commẽtario: sed Chrysostomus non indicat, quid interfit inter has voces: Augustinus autem indicat, cum ita loquitur: *Eligo* (inquit) *in his verbis hoc intelligere, quod omnis, vel penè omnis frequentat Ecclesia, vt precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione sacramentorũ, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici: Orationes cum benedicitur, & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur quam totam petitionem fere omnis Ecclesia Dominica oratione concludit. Interpellationes autem, sive (vt vestri codices habent) postulationes fiunt, cùm populus benedicitur. Tunc Antistites velut aduocati susceptos suos per manus impositionem misericordissimæ offerunt potestati. Quibus peractis & participato tanto sacramento, Gratiarũ actio cuncta concludit, quam in his etiã verbis vltimã commendauit Apostolus.*

IOANNES CASSIANVS, collat. 9. c. 9. & sequẽtibus, fusè tractat de hac partitione, & in summa docet, per obsecrationem intelligi orationem pro remissione peccatorum, per orationem, vota, quibus Deo aliquid offerimus: per postulationem, siue interpellationẽ preces, quas pro salute aliorum fundimus; per gratiarum actionem, laudes dei, pro acceptis beneficijs.

THEODORETVS in commentario, 1. Tim. 2. scribit, obsecrationem esse deprecationem malorum; orationem, postulationem bonorum; interpellationem, esse accusationem aduersariorum, id est, diaboli, & angelorum eius, qui nos ad peccata solicitant, denique gratiarum actionem, id quod verba ipsa significant.

S. BERNARDVS, in ser. de quatuor modis orandi, per obsecrationem accipit orationem peccatoris pœnitentiam inchoantis, qui intercessores adhibet, nondum audens per se ad DEVM accedere: per orationem intelligit preces pœnitentis, qui per se à DEO postulat indulgentiam: per postulationem orationem iusti, qui petit regnum cœlorum, & alia necessaria ad salutem: per gratiarum actionem orationem viri perfecti, qui se certò confidit exauditum.

S. THOMAS in 2.2.q.83. art. 17. explicans hanc ipsam partitionem, scribit, In omni oratione TRIA esse necessaria. PRIMO, vt animus coniungatur cum Deo, quod fit per orationem, quæ est ascensio mentis in deũ. SECVNDO, vt aliquid petatur à DEO, quod fit per postulationem. TERTIO, vt proponatur ratio aliqua cur videatur esse concedendum id quod petitur, tum ex parte orantis, tum ex parte DEI. Et quidem ex parte dei optima ratio est Meritũ Christi, quod proponitur per obsecrationem, ex parte nostra est actio gratiarum, quæ proponitur, cum DEVM aliqua ratione laudamus.

Explicat S. Thomas hæc omnia in oratione de sancta Trinitate, Nam cùm dicimus: *Omnipotens sempiterne Deus,* Oratio est: cum addimus: *Qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere,* Gratiarum actio est: cũ adiungimus: *Tribue quæsumus, vt eiusdẽ fidei firmitate ab omnibus semper muniamur aduersis.* Postulatio est: cum concludimus: *Per Dominum nostrum, &c.* Obsecratio est.

THEOPHYLACTVS in commentario huius loci scribit, Apostolum loqui de oratione sacerdotis, in quo cum Augustino conuenit, sed non agnoscit distinctionem inter obsecrationẽ, orationem, & postulationem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

in quo conuenit cum Chrysostomo.

Si mihi licet addere, quid de hoc loco Apostoli sentiam; PRIMVM existimo loqui Apostolum, non solùm de oratione sacerdotis ad altare, sed etiam de oratione priuata cuiuscunque fidelis. Nam ideo 1. Tim. 2. concludit: *Volo ergo viros orare in omni loco, &c. Similiter & mulieres in habitu ornato, &c.* Et ad Philip. 4. omnibus dicit: *Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione & obsecratione, &c.* Fateor tamen hoc præceptum, quod omnibus datur, ad sacerdotes præcipuè pertinere & in illis precibus, quæ funduntur ad altare potissimum locum obtinere.

Existimo PRAETEREA, voluisse Apostolum per has voces partitionem aliquam indicare, non rem eandem pluribus vocibus inculcare. Id mihi persuadet TVM communis opinio; nam vno vel altero excepto, omnes in eo conueniunt, vt Apostolus distinctionem aliquã inter eas voces notari voluerit: TVM quod easdem quatuor voces repetierit in epist. ad Philippenses.

Existimo TERTIO partitionem hanc Apostoli desumi à materia orationis, quę est res bona, vel mala, præterita, vel futura, vt sensus Apostoli sit, orandum esse Deum pro malis auertendis, & bonis accipiẽdis & quidem vtraque postulanda esse in futurum, & pro iam impetratis gratias exhibendas. Quem sensum clariùs ostẽdit epistola ad Philippenses, quàm ad Timotheum. Nam cum ait ad Philippenses: *In omni oratione, & obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum*; Hoc manifestè præcipit, vt siue bonorum adeptionem, siue à malis liberationem cupiamus, & precemur à Deo, semper coniungamus petitionem cum gratiarum actione (id est) ita petamus futura, vt pro præteritis agere gratias nunquam obliuiscamur.

Existimo DENIQVE, per OBSECRATIONES, Græcè ἐντεύξεις, rectè Theodoretum, & Augustinum locis citatis accipi voluisse deprecationes malorum. Nam vox illa à verbo ἐντυγχάνω descendit, quod est indigere: ille autem maximè indiget ope diuina, qui malo aliquo premitur. Item per ORATIONES rectè eosdem auctores intellexisse petitiones bonorum: non enim in Græco est, ἐυχὰς, vt Cassianus legisse videtur, qui interpretatur vota, sed προσευχὰς quod orationes significat. Nam (vt scribit Gregorius Nyssenus, oratione secunda, de oratione Dominica) ideo oratio, qua boni aliquid petimus dicitur προσευχὴ, quoniam votum dicitur εὐχὴ, & illi cum fiducia petunt à Deo bona, qui illi antea boni aliquid deuouerunt. AT per POSTVLATIONES non existimo cũ Theodoreto, significari hoc loco accusationem aduersariorum, sed cum Augustino simpliciter postulationẽ. Nam etiam si vox Græca ἔντευξις significet interpellationem pro aliquo, vel contra aliquẽ; tamen quia omnis interpellans petit, imò ideo interpellat vt petat, rectè S. Augustinus loco notato monet, vicinitate vocabuli vnum pro alio poni solere, neque corrigendũ esse textum Latinum, qui nõ habet interpellationes, sed postulationes.

ADDO quòd in epistola ad Philipp. capite 4. vbi obsecratio, oratio, & gratiarum actio ijsdem Græcis verbis exprimuntur, quibus in epistola priore ad Timotheum, capite secundo, solum nomẽ postulationis variatur. Nõ enim est ἔντευξις, sed αἰτήματα, quod propriè petitionẽ, vel postulationem significat. Vbi videtur Apostolus explicare voluisse vno in loco id, quod dixerat in alio.

ADDO etiam quòd interpellatio contra aliquẽ, cõprehenditur in obsecratione, quæ est deprecatio malorum, sicut interpellatio pro aliquo, in oratione, quæ est precatio bonorum; vt non fuerit opus distinguere tria membra, cùm duo sufficerent.

ADDO denique auctoritatem Latini interpretis antiquissimi, qui nõ sine causa verbũ ἔντευξις, hoc loco postulationes, nõ interpellationes reddẽdũ esse iudicauit.

CAPVT III.

De necessitate, & vtilitate orationis.

SEQVITVR pars TERTIA disputationis propositę, quæ erat de necessitate, vel vtilitate orationis. Multi fuerunt, ac sunt errores de fructu orationis, qui facili negocio recenseri, & refutari poterunt.

PRIMVM igitur non defuerunt olim tum ethnici, tum hæretici, qui nimis multum orationi tribuerẽt. Refert enim S. Thomas in libro tertio contra Gentes, capite 96. errorem ethnicorum quorundam, qui arbitrabantur, per orationes hominum mutari posse prouidentiam Dei. Refert quoque Theodoretus libro quarto, Hist. capite decimo, & libro quarto de fabulis hæreticorum, Messalianos hæreticos vsque adeo extollere solitos orationem, vt existimarent, per eam solam verè iustificari homines. Sacramenta verò, præsertim Baptismum, & Eucharistiam nihil prodesse. Vnde etiam Euchitæ dicti meruerunt.

Sed hic error nullo negocio refutari potest. Deum enim esse prorsus immutabilem, non solùm docet scriptura diuina, Numer. 23. 1. Reg. 15. Malach. 3. & Iacobi primo, sed etiam manifesta ratio. Nam si Deus vlla ratione mutationi esset obnoxius, non esset simplex, neque infinitus, neque æternus, ac per hoc esset creatura, non Deus. Vide sanctum Thomam in prima parte, quæstione nona, articulo primo. Non igitur potest humana oratio prouidentiam illius inuertere, aut mutare, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Et si absque Sacramentis à Christo institutis, possent homines per solas preces iustificari, atque saluari, non diceret idem Saluator: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Io. 3. Neque diceret: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Io. 6. Non igitur sola oratio sufficit ad salutem.

ALTER error, & quidem superiori contrarius, est eorum, qui nimium extenuant fructum orationis. In quo numero reponendi sunt inprimis ethnici illi, qui tollebant è medio prouidentiam Dei erga res humanas, vt Epicurei, teste Marco Tullio, in libro primo de natura Deorum; vt Peripatetici, teste Clemente Alexandrino, libro quinto Strom. Et S. Ambrosio, libro primo de officijs, capite decimo tertio, vt illi, qui Epicurum, & Aristotelem præcesserunt, qui in lib. S. Iob, capite vigesimo secundo, dixisse leguntur: *Circa cardines cœli ambulat nec nostra considerat.* Ifti enim omnes orationis studiũ non solùm extenuant, sed etiam penitus tollunt. Quid enim prodest orare Deum, si nostra non curat?

Ad horum errorem accedunt hæretici Pelagiani, qui si non vtilitatem, certè necessitatem orationis tollebant cum dicerent, posse homines suis viribus benè viuere, seruare mandata, gratiam Dei, & gloriam promereri. Quare S. Augustinus, tum in lib. de hæresibus, capite 88. tum in epist. 106. ad Paulinum, inter præcipuos Pelagianorũ errores posuit, quòd destruerẽt orationes Ecclesiæ.

In similem errorem incidit postea Io. VViclef, qui, teste Thoma VValdensi, tomo tertio, capite primo & secundo, docebat, Deum non requirere à nobis cogitationem, aut vocem, sed bonis operibus esse contentum. Idem etiam cum diceret tria esse genera orationis; aliã enim esse orationem mentalem, aliam vocalem, aliam vitalem, in oratione vitali (id est) in operibus bonis omnia comprehendi, & ipsam solam sine mentali & vocali ad salutem sufficere, contendebat.

Denique in hoc errantium numero iure collocari posse videtur, quidam Ioannes Monhemius ex Grammatico ludimagistro Theologus Lutheranus, qui in

suo catechismo tractatu de oratione, scribit, Deum id petentibus dare, quod etiam aliàs daturus esset, etiamsi non peteretur. Ex quo sequitur, vt non solùm non necessaria, sed etiam superuacanea videatur oratio.

Aduersus omnes istos errores pugnat Euangelica illa sententia, Lucæ 18. *Oportet semper orare & nunquam deficere.* Item illo c. 21. *Vigilate omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia.* Item illa Apostolica, 1. Thess. vlt. *Sine intermissione orate.* Quibus non dissimilis est illa sapientis Ecclesiastici 18. *Non impediaris orare semper.* Hæc enim, & alia, quibus plena est scriptura diuina, apertissimè docent, omnino necessariam esse orationẽ, neque esse committendum, vt alia vitæ huius negocia à studio rei tam necessariæ nos impediant.

Neque responderi potest, prædicta testimonia referenda esse ad necessitatem solius orationis vitalis, vt loquitur VViclef. Nam Dominus in Euangelio Luc. 18. cũ dixisset: *Oportet semper orare, & nunquam deficere*: Explicaturus de quo genere orationis intelligi vellet sententiam suam, narrauit parabolas duas, VNAM de vidua, quæ importunitate petendi extorsit à Iudice, alioqui iniusto, & sæuo, iustam sententiam. ALIAM de Pharisæo, & Publicano orantibus in templo. Et rursus Luc. 11. Cum vehementer commendaret studium orationis, narrauit ALIAM parabolam de quodam, qui ab amico tres panes petijt importunissimo tempore, & tamen accepit quod petijt, non quia esset amicus, sed quia non destitit petere, donec acciperet. Quæ omnes parabolę clarissimę sunt, & omnium iudicio orationem proprie dictam, non autem metaphoricam, qualis est vitalis, necessariam esse demonstrant.

Præterea vt benè viuamus, fieri non potest sine auxilio Dei, cùm scriptum sit, Io. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Et 2. Corinth. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis sed sufficientia nostra ex Deo est.* Igitur auxilium Dei per orationem propriè dictam petere necesse habemus, si vitalem orationem exercere (id est) si benè viuere desideramus. Quare non sola vitalis oratio, sed etiam mentalis, & vocalis, necessariæ sunt, & de ijs verba Domini, & Apostoli intelligi debent.

Quòd autem Monhemius dicit, auxilium Dei non defuturum, etiamsi illud minimè petamus, cum Deus illa det petentibus, quæ non petentibus etiam daturus erat: repugnat manifestis scripturæ testimonijs. Nam quod legimus in Ps. 105. *Et dixit, vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in conspectione in conspectu eius.* Satis apertè demonstrat, ita liberatum fuisse populum ab vltimo exitio per orationes Mosis, vt si Moses non orasset, vniuersus populus periturus fuisset. Illud etiam quod ait Dominus, Matth. 17. *Hoc genus dæmoniorum non ejcitur, nisi in oratione, & ieiunio.* Nonne apertè indicat, beneficia quædam impetrari per orationem, & ieiunium, quę sine oratione & ieiunio, minimè impetrarentur? Quod verò S. Iacobus in epistola sua, capite 4. docet: *Non habetis propterea quòd non postulatis, & non accipitis, eo quod male petatis.* Certè manifestius esse non potuit.

Quibus testimonijs congruens est illud S. AVGVSTINI, in serm. primo, de S. Stephano: *Si sanctus Stephanus sic non orasset Ecclesia Paulum non haberet.* Et illud in libro secundo, de bono perseuerantię, capite decimo sexto. *Constat Deum alia danda non orantibus, sicut initium fidei, alia nõ nisi orantibus præparasse sicut vsque in finem perseuerantiam.* Ex quo loco intelligimus quę causa sit, cur Deus quædam beneficia concedat orantibus quæ alioqui minimè concessurus erat; & tamen per orationes diuina prouidentia non mutetur. Nam sicut Deus iam ab æternitate statuit, quid nobis donare velit, sic etiam statuit per orationes nobis ea donare. Atque id tam in corporalibus, quàm in spiritualibus beneficijs. Quia enim Deus constituit dare nobis frumentum, & vinum: & simul constituit id nobis præstare per humanos labores, quibus agri, vineæque colunturi nemo est qui neget necessarium esse arare, ac serere; plantare, ac fodere, & alia id genus facere, si metere, & vindemiare velimus: etiamsi Deus quos fructus, & quantos nobis dare velit, ab æternitate decreuerit.

Sic etiam Patriarcha Isaac, rametsi sciebat ex diuina promissione in semine suo benedicendas omnes gentes, ac per hoc prolem aliquam se habiturum dubitare non posset. Orauit tamen Deum pro sterilitate coniugis suæ, vt legimus in Genes. 25. Quoniam illud etiam sciebat, multa Deum promittere, quæ per orationes à se imperrari velit, vt S. Gregorius annotauit in li. 1. dialogorum, c. 8.

Et Helias Propheta, cum Dei nomine pluuiam promisisset Regi, & certò sciret, falsum esse non posse, quod Deus promittit; anxiè tamen Deum precari cœpit pro pluuia impetranda, 3. Reg. 18. quia nouerat, pluuiam quidem donandam esse à Deo, sed non nisi per orationes suas esse donandam.

Denique Tobię c. 6. Angelus Raphaël dicit, Saram Tobię iuniori à deo destinatam esse vxorem; & tamen eundem Tobiam admonuit, vt Deum precaretur, ne se à demonio illo pateretur occidi, à quo necatos fuisse cõstabat alios omnes, qui cum eadem Sara coniugio copulari tentauerant. Nimirum indicauit Angelus, conscius dei secretorum, præordinatum fuisse à deo coniugium Tobię, & Sarę, sed non nisi per orationes eorum diuinam illam præordinationem fuisse complendam.

POSTREMVS error circa necessitatem orationis est hereticorum huius temporis, vt Philippi Melanchthonis in locis communibus; titulo de precatione, vt Ioannis Caluini libro tertio Institutionum, capite vigesimo, 5. tertio. Ioannis Brentij, in Confessione VVirtembergensi, capite de oratione, & aliorum omnium, qui quamuis orationis studium maximi facere se iactẽt, tamen præcipuos eius fructus negant, imò nihil ferè vtilitatis orationi relinquunt.

TRES enim sunt primarij fructus orationis, SATISFACTIO, MERITVM, IMPETRATIO. Ex quibus duos priores aduersarij funditus tollunt, vt ostẽdimus in 4. li. de pœnitentia, & in li. 5. de Iustificatione. Tertium mutilant, si non tollunt. Nam ex ijs bonis quę precibus impetrantur, præcipuum est remissio peccatorum, ac iustificatio. Hunc autem fructum omnes huius temporis heretici orationi detrahunt, cum illam soli fidei, quę orationem præcedit, attribuant.

Reliqua bona fatentur orationibus impetrari si oratio fundatur ex fide: sed quia per fidem intelligunt fidem illam suam specialem, qua vnusquisque certò credere debet, se gratum esse Deo sibique non imputari peccata; quę fides re vera haberi non potest, inde fit, vt conditionem plane impossibilem ad impetrandum requirãt, ac per hoc nihil omnino orationi relinquant. Sed quoniam fundamenta huius erroris alibi sunt à nobis pro nostrarum virium tenuitate satis diligenter euersa; nunc solùm præcipuos fructus orationis indicabimus, & ex diuinis literis breuiter confirmabimus.

PRIMVS igitur fructus est SATISFACTIO pro peccato, de quo diximus in li. 4. de pœnitentia, c. 6. Et sanè si quis concedat opera bona laboriosa, satisfactoria esse pro peccatis, nunquam negabit, quin sit oratio inter illa opera numeranda, cùm satis constet, orationem non tantùm bonam, sed etiam laboriosam esse, atque pœnalem. Quæ causa est, vt ferè semper ieiunio & eleemosynę adiungatur, cùm de satisfactionibus agitur.

SECVNDVS fructus est MERITVM. Oratio enim siue impetret quod postulat, siue non impetret, semper est meritoria maioris gratię & glorię, quãdo ab homine iusto,

Universidad de Deusto
Biblioteca

iusto, & sicut oportet, funditur. Cuius rei testimonium habemus in Euangelio. 6. *Cum oratis non eritis sicut hypocritæ qui amant in Synagogis, & in angulis platearum stantes orare, vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi.* Quo loco Dominus ostendit, orationem esse opus bonũ, cui, si benè fiat, debetur merces à Deo: ex quo fit, vt etiam sit meritoria. cũ merces merito iustè, proprieque respondeat.

TERTIVS fructus est IMPETRATIO, ac primũ oratione impetrari remissionem peccatorum, docemur in oratione Dominica: non enim iuberet nos Dominus dicere: *Dimitte nobis debita nostra.* Si remissio debitorum per orationem impetrari non posset. Quod idem testatur parabola Publicani, & Pharisæi, Luc. 18. *Publicanus enim orans, & dicens. Deus propitius esto mihi peccatori, descendit in domum suam iustificatus.*

Nec solum remissionem peccatorum sed multa alia beneficia, imo etiam penè omnia, quæ nobis necessaria, vel vtilia sunt, per orationem à Domino impetramus. Nam (vt rectè animaduertit S. Io. Chrysost. in duobus libellis de oratione) sicut in rebus corporalibus homo nascitur nudus, & egens rebus omnibus, sed habet manus, quæ saris oppositè organum organorum propterea dici meruerunt. Quod per eas reliqua omnia instrumẽta confici & cibus, vestis, domus arma, & quicquid humanæ vitæ necessarium est facilè parari queat; sic etiam in vita spirituali nihil omnino potest homo sine ope diuina, non solùm operari, sed nec loqui, aut cogitare: sed habet organum organorum (id est) orationem, qua, si benè vtatur, omnia sine dubio obtinebit.

Præter hos tres primarios fructus, sunt etiam alij permulti, quasi secundarij. Nam oratio frequens mentem illustrat; neque enim fieri potest vt aliquis cordis oculos in Deum, qui lux est, intente defigat, quin ab eo aliquãtulum illustreetur. In cuius rei signum Moses rediens à colloquio Domini, frontem gerebat mirifica luce fulgentem, Exod. 34. Et Dauid ait: *Accedite ad eum, & illuminamini.* Ps. 33.

DEINDE. Oratio, spem, & fiduciam alit: quo enim aliquis cum alio frequentius loquitur, eò fidentius ad eum accedit.

TERTIO, inflammat etiam oratio charitatem, & mentem ad maiora dona recipienda capaciorem reddit, vt S. Augustinus docet, in li. 2. de ser. Domini in monte, capite 7.

QVARTO, auget humilitatem, & castum timorem. Nam qui ad orationem accedit, intelligit, se Dei esse mendicum, ac per hoc humiliter coram eo apparere studet, & diligentissimè cauet ne illum offendat, cuius auxilio in rebus omnibus indiget.

QVINTO, gignit oratio frequens in animo oratris contemptum rerum omnium temporaliũ. Neque enim fieri potest, vt non vilescant, & sordeant terrena omnia illi, qui cœlestia, atque æterna assiduè speculatur. De qua re vide S. Augustinum, li. 9. confess. c. 1. & 10.

SEXTO, parit oratio delectationem incredibilem, cũ per eam fiat, vt incipiat homo gustare, quàm suauis sit Dominus. Quanta autem sit hæc suauitas, vel ex eo potest intelligi, quod nonnullos non solum pernoctare, sed etiam dies integros cum integris noctib. in oratione coniungere sine labore potuisse nouimus.

DENIQVE, præter vtilitatem, & voluptatem, adfert etiam oratio dignitatem, atque honorem non exiguum oranti. Nam (vt S. Chrysostomus docet, in 1. li. de orando Deo) ipsi etiam Angeli animam illam honorant, quã cernunt tam familiariter, & crebro ad colloquium diuinæ Maiestatis admitti.

CAPVT IIII.

De excellentia orationis Dominicæ.

PAM verò quid sit in oratione petendum, quod erat QVARTVM caput propositæ disputationis: non possumus breuius, & plenius explicare, quàm si Dominicam orationem plenissimè exponamus. Nam (vt S. ait Augustinus, in epist. 121. c. 12.) *Quãlibet alia verba dicamus, nihil aliud dicimus, quàm in ista Dominica oratione positum est si rectè & congruenter oramus.* Igitur orationem Dominicam ex Patrum sententia explanabimus, si de excellentia eius, de numero, & ordine petitionum pauca quædam solita breuitate præfati fuerimus.

Quod ad EXCELLENTIAM attinet, præstat oratio Dominica omnib. aliis formis orandi, auctoritate, breuitate, perfectione, ordine efficacitate, necessitate.

AVCTORITATE, quoniam ab ipsa Dei sapientia condita est: proinde non solùm nullus hominum, sed nec vllus Angelorum melius potuit nos instituere in ratione orandi, quàm Christus fecerit.

BREVITATE etiam præstat, quoniam pro magnitudine, & multitudine rerum, quas continet, non poterat oratio fieri breuior. Est autem vtilis hæc summa breuitas, TVM ad memoriam adiuuandam, vt notat S. Cyprianus. TVM etiam, vt monuit Tertullianus, vt intelligamus non multis verbis opus esse, cum oramus Deum, qui scit quid velimus, antequam petamus, sed ingenti desiderio, & feruenti affectu.

Præstat quoque PERFECTIONE, quoniam omnia comprehendit, quæ à Deo nos petere vel necessarium, vel vtile est, vt paulò ante ex Augustino didicimus. Addit verò Tertullianus, orationem Dominicam esse quasi breuiarium Euangelij, quia dum hanc orationem fundimus, simul admonemur quid credere, quid sperare, quid amare, quem colere, quid agere, quid fugere, quid appetere, quid eõtemnere debeamus, vt hîc maximè locum habeat, quod Cælestinus scribit in epist. ad Gallos, c. 11. *Legem credendi adde & operandi, lex statuit supplicãdi.*

ORDINE præstat, quoniam diuina planè methodo postulare docemur. Primò quæ ad gloriam Dei, deinde quæ ad salutem nostram pertinent, & in ijs primùm æterna, deinde temporalia.

Efficacitate, siue vtilitate præstat, quoniam (vt rectè notat S. Cyprianus) nihil potest Deum Patrem magis mouere, quam oratio filij eius. Neque vllus melius nouit, quæ sit oratio efficacior apud Deum, & quibus bonis nos potissimum egeamus, quàm is, quem Deus aduocatum nostrum, patronumque constituit. Denique si quicquid petitur in nomine Christi, facilè impetratur, vt dicitur Io. 16. quanto facilius impetrabitur, quod non solùm in nomine Christi, sed etiam verbis Christi postulabitur?

Præstat demum etiam Necessitate, quoniam nulla est alia forma precandi, quàm omnes Christiani conceptis verbis tenere, & frequentare iubeantur, nisi ista. In constitutionib. Apostolicis, li. 7. c. 25. mouentur Christiani omnes, ter quolibet die orationem hanc fundere. Item in Concilio Toletano 4. can. 9. iubemur nullo vmquam die orationem hanc intermittere, quam non sine ratione sancti Patres, Cyprianus, serm. 6. & Augustinus in Enchirid. c. 71. quotidianam vocauerunt. Denique in Concilio Remensi, cap. 2. docemur, non licere homini Christiano Dominicam orationem, aut non tenere memoria, aut non intelligere, aut non frequentare.

Addi potest alia excellentia, quod hanc orationem veteres Patres summo studio explicarunt. Vide Tertullianum in libr. de oratione, qui est postremus inter eius opera.

opera. Cyprianum in serm. 6. qui est de oratione Dominica. Cyrillum Hierosolymitanum catechesi 5. mystagogica, Ambrosium li. 5. de Sacramentis, c. 4. Gregoriũ Nyssenum, in quinque orationibus de oratione Dominica. Hieronymum in comment. ad c. 6. Matt. Io. Chrysostomum in comment. eiusdem capitis, & in hom. de oratione Dominica. Augustinum in epist. 121. ad Probã, c. 11. In Enchir. c. 115. li. 2. de serm. Domini in monte, c. 8. & seq. serm. 28. de verbis Domini, hom. 42. ex li. 50. homiliarum. ser. 126. 135. & 182. de tempore. Io. Cassianus, collatione 9. c. 18. & sequẽtibus. Petrum Chrysologum, ser. 67. & seq. Bernardum ser. 6. de Quadragesima, Innocentium Papam, li. 5. de mysterijs missæ, c. 17. Denique commentaria in c. 6. Matthæi, vel 11. Luc 9. Theophylacti, Euthymij, Bedæ, Anselmi, Ruperti, Thomæ, Bonauenturæ, Alberti, & aliorum.

CAPVT V.

De numero, & ordine petitionum orationis Dominicæ.

PETITIONES orationis Dominicæ Septem esse, communis habet sententia veterum, & recentiorum; paucissimis tantum exceptis, in quibus sunt Tertullianus, in li. de oratione, & Io. Caluinus, in li. 3. Inst. c. 20. §. 35. qui sex tantum esse contendunt, reuocantes ad vnam petitionem omnia illa verba, Et ne nos inducas intentationem, sed libera nos à malo. Sed Tertulliano, vt ait S. Hilarius, can. 5. in Matthæum, consequens error abstulit auctoritatem; & Caluinus, quod sit hostis Ecclesiæ manifestus, indignus est, cuius ratio habeatur, nisi forte sit eius refellenda sententia.

Septem igitur esse petitiones orationis Dominicæ disertis verbis docent Augustinus, Anselmus, Rupertus, Innocentius, Thomas, Bonauentura suprà citati. Reliqui veteres Cyprianus, Cyrillus, Nyssenus, Chrysostomus, & alij non laborant de numero: sed ita tamen orationem tractant, vt satis apertè significent in septem petitiones esse diuisam.

Quare falsum est, nisi mendacium etiam dici possit, quod iactat Caluinus pro se facere veteres Patres, & ad marginem scribit Augustinum, & Chrysostomum. Nã Chrysostomus (vt monui) de numero non laborat? Augustinus autem sic loquitur in Enchiridio, c. 115. *Proinde apud Euangelistam Matthæum septem petitiones cõtinere Dominica videtur oratio.* Et in li. 2. de ser. Domini in monte, c. 16. *Vltima* (inquit) *& septima petitio est, Sed libera nos à malo.* Et c. 17. *Sed harum septem petitionum consideranda, & commendanda distinctio est.* Et c. 18. *Videtur etiam mihi septenarius iste harum petitionum numerus congruere illi septenario numero ex quo totus iste sermo manauit?* Idem habet in hom. 42. extrema ex li. 50. homiliarum, vbi diuidit Orationẽ Dominicam in tres petitiones, quibus æterna, & quatuor, quibus temporalia postulantur. Viderit igitur Caluinus vbi legerit in Augustino senarium petitionum numerum.

Accedit Præterea etiam ratio, nam nisi petitiones sint septem, non erit oratio Dominica breuissima, & plenissima, cum tamen à breuitate, & plenitudine passim à sanctis Patribus laudetur. Non erit (inquam) Breuissima, quoniam res eadem bis repeteretur, videlicet, *Et ne nos inducas in tentationem, & Libera nos à malo.* Non est autem credibile, Dominũ, qui paulò ante dixerat, *Orãtes nolite multum loqui*, nunc formam orandi præscribere, in qua res vna & eadem diuersis verbis, id est, duabus sententijs significetur. Neque erit Plenissima, quoniam si idem prorsus sint *Ne nos inducas in tentationem* &, *Libera nos à malo.* Non petemus liberari à malo præteriro, sed solùm à futuro, nec à malo pœnæ, sed solum à malo culpæ. Tentatio enim, in quam petimus non induci, non est malum præteritum, sed futurum, nec malum pœnæ, sed culpæ.

Adde Postremo, omnino congruere vt tot sint petitiones Dominicæ orationis, quot sunt dona Spiritus sancti, quandoquidem his petitionib. illa dona respondent, vt S. Augustinus demonstrat in secundo libro de serm. Domini in monte.

Porrò habet Caluinus argumentum ex particula (*sed*) nõ omnino despiciẽdum. Nam si duæ petitiones essent: *Ne nos inducas in tentationem*, &, *Libera nos à malo*: non coniungerentur per aduersatiuam (*sed*) sed per copulationem *Et*, nunc autem ita dictum est, *Et ne nos inducas in tentationem sed libera nos à malo*; Ac si dictum esset, Ne nos inducas in tentationem, sed erue nos à tentatione.

Sed est præterea alia grauior obiectio, quoniam Luc. 11. non habetur illa sententia, *Sed libera nos à malo*; Et S. Augustinus in Enchirid. cap. 116. dicit ideo non fuisse additam à Luca vllam sententiam, quoniam continetur in superiore. Atque hic fortasse est locus Augustini, ad quem respexit Caluinus, cum pro numero petitionum senario Augustinum citauit.

RESPONDEO, quod attinet ad particulam (*sed*) illam non esse positam hoc loco ad explicandum quod antea dictum erat, id enim superuacaneum videretur, & breuitati orationis repugnaret; sed ad aliquid maius significandum, vt quasi correctionis cuiusdam speciem præferat, quod clarius esset, si adderetur vocula (*potius*) hoc modo: Et ne nos inducas in tentationem, sed potius libera nos ab omni malo. Quomodo si debitor creditori dicat, Ne quæso repetas nummos, quos mihi dedisti mutuo, sed adde potius aliquot alios.

Quod verò pertinet ad concordiam Matthæi, & Lucæ, SCIENDVM est apud Lucam in latinis codicibus duas petitiones desiderari, *Fiat voluntas tua; &, Libera nos à malo.* Proinde non sex, vt vult Caluinus, sed quinque tantum futuras esse petitiones, si obiectio illa locum habere debeat.

PRIMVM igitur fieri potest, vt in latinis codicibus incuriâ librariorum desint duæ illæ petitiones, quæ integræ habentur in codicibus Græcis, & Syriacis, & exponũtur ab Euthymio, & Theophylacto in commentarijs Lucæ.

DEINDE fieri etiam potest, vt Dominus apud Lucam non integrè tradiderit orationem Dominicã. Constat enim alio tempore, & alijs auditorib. Dominum docuisse formam orandi apud Lucam, quã apud Matthæũ. Et quoniam apud Lucam Dominus instituebat discipulos minores, quibus omnia breuius, & imperfectius tradere solebat, ideo fortasse (vt Rupertus notat) non integram orationem tradidit.

Denique Tertio dici potest cum sancto Augustino in Enchiridio, c. 116. duas petitiones apud Lucam omitti, quoniam aliquo modo in præcedentibus continentur. Non quod sint omnino eædem cum illis, sed quod sint valde similes, & ex illis facile deduci queant. Nam ideo S. Augustinus addidit particulas (*quodammodo*, &, *tanquam*) cum ait, tertiam esse quodammodo repetitionem primæ, & secundæ; & septimam esse tanquam vnã cum sexta. Idem videmus factum esse in beatitudinibus. Nam Matthæus c. 5. numerauit octo, Lucas c. 6. quatuor, sed (vt monet S. Ambrosius, li. 5. in Lucam) in illis octo, istæ quatuor sunt, & in istis quatuor, illæ octo. Itaque sicut verè omnium consensu octo sunt beatitudines Euãgelicæ, quamuis Lucas contraxerit eas ad quatuor, ita septem sunt petitiones orationis Dominicæ, tametsi Lucas reuocauerit eas ad quinque.

Iam verò quod attinet ad Ordinem petitionum, S. Augustinus in Enchiridio c. 115. & li. 2. de serm. Domini in monte c. 17. docet, tribus petitionibus prioribus peti res æternas, tribus posterioribus temporales. Plenius

rem

Universidad de Deusto
Biblioteca

rem totam explicat Cornelius Iansenius in concordia Euangelica. Scribit enim, Primo peti bonorum largitionem. Secundo malorum remotionem: & in bonis, Primo bonum Dei: *Sanctificetur nomen tuum*, Secundo, bonũ nostrum summum: *Adueniat regnum tuum*. Tertio, bonũ nostrum medium, id est, gratiam implendi mandata: *Fiat voluntas tua*. Quarto, bonum nostrum infimum, id est, subsidia temporalia: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. In malis, Primo peti remotionem mali præteriti: *Dimitte nobis debita nostra*. Secundo mali futuri: *Et ne nos inducas in tentationem*. Tertio mali præsentis: *Sed libera nos a malo*.

Plenissimè S. Thomas in 2.2.q.83.art.9. ita petitionũ ordinẽ digerit. Quoniã oratio interpres est desiderij, desiderium autẽ actus est charitatis, qua diligimus. Deũ in se, & nos in Deo. Ideo Primo petimus gloriam Dei, vt sanctificetur nomen ipsius; quæ petitio nascitur ex amore, quo diligimus Deum in se. Secundo beatitudinem nostram, quam habebimus cùm aduenier regnum Dei; & hæc petitio oritur ex amore, quo diligimus nos in Deo. Tertio medium principale, & per se ad beatitudinem; id vero est obedientia legis, fiat voluntas tua, nam per obedientiam legis meremur beatitudinem. Quarto medium per se, sed instrumentarium, id est, panem tum spiritualem Verbi & Sacramentorum, tum etiam corporalem. Quinto medium per accidens, id est, remotionem peccati præteriti, quod propriè excludit à regno, & opponitur primo nostro bono. Sexto aliud medium per accidens, id est, remotionem peccati futuri, ne videlicet superemur à tentatione, quæ impedit, ne Dei præcepta seruemus, quod erat bonum nostrum secundum. Septimo aliud medium per accidens, id est, remotionem malipresentis, omnium vide licet huius vitæ miseriarũ, quatenus impediunt sufficientiam temporalium bonorum, quæ suo modo ad vitam æternam consequendam, vel necessaria, vel vtilia sunt. Quare mala ista, quæ in postrema petitione remoueri cupimus, opponuntur tertio nostro bono, quod in quarta petitione à Domino postulamus.

CAPVT VII.

Exponitur oratio Dominica.

NVNC ad ipsa verba Dominicæ orationis explicanda veniamus, & nõ tam nostras, quàm Patrum sententias in medium adferamus.

Pater noster qui es in cœlis.

Hæc pauca verba præfationem continent totius orationis, brẽuissimam, pulcherrimam, atque vtilissimam. Primum enim simul nos admonent adoptionis diuinæ, dum dicimus, *Pater noster*, & peregrinationis terrenę, dũ addimus, *qui es in cœlis*, vt simul intelligamus nos egere auxilio, quia peregrini sumus, & fiduciam petendi concipiamus, quia filij Dei sumus. Ita S. Bernardus in sermone de Natali B. Mariæ, qui inscribitur de aquæ ductu.

Deinde verba illa sunt, quasi proœmium beneuolentiam captans vt S. Augustinus monet li. 2. de sermone in Monte, c. 18. nam cũ dicimus: *Pater noster*, laudamus bonitatem Dei, qui Pater appellari dignatur à vilissimis seruulis; cum addimus: *qui es in cœlis*, laudamus eius potentiam & excellentiam, qui in cœlo, id est, in altissimo solio præsidet. Quæ duo significari solent illis duabus vocibus, Optimus, Maximus.

Tertio excitant illa verba in orante amorem & timorem, quæ sunt oprimę ad bene orandum præparationes. Accenditur enim ad amorem, qui cogitat se patrem adire, vt cum eo de rebus sibi necessariis colloquatur; & simul sancto timore concutitur, qui cogitat Patrem illũ in cœlo sedere, & terrena simul, ac cœlestia moderari.

Quarto miro quodam artificio rationem insinuamus cur Deus possit, & debeat nos audire. Nam si Pater est, debet certè filijs quod iustè postulant, non negare; si in cœlis est, vt summus rector vniuersitatis, in manu eius sunt omnia, & potest quæcunque voluerit facere.

Quinto nos ipsos (vt Cyprianus docet) admonemus, vt meminerimus nos patri terreno renunciasse, & Patrem in cœlis habere cœpisse, & ideo deinceps non terrenam, sed cœlestem vitam nobis agendam, & non in terris, sed in cœlis patriam, & hereditatem esse quærendam. Sed iam seorsum de singulis vocibus pauca dicenda sunt.

Ac Primum de illa voce, Pater, annotandum est, ea voce significari primam personam sanctissimæ Trinitatis, atque ad eam dirigi orationem Dominicam, vt docent Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius & Augustinus locis supra notatis: quamuis (vt idem Tertullianus monet) in Patre inuocẽtur etiam Filius, & Spiritus sanctus, quorum vna est natura, vna potestas, vna voluntas, vna diuinitas. Quod idem seruari videmus in plerisque collectis, quæ diriguntur ad Patrem, & concluduntur per filium, qui cum eodem Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in secula seculorum.

Solet autem quæri, an hoc loco dicatur Deus esse hominum Pater ratione *creationis*, iuxta illud Deut. 32. *Nõne ipse est Pater tuus, qui fecit, & creauit te?* an ratione *adoptionis*, de qua dicit Apostolus ad Rom. 8. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater*. Cæterum S. Cyprianus, Nyssenus, Chrysostomus, Augustinus, & alij affirmant, in hac oratione Deum, vocari Patrem, præcipuè ratione adoptionis. Est enim hæc oratio propria noui Testamenti. Iudæi siquidem (vt Augustinus notat in 2. li. de ser. Domini in monte, c. 8.) vt serui audierunt in monte Sina: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti*; nos (vt filij) orare iubemur, *Pater noster, qui es in cœlis*.

Ex quo colligit S. Gregorius Nyssenus orat. 2. de oratione Dominica, eos, qui filij Dei nec sunt, nec esse volunt, neque in peccato mortali perstant, mendaciter dicere: *Pater noster, qui es in cœlis*: nam cum Patrem inuocant (vt ipse ait) non Deum, sed Diabolum inuocant; siquidem ex patre Diabolo sunt. Diabolus autem non est in cœlis, sed in inferis. Ac de tali oratione rectè intelligitur illud Prouerb. 28. *Oratio eius erit execrabilis*. Et illud cæci nati Ioan. 9. *Scimus quia Deus peccatores non exaudit*. Tamen si peccator pœnitentiam agere incipiat, & iam spe, ac desiderio filius Dei sit, non absurdè dicere poterit, *Pater noster*, vt S. Hieronymus docet in epistola ad Damasum de filio prodigo; & probat ex eo quod filius prodigus Lucæ 15. nondum reconciliatus, dicit se indignum, qui vocetur filius, & tamen patrem appellat, cum ait: *Pater peccaui in cœlum, & coram te*. Quomodo etiam Isaias in persona pœnitentium orat c. 63. *Tu Domine, Pater noster es, &c.*

Porro ad vocem, Noster, obseruandum est ea voce admoneri diuites, & nobiles, vt notat S. Augustinus loco citato, vt non se extollant supra cæteros, neque pauperes, obscurosque despiciant, cum in hac oratione fateantur se pro fratribus Christianos omnes agnoscere. Item admoneri fideles, vt S. Cyprianus docet, vnitatis, & pacis, quam cum omnibus habere debemus, si exaudiri cupimus. Debent enim, qui vnum patrem communiter inuocant, esse cor vnum, & anima vna, & quasi vno ore dicere, *Pater noster*, quod de tribus pueris legimus Daniel. 3. *Tunc hi tres quasi ex uno ore laudabant Deum*. Denique ex hac voce colligunt Patres, Cyprianus, Ambrosius, Chrysostomus, meliorem esse orationem generalem, quam specialem. Ideo enim orare docemur, *Pater noster*, non Pater mi. Notat autem S. Ambrosius in lib. 1. de

de Cain, cap. 9. orationem generalem non solùm vtiliorem esse aliis, sed etiam ipsi oranti. Nam dum singuli orant pro omnibus, sequitur, vt omnes orent pro singulis. Itaque si vnusquisque diceret, Pater mi, nemo pro me oraret, nisi ego solus; at si dicant omnes *Pater noster*, omnes omninò quotquot sunt in orbe Christiano, pro me orabunt; quæ sanè est vtilitas maxima.

Restant illæ voces, QVI ES IN COELIS. De quibus quæri potest, quid hoc loco propriè significent. Siquidem sancti Patres, Cyrillus, Ambrosius & Augustinus, per cœlos intelligunt mentes Sanctorum in quibus Deus per gratiam inhabitat. ALII verò vt Gregorius Nyssenus, Ioan. Chrys. & Cassianus locis citatis, & Bernardus serm. 1. in Psal. *Qui habitat*, intelligunt cœlos corporales, ac propriè dictos. Quamuis autem vtraque expositio pia sit, & vera: tamen posterior magis videtur literæ, sine sententiæ Euangelicæ inhærere. Nam in scripturis passim cœlum hoc corporale, quod spectamus, sedes Dei nominatur. Vt Isaiæ 66. *Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum*. Et Matth. 5. *Nolite iurare per cœlum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum pedum eius*.

Dicitur autem Deus esse in cœlo, non quòd vbique non sit, sed quoniam in eo gloriam præsentiæ suæ maximè manifestat. Nam & beati in cœlo Deum facie ad faciem vident, & nos ex cœli conspectu, quod est corporum omnium maximum, & pulcherrimum, potentiam, & sapientiam Dei maximè intelligimus: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum*. Psal. 18.

Porrò aptissimè fit mentio habitationis Dei in cœlo in principio huius orationis, TVM vt admoneamur sursum cor habere, & nihil nisi cœlestia cogitare, cum ad orandum accedimus, vt S. Augustinus notat in 2. lib. de serm. Domini in monte, ca. 3. TVM vt intelligamus, magno clamore opus esse vt S. Bernardus docet in ser. 16. in Psal. *Qui habitat*, si à Deo exaudiri volumus, cũ nos in profundo terrarum, ille in summo cœlo sedẽ habeat. Quod rectè intelligebat, qui dicebat: *De profundis clamaui ad te Domine*. Clamor autem iste non corporis, sed cordis, non vocis, sed desiderij accipiendus est.

PRIMA PETITIO. *Sanctificetur nomen tuum.*

Hæc est petitio PRIMA; quam quidem nonnulli referunt ad sanctitatem Dei in nobis vel inchoandam, vel perficiendam, vt videlicet petere intelligamur, vt sancti simus, vel in sanctitate perseueremus. Ita Tertullianus & Cyprianus. ALII referunt ad gloriam nominis Dei, sed ex nostris bonis moribus, & operibus cõsequẽtem, iuxta illud Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est*. Ita Cyrillus catechesi 5. mystagogica, Nyssenus orat. 3. de oratione Dominica, Chrysosto. Hieronymus & Rupertus, in ca. 6. Matth. SED optima, & literæ maximè inhærens est explicatio S. August. libr. 2. de serm. Domini in monte, ca. 10. Cassiani collat. 9. ca. 18. S. Bernardi serm. 6. in Quadragesima, & aliorum, qui dicunt simpliciter peti gloriam Dei, id est, vt innotescat omnibus nomen Dei, & ab omnib. sanctificetur. Quod fit, quando homines relictis Idolis, vel peccatis, agnoscunt Deum viuum, & verum, illi credunt, in eum sperant, eum toto corde diligunt, laudant, prædicant, venerantur. Atque ita impletur quod Malachias futurum aliquando prædixit: *Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentib.* Superiores enim explicationes, & præsertim prima, ideò minus probabiles sunt, quòd hanc petitionem cum tertia ferè confundunt.

SECVNDA PETITIO. *Adueniat regnum tuum.*

Hæc est SECVNDA petitio, in qua recto ordine petimus nostram beatitudinem, cum in prima petierimus gloriam Dei. Regnum enim Dei in sacris literis TRIPLEX inuenitur. regnum gloriæ, regnum gratiæ, & regnum quod naturæ, vel naturale dici potest.

Ac vt ab hoc postremo incipiamus, regnũ Dei NATVRALE dicitur imperiũ illud, quod naturaliter Deus habet in omnes res creatas, quas pro arbitrio regit, & gubernat; de quo legimus in Psal. 144. *Regnum tuum, regnum omnium seculorum*. De hoc regno nemo est qui petitionem secundã orationis Dominicæ explicandã censuerit. Quoniã non est opus petere, vt fiant ea, quæ semper fiunt, nec possunt nõ fieri. Hoc autem regnum semper est, ac fuit, & erit; & quamuis impij nihil magis moliantur, quàm regnum Dei, id est, ordinem diuinæ prouidentiæ perturbare; tamen semper fit, quod Deus vult fieri, & vt Mardochæus ait Hester 13. *In ditione Dei cuncta sunt posita, neque est, qui possit eius resistere voluntati*.

Regnum GRATIÆ est illud, quod Deus regnat in Ecclesia in mentibus fidelium, de quo dicitur Matth. 13. *Colligent de regno eius omnia scandala*. De hoc regno exponunt hanc petitionem nonnulli, vt S. Ambrosius lib. 5. de Sacramentis capit. 4. Rupertus in comment. capit. 6. Matth. & alij.

Sed verissima expositio est de regno GLORIÆ, quod inchoatur nunc in spiritibus beatorum, & perficietur in nouissimo die, quando beati acceptã gloria etiam corporum cum Deo perfectè, feliciterque regnabunt. Tunc enim tolletur omnis potestas dæmonum, & hominum impiorum, & solus Deus, & filij eius sine vlla resistentia, vbique regnabunt.

Hãc esse expositionem optimã perspicuum est. PRIMO, quoniam in eam cõueniunt Tertullianus, Cyprianus, Cyrillus, Chrysost. Hieronymus, Augustinus, Cassianus, Bernardus, & alij ferè omnes. SECVNDO, quoniam superior expositio cõfundit hanc petitionem cum sequenti; hæc autem vnam ab alia commodè aptèque distinguit. TERTIO, quoniam nisi ita dicamus, nusquã in tota Dominica oratione petetur beatitudo, quæ tamen in primis petenda esse videtur. Nam (vt docet S. Augustinus in Psal. 118. conc. 20.) quemadmodum ante Christi Incarnationem omnia vota piorum in primum Christi aduentum aspiciebant, ita nunc par est, vt aspiciant in secundum; quod etiam Apostolus monet cùm ait Rom. 8. *Et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorũ Dei expectantes redemptionem corporis nostri*. Et 2. Tim. 4. *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus iudex, non solum autem mihi sed etiam iis, qui diligunt aduentum eius*. Et ad Tit. 3. *Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei*. QVARTO, quoniam in Scripturis regnum Dei, quod promittitur esse venturum, vix vsquam aliter accipitur, quàm pro resurrectione, & gloria cœlesti, vt Luc. 13. *Cum videritis Abraham Isaac & Iacob & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras*. Et cap. 14. *Beatus qui manducabit panem in regno Dei*. Et Matth. 5. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*.

TERTIA PETITIO. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra.*

Rectè distinguunt Theologi voluntatem Dei in voluntatem signi, & voluntatem beneplaciti; ac voluntatem SIGNI appellant præcepta, & prohibitiones, quibus Deus significat, quid à nobis agi, vel non agi velit. Voluntatem BENEPLACITI nominant eam, qua Deus vult absolutè aliquid fieri, quæ semper impletur, & quam nulla vis externa impedire potest.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De PRIORE intelligunturea loca Matt.12. *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ille meus frater, & soror & mater est.* Ioan.4. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me.*1. Thess. 4. *Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra.* Hebr.10. *Vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.*

De POSTERIORE intelliguntur illa Psal.113. *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo, & in terra.* Isaiæ 46. *Omne consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet,* Esther 13. *Non est qui tuæ possit resistere voluntati.* In hac autem petitione, *Fiat voluntas tua* conueniunt sancti Patres initio citati, accipi voluntatē pro voluntate SIGNI. Id enim est, q̃ petimus vt gratia, & auxilium Dei nobis adsit, quo possimus, ac velimus diuina implere mandata.

Obseruat autem hoc loco auctor operis imperfecti in Mattheum rectè dictū esse, *Fiat voluntas tua*, non autē, fac in nobis voluntatem tuam, vel faciamus volūtatem tuam: vt intelligamus obedientiam legis, quam Dei ope præstamus, non esse opus solius Dei, nec solius liberi nostri arbitrij, sed vtriusque simul.

Quamuis autem hæc petitio præcipuè referatur ad obedientiam legis, & voluntatem SIGNI: tamen potest etiam aliquo modo referri ad volūtatem BENEPLACITI, quatenus videlicet debemus nunquam reprehēdere beneplacitum Dei, neq; de eo submurmurare, etiāsi nos affligi, ac premi velit, sed ei patienter, & libenter etiam acquiescere. Nam hoc modo Dominus dixit Matt. 26. *Non mea sed tua voluntas fiat.* Et Act. 21. cum discipuli non possent Paulum retinere, quo minùs in Hierusalē ad manifesta pericula carcetis, & vinculorum pergeret, dixerunt: *Voluntas Domini fiat.*

Sanctus quoq; CYPRIANVS in sermone de mortalitate, cum hortaretur populum vt æquo animo ferret mortalitatem, quæ tunc in illa prouincia grassabatur: *Memmisse*, inquit, *debemus voluntatem nos non nostram, sed Dei facere debere, secundum quod nos Dominus quotidie iussit orare.*

Et S. AVGVSTINVS in serm.109. de tempore, qui est primus in feria 3. post Dominicam passionis, adducens illud quòd paulò antè citauimus ex Actis Apostolorum: *Voluntas Domini fiat*, *Nunquid*, inquit, *quia dixerunt, Voluntas Domini fiat, optauerunt Apostolo, vt talia pateretur, ac nō potius mentem suam sublimi, & diuino studio denotissimè subdiderunt.*

CÆTERVM rectè docet idem Augustin. Enchiridio, ca.101. non semper nobis optandū esse, vt fiat, quod Deus vult fieri voluntate beneplaciti, tametsi nunquam displicere debeat consilium Dei. Sæpe enim aliud conuenit Deo, vt velit, aliud nobis. Ex quo etiam fit, vt sæpe homo bona voluntate non velit quod Deus vult; vt quādo Ioseph ab Arimathia nolebat Christum occidi, & ideo non erat consentiens actibus Iudæorum, Lucæ 23. & sæpe mala voluntate velit quod Deus vult, vt cū Iudæi Christum occidi voluerunt.

Hinc etiam intelligimus, nō esse malum dolere propter afflictiones Ecclesiæ, aliaque mala, quę ex beneplacito Dei nobis aduenium, atque ea etiam deprecari. Sic enim Samuel fleuit Saulem Regem, quem sciebat à Deo reprobatum, & Dauid fleuit interitū Absalonis, & Hieremias amarissimè luxit deuastationem Hierosolymæ, & ipse Dominus videns ciuitatem, fleuit super eam, & mortem etiam suam horrens orauit ad Patrem, vt si fieri posset, transiret ab eo hora. Denique omnes Patres in funebribus orationibus deflent mortes eorum, quorum vita Ecclesiæ vtilis esse videbatur.

Summa igitur sit, voluntati BENEPLACITI non esse obmurmurandum, sed voluntatem SIGNI à nobis esse totis viribus perficiendam. Quamuis enim nō semper velle debeamus quod Deus vult absolutè fieri. Semper tamen velle debemus id, quod Deus vult nos velle, quod vt diximus explicatur nobis per legem, & præcepta. 1. Reg. 15. *Numquid vult Deus holocausta, & victimas, non & magis, vt obediatur voci Domini?*

Quod autem additur, *sicut in cœlo, & in terra*, QVATVOR modis à Patribus explicatur. PRIMVM enim per cœlum intelligunt spiritum, per terram carnem. Et quoniam caro cōcupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem, dicunt nos petere, vt cōcordet caro cum spiritu. & sicut spiritus seruit legi Dei, ita & caro nō seruiat amplius legi peccati, sed legi Dei. Ita Tertullianus, & Cyprianus & Augustinus.

RVRSVS per cœlum intelligūt fideles, & iustos, per terram infideles, & peccatores, vt sensus petitionis sit, vt sicut fideles, & iusti Deo seruiunt, ita infideles, & peccatores conuertantur ad Deum, eique subiiciantur, & seruiant. Ita Cyprianus.

ITEM per cœlum intelligunt Christum, per terram Ecclesiam, atque id peti dicunt, vt Ecclesia sponsum suum imitetur in obedientia Deo præstanda. Ille enim obediens fuit vsque ad mortem, mortem autem crucis. Ita Augustinus lib.2. de serm. Domini in monte, cap.11.

SED expositio communis, & planè literalis est, vt per cœlum intelligatur cœlestis Hierusalem, siue Ecclesia, triumphans, per terram Ecclesia, quæ militat, & peregrinatur in terris. Id enim optamus, vt sicut in cœlo Angeli sancti Deo promptè, perfectè, atque in omnib. obediunt: ita & nos per Dei gratiam faciamus: ita exponunt omnes Patres initio citati tum Græci, tum Latini, solis exceptis Tertulliano & Cypriano, qui huius expositionis non meminerunt.

QVARTA PETITIO. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

Hæc est petitio QVARTA, de qua TRES inuenio auctorum sententias. PRIMA eorum est, qui existimāt, hoc loco nihil aliud peti nisi panem corporalem. Ita exponunt Chrysostomus, & auctor operis imperfecti in cap.6. Matthæi, quam sententiam mordicus defendunt Philippus Melanchthon in locis tit. de inuocatione, & precatione. Et Ioan. Caluinus lib.3. Instit. cap. 20. §. 44. sed hoc interest inter illos veteres Patres, & hos recentiores hæreticos, quod illi non reprehendunt eos, qui de pane spirituali hanc petitionem accipiunt: isti non sine conuicio excipiunt, si quis audeat de spirituali pane hunc locum exponere.

Sed notandus est puerilis lapsus PHILIPPI MELANCHTHONIS, qui Chrys. reprehendit, omninò nescіens quid loquatur: *Chrysostomus*, inquit, *& alij multi insulsè deprauant precationem, quam tradidit Christus, cum panem quotidianum nolunt intelligi de corporali pane.* Hæc ille loco citato. Itaque Philippus non legit Chrysost. sed cum fureret pro defensione panis corporalis, illum verbis flagellare cœpit, qui primus animo eius occurrit.

Hæc prima sententia minimè nobis probatur, PRIMO, quoniam omnes Patres initio citati, Chrys. & auctore operis imperfecti exceptis, de pane spirituali vel solo, vel præcipuè hunc locum accipiunt. SECVNDO, quoniam valdè imperfecta, & manca esset Oratio Dominica, si tam diligenter per eam peteretur cibus corporis, & cibi spiritualis nulla mentio fieret. TERTIO, quoniam vt S. Augustinus docet lib.2. de serm. Domini in monte, cap.12. non est credibile Dominum voluisse tam solicitè peti panem in eod. serm. præceperit; cauēdā esse solicitudinē rerum corporaliū, dicens: *Nolite soliciti esse, dicētes, quid māducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur, hæc enim omnia gētes inquirūt. Scit enim Pater vester q̃ his omnib. indigetis. Quærite ergo primū regnū Dei, & iustitiā eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Vbi propterea

vide

videtur dixisse Dominus: *Scit Pater vester, quia his omnibus indigetis*, vt intelligeremus, non esse opus, ista solicite, & anxiè querere. Quemadmodum etiam non dixit, Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, deinde hæc temporalia, sed, *& hæc omnia adiicientur vobis*, videlicet, etiam non quærentibus.

Respondent aliqui, hoc ipsum esse, non esse solicitū de temporalibus, si quis iactet cogitatum suum in Domino, & non aliter ista quærat, nisi per orationem à Patre cœlesti ea petendo. AT responsio ista aspernanda non esset, si diceremt, hæc bona peti à Deo debere, vt additamenta, obiter, implicitè, ratiò: quod autē ipsi volunt, hæc peti in media oratione Dominica, quam debemus quotidie summa attentione, summoq; studio fundere, non rectè vitium nimiæ solicitudinis, & anxietatis excusat. Quomodo enim non erimus de cibo corporis nimium soliciti, si eum tam crebro, & tanta cum attentione flagitemus?

ALTERA expositio est. S. Hieronymi in cap.6. Mat. & in ca.2. ad Tit. S. Ambrosij lib.5 de Sacramentis, ca.4. Cyrilli catechesi 5. mystagogica. Ioann. Cassiani collat. 9. cap.21. & 24. & Petri Chrysologi in serm. de oratione Dominica, qui exponunt hanc petitionem de solo pane spirituali. Quæ sententia, si ita velit de pane spirituali hunc locum esse intelligendum, vt omnino excludatur panis corporalis, non videtur admodum esse probabilis. Nam cùm panis corporalis rectè desiderari, & peti possit, vt perspicuum est ex illa oratione sapientis Proverb. 30. *Tribue tantum victui meo necessaria.* Et ex voto illo Patriarchæ Iacob Gen. 28. *Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusq; fuero prosperè ad domum patris mei erit mihi Dominus in Deum, &c.* Certè debuit in hac oratione aliquo modo peti, vt sit oratio perfectissima, & contineat omnia, quæ peti possunt, vt suprà docuimus ex Augustino in epistola 121. cap.12.

Est igitur TERTIA sententia sine dubio recipienda, quæ docet, nomine panis intelligi debere alimenta in genere, id est, omnia subsidia necessaria ad vitā cum animæ, tum corporis conseruandam: & quoniam subsidia vitæ spiritualis, vt Sacramenta, conciones, & alia id genus multò magis sunt, & necessaria, & nobilia, quàm subsidia vitæ corporalis, ideò intentionem orantis ferri debere ad panem spiritualem, vt ad id quod primariò petitur, ad panem autem corporalem, vt ad quoddam additamentum.

Hęc sententia cōmunissima est apud Patres. Sic enim exponunt hunc locum, Tertullianus, Cyprianus, Gregorius Nyssenus, Theophylactus, Euthymius, Beda, & alij, quos initio citauimus; & S. Augustinus in Enchiridio, cap.115. & in epist.121. ca. 11. proinde quòd idem auctor in lib.2 de sermone Domini in monte, cap. 12. explicat hunc locum de solo pane spirituali, intelligendū est, de solo pane principaliter, & primaria intentione petendo, non autem absolutè de solo pane spirituali, alioqui manifestè secum ipse pugnaret. Quo modo etiā exponi possunt omnes illi Patres, quos pro secunda opinione citauimus.

Vna tantùm est OBIECTIO aduersus hanc sententiam tertiam, quòd vox Græca ἐπιούσιος, quæ est tam apud Mattheum, quàm apud Lucam, non videatur posse conuenire pani corporali. Nam vel significat supersubstantialem, vel certè eximium, peculiarem, excellentem. Idē est enim (vt S. Hieronymus dicit) ἐπιούσιος, & περιούσιος. Vox autem περιούσιος peculiarem significat, vt perspicuum est Deuteronom. capit. 7.14. & 26. Et ex epistola ad Tit. capit. 2. vbi populus electus, & peculiaris dicitur, λαὸς περιούσιος.

RESPONDEO, Vox ἐπιούσιος, si sonum spectes, supersubstantialem significat si tamen rem subiectam consideres pro eodem accipitur, pro quo substantialis, siue essentialialis, vt non tam ad excellentiam, quàm ad necessitatem panis, referenda esse videatur. Nā Græci Patres, qui vim Græci vocabuli optimè nouerant, vt Basilius quæstionibus breuioribus quæst 252. Gregorius Nyssenus orat 4. de oratione Dominica, Ioann. Chrysostom. Theophylactus, Euthymius in commētario ad 6. caput Matthæi dicunt, ἄρτον ἐπιούσιον, esse panem substantialem, id est, substantiæ nostræ alendæ accommodatum. Quo etiam respexit antiquus interpres, qui quotidianū reddit, id est, quo pane quotidie indigemus.

At, INQVIES, vulgata editio Matth.6. habet supersubstantialem, quæ latina vox nō videtur nisi ad excellentiam posse referri. RESPONDEO, PRIMVM nō desunt multi codices antiqui vulgatæ editionis, qui non habeāt supersubstantialem, sed quotidianum. Quomodo etiam legisse constat S. Cyprianum, immò & Ecclesiam Latinam vniuersam, quæ in oratione Dominica, quam ex Matthæo sine dubitatione desumpsit, semper orauit, & orat, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* DEINDE sicut Græci ἐπιούσιον legunt, & tamen non habita ratione præpositionis exponunt substantialem, cur non possumus & nos Latini legere supersubstantialem, vt verbum verbo respondeat, & tamen non habita ratione præponere substantialem? ADDE quòd cum vulgata Latina editio eandem Græcam vocem ἐπιούσιον reddat apud Lucam quotidianum, apud Matthæum, supersubstantialem, ita debet exponi vox, substantialis, vt cum voce, quotidianus, aptè consentiat. Consentiet autem aptissimè, si per illud (supersubstantialem) significari dicamus panem substantiæ nostræ alendæ, & conseruandæ quotidie necessarium. DENIQVE potest etiam supersubstantialis idem esse, quod valde substantialis. Quomodo dicimus superabundare, & supereminere, valde abundare, & valde eminere. Qua significatione idem omnino erit panis supersubstantialis, & quotidianus. Ideo enim quotidie necessarius est, quia valde substantialis est. Sed iam de singulis vocibus huius petitionis pauca dicamus.

PANEM. Rectè panem petimus, posteaquā gratiam, quæ est animæ vita, petiuimus. Nihil enim prius appetit, qui viuere cœpit, quàm panē. Rectè etiam nomine panis significantur omnia subsidia vitæ spiritualis, & corporali necessaria. Nam & Sacramentum altaris, quod est vnum ex præcipuis animæ subsidiis, panis dicitur Ioan.6. & 1. Corinth.11. & verbum Dei, cuius prædicatione etiam pascimur, dici potest etiam panis, cum dicat Apostolus 1. Timot.4. *Enutritur verbis fidei.* Et Heb. 6. *Gustauerunt bonum Dei verbum.* Deniq; cibum omnem corporalem in Scripturis panis nomine comprehendi, notius est, quàm vt sit necesse probari.

NOSTRVM. Rectè ad panem additur nostrum, TVM vt intelligamus panem Eucharistiæ esse nostrum id est, proprium filiorum, quem alieni habere non possunt, vt S. Cyprianus exponit: TVM quia non cupimus panem alienum, id est, Verbum prædicationis hæreticę, sed panem nostrum, id est, doctrinam sanam Catholicā, Orthodoxam, qualis Ecclesiæ filiis dispensatur. Tum denique quoniam etiam panem corporalem non volumus alienum, id est, furto, rapina, fraudibus, malisque artibus acquisitum, sed nostrum, hoc est, proprio labore, & industria; vel ex iustis legitimisque redditibus, Deo Benedicente, partum: de qua re vide auctorem operis imperfecti.

QVOTIDIANVM. Hanc vocem addere iubemur, PRIMVM, Cypriano & Chrysostomo auctoribus, vt intelligamus non esse quærenda superuacanea, & curiosa, sed substantialia, simplicia, necessaria, sine quibus nullo die viuere possumus. DEINDE (vt iidem auctores

Universidad de Deusto
Biblioteca

docent) ne de crastino soliciti simus, sed tanquam hospites, & peregrini viuamus in diem. TERTIO quotidianum petimus, vt S. Augustinus monet in serm. 182. ad differentiam panis æterni, quo pane ita fruemur in cælo, vt semel gustatus æternam adferat saturitatem. Quare non erit opus quotidie illum petere, vel accipere.

DA NOBIS. Quamuis non petamus, neque expetemus, vt Deus pluat manna de cælo, vel Sacramenta per Angelos administret, aut sapientiam dormientibus infundat; sed in sudore vultus nostri panem nostrum spiritualem, tum corporalem manducare velimus: tamen rectè dicimus, *da nobis*, TVM quia sine Dei prouidentia, & auxilio, inanes essent nostri conatus; TVM etiam (vt docet S. Augustinus serm 155.) quoniam cupimus cibum de manu Dei accipere, id est, ab illo sanctificatum, temperatum, dimensum, vt corpori prosit, & animæ non obsit, si de corporali agatur; & contrà; mentem nutriat, & corpus non destruat, si de spirituali tractetur.

HODIE. Hæc vltima vox DVOBVS modis accipi potest, VNO modo, vt significet, hoc tempore, id est, vitæ huius mortalis; quo modo accipitur ab Apostolo ad Hebr. 3. *Adhortamini vosmetipsos, donec hodie cognominatur.* ALTERO modo, vt significet precisè hoc die. Prior expositio est Cyrilli catechesi 5. mystagogica, & Augustini in epist. 121. capit. 11. & libr. 2. de sermone Domini in monte capit. 12. posterior est Tertulliani, Cypriani, & Chrysostomi.

Et quidē si PRIOREM amplectamur, cessant multæ quæstiones, quæ fieri solent, cur petamus dari nobis panem sacramētalem eo die, quo ipsum panem accipere nolumus, aut iam accepimus; & cur petamus panem corporalem sæpe statim à cœna, vel prandio. Orationē enim Dominicam omnibus horis recitare solemus. Sed istæ, aliæque similes quæstiones locum nullum habent, si vox hodie, non hunc diem, sed totum tempus nostræ mortalitatis, peregrinationisque designet.

Si tamen POSTERIOREM explicationem sequamur, ad illas quæstiones respōdendum erit, nomine panis significari generatim omnia subsidia vitæ necessaria. Et ideò non solùm omni die, sed etiam omni hora, & omni momento rectè dici posse, panem nostrum quotidianum da nobis hodie, quoniam nullus est dies, nulla hora, nullum momentum, quo aliqua in re subsidio Dei non egeamus: etiamsi non omni die, vel hora Sacramēto Eucharistiæ, vel pane corporali indigeamus.

QVINTA PETITIO. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Nomine DEBITORVM nō intelliguntur hoc loco, nisi peccata, non autem debita seruandi leges, vota, promissiones, & alia id genus. Nam Luc. 11. dissertis verbis dicitur: *Et dimitte nobis peccata nostra.* Et Matth. 6. explicans Dominus hanc petitionem ait: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester cœlestis peccata vestra.*

Porrò peccata dicūtur debita, TVM quia omnis qui peccat, iniuriam facit Deo, ac per hoc debitor est satisfactionis: TVM quia omnis qui peccat, legem Dei præuaricatur; lex autem Dei pœnam habet adiunctam, cuius luendæ sit debitor, qui legē ipsam violat. TVM denique; quoniam cōmisit Deus vnicuique, nostrum animam propriam, tanquā vineam excolendā; ex qua fructus expectat temporib. suis dedique nobis talenta naturæ, & gratiæ, vt operaremur in eis; proinde qui negligunt benè operari, debitores fiunt lucri non acquisiti, & census non redditi. Vide etiam aliam rationem apud Ambrosium lib. 5. de Sacramentis, cap. 4.

Solent autem Patres ex hac petitione probare TRIA dogmata Ecclesiastica. PRIMVM est, omnes homines, quamuis alioqui iustos, & sanctos, in hac vita non carere peccatis. Omnes enim dicunt quotidie Deo, *Dimitte nobis debita nostra.* Id colligunt preter cæteros Tertullianus, Cyprianus, & Gregorius Nyssen. in locis supra citatis. SECVNDVM sequitur ex superiore, esse quædam peccata venialia, quæ naturā sua non faciunt hominem inimicū Dei, & cum ipsa charitate cōsistunt, de quo vide Augustin. in Enchiridio, cap. 71. TERTIVM est, post Baptismum esse adhuc locum pœnitentiæ, & indulgentiæ. Hæc enim oratio propria baptizatorum est, & quāuis potissimùm instituta esse videatur ad peccata venialia delenda, tamen valet etiam ad impetrandam peccatorum mortalium indulgentiam. Vide Chrysostomum in commentario ad cap. 6. Matthæi.

Quod verò addimus, SICVT ET NOS DIMITTIMVS DEBITORIBVS NOSTRIS, non ideò addimus, vt Deus nos imitetur, atq; à nobis misericordiam discat: sed vt testemur, nobis misericordiā valde placere, videriq; omninò præclarū condonare iniurias, ne fortè supplicantib. nobis Deus respondeat, Quare tu misericordiam à me petis, qui misericordiā odisti? & cur audes postulare, vt tibi parcam, qui turpe tibi ducis conseruis tuis parcere? Vide Nyssenum orat. 5. de oratione Dominica hunc locum eleganter, & copiosè explicātem. Existunt autem hoc loco QVATVOR dubitationes, quæ paucis expediendæ videntur.

PRIMA dubitatio, *quānam debita proximis nostris dimittere nobis necesse sit, si nobis à Deo Debita nostra dimitti velimus.* SED facilis est RESPONSIO. Nō enim iubemur dimittere omnia debita, sed ea solùm, quæ sunt cùm offensione coniuncta, neque ea omni ex parte, sed tantùm quo ad offensionē animi, vt videlicet nō oderimus proximum, qui nos læsit, neq; cum eo inimicitiā geramus. Vnde etiam fiet, vt non cogamus eum refarcire damnū nobis illatum, si fortè id facere sine maximo detrimento suo nō possit, quomodo Deus cùm nobis peccata dimittit, condonat iniuriam, atque ad amicitiam suam nos reconciliat, neque expetit pœnam æternam, quam sine summo exitio luere non possemus: requirit tamen, vt temporalem satisfactionem minimè negligamus.

SECVNDA dubitatio est: *An satis sit dimittere iniuriam proximo veniam postulanti, an verò necesse sit dimittere etiam non postulanti.* S. Augustinus in Enchirid. cap. 73. scribit, satis esse dimittere veniam postulanti. Sed ipse idem in 2. li. de serm. Domini in monte, cap. 13. dicit, necesse esse omnibus dimittere, etiā non petentib. Et hoc est verius. Dominus enim Marci 11. precipit: *Cum stabitis ad orandū, dimittite si quid habetis aduersus alterū, vt & Pater vester dimittat vobis peccata vestra.* Ex quo loco intelligimus, dimittendam esse iniuriam homini absenti, ac per hoc veniam non petenti. Quod autem S. Augustin. dixit in Enchiridio, fortasse intelligendū de remissione, quæ sit per signa æterna non de ea, quæ solo animo fieri potest.

TERTIA dubitatio est: *An qui ex animo remisit iniurias, & tamen in aliquo alio peccato voluntarie perseverat, possit hac oratione aliquid impetrare.* RESPONDEO, vel is, qui in peccato volūtarie perseverat, cupit sibi dari gratiam à Deo perfectæ conuersionis, eamque serio postulat, vel non cupit, nec serio postulat: si cupit gratiā conuersionis, quāuis interim à cōcupiscentia victus, peccatum non relinquat, nō inutiliter dicit Deo, *Dimitte nobis debita nostra*, & sic ex corde dimittat fratri suo iniuriam, disponetur ad gratiam perfectæ conuersionis adipiscēdam. Nam qui cœpit opus bonum inspirando illi desiderium, & petitionem conuersionis; & condonationem iniuriarum, perficiet sine dubio, si perseueret ille pulsando, & orando, vt Deus adiuuet infirmitatem ipsius, & rebellem ad se conuertat propitius voluntatem.

Sin autem non cupit gratiam conuersionis, neque ex animo illam petit, sed vel orat solis labiis ex consuetudine, vel (quod grauius est) vt videatur ab hominibus, is nō solùm nihil impetrat, sed etiā oratio eius fiet in peccatum, cū in singulis ferè petitionibus mentiatur, Quomodo enim dicere potest, *Pater noster*, qui non vult esse filius? &, *Sanctificetur nomen tuum*, per quem nomen Dei assiduè blasphematur? &, *Adueniat regnū tuum*, qui nihil magis, quàm aduentum Domini timet? &, *Fiat voluntas tua*, qui suam, non Dei voluntatem, semper facit?

QVARTA dubitatio est: *Recte ne faciant illi, qui cum iniurias condonare nolint, ne mentiantur in oratione sua Deo, verba illa pretereunt, sicut & nos dimittimus debitorib. nostris?* Id enim aliquos facere solere, testatur Cassianus collat. 9. cap. 22. quos in eodem loco meritò reprehendit. Nam etiamsi ea verba prætereant, tamen adhuc frustra petūt sibi remitti peccata, cùm Dominus tam apertè dixerit: *Si non remiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester remittet vobis peccata vestra.*

Adde quod ij, qui neq; condonāt iniurias, neque cupiunt gratiam à Deo sibi donari, qua velle incipiant iniurias condonare; etiamsi non mentiantur dum non dicunt, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, tamen mentiuntur cum reliquas partes Dominicæ orationis pronuntiant, vt paulò antè diximus.

SEXTA PETITIO. *Et ne nos inducas in tentationem.*

DVÆ sunt huius petitionis explicationes. PRIOR Hilarij & Hieronymi in commentario ad cap. 26. Matt. Ambrosij lib. 5. de Sacramentis cap. 4. Cyrilli catechesi 5. mystagogica, Augustini in epist. 121. ca. 11. & Cassiani collat. 9. cap. 23. qui docent, his verbis peti à Deo, non quidem vt non tentemur, sed ne à tentatore vincamur. POSTERIOR est Tertulliani in lib. de oratione, Cypriani in serm. de oratione Dominica, Gregorij Nysse. oratione 5 de oratione Dominica, Chrysostomi & Euthymij in commen. ad cap. 6. Matth. qui volunt id peti, vt simpliciter non tentemur. Quæ sententia posterior videtur nobis aliquanto probabilior.

Nam secundùm modum loquendi Scripturarum, nō induci in tentationem, nō videtur esse, non vinci à tentatione, sed in tentationem nō inducere. Quod enim legimus in Psalm. 65. *induxisti nos in laqueum*, omninò idem est, ac si dictum esset, induxisti nos in tentationem: & tamen eo loco non significat Propheta, se Dei permissione à tentatione fuisse deiectum, sed solùm tentari, vexariq́ue permissum, vt ipse etiam sanctus Augustinus eum locum exponit, & psalmus totus, si consolatur, clamat. Simile est illud Apostoli 1. Corinth. 10. *Tentatio vos non apprehendit nisi humana.* Idem enim esse videtur, apprehendi à tentatione, & induci in tentationem: & tamen non significat Apostolus Corinthios ab humana tentatione fuisse superatos, sed tantùm fuisse Deo permittente tentatos.

Adde quòd cùm tētatio, quamuis interdum sit vtilis, semper sit periculosa, propter ambiguam, incertamque victoriam, nō solùm præsumptio est illam appetere, sed etiam humilitas declinare, & à Deo petere, vt nos in certamen eiusmodi non inducat.

AT Iacobus ait cap. 1. *Omne gaudium existimate fratres cum in tentationes varias incideritis.* Et Dauid in Psal. 25. *Proba*, inquit, *me Domine, & tenta me* RESPONDEO, Tentatio quamuis appetenda non sit, tamen nō solùm fortiter, sed etiam cùm gaudio toleranda est, vt Iacobus dicit. Tamen quod toleratur, nō amatur, neque petitur: *Tolerare* (inquit AVGVST. li. 10. Confessionum, ca. 28.) *cas iubes, nō amare. Nemo quod tolerat amat etsi tolerare amet. Quāuis enim gaudeat se tolerare, tamen mauult non esse quod toleret.* Porro sancti nonnunquam ex reuelatione diuina certiores redditi de victoria rectè petunt tentari, vel ipsi se periculis, & persequutoribus obiiciunt; sed eiusmodi exempla veneranda sunt ab omnibus, nō ab omnibus imitanda.

Quoniā autem finis huius petitionis est euitatio peccati futuri possent duæ illæ sententiæ Patrum ita conciliari, vt prior respexerit finem, atque intentionem orantis, posterior verba ipsa orationis. Petimus enim nō induci in tentationem, ne fortè à tentatione superati legem Domini violemus.

Discimus verò ex hac petitione (vt S. Cyprianus monet) duo vtilissima documēta, nos videlicet sine Dei auxilio, omninò esse infirmos, & imbecilles; & Satanam sine Dei permissione non solùm non deiicere, sed ne tentare quidem seruos Dei posse; proinde neque de viribus nostris gloriari, neque Satanæ potētiam formidare nos oportere, si vt serui fideles, & humiles de Dei semper auxilio, & protectione speremus.

SEPTIMA PETITIO. *Sed libera nos à malo.*

Græci Patres omnes per, *malum*, intelligunt Diabolum, vt Nyssenus, Cyrillus, Chrysostomus, Euthymius, & Theophylactus, locis supra citatis. Mouet autem eos articulus additus ad nomen; sic enim legunt ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. Eandem sententiam loquuntur ex Latinis Ambrosius, Chrysologus, Cassianus. Verùm Cyprianus, Augustinus, Rupertus, Beda, & plerique alij Latini intelligūt per, *malum*, res omnes malas, ac potissimum præsentis vitæ calamitates, in quas incidimus per Adæ peccatum.

Confirmat hanc sententiam Ecclesiæ auctoritas, quæ in sacrificio altaris, posteaquam dictum est, *libera nos à malo*, subiungi instituit hāc veluti explicationem, *Libera nos quæsumus Domine ab omnibus malis, præteritis, præsentib. & futuris, vt ope misericordiæ tuæ adiuti, & à peccatis simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi.* Vbi illud, *præteritis*, respicit petitionem quintam *futuris*, petitionē sextam, *præsentibus*, petitionem septimā. Illud autem *à peccatis simus semper liberi*, pertinēt ad petitionem quintam, & sextam; illud verò, *ab omni perturbatione securi*, ad petitionem septimam.

Neque verò articulus Græcus multùm adiuuat sententiam priorem. Nam in Scripturis eadem vox πονηρὸς cū suo articulo non rarò accipitur pro re mala, vt Rom. 12. *Odientes malum, adhærentes bono.* In Græco pro voce, *malum*, est τὸ πονηρὸν. Et Matthæi 5. *Sit autem sermo vester, est, est, non non. Quod enim his amplius est, a malo est*, id est, à corruptione est. Græce habetur, ἐκ τοῦ πονηροῦ.

Addunt Græci codices Matth. 6 post septem petitiones, hæc verba: *Quia tuum est regnum & potentia, & gloria in secula. Amen.* Et explicant clausulam istam Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius in commentario eiusdem loci. SED certum est, ea verba non esse de textu euangelico, sed inferta fuisse à Græcis ex cōsuetudine, quam habent ea verba recitandi post orationem Dominicam in sacrificio Missæ. Num Latini etiā antiquissimi, & Græcæ linguæ periti, vt Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, nullam horum verborum mentionem faciunt. Videtur igitur illa esse appendix quædam orationis Dominicæ apud Græcos, sicut est apud Latinos illud, *Libera nos quæsumus Domine, &c.* Nam sicut apud nos non continuantur hæc verba cum oratione Dominica; ita neque apud Græcos continuantur, vt perspicuum est ex Liturgia Chrysostomi. Atque hæc de Dominica oratione sufficiant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT SEPTIMVM.

Solius creaturæ rationalis proprium esse orare.

SEQVITVR pars QVINTA disputationis, in qua explicandum est, cuius sit orare. Sed res facilis est. Non enim conuenit munus orandi, nisi Angelis, & hominib. Est enim oratio actus quidam rationis, quo vnus alteri supplicat, inferior videlicet superiori, & pauper diuiti. Ex quo SEQVITVR, vt nec Deo conueniat orare, cum ipse nullum habeat se ditiorem, aut superiorem, quippe cui omnes dicunt, *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non egos?* Neque etiam bestiis, & rebus inanimatis, quæ sunt rationis, & orationis expertes. Quare impia, & blasphema censenda est deliratio illa Iudæorum Thalmudistarum, qui dicunt, Deum quotidie certas orationes deuoto animo fundere. In Thalmud. ord. 1. tract. dist. 1. Item illa Pseudoprophetæ Mahometi, qui affirmat, Deum, & Angelos pro se orare. In Alcorano cap. 43.

Illud autē quod dicit Dominus ad Mosem Exod. 32. *Dimitte me, vt irascatur furor meus*: non propriè, sed metaphoricè accipiendum est, vt sancti Patres exponūt. Aug. q. 149. in Exod. Cyrillus li. 5. in Iulianum, & Gregorius lib. 9. Moralium, cap. 12. non enim significat illud, *Dimitte me*, Deum potuisse à Mose impediri, ne faceret quod vellet, cum scriptum sit in libro Iob cap. 9. *Deus, cuius ire nemo resistere potest*: sed significat, Deum precibus Mosis placatum id fecisse, quod illi solēt, qui ab aliquo impediuntur, ne in aliquem ahum seuerè animaduertant. Quemadmodum etiam illud, *vt irascatur furor meus*, non propriè, sed per metaphoram accipitur. Dicitur enim Deus irasci, & furere, cum id facit sine vlla perturbatione, quod homines impellente furore faciunt, id est, perdit, ac destruit. Deniq; similis metaphora est in illo Iosue 10. *Stetit sol in medio cœli, obediente Deo voci hominis.* Significatur enim in his verbis, Deum tam prompte fecisse, quod Iosue fieri cupiebat, ac si ad nutū ei parere voluisset, hoc est, fecisse id, quod facere solent, qui dominis suis libenter obediunt.

Quod autem legimus ad Rom. 8. *Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*: pro eo sine dubio positum est, quod nos postulare facit, vt S. Augustī. docet in lib. 1. aduersus Maximinum non procul ab initio.

Non dissimili ratione explicandæ sunt sententiæ Scripturarum, vel Patrum, quæ mutis animantibus tribuere videntur munus precādi, quale est illud Psal. 103. *Catuli Leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi.* Et illud Psalm. 146. *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Et illud S. Hieronymi in vita S. Pauli primi eremitæ, vbi refert monstrum quoddā S. Antonio humana voce dixisse: *Legatione fungor gregis mei precamur, vt pro nobis communem Deum deprecetis.* Et in eodem loco cùm dixisset duos Leones S. Antonio blandiri, eiusque manus, ac pedes lingere, & quasi osculari cœpisse, subiunxit: *Ille animaduertit, benedictionem eos à se precari.*

Hęc, inquā, & alia id genus omnia metaphorica sunt. Dicuntur enim catuli Leonum, & coruorum pulli Deū inuocare, dam naturali quodam instinctu siue rugiēdo, siue crocitando exprimunt famem suam; cui Deus secundùm ordinem prouidentiæ suæ prospicit, aperiens manum suam, & implens omne animal benedictione. Quod autem Leones sancto blandiebantur Antonio, inter miracula numerandum est, sicut etiam illud, quod perulcum illud, & cornutum animal humana voce pro suo grege orari petiuerit. Nam vt olim Asina Balaam, vt legimus Num. 22. Deo volente loquuta est, & quæ sibi necessaria erant, petiit, quamuis vocem ipsa suam non intelligeret, sic etiam Monstrum illud, quod sanctus Hieronymus perpetuò bestiam vocat, diuino miraculo loqui, & quę sibi, suoque gregi congruebant, petere potuit, quamuis nec sciret, nec intelligeret quid loqueretur, aut postularet.

CAPVT OCTAVVM.

Non solùm generatim, sed etiam in specie pro certis hominibus orari posse.

EXTO loco tractandum proposuimus à quibus, & pro quibus sit aliquid per orationem petendum. Sed quoniam duę primariæ controuersiæ de inuocatione sanctorum, & oratione pro defunctis, quæ hìc tractari potuissent, iam sunt à nobis partim in li. de cultu Sanctorum, partim in 1. lib. de Purgatorio explicatæ, solùm hoc loco dubitationem illam expediemus, liceāt ne in specie pro aliquo preces fundere. Siquidem Ioan. VViclefus Duos errores de speciali oratione inuexit, Vnum, orationes speciales non magis prodesse, quàm generales; & ideò non rectè facere eos, qui certos reditus legant Ecclesiis, vt singulis diebus, vel hebdomadibus sacra fiant, vel preces fundantur pro ipsorum anima. ALTERVM, non licere specialem orationē pro aliquo fundere, sed omnem orationem debere esse generalem, & pro omnib. simul, non pro singulis seorsim. Priorem errorem dānauit Consiliū Constantiense sess. 8. Posteriorem refert, & refellit Thomas VValdensis tomo 3. de Sacramentalibus tit. 11. cap. 107.

Possumus vtrumq; errorem exemplis Scripturarum breuiter confutare. Legimus enim Patriarchas, Prophetas, Apostolos, & ipsum etiam Christum speciales orationes fudisse; quod nunquam fecissent, si vel illicitæ, vel inutiles essent eiusmodi preces. Igitur in Gen. ca. 25. Isaac orat in specie pro coniuge sua Rebecca. 2. Reg. 12. Dauid orat pro salute filij sui periclitātis. 3. Reg. 17. orat Helias pro filio viduę. 2. Machab. 3. Onias orauit pro salute Heliodori. Lucæ. 22. Christus orauit pro Petro, vt non deficeret fides eius. Act 12. Oratio fiebat sine intermissione à tota Ecclesia Hierosolymitana pro S. Petro in carcere constituto. Ephes. 6. Apostolus Paulus petit ab Ephesiis, vt orent generatim pro omnibus sanctis, & speciatim pro se. Quod etiam in commentario eius loci obseruauit Hieronymus. & 1. Timot 2. idem Apostolus orari præcipit pro omnibus generatim, & in specie pro Rege, & aliis in sublimitate cōstitutis. Neque vlla ratio est, cur non liceat orare pro singulis, si licet orare pro omnibus, & cur non sit vtilior oratio vt satisfactoria illi, pro quo fit, si pro ipso tantùm fiat, quam si fiat generatim pro omnibus. Quomodo etiam eleemosyna vtilior est illi cui datur, si tota detur ei soli, quàm si diuidatur in multos.

Sed obiicit VViclefus argumenta TRIA. PRIMVM est, Oratio non est efficax, quæ ex perfecta charitate non prodit: perfecta verò charitas omnes amplectitur, nullum excludit.

RESPONDEO, Perfecta charitas est ordinata, & ideò quamuis omnes amplectatur, tamen alios aliis anteponit, & nunc illos, nunc istos, nunc omnes, nunc singulos iuuat, pro vt magis, vel minùs omnes, aut singulos istos, aut illos ope sua indigere cognoscit.

SECVNDA obiectio, Oratio Dominica tota generalis est, nō enim dicimus Pater mi, sed Pater noster, nec Panem meū quotidianū da mihi hodie, sed Panem nostrū quotidianum da nobis hodie. Nec Dimitte mihi debita mea; sed, Dimitte nobis debita nostra: nec denique, Ne me inducas in tētationem, sed libera me à malo, sed, Ne nos inducas in tentationē, sed libera nos à malo. At non licet aliud petere, nisi quod in oratione Dominica continetur, vt S. Augustinus docet in epist. 121. cap.

RESPON

RESPONDEO, Non petimus aliud, siue generatim, siue speciatim oremus, nisi quod in oratione Dominica continetur, sed petimus alio modo; vel potiùs non tam petimus alio modo, quàm ipsam generalem orationem applicamus particularibus personis, quod fieri posse, Dominus ipse exemplo suo nos docuit. Alioqui enim non rectè idem Dominus in horto pro se solo orans dixisset: *Pater mi si possibile est transeat à me calix iste.* Cur autem Christus orationem Dominicam verbis generalibus pronunciari voluerit, causa est, quam suprà diximus, quia generalis oratio est absolutè melior, & vtilior, quamuis illi pro quo fit, vtilior sit specialis, si non tam impetratio, quàm satisfactio ex oratione quæratur.

TERTIA obiectio, Communitas præferenda est singularitati; at non possumus eodem tempore pro communitate orare, & pro singulis in specie.

RESPONDEO, Negari non potest, quin sit communitas præferenda singularitati, si eodem tempore occurrat necessitas vtriusque: sed si fortè, quod sæpe accidit, vnus aliquis versetur in magno discrimine, quod discrimen cum ipsa eorum communitate non sit commune, nihil prohibet, quo minùs tunc omissa communitate, pro qua nunquam desunt qui orent, ad speciale illud malum speciali oratione auertendum possimus, vel debeamus intentionem nostram animumque conuertere. Quod Patriarchas & Prophetas, Christum quoque, & Apostolos fecisse paulò antè docuimus.

CAPVT NONVM.

De conditionibus quæ requiruntur ad impetrandum.

RESTAT pars VLTIMA de modo orandi, siue potiùs de conditionibus, quæ requiruntur, vt quis certò impetret quod orando postulat.

SCIENDVM est autē PRIMO, multum interesse inter meritum, & impetrationem. Nam meritum requirit charitatem & charitatē vitæ, vt Theologi loquuntur, & ideò neque peccatores, neque beati mereri possunt, sed solum iusti, qui peregrinantur in terris; impetratio autem non requirit charitatem viæ, immò ne charitatem quidem, si absolutè de impetratione sit sermo. Proinde non solùm viatores, sed etiam comprehensores, nec solùm iusti, sed etiam peccatores aliquando impetrant.

Præterea vt oratio sit meritoria, non requiritur, nisi vt ab homine iusto, & ex charitate fiat vt supra diximus de aliis operibus meritoriis: at verò vt sit infallibiliter impetratoria, multæ conditiones requiruntur; quamuis enim Scriptura videatur absolutè promittere orantibus impetrationem earum rerum, quas postulant. Vt Matth. 7. & Luc. 11. *Petite, & accipietis: & omnis, qui petit, accipit*; tamen promissiones istæ conditionem includunt, quam expressit Iacobus cap. 4. cum ait: *Petitis, & non accipitis, eo quod malè petatis.* Itaque interdum oratio est meritoria, & non impetratoria, vt cùm homo iustus ex charitate petit id, quod sibi fortè non expedit, vt cùm Paulus ter rogauit vt auferretur à se stimulus carnis. Interdum est impetratoria, sed nō meritoria, vt cùm beati pro nobis, vel cùm peccatores pro se ipsis orant, vt cum Publicanus dixit, Deus propitius esto mihi peccatori. Interdum est meritoria, & impetratoria, vt cùm iusti in terris cum omnibus requisitis conditionibus orant.

SCIENDVM SECVNDO conditiones ad infallibiliter impetrandum à S. Thoma in 2. 2. qu. 83. artic. 15. numerari QVATVOR videlicet vt qui orat piè, perseueranter pro se, & necessaria ad salutem postulet: sed ipse idem tum eo loco, tum in 4. sentent. dist. 15. quæst. 4. art. 1. vlt. indicat ad piè petendum requiri QVINQVE conditiones, fidem, spem, charitatem, humilitatem & deuotionem. Itaque omnes conditiones simul octo erunt, nō quatuor. De singulis ordine, ac breuiter disseremus.

PRIMA cōditio est fides. de hac enim scribit Apostolus ad Rom. 10. *Quemodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Et S. Iacobus cap. 1. *Postulet autem in fide, nihil hæsitans.* Et ipse Dominus Marci 11. *Quæcunque orantes petitis credite, quia accipietis, & euenient vobis.* De hac fide multa diximus in 1. libro de Iustificatione, vbi refutauimus Lutheranorum errorem, qui fiduciam cùm fide cōfundunt, nec voluit veram esse fidem, nisi eam, qua quis certò credit, se gratum esse Deo.

Illud est proprium huius loci, vt intelligamus non requiri in oratione fidem, qua certò credamus Deum absolutè facturum quod petimus, sed solùm vt certò credamus, Deum esse potentissimum, sapientissimum, benignissimum, fidelissimum, & proinde posse, scire, & etiam velle facere quod petimus, si non sit ex nostra parte defectus. Nam hanc fidem quæsiuit Dominus Matthæi 9. ab illis, quibus dixit: *Creditis quia hoc possim facere vobis?* eadem fide orauit Dauid lib. 2. Reg. cap. 12. pro filio. Nam non certò credidisse se impetraturum, testantur illa eius verba: *Quis scit si forte donet eum mihi Dominus?* Simili fide orasse Apostolum 2. Corinth. 12. vt stimulus carnis auferretur à se; in dubium reuocari non potest. Nam orauit ex fide; neque enim aliud sentire fas est de tanto Apostolo, & tamen non credidit, se certò impetraturum, alioqui falsa fuisset eius fides. Non enim quod petiit, impetrauit. Neque alia fide orat Ecclesia vniuersa pro infidelibus, & peccatoribus, vt ad fidem, vel ad iustitiam adducātur: neque enim certò credit Ecclesia, omnes infideles, & peccatores esse conuertendos. De qua re vide S. Prosperum lib. 1. de vocatione gentium, cap. 4. Denique nulla est absoluta promissio Dei, qua certi efficiamur nos absolutè quicquid petierimus impetraturos, cùm semper intelligatur adiuncta conditio, si bene petierimus; igitur falsa esset fides, aut certè non esset diuina, & Catholica fides, si certò crederemus Deū absolutè quicquid petierimus esse facturū.

ALTERA conditio, eaque valdè necessaria, est spes, & fiducia impetrandi. Quamuis enim non oporteat per fidem, quæ est actus intellectus certò statuere nos impetraturos quod petimus, oportet tamen per spem, & fiduciam, quæ est actus voluntatis firmiter adhærere benignitati diuinæ, & certò confidere. Deum facturum esse quod petimus.

Hanc conditionem quæsiuit Dominus in Paralytico, cui dixit Matth 9. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Eandem requirit Apostolus ad Hebr. 4. cum ait: *Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius.* Item 1. Timoth. 3. *Quæ vere vidua est, sperat in Deo, & instet obsecrationibus, & orationibus nocte, & die.* Eidem promittit Deus impetrationem in Psal. 90. *Quoniam in me speranit, liberabo eum, inuocabit me, & ego exaudiam eum.*

Quia verò fiducia nascitur ex fide, ideo Scriptura cum requirit fidem in orante adiungit aliquid pertinens ad fiduciam, vt intelligamus requiri ad impetrandū non quamlibet fidem, sed perfectam, quæ gignat fiduciam, vt simul credamus Deum posse facere quod petimus, & simul certò confidamus, eum id quod petimus pro sua benignitate facturum.

Hinc legimus Marci 11. *Quicunque dixerit monti huic, tollere, & mittere in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia quodcunque dixerit, fiat, fiet ei.* Hoc est, quicunque imperauerit monti, vt sese transferat in mare, & non habuerit in corde suo vllam diffidentiam, sed fidem perfectam, quæ maximam etiam gignat fiduciam, impetrabit sine dubitatione quod petit. De qua perfecta fide gignente fiduciam intelligitur illud Apostoli 1. Co-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tinth. 13. *Si habuero tantam fidem, ita vt montes transferam, &c.* Atque hinc scribit Ioannes Cassianus collat. 9. cap. 31. Signum certum impetrationis esse, cùm quis in oratione magnam fiduciam sensit. Deus enim quando non exaudit, non infundit fiduciam; cùm verò exaudire decernit, fiduciam, & lætitiam ingentem in corde orantis infundit. Denique hæc ipsa fides magna, gigneus, parienſque fiduciam est illa fides, quæ operatur miracula, & quæ non omnibus datur, dicente Apostolo 1. Cor. 12. *Alteri fides in eodem spiritu.*

TERTIA conditio est CHARITAS, siue IVSTITIA, Charitas enim (vt ostendimus in 2. lib. de Iustificatione) ipsa est Christianorum vera, perfectaque iustitia. Requiri autem iustitiam in orante, vt certò impetret. Scriptura non vno in loco testatur. Psal. 33. *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum.* Et contrà Psal. 65. *Si aspexi iniquitatem in corde meo, non exaudiet Dominus.* Isaiæ 58. *Frange esurienti panem tuum, &c.* Et mox: *Tunc* B *inuocabis, & Dominus exaudiet, clamabis, & dicet, ecce adsum.* Et contrà, Isaiæ 1. *Cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Item Ioan. 15. *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Et 1. Ioan. 3. *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus accipiemus ab eo quoniam mandata eius custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo facimus.* Denique Ioan. 9. *Scimus quia peccatores non exaudit; sed si quis cultor eius est, hunc exaudit.*

Sunt tamen aliqua loca quibus probari videtur, etiam peccatores à Deo exaudiri, Matth. 7. *Omnis qui petit accipit*, id est, inquit auctor operis imperfecti hom. 18. *siue iustus siue peccator sit.* Item ibidem peccatores quidam, ac reprobi dicunt: *Nónne in nomine tuo dæmonia eiecimus.* Et Lucæ 11. *Dico vobis, & si non dabit illi eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit ei quot quot habet necessarios.* Ex quo loco S. Basilius colligit in Constitutionibus Monasticis, cap. 1. peccatores quoque im- C petrare, quod petunt, quando perseueranter petunt. Denique Luc 18. Publicanus peccator erat, & tamen indulgentiam meruit dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Quo exemplo adductus S. AVGVSTINVS tract. 44 in Ioan. dicit cæcum illum non fuisse adhuc illuminatum, cùm dixit: *Scimus quia peccatores Deus non exaudit. Si peccatores Deus non exaudiret, frustra publicanus oculos in terram demittens, & pectus suum percutiens diceret, Deus propitius esto mihi peccatori.*

RESPONDEO, TRIBVS modis peccatores orare posse, VNO modo vt impetrent à Deo miracula in confirmationem fidei. Et hoc modo fieri potest, vt peccatores impetrent, si veram fidem confirmare velint, quia tunc non est propriè ipsorum vita vel meritum, vel etiam oratio, quæ miraculum impetrat, sed fides vera, quæ confirmanda est, vel inuocatio nominis Dei, aut signum crucis, vel aliquid eiusmodi, quo ille vtitur ad miraculum faciendum. Sic enim loquitur S. Petrus, Act. 3. *Fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam.* Et S. D HILARIVS can. 6. in Matth. loquens de improbis, qui miracula faciunt: *Quasi vero* inquit, *eorum aliquid proprium sit, & non omnia virtus Dei inuocata perficiat.* Et paulò post: *Et dæmonia Christi numen exagitet.*

Si quis autem peccator miracula impetrare nitatur, vt sanctitatem suam ipse demonstret, vel solam suæ orationis virtutem, non autem nomen Dei, aut crucis signum, aut aliam rem sacram adhibeat, nihil vnquam impetrare poterit, quia nec Deus testis falsitatis esse, nec peccatoris oratio virtutem miracula faciendi habere potest. Quare verissimum est, quod cæcus ille dixit: *Scimus, quod peccatores Deus non exaudit.* Loquebatur enim de iis, qui propriam sanctitatem confirmare volunt, & qui oratione sua, non aliquo signo sacro miracula faciunt. Et quoniam Christus miracula faciebat, vt se Messiam, ac Deum, ac per hoc sanctissimum esse probaret, & non vtebatur nomine, aut signo aliquo sacro, sed solo imperio, & voluntate sua, inde cæcus firmissimum argumentum duxit, vt ostenderet Christum non esse peccatorem.

ALTERO modo peccatores orant, vt impetrent sibi donum aliquod spirituale, vel corporale, & tunc vel in peccato voluntariè permanent, vel incipiunt pœnitentiam agere. Si voluntariè permanent in peccato, ordinariè non exauduntur, vt testimonia Prophetarum, & Apostolorum allata demonstrant. Iustum enim est, vt qui Deum præcipientem, & docentem audire contemnunt, eos orantes, & supplicantes Deus quoque despiciat. Interdum tamen etiam isti exauduntur, vel ad iudicium, vel ad misericordiam. Quosdam enim Deus audit, vt puniat; quomodo audiuit Israëlitas petentes carnes in deserto Numer. 11. *Metuendum est*, inquit S. AVGVSTINVS tract. 73. in Ioan. *ne id, quod posset non dare propitius, det iratus.* Quædam tamen extraordinaria quadam benignitate concedit etiam peccatoribus, vt eos beneficiis ad amorem suum alliciat. Et hoc fortasse sibi voluit auctor operis imperfecti.

TERTIO modo peccatores orant, cum pœnitentiam agere incipiunt, quo modo Ninitiuæ, & Publicanus orabant; & hi sæpe impetrant, non ex iustitia quasi digni sint, sed ex misericordia Dei, & non omnino infallibiliter. Nam ideo Scripturæ addere solent particulam, *fortè*, vel, *quis scit*, vt Ioelis 2. Ionæ 3. Daniel. 4. & Actor. 8. quando de orationibus peccatorum loquuntur. Ex his explicari possunt omnia loca paulò antè adducta.

QVARTA conditio est humilitas, qua is, qui orat non in sua iustitia, sed in Dei benignitate confidat: *Sed & vitam æternam*, inquit S. BERNARDVS serm. 5. de Quadragesima, *fortassis aliqui non in humilitate quærunt. Sed tanquam in fiducia suorum meritorum. Nec hoc dico, quin accepta gratia fiduciam donet orandi, sed non oportet, vt in ea constituat quisquam fiduciam impetrandi.* Et infrà: *Sit*, inquit, *oratio in omni humilitate præsumens de sola, vt dignè est, miseratione diuina.* Igitur vt huius conditionis necessitatem Dominus commendaret, parabolam illam Publicani & Pharisæi narrauit, Lucæ 18. direxit enim eam parabolam ad quosdam, qui in se confidebant tanquam iusti, & aspernabantur cæteros, vt ipse Euangelista testatur.

Hinc etiam Dominus per Isaiam cap. 66. *Ad quem*, inquit, *aspiciam nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Et sanctus Daniel. cap. 9. *Neque enim*, inquit, *in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.* Et Eccles. cap. 35. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & non discedet donec altissimus aspiciat.* Et Iacobus cap. 4. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Et sanctus Abraham Gen. 18. *Loquar*, inquit, *ad Dominum meum, cum sim puluis, & cinis.*

Denique ratio idem probat. Neque enim dignus est accipere quod petit, qui non agnoscit se re illa, quam postulat indigere. Itaque miseri, & mendici in oculis nostris esse debemus, si misericordiam, & gratiam impetrare desideramus.

QVINTA conditio DEVOTIO est: vocatur autem hoc loco deuotio, studium attentè, solicitè, diligenter, atque ardenter orandi. Reprehendit enim Dominus populum, qui solis labiis orat. Isaiæ 29. & Matth. 15. & maledictus pronunciatur, qui facit opus Dei negligenter, Hieremiæ 48.

Oritur autem hæc conditio, vt etiam superiores ex fide. Qui enim attentè, & firmissima fide cogitat quanta sit maiestas Dei, quanta vtilitas nostra, quàm magna res

res, quam petimus, vix fieri potest, vt non humiliter A reuerenter, & ardenter ad orandum accedat. Adscribam hîc testimonium S. HIERONYMI, qui in Dialogo aduersus Luciferianos transfigurans in se personas hominum indeuotorum: *Ad orationem*, inquit, *assisto: non orarem si non crederem: sed si verè crederem, illud cor, quo Deus videtur, mundarem, manibus tunderem pectus, genas lachrymis rigarem, corpore inhorrescerem, ore pallerem, iacerem ad Domini mei pedes, eosque fletu perfunderem, crine tergerem, hærerem certo trunco crucis, nec prius amitterem, quàm misericordiam impetrarem. Nunc verò creberrimè in oratione mea, aut per porticus deambulo, aut de fœnore computo, aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubescenda sunt, gero. Vbi est fides? sicciné putamus orasse? onam? sic tres pueros? sic Danielem inter Leones? sic certè latronem in cruce?*

Vide de eadem conditione S. BERNARDVM in serm. de quatuor modis orandi. Vbi inter alia sic loquitur: *Omnino oportet nos orationis tempore curiam intrare cœlestem, illam vtique curiam in qua Rex Regum stellato sedet solio, circumdante innumerabili, & ineffabili beatorũ spirituum exercitu. Quanta ergo cum reuerentia, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet à palude sua procedens, & repens ranuncula vilis? quàm tremebundus, quàm supplex, quàm denique humilis & solicitus, & toto intentus animo Maiestati gloriæ, in præsentia Angelorum, in concilio iustorum, & congregatione assistere poterit miser homuncio? In cunctis igitur actionibus nostris multa est opus animi vigilantia sed præcipuè in oratione.* B

SEXTA conditio, perseuerantia est. Hanc conditionem Dominus ipse & verbis, & parabolis persuadere studuit. Nam Luc 11. parabolam narrauit illius, qui ob improbitatem assiduè petendi impetrauit quod voluit. Et Lucæ 18. disertis verbis ait: *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* Continuò adiecit parabolã viduæ, quæ sola perseuerantia precum ab Iudice quodam inhumano sententiam, iudiciumque extorsit. Et Lucæ 21. *Vigilate*, inquit, *omni tempore orantes.* Quam doctrinam legi- C mus etiam apud Eccles. cap. 8. *Non impediaris orare semper.* Et apud Apostolum 1. Thess. vlt. *Sine intermissione orate.*

Sed explicemus breuiter quid propriè sibi velit Scriptura, cùm dicit semper esse orandum. QVATVOR enim huius sententiæ expositiones inuenio. PRIMO non desunt, qui dicunt illum semper orare, qui semper bene operatur. Sed quamuis nõ ineptè dici possint opera bona, genus quoddam orationis, quoniam Deum ad misericordiam prouocant, quemadmodum & mala opera clamant ad Deum, & iram, ac furorem eius accendũt, tamen non hoc propriè Dominum voluisse cùm ait, oportet semper orare & nunquam deficere; perspicuum est ex adiunctis parabolis de vidua, & iudice; nec non de Publicano & Pharisæo; vt etiam supra contra VVicleſum ostendimus.

SECVNDO alij sunt, qui semper orare nihil aliud esse volunt, nisi mentem cum Deo per amorem, & desiderium assiduè coniungere. Ita docent S. Augustinus in D epistola 121. ad Probam, cap. 9. & S. Basilius oratione in Iulittam. Quo loco demonstrat idem auctor non esse impossibile hoc præceptum, oportet semper orare, quoniam impossibile non est, rem vehementer dilectam semper desiderare. Nam & amatores huius seculi siue comedant, siue bibant, rem amatam cùm desiderio cogitant, & etiam inter dormiendum cùm eadem somniãdo versantur. Hæc doctrina verissima, atque vtilissima est, sed non videtur tamen propriè explicare quid Christus ad literam docere voluerit. Parabolæ enim ab ipso adductæ indicant eo loco de oratione propriè dicta tractari, quæ non est simplex desiderium, sed expressio desiderij per verba, certa quadã forma, & ratione cõcepta.

TERTIO, idem S. Augustinus in lib. de hæresibus, cap. 57. & Beda in comment. ad cap. 18. Lucæ, necnon Anselmus, Haymo, & alij in comment. ad cap. 5. prioris ad Thessal. docent semper orare, iuxta Christi, & Apostoli præceptum, illos omnes qui statas, & certas orandi horas nunquam prætermittunt. Quo sensu dictum est in 2. libro Reg cap. 9. *Tu comedes panem in mensa mea semper.* Neque enim illud, *semper*, significat totum diei, & noctis tempus, sed illas omnes horas, quibus fit cœna, vel prandium.

Hæc quoque satis apta, & vtilis expositio est. Sed videtur tamen simplicissima, & verissima explicatio illa esse, quæ etiam QVARTA numerari potest, quam sequuntur Chrysostomus, & Theophylactus in illa verba Apostoli, *sine intermissione orate.* Docet hæc vltima sententia, Dominum & Apostolum nihil aliud commendare voluisse, nisi perseuerantiam, & assiduitatem orandi, quantam maximam habere possumus. Id enim propriè declarant parabolæ de vidua instante apud iudicem, & B de amico petente tres panes; quorum exemplo non solùm certis horis, sed omni oblata occasione tum noctu, tum interdiu orationi vacare debemus.

Similes sunt in diuinis literis permultæ aliæ sententiæ, quæ per vocem *semper*, nihil aliud nisi assiduitatem significant, vt Psal. 1. *Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die, ac nocte.* Psal. 24. *Oculi mei semper ad Dominum.* Psal. 33. *Semper laus eius in ore meo.* Luc. 2. *Non discedebat de templo, ieiunis, & orationibus seruiens, die ac nocte.* Luc. vlt. *Erant semper in templo laudantes, & benedicentes Dominum.*

Sed huic doctrinæ contraria videtur sententia illa Domini, Matth. 6. *Orantes nolite multum loqui sicut Ethnici faciunt, putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis, scit enim Pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum.* RESPONDET S. AVGVSTINVS in epist. 121. ca. 10. non prohiberi à Domino longam orationem, sed inanem verborum multiplicationem: *Absit*, inquit, *ab oratione multa loquutio, sed non desit multa precatio, si feruens perseuerat intentio.* Nam & Dominus qui prohibuit multũ loqui, pernoctabat in oratione Luc. 6. & iussit nos semper orare, Luc. 18. & factus in agonia prolixiùs orabat, Luc 22.

Porrò causſam, cur ita sit perseueranter orandum, esse docet. S. AVGVSTINVS serm. 5. de verbis Domini, quia sæpe cùm aliquid petimus, nondum sumus idonei, vt illud accipiamus, sed perseuerantes petendo extendimus desiderium & ad rem petitam accipiendam animum dilatamus, & dilatando præparamus. Vide de perseuerantia in oratione S. Basilium in constit. monasticis, cap. 1. Chrysostomum hom. 30. in Gen. S. Augustinum tract. 73. & 102. in Ioan. & S. Bernardũ serm. 9 in Cant.

SEPTIMA conditio est, vt pro se quisque petat, quam conditionem colligit S. Augustinus loco citato ex verbis illis Domini Ioan. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Exaudiuntur*, inquit, *omnes sancti pro se ipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur, vel amici, vel inimicus tuus, vel quibuslibet aliis, quia non vtcunque dictum est dabit, sed dabit vobis.*

Sed hæc S. Augustini doctrina vera quidem est, at non videtur satis efficaciter probari ex illis solis vocibus, *dabit vobis.* Posset enim responderi, id omne dari nobis quod in gratiam nostram aliis datur. Sic enim Act. 27. Angelus Domini dixit B. Paulo: *Donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum.* Quocirca Ioan. 14 idem Dominus absolutè promisit: *Quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam.* RATIO igitur, cur homines iusti semper exaudiantur pro se, & non semper exaudiantur pro aliis, illa est quoniam non semper ij, pro quibus oramus idonei sunt, vt accipiãt. Quare Dominus Matth. 10. cum Apostolos monuisset, vt in quamcunque domũ intrarent,

Universidad de Deusto
Biblioteca

irrarent, primum dicerent: *Pax huic domui*; quoniam A nis. Et quamuis officium orandi temporale sit, nec diu-
sciebat non esse omnes filios pacis, adiunxit continuò, *& si fuerit filius pacis, requiescet super eum pax vestra, sin autem, ad vos reuertetur.*

POSTREMA conditio est, vt petantur necessaria, vel vtilia ad salutem. Colligit hanc conditionem idem Augustinus tractat. 73. 81. & 102. in Ioan. ex verbis illis, *in nomine meo*, quæ habentur Ioan. 14. 15. 16. Nam cum Christus Saluator sit, non petit verè in nomine Saluatoris, qui petit ea, quæ non sunt vtilia ad salutem.

Efficacius fortasse id probari posset ex verbis illis 1. Ioan. 5. *Hæc est fiducia quam habemus ad Deum, quia quodcunque petierimus, secundum voluntatem eius, audit nos. Hæc est autem voluntas eius, sanctificatio nostra*, 1. Thess. 4. Itaque cùm id petimus, quod non est secundùm voluntatem eius, id est, quod nobis verè vtile non est, non exaudit dando quod petimus, sed potiùs exaudit negando quod petimus. Tùc enim magis facit quod cupimus, cùm ne- B gat ea, quæ nobis inutilia esse nescimus, quam cùm ea concedit. Siquidem nos etiam si sciremus, ea quæ petimus vtilia non esse, nunquam peteremus.

Quare S. Ioannes Chrysostomus homil. 30. in Gen. rectè monet agendas esse Deo gratias non minùs cùm negat, quàm cùm tribuit id quòd petimus. Et S. Augustinus tractat. 72. in Ioan. dicit, inter alia, quæ petimus, cùm bene petimus, illud etiam esse debere, vt petamus nobis non dari quod ignorantes non benè petimus. Atque hæc de oratione in genere dicta sint; nunc de oratione, quæ ex præscripto Ecclesiæ, certis canonicisque horis fundi debet breuiter disseremus.

CAPVT DECIMVM.

De nomine, & definitione officij diuini, siue Horarum canonicarum.

DE officio diuino, siue Horis canonicis tũ C ad Hæreticos confutandos, tum ad Clericos & Monachos instruendos, QVINQVE capita mihi hoc loco tractanda desumpsi. PRIMVM de nomine, & definitione officij diuini. ALTERVM de partitione eiusdem officij. TERTIVM de ipsius officij antiqua, & rationabili institutione. QVARTVM de modo ritè officium persoluendi. QVINTVM de personis, quæ ad hoc officium persoluendum obligantur.

Quòd igitur ad PRIMVM attinet, nomen *officij diuini* extat. in Concilio Aquisgranensi, cap. 131. & in Concilio Lateranensi, cuius extat cap. Dolentes, in epistolis decretalibus, tit. de celebrat. Missarum. Nomen *Horarium canonicarum* extat apud Bedam in comment. ad cap. 18. Luc. & apud omnes auctores, qui de Horis canonicis tractant.

Dicuntur autem hæ preces & laudes, *diuinum officium*, quoniam in iis continetur id, quod facere debemus erga Deum. siquidem orare, & laudare Deum proprium D est officium Christianorum, & præsertim eorum, qui Clerici vel Monachi dicuntur. Hinc enim Dominus per Isaiam cap. 56. ait: *Domus mea, domus orationis vocabitur cunctis gentibus.* Quod non solùm de materiali domo, id est, de templis & oratoriis, sed etiam de mystica domo Dei, quæ sumus nos, intelligendum esse videtur. Hoc enim interest inter Christianos, & alias omnes gentes, quòd cum illæ in industria, & viribus suis confidant, quippe quæ peccatum originis, & naturæ humanæ corruptionem, & infirmitatem ignorant; Christiani de auxilio Dei in rebus omnibus præsumunt. atque ideo in rebus omnibus ad Deum per orationem confugiunt, atque opem, & misericordiam ipsius implorant; vt non potuerit breuius Ecclesia definiri, quàm domus oratio-

turius duraturum, quàm peregrinatio ipsa durabit: tamen officium laudandi sempiternum erit, iuxta illud Psal. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.*

Dicuntur autem eædem laudes & preces, horæ canonicæ, quia certis horis recitari debent iuxta canones, & regulas sanctorum Patrum. Quod enim Brentius ait in Confessione VVirtembergensi cap. de Horis canonicis, dici apud veteres Horas canonicas certa tempora præscripta à sacris canonibus, vt in iis sacræ Scripturæ per totum annum ordine legerentur, non modò falsum, sed etiam ineptũ, & puerile est. Neque enim canones præscribunt, quid sit legendum singulis horis, sed quid sit legendum singulis mensibus. vt perspicuum est ex dist. 15. can. sancta Romana. Proinde tempora illa non Horæ canonicæ, sed menses canonici appellari debuissent. Neque vllus auctor antiquus aut recens inuenitur, qui notionem Horæ canonicæ ita explicet, vt Brentius facit. Itaque inter alia Sectariorum deliramenta, qui sæpe nesciunt quid loquantur, cùm de rebus nostris loquuntur, hoc etiam numerari poterit.

Porro si quis definitionem officij diuini fortè desideret, ita accipiat: *Diuinum officium est certa ratio publicè laudandi, precandique Deum, mente simul, & voce, auctoritate Præsulum Ecclesiæ institutа.*

Dicitur PRIMO *certa ratio*, quoniam non quælibet Dei laudatio, vel ad Deum oratio est officium diuinum, sed certa quædam forma, & ordo psalmorũ, hymnorum & precum, quem omnes sequi debent, qui diuinum officium ex obligatione persoluunt.

Additur SECVNDO *publicè*, quòniam officium diuinum persoluitur publico nomine totius Ecclesiæ, pro bono communi, & publico, per publicos, & solennes ministros. Atque ea caussa est, cur etiamsi dicatur interdum ab vno homine, & in priuata domo, tamen non omittuntur voces illæ, *Dominus vobiscum, Oremus, Benedicamus Domino*, & similes. Dicuntur enim tori Ecclesiæ, & nomine eiusdem Ecclesiæ ipse sibi respondet: *Et cum spiritu tuo, Deo gratias, &c.*

Additur TERTIO *laudandi precandique*, quoniam hæc duo continet officium, de quo agimus, laudes pro beneficiis acceptis, preces pro accipiendis. In quo differt officium Ecclesiæ militãtis ab officio Ecclesiæ triũphantis; Ecclesiæ enim triumphantis officium, quando post vltimi iudicij diem in omnibus suis membris triumphabit, solas laudes continebit.

Additur QVARTO *Deum*, quoniam totum hoc officium propriè soli Deo præstatur. Est enim sacrificium labiorum, de quo legimus in Psal. 49. *Immola Deo sacrificium laudis.* Neque mouere nos debet, quod aliud appelletur officium de sanctis, aliud de mortuis, aliud de tempore, &c. Dicitur enim de sanctis, quando offertur Deo in memoriam sanctorum, & cùm in sanctis suis Deus ipse laudatur; dicitur verò de mortuis, quando pro mortuorum refrigerio, & requie Deum precamur. Denique siue à sanctis, siue à mortuis, siue à quacunque aliare officiũ nominetur, semper Psalmi, Hymni, Collectæ, & cæteræ diuini officij partes dirigũtur ad Deum.

Additur QVINTO, *mente simul & voce*, quoniam huius officij forma cùm ex præscripto, & instituto hominum sit, actum externum necessario postulat. Quare muneri suo non satisfaceret, qui sola mente orans, & laudans, non etiam voce, verba omnia distinctè, integrèque proferret.

Additur POSTREMO, *auctoritate Præsulum Ecclesiæ instituta.* Nemo enim potest certam formam orandi præscribere, nisi qui præest. Itaque in Concilio MILEVITANO can. 12. sic legimus: *Placuit, vt preces, vel orationes, seu Missæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, ab omnibus celebren-*

celebrentur. Nec aliæ omnino dicantur in Ecclesia, nisi quæ à A *prudentioribus tractatæ, vel comprobatæ in Synodo fuerint.* Et in Concilio Toletano IV. cap. 2. statuitur, vt in tota prouincia idem officium celebretur. Et Gregorius Papa VII. in Concilio generali numerum psalmorum, & lectionum officij diuini præscripsit, vt habetur can. In die consecrationis dist. 5.

CAPVT XI.

De partibus officij diuini, & de canonico tempore singularum partium.

PARTES officij diuini aliæ sunt MAIORES, aliæ MINORES. MAIORES sunt Nocturni, Laudes, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, Completorium; MINORES sunt Psalmi, Hymni, Lectiones, Cã- B tica, Antiphonæ, Responsoria, Litania, Versus, Capitula, Collectæ. Ex his enim totum officiũ constat. Et quoniam partes maiores à tempore nomen accipiunt, vt nominum ratio cognoscatur, necesse erit de tempore singularum Horarum breuiter disputare. Scripsit nuper de hac re volumen egregium Marcellus Francolinus, quod mihi totum euoluere per varias occupationes nunquam licuit. Quæ enim in lucem nunc edo, multò antè scripsi, & auditoribus in scholis tradidi, quàm doctissimi illius viri laboribus frui potuerim.

SCIENDVM igitur est, nomina canonicarum Horarum propriè ad eas horas accõmodatas esse, quæ apud veteres erant in vsu, quæque inæquales, vel planetariæ dici solent. Initium earum horarum ducitur ab ortu Solis, ita vt hora prima dicatur, quæ est prima ab ortu Solis; secunda, quæ est secunda ab eodem Solis exortu, & sic deinceps. Dicuntur autem inæquales, quoniam cùm per totum annum in duodecim horas diem artificialem veteres distribuerent, & in totidem noctem; ne- C cessariò fiebat, vt in æstate longiores essent horæ diurnæ nocturnis, & contrà in hieme nocturnæ diurnis. Eiusmodi horas Christi tempore Iudæis in vsu fuisse, testatur Euangelium. Nam Ioan. 11. legimus: *Nonne duodecim sunt horæ diei?* Et Matthæi 20. mentio sit horæ primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, vndecimæ. Item Ioan. 1. fit mentio horæ decimæ; & Ioan. 4. horæ septimæ.

SCIENDVM est secundo, duodecim horas noctis diuidi solitas esse in QVATVOR vigilias, quarum PRIMA incipiebat ab occasu Solis, & terminabatur in horam tertiam noctis. SECVNDA incipiebat ab hora tertia, & terminabatur in sextam; TERTIA incipiebat à sexta, & terminabatur in nonam; QVARTA, quæ propriè dicebatur vigilia matutina, incipiebat à nona, & terminabatur in duodecimam.

Meminit harum vigiliarum Christus Dominus, cùm Marci 13. ait: *Vigilate ergo, nescitis enim quando Dominus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane.* Quod autem hoc loco dixit: *Media nocte, an galli cantu*; Luc. 12. D dixit: *Si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit.* Et quod dixit, *mane*, dixit idem Marcus c. 6. *Quartam vigiliam noctis.* Habemus etiam in veteri Testamento initium vigiliarum Thre. 2. Et vigilias noctis mediæ. Iudic 7. Et vigiliam matutinam. Exod. 14.

Denique harum quatuor vigiliarum meminit S. Hieronymus in epistola ad Cyprianum, & in cap. 14. Matth. & alij auctores passim. Sicut autem ex duodecim horis nocturnis tertia quæque habebatur potissima videlicet tertia, sexta, nona, duodecima. In quibus (vt diximus) quatuor nocturnæ vigiliæ terminabantur. Sic etiam ex diurnis tertia, sexta, nona, duodecima, siue vespertina, plerumque nominari, & ad celebriora negocia deputari solebant, quòd insigniores essent, & diem in quatuor partes æquales diuiderent, de qua re vide Tertullianum in libro de ieiunio.

His notatis non erit difficile tempus canonicum singularum officij diuini partium explicare. Ac PRIMVM quod attinet ad NOCTVRNOS, varia fuit Ecclesiarum consuetudo. ALICVBI apud veteres tres nocturni tribus distinctis horis, id est, tribus vigiliis nocturnis celebrabantur. Sic enim scribit S. HIERONYMVS in epistola ad Eustochium de custodia virginitatis. *noctibus bis terque surgendum.* Et apertius vsum hunc fuisse apud nonnullos, ex veteribus tradunt. Rupertus lib. 1. de officiis diuinis, S. Thomas lect. 6. in c. 4. prioris ad Cor. & Thomas VValdensis tom. 3. de Sacramentalibus, ca. 24.

ALIBI tamen nocturni omnes simul, sed præcipuè media nocte celebrari solebant, iuxta illud: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Psal. 118. Hoc enim tempus disertis verbis præscribunt sancti Patres, Athanasius in B lib. de virginitate extremo; Basilius in quæstionibus fusius explicatis qu. 37. Hieronymus in epist. ad Eustochium de obitu Paulæ, & alij.

ALIBI denique nocturni cùm laudibus matutinis iunguntur, & in quarta vigilia, quæ & matutina dicitur, celebrantur. Atque hunc esse antiquum vsum Ecclesiæ Romanæ, testantur Amalarius, qui præfatione libri de ordine antiphonarij ponit responsiones Romanorum magistrorum ad interrogationes suas. Et inter alia dicit, se interrogasse, an inter nocturnum officium, & matutinum, id est, laudes, aliquod interstitium esse deberet: & responsum esse, nullum, sed continuo inchoandas laudes per versiculum. *Deus in adiutorium, &c.*

Obseruat autem Thomas VValdensis loco notato diuina prouidentia factum esse, vt quamuis nulla iam sit Ecclesia, quæ singulis nocturnis vigiliis Deum laudet, tamen aliqua monasteria nocturnum officium celebret in prima vigilia, aliqua in secunda, aliqua in tertia, & totus ferè clerus in quarta; atque ita si non ab iisdem, certè à diuersis hominibus laudes diuinæ singulis nocturnis vigiliis celebrentur. C

Iam verò LAVDES, matutinæ, cùm quibus iuxta Breuiarij Romani formam nocturni iunguntur, sine vlla dubitatione in aurora celebrari debent, vt tempus canonicum laudum sit ab initio crepusculi matutini vsque ad ortum Solis. Id quòd perspicuum est, TVM ex nomine; id enim est propriè officium, quod Matutinum à veteribus omnibus nominatur: TVM ex hymnis, qui in laudibus decantantur; in plurimis enim eorum fit mentio auroræ: TVM denique ex communi omnium sententia; nulli sunt enim auctores, qui cõtra sentiant.

Atque hæc est caussa cur Ecclesia in nocte Natalis Domini seiungat nocturnos à Laudibus, & Missam celebret ante Laudes. Quoniam enim veteres instituto Missa illa circa mediam noctem celebrari debet, nimium præuerteretur tempus Laudum, si ante mediam noctem Laudes canerentur. Ex quo intelligimus minus absurdum esse nocturnos à Laudibus separare, quàm totum illud officium ante mediam noctem persoluere. D

Neque moueri debemus ex eo quòd in triduo ante Pascha Ecclesia ipsa publicè nocturnum Officium, & Laudes ad vesperam cánere solet. Nam ratione mysterij, deditaque opera ista fiunt; ideo enim tribus illis diebus officium Matutinum Sole occidente celebratur, & in tenebras desinit: vnde & nomen accepit; TVM vt repræsentetur occasus Solis iustitiæ, TVM vt significentur tenebræ gentis Iudaicæ, quę Dominum abnegauerat, & crucifixerat. Quod idem extinctio candelarum, & alia signa mœstitiæ, quæ in officio illo exhibentur, satis apertè demonstrant. De quibus mysteriis vide Amalarium lib. 4. de officiis Ecclesiasticis cap. 21. & 22. & Rupertum lib. 5. de officiis diuinis, cap. 24. & seq.

Officium PRIMÆ prima hora diei celebrandum esse,

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse, ac per hoc tempus eius canonicum esse ab ortu Solis vsque ad finem primæ horæ, docet nomẽ ipsum primæ; docet hymnus ille, *Iam lucis orto sydere*; docent collectæ verba illa, *Qui nos ad principium huius diei venire fecisti*; docent auctores plurimi, vt Rabanus lib. 2. de Institut. clericorum, cap. 3. Amalarius in libr. de ordine Antiphonarij cap. 6. & in primis Ioannes Cassianus lib. 3. de Institutis cœnobiorum, cap. 4. vbi etiam monet, officium Primæ, suo primùm tempore institutum fuisse, cùm officia aliarum Horarum antiquissima sint. Et verè nec Cyprianus, nec Athanasius, nec Basilius, nec Hieronymus, neque alij Cassiano antiquiores huius primæ Horæ mentionem faciunt, cùm aliarum Horarum sæpe meminerint. Extat quidem hymnus ad Primam. qui à S. Ambrosio compositus dicitur; sed fortasse S. Ambrosius scripsit hymnum illum pro exortu diei; postea Ecclesia officio Primæ hymnum illum inseruit. Quod autem quidam Doctores canonum exponentes cap. 1. de celebrat. Missarum dicunt, officium Primæ esse officium nocturnum, & celebrandum ante Solis exortum, manifestè falsum est, & rectè confutatur à Francolino in tractatu de tempore Horarum canonicarum, cap. 15. & 16.

Officium Horarum trium, videlicet TERTIÆ, SEXTÆ & NONÆ, illis ipsis horis celebrandum esse, non dubium est. Quoniam autem horæ illæ inæquales, non sunt iam amplius in vsu, propterea tempora illa accipienda sunt, quæ Horis illis in nostra supputatione respondent. Quod nullo negocio fiet, si quis aduertat in quas horas Solis ortus & occasus & meridies incidat. Nam hora SEXTA inæqualis, quæ est hora orationis sexta, semper incidit in meridiem. Hora TERTIA inæqualis semper incidit in illud tempus, quòd est medium inter ortum Solis, & meridiem. Hora NONA inæqualis in illud incidit, quod est medium inter meridiem, & occasum.

Itaque in iis regionibus vbi numerantur horæ à meridiæ. DVODECIMA hora diei semper est hora SEXTA canonica, & ab ea reliquæ duæ facilè colliguntur. In iis autem regionibus, vbi horæ numerantur ab occasu, tempore æquinoctij hora Quinta decima, ipsa est Tertia, Decima octaua, est Sexta, Vicesima prima est Nona. Cùm autem crescentibus diebus, meridies fuerit hora septima decima, tum hora TERTIA canonica, erit hora diei Tertia decima cùm dimidia, hora Sexta canonica erit hora diei Septima decima, hora Nona canonica erit hora diei Vicesima cùm dimidia. Contrà autem cùm dies decrescent, & erit meridies hora decima nona, tunc hora TERTIA canonica erit hora diei Sexta decima cùm dimidia, hora Sexta canonica erit hora diei Decima nona, hora Nona canonica erit hora diei Vicesima prima cùm dimidia.

Si quis autem haberet in tabella descriptos quadrantes dierum artificialium per totum annum, id est, quot horas contineat quarta pars cuiuslibet artificialis diei, is facilè horas canonicas inuestigaret. Nam vbi dies incipiunt à meridie, si quis detraheret ab hora duodecima quadrantem vnum, haberet horam tertiam canonicam, si detraheret duos quadrantes, haberet ortum Solis post meridiem verò primus quadrans esset hora nona canonica, secundus hora vespertina. Vbi autem horæ numerantur ab occasu, si detraheret quadrantẽ vnum à numero viginti quatuor horarum, haberet horam nonam. si detraheret quadrantes duos, haberet horam sextam. si detraheret tres, haberet horam tertiam. si detraheret quatuor, haberet ortum Solis, & initium horæ primæ. Descripsit ejusmodi tabulas Francolinus accuratissimè, sed per arcus semidiurnos. Cæterùm non erit opus fortasse tam accuratè ista cognoscere, cùm satis sit ex ortu, & occasu, qui ad sensum patẽt, crasso modo colligere tempora media, vt iam diximus.

Sed exiſtit dubitatio quædam circa tres has canonicas Horas, Tertiam, Sextam & Nonam, sit né tempus legitimum persoluendi officium harum Horarum, posteaquam ipsæ horæ finitæ sunt, an potiùs posteaquam labi cœperunt, & adhuc labuntur. non enim desunt qui existiment tempus canonicum officij Horæ tertiæ tunc primum incipere, cùm hora tertia diei iam fluxit, & in horologiis, vt completa signatur, quod idem intelligendum esse volunt de Sexta & Nona.

Sed contrà sentiendum existimo. Nam certum est officium Laudum matutinarum non esse celebrandum hora duodecima completa, id est, orto iam Sole, sed hora duodecima labente, ac per hoc in aurora, vt omnes consentiunt. Pari ratione officium Primæ satis constat ex auctoribus supra citatis, non esse celebrandum hora prima exacta, sed labente, id est, paulò post ortũ solis, cur igitur non idem dicemus de officio Tertiæ, Sextæ, & Nonæ, celebrandum esse videlicet horis illis labentibus, non autem exactis, atque completis?

Sequitur officium VESPERTINVM, de quo varias video esse sententias, sed ego mihi omnino persuasi, tempus canonicum vesperarum esse horam duodecimam, atque postremam totius diei, non quidem exactam, sed labentem, vt de aliis horis dixi.

Nam omnes ferè veteres scribunt, vespertinum officium celebrandum esse in fine diei, vt Isidorus, Rabanus, Hugo, Rupertus, & alij, & Amalarius, qui lib. 4. de officiis Eccles. cap. 7. scripserat vespertinum officium ad noctẽ pertinere; in lib. de ordine antiphonarij scribit, consuetudinem habere, vt paulò ante Solis occasum celebretur, & addit, horam duodecimam esse legitimum tempus vesperarum.

Eiusdem horæ duodecimæ mentionem facit S. Athanasius in lib. de Virginitate, vbi post officium Tertiæ, Sextæ & Nonæ, officiũ plenius, & maius in hora Duodecima celebrandum esse dicit. S. etiam Ioannes Chrysostomus homil. 59. ad populũ scribit, Monachos quatuor in partes diem distribuere, dum celebrant diuinas laudes hora Tertia, Sexta, Nona & Vespertina. Vbi per Vespertinam necessariò intelligit duodecimã. Illa enim complet quartam partem diei, & iusta proportione tantũ distat à nona, quantum nona à sexta, & sexta à tertia, & tertia ab initio diei. Sanctus quoque Basilius in regulis fusius explicatis q. 37. dicit, completo die Vesperas celebrandas, & S. Cyprianus serm. 6. scribit, recedente Sole, & cessante die id esse faciendum.

Sed quod maximi momenti esse videtur, illud est, quod Cassianus refert lib. 2. de institutis cœnobiorum, c. 4. & 5. non humana inuentione, sed cœlitus angelico magisterio institutum, vt in Vesperis duodecim Psalmi canerentur. Concilium autem Tur. II. ca. 19. Vespertinam horam, in qua duodecim Psalmi Angelo doctore canuntur, dicit esse horam duodecimam. Itaque ex definitione Concilij ante annos mille celebrati, habemus horam Vespertinam, propriè esse duodecimam, quæ diem artificialem claudit.

His accedit ratio ex proportione, quã habet officiũ vespertinũ cũ matutino, id est, cũ laudibus, has enim vocant omnes veteres matutinũ. Sunt enim hæc duo officia valde similia. Nã habent sæpe antiphonas easdem, eundem hymnũ, idẽ capitulũ, easdẽ cõmemorationes, eundẽ numerũ, & ordinẽ psalmorũ: igitur par est, vt sicut matutinũ celebratur paulò ante ortum Solis, in extrema hora noctis, ita vespertinũ celebretur paulò ante occasum Solis in extrema hora diei. Quod itẽ confirmatur ex illis verbis hymni vespertini: *Tũ Sol recedit igneus, infunde lumen cordibus.* Et deniq; ex eo, quod veteres vespertinũ officiũ accensa lucerna celebrandũ esse dicũt, vt perspicuũ est ex illis verbis S. Hieronymi in epist. ad Letã de institutione filiæ: *Assiſtat accensa lucerna reddere sacrificium*

Neque enim lucerna necessaria est hora decima, vel vndecima inchoante, cum adhuc Sol clarissimè luceat; sed hora duodecima Sole iam iam occumbente, præsertim in locis obscurioribus, qualia oratoria esse solent, omnino lucernæ lumine indigemus.

Quod autem Ioannes Cassianus libr. 3. de institutis cœnobiorum, cap. 3. dicit, lucernarem horam esse vndecimam, non infirmat, sed confirmat sententiam nostram. Loquitur enim ipse de hora vndecima iam exacta. Nam accommodat laudes officij vespertini ad opus illorum, qui hora vndecima vocãtur ad vineam. Illos autem hora vndecima exacta operari cœpisse, & vsque in finem duodecimæ operatos, testatur Euangelium, Matthæi 20. *Hi nouissimi vna hora fecerunt, &c.*

Restat officium COMPLETORII, quod non esse æquè antiquum, ac officia reliquarum horarum, rectè obseruauit Radulphus de riuo in lib. de cano. obseruat. propos. 14. indicat enim tempus Completorij obscurè S. Ambrosius lib. 5. de Virginibus. Sed expressam mentionem inuenio primùm apud Græcos in q. 37. S. Basilij ex regulis fusiùs explicatis: apud Latinos autem & nomen, & tempus Completorij primùm inuenio in Regula S. Benedicti cap. 16.

Porro tempus canonicum completorij est initiũ noctis ante finẽ crepusculi vespertini. Id enim satis apertè colligitur ex omnibus antiquis auctoribus. Nam Isidorus lib. 1. de officiis, cap. 21. Amalarius lib. 4. de officiis Eccles. cap. 8 & in lib. de ordine antiphonarij, ca. 7. Hugo de S. Victore lib. 2. de officiis diuinis, c. 7. Rupertus lib. 1. de officiis diuinis, c. 7. & alij dicunt, completorium ad noctem pertinere, & post cœnam, & omnia alia opera, quæ somnum præcedunt, debere persolui. S. autem Basilius loco citato dicit, primis se iam noctis intendentibus tenebris completorium persoluendum, & in eo Psal. 90. recitãdum, vt quies, quam sumus capturi, inoffensa, & ab omni perturbatione sit libera.

Vnus est ex antiquis Rabanus, qui in lib. 2. de instit. cleric. cap. 8. dicit, completorium hora vndecima celebrandum. Sed videndum est, ne fortè sit vitium librariorum. Nã ca. 7. diserte verbis idem auctor dicit, Vespertinum officium in fine diei Sole occidente, celebrandũ esse; & paulò post adiungit Vesperam dici à sydere, quod Sole occidente exoritur. Quomodo igitur ista cohærent, vt Completorium, quod omnium consensu Vesperas sequi debet, non præcedere, persoluendum sit hora vndecima, si Vesperæ persoluuntur in fine diei, Sole occidente, & Hespero oriente?

Quod autem Smaragdus Abbas in comment. ad cap. 16. Regulæ S. Benedicti dicere videtur, horam duodecimam ad Completorium pertinere; non habet difficultatem. TVM quia fortasse non loquitur de Completorio, sed de Vesperis; neque enim Completorium, aut Vesperas nominat, cum horę duodecimæ mentionem facit, & præterea duodecimam illam horam horæ nonæ immediatè subiungit; ac per hoc de Vespertino officio loqui videtur: TVM quia per horam duodecimam intelligere possumus duodecimam iam exactam, quæ coincidit cùm prima hora noctis inchoata.

Ad veterum auctoritatem accedit manifesta RATIO. Nam officium Primæ, & Completorij eam inter se proportionem & similitudinem habent, quam Matutinum & Vespertinum. Sunt enim officia similima, cùm habeant eundem numerum, & ordinem psalmorum, & precum. & præterea symbolum, confessionem, &c. Sicut igitur officium Primæ persoluitur prima hora diei, sic officium Completorij persolui debet prima hora noctis; quemadmodum quia laudes matutinæ celebrantur vltima hora noctis, vespertinæ laudes celebrari debent, vt iam ostendimus, vltima horã diei. Et sanè totum officium Completorij si quis illud rectè inspiciat, nihil aliud sonat, nisi præparationem ad nocturnam requiem.

Quod verò quidam obiiciunt, verba illa, *Te lucis ante terminum*, indicare completorium, persoluendum ante occasum Solis; item sepulturam Domini, quæ in officio Completorij recolitur, factam esse ante Solis occasum; facile dissoluitur. Nam terminus lucis non est occasus Solis, sed finis crepusculi. Ideo enim ad Primam, vt significetur exortus Solis, non autem solius lucis, non dicitur, *Iam lucis orto lumine*, sed, *Iam lucis orto sydere*, id est, Sole. In completorio verò nulla fit mentio sideris, siue Solis, sed solius lucis, quæ in fine crepusculi terminatur.

Porro sepultura Domini eãdem hora facta est, qua depositio ex cruce. Non enim inter depositionem, & sepulturam aliquod spacium temporis interiectum fuit. Quia verò duo mysteria sunt quamuis vno tempore peracta, ideo placuit Ecclesiæ vnum commemorare suo tempore, id est, in Vesperis; alterum in hora cõsequente, id est, in completorio; vt omittam officium Completorij, non propter solam memoriam Dominicæ sepulturæ, sed propter alias causas institutum fuisse; ac potissimùm, vt in eo gratiæ Deo agerentur pro beneficiis diurnis, & indulgentia imploraretur pro peccatis toto illo die commissis, ac demum contra nocturna pericula, & tentationes, Dei gratia peteretur; atque ita officium in matutino crepusculo inchoatum, in vespertino crepusculo compleretur.

CAPVT XII.

Referuntur Hæretici, qui Horas canonicas reprehendunt.

NON defuerunt vnquam Hæretici, qui vel omnino, vel ex parte aliqua officium Ecclesiasticum reprehenderent.

PRIMVM enim Paulus Samosatenus circa annum Domini CC.LXXX. Ecclesiam Catholicam arguebat, quod hymnos ab hominibus compositos, & qui in sacris literis non haberentur, Christo decantaret. Quocirca ipse eos tanquam neotericos, & nuper inuentos ab Ecclesia sua remouit. Refert hanc hæresim Eusebius lib. 7. hist. cap. 26.

DEINDE, Vigilantius non totum quidem officium Ecclesiasticum, sed nocturnas vigilias reprehendebat, vt refert S. Hieronymus in epist. ad Riparium. Atque hæc videtur esse hæresis illorum, quos Isidorus in lib. 1. de officiis, cap. 22. dicit, vocari solitos nyctazontes, id est, somniculosos.

Post aliquot secula Ioannes VViclefus multa contra Horas canonicas scripsit, quæ referuntur & refelluntur à Thoma VValdensi tomo 3. de sacramentalibus, ca. 24. Nõ diu post in Boëmia Thaboritarum hæresim fuisse, frustra tempus teri in Horis canonicis persoluendis, testis est Aeneas Syluius in lib. de origine Boëmorũ, ca. 35.

Hoc nostro seculo Martinus Lutherus in lib. de abroganda Missa extremo, ritum Ecclesiæ improbat, quem seruat in Horis canonicis; & re ipsa sustulit in regionibus, quas à fide Catholica alienare potuit. Quamuis postea instituerit ipse quoque suas quasdam Horas canonicas, sed breuissimas, & ordine peruerso, vt Apostolum Satanæ decebat, præcepit enim, vt manè tres dicerentur Psalmi, & tres ad Vesperam. Cantica quoque, *Te Deum laudamus*, & *Benedictus Dominus Deus Israel*; & symbolum Athanasij recitari voluit, non manè, vt in Ecclesia fieri consueuit, sed vespere, vt videlicet nihil sibi cõmune esse cum Ecclesia Catholica demonstraret.

ILLYRICVS in Centuriis passim reprehendit summos Põtifices, quòd officium Ecclesiasticũ instituerint, vel auxerint, vel ornarint: sed insignis est locus cent. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cap. 40. col 674. vbi de Pelagio l. loquens, sic ait: *Notis Antichristi hic quoque insignis fuit. Nam constituit, vt Clerici quotidie canonicas Horas septies cantarent, vt habetur 91. dist. can. Eleutherus frater.* Quo loco Tria sunt breuiter obseruanda. PRIMVM, non haberi in canone illo citato, verbum vllum de Horis canonicis septies decantandis, sed solum de vigiliis in quadam particulari Ecclesia celebrandis. ALTERVM, non solum reliquas Horas, sed etiam nocturnas ad quas propriè vigiliæ pertinent, antiquissimas esse, vt mox ostendemus ex Patribus, qui Pelagij Pontificatum longè præcesserunt. TERTIVM, miram esse illam Illyrici consecutionem. Pelagius Papa instituit Horas canonicas, igitur notis Antichristi insignis fuit. Quis enim vnquam inter Antichristi notas posuit, instituere Horas canonicas, id est, officiũ statis horis Deum laudandi ac precandi? nonne Antichristus iuge sacrificium auferet Daniele teste? nonne efferet se, teste Apostolo, super omne quod dicitur Deus: quomodo igitur credibile est, ab illo institue dum esse iuge sacrificium laudis, & precationis Deo nostro, & Christo eius, cuius ipse hostis acerrimus erit?

Iam verò IOANNES BRENTIVS in Confessione VVirtenbergẽsi ca. de Horis canonicis, QVATVOR in vsu canonicarum Horarum reprehendit. PRIMO, quod instituatur certum hominum genus, id est, sacerdotes, ad canonicas Horas persoluendas. SECVNDO, quod persoluantur Horæ illæ lingua aliena, quæ vulgo Ecclesiæ non sit nota. TERTIO, quod sine intermissione die, noctuque hoc officium persoluatur. QVARTO, quod hoc fiat, non vt per patientiam, & consolationem Scripturarum spem habeamus, sed vt merito huius operis mitigemus iram Dei, & expiemus peccata hominum coram Deo.

Sed PRIMVM illud de ministris tractabitur infrà suo loco. Alterum de lingua vulgari, tractatum est à nobis in 2. lib. de Verbo Dei. cap. 15. & 16. neque aliquid noui hoc loco scribendum occurrit. De TERTIO disseremus cap. sequenti, id enim est huius loci proprium. QVARTVM partim est falsum, partim commune orationi cum aliis operibus bonis. Falsum est enim non decantari à nobis laudes Dei, vt per patientiam, & consolationem Scripturarum spem habeamus. Hunc enim fructum inter alios, & quærunt, & referunt omnes pij, qui ritè diuinum officium canunt, vel legunt. Commune verò est orationi cum aliis bonis operibus, vt sit meritoria, & satisfactoria, vt suprà ostendimus.

Similia scribunt contra Horas canonicas Tilmannus Hesshusius in lib. de sexcentis erroribus Pontificiorum tit. 24. num. 7. & alij passim.

CAPVT XIII.

Demonstratur antiqua, & rationabilis institutio canonicarum Horarum.

AD verſus prædictos Hæreticorum errores breuiter ostendemus antiquam & rationabilem institutionem esse canonicarũ Horarum, ac primum de ipsis Horis, deinde de iis, quæ leguntur, aut canuntur in officio Ecclesiastico breuiter disseremus.

Quod igitur ad Horas attinet, habemus exempla Prophetarum & Apostolorum; testimonia veterum Patrum, & antiquæ Ecclesiæ consuetudinem; rationes denique, & causas huius institutionis.

Veniamus ad Exempla. Propheta Dauid septies in die laudem dicebat Deo. Psal. 118. quòd si ille in bellis, & regni administratione occupatus, septies in die, sine intermissione, Deum precabatur, & laudabat; quid habet Brentius, quod queratur, si sacerdotes, quorũ proprium munus est vacare Deo, septies in die sine intermissione orationi; & laudibus diuinis insistant?

Sed audiamus exempla de singulis Horis. De NOCTVRNA ORATIONE idem Dauid in eodem Psal. 118. *Media* inquit, *nocte surgebam ad confitendum mihi.* Dominus quoque nõ solum media nocte orabat, sed etiam pernoctabat in oratione Lucæ 6. & Apostolus Paulus, & Silas in ipso etiam carcere media nocte orantes laudabant Deum, Act. 16.

De LAVDIBVS MATVTINIS habemus illud Psal. 5. *Mane exaudies vocem meam, mane astabo tibi, & videbo.* Et illud Psal. 62. *In matutinis meditaborin te.* Et illud Psal. 118. *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.*

De prima, Tertia, Sexta & Nona explicat Beda illud 2. Esdræ 9. *Legerunt in volumine legis Domini Dei sui quater in die, & quater confitebantur, & adorabant Dominũ Deum suum.* Item illud Daniel. 6. *Tribus temporibus in die flectebat genua, & adorabat, confitebaturque coram Deo.* Exponunt Cyprianus in serm. 6. & Hieronymus in commẽt. Danielis, de Hora Tertia, Sexta & Nona.

Easdem Horas legimus in Actis Apostolorum. Nam Hora Tertia Apostoli orantes accipiunt Spiritum sanctum, Act. 2. Hora Sexta Princeps Apostolorum ascendit in superiorem ædium partem, vt orationi vacaret, Act. 10. Denique Petrus, & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis Nonam Act 3. De officio Vespertino Propheta Dauid Psal. 54. *Vespere, & Mane, & Meridie narrabo & annunciabo, & exaudiet vocem meam.* Et Psal. 140. *Elevatio manuũ mearum sacrificiũ vespertinũ.*

Iam ex Patribus plurima testimonia adferri possunt, nunquam enim in Ecclesia Christiana non fuit consuetudo laudandi, precandique Deum nocturno tempore, & præterea Mane, hora Tertia, Sexta, Nona, & ad Vesperam. Proinde qui hunc vsum reiiciunt, quod faciunt omnes huius temporis Hæretici, vel imperiti sunt antiquitatis vel nimium impudentes nouatores.

CLEMENS Romanus lib. 8. Apostolicarum constitutionum, cap. 40. *Preces* inquit, *vestras facite diluculo, hora Tertia, Sexta, Nona Vespere, & in galli cantu.*

S. CYPRIANVS in serm. 6. qui est de oratione Dominica: *In orationibus* inquit, *celebrandis, inuenimus obseruasse eum Danele tres pueros in fide fortes, & in captiuitate viclores horam Tertiam Sextam, & Nonam.* Et paulò post: *Sed nobis fratres dilectissimi præter horas antiquitus obseruatas, orandi nunc & spacia, & sacramenta creuerunt. Nam & mane orandum est vt resurrectio Domini matutina oratione celebretur. Recedente item Sole, ac die cessante necessario rursus orandum est.* Et infrà: *Qui autem in Christo, hoc est, in lumine semper sumus ne noctibus ab oratione cessemus.*

S. ATHANASIVS in lib. de Virginitate, siue de meditatione. *Habeto* inquit, *psalterium, & psalmos edisce. Sol exoriens videat librum in manu tua; post tertiam horam peragito communionem, quoniam hac hora adductum est lignũ crucis. Sexta hora celebrato preces cum psalmis, plorationibus, & obsecrationibus, quoniam hac hora filius Dei sublatus est in crucem. Hora nona rursus isto in hymnis, & laudibus Dei cum lachrymis confitens peccata tua Deo supplica, quoniam hac hora Dominus in cruce pendens reddidit spiritum.* Et infrà: *Hora duodecima maiorem, & crebriorem celebra communionem cum virginibus tuis, &c.* Item in eodem libro: *Media*, inquit, *nocte surgito, & laudato Dominum Deum tuum.*

S. AMBROSIVS in Psal. 118. serm. 8. meminit orationis quæ fit media nocte in meridie, & vesperi. Et in lib. 3. de Virginibus notat sex tempora orandi, cum surgimus mane, cum est prodeundum, ante prandium, post prandium hora incensi, & cum pergimus cubitum. Quę tempora, cum solennium orationũ tempora ab ipso vocentur, videntur omnino significare horam Matutinam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vespertinam & Cõpletorij.

Extan

Extant etiam S. Ambrosij hymni pro singulis horis canonicis.

S. BASILIVS in regulis fusius explicatis q. 37. earũdem Horarum multo apertius meminit; nam cum dixisset, non esse negligendas præscriptas orationes statis temporibus, quas in conuentibus obseruari solenne est, & quotidianum; continuò enumerat tempora, & singulorum rationes reddit. Tempora verò illa his nominibus appellat: *Matutinum, horam Tertiam, Sextam, Nonam* Addit præterea *officium Completæ diei*, id est, Vesperas & officium, *initio tenebrarum pro quiete nocturna capiẽda*, id est, Completorium & Officium, *media noctis*, id est, Vigilias nocturnas.

S. HIERONYMVS in epistola ad Eustochium de custodia virginitatis: *Horam Tertiam*, inquit. *Sextam, Nonam, diluculum quoque, & Vesperas, nemo est qui nesciat.* Et infrà: *Noctibus quoque bis, terque surgendum.* Et in ep. ad eandem de obitu Paulæ: *Mane*, inquit, *hora Tertia, Sexta, Nona, Vespere, noctis medio per ordinem psalterium cantabant.* Similia habet idem auctor in epistola ad Letam de institutione filiæ. Ioannes Chrysostomus hom 59. ad populum Antiochenum, describens Monachorũ consuetudinem: *Ante lucem*, inquit, *cum gallus vocem dederit, omnes statim cum reuerentia somnum deponentes exurgunt, excitante eos Prælato, & consistunt sanctum constituentes chorum, & statim manus extendentes sacros hymnos decantant.* Et infrà de diurnis precibus: *Tertiam*, inquit, *Sextam, Nonam, & Vespertinas orationes celebrant & in quatuor partes diem distantes, dum singulæ partes implentur psalmodiis, & hymnis Deum venerantur.*

S. AVGVSTINVS serm. 55. de tempore: *Rogo*, inquit, *vos ad Vigilias maturius surgite, ad Tertiam, ad Sextam, ad Nonam, ante omnia conuenite.*

IOANNES CASSIANVS libro 2. de institutis cœnobiorum disserit de officio nocturno, & lib. 3. de diurno, & nominat horam matutinam ante ortũ Solis, & rursum aliam matutinam orto iam Sole; id est, Primam, deinde Tertiam, Sextam, Nonam Vesperas.

S. BENEDICTVS in Regula cap. 16. *His*, inquit, *horis reformamus laudes creatori nostro, Matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespere, Completorio, & nocte surgamus ad confitendum ei.*

Præter hos Patres, multi alij grauissimi, doctissimique scriptores singularum Horarum canonicarũ tempora & mysteria explicant, Isidorus lib. 1. de officiis diuinis. Amalarius lib. 4. de officiis Ecclesiasticis, Rabanus lib. 2. de institutione clericorum, Hugo de S. Victore in lib. 2. de officiis Ecclesiasticis, Rupertus Tuitiensis in lib. 1. de diuinis officiis, ex quibus RABANVS li. 2. de institutione clericorum, cap. 9. vsum hunc toti Ecclesiæ communem esse testatur, his verbis: *iste*, inquit, *est Catholicus ordo diuinarum celebrationum, qui ab vniuersa Ecclesia Christi incommutabiliter seruatur.* Atque hæc de testimoniis Patrum.

Porro rationes variæ adferuntur à Patribus, sed TRES videntur esse præcipuæ. PRIMA ratio est, quam assignat S. Cyprianus in serm. 6. vt videlicet in honorẽ sanctissimæ Trinitatis tertia quaque hora Deum laudemus. Nam Horæ canonicæ antiquissimæ sunt, vt diximus, tertia, sexta, nona, duodecima, quæ totum diem in quatuor ternarios horarum diuidunt; quibus addebantur quatuor vigiliæ nocturnæ, quæ terminabantur hora tertia, sexta, nona, duodecima noctis, & noctem totam in alios quatuor horarum ternarios diuidebant.

SECVNDA ratio est, vt beneficium creationis commemoremus, & pro eo conditori rerum omnium gratias agamus. Ideo enim sunt horæ septem diurnæ, quoniam septem diebus creauit Deus cœlum, & terram, & omnia quæ in cœlo, & in terra continentur. Additur autẽ hora octaua id est, officium nocturnum pro spe resurrectionis, quæ per diem octauam significari solet. Noctu autem futuram resurrectionem, Dominus ipse admonuit cum ait Lucæ 17. *In illa nocte erunt duo in lecto uno, vnus assumetur, alter relinquetur.* Et Matth. 25. *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obviam ei.*

TERTIA ratio, eaque potissima, quam reddunt sancti Patres Athanasius, Basilius, Cassianus, & alij, est ad memoriam Redemptionis conseruandam. Nã præcipua Redemptionis mysteria his horis completa esse noscuntur. Hora VESPERTINA (inde enim officium Ecclesiasticum initium sumit) Christus cœnam cum discipulis fecit, pedes eorum lauit, Sacramentum Eucharistiæ instituit. Hora COMPLETORII post orationem in horto, & sudorem sanguinis comprehensus ab inimicis, atque ad Annam & Caiphan ductus, variis modis illusus fuit. Hora MATVTINA in Concilio Pontificum & Pharisæorum, initium est consilium de ratione perdendi Christum. Hora PRIMA ductus est Dominus ad Pilatum, atque inde ad Herodem, & rursus reductus ad Pilatum. Hora TERTIA crucifixus est vocibus Hebræorum, flagellis cæsus, & spinis coronatus à militibus Pilati. Hora Sexta crucifixus re ipsa, atque à terra (vt ipse prædixerat) exaltatus, maximum Deo Patri pro totius mundi salute sacrificium immolauit. Hora Nona spiritum emisit, ad inferos descendit, regnum Satanæ destruxit.

Rursus Hora Vespertina de cruce depositus, & in sepulchrum illatus est. Hora Cõpletorij dũ ipse quiesceret in tumulo, sepulchrum ipsum ab inimicis signatũ fuit, & militũ custodiis septum, atque munitum. Hora Matutina, id est, sub auroram, resurrexit, redemptionẽque perfecit, in cuius rei figurã in vigilia matutina Deus olim Pharaonem cũ exercitu suo demersit in mare, & filios Israël liberauit. Hora Prima apparuit sanctis mulieribus. Hora Tertia descendit Spiritus sanctus super Apostolos. Hora Sexta S. Petrus orans mãdatũ accepit, vt Gentiles admitteret ad Ecclesiam: & eadẽ hora coapostolus eius Paulus Christo sibi apparenti conuersus, & ad prædicandũ Gentilibus destinatus est. Hora Nona primitiæ gẽtiũ Cornelius Centurio Angelico ministerio ad Apostolum Petrum audiendum missus est.

His rationibus addi potest cõfirmatio ex eo, quod satis cõstat ex Ioanne Cassiano lib. 2. de institutis Cœnobiorũ, cap. 4. & 5. non solùm humano, sed etiã Angelico magisterio canonicarum Horarum ordinem constitutum. Item alia confirmatio ex eo, quod narrat Ado Treuirensis in Martyrologio ad nonum diem Ianuarij, occisã magna copia sacerdotum in persecutione Diocletiani, auditam fuisse circa eorum reliquias cœlestem psalmodiam mane, & vesperi, & rursum hora tertia, sexta & nona. Quæ sanè manifesta sunt indicia, quod hæc religio statis horis Deum laudandi, quam sancti illi Martyres dum viuerent, semper tenuerant, Deo non mediocriter placeat.

DENIQVE illud etiam addi potest, vsque adeo antiquis temporibus studium celebrandi canonicas Horas in Ecclesia floruisse, vt Iulianus Apostata inuidens Christianis hoc ornamentum, iusserit sacerdotibus Idolorum, vt ipsi quoque similem formam statis horis precandi, & laudandi Deos in suis fanis instituerent. Vide Sozomenum lib. 5. hist. cap. 15.

CAPVT XIV.

De antiquitate singularum partium officij Ecclesiastici.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DIximvs de Horis canonicis, nūc de iis, quæ in ipsis Horis canuntur, aut legūtur, breuiter dicendum est, Sunt autem hæc: Psalmi, Cantica, Hymni, Lectiones, Responsoria, Antiphonæ, Litania, Capitula, Collectæ, Symbolum & Confessio.

Et quidem PSALMI & CANTICA, reprehendi non solent, nec possunt, cùm habeantur omnia in diuinis literis, excepto Cantico, quod incipit: *Te Deum laudamus.* Fuisse autem in vsu apud Christianos ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ, vt in conuentibus Ecclesiasticis psalmodia primum locum haberet, cognosci potest ex loco illo Apostoli 1. Corinth. 14. *Cum conuenitis, vnusquisque vestrum psalmum habet.* Item ex Tertulliano in lib. de velandis virginibus extremo; & lib. 2. ad vxorē extremo; Denique ex Cōcilio Laodiceno, ca. 15. & 17.

Porro Canticum, *Te Deum laudamus*, non habetur quidem in Scripturis, tamen compositum fuit, Deo inspirante, à sanctis Patribus, Ambrosio & Augustino, qui statim à Baptismo eiusdem Augustini, toto populo obstupescente Canticum illud alternatim, & ex tempore cecinerunt; vt scribit S. Dacius Episcopus Mediolanensis lib. 1. Chronici, cap. 10. Floruit autem S. Dacius imperante Iustino seniore, vt S. Gregorius refert lib. 3. Dialogorum cap. 4. Addit quoque idem Dacius, Canticum illud ab vniuersa Ecclesia frequentari cœpisse. Quod verum esse cognosci potest etiam ex regula S. Benedicti, in qua post lectiones præscribitur Canticum, *Te Deum laudamus.* Denique ipse etiam Lutherus ab hoc Cantico non abhorruit, vt supra diximus. Quare nihil est cur in eius defensione plura dicamus.

Iam verò de HYMNIS superadditis, habemus PRIMO testimonium Apostoli Col. 3. & Ephes. 5. qui Psalmis & Canticis hymnos adiungit. Videtur enim hymnorum nomine intelligere carmina spiritualia, quæ Christiani illius temporis componebant, vt Haymo exponit. Nam & Eusebius in lib. 2. histor cap. 17. ex Philone refert, primos Christianos non tantū psalmos Dauidis & Cantica Scripturarū, sed etiam proprios hymnos canere solitos esse. Sāctus quoque Dionysius in lib. de diuinis nominibus, cap. 4. non pauca commemorat ex hymnis sacris à B. Hierotheo compositis. Factū etiam illud Pauli Samosateni, qui Ecclesiasticos hymnos tanquā neotericos, & nuper inuentos reiecit, satis testatur, vsum eiusmodi hymnorū esse vetustissimum. Vixit enim Samosatenus ante annos mille trecentos. Denique Cōcilium Toletanum IV. ante annos fermè mille can. 12, præcipit, vt hymni à sanctis Patribus Hilario, & Ambrosio cōpositi in officio Ecclesiastico retineantur. Quidam enim iam tunc cœperant eos contemnere, propterea quod in sacris literis non haberentur.

LECTIONES præcipuè leguntur in officio nocturno partim ex Scripturis, partim ex homiliis Patrum, partim ex vitis Sanctorum. Vsum lectionum antiquissimum esse in Ecclesia, perspicuū esse potest ex Apologia 2. S. Iustini extrema, vbi dicit, Lectiones ex Prophetis, & Apostolis in conuentu fidelium legi solitas. Item ex Concilio Laodiceno, quod ante annos mille ducentos celebratum fuit; statuit enim ca. 17. vt psalmis lectiones interfererentur. Item ex Concilio Carthaginense III. cap. 47 vbi præscribuntur lectiones non tantum ex Scripturis, sed etiam ex vitis sanctorum Martyrum. De lectionibus quoque ex homiliis Patrum, testis est S. Hieronymus in lib. de scriptoribus Ecclesiasticis, vbi dicit, sermones B. Ephrem legi cōsueuisse in Ecclesia post lectiones Apostolorum & Prophetarum. Ioannes etiam Cassianus lib. 2. de institutis cœnobiorum cap. 5. refert à maioribus institutum fuisse, vt in officio nocturno duodecim psalmi, & duodecim lectiones pronunciarentur. Denique Gelasius Papa ante annos mille descripsit ordinē lectionū, tum ex Scripturis sacris, tum ex Patrum homiliis per totū annum, vt est apud Gratianū distinct. 15. can. sancta Romana. Et Gregorius VII. ante annos quingentos restituit Breuiarium Romanum in eam formam, quam habuerat antiquissimis tēporibus, idque fecit in Concilio generali. Vnde extat can. In die, de consecratione dist. 5, quod idem fecit nostris diebus Pius V. Pontifex de Ecclesia Dei optimè meritus.

Cur autem lectiones per totum annum eo sint ordine distributæ, quem nunc quoque in Romano Breuiario cernimus, explicat Rupertus lib. 12. de officiis diuinis, propè extremo. Et quoniam non multum referre videtur id cognoscere, & nos breuitati studemus, ad eum auctorem lectorem censuimus remittendum.

Ante lectiones præcedit BENEDICTIO, de qua scribit Petrus Damiani in libro, de Dominus vobiscum cap. 2. vbi etiam notat, propter humilitatem non petere lectorem à sacerdote, vel Pontifice, vt ipse benedicat, sed vt iubeat ab alio benedici: sacerdotem autem, vel Pontificem, vt vicem reddat humilitati, nec per se, nec per alium benedicere, sed benedictionem lectori, & cæteris omnibus ab ipso Deo precari.

Post lectiones sequuntur RESPONSORIA, quæ ab Italicis Ecclesiis primum inuenta, vt referunt Isidorus lib. 1. de officiis diuinis, cap. 8. Et Rabanus lib. 2. de instit. clericorum, cap. 51. & fortè à S. Ambrosio, vt censet Valfridus in lib. de rebus Eccles. cap. 25. inde ad alias Ecclesias dimanarunt. Certè S. Benedicti tempore iam erant in vsu, vt ex ipsius regula intelligi potest. Appellantur autem Responsoria teste Rabano loco notato, quoniā vno inchoante à cæteris respōdetur.

CAPITVLA nihil sunt aliud nisi breuissimæ lectiones, quæ dicuntur in singulis Horis diurnis, & semper ex sacris literis depromuntur. Meminit eiusmodi capitulorum Concilium Agathense, cap. 30.

De COLLECTIS, Litania, Gloria Patri, Symbolo, & Confessione, quæ sunt communia officio cum Missa, disseruimus in 2. lib. de sacrificio Missæ, cap. 16.

ANTIPHONÆ restant, quæ vt plurimum cum psalmis coniunguntur, aliquando etiam seorsim canuntur. Significat autem Antiphona vocem reciprocam, & per Antiphonas canere, nihil est aliud, nisi alternatim canenere, dicitur verò in officio Ecclesiastico Antiphona sententia illa, quæ Psalmo concinendo præmittitur, quoniam secundùm eius modulationem totus Psalmus canitur, atque vtrumque chorum in fine coniungit, vt rectè docet Amalarius lib. 4. de officiis Eccles. cap. 7.

Porro vsum Antiphonarum, id est, alternatim canendi Psalmos ex Angelica admonitione atque exēplo S. Ignatium didicisse, & Antiochenæ Ecclesiæ tradidisse Socrates scribit lib. 6. histor. cap. 8. Quod igitur scribit Theodoretus libro 2. hist. cap. 24 primos fuisse Flauianum, & Diodorū, qui Antiochenis Dauidicos Psalmos alternatim canendos tradiderunt, non de prima institutione, sed vel de instauratione; vel de commodiore aliqua ratione alternatim concinendi intelligendum esse videtur. Apud latinos primùm fuisse S. Ambrosium, qui hanc ipsam consuetudinem introduxit, scribit Isidorus lib. 1. de officiis diuinis, cap. 7. Sed hoc de solo officio Ecclesiastico accipiendum videtur. Nam in sacrificio Missæ Psalmum alternatim canendum tradidit Cælestinus Papa, vt in eius vita legimus. Absolutè autem vsum alternatim canendi Psalmos apud Latinos antiquissimum esse, perspicuum est ex Tertulliano qui in lib. secundo ad vxorem extremo dicit Psalmum inter duos sonare. Sed de his hactenus.

CAPVT

CAPVT XV.

Antiphona, Salue Regina, ab Hæreticorum calumnijs asseritur.

EX omnibus officij partibus nihil est quod magis Hæreticis nostri temporis displiceat, quàm Antiphona illa, quæ incipit, SALVE REGINA. Eam enim Lutherus in serm. de Natali B. Mariæ dicit nulla ratione in bonum sensum trahi posse. Petrus quoque pseudomartyr in commentar. ad cap. 3. prioris ad Corinth. scribit, hanc Antiphonam non posse vllo modo ab impietate defendi, cùm illa omnia tribuat Mariæ, quæ soli Deo conueniunt.

Ac vt eius ratiunculas ordine digeramus, sic ille ratiocinatur: *Deus est propriè Pater misericordiarum 2. Corinth. 1. non ergo licet vocare Mariam Matrem misericordiæ, nisi diuinis honoribus eam ornare velimus.* Item: *Christus est propriè vita, qui de se ait Ioan. 14. Ego sum via, veritas, & vita. Æquatur igitur Maria Christo cum appellatur vita.* Ad hæc: *Deus est propriè totius auctor consolationis 2 Corinth. 1. non igitur Maria dulcedo nominari potest, nisi Deo asseratur equalis.* Præterea: *In solo Deo sperandum esse testatur Propheta, qui dicit, Maledictus vir qui sperat in homine. Hierem. 17. non ergo Maria spes nostra nominanda est, nisi fortè iam homo esse desierit.* Denique: *Deus Pater est qui ad filium credentes adducit Ioan. 6. & ipse se filius nobis ostendat cum beatos faciet, Ioan. 14. quomodo igitur Maria nobis post hoc exilium Iesum ostendet, nisi ipsa quoque sit Deus, & beatos homines facere queat?*

Hæc argumenta nullius sunt ponderis; ac vt omittamus Ecclesiæ auctoritatem, quæ hanc Antiphonā multis iam seculis vsu probauit, neque enim fas esse putamus vnum, vel duos apostatas cùm ipsa Ecclesia in cōparationem adducere, certè longè nobilior fuit doctrina, & pietate, ac per hoc etiam dignior, cui fides habeatur, Hermannus Contractus, qui hanc Antiphonam, & illam, *Alma Redemptoris*, composuisse fertur, quàm Petrus Martyr, aut Lutherus. Sed ad proposita argumenta veniamus.

PRIMO rationem illam argumentandi infirmam esse, ac nihil omnino efficere demonstramus ex diuinis literis. De Christo dicitur Ioan. 1. *Plenus gratia.* Proinde non potest hoc alteri tribui, si bona sit ratiocinatio Petri Martyris. At Luc. 1. dicitur: *Maria, plena gratia.* Et Act. 6. Stephanus *plenus gratia.* Item Christus *lux mundi* dicitur Ioan. 9. & tamen hoc idem Apostolis Christus ipse tribuit cum ait Matth. 5. *Vos estis lux mundi.* Denique nonne in Scripturis Christus dicitur *Apostolus, Magister, Pater, Pastor, Episcopus?* & nonne ista eadem passim in eadem Scriptura tribuuntur Apostolis? non igitur rectè colligit Petrus Martyr, Deus est Pater misericordiarum, ergo impius est, qui Mariā salutat Matrem misericordiæ.

Sed ostendamus præterea singulas partes huius Antiphonæ in B. Mariam rectissimè conuenire. PRIMO dicitur REGINA. Nā & omnes beati Reges sunt, quibus dicitur: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Matth. 5. Et: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum.* Matth. 25. Et ipsa præterea cùm sit vera Mater Regis Regum, Reginæ appellationem singulariter meretur.

SECVNDO dicitur MATER MISERICORDIÆ, *tum* quia Christi mater est, per quem misericordiam à Deo consequuti sumus; *tum* quia nobis quotidie misericordiam à Deo precatur, & impetrat; *tum* denique phrasi hebraica dicitur Mater misericordiæ, quasi Mater valde misericors. Quomodo etiam illud accipimus, *Pater misericordiarum*, id est, Pater summè misericors.

TERTIO dicitur VITA, non quod sit ipsa vita per essentiam, quo modo est Deus, neque quod sit principalis caussa vitæ, quo modo de Christo dicitur Act. 3. *Auctorem vero vitæ interfecistis*; sed quod Christum pepererit, & per illum facta sit mater omnium viuentium vita spirituali. Sic enim Heua dicta est vita. Vox enim Hebræa non vitam significat, quia mater futura erat omnium viuentium vita animali. Obseruat autem Epiphanius hæres 78. Heuam appellatam esse vitam, non quia ipsa per se tam insigni nomine digna esset, sed quia typus erat Mariæ, quæ verè vita dici meretur, cum sit Mater Christi, & per eum etiam omnium fratrum Christi, ac per hoc omnium viuentium.

QVARTO dicitur DVLCEDO, quod nomen optimo iure in Deiparam conuenire testantur innumerabilia beneficia, quibus illa semper consolata est, & quotidie consolatur afflictos. Neque enim est angelus orbis terræ, in quo non luceat memoria aliqua beneficiorum eius. Et si potuit Apostolus dicere Philemoni: *Ita frater ego te fruar in Domino*, cùm tamen frui propriè nō quaeret, nisi in summum bonum, & ipsam dulcedinem, quæ per se ipsa expetenda est; cur non liceat nobis eodem tropo dulcedinem vocare Matrem Dei, per quam non quorundam sanctorum, vt per Philemonem, sed omnium omnino viscera requiescunt?

QVINTO dicitur SPES NOSTRA; quoniam post Dominum, in ipsius potissimum intercessione confidimus. Neque enim spes in auctore solùm boni reponi debet, sed etiam in intercessoribus, & ministris. Itaque Dominus cum Iudæis ait Ioan. 5. Est *qui vos accusat Moses, in quo vos speratis*; non illos reprehendit, quod sperarent in Mose, sed quod Mosi non crederent.

Quod verò Hieremias ait: *Maledictus vir, qui sperat in homine.* Intelligendum est de iis, qui potissimam spem suam ponūt, quique ita confidunt in homine, vt in Deo nulla ratione confidant. Sic enim sequitur: *Et a Domino recedit cor eius.* At qui piè, rectéque in Mariæ confidunt, potissimam spem habent in Deo; denique hæc forma loquendi, vt etiam superiores, inueniuntur passim in scriptis S. BERNARDI & S. EPHREM, quos certè impietatis accusare nemo vnquam auderet. Nam in 1. serm. de Assumptione vocat S. Bernardus Virginem Mariam: *Reginam & Dominam, Matrem misericordiæ, totam suauem, &c.* Et serm. 4. addit, conuenire suo quodā modo in Mariā quod in Psalmo legitur: *Misericordia eius plena est terra.* Et in serm. de Aquæducto: *Fiducia*, inquit, *hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est hæc tota ratio spei meæ.* Sanctus quoque EPHREM in serm. de Deipara vocat eā *spem suam, & omnium Christianorum.*

SEXTO rectè additur: ET IESVM BENEDICTVM FRVCTVM VENTRIS TVI NOBIS POST HOC EXILIVM OSTENDE. Nam certè non minus est saluare homines, quàm ostendere illis saluatorem, posse autem rectè dici saluari homines ab hominibus, perspicuū est ex his locis Rom. 9. *Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.* 1. Timot. 4. *Et te ipsum saluum facies & eos, qui te audiunt.* Iacob. 5. *Qui conuerti fecerit peccatorē ab errore viæ suæ, saluabit animā eius à morte.* Et Iudas in epi. sua dicit: *Illos vero saluate de igne rapientes.*

Iam igitur si Apostoli non timuerunt dicere, saluari homines ab iis, qui verbo, exemplo, orationibus student animarum saluti; cur Ecclesia timeat dicere Virgini cùm Christo regnanti, & primum locum in cœlo post ipsum obtinenti, vt Iesum nobis post hoc exilium ostendat? id enim sano modo intelligi debere, id est, per intercessionem, nemo Catholicus dubitat. Quo modo intelligenda sunt etiam illa: *Da mihi virtutem contra hostes tuos.* Et illa: *Tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.* Et si quæ sunt alia his similia.

Sanctus enim Bernardus, serm. 1. de Assumptione

Universidad de Deusto
Biblioteca

ait, Virgini Mariæ: *Trahe nos post te, in odorem unguentorum tuorum currimus.* Et infrà: *Ascendens in altum Virgo beata, dabit ipsa quoque dona hominibus. Quidni daret? siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas.* Sed explicat ipse idem tum alibi, tum in serm. 4. de Assumptione. Quomodo hæc faciat beatissima Virgo: *Sit,* inquit, *pietatis tuæ ipsam quam apud Deum gratiam inuenisti, notam facere mundo, reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adiutorum, & liberationem tuis sanctis precibus obtinendo. In hac quoque die solennitatis, & lætitiæ dulcissimum Mariæ nomen cum laude inuocantibus seruulis, per te Regina clemens, gratiæ suæ munera largiatur Iesus Christus filius tuus, Dominus noster.*

Sed placet adscribere verba aliqua S. Ephrem, patris omnium consensu celeberrimi, ex oratione de laudibus Deiparæ, quæ extat in 8. tomo Aloysij Lipomani: *Intemeratas,* inquit, *prorsusque puras, Virgo Deipara, Regina omnium, spes desperantium.* Et infrà: *Tu portus procellis vexatorum, solatium mundi, carcere clausorum liberatrix, tu orphanorum susceptio, tu captiuorum redemptio, tu ægrotantium exultatio, & omnium salus.* Et infrà: *Sub alis tuis custodi me, & protege, miserere mei, qui sum luto inquinatus.* Et infrà: *Non mihi alia fiducia, ô Virgo sincera.* Et infrà. *Aue pax, gaudium, & salus mundi.* Hæc & alia id genus multa habet S. Ephrem, quæ similia sunt iis, quæ in Antiphona, quæ incipit, Salue Regina, continentur. Sufficit autem ad hæc omnia ab hæreticorum calumniis asserenda, illud vnum, quando nihil haberemus aliud, sanctum hunc virum tantæ claritudinis fuisse, vt eius scripta post diuinas literas in Ecclesiis publicè legerentur, vt supra ex testimonio S. Hieronymi demonstrauimus.

CAPVT XVI.

Defenditur cantus, qui in officio diuino adhiberi solet.

EXplicvimvs hactenus partes tres disputationis de officio diuino: sequitur QVARTA, quæ est de modo rite officium persoluendi.

TRES autem quæstiones de modo instituendi possunt, VNA de genere linguæ, latin à eo, an vulgari, & communi lingua sit officium persoluendum; ALTERA de genere vocis, cantúsne, an simplex pronunciatio sit in officio adhibenda; TERTIA de conditionibus, siue circunstantiis, integritate, ordine, loco, tempore, & similibus. Sed quoniam de prima quæstione satis copiosè disseruimus in 2. lib. de Verbo Dei, ca. 15. & 16. secundam tantùm, & tertiam hoc loco explicare aggrediemur.

Quæritur igitur sit ne cantus in officio Ecclesiastico adhibendus. Fuit enim antiquus error Hilarij cuiusdã, qui cantum omnino ab Ecclesiis excludi volebat. Refert hunc errorem S. Augustinus lib. 2. retract. cap. 11. eundem errorem postea sequuti sunt Henricus & Petrus Bruis. Vnde Henriciani & Petrobrusiani quidam Hæretici dicti sunt, quos refellit Petrus Cluniacensis in epist. scripta, ad omnes Episcopos cap. vlt. Ioannes autem VViclef non modò cantum, sed etiam vocem paulò elatiorem in precibus reprehendebat, & ea de caussa clericos in templis canentes cum sacerdotibus Baal cõparandos esse iudicabat. Vide Thomam VValdensem tomo 3. tit. 2. vbi per multa capita hunc errorẽ cõfutat.

Trinitarij Transyluani in 2. lib. cap. 1. dicunt, se cantũ cum omnibus tubis, & organis proscripsisse. Et in antithesibus Christi veri, & falsi, dicunt, Christum falsum velle in suis templis cantum, & organa, Christum verum nihil eiusmodi approbare. Magdeburgenses in Centuriis, cent. 9. ca 6. col. 279. & alibi passim, dum vitas Pontificum Romanorum describunt, Catholicos A sacerdotes Baaliticos vocant, nec dubium, quin propter cantum, propter illud, quod Helias dixit sacerdotibus Baal, *clamate voce maiori.* Sed certè mirum est, cur cantum Ecclesiasticum reprehendat Illyricus, cum apud Lutheranos, & Caluinistas non solùm Ministri, sed etiã populus magno clamore in templis canat. Sed hac in re Arianos imitantur, qui cantum in Catholicis reprehendebant, vt S. Ambrosius testatur in oratione de tradendis basilicis, & ipsi tamen canendis hymnis operam dabant, vt refert Socrates lib. 6. hist. cap. 8.

His igitur omissis, nos breuiter consuetudinem Ecclesiæ, quam in canendo seruat, antiquam, & rationabilem esse demonstrare nitemur. Habemus PRIMO exẽplum Angelorum qui nato Christo magnis vocibus canebant: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ex quo verba illa Canticum Angelorum nominari cœperunt, vt notat VValfridus Strabo in lib. B de rebus Eccles. cap. 22. & perspicuum est ex Concilio Toletano. 4. can. 12.

Habemus SECVNDO exempla Patrum veteris Testamenti, ac præsertim Regis, & Prophetæ Dauid, qui non solùm Psalmos plurimos composuit, & choros cãtorum instituit, sed etiam hortatur in Psal. 150. vt instrumentis musicis Dominum laudemus.

Neque nos mouet, quod Petrus Martyr in cõment. ad cap. 14. prioris ad Cor. dicit, instrumenta musica pertinere ad ceremonias Hebræorum, & ideo non magis conuenire Christianis, quàm circumcisio; sabbata, neomeniæque conueniunt. RESPONDEMVS enim, ceremonias Iudaicas alias fuisse proprias Testamenti veteris, eas videlicet, quæ res futuras significabant, vt circumcisionem, sabbatum, & similia; alias communes vtrique Testamento, quæ non ad significandas res futuras, sed ad colendum simpliciter Deum referebantur, vt flectere genua ad orationem, tundere pectus, colere festos dies, & alia id genus multa, ac priores quidem ceremonias fatemur Christianis minimè conuenire; posteriores autem nõ minus ad nos, quàm ad Iudæos pertinere contendimus. Huius generis esse musica instrumenta, intelligi potest ex eo, quod Hebræi non vtebantur eiusmodi instrumentis ad mysteriũ aliquod futurum significandum, sed ad excitandos animos infirmos ad laudes Dei, & tædium remouendũ, quod ex prolixitate Psalmorũ, atque Hymnorũ oriri solet, quæ ratio locum habet etiã in Ecclesia Testamenti noui. Non enim desunt in Ecclesia multi infirmi, & rudes, qui eiusmodi fomentis curandi, & ad laudes Dei audiendas alliciendi sint. Denique nulla ratio reddi potest, cur cantus, quo vtebantur Hebræi, & quo nunc vtuntur etiã Lutherani, non sit ceremonia propriè Iudaica, & sonus organi alicuius, sit ceremonia Iudæorum propria, atque ideo interdicta Christianis.

Habemus TERTIO exemplũ à Christo ipso approbatum, nã cum obuiã illi venirent turbæ, & magnis vocibus canerent: *Benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis,* non tantum non eas prohibuit, sed etiã Pharisæos, & Scribas volentes prohibere compescuit.

Habemus QVARTO exemplũ ipsius Domini, & discipulorũ eius. Siquidem *post cœnam* (vt Matthæus refert cap. 26.) *hymno dicto exierunt in montem oliueti.* Non enim simpliciter pronunciatũ, sed verè, propriéque cantatũ hymnum illũ fuisse à Christo, & Apostolis, indicat Concilij Toletanũ IV. ca. 12. vt colligitur ex ipsa Græca voce ὑμνήσαντες, & ex Augustino, qui explicans titulũ Psal. 72. scribit, ita proprium esse hymnorum, vt canantur, vt nisi canantur, hymni vocari non possint. Et in epist. 119. ca. 18. ad hunc locum aspiciens dicit, de canendis hymnis nos habere Saluatoris, & Apostolorum exemplum.

Habemus QVINTO exemplũ Pauli, & Silæ, qui vt Lucas

Lucas testatur Act. 16. media nocte orantes hymnos decantabant; id enim significat illud, προσευχόμενοι ὕμνον. Clara autem, atque elata voce illos cecinisse, perspicuũ est ex eo, quod audiebantur ab aliis, qui in custodia erant. A

Habemus SEXTO præceptum Apostoli ad Ephes. 5. & ad Coloss. 3. vbi monet Christianos: *Vt in Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiritualibus se exerceant.* Atque hæc ex diuinis literis.

Nunc ad TRADITIONEM Ecclesiæ veniamus, annotabimus PRIMO testimonia Cõciliorum ex primariis partibus orbis terræ; DEINDE singulorum Patrum testimonia proferemus.

Igitur ex oriente habemus Concilium LAODICENum can. 15. vbi statuitur: *Vt nulli alij in Ecclesia psalmos canant, præter eos qui cantorum funguntur officio.*

Ex Italia habemus decretum DAMASI Pontificis: *Vt Psalmi in Ecclesia die noctuq; cantentur.* Item decretum B GREGORII I. in Concilio Romano: *Vt Diaconi non canant in Ecclesia nisi Euangelium, lectiones cæteras, vt etiam Hymnos, & Psalmos ab inferioribus clericis decantari sinant.*

Ex Africa habemus Concilium IV. CARTHAGINENSE can. 10. vbi sic legimus: *Cantor potest absque scientia Episcopi sola iussione Presbyteri officium cantandi suscipere, dicente sibi presbytero, vide, vt quod ore cantas, corde credas, & quod corde credas operibus comprobes.*

Ex Hispania habemus Concilium TOLETANVM IV. cap. 12. quod ita loquitur: *De Hymnis, & Psalmis canendis publice in Ecclesia & Saluatoris, & Apostolorum habemus exemplum.*

Ex Gallia habemus Concilium AGATHENSE ca. 21. vbi statuitur, *Vt Hymni diebus singulis decantentur.*

Ex Germania habemus Concilium AQVISGRANENSE ca. 131. & 133. vbi monentur cantores Ecclesiæ, C *Vt ædificationem, non adulationem populi quærant, dum sacras lectiones, & Psalmos, atque hymnos modulatis vocibus canunt.*

Iam verò ex Patribus singulis S. Dionysius Areopagita in lib. de Eccles. hier. cap. 7. part. 2. meminit cantus Ecclesiastici, quo vtebatur Ecclesia illius temporis in sepeliendis mortuis.

TERTVLLIANVS in Apologetico capit. 2. refert ex epist. Plinij ad Traianum, consuetudinem primorum Christianorum, qui horis antelucanis conueniebant ad sacros hymnos Deo canendos. Idem etiam meminit cãtus Ecclesiastici in eodem Apologetico cap. 39. & in li. 2. ad vxorem, extremo.

Similia refert ex Philone Eusebius lib. 2. hist. cap. 17. primi enim Christiani, quos Marcus Euangelista in Ægypto docuerat, in canendis Deo Psalmis & Hymnis, die, noctuque se exercebant. De quorum vita, vt planè admiranda, ac propè Angelica librum scripsit Philo, vt nos in lib. de Monachis copiosè probauimus.

Auctor quæstionum, quæ habentur inter opera S. Iustini, cantum Ecclesiasticum vtilissimum esse docet in D tesponsione ad q. 107. quem locum paulò infrà integrũ adscribemus.

S. BASILIVS in epist. 63. ad Clerum Neocæsariensem, purgat se diligenter à crimine, quod ei nõnulli obiiciebant, quasi ritum canendi in Ecclesiis immutasset. Docet verò ritum à se receptum, optimum, atque orienti penè toti esse communem.

S. HILARIVS in comment. Psal. 65. meminit cantus his verbis: *Audiat,* inquit, *erantes populi, consistens quis extra Ecclesiam, vocem: spectet celebres hymnorum sonitus.*

S. AMBROSIVS in oratione de tradendis basilicis, quæ habetur in 5. libr. epistolarum, aduersus Arianorum calumnias, cantum Ecclesiasticum, hymnosque suos defendit.

S. HIERONYMVS in epistola ad Oceanum de obitu Fabiolæ, & in altera ad Eustochium de obitu Paulæ, meminit cantus Ecclesiastici in funere. Et (quod magis est admirãdum) in vita B. Pauli primi eremitæ, scribit, S. Antonium, quamuis solus esset, Pauli exequias celebrantem, Psalmos, atque Hymnos de Christiana traditione cantasse.

S. IOANNES Chrysostomus cantus Ecclesiastici meminit hom. 56. in Matth. & hom. 59. ad populum Antiochenum. Ipse quoque cantum Ecclesiasticum auxit, & ornauit, vt scribit Socrates lib. 6. ca. 8.

S. AVGVSTINVS li. 9. Confes. ca. 7. scribit, ab Ambrosio primùm institutum fuisse, vt iuxta morem orientalium partium, Psalmi, atque Hymni in Mediolanensi Ecclesia canerentur, atque hunc vsum inde ad alias occidentis Ecclesias dimanasse, eundem vsum idem Augustinus probat, tum loco notato, tum etiam li. 10 ca. 33.

Sed quod ait, ab Ambrosio id primum institutum, nõ ita videtur accipiendum, quasi cantus Ecclesiasticus in occidente ante Ambrosij tempora planè ignotus fuerit. Contrarium enim testantur, quæ paulò antè citauimus ex Hilario & Tertulliano. Sed fortasse loquitur Augustinus non de cantu absolutè, sed de cantu totius populi. Antea siquidem Psalmum cantabat vnus tantum, audientibus cæteris. Vnde est illud Hieronymi in epistola ad Rusticum: *Dicas Psalmum in ordine tuo.* Fortasse etiam soli clerici, vt nunc fieri videmus, canebant. Ambrosius autem ad leniendum mœrorem populi in persecutione Iustinæ, instituit, vt totus populus caneret. Quod etiam fecit Chrysostomus in simili occasione apud Constantinopolim, vt Socrates refert lib. 5. hist. ca. 8.

Fortasse etiam non loquitur Augustinus de toto occidente, sed solùm de locis, in quibus ipse fuerat. Nam certè testimonium ex Hilario adductum, videtur omnino cogere, vt credamus in Gallia fuisse cõsuetudinem, vt populus in Ecclesia caneret, etiam ante Ambrosij tẽpora. Sed quicquid de hac re sit, id nobis hoc loco sufficit, ritum canendi in Ecclesia antiquissimum esse.

Adferamus postremò RATIONES ductas ab vtilitate eximia, quæ in hoc instituto cernitur. PRIMA vtilitas, quæ ex cantu percipitur, illa est, quod accẽdunt pia cantica non parum audientium animos. Cuius rei vel vnum Augustinum testem adduxisse sat erit. Sic enim ipse loquitur in lib. 9. Confess. capit. 6. *Quantum,* inquit, *fleui in hymnis, & canticis tuis, suaue sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat inde affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & bene mihi erat in eis.* Et lib. 10. cap. 33. *Cum reminiscor,* inquit, *lachrymas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuæ in primordiis recuperatæ fidei meæ, magnam instituti huius vtilitatem agnosco.* Et in epist. 119. cap. 18. *Sine dubitatione,* inquit *faciendum est maximè illud quod de Scripturis defendi potest, sicut de Hymnis & Psalmis canendis, cum & ipsius Domini, & Apostolorum habeamus documenta, & exempla. Et præcepta de re tam vtili ad mouendum pie animum, & accendendum diuinæ lectionis affectum.* D

ALTERA vtilitas in eo posita est, quod facilius, & libentius Deo laudes persoluuntur, quando officium diuinum, alioqui prolixum, & graue, quadam cantus iucunditate conditur. Quam enim ob caussam Spiritus sanctus voluit diuinas laudes à Prophetis carmine scribi, ob eandem vtile fuit, vt eiusmodi carmina non simplici pronunciatione, sed cantu celebrarentur. Cur autem voluerit Spiritus sanctus laudes diuinas carmine scribi, causssam reddit S. Basilius oratione in primũ Psalmũ, vt sine tædio, immò etiam cum voluptate, & delectatione discerentur, & frequentur, præsertim cum in eiusmodi laudibus diuinis multa fiut admista præcepta vitæ ac moribus vtilissima.

Magnã verò atque honestissimam percipi voluptatem ex cantu laudum diuinarum, docet LACTANTIVS

Universidad de Deusto
Biblioteca

lib. 6. cap. 21. *Si voluptas est* inquit, *audire cantus, & carmina, Dei laudes canere, & audire iucundum sit. Hæc est voluptas vera, quæ comes & socia virtutis est. Hæc est non caduca, & brevis, vt illæ quas appetit, qui corpori, vt pecudes seruiunt, sed perpetua, & sine vlla intermissione delectans.*

TERTIA vtilitas illa est, quod hac ratione testamur Ethnicis, & hæreticis non erubescere nos fidem nostrã, quandoquidem fidei dogmata, quæ ab Ethnicis, vel hæreticis irridentur, nos cantu, ac versibus celebrare non dubitamus. Cuius rei multa exempla in historia Ecclesiastica legi possunt. Vide S. Ambrosium in oratione de tradendis basilicis. Rufinum lib. 1. histor. cap. 35. & 36. cum scribit translationem reliquiarum S. Babilæ Martyris: & Theodoretum lib. 3. histor. cap. 17. vbi narrat res gestas Publiæ, & Virginum quas illa erudiebat.

QVARTA vtilitas est, vt Christiani testentur, sibi diuinam legem non esse molestam, & grauem, sed iucũdam & suauem, seque eam non ex timore, sed ex amore seruare, iuxta illud Psal. 118. *Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis tuæ.*

POSTREMA vtilitas est, vt Deo nostro perfectum omni ex parte reddamus obsequium, dum & animo ardentissimis votis, & corpore clarissima voce laudes eius celebrare contendimus.

Sed claudamus hunc locum verbis IVSTINI, aut quicunque fuit auctor quæstionum illarum, quæ inter opera Iustini leguntur. Sic enim auctor ille loquitur in responsione ad quæst. 107. *Excitat (cantus Ecclesiasticus) cum voluptate quadam animum, adflagrans eius, quod carmine celebratur, desiderium. Affectiones, & concupiscentias carnis fedat, cogitationes malas inimicorum, quos cernere non est, suggestione oborientes amolitur. Pietatis decertatores generosos, & fortes per constantiam in rebus aduersis efficit. Omnium verum quæ in vita vestes, & luctuosæ accidunt piis, adfert medicinam. Mentes ad sanctificationem diuinorum bonorũ rapit. Gladium spiritus hoc Paulus appellat in armamentario, vbi contra inimicibiles aduersarios, mulues veræ pietatis suis instruit armis. Verbum namque Dei est, & quod animi cogitatione, quod carminis præludio, quod carmine ipso celebratur, ac dæmones fugat, atque depellit. Et in rebus omnibus, quæ pie eueniunt, animus veræ pietatis vinculis per carmina Ecclesiastica perficitur.*

CAPVT XVII.

Soluuntur obiectiones aduersariorum.

ADVERSVS ea, quæ diximus, non desunt obiectiones quæ dissoluendæ sunt.

PRIMO igitur obiiciunt, qui cantum Ecclesiæ ferre non possunt, irrisionem illam Heliæ Prophetæ ad Sacerdotes Baal: *Clamate voce maiori. Deus enim est & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certe dormit, vt excitetur.* 3. Regum. 18.

RESPONDEO, Sacerdotes Baal non irridentur ab Helia, quia clamarent voce magna; nam neque clamasse eos Scriptura tradit; sed quia Baal inuocabant Deum inanem, & falsum, & qui exaudire non poterat. Alioqui enim si clamor in oratione reprehendi posset, reprehendenda fuisset mulier illa Chananea, quæ clamabat ad Christum Matt. 15. & cœli illi similiter clamantes Matt. 20. & ipse Dominus, qui cum clamore valido orauit Matth. 27. & Hebr. 5. & Stephanus qui (Actor. 7.) voce magna clamauit: *Ne statuas illis hoc peccatum.* Itaque inepte Illyricus, & alij Baalismum Sacerdotibus Catholicis propter cantum obiiciunt, nisi forte Christum, cui Catholici laudes canunt, & Baal pro eodem accipi velit Illyricus.

SECVNDO obiiciunt exemplum Annæ, quæ 1. Reg. 1. orabat in corde suo, ita vt vox penitus non audiretur. Hanc enim sanctam fœminam figuram Ecclesiæ fuisse, scribit S. Cyprianus in serm. 6. his verbis: *Deus non vocis, sed cordis auditor est, nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes videt. Quod Anna in primo Regum libro Ecclesiæ typum portans custodit, & seruat, quæ Dominum non clamosa petitione, sed tacitè, & modestè intra ipsas pectoris latebras precabatur.*

RESPONDEO, Anna priuatim orabat in templo, & ideò tacita, vel submissa voce preces suas fundebat, ne alios in eodem loco orantes suo clamore turbaret. S. etiam Cyprianus hoc exemplo instruit populum, siue Ecclesiam de ratione priuatæ orationis. Alia verò ratio est orationis publicæ, vel diuinarum laudum, quæ communiter celebrari debent. Nam in iisdem libris Regum legimus, Danidem instituisse Cantores, qui magnis vocibus Deum laudarent; & Salomon Rex nomine totius populi orans 3. Reg. 8. clara voce orauit, vt ab omnibus audiretur.

TERTIO obiiciunt illud Matth. 6. vbi Dominus iubet, vt qui orare volunt, *Intrent in cubiculum suum, & clauso ostio Patrem cœlestem in silentio orent.* Quem locum exponẽs CHRYSOSTOMVS hom. 19. in Matth. sic ait: *Non gestibus corporis, neque clamoribus vocis, sed intentione optimæ voluntatis orationum vota reddamus.* Et similia habet auctor operis imperfecti hom. 13.

RESPONDEO, Eadem est solutio. Dominus enim instruit eo loco fideles suos, cum priuatim orare volunt. Quocirca auctor operis imperfecti loco notato, TRES causas reddit, cur non sit magna voce in oratione vtendum; quæ omnes causæ cogunt, vt intelligamus hunc locum de oratione priuata: *Ex clamosa*, inquit, *oratione multa mala nascuntur, maximè* TRIA. PRIMVM, *qui clamosè orat, non credit Deum vbique esse, & absconsa audire.* DEINDE, *mysteria secretarum petitionum tuarum, quas fortè non oportebat alium scire præter te, & Deum, in auribus bonorum, & malorum hominum audienda committis.* DENIQVE, *clamosè orans, iuxta te alterum non permittis orare.* Hæc ille.

At qui publicè in Ecclesia Dei laudes, precesúe decantant, non ideò hoc faciunt, quia credant Deum non esse vbique, vel abscondita non audire, sed quia volunt homines ædificare, atque ad Dei laudes, & amorem excitare, pari ratione qui publicè canunt, non secretas petitiones Deo porrigũt, sed manifestas, & quæ ab omnibus audiri possunt. Denique non est mirum, si qui canunt in templo, non permittant alios priuatim, nisi difficulter orare, quoniam tempus illud non priuatas, sed publicas preces requirit. Itaque rationes illæ non habẽt locum, nisi vbi ab omnibus priuatim oratur.

Adde quòd præceptum Domini de ingrediendo cubiculo, & ostio claudendo, non tam ad cubiculum materiale, quàm ad cubiculum cordis referendum est, vt S. Augustinus monet in 2. lib. de serm. Domini in monte, cap. 6. alioqui pugnaret hæc sententia euangelica cum illa Apostolica 1. Timoth. 2. *volo viros orare in omni loco, &c.* Hoc igitur est, quod præcipit Dominus, vt cũ oramus, & intentio sit in abscondito, & aditum vanis cogitationibus præcludamus.

QVARTO obiiciunt illud Apostoli ad Ephes. 5. *Psallentes, & cantantes in cordibus vestris Domino.* In quem locum scribens S. HIERONYMVS ait: *Audiant hæc adolescentuli, audiant hi quibus Psallendi in Ecclesia officium est. Deo non voce sed corde canendum, nec in tragœdorum modum guttur, & fauces dulci medicamine colliniendas, vt in Ecclesia theatrales moduli audiantur, & cantica, sed in timore, in opere in scientia Scripturarum.*

RESPONDEO, Apostolus non meminit hoc loco vocis, sed tantum cordis, quoniam non erat necesse homines admonere, vt voce cãtarent (nemo enim propriè sine voce cantat) admonere autem vt corde canerent, om

omninò necesse erat, quoniam multi solis labiis Deum honorant. Et tamen ipse idem Apostolus 1. Corinth. 14. & vocis, & cordis mentionem facit, cum ait, Psallã spiritu, psallam & mente.

Porrò S. Hieronymus abusum reprehendit, non bonum vsum tollit. Et cum ait: *Deo non voce, sed corde cantãdum*, non intelligit solo corde, sed non sola voce esse cãtandum. Quod enim vocem S. Hieronymus non excludat, perspicuum est ex verbis illis: *Qui psallendi in Ecclesia officium habent.* Item ex illis: *Et canere, & psallere, & laudare Dominum magis animo, quam voce debemus.* Item ex illis: *Sic cantet seruus Christi, vt non vox cantantis, sed verba placeant, quæ leguntur.*

QVINTO obiiciunt eundem Hieronymum, præfatione lib. 2. in Habacuc dicit, titulum orationis Habacuc non debuisse verti, oratio Habacuc cum cantico (vt septuaginta verterũt) sed oratio Habacuc pro ignorantiis. Et rationem reddit, quoniam non decet orantem canere. Ex quo videtur posse colligi nõ tectè fieri, quod in Ecclesia nõ solùm Hymni & Psalmi, sed etiam Collectæ, & ipsa Dominica oratio cani soleat.

RESPONDEO, quæ propriè canuntur in Ecclesia, nõ sunt puræ preces, sed Hymni & Psalmi, quibus Dei laudes continentur: admisceri autem laudibus preces, & ea ratione cantari, nõ est absurdum. Alioqui Dauid Propheta reprehendi deberet, qui dum Psalmos canebat, simul etiam Deum orabat, vt ex verbis Psalmorum perspicuum est. Apud nos etiam non censetur absurdum, si quis inter canendas laudes Principis, aliquid ab eo modestè postulet. Quæ autem sunt puræ preces, vt Collectæ, & oratio Dominica non tam canuntur, quàm clara voce distinctè pronunciantur, & cum aliena vocis inflexione, quæ indicet supplicantis affectum. Vox enim supplicantis miserabilis esse debet, ac per hoc inflexionem aliquam vocis, sed modicam, & grauem requirit, qualis omninò illa est, quam in precibus ab Ecclesia adhiberi videmus.

SEXTO obiici posset testimonium Clementis Alexandrini lib. 2. Pædagogi. cap. 4. qui sic approbare videtur vsum canendi, vt vsum musicorum instrumentorum penitus improbet. Et in eandem sententiam descendit Iustinus, vel quicunque auctor est earum quæstionum, in q. 107.

RESPONDEO, Clemens Alexandrinus loquitur de conuiuiis, non de officio Ecclesiastico; nec omninò improbat vsum instrumẽtorum musicorum, quamuis mágis probet cantum solius vocis humanæ. Nam in eo ca. cum in vniuersum improbare visus esset instrumenta musica, addit tamen hæc verba, *Et si ad lyram, vel citharã canere, & psallere noueris, nulla in te cadet reprehensio. Hebræum iustum Regem imitaberis, qui Deo est gratus, & acceptus, &c.*

Iustinus autem dicit, vsum instrumentorum concessum fuisse Iudæis propter imperfectionem ipsorum; & ideo in Ecclesia locum non habere eiusmodi instrumẽta. Nos verò fatemur, vsum instrumẽtorum musicorum non ita conuenire perfectis, ac imperfectis, & ideo in Ecclesia serò admitti cœpisse; primùm enim tempore Vitaliani Pontificis circa annum Domini DCLX. Organorum vsus in Ecclesia esse cœpit, si Platine credimus; si verò fidem habere volumus Aimoino in libr. 4. de gestis Francorum, cap. 114. non ante Ludouici Pij tempora, id est, post annum Domini DCCC.XX. organa in Ecclesiis audita sunt.

Ex quibus omnibus illud efficitur, vt organa propter infirmos in Ecclesiis retinenda sunt, ita non facilè alia instrumẽta esse introducenda; & in ipsis organis nõ nisi res sacras & pias, sobriè, & grauiter exprimendas. Neq; enim enim leue peccatum, vel sacrilegij, vel superstitionis existimandum est, si quis inter sacra celebranda lasciuum aliquid organis ludat; & audientium animos nõ ad pietatem, sed ad amorẽ mundi & carnis accendat. Vide de ratione rectè canendi in Ecclesia, & de abusibus vitandis, Concilium Romanum sub S. Gregorio, quod habetur in Registro epistolarum eius lib. 4. cap. 8. Concilium Aquisgranense cap. 130. 132. & 133. Concilii Tridentinum sess. 22. in decreto de obseruandis & vitandis in celebrat. Missæ S. Bernardum sermon. 47. in Cantica; Rabanum lib. 2. de instit. clericorum. cap. 48. & Thomam Caietanum in commentario ad 2. 2. quæst. 19. art. 2.

CAPVT XVIII.

De iis, quæ requiruntur ad officium ritè persoluendum.

IAM verò de iis, quæ requiruntur ad officium diuinum ritè persoluendum, quæ erat TERTIA quæstio quartæ partis huius disputationis, breuiter differemus. Accuratam enim harum rerum tractationem relinquimus iis, qui ex instituto casus conscientiæ suscipiunt explicandos.

Igitur ad SEPTEM capita reuocari possunt, quæ necessaria sunt ad hoc munus, vt oportet, implendum, videlicet ad integritatem, ordinem, qualitatem, locum, tempus, attentionem, deuotionem.

INTEGRITAS in primis obseruanda est quo ad numerum, vt septem Horarum diurnarum, & vnius, vel trium nocturnorum officium integrè persoluatur. Cum enim hæ sint partes officij principales, qui vel vnam ex his partib. sciens, & prudens, ac non legitimè impeditus omitteret, lethali crimine se obstringeret, vt præter alios docet, grauis auctor S. Antoninus in 3. par. summæ Theologicæ tit. 13. cap. 4. §. 5.

Integritas DEINDE seruanda est quoad partes minores, vt Psalmos, Hymnos, Lectiones, &c. nec non etiã quoad alia singula verba. In qua re non leuiter peccant nonnulli, qui praua consuetudine dimidiata verba pronunciant. Quos officio non satisfacere censet Nauarrus in Enchiridio, cap. 25. num. 98. Sanctus verò Bernardus in serm. 47. in Cantica: *Non precidentes*, inquit, *verba dimidia, non integra transilientes, non fractis, & remissis vocibus, muliebre quiddam balba de nare sonantes, sed virili (vt dignum est) & sonitu, & affectu voces sancti Spiritus depromamus.*

ORDO in eo situs est, vt singula suo loco ponantur, & officia priorum Horarum priùs, posteriorum posterius absoluantur. Quanquam si quis forte secus fecerit, non ideò repetere cogetur quod non suo loco recitauit, vt S. Antonius rectè docet 3. par. tit. 13. capit. 4. §. 4. à quo Doctores cæteri non dissentiunt.

De ordine inter officium horarium, & officium Missæ disputari solet. Mihi probabilis videtur ea sententia, quæ habet, nullum esse ordinem essentialem inter Missam, & Horas canonicas, vt præter alios docet Dominicus à Soto lib. 10. de iustitia & iure, q. 5. art. 4. Ideo siquidem consuetudo Ecclesiastica seruat, vt ante Missam persoluantur officia Laudum, & Primæ, quoniam iuxta veteres canones, Missa celebrari non poterat nisi hora tertia, vel sexta, vel nona, vt perspicuum est ex can. Nocte, & seq. de consecr. dist. 1.

Cæterùm si quis ante ortum Solis, quod hoc tempore permitti non dubium est, Missam celebrare velit, rectius faciet, si officium Primæ sacrificio Missæ postponat, quàm si præponat. Quod Ecclesia ipsa Catholica exemplo suo nos docet, cum in nocte natalis Domini, non alia de causa Missas celebrari iubeat ante officium, nõ solùm Primæ, sed etiam Laudum, nisi quoniam media nocte nõ est canonicum tempus Laudũ, aut Primæ.

Quia tamen communis sententia, & consuetudo

fide

Universidad de Deusto
Biblioteca

fidelium id habere videtur, vt peccato mortali se obstringere censeatur, qui absque graui necessitate missam celebrare præsumit, Matutino officio non expleto. Vt patet ex Antonino par. 3. tit 13. ca. 6. §. 4. Petro Paludano in 4. d. 23. q. 2. artic. 2. Hostien. in sum. tit. de consecr. Ecclesiæ §. 2. Gab. super can. lect. 13. Syl. in verbo Missa. 1. q. 6. Navarro in Enchir. de orat. ca. 21. num 20. & aliis plurimis: & quia id expressè præscribitur in Rubricis Missalis Romani in principio, & in titulo de defectib. sine dubio tutius est hoc sequi, quàm propter probabilem aliquam rationem peccandi periculo se exponere.

QVALITAS officij tunc obseruatur, cum & Clerici suarum Ecclesiarum, & Monachi suorum ordinum formam sequuntur. Constat enim aliam esse formâ Romani Breuiarij, aliam Leodiensis, aliam Salisburgensis, aliam Mediolanensis, aliam aliarum quarundam ciuitatum; & rursum aliam Monachorum S. Benedicti, aliam Fratrum Prædicatorum, &c.

Et quamuis Cardinalis Caietanus in sua summa, vbi de Horis canonicis agit, doceat, non peccare lethaliter Clericos, siue Monachos, qui Romanum Breuiarium eligunt, propriæ Ecclesiæ, vel ordinis breuiario prætermisso tamè non est id vsque adeo certum, vel tutum, vt rectè monet Dominicus à Soto lib. 10. de iustitia & iure, q. 5. art. 4. nisi id fiat de consensu Episcopi & totius Capituli, iuxta concessionem Pij V. in Bulla, quæ habetur ad initium Breuiarij Romani.

Cuius rei DVPLEX est ratio. VNA, quoniam (vt S. Thomas docet in quodl. 6. art. 8. (quemadmodum Clericus, quia Ecclesiæ mancipatus, atque addictus est, ad officium Ecclesiasticum obligatur: sic etiã quia tali Ecclesiæ ratione beneficij addictus est, talis Ecclesiæ officium recitare debet. ALTERA, quoniam Concilium Viennense non indulgeret (hoc enim verbo Concilium vtitur, vt patet in Clementina Dignum, de celebr. Mis.) Clericis & Monachis, vt officium diuinum recitare possint iuxta formam officij Episcoporum, vel Cardinalium, cum quibus forte viuunt; nisi alioqui ex præcepto Ecclesiarum suarum, vel ordinum formã diuini officij sequi tenerentur. Porrò qui nec certæ Ecclesiæ, nec alicui ordini religioso addicti sunt, vt nonnulli, qui ad solum patrimonij titulum ordinantur; iis liberum est cuiuscũque Ecclesiæ formam sequi, vt ex directorio iuris docẽt S. Antoninus 3. parte tit. 13. c. 2. 4. §. 2. Nauarrus ca. 25. nu. 107. Rectè tamen facerent, si vsum illius Ecclesiæ sequerentur, apud quam ordinariè versari solent, iuxta consilium S. Augustini in epist. 118. cap. 2.

LOCVS publicarum precum, & laudum diuinarum proprius, atque ordinarius, Ecclesia est, vt habetur in Clement. 1. de celebrat. Miss. qui verò priuatim officium diuinum persoluunt, vbique id facere possunt; quamuis deceat, nisi necessitas cogat, loca turpia, vel minus honesta vitare. vt Ambrosius, siue quicunque est auctor, & Haymo, admonent in comment. ad illa verba: *Volo viros orare in omni loco.* 1. Timoth. 2. Rectè autem refellitur à Dominico de Soto li. 10. de iustitia & iure. q. 5. art. 4. eorum opinio, qui censebant non satisfacere officio diuino eos, qui beneficia Ecclesiastica possident, nisi in ipsa Ecclesia preces horarias cum cæteris clericis canant.

TEMPVS canonicas horas persoluendi, vt peccatũ mortale vitetur, est totum illud spacium, quod intercedit inter vesperam vnius diei, & mediam noctẽ alterius, vt S. Antoninus, & cæteri ferè omnes docent. Itaque si quis intra spacium illud preces Horarias legat, nõ peccat lethaliter, etiamsi alioqui non obseruet tempora singularum Horarum.

Solet autem quæri, quid accipiendũ sit hoc loco nomine *Vesperæ*, occasũs ne Solis, an tempus illud, quo vespertinum officium celebrari solet. Sed nos cum S. Thoma in quodli. 5. art. 28. in responsione ad 3. existimamus, A nomine *Vesperæ* intelligi debere tempus officij vespertini, ac per hoc non peccare lethaliter, qui post Vesperas & Completorium, continuò recitant officium matutinũ sequentis diei, etiamsi id fiat ante Solis occasum. Ratio enim, cur Doctores ad integrum officium persoluendũ assignẽt tempus à Vespera vnius diei vsque ad mediam noctem alterius; illa est, quoniam officium incipit à primis vesperis, & terminatur ad Completorium sequentis diei; Completorium autem celebrari debet secũdùm veterem ritum post occasum Solis, & vsque ad mediam noctem extendi potest, quoniam in media nocte incipit tempus canonicum officij Matutini.

Vt autem peccatum quodcunque etiam veniale vitetur, debent officia singularum Horarum illis horis celebrari, vnde nomina acceperunt. De quibus horis satis multa diximus supra, capite 11. Esse autem peccatum saltem veniale, à canonico tempore in officio persoluendo recedere, communis est sententia Theologorum. & Canonistarum, quorum ingentem numerum citat Marcellus Francolinus in lib. de tempore Horarum canonicarum cap. 24. num. 4. & capit. 25. num. 7. B

Intelligendum est autem, tunc solum peccatum esse, preces Horarias non suo tempore celebrare, quando & longè receditur à tempore canonico, & absque vlla rationabili caussa id præsumitur: nisi fortè cõsuetudo iam multis in locis recepta, & à piis doctisque viris tacito quodam consensu approbata excuset. Censetur autem longè recedere à legitimo tempore, qui tunc officium alicuius Horæ persoluit, cum verba, quæ leguntur, aut canuntur cum tempore nulla ratione conueniunt, vt si quis ante lucem dicat, Iam lucis orto sidere; vel sub Vesperam, Aurora lucis rutilat; vel ante meridiẽ, Iam Sol recedit igneus; vel mox à cœna, siue etiam ante cœnam, Somno refectis artubus spreto cubili surgimus.

Sed quicquid sit de rigore iuris, certè dubitari non debet, quin sit longè perfectius, fructuosius, & facilius officia singularum Horarum suis propriisque temporibus celebrare, quàm multa simul officia sine vlla horarum, & temporum distinctione cõiungere. Sic enim satisfit Ecclesiasticæ institutioni, quæ ideo in certas horas diurnas, atque nocturnas officium distribuit, vt in iisdẽ horis, atque adeo per omnes totius diei partes, Deũ laudemus: sic etiam maxima vtilitas ex officij recitatione ad nos accedit, dum tam crebro ad nos ipsi redimus, & à tumultibus seculi ad pacem Dei, animum reuocamus. sic denique labor precum horariarum in tot partes diuisus ita minuitur, vt leuissimus, ac pene nullus esse videatur.

Denique ita faciẽdum esse tunc etiam, cum priuatim officium diuinum persoluitur. sancti Patres apertissimè docent, quos cap. 11. citauimus. Quibus addi potest PETRVS DAMIANI, qui in epistola ad desiderium, de miraculis sui temporis, post narrationẽ horribilis exẽpli ad hanc rem pertinentis ita concludit: *Distinguenda sunt ergo per momenta temporum Ecclesiastica institutionis officia.* C

ATTENTIO TRIPLEX distinguitur à Doctoribus, VNA ad verba, ALTERA ad sententiam. TERTIA ad ipsum Deum, qui oratur, vel laudatur. Quælibet verò harum trium sufficit; neque necesse est, vt semper sit actualis, modò ita sit virtualis, vt voluntariè nunquã interrumpatur. Vide S. Thomam in 2. 2. q. 83. art. 13. Dominicum à Soto li. 10 de iustitia & iure, q. 5. art. 5. & Nauarrum in Enchiridio, cap. 25. num. 105. Huc pertinet illud Isaiæ 29. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Et illud Apostoli ad Ephes. 5. *Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino.* Illud quoque S. CYPRIANI in serm. 6. *Ideo & sacerdos ante orationem præparat fratrum mentes dicendo, Sursum corda, vt dum respondet plebs, Habemus ad Dominum admoneatur, nihil aliud se quã Dominum cogitare debere.* Et illud S. AVGVSTINI in epist D

in epist. 109. *Psalmis, & Hymnis dum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore.*

DEVOTIO, quam in officio diuino ritè persoluendo exigit generale Concilium Lateranense, vnde extat cap. Dolentes de celebr. Miss. partim est interna, partim externa; INTERNA deuotio est promptitudo quædam animi ad Deum laudandum, ac precandum, quam certè non habent, qui cum tædio ad hoc munus accedunt, vel de prolixitate facilè queruntur: deuotio EXTERNA est promptitudo ad genua flectenda, ad standum, ad canendum, & alia id genus præstanda.

Proderit autem ad deuotionem excitandam, si quis dum ad officium persoluendum accedit, breuiter apud animum suum reuoluat, vel se in precib cum Deo colloquuturum, vel in lectionibus Deum sibi loquẽtem auditurum, vel in Psalmis & Hymnis, cum Angelis Deo laudes esse dicturum. Sic enim fit, vt diuinum officium non per modum legentis historiam aliquam, sed affectu precantis, audientis, & laudantis Deum, deotè, reuerenter, humiliterque persoluat. Sic nimirum illi sanctissimi viri Psalmos canebant; apud quos, vt Chrysostom. scribit hom. 59. ad populum Antiochenum, Dauidica cantica multos mouebat fontes lachrymarum. Sic etiã S. AVGVSTINVS, qui de se scribit lib. 9. Confess. ca. 4. *Quas tibi voces dabam in Psalmis illis, & quomodo in te inflammabar ex eis?* Sic quoque S. BERNARDVS, qui serm. 7. in Cantica scribit: *Vsurpemus officium, quorum sortimur cõsortium, vt in ore infantium, & lactentium perficiatur laus. Dicamus Angelis, psallite Deo nostro psallite. Atque audiamus eos vicissim respondentes, Psallite Regi nostro psallite. Laudem ergo cum cœli cœtibus in commune ducentes, vtpote cives sanctorum, & domestici Dei psallite sapienter. Cibus in ore, Psalmus in corde, &c.* Vide eumdem serm. 47. B

Sed placet adscribere, quid de magno illo Dei seruo, & amatore FRANCISCO S. BONAVENTVRA tradat in vita eiusdem cap. 16. *Solitus*, inquit, *erat vir sanctus Horas canonicas non minus timorate persoluere, quam deuotè. Nam licet oculorum stomachi splenis & hepatis egritudine laboraret: nolebat muro vel pariete inhærere dum psalleret. Sed Horas semper erectus, & sine capitis non eyrotagis oculis, nec cum aliqua syncopa persoluebat. Si quando esset in itinere cõstitutus, sigebat tunc temporis gressum; huiusmodi consuetudinem veneremur & sacram propter pluuiarum inundantiam non omittens. Dicebat enim, si quicte comedit corpus cibum suum, futurum cum ipso vermium esca; cum quanta pace, & tranquillitate accipere debet anima cibum vitæ?* C

CAPVT XIX.

De iis, qui ex officio tenentur ad Horas canonicas persoluendas.

RESTAT pars VLTIMA disputationis, quæ est de iis, quibus incumbit ex proprio munere diuinum hoc tributum Domino reddere. Et quidem non dubium est apud Catholicos hoc officium ad Clericos & Monachos, atque ad Clericos, vel ratione ordinis sacri, vel ratione Ecclesiastici beneficij propriè pertinere. Extant enim non pauci Cœciliorum veterum canones, vnde id colligi potest; de quibus vide apud gratianum, d. 92. can. finali, & in epistolis decretalibus cap. Presbyter de celebrat. Miss. & cap. Dolentes, eodem titulo; & clementinam primam, eodem etiam tit. Item Cõcilium Cabilonense can. 59. Moguntinum sub Rabano can. 16. Concilium Lateranense postremum sub Leone X. sess. 9. & alia id genus. D

Est autem quæstio, an id rectè fiat, vt soli Clerici & Monachi, ad hoc officium obligẽtur. Id enim reprehendi ab aduersariis, ac potissimum à Ioanne Brentio, notauimus cap. 12. Sed quia res facilis est breuiter expedi- A ri poterit.

TRIBVS igitur argumentis probamus id rectè fieri. PRIMVM enim id probatur exemplo veteris Ecclesiæ vtriusque Testamenti. Nam in Testamento vetere non totus populus, sed soli Leuitæ Psalmos ex officio publicè decantabant. 1. Paralip. 15. *Dixit Dauid Principibus Leuitarum vt constituerent de fratribus suis cantores, &c.* Et cap. 16. *Constituit itaq; coram arca Domini de Leuitis qui ministrarent & recordarentur operum eius, & glorificarent, atque laudarent Dominum Deum Israel.* In Testamento nouo Apostoli primi fuerunt, qui relicta Cura temporalium rerum, munus suum proprium esse dixerunt, Verbo Dei, & orationi sine intermissione instare: *Nos* (inquiunt Act. 6. *orationi, & Verbo Dei instantes erimus.* Ex quo intelligimus, omnium quidem fidelium esse priuatim orare, & alios exhortari; sed proprium esse sacerdotum publicè populo prædicare, & pro eodem populo assiduè orare. Et sicut reprehendere non possunt aduersarij, quod non omnes in Ecclesia Verbum Dei prædicent, sed soli Ministri ad hoc munus electi, & ordinati; ita reprehendere nõ debent, quod ipsi soli publicas preces in Ecclesia fundant, & ex officio Dei laudib. vacent. Exemplo ista Scripturarum sequutam esse antiquã Ecclesiam, & munus Deum laudandi, ac precandi publicè, solis Clericis, & Monachis demandasse, perspicuum est ex Conciliis supra citatis, tum in hoc ipso capite, tum etiam in cap. 16.

DEINDE idem probatur argumento ducto à similitudine militiæ Reipub. temporalis habet milites suos, qui die noctuque excubant ad custodiam ciuitatis; cur enim nõ conueniat vt Respub. spiritualis id est, Ecclesia habeat suos, qui similiter excubent cõtra spirituales nequitias, easque clamãdo exterreant? *Super muros tuos* (inquit Dominus Isaiæ cap. 26.) *Hierusalem constitui custodes tota die, & nocte in perpetuum non tacebunt.* Quem locum S. HIERONYMVS de Pastoribus Ecclesiæ exponit: *Qui custodes*, inquit, *nec diebus debent, nec noctibus tacere, sed semper Domini clementiam deprecari vt grex illius, & muri Hierusalem custodiantur, & valeantur eius auxilio. Vnde & ad eosdem custodes atque doctores sermo dirigitur, ô vos qui recordamini Domini estis, clementiam die ac nocte precibus fatigatis, canete ne vnquam in ore vestro sileat oratio.* B

TERTIO, idem probatur alio argumento ducto, item à simili. Nam si ad cætera omnia munera certi homines destinantur, & non omnes ex officio docent, aut hanc, vt illam artem exercent; cur non par sit ad munus Deum laudandi, atque assiduè precandi certos homines destinari? præsertim cum reliquus populus aliis rebus occupatus, neq; tam frequenter, neque tanta intentione huic summo negocio vacare possit, quàm eius dignitas, & necessitas postulat.

DVÆ solent hoc loco quæstiones tractari, VNA quo iure teneantur Clerici & Monachi, ad Horas canonicas persoluendas, diuinò ne, an humano; ex qua quæstione pendet alia, Vtrum possit in hac re à summo Pontifice dispensari: ALTERA quæstio est, Vtrum qui ratione beneficij ad hoc officium obligantur, fructibus beneficiorum carere debeant, si diuinum officium non persoluant. C

AD PRIOREM breuiter RESPONDEMVS, iure diuino teneri Clericos & Monachos, ad vacandum precibus, & laudibus Dei, magis quàm cæteros, tamen formam illam precum, & laudum, quæ nunc est in vsu, non à iure diuino, sed ab Ecclesiæ determinatione pendere.

Quod verò Panormitanus, insignis alioqui Iuris interpres, scribit in cap. 1. de celebr. Miss. iure diuino determinatum esse numerum septem Horarum, cum scriptũ sit: *Septies in die laudem dixi tibi*, Psalm. 118. & ideo non posse in Horarum numero per Ecclesiam dispensari, D

non

Universidad de Deusto
Biblioteca

non est magni ponderis. Illud enim Scripturæ testimonium nō præceptum, sed exemplum continet. Et exemplum Regis, non Sacerdotis. Proinde si quid efficeret, ad Horas canonicas Reges obligaret, non Sacerdotes. Adde quod Horæ canonicæ in Ecclesia aliquando solum quinque, aliquando sex, aliquando etiam octo fuisse videntur, vt supra notauimus. Vide Ioannem de Turrecremata in can. Eleutherius, dist. 91. & Nauarrum in Enchiridio. cap. 25. num 102.

Ad POSTERIOREM quæstionem RESPONDEAMVS, quicquid olim Doctores aliqui senserint, hoc tempore dubitari non posse, quin fructibus beneficiorum carere, & si eos perceperit restituere debeant, vt in eleemosynis pauperum, vel Ecclesiæ fabricam insumantur, qui diuinum officium nō persoluunt. Extat enim de hac re perspicuum decretum in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 9. §. Statuimus. Et in constitutione Pij V. Pontificis, quam vide apud Nauarrum. cap. 25. num. 122. Atque hæc de Horis canonicis, & oratione hoc loco sufficere possunt.

LIBER SECVNDVS.

DE IEIVNIO.

CAPVT PRIMVM.

De nomine, & varia acceptione Ieiunij.

DE IEIVNIO, Quod est alterum ex bonis operibus, & orationi, atque eleemosynæ tanquam comes adiungitur. QVINQVE capita tractanda suscepi. PRIMVM enim differam breuiter de nomine, & varia acceptione ieiunij. DEINDE de iis, quæ ad essentiam ieiunij requiruntur. TERTIO, de præcepto ieiunij, tum diuino, tum humano: QVARTO, de fine, id est, de fructu, & vtilitate ieiunij. QVINTO, de temporibus ieiuniorum, vt Quadragesima, Aduentu, Vigiliis, &c.

Igitur nomen ieiunij abstinentiam à cibo significare videtur; Græcè enim ieiunare dicitur νηστεύειν, quasi νὴ ἐσθίειν, id est, non edere. Vnde est nomen Latinum inedia. Accipitur autem vox ieiunium QVATVOR modis ex quibus oriuntur quatuor quasi genera ieiunij, spirituale, morale, naturale & Ecclesiasticū. Ieiunium SPIRITVALE dicitur abstinentia à vitiis, iuxta illud Isai. 58. *Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi, dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, &c. Ieiunium magnum*, inquit sanctus AVGVSTINVS tractatu 17. in Ioannem: *Et generale est, abstinere ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus seculi.* Et libro secundo quæstionum Euangelicarum, quæstione 18. *Scriptura*, inquit, *docet generale ieiunium non à concupiscentia ciborum tantum, sed ab omni latitia temporalium delectationum.* Cæterum hæc abstinētia metaphoricè ieiunium appellatur, sicut ipsa delectatio vitiosa cibus non est, nisi metaphoricè. Neque de tali ieiunio disputare aggredimur.

Ieiunium Morale, est parsimonia illa, & temperantia cibi, & potus, quàm Philosophi quoque duce natura, & ratione approbauerunt, & quam eorum aliqui tenuerunt. De qua vide S. Hieronymum in libr. 2. aduersus Iouinianum. De hoc etiam ieiunio nos hoc loco minimè disputamus.

Ieiunium Naturale, vocant Theologi abstinentiam ab omni prorsus cibo, vel potu, quacūque ratione sumpto. Dicitur autem sumptus cibus, vel potus, quādo iam ad stomachum est transmissus. Si quis enim cibum aliquem degustatum continuò expueret, non solueret naturale ieiunium. De hoc ieiunio diximus in disputatione de Sacramento Eucharistiæ; non enim est in præcepto eiusmodi ieiunium, nisi propter communionem corporis Domini: *Placuit enim Spiritui sancto* (vt loquitur sanctus AVGVSTINVS in epistola centesima decima octaua) *vt propter honorē tanti Sacramenti, prius in os Christiani Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi.*

Ieiunium Ecclesiasticum, de quo solo disputare nobis propositum est, definiri solet abstinentia cibi secundùm Ecclesiæ regulam assumpta.

Dicitur ieiunium Ecclesiasticum *abstinentia cibi*; quoniam TRIA sunt, quæ per os traiiciuntur ad stomachum; PRIMVM ea, quæ per se referuntur ad corpus alendum, & hi propriè dicuntur cibi, siue sumantur per modum cibi, vt panis, & caro; siue per modum potus, vt mel, lac, iusculum, & similia,

SECVNDO ea, quæ per se referuntur non ad corpus alendum, sed ad iuuandam cibi digestionem, vel ad restinguendam sitim, qualia sunt vinum, aqua, sicera, &c. quorum sumptio propriè dicitur potus. Quamuis enim vinum etiam nutriat, tamen per se non ad nutriendum, sed ad alios effectus (vt diximus) ordinatur.

TERTIO, quæ referuntur per se non ad corpus alēdum, vel sitim extinguendam, sed ad morbos pellendos, vel euitandos, atque hæc non cibi, vel potus, sed pharmaca nominantur; quamuis enim interdum medicamēta vel carnem nutriant, vel sitim sedent, tamen distinguuntur à cibo, & potu, ratione proprij finis, qui est morbos impedire, vel tollere. Ieiunium igitur Ecclesiasticum dicitur abstinentia cibi quoniam hoc ieiunium, neque potus, neque medicamētorum, sed solius cibi abstinentiam per se requirit.

S. LEO serm 8. de ieiunio septimi mensis: *Licet*, inquit, *ieiunium generali nomine ad omnem continentiam pertinere videatur, proprie tamen ad edendi diminutionem refertur, vt presit nunc voluntate non sumere, quo ab initio contra vetitum nocui usurpasse, vt sicut illic concupiscentia vulneri, sita hic abstinentia sit salui.* Idem tradit sanctus Thomas in 2. 2. qua stione 147. art. 6. & Theologi cæteri in 4. sententiarum distin. 15.

Addidimus in explicatione ieiunij Ecclesiastici, *secundùm Ecclesiæ regulam assumpta*, quibus verbis, non voluimus significare, nullum esse ieiunium Ecclesiasticū, nisi ab Ecclesia indictum, scimus enim ieiunium Ecclesiasticum aliud esse voluntarium, aliud necessitatis, &

& aliud necessitatis ratione voti, aliud ratione præcepti: sed indicare voluimus ieiunium Ecclesiasticum esse abstinentiam cibi, non qualemcunque, sed iuxta regulam ieiunantibus ab Ecclesia, vel consuetudine, vel lege præscriptam.

TRIA verò sunt, quæ secundum regulam Ecclesiasticam ad ieiunium requiruntur, PRIMVM, vt qui ieiunat, semel tantum in die cibum sumat: SECVNDO, vt vna illa refectio sit cœna, non prandium; TERTIO, vt habeatur ciborum delectus, & præsertim à carnibus se abstineat, qui Ecclesiastico more ieiunat.

CAPVT II.

Vnicam in ieiunio refectionem, eamque cœnam esse debere, non prandium.

EX tribus illis, quæ ad ieiunium Ecclesiasticum exigi diximus, duo priora, hoc est vnica refectio, & hora tardior, à Kemnitio nō negatur, sed solum tertium, id est, ciborum delectus. At Caluinus libro 4. Institutionum, cap. 12. omnia tria negare videtur; dicit enim ieiunium tribus rebus perfici, tempore, qualitate, & quantitate: sed per tempus non intelligit certam, ac definitam horam; sed solum, vt ieiunium non soluatur antequam res illa peracta sit, cuius gratia ieiunium est susceptum, vt si ieiunium suscipiatur propter solennem precationem, non antè capiatur cibus, quàm solennis precatio absoluatur. Per quantitatem nō intelligit vnicā refectionem, sed vt minus solito comedatur: per qualitatem non delectum alicuius cibi in specie; sed abstinētiam à lautitiis in genere. Nos igitur de duobus prioribus in hoc capite breuiter, de tertio in sequenti capite fusius disseremus.

VNAM igitur refectionem, eamque cœnam esse debere nō prandium, cum ieiunio detur opera, facilè probari potest. Extant enim exempla Scripturarum, testimonia Patrum & perpetua cōsuetudo fidelium. In Testamento veteri cum de ieiuniis agitur, horæ vespertinę fit mentio, Iudicum 20. *Ieiunauerunt illa die vsque ad vesperam.* Idem habetur 2. Regum 1. & 3. & alibi. Ex quo intelligimus apud Patres veteris Testamenti ieiuniū fuisse, semel tantùm, idque ad Vesperam cibum capere, ex qua consuetudine fluxit superstitiosa obseruatio Iudæorum, & Saracenorum, qui cum ieiunant non ante cibum sumere audent, quam stellam conspexerint, vt de Iudeis S. Hieronymus refert libr. 2. in Iouinianum, & ante eum Tertullianus in lib. contra Psychicos, extremo. De Saracenis perspicuum est ex cap. 2. Alcorani.

Porrò Christiani veteres non ita superstitiosè stellas obseruabant, sed tamen ieiunia non soluebant, nisi hora nona ab ortu Solis, vel etiā hora vespertina in Quadragesima. Et vnicam illam refectionem, non prandium, sed cœnam nominabant. TERTVLLIANVS in libro de ieiunio contra Psychicos, scribit, Psychicos solitos ieiunia protrahere vsque ad horam nonam, suos autem, id est, Montanistas, vsque ad Vesperam, vbi scribit quidē aduersus Ecclesiam, & Catholicos vocat Psychicos, id est, animales, propterea quod non admitterent nouam disciplinam Montani de tribus Quadragesimis, & ieiunio ordinatio vsque ad Vesperam: tamē ex eo colligimus, antiquissimum esse vsum Ecclesiæ ieiunandi vsque ad nonam.

S. ATHANASIVS in libro de Virginitate loquens de hora soluendi ieiunium: *Post communionem*, inquit, *hora nona comede panem tuum gratias agens Deo super mensam tuam.*

S. BASILIVS orat. 1. de ieiunio, de Quadragesima loquens: *Expectas*, inquit, *vesperam, vt cibum capias, &c.*

S. EPIPHANIVS in fine librorum aduersus hæreses: *Quarta*, inquit, *& pro Sabbatho ieiunium statuit, vsque ad horam nonam.* Et ibidem dicit, sex diebus ante Pascha protrahendum esse ieiunium vsque ad Vesperam.

S. AMBROSIVS serm. 8. in Psal. 118. *Indictis*, inquit, *est ieiunium, cauē ne negligas: & si te fames quotidianum cogit ad prandium, vt intemperantia declines ieiunium: tamen cœlesti magis te seruato conuiuio, non epulæ parata extorqueam, vt cœlestibus sis vacuus Sacramentis. Differ aliquantulum, non longè finis est diei.*

S. HIERONYMVS in Epistola ad Eustochium de custodia Virginitatis, dicit, apud Monachos quosdam ieiunium totius anni æquale esse, excepta Quadragesima, in qua sola conceditur districtius viuere. Dixerat autem paulò ante, Monachos illos post horam nonam cibum sumere solitos fuisse. Ex quo intelligimus, horam nonam esse tempus soluendi ieiunij ordinarij, in Quadragesima verò expectandam esse horam tardiorē. Ibidem ait, senibus, & paruulis sæpe fieri prandium; significare volens, senes, & parulos sæpe excipi à lege ieiunij. Et rursus ibidem: *A Pascha*, inquit, *vsque ad Pentecosten cœna mutantur in prandia, quo & traditioni Ecclesiastica satisfiat, & ventrem cibo non onerent duplicato.* Ex quo loco apertissimè colligitur, non satis esse ad ieiunium, vt quis tantùm semel capiat cibum, nisi etiam tarda hora illum capiat, vt ea refectio cœna, non prandium dici possit. Siquidem Monachi illi censebantur non ieiunare à Pascha vsque ad Pentecosten, quia prandebant, quamuis alioqui semel tantùm, non bis in die cibum sumerent.

PRVDENTIVS in hymno post ieiunium, describēs horam soluendi ieiunium.

Nona, inquit, *submissum rotat hora solem,*
Partibus vix dum tribus euolutis,
Quarta deuexo supereſt in axe
Portio lucis.
Nos breuis voti dape vindicata,
Soluimus festum fruimurq; mensis
Affatim plenis, quibus imbuatur
Prona voluptas.

S. PAVLINVS in epist. 6. ad Amandum: *Quotidiana*, inquit, *ieiunia non refugit, & pauperem mensam vespertinus conuiua non horruit.*

S. IOANNES CHRYSOSTOMVS hom. 4. in Gen. de ieiunio Quadragesimæ loquens, apertè indicat, horam soluendi ieiunium in quadragesima esse vesperam: *Non existimemus*, inquit, *ineiaam vsque ad Vesperam ad salutem nobis sufficere.* Et rursus homil. 6. *Quæ*, inquit, *vtilitas ieiunij, dic obsecro, si tota die nihil comedis; ludis autem, & nugaris, sæpe etiam peieras, & blasphemas, & ita totum perdis diem.*

S. AVGVSTINVS in epist. 96. ad Casulanum, disputans de ieiunio Sabbathi, passim accipit non prandere pro eo quod est ieiunare, & contrà, non ieiunare pro eo, quod est, prandere. Et in epistola 118. ad Ianuarium, cap. 7. dicit, horam soluendi ieiunium esse nonam.

IOANNES CASSIANVS collat. 21. cap. 23. scribit, horam capiendi cibi tempore ieiunij esse horam nonā, tempore autem Quinquagesimę, id est, à Pascha ad Pentecosten esse horam sextam.

S. BENEDICTVS in regula cap. 41. *Quarta*, inquit, *& sexta feria ieiunent vsque ad nonam.* Et intrà: *Ab initio Quadragesimæ vsque ad Pascha ad Vesperam reficiant.*

S. GREGORIVS lib. 3. Dialogorum, cap. 15. describens vitam Florentij Monachi, dicit, eum cùm non ieiunabat, hora sexta, cum ieiunabat, hora nona cibum sumere consueuisse.

S. BERNARDVS serm. 3. de Quadragesima: *Hactenus*, inquit, *vsq; ad nonam ieiunauimus soli, nūc vsque ad Vesperā ieiunabunt nobiscū omnes fere Reges & Principes, clerus &*

Universidad de Deusto
Biblioteca

populus, nobiles & ignobiles, simul in vnum diues, & pauper.

MICROLOGVS in libro de Ecclesiasticis obseruationibus, cap. 49. *In hoc*, inquit, *quadragesimale ieiunium ab aliis differt, quod in aliis post nonam, in hoc autem post vesperã reficiendi debemus. Nec iuxta canones, quadragesimaliter ieiunare censemur, si ante Vesperam reficimur.* Canon autem, quem ipse citat, videtur esse ille, quem ex CABILONENSI Concilio his verbis refert Gratianus de consecr. dist. 1. *Solent plures qui se ieiunare putant in Quadragesima, mox vt audierint signum ad horam nonam manducare. Qui nullatenus ieiunare credendi sunt, si ante manducauerint, quam vespertinũ celebretur officium.*

Denique apud veteres, quamuis de tempore Quadragesimæ nonnulla varitas esse videatur, an ad finem diei, an post horam nonam ieiunium solui possit, tamen inauditum est prorsus, vt ante horam nonam, quæ est tertia post meridiem, ieiunium quodcunque soluatur. Quemadmodum etiam nulla est apud veteres mentio binæ refectionis, cum de ieiuniis agitur.

Porrò S. Thomas in 2.2. quæst. 147. art. 6. & 7. rationem reddidit, cur ad ieiunium ritè seruandum vna refectio, & hora nona ex Ecclesiæ lege vel consuetudine requiratur. Vnius enim refectionis illa est caussa, quod ieiunium ideo sit institutum, vt natura dometur, nõ vt destruatur. Domatur autem, & non destruitur, si assueta bis cibum capere, semel tantum sumat; destrueretur enim si nihil sumeret, & non domaretur si nihil amitteret. Horæ autem nonæ ratio est, quoniam qui ieiunant, carnem suam quodammodo crucifigunt, & Christo patienti compatiuntur: Christus autem vsque ad horam nonam in passione perdurans, illa demũ hora à doloribus, & laboribus requieuit.

Sed opus erit breuiter Kemnitio respondere, qui in 4. parte examinis Concilij Tridentini, pag. 516. & 517. Catholicos reprehendit, quod non amplius horam nonam, aut vesperam expectent, cum temporibus ieiuniorum cibum capiunt, quodque non semel, sed bis corpus reficiant, dum sumunt prandium sub meridiem, cœnulam sub vesperam.

PRIMVM RESPONDEMVS, Vsum ieiunia soluendi circa meridiem, & cœnulam sumendi sub noctẽ ab Ecclesia non imperari, sed tolerari; neque deesse inter Catholicos, qui vnica omninò refectione contenti, nihil omnino cibi degustent nisi vel hora nona, vel sub vesperam. Neq; enim ignorant ieiuniũ tantò esse perfectius, quantò diutius refectio, siue cœna differtur.

DEINDE, addimus determinationes ejusmodi rerũ, quæ non habentur ex diuino iure, posse per Ecclesiasticam legem, vel consuetudinem pro locorum, & temporum diuersitate ita variari, vt quod vno loco, vel tempore non licet, alio loco, vel tempore liceat. Nam & apud veteres in Quadragesima quædam prouinciæ hora nona soluebãt ieiunium, aliæ non nisi sub Vesperã. In quibusdã locis Sabbatho ieiunabatur, in aliis prædebatur. Et multa huiusmodi refert S. Augustinus in epistol. 118. Itaque tametsi nostro tempore seueritas ieiuniorum aliquantulum relaxata esse videatur, tamen non ideo reprehendi possunt populi Christiani, qui morem in Ecclesia introductum, atque à Pastoribus vel probatum, vel certè permissum sequi volunt.

ADDIMVS postremò, non carere probabili ratione mutationem illam horæ nonæ in horam sextam, quod attinet ad tempus soluendi ieiunia. Nam quando veteres definierunt horam nonam pro solutione ieiunij, tẽpus ordinatum cibũ sumendi solebat esse Meridies. Satis enim esse putauerunt ad carnis afflictionem, & castigationem, si ad spatium trium horarum i. ab hora sexta vsque ad nonam refectio differretur. Nostro verò tempore magna pars hominum non hora sexta, sed tertia prandere solet, ex quo sequitur, vt si tempore ieiunij cibum sumant hora sexta, hoc est ad meridiem; tribus horis serius ad reficiendum corpus accedant, quàm ordinariè soleant; ac per hoc ab antiqua consuetudine non recedant.

Fuisse autem apud veteres in more positũ, vt ad meridiem prandium sumerent, multis testimoniis ostendi potest. Vt omittam, quod prandium, scribit Festus, dictũ esse etiam meredam, quod meridie fieret. Et Plutarchus lib. 8. de problematibus conuiualibus, problemate sexto, dicit, prandium nomen habere ad hora meridiana, vt sit prandium quasi patendion. Gen. 43. Ioseph cum fratribus ad meridiem prandet. Lib. Esdræ cap. 8. vsque ad meridiem populus audit lectionem legis, inde dimittitur ad capiendum cibum. Dani. 13. de hora merediana qua finiebãtur iudicia, dicunt senes, eamus domum, quia hora prandij est. Ioann. 4. hora dicitur fuisse quasi sexta cum discipuli cibos parauerunt, vt Dominus prandere posset. Act. 2. B. Petrus, vt probaret, Apostolos non fuisse ebrios post acceptum Spiritum sanctum, vt turbæ existimabant, satis esse putauit, si diceret, horam tertiã tunc fuisse. Act. 10. idem Apostolus hora sexta sibi prandium parari iubet. Ioannes Cassianus collat. 21. capit. 23. Festis diebus, quibus nõ ieiunatur, hora sexta cibum sumendum esse dicit. Quod idem statuit S. Benedictus in Regula cap. 41. S. etiam Gregorius lib. 3. Dialogorum, cap. 15. tempus cibi capiendi, cùm non ieiunatur, horam sextam, cũ ieiunatur, horam nonã fuisse scribit. Denique S. Thomas in 2.2. qu. 147. art. 7. ideo dicit, horam nonam aptissimam esse soluendo ieiunio, quoniam tribus horis distat à meridie, quod est tempus prandij, cum non ieiunatur. Sed quamuis hæc ita sint, & probabilem caussam suæ consuetudinis habeant, qui ieiunium soluunt hora sexta, tamen fatendum est, melius illos facere, qui more vetere non ante horam nonam, & in Quadragesima non ante Vesperam cibum capiunt.

CAPVT III.

De ciborum delectu referuntur sententiæ Hæreticorum.

DE TERTIO, quod ad ieiunium pertinere diximus, hoc est, de ciborum delectu, DVÆ contrariæ hæreses Ecclesiam vexarunt, & ex parte etiã vexant. Vna fuit hæresis, cibos quosdam natura sua esse immundos, ac per hoc illicitos, atq; prohibitos. Et alij quidem omnium animantium carnes immundas esse dicebant, vt Ebionitæ apud Epiphanium hæresi 30. Encratitæ apud Augustinum hæresi 25. Eustathiani apud Socratem lib. 2. cap. 33. Priscillianistæ apud Augustinum hæresi 70. Apostolici apud Bernardum serm. 66. in Cantica. Alij non solùm carnes, sed etiam vinum immundum dixerunt, atque omnino vitandum, vt Manichæi apud Augustinum hæresi 46. quam hæresim, quod attinet ad vnum, sequutus est etiam Mahometus in Alcorano cap. 3. qui rursus cap. 13. prohibet quoque suis sanguinem, & suffocatum, & à lupo tactum.

Aduersus hanc hæresim pugnant apertissima Scripturæ testimonia; ac præsertim illud Apostoli Pauli, 1. Tim. 4. *Spiritus manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedant quidã a fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorũ, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatã habentium suam conscientiã, prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelib. & iis qui cognouerũt veritatem, quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* Pugnat etiam aduersus eandẽ hæresim exemplũ Domini & Apostolorũ, qui tũ aliàs, tũ potissimùm in vltima cœna Agnũ comederunt, & vinum biberunt.

ALTERA igitur hæresis priori cõtraria fuit aliorũ, qui

qui nullos omnino cibos, neque in perpetuum, neque ad tempus; neque omnibus, neque quibusdam, neque absolutè, neque certa de caussa interdici patiuntur. Ad hanc hæreticorum classem pertinent inprimis Nicolaitæ, & Valentiniani, qui cibos etiam Idolis immolatos audacter edebant, vt Irenæus refert lib. 1. cap. 1. & 27. ad eandem classem pertinet Iouinianus, qui teste S. Hieronymo in 2. lib. aduersus eundem Iouinianum, & S. Augustino in lib. de hæres. cap. 82. docebat, Ieiunia, & à cibis quibusdam abstinentiam nihil prodesse.

Ad eandem pertinent omnes huius temporis hæretici, & eorũ præcursor Erasmus. Nam in epistola ad Episcopum Basileensem ERASMVS: *Paulatim*, inquit, *irrepsit consuetudo, quæ diem Veneris pisculentum nobis reddidit. Deinde vbi hoc successit, adiuncta est & Sabbathi dies: nunc etiam Mercurij periclitatur. Ob idq; genus obseruationculas videmus, homines affligi, & denique mori, fibiq; Christianos videri, cum sint Iudei.* Hæc ille, qui librum eriã integrum scripsit de interdicto esu carnium, quem (vt verum fatear) nunquam vidi. Porro ciborum delectum, qui in Ecclesia Catholica certis diebus ab omnibus, & omnibus diebus à quibusdam religiosè seruatur, passim reprehendunt, Lutherus in libro de libertate Christiana, Philippus in Cõfessione Augustana, & Apologia ar. 15. & 26. Ioanne Brentius in Confessione VVirtembergẽsi cap. de Ieiunio. Centuriatores lib. 2. cent. 1. cap. 4. col. 395. Ioan. Caluinus lib. 4. Instit. cap. 12. Martinus Kemnitius in 4. par. examinis Concilij Tridentini, & alij multi, quos longum esset recensere.

QVATVOR autem sunt, quæ illis non placent in nostro delectu ciborum; PRIMO, quod videamur existimare cibos aliquos esse per se malos, & immundos more veterum hæreticorum. SECVNDO, quod ad rationem ieiunij pertinere dicamus abstinentiam à carne, & ab ouis & caseo; cum ipsi contrà existiment ad ieiunium solum pertinere abstinentiam à lautitiis, & proinde melius ieiunare eum, qui carne fumo durata fobriè vescitur, quàm qui optimis piscibus, & variis condimentis gulam irritantibus vtitur. TERTIO, quod delectum ciborum Ecclesia ita imperet, vt in conscientia peccare iudicentur, qui secus fecerint. QVARTO, quod delectum ciborum meritorium esse velimus, & cultum Dei ex re indifferente faciamus.

Sed tertium, & quartum explicantur paulò post in tertia, & quarta parte huius disputationis. De primo, & secundo tantum hoc loco agendum erit. Itaq; primùm refellemus calumniam illam impudentem de immunditia ciborum. Deinde probabimus, ad rationem ieiunij pertinere abstinentiam à certis cibis, ac potissimum à carnibus.

CAPVT QVARTVM.

Refellitur impudens calumnia hæreticorum circa ciborum delectum.

MVLTI quidem ex aduersariis, Catholicæ Ecclesiæ illud obiiciunt quod cibos prohibeat, quasi naturã tua immundi sint: sed quia copiosius, quàm cæteri Kemnitius hoc argumentum tractat in 4. par. examinis Tridentini Concilij pag. 460. & seq. ideo solius KEMNITII refellemus. Ac si quis forte miratur, cur nunc demũ quartam istam partem Kemnitiani examinis attingamus, cuius nullam mentionem fecimus in disputatione de cœlibatu, de festis, de cultu sanctorum, de reliquiis, & imaginibus; sciat is, nobis, qui procul à Germania degimus, tertiam & quartam partem examinis Kemnitiani prorsus fuisse incognitam, cùm illa scribaremus.

Sed ad rem: *Laborant*, inquit KEMNITIVS, *Pontificij magno conatu emdiri sufficione istam, quasi cibos quosdã prohibeant, ea opinione, sicut olim Tatianus, Manichæi, & Priscil ianistæ, quasi scilicet vel maledictis sint, vel a Diabolo occupati: ac propterea conscientiam inquinent: sed argumenta, quibus suam prohibitionem ciborum ante hæc tempora probare, & stabilire conati sunt; & pontificiæ consecrationes creaturarũ, seu ciborum prorsus ostendunt, in eodem ipsos luto cum antiquis istis hæreticis hærere.*

At impudentem istam calumniam facilè refellit Ecclesiæ consuetudo. Primùm enim cibos omnes, etiam carnes, & oua comedunt Catholici extra Quadragesimam, & alios dies ieiuniis, vel abstinentiæ deputatos. At si carnes, & oua per se immunda esse crederent, nullo tempore illa contingerent. Quod enim per se immundum est, semper immundum est. Quare Tatianistæ, Manichæi, & Priscillianistæ nõ certis diebus, sed omni tempore se à carnibus abstinebant.

Neque repugnat huic nostro argumento, quod Monachi S. Benedicti, & Carthusienses, & alij quidam à carnibus se non certis diebus, sed semper abstineant. Nam Ecclesia neminem cogit Carthusianum, aut Benedictinum fieri, ac per hoc neminem cogit perpetuò à carnibus abstinere, quomodo suos cogebant abstinere perpetuò Tatianæ, Priscillianistæ, & Manichæi.

DEINDE, Catholici Monachi, antequam Monachi essent, carnibus vescebantur, neque inde se inquinari credebant; & posteaquam Monachi facti sunt, seueriorem quidem illam continẽtiam colunt, sed Christianos cæteros, qui carnes comedunt, non iudicant, neque pro Tatianistis, vel Manichæis habent, quod certè facerent, si carnes per se immundas, & prohibitas esse censerent.

DEINDE, in ipsa etiam Quadragesima, & quibuscunque aliis ieiuniorum diebus, carnes in cibum concedit Ecclesia tum ægrotis, qui iudicio Medicorum eiusmodi cibo egent, tum etiam valentibus, si aliud, quod comedant, non habeãt: at si carnes naturã sua essent immundæ, & ideo prohiberentur, quia per se malæ essent; non autem malum esset eas comedere, quoniam ab Ecclesia certo tempore prohiberentur; certè nulla ratione vel ægrotis, vel aliis vllis hominibus permitterentur; quomodo non permittũtur adulteria, & fornicationes, & alia, quæ per se mala sunt, etiam si mortis periculum propterea subeundum esset.

PRÆTEREA Ebionitæ, Tatianistæ, Manichæi, Priscillianistæ, non solùm carnes pecorum, & auium, sed etiam piscium detestabantur, vt ex auctoribus suprà citatis intelligi potest: at Catholica Ecclesia carnes piscium concedit, pecorum, & auium, in diebus Quadragesimæ prohibet: non igitur errore hæreticorum, sed alia ratione ciborum delectum Ecclesia seruat.

DENIQVE sancti Patres, qui veteres hæreticos reprehendũt propter ciborum delectum, ipsi quoque delectum ciborum in diebus ieiuniorum sanctè obseruabant, vt paulò post demonstrabimus: non igitur ex eo, quod ciborum delectu in diebus ieiuniorum vtimur, notari possumus tanquam Manichæi, vel Priscillianistæ nisi veteres Patres eodem crimine teneantur. Sed argumenta Kemnitij videamus.

PRIMO obiicit, quod ratio, cur Pontificij credant, carnes animalium terrestrium esse prohibitas, non autem aquatilium, sit, quia Deus Genes. 3. maledixit terrã, & non aquam; item quia Christus non legitur comedisse carnes, sed pisces, panem, & mel. Ex quibus ita concludit: *Ergo semiunt carnes animalium esse maledictas, & per se immundas. Et contra, pisces, panem, & mel esse cibos per se sanctiores, & mundiores, quam carnes.*

RESPONDEO, ratio cur Catholici existiment carnes pecorum, & auium certis diebus esse illicitas, non alia est, nisi quia placuit Ecclesiæ illas prohibere. Cur autem Ecclesiæ id placuerit, varias caussas Theologi

Universidad de Deusto
Biblioteca

reddunt. Sed illa est potissima, quoniam ieiunium indicitur ad cohibendam carnis concupiscentiam, quæ circa delectationes gulæ, luxuriæque versatur. Carnes autem terrestrium, & volatilium animantium magis nutriunt, & delectant ex genere suo, quàm cæteri cibi; cum sint humanæ carni similiores. Inde enim & libentius appetuntur, & materiam generationis magis augent, vnde stimuli carnis acriores oriri solent. Atque eadem ferè ratio est ouorum, & lactis; nam vt S. Hieronymus ex sententia veterum Ægyptiorum refert li. 2. aduersus Iouinianum, nihil esse videntur aliud ouum, & lac, nisi caro liquida, & sanguis albus.

Præter hanc rationem, quam Theologi communiter dare solent; quærunt aliqui varias congruentias, quasi topicas rationes, quas omnino stultum est ad trutinam solidorum argumentorum velle reuocare. Tales sunt duæ illæ ratiunculæ, quas Kemnitius exagitandas suscepit, & vel falsò ipse credidit, vel callidè credi voluit, in illis fundamenta Catholicæ sententiæ contineri. Itaque negamus, rationes illas, fundamenta esse nostræ sententiæ, præsertim cum in ipsa Ecclesia, in qua de dogmatibus fidei omnes idem dicunt, ciusmodi ratiunculæ, vt à quibusdam simpliciter proferuntur, sic ab alijs liberè refellantur.

Secundo obijcit hoc modo: *Non obscurè* inquit, *dicit, carnium eam esse immunditiem quod in homine prauas carnis concupiscentias excitent. An hæc procul absint à Tatianorum, & Manichæorum fundamentis lector iudicet.*

Respondeo, carnium esum seminarium esse libidinis, testantur omnes Patres, ac potissimum S. Hieronymus li. 2. aduersus Iouinianum: testatur ratio, quam supra posuimus; testatur experientia, quam nemo negare potest. Proinde stupidus sit Kemnitius, necesse est, si id negandum puret. Sed non ideo tamen caro immunda censeri debet, neque immunda à Catholicis nominatur, quia concupiscentias excitet. Non enim ideo creata est à deo, vel concessa in cibum, vt concupiscentias excitet, sed vt moderatè sumpta corpus reficiat, & sustentet: proinde abusus immoderatè vescentium carnibus, non ipsa natura carnium vituperatur: *Non ego* (inquit Augustinus li. 10. Confessionum, c. 31.) *immunditiem obsonij timeo, sed immunditiam cupiditatis.*

Quare ergo, Inquies, non prohibet Ecclesia immoderatum vsum carnium potius, quàm ipsum vsum? Ratio est in promptu, nam generatim vsus immoderatus, tum carnium, tum aliarum omnium rerum, iure naturali, & diuino prohibitus est, vt non fuerit opus noua aliqua lege; particulatim autem definire quantum sit cibi sumendum, siue ex carnibus, siue ex alijs rebus non potuit Ecclesia vllo modo. Lex enim debet esse generalis, & omnibus in commune proposita: non potest autem certa mensura cibi communiter statui, cùm variæ sint hominum complexiones, & quod vni non est satis, alteri sit nimium. Itaque quoniam Ecclesia de quantitate cibi sumendi, legem ferre non poterat, de sola qualitate legem tulit, & quamuis qualitas moderatè sumpta non sit mala, tamen quia vt plurimum abusus immoderationis irrepsit, Ecclesia ad carnis petulantiam cohibēdam, certis temporib. esum carnium simpliciter interdixit.

Quod verò Kemnitius dicit, hæc non abesse à fundamentis Tatianorum & Manichæorum, indicat, eum in historijs, & in doctrina antiquitatis valde negligenter esse versatum. Sic enim scribit S. Epiphanius de Encratitis Tatiani discipulis: *Animata abominantes interdicunt, non continentiæ gratiâ, neque honestæ vitæ sed ob timorem, & ignitionem, vt non condemnentur ab animatorum esu.* Vbi vides (Epiphanio teste) Tatiani discipulos non continentiæ gratia, vt nos facimus, sed metu naturalis immunditiæ carnibus abstinuisse. Quod etiam indicat S. Hieronymus lib. 1. in Iouinianum non longè à principio, vbi dicit, Catholicos non abstinere à cibis iuxta errorem Tatiani, qui cibos à Deo creatos ad vtēdum simpliciter interdixit. Et in secundo postea lib. in eundem Iouinianum, dicit, Catholicos abstinere à carnib. continentiæ gratiâ, quia carnis esus seminarium est libidinis.

De Manichæis autem testatur S. Augustinus li. de hæresibus, c. 46. carnes ab eis non comedi, quia dum occiduntur, fugit ab eis diuina substantia, id est, anima, & solum remanet corpus, quod à malo principio factum, indignum est, quod à fidelibus comedatur: *Nec vescuntur*, inquit, *carnibus, tanquam de mortuis, vel occisis fugerit diuina substantia, tantúmque ac tale inde remanserit, quod iam dignum non sit in Electorum ventre purgari. Nec oua saltem sumunt, quasi & ipsa cum franguntur expirent, nec oporteat vllis mortuis corporibus vesci.* Et infrà: *Nam & vinum non bibunt, dicentes, fel esse Principium tenebrarum, &c.* Et infrà capite 70. de Priscillianistarum hæresi loquens: *Carnes*, inquit, *tanquam immundas estas etiam ipsa deuitat.*

Iudicet ergo lector, vtrum ratio abstinentiæ Catholicorum à fundamentis Tatianorum, & Manichæorum non longè absit; an potius Kemnitij obiectio cum aperto mendacio, & calumniandi libidine sit coniuncta.

Tertio obijcit ciborum benedictiones, atque inde opinionem immunditiæ naturalis colligere nititur: *Omnium*, inquit, *clarissimè caussa prohibitionis ciborum quorundam in Ecclesia Pontificia inde colligitur, quod in consecrationibus suis expressis verbis petunt vt Diaboli vis, ac potestas à creaturis expellatur, & per consecrationes hoc accipiant vt, sint sanitas mentis, & corporis. Ergo sentiunt creaturas per se, & prohibitis temporibus quando non consecrantur, à potestate diaboli infectas inquinare, & corpus, & animam, nisi Diabolus Pontificijs execrationibus inde exorcietur. Hæc certè sunt ipsissima fundamenta Tatianorum, & Manichæorum, quos cum damnare se simulent, quo modo suam prohibitionem ijsdem fundamentis subnixam defendere possint, lectoris sit iudicium.*

Respondeo, piget profectò tempus terere in eiusmodi calumnijs refellendis. Sed quid faciam, cum aduersarius hanc obiectionem tanti faciat, vt propter eam triūphum canere non vereatur? Primum, si ex benedictione ciborum cognosci posset caussa, cur Ecclesia Catholica certos cibos ieiunantibus interdiceret: non solum à carnibus, sed etiam à pane, oleribus, & aqua in Quadragesima nos abstinere, aduersarius existimare deberet. Nam ista etiam in Ecclesia benedicūtur, & formulas benedictionum ipse etiam Kemnitius citat. At quis nescit panis, & olerum, & ipsius aquæ vsum esse maximum in Quadragesima?

Deinde, si diebus ieiuniorum non vesceremur carnibus, quia tunc destituimur his benedictionibus, & ideo carnes vt immundas horreremus: (id enim Kemnitius dicit in sequenti pagina) certè non solum in Quadragesima, sed etiam toto anno carnibus abstineremus. Rari enim sunt, qui carnes iuxta formulas illas benedici curent, nisi in ipso die Paschatis. Plurimi quoque ne illo quidem die benedictionem istam expetunt, quippe qui sciunt ritum hunc esse liberæ obseruationis, non alicuius necessitatis. Ignorat igitur Kemnitius, & quid loquatur, & de quibus affirmet.

Tertio, si Catholici crederent (vt Kemnitius somniat) benedictione mundari carnes pecorum, & auium, ac de prohibitis licitas fieri: quis prohiberet in Quadragesima carnes eiusmodi benedictione purgare, ac deinde liberè illis vesci; neque enim vsquam interdixit Ecclesia, ne cibi quicunque quolibet tempore benedicantur.

Denique, nullus Catholicorum est tam rudis, qui existimet, cibos esse vel illicitos, vel immundos, nisi certa

certa illa formula benedicantur. Sed ideo peracto ieiunio Quadragesimæ solent plerique ipso die Paschatis carnes, & ouа deferre ad sacerdotes, vt benedicantur; quoniam redituri ad esum carnium, & ouorum, piè cupiunt, nouum illum cibum quasi de manu Domini recipere, & sacerdotali benedictione iuuari, vt eo sobriè, & salubriter vti possint, atque ita & corpori, & animæ prosint.

Porro exorcizatio dæmonum, quæ in aquæ potissimū benedictione adhibetur, nō eo refertur, quasi putemus, aquam à diabolo inquinari, vt ea iam vti non liceat, nisi benedicatur. Sed quoniam scimus, Diabolum sæpe vti creaturis Dei bonis in nostram perniciem, ideo & signo crucis munimus creaturas, quibus vti volumus, & Deum precamur, vt non sinat, res illas à Diabolo conuerti nobis in malum.

AD EXTREMVM illud hoc loco addendum est, Kemnitium laudare veteris Ecclesiæ morem, quæ ad mensam in prandio vtebatur illa benedictione: *Oculi omnium in te sperant, Domine, &c.* Et ad cœnam: *Edent pauperes & saturabuntur, &c.* Quasi nostro tempore illæ benedictiones exoleuerint, & in earum locum subintrauerint particulares illæ benedictiones carnium, ouorum, &c. Sed mera calumnia est ad imponendum simplicibus excogitata. Nam benedictiones, & gratiarum actiones, quas ipse tanquam veteris Ecclesiæ laudat, fuerunt semper & sunt in communi vsu Catholicæ Ecclesiæ, & habentur in Romanis Breuiarijs, tum antiquis, tum nouis integræ omnino, vt eas Kemnitius quasi depromptas ex antiquitate describit. Neque enim Ecclesia Catholica similis est synagogis ipsorum, quæ singulis annis, non solùm mutant, sed etiam fidem mutant. Particulares autem illæ benedictiones à paucis (vt diximus) & raro, & sine vlla obligatione quæruntur.

CAPVT V.

Ad rationem ieiunij, abstinentiam à certis cibis, ac potissimum à carnibus, pertinere.

PROBANDVM nunc superest, ad rationē ieiunij abstinentiam à certis cibis, atque à carnibus potissimum pertinere. Aduersarij siquidem solum in genere abstinentiam à nimio, & lauto cibo, non autem in particulari ab aliquo genere cibi, ad rationem ieiunij pertinere contendunt.

Primum igitur sententiam nostram probant exempla Scripturarum, & Patrum. Siquidem priorum consuetudo optima est interpres Ecclesiasticarum traditionum, & legum. Daniel c. 10. describens formam ieiunij sui: *In diebus illis* inquit, *ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum.* Hic videmus non solum abstinētiam à pane desiderabili, qui ad lautitias à Kemnitio refertur; sed etiam in specie à carnibus, & vino. Sanctus Ioannes Baptista, cuius vita perpetuum ieiunium fuit, non solùm à lautitijs in genere, sed in specie ab omni cibo, & potu abstinebat, præterquam à locustis, & melle syluestri, vt habemus Matth. 3. S. Petrus Apostolorum Princeps penè semper ieiunans, nihil aliud sumebat in cibum, nisi lupinos minuto asse veneuntes, vt scribit Gregorius Nazianzenus in oratione de pauperum amore. S. Matthæus Apostolus oleribus, baccis, & seminibus, non autem carnibus vescebatur, teste Clemente Alexandrino lib. 2. Pædagogi. c. 1. S. Iacobus item Apostolus à carnibus & vino se abstinebat, vt Eusebius refert libr. 2. historiarum, capite 22. S. Timotheum à vino

A ordinariè abstinere solitum fuisse, perspicuum est ex verbis illis Apostoli Pauli primo ad Timotheum 5. *Noli adhuc aquam bibere, sed vtere modico vino propter stomachum & frequentes tuas infirmitates.*

Primi illi Christiani, qui apud Alexādriam à S. Marco eruditebantur, ad Vesperam tantum cibum sumere, & à carnibus, & vino abstinere solebant, vt ex Philone referunt Eusebius lib. 2. historiarum, ca. 17. S. Epiphanius hæresi 29. quæ est Nazaræorum, & S. Hieronymus in libro de viris illustribus in Philone. S. Epiphanius in compendiaria doctrina, quæ habetur in fine librorum aduersus hæreses, testatur, multos fuisse, qui sponte abstinerent à carnibus per totum annum; sed in hebdomada, quæ sanctum Pascha præcedit, totam Ecclesiam perseuerare solitam in esu ciborum. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi quarta dicit, Christianos ieiunantes abstinere à carnibus. S. Basilius oratione prima de ieiunio. S. Chrysostomus homilia sexta in Genesim. Theophilus Alexandrinus lib. 3. Paschali. S. Augustinus lib. 30. contra Faustum, c. 5. & alij Patres passim docent, in Quadragesima cessare vsum carnium. S. Hieronymus lib. 5. aduersus Iouinianum ex instituto probat, bonam esse abstinentiam à carnibus, & vino. Et in epistola ad Eustochium de custodia virginitatis scribit, apud multos Anachoretas continua per totum annum fuisse ieiunia, & à vino, & carnibus abstinentiam. Similia tradunt S. Augustinus lib. 1. de morib. Ecclesiæ, cap. 31. & 33. & S. Ioannes Chrysostomus hom. 50. ad populum Antiochenum. Theodoretus in epitome diuinorum decretorum extrema, docet, Ecclesiam Catholicam sæpe abstinere à carnibus, sed longè alia opinione quàm hæretici faciant.

Denique, si quis legat vitas Sanctorum & præsertim, vt Antonij, Hilarionis, & similium, videbit vsum abstinētiæ à carnib. in specie, & non solū à lautitijs in genere, fuisse frequētissimū, & maximè probatū, & laudatū.

Deinde, ratio naturalis rem eandem confirmat. Nam finis ieiunij est corporis concupiscentias edomare, & in seruitutem redigere, vt S. Augustinus docet libro tricesimo contra Faustum, capite quinto, neque aduersarij id negant: at non poterat certa, & communis regula constitui circa quantitatem cibi sumendi, vel circa lautitias, & condimenta ciborum: hæc enim infinitis modis variātur & quod vni est multū, alteri est parū: quod vni est lautū, alteri nō est lautū: debuit igitur cōstitui regula penes abstinētiā ab aliquo genere cibi, qui ex genere suo, & vt plurimum, magis nutrit & magis delectat, qualē esse carnem pecorum, & auium omnes concedunt.

Sed obijcit Kemnitius in quarta parte examinis, pagina 442. in Scripturis veteris Testamenti, definiri ieiunia vnica comestione, eaque ad Vesperam sumenda; nihil autem præscribi de ciborum delectu. Addit Præterea magis pugnare cum fine ieiunij, si quis ventrem repleat optimis piscibus, & fructibus laute præparatis, quàm si modicum sumat ex carnibus fumo duratis, aridо caseo, vel rancido butyro. Addit Denique non esse dubium, quin concupiscentia carnis magis, & facilius irritetur per potum vini, quàm per esum casei, & ouorum: proinde nullam esse caussam, cur ieiunantes potius ab ouis, & caseo, quàm à vino contineant.

Sed facilis est Responsio. Nam Scripturæ, quæ restantur, veteres illos Patres ieiunasse vsque ad Vesperam, nusquam dicunt, eos in refectione illa vespertina sumpsisse carnes in cibum. Neque locum vllum pro hac re Kemnitius proferre potuit. Quare quod illi veteres ieiunantes ad Vesperam carnes comederint, non habetur ex testimonio Scripturæ, sed ex suspicione Kemnitij. Nos autem qui contrà sentimus, non nitimur nostra suspicione, sed exemplo Danielis, qui capitul. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

scribit, se ieiunasse trib. hebdomadis, & toto eo tempore, neque carnes gustasse, neque vinum bibisse.

Ad Alteram obiectionem Respondemus, per accidés fieri, vt magis pugnet cum fine ieiunij immoderatus vsus piscium, atque aliorum ciborum laurè conditorũ, quàm moderatus vsus carnium simpliciter, vel negligèter conditorum. Quia videlicet cum piscibus coniungitur immoderatio, cum carnibus moderatio. Preterea ex piscibus sumuntur recentes, & optimi, ex carnibus aridæ, & deterrimæ; Denique piscibus addunrur varia cõdimenta; carnes simpliciter parantur. At si iusta fiat collatio, & carnes cum piscibus, aridæ cum aridis, recentes cum recentibus cõparentur, & moderatè sumatur vtrũque, dubium esse non poterit, quin multò magis ad finẽ conducat ieiunij, carnium, quam piscium; ouorum, & caseì, quàm olerum, leguminum abstinentia Lex autem Ecclesiastica (vt supra diximus) non potuit ferri de moderatione, quantitate, lautitijs, & similibus, quæ infinitis modis variantur & de quibus lex naturalis, & recta rario consulenda est: & ideo certum genus cibi prohibuit ieiunaturis, illud videlicet, quod ex genere suo, & vtplurimum magis nutrit, & magis delectat.

Ad illam obiectionem de vini potu. Respondeo, Abstinentiam vini in ijs locis, vbi corporum valetudini potus aquæ non multum nocet, valde congruentem esse ieiunio, & ideo Ecclesiam orientalem in Quadragesima non minus à vino quàm à carnibus abstinuisse, vt testantur Basilius oratione 1. de ieiunio, Cyrillus catecheſi 4. Theophilus li. 3, Paschali, & Chrysostomus homil. 6. in Genesim. In regionibus autem frigidioribus ideo noluisse Ecclesiam vini abstinentiam imperare, quoniam à plurimis sine magno valetudinis periculo colerari non potuisset. Accedit quoque, quod carnium esus caussa est luxuriæ magis principalis, quàm potus vini, Siquidem carnis alimentum parat materiam generationis, qua exuberante despumat corpus in luxuriam, vinum autem non parando materiam, sed calefaciendo corpus incitat ad libidinem. Sed flamma, quæ ex vino concipitur, si materia generationis non suppetat, non difficulter extinguitur: materia verò generationis exuberans, etiamsi vinum absit, stimulare non cessat ad libidinem.

CAPVT VI.

Ieiunium in genere lege diuina esse præceptum.

SEQVITVR TERTIA pars disputationis, quæ erat de præcepto ieiunij. Sunt autem Duæ quæstiones de præcepto ieiunij, Vna, sit ne ieiunium diuina lege præceptum: Altera, potuerit ne Ecclesia legem in conscientia obligantem de ieiunijs ferre.

De Priore quæstione sententia aduersariorum ea esse videtur, vt nullũ sit de ieiunio diuinũ præceptum. Nã Ioãnes Caluinus in Institutione li. 4. c. 12. dicit, esse pernicioſam superstitionem cõfundere ieiunium cum operibus à Deo mandatis, cùm sit res per se media, & indifferens. kemnitius quoque in quarta parte examinis pag. 440. dicit, in Scripturis extare testimonia. & exempla ieiunij; & addit ad imitationem illorum exemplorum liberè nunc fieri posse ieiunia. Vbi cum dicit, liberè fieri posse, satis indicat nullum esse præceptum, quod obliget ad ieiunium.

Contraria sententia, quam habet S. Thomas in 2.2. q. 147 art. 3. & Theologi communiter, verissima est; Ieiunium generatim sumptum habere diuinum præceptum; quamuis in particulari ab Ecclesia determinetur tempus, modusque ieiunij. Primum enim sententia illa A Domini, quæ Ioël. 2. pœnitentibus imperat ieiunium cum fletu, & planctu: non est propriè ceremonialis, vel iudicialis, sed planè moralis, & non magis ad Iudæos, quàm ad Ecclesiam pertinet. Vt S. Leo monet in ser. 4. de ieiunio decimi mensis. Item illa Domini sententia Matt. 6. *Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, &c.* Ita tradit modum ieiunandi, vt præsupponat aliquando esse ieiunandum, & quidem ex diuino præcepto; nam ideo coniungit ieiunium cum oratione, & eleemosyna, & simul quomodo sit orandum, ieiunandum, & largiendũ præcipit; quoniam eadem est ratio, & necessitas horum trium operum.

Quod verò Philippus Melanchthon in hunc locum scribit, Duplex ieiunij genus in diuinis literis inueniri; Vnum, quo sobriè, & moderatè cibus, & potus sumitur, & de hoc dictum esse, *Tu autem cum ieiunas, &c.* Alterum, quo nihil omnino, aut parum admodum cibi sumitur, vel quia deest cibus, quo modo pauperes sepè ieiunant, vel quia deest apperitus, quo modo interdum ieiunant ægroti, & qui ob grauem aliquem mœrorem nauseant ad omnem cibum. Atque hoc propriè dicit esse ieiuniũ euangelicum, de quo scriptum est Matth. 9. *Cum auferetur ab eis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus.* Et hoc modo ieiunasse Niniuitas, & Dauidem territos ex agnitione peccati, & ipsum etiã Paulum trib. dieb. ante baptismũ.

Hoc inquam totum ineptum, & vanum est. Dominus enim Matth. 6. cum ait; *Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum*, non loquitur de eo, quod fit quotidie. sed quod fit aliquo certo tẽpore, vt patet ex illa particula, *cũ*: at sobrietas, & moderatio in cibo sumendo semper adhibenda est, sicut crapula, & ebrietas omni tẽpore fugiẽda est. Et paulò ante idem Dominus dixerat: *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes.* Hypocritæ autem non cupiunt ostentare solam sobrietatem, & temperantiam, quæ non reddit homines deformes, & horridos, sed ingentem inediam. Loquitur igitur Dominus de ieiunio propriè dicto, quod præter temperantiam, & sobrietatem addit abstinentiam acriorem, qua corpus extenuatur vltra solitum morem.

Quod autem Dominus dicit Matth. 6. *Cum auferetur ab eis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus*, non significat, Apostolos post Christi Ascensionem tanto mœrore afficiendos, vt præ tristitia ad omnem cibum nauseaturi sint, vt Philippus somniat. Contrà enim scribit S. Lucas c. vlt. Christo in cœlum sublato, Apostolos cum ingenti gaudio in Hierusalem redisse, & Act. 2. idem Lucas loquens de tempore illo, quo recens ablatus fuerat sponsus: *Sumebant*, inquit, *cibum cum exultatione, & simplicitate cordis.* Et Acto. 14. Paulus, qui & ipse vnus erat de filiis sponsi, de Deo loquens, ait: *Implet cibo, & lætitia corda nostra.* Non itaque ieiunabant filij sponsi, spõso ipso ablato, quia præ mœrore cordis nausearent ad cibum, sed quia sursum habentes cor, vbi sponsus est, carnem ieiunijs castigare studebant, ne concupisceret aduersus spiritum iam ad cœlestia suspirantem. Atque hæc pauca hoc loco de Scripturis sufficiant.

Audiamus nunc vnum, vel alterum ex Patribus, S. Augustinus in epist. 86. ad Casulanum: *Ego*, inquit, *in Euangelicis, & Apostolicis literis totóque instrumento, quod appellatur Testamentum nouum, animo id reuoluens, video præceptum esse ieiunium. Quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apostolorum, non inuenio definitum.* Hæc ille. Qui cum ieiunium in sacris literis Euangelicis, & Apostolicis dicit esse præceptum, sine dubio non loquitur de temperantia, & sobrietate. Alioqui non diceret, Christum, & Apostolos non definiuisse, quib. dieb. non oporteat ieiunare, & quib. oporteat. Certũ enim est, semper esse tẽperatè vescẽdum, & nunquam oportere intemperanter cibum sumere.

Qua

Quare in eadem epistola idem Augustinus distingues A stana, art. 26. Brentius in Confessione VVirtenbergc. - ieiunium à temperantia: *Aliud est*, inquit, *grauare corda in crapula, & ebrietate, quæ semper est malum, aliud autem, modestia, & temperantia custodita, relaxare ieiunia.* Et in eadem epistola addit, non solere à Christianis die Dominica ieiunari, neque à Pascha ad Pẽtecosten per totos quinquaginta dies. Quis autem credat, eum voluisse dicere, non solere Christianos dieb. Dominicis, & per Quinquagesimam paschalem sobriè, ac temperanter viuere?

Ex quo etiam refellitur altera illa species ieiunij Melanchthonici; ieiunium enim ex carentia cibi, vel appetitus non magis prohibitum est dieb. Dominicis, & paschali tempore, quàm alijs diebus; nisi quis ita desipiat, vt existimet, pauperem peccare, si Dominica die non prandeat, quia non habet cibum, vel ægrotus quia destituitur appetitu.

S. LEO I. ser. 4. de ieiunio decimi mensis: *Illa*, inquit, *quæ rerum futurarum figuras gerebant, impleuit quæ significauere, finita sunt: ieiuniorum verò vtilitatem noui Testamẽti gratia non remouit, & continentiam corpori, atque animæ semper profuturam pia obseruatione suscepit. Quia sicut permanet ad intelligentiam Christianam, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies, & cætera mandatorum: ita quod in eisdem libris de ieiuniorum sanctificatione præceptum est nulla interpretatione vacuatur.* Similia reperit in ser. 6. de ieiunio decimi mensis, & sermone septimo, de ieiunio septimi mẽsis. Quib. verbis non significat S. Leo ieiunandum esse à Christianis illis ipsis diebus, quib. ieiunabant Iudæi; sed præcepta ieiunandi in veteri Testamento tradita, seruanda esse à Christianis secundum determinationem Ecclesiæ, quod attinet ad tempus, & modum.

Accedat Postremo etiam ratio, quæ docet, ad ipsum ius naturę ieiunium aliquod pertinere. Nam pœnitentiã agere pro peccatis admissis, & tẽtatori resistere. Ac peccata vitare diuini, & naturalis iuris esse nemo negare potest: sæpe autem contingit vt recta ratio iudicet, non posse vinci tentationem sine ieiunio; vel non posse nisi per ieiunium pro culpis commissis congruè satisfieri, vt si quis fortè, nec orationi instare, nec eleemosynas largiri posset.

Sed contrà obijci solent Duæ Patrum sententię. Vna Hesychij li. 7. in Leuiticũ, c. 27. qui docere videtur, ieiunium nusquam à Deo esse præceptum. Altera Theodoreti, apud quem in historia religiosa, c. 3. Martianus affirmat, charitatem præstantiorem esse ieiunio, quod lege Dei charitas præcipiatur, ieiunium vnusquisque pro arbitrio sponte suscipiat.

Sed facilis est Solutio, nã Hesychius loquitur de solo Decalogo, & rectè dicit, ieiunium non contineri in præceptis Decalogi, quoniam præcepta Decalogi pertinent ad iustitiam, ieiunium autem non ad iustitiam, sed ad temperantiam pertinet. Martianus verò apud Theodoretum loquitur de voluntarijs ieiunijs, quę vnusquisque sibi pro arbitrio assumit, quæ sine dubitatione omittenda sunt, cum id proximorum charitas postulat.

CAPVT VII.

Lege Ecclesiastica obligari fideles in conscientia ad certa quædam ieiunia, & ciborum delectum.

NVNC de lege Ecclesiastica disserendum erit. Hanc enim & olim Eustathiani, & Aëriani oppugnabant, teste Socrate libr. 2. hist. cap. 33. & Epiphanio hæresi 75. & hoc tempore Sectarij omnes oppugnant. Nam Lutherus de libertate Christiana, Philippus in Confessione Augu-

si, c. de ieiunio. Caluinus lib. 4. Inst. ca. 12. & Kemnitius in 4. par. examin. docent, Ecclesiam non potuisse leges ferre de ieiunijs, & delectu ciborum. Et fideles non obligari in conscientia ad eiusmodi præcepta seruanda, nisi fortè ratione scandali, aut contemptus.

Huic hæresi contraria est sententia communis totius Ecclesiæ Catholicæ; quæ legibus ieiuniorum obligari homines in conscientia docet. Vide S. Thomam in 2.2. q. 147. ar. 3. ad 2. & Theologos cæteros in 4. sen. dist. 15. & interpretes iuris canonici in rubricam de obseruatione ieiuniorum.

Verissima hæc sententia probatur Primo exemplis, & testimonijs Scripturæ diuinæ. In veteri Testamento extant exempla, Vnum ex lib. Hieremiæ 35. vbi filij Ionadab laudantur, quod obedierint parenti suo, qui interdixerat illis vinum vsque in sempiternum. At si potuit Ionadab prohibere filijs, & nepotibus vinum vsque in sempiternum, & tum illius præceptum, tum filiorum obedientia placuit Deo: cur non poterit Mater Ecclesia certos aliquos cibos pro tempore filijs interdicere, ita vt & nostra obedientia, & Ecclesiæ præceptum Domino placeat?

Alterum exemplum est in lib. Hester c. 9. vbi ex constitutione Mardochæi totus populus suscipit nouum ieiunium, & festum diem celebrandum perpetuò in memoriam liberationis à persecutione Aman Agagitæ.

Tertium est in Zacharia c. 8. vbi mentio fit quatuor ieiuniorum, quæ dicebantur ieiunia mensium; quarti, quinti, septimi, & decimi, quæ non fuerunt ab ipso Deo præcepta, sed ab ijs, qui Rempub. Iudaicam regebant, variis occasionibus introducta. Ex his enim exemplis intelligimus, in Ecclesia Testamenti veteris non solùm diuinis legibus, sed etiam Ecclesiasticis consueuisse determinari, ac sanciri ieiunia.

Sed kemnitius pro sua censoria potestate reprehendit hunc morem Hebræorum, & ad *καινοζηλίαν* pertinere contendit in quarta parte examinis pag. 437. & 438. in quo incredibilem suam audaciam, & impudentiam manifestat. Si quidem Scriptura diuina non solùm non reprehendit eiusmodi leges ieiuniorum, sed etiam laudat, dum Mardochæum, & Ionadab vehementer laudat; & dum apud Zachariam dicit, ieiunia illa quarti, quinti, septimi, & decimi mensis vertenda esse aliquando in gaudium, & solennitates præclaras.

In nouo Testamento extat aliud exemplum. Constat enim Actorum 15. Concilium Apostolicum Christianis omnibus interdixisse vsum quorundam ciborum, vt sanguinis, & suffocati, non quidem continentiæ caussa, sed vt facilius Ecclesia ex Gentibus, & Iudæis coalesceret, dum ad tempus iubentur Gentes abstinere ab ijs cibis, à quibus Iudei vehementer abhorrebant. Ita enim docet S. Augustinus libro triceſimo secundo contra Faustum, capite decimo tertio, quemadmodum igitur Apostoli propter bonum finem certos cibos prohibuerunt. quos alioqui Deus non prohibebat; cur, quæso, non possint, qui Apostolis succedunt, ieiunia indicere, & certos quosdam cibos prohibere ob alium bonum finem, nimirum ad carnis petulantiam cohibendam? hunc enim esse bonum finem ieiunij aduersarij non negant.

Fuisse autem verum præceptum, illud Apostolorum decretum de certis cibis non comedendis, perspicuum est, Tum ex verbis illis Lucæ, Actorum 15. *Perambulabat*, Paulus, *Syriam, & Ciliciam, præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum.* Tum ex eo, quod præceptum illud per aliquod tempus ita seuerè custoditum est, vt Christiani mori mallent, quàm sanguinem degustare, vt patet ex Apologetico Tertulliani, c. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eadem sententia probatur Secundo ex testimonijs veterum Conciliorum, In canonibus Apostolorum canone sexagesimo octauo, iubetur Clericus deponi, & Laicus excommunicari, si Quadragesimam non ieiunet. At eiusmodi pœnæ iniustæ essent, si Quadragesimã non ieiunare peccatum non esset. Rursus in Concilio Gangrensi canone decimo nono, anathema dicitur ijs, qui sine magna necessitate ieiunia indicta dissoluunt. Sentiebant igitur Patres illi veteris Ecclesiæ, ieiunia recte indici, & indicta sine peccato non posse dissolui. Item in Concilio Laodiceno, capite quinquagesimo præcipitur, vt in Quadragesima esceis aridis omnes vtantur. In Concilio Toletano VIII. capite nono, ita seuerè præceptum ieiunij Quadragesimalis obseruandum esse præscribitur, vt qui secus fecerint, tanquam rei Dominicæ Resurrectionis & sacra communione priuentur in Pascha, & per integrum annum à carnibus abstinere cogantur. In Concilio Bracarensi secundo, canone nono, mandatur sacerdotibus, vt suo tempore ieiunium Quadragesimæ populis prædicent, & accuratè obseruari præcipiant. Nec dissimilia habentur in Concilio Moguntino, tempore Caroli Magni celebrato can. 35. & in canonibus, qui circumferuntur nomine sextæ Synodi, can. 6.

Accedãt Tertio testimonia Patrum de præcepto ieiunij. Tertullianus in libro ie ieiunio: *Bene*, inquit, *quod & Episcopi vniuersæ plebi mandare ieiunia assolent.*

S. Epiphanius in libro de hæresibus hæresi 75. aduersus Aërium disputans, qui stata ieiunia contemnebat, testatur ieiunia quædam ab ipsis Apostolis esse mandata. Idem etiam in compendiaria doctrina dicit, in Ecclesia alios ritus ex lege seruari, alios voluntarios, ac liberos esse. Atque inter hos ritus, quorum alij necessarij, alij liberi sunt, ieiunia inprimis refert.

S. Basilivs orat. 2. de ieiunio, differens de ieiunio Quadragesimæ: *Omnes*, inquit, *æqualiter & præceptum audiunt, & cum gaudio suscipiunt. Angeli sunt qui per singulas Ecclesias ieiunantes describunt. Vide ne propter paruam edulium voluptatem damnum incurras vt ne ab Angelo in numerum adscriberis, & te ipsum criminis desertoris reum, ab exercitus lustratore statuas.*

S. Ambrosius ser. 34. *Quisquis*, inquit, *Christianus ieiunando non impleuerit Quadragesimam præuaricationis, & contumaciæ reus tenebitur.* Et ser. 25. non leue peccatum esse dicit, indicta ieiunia violare.

S. Hieronymus in epistola ad Marcellam aduersus errores Montani: *Nos*, inquit, *vnam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum tempore nobis congruo ieiunamus. Non quo & per totum annum, excepta Pentecoste, ieiunare non liceat, sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre.* Vide hoc loco, quàm aperte S. Hieronymus ieiunium Quadragesimæ necessarium vocet, & à ieiunijs voluntarijs separet.

Theophilus Alexandrinus libr. 3. Paschali dicit, semper in Ecclesia fuisse legem abstinendi à carnibus in Quadragesima, & criminis reos esse, qui carnibus clam vescuntur. Ex quo loco intelligimus, præceptum Ecclesiæ obligare in conscientia, etiam citra scandalum, & contemptum.

S. Ioannes Chrysostomus hom. 6. ad populum Antiochenum: *Adueniente*, inquit *ieiunio, & si millies quis exhortetur, & infinita crucient, & cogant, vinum delibare, vel aliud quid ieiunij lege non concessum gustare, omnia quis malit pati quam prohibitum tangere nutrimentum.*

Verum autem esse quod Chrysostomus dicit, testatur illustre exemplum Constantinopolitanorum, qui (vt Nicephorus refert libr. 17. histor. c. 32.) cum Iustinianus Imperator ob ingentem penuriam rerum cæterarum, quæ ad victum pertinent, in secunda hebdomada. Quadragesimæ iussisset carnes publicè in macello proponi, nullus in tanto populo inuentus est, qui carnes emere, aut gustare voluerit. Certè autem qui sic affecti erant, omnino ieiunium Quadragesimæ necessarium esse, & in conscientia obligare credebant. Quod etiam apertius scribit idem Chrysostomus homilia 2. in Genesim, vbi dicit, Quadragesimam inflectere omnium conscientiam, etiam Regum & Imperatorum ad obedientiam.

S. Avgustinus in serm. 62. de tempore: *Alijs*, inquit, *diebus ieiunare remedium est, aut præmium, in Quadragesima non ieiunare peccatum est.* Idem quoque in libro de hæresibus, capite 53. inter errores Aërij numerat, quod is diceret, ieiunia ab Ecclesia indicta, non debere seruari.

S. Leo sermone primo, de ieiunio septimi mensis: *Res*, inquit, *est præcipuum operis, quam ex auctoritate indicimus, & ex charitate suademus.* Et serm. 3. de ieiunio decimi mẽsis: *Pium*, inquit, *est agere non indictum, impium est negligere prædicatum.*

Ioannes Cassianus collatione vicesima prima, ca. 29 & 30. disertis verbis docet, legis necessitate teneri Christianos ad ieiunium Quadragesimæ.

Accedat Postremo etiam ratio. Nam possunt Ecclesiæ præsules veras leges ferre, vt fusè probauimus in libro quarto de summo Pontifice: est autẽ cõmune omni veræ legi, vt actum virtutis nõ necessarium, faciat esse necessarium. cum illum determinat, ac faciendum præcipit: igitur actus ieiunandi certis diebus, & abstinendi à certis cibis, ecclesiastica lege præscriptus, actus est virtutis temperantiæ necessarius; etiamsi alioqui necessarius non esset, nisi lege prescriberetur. Peccat igitur vitio intemperantiæ, qui non ieiunat, quando Ecclesia indicit ieiunia, & qui ab ijs cibis non abstinet, à quibus Ecclesia præcipit abstinendum.

Neque responderi potest, eos qui legem ieiunij violant, peccare solùm propter scandalum, vel contemptũ. Nam lex ecclesiastica distincta est à lege diuina, & naturali: scandalum autem, & contemptus, siue contumacia prohibetur, diuina, & naturali lege; igitur lex Ecclesiastica alio vinculo subditos adstringit.

Preterea lex Ecclesiæ, quæ ieiunium certis diebus præscribit, facit (vt diximus) actum illum ieiunandi esse actum temperantiæ necessarium: igitur qui legem illam non seruat, peccat vitio intemperantiæ, etiamsi absque scandalo, & contemptu id faciat, vt si quis clam alijs in Quadragesima carnes comedat, idque non ea mente, vt Ecclesiam contemnat, sed tantum, vt concupiscentiæ satisfaciat. Quare S. Ambrosius in ser. 25. scribit, non leue peccatum esse indicta ieiunia ventris voracitate dissoluere. Vbi non constituit peccatum non ieiunantis in contemptu Ecclesiæ, aut scandalo pusillorum, sed in intemperantia, quam ventris voracitatem nominat. Sic etiam S. Basilius ora. 2. de ieiunio, cum reprehendit eos, qui non ieiunant, non scandali aut contemptus, sed intemperantiæ illos arguit. Dicit enim eos ob eduliorum voluptatem ieiunia indicta violare. Denique Concilium Toletanum VIII. c. 9. non contemptores, aut scandalizantes, sed gulæ addictos, & intemperantes reprehendit.

CAPVT VIII.

Soluuntur argumenta ex Scripturis contra præceptum ieiunij, & delectum ciborum.

NVNC breuiter argumenta proponenda, atque soluenda sunt, quæ tum hæretici veteres, tum noui, Catholicis obijcere solent.

Primum argumentum, Deus creauit omnia propter hominem, vt perspicuum est ex capite primo, mo, & nono Geneseos, & ex Psalmo octauo, at nonnulla sunt, quæ nullum vsum homini præbent, nisi comedantur, vt anseres, gallinæ, & alia id genus. Non igitur debet Ecclesia cibos vllos fidelibus interdicere, ne cum ipso creatoris beneficio pugnare velle videatur.

Respondit iam olim ad hoc Iouiniani argumentum S. Hieronymus in secundo libro aduersus Iouinianum, non esse condita vlla animantia ob id solum, vt comedantur, sed vel ad medicamenta, vel ad alios vsus, ac saltem ad ornamentum vniuersitatis, atque ad ipsum conditorem ex tanta rerum varietate laudandum. Id verò probat, tum quia per multa secula, hoc est, vsque ad tempus diluuij, nullus fuit apud homines carnium edendarum vsus, tum quia si res illæ omnes in cibum sumendæ essent, quæ non videntur hominibus aliquem vsum præbere, comedendæ essent noctuæ, bufones, serpentes, aranæ, atque alia permulta, quæ omnium iudicio nihil vtilitatis humano generi adferre videntur. Adde ex Clemente Alexandrino libro secundo Pædagogi, capite primo, esse quidem escas omnes propter hominem conditas, sed vt pro loco, & tempore sumantur. Proinde legem Ecclesiæ cum conditoris voluntate minimè pugnare, cum certis solum diebus cibos quosdam prohibuit, alio tempore omnes permittat.

Secũdum argumentum: *Quod intrat per os non coinquinat hominem*, vt Dominus ait Matthæi 15. at si legem Ecclesiæ cibos quosdam prohibentem seruare in conscientia teneremur; certè quod intrat per os, hominem omnino coinquinaret.

Respondeo, Negari non potest quin id, quod intrat per os, aliquo modo coinquinet hominem; alioqui crapula, & ebrietas, quæ per os intrant, hominem non coinquinarẽt. Loquitur igitur Dominus de cibo, & potu, non quocunque modo, sed vt res sunt corporales, quæ ex natura sua non possunt animam, quæ spiritualis est, coinquinare; quamuis ratione adiunctæ concupiscentiæ, aut inobedientiæ facilè possint eandem animam inquinare; vt S. Augustinus docet libro primo, de moribus Ecclesiæ, capite triceſimo tertio, voluit enim Dominus illis verbis superstitionem Iudæorum reprehendere, qui existimabant, cibos illotis manibus sumptos contrahere nescio quas sordes, quibus animę quoque inficerentur, & cibos quosdam propterea fuisse à Deo prohibitos, quod naturâ sua immundi essent, cum tamẽ Deus eos prohibuisset, non ob naturalem immunditiam, quæ nulla est, sed ob certam significationem rerum vel præsentium, vel futurarum.

Tertium argumentum, iussit Dominus Lucæ 10. vt manducemus quæ apponuntur nobis. Et Apostolus 1. Cor. 10. *Omne quod in macello venit*, inquit, *manducate*. Nõ igitur potest Ecclesia suis legibus hanc libertatem nobis eripere, quam à Christo, & Apostolo habemus.

Respondeo, Verba Domini non libertatem transgrediendi leges Ecclesiæ, sed temperantiam, & modestiam docent. Nimirum id iubet Dominus, vt cum hospitio recipimur, non quæramus sumptuosos cibos, sed ijs, qui apponuntur, contenti simus, etiamsi fortasse viliores sint, quàm vellemus. Ita hunc locum exponunt S. Ambrosius, Theophylactus, & alij. Neque dubitari potest, quin Dominus de ijs tantum cibis loquatur, qui pro loco, & tempore liciti, & vtiles sunt. Neque enim venenum. si apponeretur, comedi voluit, aut etiam carnes suillas eo tempore, quo vigebat lex Mosis.

Eodem modo B. Paulus quicquid in macello venit, manducari voluit, vt fideles liberaret solicitudine inquirendi, Vtrum carnes illæ essent Idolis immolatæ, vel non essent. Nam alioqui idem Apostolus Actorum 15. & 16. iubebat seruari decretum Concilij Hierosolymitani de sanguine, & suffocato, & idolothytis non edendis: ac per hoc non volebat in macello emi sanguinem vel suffocata, vel carnes, quas aliquis sciret esse immolatas. Et certè is, qui dixerat, bonum esse non comedere carnes, & non bibere vinum, ne frater scandalizetur, Rom. 14. multò magis cupiebat ieiunia ab Ecclesia indicta seruari, quæ qui non seruant, non solum fratres multos scandalizant, sed etiam intemperantiæ, & inobedientiæ crimen incurrunt.

Quartum argumentum sumunt ex illis verbis Colossens. 2. *Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi huius, quid adhuc decernitis, ne tetigeritis, ne gustaueritis, ne contrectaueritis? quæ sunt omnia in interitum ipso vsu, secundum præcepta & doctrinas hominum.* Hunc locum præter cæteros vrget Kemnitius, atque in hunc modum ex illo argumentatur: *Paulus*, inquit, *primum tractat de abrogatione discriminis legalis, quod verbo, & mandato diuino sancitum erat: postea loquitur etiam de doctrinis, decretis, & mandatis hominum constituentium, ne tetigeris, ne gustaueris, ne contrectaueris. Hæc enim non posse de legali, seu Mosaico discrimine intelligi, inde patet, quia vocat præcepta, & doctrinas hominũ, cum Mosaicum discrimen Verbo, & mandato diuino sit sancitum. Et argumentatur Paulus à maiori ad minus, si mortui estis cum Christo ab elementis mundi huius: hoc est, si in Christo à Leuitico discrimine ciborum, quod mandato diuino sancitum erat, liberati estis; cur decretis iuxta doctrinas, & mandata hominum tenemini, ne gustaueris &c.*

Respondeo, loquitur Apostolus in toto isto loco de legalibus ceremonijs, nec possunt eius verba, nisi per summam impudentiam detorqueri ad leges Ecclesiæ de ciborum delectu. Primum enim S. Hieronymus in epistola ad Algasiam, quæstione 10. à quo non dissentiunt S. Augustinus in epistola 59. ad Paulinum, quæstione 7. S. Ioannes Chrysostomus, & alij in commentario huius loci, disertis verbis docet, illud *ne tetigeris, neque contrectaueris*, significare, ne retigeris cadauer hominis mortui, neque sedem, aut lectum mulieris menstruatæ; illud autem, *ne gustaueris*, referendum esse ad carnem suillam, leporinam, & alios cibos Leuitica lege prohibitos. Quò etiam pertinet id quod paulò antè idem Apostolus ait: *Nemo vos iudicet in cibo, aut potu, aut parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbathorum quæ sunt vmbra futurorum.* Hęc enim omnia manifestè pertinent ad Mosaicam legem.

Ad id verò, quod obijcit Kemnitius, hæc non decretis hominum, sed lege diuina sancita fuisse: Respondit iamdudum Chrysostomus homilia septima, in epistola ad Colossenses: *Etiamsi*, inquit, *legem obijcias, ea tamen ipsa iam deinceps humana doctrina est, elapsis videlicet temporis sui præscripto.* Itaque lex ipsa diuina de discretione ciborum post abrogationem suam, si rursus in vsum reuocetur, vt tum à Pseudoapostolis, & Hæreticis Simonianis, & alijs multis reuocabatur, iam non lex diuina, sed humana, & commentitia traditio dici poterit.

Deinde, si constaret, Apostolum non loqui de ceremonijs Leuiticis, quod tamen vt ostendi non constat, sed contrarium potius constat: dici posset cum eodem Chrysostomo, Apostolum taxare dogmata Græcorum Philosophiorum, de quibus paulò ante dixerat: *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam.* Cõsueuisse autem varios Philosophos varios cibos interdicere, testatur S. Hieronymus in secundo libro aduersus Iouinianum. Atque ab his Patriarchis hauserunt hæreses suas magna ex parte Simoniani, Ebionitæ, Menandriani, Saturniani, & alij, qui tempore Apostolorum vel cibos tanquam immundos, vel nuptias tanquam à Sathana inuentas execrabantur.

Cæterum siue Iudaizantes, siue Philosophos, aut hæreticos Apostolus reprehendat: illud certum est, eum loqui de ijs, qui cibos aliquos, vt immundos, ita prohibebant, vt nunquam eos comedi vellent, quique res aliquas

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliquatenus natura sua immundas esse iudicabant, vt ne A tangi quidem sine contaminatione possent. Quæ omnia longissimè absunt ab Ecclesiæ doctrina, quæ res omnes bonas, & mundas à Deo conditas esse fatetur, & in cibis pro tempore prohibendis non immunditiam ciborum, sed immunditiam concupiscentiæ respicit.

Denique illud accedat, quod per doctrinam, & præcepta hominum Scriptura sacra, tum hoc loco, & ad Titum 1. tum Isaiæ 29. & Matth. 15. non intelligit constitutiones humanas quascunque, sed constitutiones humanas, quæ vel repugnant diuinis, vel certè non sunt eis conformes; nam alioqui constitutiones hominum, qui spiritu Dei aguntur, & secundùm regulam fidei, & iuxta Scripturarum exempla, & doctrinam aliquid præcipium, non tam hominum, quàm Dei præcepta dici solent. Sic enim Dominus ait, Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit.* Et Apostoli Actorum 15. *Visum est Spiritui sancto, & nobis.* Et beatus Paulus 1. Corinthios 14. *Si quis videtur Propheta esse, aut spiritualis cognoscat, quæ scribo vobis, quia* B *Domini sunt mandata.* Et 1. ad Thessalonicenses 4. de suis præceptis loquens: *Itaque* inquit *qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis.* Porro præcepta Ecclesiæ de ieiunijs, & delectu ciborum, dubium esse non potest, quin sint conformia Scripturarum doctrinæ, & exemplis, cum Scriptura passim horretur ad ieiunia, & exempla plurima narret, Danidis, Danielis, Mardochæi, Ioannis Baptistæ, Esther, Iudith, Annæ matris Samuelis, & alterius filiæ Phanuel, & aliorum. Neque negari potest, quin sancti illi Patres, qui in Concilijs veteribus ieunia, ciborumque delectum indixerunt, viri fuerint fide, & spiritu Dei pleni.

Quintum argumentum sumunt ex verbis illis Apostoli 1. ad Timotheum 4. *In nouissimis diebus discedent quidam à fide prohibentes nubere, & abstinere à cibis, quos Deus creauit &c.* Et quoniam satis Kemnitius nouerat, Catholicos respōsuros, Apostolum loqui de ijs, qui cibos C prohibent, vt per se immundos, ideo sic locum hunc explicat: *Lactus*, inquit. *Paulus non tam de illis, qui cibos crassa alimentatione, quasi à Diabolo essent, damnant, agit, quam de illis, qui ob hypocrisin speciem seu ostentationem externe sanctitatis iubent, à quibusdam cibis abstinere. Sicut & Coloss. 2. speciosa decreta de non gustando reijcit; fundamenta certè, quæ Paulus prohibitum esse ciborum delectum dicit 1. Timoth. 4. loquitur, opponit, generalia sunt contra quasuis prohibitiones ciborum, quæ fiunt prætextu sanctitatis, & cultus, ideo enim hypocrisin in textu nominat.*

Respondeo, damnat Apostolus hereticos omnes, qui cibos, vt per se immundos prohibent, ac præsertim (vt S. Chrysostomus, Ambrosius, Theophylactus, & Oecumenius in commentario huius loci, & S. Hieronymus in lib. 2. aduersus Iouinianum docent) Marcionistas, Encratitas, & Manichæos. Neque obstat illud, *in nouissimis diebus*, quasi loquatur Apostolus de ijs, qui longè post Apostolica tempora futuri erant. Nam per dies nouissimos intelligit Apostolus totum tempus, quod est à Christi aduentu vsque ad finem mundi. Hoc enim tempus vocat etiam fines seculorum, 1. Corinth. 10. cum ait: *Omnia contingebant illis in figurâ facta sunt nostri causa ad correptionem nostram, in quos fines seculorum deuenerunt.* Et Apostolus Petrus Actor. 2. exponit, de suo tempore, quod Ioël Propheta futurum esse prædixerat in nouissimis diebus. Idem etiam Petrus in priore epist. c. 1. dicit, Christum præcognitum quidem fuisse ante mundi constitutionē; manifestatum autem in nouissimis temporibus. Denique Ioannes item Apostolus in epist. 1. c. 2. non semel repetit: *Filioli, nouissima hora est.* Manichæos autem, & Encratitas damnasse cibos quosdam, vt naturâ immundos, attendimus supra capite quarto.

Sed possumus addere alia testimonia, vt impudentia Kemnitij clarius detegatur.

Tertullianus in libro de ieiunio, c. 15. *Prædamnans*, inquit, *iam hæreticos, abstinentiam perpetuam præcepturos, ad destruenda, & despicienda opera creatoris. Quales inueniam apud Marcionem, apud Tatianum, &c.*

S. Hieronymus in 2. lib. aduersus Iouinianum tractans hunc locum Apostoli: *Marcionem*, inquit, *designat, & Tatianum, & cæteros hæreticos, qui abstinentiam indicunt perpetuam, ad destruenda, & contemnenda, & abominanda opera creatoris.*

S. Augustinus in lib. 30. contra Faustum, c. 5. *Vos*, inquit, *ipsam creaturam negatis bonam, & immundam dicitis, quod carnes Diabolus operetur feculentiorē materia mali, ac per hoc eas, tanquam immundiora, & truculentiora Dei vestri vincula exhorremus abijcitis.* Item libro contra Adimantum Manichæum, c. 14. *In nouissimis* inquit, *temporibus futuros dicit quosdam, prohibentes nubere, abstinentes à cibis, quos Deus creauit. Hos enim (Manichæos) proprie designat, qui non propterea temperant à cibis talibus, vt aut concupiscentiam* D *suam refrenent, aut infirmitati alterius parcant: sed quia ipsas carnes immundas putant, & earum creatorem Deum esse negant.*

Theodoretus in c. 4. prioris ad Timot. *Excecrabiles* inquit, *nuptias, & plurimos cibos appellant, vt creatorem iniuria afficiant.*

Certè hi Patres manifestè docent ab Apostolo eos reprehendi, qui cibos quosdam prohibebant, in iniuriam creatoris, quia videlicet existimabant creatorem non esse Deum bonum, sed malum, & non tam Deum, quàm Diabolum, & ideo eius operibus vti nolebant. Falsò igitur Kemnitius, & sine vllo teste dicit, Hæreticos, quos Apostolus damnat, non sensisse, cibos quosdam à Diabolo esse.

At (inquit kemnitius) *dum Apostolus nominat hypocrisin, generaliter damnat omnes, qui prætextu sanctitatis, & cultus cibos prohibent.* Respondeo, Callidè Kemnitius confundit hypocrisin, & prætextum sanctitatis, & cultus cum ipsa vera sanctitate, & cultu. Fatemur enim damnari ab Apostolo omnes hypocritas, qui prætextu sanctitatis, & cultus à cibis abstinendum esse docent, cum ipsi re vera neque sanctitatem, neque cultum veri Dei propositum habeant. Quales erant Hæretici suprà nominati, Marcion, Tatianus, Manichæus, qui abstineri iubebant à cibis tanquam immundis, vt ipsi mundi, & puritatis amatores esse viderentur, cum tamen vitiosi, & immundi essent, vt ex Epiphanio, & alijs Patribus constat.

At Ecclesia Catholica non ex hypocrisi, neque prætextu sanctitatis, sed propter veram sanctitatem, & cultum Deo præstandum ieiunia, & ciborum delectum aliquando præscribit, cum alioqui omnes cibos naturâ sua mundos, & à bono Deo creatos esse, & cum gratiarum actione pro tempore, & loco percipi posse doceat. Quoniam autem aduersarij existimant, non posse sine superstitione cultum Dei in ieiunijs, & ciborum delectu constitui, ideo Kemnitius ad hypocrisin pertinere voluit abstinentiam à cibis cum opinione cultus. Sed hunc eorum errorem paulò infra refutabimus.

Sextum argumentum sumit Kemnitius ex Euangelio Matth. 9. Marc. 2. & Luc. 5. vbi Dominus interrogatus à discipulis Pharisæorum, & Ioannis Baptistæ, cur non indiceret discipulis suis stata ieiunia, quemadmodum Ioannes Baptista, & Pharisæi discipulis suis indixerant: respondit, filios nuptiarum non esse huiusmodi legibus ad ieiunia adigendos. Et rationem addit, vetustatem, siue disciplinæ legalis, ex qua Baptista aliquid retinuit; siue traditionum humanarum, vnde Pharisæi ieiunabant, non esse assuendam nouitati euangelicæ. Talè enim mixturam non prodesse, sed obesse. Ita enim & Hieronimus similitudinem de vestimento veteri, & assumen-

& Hieronymus similitudinem de vestimento veteri, & A assumento nouo interpretatur. Hæc Kemnitius in 4. par. examinis pag. 548.

Respondeo, Fallitur Kemnitius in Tribvs, Primvm enim non ait Dominus, quòd Kemnitius eum dixisse falsò asseruit, non esse filios nuptiarum huiusmodi legibus ad ieiunia adigendos. Sed ait, non esse filios nuptiarum, dum cùm illis sponsus versatur, cogendos ad ieiunia, cùm tempus nuptiarum conuiuia potius, & modestam relaxationem, quàm ieiunia, & seueritatem pœnitentiæ requirat. Cæterum futurum paulò post, vt sponsus ab Apostolis auferatur, & tunc eos ieiuniis operam daturos. Vbi debemus intelligere, discipulos Christi post ablatum sponsum, non solùm ieiunaturos, sed etiam ex legis præscripto, certis diebus ieiunaturos. Nam si quæritio intelligitur de ieiunio ex legis præscripto, certè etiam responsio de ieiunio ex legis præscripto intelligi debet. B

Itaque sicut illa verba, *cur discipuli tui non ieiunant*, exponuntur à Kemnitio de ieiunio legitimo; sic etiam illa verba, *cum ablatus fuerit sponsus tunc ieiunabunt*, exponi debent de ieiunio legitimo, præsertim cum illa verba eiusdem sententiæ, *non possunt filij nuptiarum ieiunare, quamdiu cum illis est sponsus*, exponat idem Kemnitius de ieiunio legitimo. Habemus igitur ex loco euangelico à Kemnitio contra legem ieiuniorum adducto, non euerti, sed stabiliri legem ieiuniorum.

Deindè fallitur Kemnitius in explicatione similitudinis de vestimento veteri, & nouo: nam per vestimentum vetus intelligendum esse docet præceptum ieiunij, atque ita similitudinem illam exponit, quasi Dominus dixerit, non debere assumentum vetus adiungi vestimento nouo, hoc est, non debere leges ieiuniorum, quæ sunt propriæ Testamenti veteris, adiungi doctrinæ Euangelicæ Testamenti noui. At Christus non dixit, assumentum vetus non esse adiungendum vestimento nouo; sed contrà, non esse assumentum nouum adiungendum vestimento veteri, vt perspicuum est tum ex verbis Matthæi, Marci, & Lucæ; tum ex alia similitudine, in qua Dominus dicit, vinum nouum reponendum non esse in vtribus veteribus; & neminem, qui bibit vinum vetus, statim velle nouum. C

Porrò sancti Patres, Chrysostomus, Hieronymus, Beda, & alij in comment. ad ca. 9. Matth. & Augustinus lib. 2. quæstionum Euangelicarum cap. 18. & lib. 8. contra Faustum, cap. 2. per vestimentum vetus non intelligunt præceptum ieiunij, sed ipsos Apostolicos, qui eo tempore adhuc veteres erant, id est, carnales, & infirmi: per assumentum panni noui intelligunt præcepta euangelici, quorum vnum esse dicunt de ieiunio. Et sensum huius loci hunc esse volunt, non esse præcepta vitæ austerioris, vt ieiuniorum, abstinentiæ à certis cibis, & similium rerum iniungenda veteribus, & infirmis hominibus, quales tunc erant Apostoli, & cæteri Christi discipuli, sed renouatis, & fortibus, quales Apostoli futuri erant post adventum Spiritus sancti: sicut pannus nouus non assuitur indumento veteri, nec vinum nouum in vtribus veteribus ponitur. Itaque sancti Patres contrario planè modo locum hunc euangelicum exposuerunt, ac fecerit Kemnitius, & præcepta ieiunij magis ad nouum Testamentum, quàm ad vetus pertinere voluerunt. D

Dices, si præcepta ieiuniorum non conueniunt hominibus veteribus, & si magis propria sunt Testamenti noui, quàm veteris; quomodo discipuli Ioannis, & Pharisæorum, qui sine dubio veteres erant, ieiunabant frequenter? Respondeo, præceptum euangelicum ieiunandi propriè conuenit hominibus nouis; quoniam Dominus suos discipulos perfectè ieiunare volebat, id est, ex amore, non ex timore. Discipuli autem Ioannis, & Pharisæorū non ex amore, sed ex timore ieiunabant. Et fortasse Dominus cum similitudines illas adhibuit de vestimento veteri, & vtribus veteribus, non solùm significare voluit, discipulos suos nondum esse idoneos ad euangelica præcepta eò ea, quia par erat, perfectione fetuada: sed etiam obliquè discipulos Ioannis, & Pharisæorum voluit admonere, vt non nimium de suo ieiunio gloriarentur. Nam ipsis quoque esse vestimenta vetera, & vtres veteres, & ideo parum capaces doctrinæ euangelicæ, ac propterea non assequi mysteriū Christi, & cur eo tempore discipuli eius minimè ieiunarent. Et hoc modo conciliari possunt Patres suprà citati cum aliis Patribus, qui per indumenta vetera, & vtres veteres intelligunt Pharisæos, per pannum nouum, & vinum nouum doctrinam Euangelij. Vide Epiphanium hæresi 42. Hilarium & Hieronymum in cap. 9. Matth.

Tertio fallitur Kemnitius, dum pro sententia sua S. Hieronymvm profert. Sanctus enim Hieronymus attingit breuiter duas explicationes, quas paulò antè posuimus; quarum vtraque, sed maximè prima Kemnitium apertissimè iugulat. Sic igitur loquitur S. Hieronymus in comment. ad cap. 9. Matth. *Nemo autem immittit, &c. quod dicit, hoc est, Donec renatus quis fueris, & veteri homine deposito, per passionem meam nouum hominem indueris: non potest feueriora ieiunij, & continentiæ seruare præcepta: ne per austeritatem minuam, etiam credulitatem, quam nunc habere videtur, amittat.*

In his certè verbis præcepta ieiunij cōparantur panno nouo, non veteri, & hominibus renouatis, non veteribus conuenire dicuntur: cùm Kemnitius contrà, ieiunij præcepta panno veteri similia esse dixerit, & ad vetus Testamentum propriè pertinere voluerit.

Attingit deinde S. Hieronymvs alteram expositionem his verbis: *Veteres vires debemus intelligere Scribas, & Pharisæos: plagula vestimenti noui, & vinum nouum præcepta euangelica sentienda, quæ non possunt sustinere fudati ne mator scissura fiat.* Hic etiam per veterem pannum non legem ieiuniorum vt Kemnitius cupiebat, sed Scribas, & Pharisæos à S. Hieronymo exponi videmus. Ac de his hactenus.

CAPVT IX.

Soluuntur obiecta ex historia antiquitatis.

Ex historia antiquitatis profert Kemnitius in 4. parte Examinis, pag. 589. locū vnum ex Irenæo in epistola ad Victorem, quam refert Eusebius lib. 5. hist. cap. 24. quoniā enim Irenæus scribit ad Victorem, non solùm quæstionem esse de Pascha, sed etiam de ieiunio: ita colligit Kemnitius: Ergo de ieiunio paschali, quod nunc Quadragesimale vocatur, voluerunt tunc quidam cum Romano Episcopo leges ferre, opinione necessitatis sub pœna excommunicationis, quando, quot diebus, quamdiu, & quomodo ieiunandum esset. Sed Irenæus respondit, liberas, & dissimiles esse illas obseruationes, ad quarum similitudinem Ecclesiæ non sint adigendæ, nec propter dissimilitudinem, quasi [illegible] damnandæ.

Respondeo Primo, Kemnitius nō rectè colligit, fuisse, qui cum Rom. Episcopo legem de ieiunio ferre vellent. Id enim Irenæus ne insinuat quidē. Quod verò narrat de ieiunio paschali, eo pertinet, vt Victorem admoneat, tolerandam esse dissimilitudinem in celebratione Paschæ, sicut tolerabatur dissimilitudo in obseruatione ieiunij.

Deinde, non erat quæstio tempore Irenæi, an deberet lex aliqua esse ieiunij, aut Paschæ, vt Kemnitius fingit, sed an deberet eadem esse lex in Oriente, & Occidente. Multa enim sunt in Ecclesia, quæ ex præcepto, & lege seruantur, & tamen non est eadem lex in omnibus prouincijs.

Deni

Universidad de Deusto
Biblioteca

DENIQVE, non erat quæstio de substantia ieiunij, A sed de quadam accidentaria qualitate, quam sub legem non erat necesse cadere. Nemo enim dubitabat, an ex lege ieiunium Paschæ obseruandum esset, sicut etiam nemo ambigebat, vtrum ex lege pascha celebrandum esset: sed controuersia erat, quo die lex præscriberet Paschα esse celebrandũ, diéne Dominico tantùm, an quocunque alio die, in quem Luna quartadecima incideret; & similiter quæstio erat, quale ieiunium Quadragesimæ lex præscriberet, vtrum videlicet semel in die cibus sumi deberet, an post biduum, vel triduũ. Et quoniam re vera quæstio ista de forma ieiunij non necessariò definienda erat, ita sentiebat Irenæus, quæstionem de die Paschatis, non necessariò definiri debuisse. Sed contra sensit Victor Pontifex, & eius sententiam postea Synodus Nicena probauit. De qua re disseruimus in lib. de Pontifice, & in lib. de cultu sanctorum.

Rursus profert Caluinus DVO loca in præfatione Institutionis, quæ fusius tractat Kemnitius in 4. parte examinis Concilij Tridentini. PRIOR locus est in hist. B Eusebij, lib. 5. cap. 17. vbi refertur ex Apollonio primum fuisse Montanum, qui leges ieiunij imposuerit.

RESPONDEO, Vox illa (*primus*) additio est Hæreticorum. Nam nec habetur in textu Græco Eusebij, nec in editionibus Latinis, excepta Basileensi. Præterea Tertullianus in libro de ieiunio, vbi Montanum acriter defendit, non dicit, accusatum fuisse Mõtanum, quòd primus leges ieiuniorum imposuerit, sed quòd nonas leges addiderit. Et in eodem loco fatetur Tertullianus, ieiunium paschale fuisse ex lege seruatum in Ecclesia ante tempora Montani. Quod est argumentum euidens, non fuisse à Montano primùm excogitatas leges ieiuniorũ. Accedit etiam quod S. Hieronymus in epist. ad Marcellam de erroribus Montani non reprehendit Montanum quòd primus leges ieiuniorũ excogitarit, sed quòd tres Quadragesimas obseruari voluerit. Et Theodoretus in lib. 3. de Hæret. fabulis, dicit, Montanum nouas leges ieiunij tulisse præter Ecclesiæ consuetudinem.

Sed obiicit KEMNITIVS, Catholicos apud Tertullianum defendisse libertatem Christianam aduersus Montanum, ac pro hæresi habuisse nouas leges de ieiuniis ferre; & interdicere aliquos cibos in diebus ieiunij. Hinc enim sequitur, vt Ecclesia, quæ nũc leges ieiuniorum cõstituit, & certos cibos in diebus ieiuniorum prohibet, non sequatur vestigia veteris Ecclesiæ Catholicę, sed potiùs hæresim, ac dogma Montani.

RESPONDEO, Tertullianus in eo libro eo modo Catholicorum doctrinam exponit, quo solent hoc tempore Lutherani, id est, calumnias, & mendacia passim admiscendo. Itaque mirum est, cur Kemnitius malit doctrinam Ecclesiæ Catholicæ colligere ex Tertulliano hoste Catholicorum, quàm ex Epiphanio, aliisque Patribus verè Catholicis. Nisi fortè, quia vt ipse hæreticus est, ita mores hæreticorum diligit. Exempli causa, dicunt hoc tempore CATHOLICI, Lutheranos non rectè facere, quod vxores Monachis, Sacerdotibusque cõcedant; ILLI clamãt, Catholicos nuptias prohibere. D

Sic etiam dicebant Catholici olim, Montanistas non rectè facere, quod adigerent præcepto omnes Christianos ad plures Quadragesimas; item quod tempore ieiunij cogerent omnes ad cibos tantum aridos sumẽdos; Item quod feria quarta, & sexta iuberent omnes ieiunare vsque ad vesperã. Denique quod ista præcepta tamquã diuina (id est lab ipso Spiritu sancto edita iactarent. Tertullianus autem vt odiosè ista proponat, dicit à Catholicis prohiberi leges ieiuniorum, prohiberi aridos cibos tempore ieiunij, prohiberi ieiunium vsque ad vesperam reprehendi ipsum Paracletum, &c. Constat autẽ hæc omnia esse calumnias, atque mendacia. Sicut etiam quod Tertullianus disputat de vtilitate ieiunij, satisfa-

summa necessitate non esse illicitum carnibus vesci, di- A xisse, propterea illum carnibus vesci posse, quia Christianus esset, cum Christianis dictum sit: *Omnia munda mundis.*

SED arripit Kemnitius hoc vltimum verbum, ac dicit, magnos viros qualis Spiridion erat, quamuis ipsi quoque opinione necessitatis interdum fascinarentur, tamen ad fundamenta scripturæ tandem respicere solitos fuisse quibus superstitiosæ illę opiniones reprimuntur. AT non huc pertinet locus Scripturæ à Spiridione citatus, vt superstitiosa iudicanda sit Quadragesimę obseruatio. Causa enim scripturæ citandæ illa fuit, vt hospes intelligeret, se reprehendi posse tanquam existimãtem, carnes esse immundas, si vrgente necessitate illis vesci recusaret. Nam cum necessitas excuset à lege, qui non vult in extrema necessitate carnibus vesci, indicat, se non ideo abstinere, quia lex prohibet, sed quia caro sit res per se immunda; quod est contra verbum Apostoli: *Omnia munda mundis.*

Quod autem Kemnitius dicit, iam tunc (Spiridionis B videlicet tempore) cœpisse superstitiosam Opinionem necessitatis, eaque magnos etiam viros fascinari solitos, pertinet ad solitam eius impudentiã. Cur enim non potius credidit se fascinari potuisse, quàm sanctissimum illum senem? & cur obseruatio antiquissimæ Ecclesiæ superstitiosa potius dici debuit, quàm cõtraria Lutheranorum nouitas temeraria, atque hæretica?

Præter hæc duo loca profert Kemnitius alia quædam Augustini, Chrysostomi, Theodoreti. Ex August. profert PRIMO, epist. 86. ad Casulanum, vbi S. Augustinus dicit, Apostolos non constituisse quibus diebus ieiunãdum esset, aut non ieiunandum. RESPONDEO, loquitur S. Augustinus de præceptis Apostolorum scriptis, non autem de traditis sine scripto. Deinde etiamsi Apostoli nihil statuissent, num eorum successores, nihil statuere potuerunt? C

SECVNDO, profert librum tertium cõtra Faustum, capite quinto, vbi sic loquitur Augustinus: *Christiani non solum à carnibus, verùm à quibusdam etiam terræ fructibus abstinent, vel semper sicut pauci, vel certis diebus, atque temporibus, sicut per Quadragesimam ferè omnes, quanto magis quisque vel minus seu voluerit seu potuerit.* RESPONDEO, Illud (*ferè*) significat, non omnes in Quadragesima abstinere à carnibus, quia multi excusantur, vel ob ætatem, vel ob infirmitatem, vt paulò post dicemus. Quod autẽ sequitur, *quanto magis quisque seu voluerit seu potuerit*, non refertur ad abstinentiam à carnibus, sed ad abstinẽtiam à fructibus. Sententia enim eius est, Christianos nõ solum à carnibus, sed etiam à fructib. abstinere: sed à pluribus vel paucioribus fructibus prout voluerint, vel potuerint.

Ex Chrysostomo adducit potissimum locum vnum, ex homil. 10. in Genesim, vbi Chrysostomus hortatur eos, qui ob infirmitatem ieiunare non possunt, vt ad cõcionem vel pransi accedant. RESPONDEO, hic locus, vt multa similia perperam adducitur à Kemnitio. Non enim negamus, eos ieiunij non comprehendi, qui ieiunare non possunt.

Ex Theodoreto producit Epitomen diuinorum decretorum, capit. de abstinentia, vbi Theodoretus dicit, hæreticos leges sancire de cibis tanquam immundis reiiciendis: Ecclesiam autem nihil tale præcipere, sed omnes cibos permittere. RESPONDEO, hic locus nihil ad rem facit. Fatemur enim, Ecclesiam nullum cibum prohibere tanquam immundum, sed omnes permittere, vt cum gratiarum actione pro loco, & tempore percipiantur.

CAPVT X.

Quinam excipiantur à lege ieiunij.

DEMONSTRAVIMVS ieiunia sub legẽ tum diuinam, tum etiam Ecclesiasticã cadere: sequitur vt videamus, num aliqui ab his legibus excipi debeant. Nõ defuerunt Hæretici, qui dicerent, viros perfectos nõ teneri legibus ieiuniorum; cum ipsi peccare nõ possint, ac per hoc non egeant ieiunio, quod ad peccatum cauẽdum aut delendum institutum esse, non dubium est. Id enim sensisse quosdam, qui Begardi dicti sunt, testis est Ioannes de Turrecremata, libro quarto summæ, de Ecclesia, par. secunda, capite trigesimo sexto, à qua sententia non abhorruisse Ioannem Cassianum, collat. 21. cap. 29. nonnulli existimant.

CÆTERVM, hec sententia damnata est in Concilio Viennensi, vnde exrat Clementina Ad nostram, tit. de hæreticis. Eandem prius etiam, quàm oriretur, damnauit sanctus LEO, serm. 11. de Quadragesima, his verbis: *Adest maximum sacratissimumq; ieiunium, quod obseruantiã sui vniuersis fidelibus sine acceptione denũciat. Quia nemo tam deuotus, vt non debeat esse deuotior.*

Eandem refellunt exempla sanctissimorum hominũ, qui ieiuniis assiduè operam dabant. Siquidem sanctus Ioannes Baptista, quo maior inter natos mulierum non surrexit, adeo ieiunium coluit, vt diceretur non comedere, neque bibere, Matth. 11. Apostolus Paulus, qui raptus fuit in Paradisum, & audiuit arcana verba, quæ nõ licet homini loqui, tamen inter alios suos labores numerat ieiunia multa, 2. Corinth. 11. ieiunio se eguisse aduersus carnis rebellionem, testatur cum ait, 1. Corint. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* Omitto Mardochæum, Danielem, Dauidem, Iudith, Hester, Annam, alios innumerabiles tum viros, tum fœminas, qui & perfecti dici poterant, & tamen ieiunia studiosè colebant.

Porrò argumentum illud Hæreticorum, quo se à lege ieiunij excipiendos esse probabant, quia ieiunio non egerent; nec verum assumit, nec rectè concludit. VERVM non assumit, quoniam etiam viri perfecti in hac vita ieiunio egent, cum rebellionem carnis, velint nolint, experiri cogantur; & peccare possint; ac peccent. Perfectorum enim sunt illæ voces: *Sentio aliam legem in membris meis, &c.* Rom. 7. Et: *In multis offendimus omnes*, Iacob 2. Et: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* 1. Ioan. RECTE autem idem argumentũ non cõcludit, quoniam lex non desinit obligare ex eo, quod in vno vel altero non inueniatur finis legis, modò quod præcipitur non sit contra finem legis. Exempli causa, finis proximus legis ieiuniorum est edomatio carnis remotus, est charitas, quæ finis est omnium præceptorum. 1. Timoth. 1. Si quis igitur ieiunando salutem suã, ac per hoc charitatem læderet, is ieiunare non deberet, neque legis præuaricator esset, quoniam lex obligare non potest contra charitatem, cùm ad charitatem fouendam, & conseruandam instituta sit. Si quis autem aliunde carnis rebellioni resistat, neque ieiunio ad hunc finem obtinendum indigeat, & tamen ieiunando salutem suam vel aliorum, id est, charitatem nullo modo lædat, is omnino tenetur communibus ieiuniorum legibus. Lex enim nõ respicit, quid vni, aut alteri, sed quid communitati, ac multitudini expediat.

Iam verò quod attinet ad Cassianum longissimè abfuit ipse à Begardorum errore. TRIA sunt autem præcipua, quæ docet in eo cap. PRIMVM affirmat homines iustos, ac perfectos, non subiacere legi cogenti, cum ipsi non per Quadragesimam solùm, sed etiam per totũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

annum sponte, alacriterque ieiunent. DEINDE addit, A ciusmodi perfectos viros, si causa adsit relaxandi ieiunium indictum, tutius id posse facere, quàm cæteros, qui nō seruant, nisi scripta ieiunia. Quoniam ipsi certi sunt & apud se, & apud alios, se non causa intemperātiæ, sed solius charitatis relaxasse ieiunia. Addit tamen TERTVLIANVS, viros illos perfectos, qui per totum annū ieiunāt, nō teneri legib. ieiuniorum, quib. cæteri tenentur, cum ipsi plus offerant Deo, quàm his legib. præcipiatur.

Atque in hoc tertio non existimamus, sententiā eius esse sequendam. TVM, quia non oportet propter oblationem voluntariam, prætermittere necessariam; TVM, propter rationem, quam paulò antè tradidimus; quamuis enim nō egeant illi ad carnem edomandam ieiunio paucorum dierum, qui per totos menses ieiunare solēt: tamen lex communis est, & omnibus indicta: proinde eos quoque obligare non desinit.

His igitur omissis, qui à lege ieiunij non excipiuntur; Ecclesia ipsa Catholica non paucos liberat à lege communium ieiuniorum, Concilium Toletanum VIII. capite nono, dicit, iis permittendum esse, vt in Quadragesima carnibus vescantur, quos aut ætas incuruat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat. Sed Scholastici Theologi paulò aliter hæc tradunt. Docent enim tria esse, quæ à legibus ieiuniorum excusant, impotentiam, necessitatem, pietatem. Vel enim ex ieiunio lædit corpus, vel spiritus, vel substātia externa. Si corpus lædit, impedimentum excusans à ieiunio, dicitur impotentia; si lædit spiritus, dicitur pietas; si lædit substantia externa, dicitur necessitas.

Ac propter IMPOTENTIAM quidem excusantur à lege ieiunij senes & pueri, vt aliorum fessa sustentetur ætas, aliorum non frangatur incipiens, vt loquitur sanctus Hieron. in epistola ad Eustochium, de custodia virginitatis; ltē ægroti, debiles, prægnantes, & alij, qui Medicorum iudicio, non sine periculo salutis corporalis ieiunare queunt; denique pauperes, qui non habent vnde C sumant vnam integram refectionem, sed nunc emendicant vnum panis fragmētum, paulò post aliud. Propter PIETATEM excusantur cōcionatores, Lectores, Cōfessarij, qui ministrant ægrotis, & alij, si fortè nō possint simul ieiunare, & pietatis officio satisfacere. Deniq; propter NECESSITATEM excusantur ij, qui ex officio laboriosis operib. dant operam, quæ vires corporis exhauriunt, vt Fabri murarij, Ferrarij, Lignarij, & similes.

Cæterùm de his ipsis, qui à ieiunij legibus excusantur, multæ regulæ traduntur, quas nō existimamus huic nostro operi inserendas; præsertim cum de his rebus copiosissimè scribāt, tum scholastici Theologi, in quartum sentent. tum etiam ij, qui summas casuum cōscientiæ conficerunt.

Illud non est prætereundū, semper in Ecclesia Orientali fuisse leges ieiunij seueriores, quam in Occidentali. Scribit enim sanctus Basilius, in oratione secūda, de Ieiunio, pueros quoque & viatores, & omnes omnino homines edictum ieiunij suscipere. Nec solum à carnibus, D & iis, quæ ex lacte conficiuntur, sed etiam à vino, & piscibus in Quadragesima Orientalis Ecclesiæ ieiunare solebant, vt ex eodem Basilio, in orationibus de ieiunio, ex Chrysostomo in primis homiliis in Genesim, ex Catechesibus Cyrilli, & epistolis Paschalibus Theophili potest intelligi.

CAPVT XI.

De Fructibus, & vtilitate Ieiunij.

SEQVITVR QVARTVM caput disputationis, in quo de fructib. & vtilitate ieiunij differendum esse diximus. Atque aduersarij quidem nostri Lutherani, & Caluinistæ in magno errore versantur, sequuti Patriarcham suum Iouinianum. Nam quemadmodum Iouinianus docebat, nihil prodesse ad salutem ieiunia, delectumq; ciborum, vt referunt S. Hieronymus, lib. 2. in Iouinianum & sanctus Augustinus in lib. de hæresi. cap. 82. Sic etiam Philippus, in confess. Augustana, art. 26. Brentius in confes. VVittembergensi, in duobus capitibus de ieiunio. Caluinus lib. 4. Instit. cap. 12. Et Kemnitius in quarta parte examinis, pag. 420. & sequentibus, docent quidem, ieiunium vtile esse ad carnis petulantiam coërcendam, ad orationis auxilium, ad signum humilitatis, & pœnitentiæ; tamen obstinatè contendunt, ieiunium nihil valere ad placandum Deum, nihil ad satisfaciendum pro peccatis, nihil ad impetrandum auxilium, nihil ad cœleste præmium promerendum.

Nos autem ieiunij fructus esse cōtendimus, tum eos, quos aduersarij fatentur, tum etiam eos, quos negant, ac rectissimè in Ecclesia cani existimamus: *Qui corporalis ieiunio vitia comprimis, mentes elevas, virtutem largiris, & præmia.*

PRIMVM igitur, ieiunium vtilissimum est ad carnē edomandam, & hoc nomine placet Deo, cui placet, vt carnem crucifigamus cum vitiis, & cōcupiscentiis eius. Quare de ieiunio potissimum loquitur Apostolus, cum ait 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* Sic enim hunc locum interpretantur Chrysosto. & Theophylactus in Commentario, & sanctus Ambrosius, in epist. 81. ad Ecclesiam Vercellensem. Hāc vtilitatem ieiunij prædicant Patres. Cyprianus in serm. de Ieiunio, & tentatione Christi. Basilius, in oratione prima de Ieiunio, Chrysostomus hom. 2. in Genesim, Hieronymus in epist. ad Eustochium, de custodia virginitatis, Augustinus in lib. 10. confess. cap. 31. & Ecclesia vniuersa ad officium Horæ primæ canit ex hymno sancti Ambrosij: *Carnis terat superbiam, Potus cibiq, parcitas.* Sed hanc vtilitatem (vt dixi) aduersarij non negant.

SECVNDO, vtile ieiunium est ad animam disponendam ad orationem, & rerum cœlestium contemplationem. Sic Moses quadraginta dierum ieiunio animā præparauit, antequam ad Dei colloquium auderet accedere, Exod. 34. Sic Helias quadraginta dies ieiunat, vt Deū in mōte Horeb, sub specie auræ tenuis videre posset, 3. Reg. 19. Sic Daniel ieiunio hebdomadarū trium præparatur ad reuelationes Domini recipiēdas, Daniel. 10. Sic Ecclesia Catholica in profestis magnarum celebritatū ieiunia instituit, vt animi paratiores sint ad vacandum rebus diuinis, vt sanctus Bernardus docet, serm. in vigilia sancti Andreæ: *Ieiunium* (inquit Chrysostomus hom. 1. in Genesim:) *animæ nostræ alimentum est, leues ei pēnas producit, vt in sublime feratur, & summa contēplari queat.*

Vide in eandem sententiam Athanasium, in libro de Virginitate Ambrosium in libro de Helia, & ieiunio, ca. 3. & Basilium, oratione prima & secunda, de ieiunio, qui similitudinibus aptissimis hanc ieiunij vtilitatē explicat. Sed non est opus de hac re fusius differere, cum hanc vtilitatem nullus sit, qui neget.

TERTIO, Ieiunium vtile est ad Deum colendū. Est autem hoc loco OBSERVANDVM, nos nō dicere id, quod Kemnitius fingit nos dicere, in quarta parte exa. pag. 421. 490. & alibi, ieiunium per se sumptum sine relatione ad vllum bonū finem, ex opere operato esse cultum Dei, meritum, satisfactionem. &c. Nā ieiunium per se sumptum, vt solam significat abstinētiam cibi, & potus, scimus rem esse mediam, non virtutem, aut vitium. Potest enim fieri, vt quis abstineat à cibo, & potu, quia cupit de vita decedere, vel quia non habet quod comedat, aut bibat, vel quia vitio stomachi, aut palati abhorret à cibo, & potu. Loquimur igitur solū de abstinentia, quę ex electione assumitur ad bonum aliquem finem. sic enim ieiunium non est res media, sed actus virtutis.

Et

Et quidem propriè ieiunium ad virtutem temperan- A tiæ pertinet, atque actus eius elicitus est, vt scholę loquuntur, cum versetur circa delectationes cibi, & potus moderandas: tamen ad alias etiam multas virtutes pertinere poterit, si ad fines earum ab ipso ieiunante referatur. Qui enim ieiunat, vt melius oret, vel quia vouit Deo ieiunium, facit actū religionis. Qui ieiunat, vt hoc signo protestetur fidem Catholicam aduersus Lutheranos, facit actum fidei. Qui ieiunat, vt Ecclesiæ obediat, facit actum obedientiæ. Qui ieiunat, vt peccatum admissum puniat, facit actum iustitiæ punitiuæ, siue pœnitentiæ. Qui ieiunat, vt Christum ieiunantem imitetur, facit actum dilectionis.

Nemo autem nostrum somniauit vnquam, ieiunium esse cultum Dei, vel meritum, aut satisfactionem ex opere operato, vt Kemnitius nesciens quid loquatur, nobis affingit. Opus enim operatum vocamus id, quod non pendet ex merito, virtute vel deuotione operantis, B sed ex sola Dei institutione; quo modo Baptismus vim habet ex opere operato, quoniam ex institutione Christi suscipientem iustificat, etiāsi fortè Minister qui Baptismum præbet, sit peccator, & inimicus Dei, & sine deuotione baptizet. Ieiunium autem vt sit meritorium, vel satisfactorium, atque adeo cultus Dei, omnino pendet ex deuotione, & virtute ieiunantis; proinde non ex opere operato, sed ex opere operantis vim habet.

Porrò, cum dicimus, ieiunium esse cultum Dei, non accipimus nomine cultus solum actum religionis proprie dictū, sed omnem actum, qui Deo placeat. Sic enim de cultu loquuntur aduersarij, cum ieiunium, præcipuè voluntarium, cultum esse negant. His igitur probamus, ieiunium cultum esse Dei, PRIMO ex scripturis. Nam Luc. 2. dicitur, Anna vidua coluisse Deum ieiuniis, & orationibus λατρείαις, ἀγρύπνοις κατεύχαις. vbi & ponitur C nomen cultus, & distinguitur ieiunium ab oratione vt intelligāmus non solum orationem, sed etiam abstinentiam, propter Deum assumptā, esse cultum Dei. Nec ieiunabat sancta ista mulier quotidie ex mandato Dei, sed planè voluntariè; & tamen hoc ieiunio spontaneo verè Deum colebat.

Idem Apostolus ad Rom. 12. cum dicit: *Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuētem sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Loquitur de compressione carnalium concupiscentiarum, quæ fit potissimum per ieiunium, atque hanc compressionem, & mortificationem hostiam vocat, & λογικὴν λατρείαν, id est, rationabilem cultum. Est igitur ieiunium, vt per ipsum concupiscentiæ reprimantur, cultus Deo gratus, & acceptus. Cōcilium NICENVM I. can. 5. Ieiunium Quadragesimæ, cultum appellat, cum ait: *Vt mundum, & solemne Deo ieiunium possit offerri.* TERTVLLIANVS in libro de resurrectione carnis: *Sacrificia*, inquit, *Deo grata dico ieiunia, fras, & aridas escas.* Certè autem quod sacrificium est, etiam cultus est. Sanctus LEO D fermo. 2. de ieiunio decimi mensis: *Pro consummata*, inquit, *perceptione omnium fructuum dignissimè largitori eorum Deo continentiæ libamen offertur.* Sanctus GREGORIVS hom. 16. scribit, nos per ieiunium Quadragesimę offerre Deo quasi decimas, & primitias vitæ nostræ. Quod etiā scribunt Ioannes Cassianus, collat. 21. ca. 29. & alij. DENIQVE ieiunium est satisfactorium, & meritorium, vt mox probabimus, igitur est cultus Dei, vt nunc de cultu verba facimus.

QVARTO, Ieiunium est vtile ad satisfaciendum Deo, vel ad eum placandum. Id primum ostendunt exēpla scripturarum. Nam 1. Reg. 7. ieiunantes filij Israel cū Samuele, Deum placarunt, & victoriam de hostibus retulerūt. 3. Reg. 21. Achab Rex impius cum Deum ad iracundiam pronocasset propter vineam Naboth, indutus cilicio ieiunauit, & ambulauit demisso capite. Et eo facto, iram Domini, saltem ex parte, mitigauit. Sic etiam Niniuitæ Ionæ 3. indicto communi ieiunio Deum placare studuerunt, & re ipsa placarunt. Idem fecerunt Iudæi tempore Hester, & tempore Iudith, & placato Deo liberati sunt ab excidio imminenti, Esther 4. & Iudith. 4. denique Ioel ca. 2. hortatur peccatores, vt conuertantur ad Deum in ieunio, & fletu, & planctu.

Idem probatur ex Patribus. TERTVLLIANVS in libro de ieunio. *Omnium* (inquit) *erga vitium macerationē hæc est ratio, quarumsim interdicto cibo, & obseruato præcepto primordiale tam delictum expiaretur, vt homo per eandē materiam cauſ. Deo satisfaciat per quam offenderat.* Et infrà: *Sicut primum visus cibi perdidit, ita ieiunium Deo satisfaciant.*

S. CYPRIANVS in serm. de lapsis prope extremo. *Iram* (inquit) *& offensam eius, ieiuniis, fletibus, planctibus sicut monet ipse placemus.* Et infrà: *Daniel* (inquit) *ieiuniis promereri Deum nititur in sacco & cinere voluitatur, exomologesin faciens dolenter, & dicens, &c.* Quo loco (*promereri Deum*) pro eo accipit, quod est Deum placare, eique satisfacere, vt ex toto sermone perspicuum est.

S. BASILIVS oratione 1. de ieiunio: *In morbum* (inquit) *incidimus per peccatum, sanemur per pœnitentiam. Sed pœnitentia sine ieiunio otiosa, & infrugifera est: per ieiunium satisfacito Deo.*

Kemnitius in 4. par. examin. pag. 493. notat hoc loco, vocem ἀπολύσηται, quam interpres reddidit *satisfacito*, non significare satisfacere, vel defendere, aut excusare, sed reatum agnoscere, & culpam deprecari. AT quis vnquā audiuit, ἀπολογήσασθαι esse reatū agnoscere? nisi fortè idem sit excusare, & accusare; confiteri, & negare. An hoc nō est pro arbitrio vocabulorū significatiōes inuertere? Itaq; ἀπολογήσασθαι propriè significat defendere, & excusare; & quia satisfactio pœnalis compensat delictū, & eo modo purgat, & aufert, & ideo ad eam significandam vtuntur sæpe auctores vocabulo excusandi, & cōtrà vocabulo satisfaciendi, ad excusationē significandā. Hoc autem loco certum est, sentētiam sancti Basilij esse, vt opponamus iræ Dei, tāquam clypeum, pro peccato ieiunium, quod illud excusabit non negando, sed satisfaciendo, & compensando.

S. AMBROSIVS in libro de Elia, & Ieiunio, capite 3. *Ieiunium* inquit, *culpæ mors, excidium delictorum, remedium salutis.* Et capite quarto dicit, ieiunio tegi, & ablui peccata. Et cap. 9. ipsum ieiunium sacrificium reconciliationis appellat.

S. EPIPHANIVS in compendiaria doctrina, quæ est ad finem librorū aduersus hæreses: *Ieiunamus* inquit, *non vt beneficium aliquod ei, qui pro nobis passus est exhibeamus, sed vt Domini passionem quam pro nobis ipse suscepit ad salutem nostram confiteamur; & vt pro peccatis nostris ieiunia nobis apud Deum supputentur.*

Hoc etiam loco Kemnitius admonet, depravari hanc sententiam à Iesuitis; in Græco enim sic le. ἵ. ὅπως ὑπὲρ τῶν ἡμῶν ἁμαρτιῶν αἱ νηστεῖαι ἡμῖν εὐλόγιστοι θεῷ γένωνται, hoc est, vt ipse vertit *vt pro peccatis ieiunia nobis fiant grata, & accepta Deo.* AT non est omnino idē ieiunia pro peccatis supputari; & ieiunia pro peccatis fieri grata, & accepta Deo? Itaq; ipse idem Kemnitius paulò post ab Epiphanij sententia recedere se liberè profitetur.

S. HIERONIMVS, in commentario ad cap. 3. Ioņ. *Saccus*, inquit *& ieiunium arma sunt pœnitentiæ, auxilia peccatorum.* Et lib. 2. aduersus Iouinianum scribit, ipsam etiam Sodomam, & Gomorram ieiunio Deum potuisse placare.

S. IOANNES CHRYSOSTOMVS homil. 1. in Genesim: *Communis*, inquit, *nostri omnium Dominus, vt ruti pater, filios indulgenter amans, cupiens ea, quæ nunquam peccauimus nos abluere; hanc nobis, quæ per ieiunium fit, curationem adinuenit.*

S. AVGVSTINVS serm. 60. de tēpore: *Nemo*, inquit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

pro laude humana, sed pro peccatorum indulgentia ieiunet. Ac ne dicat Kemnitius, hunc sermonẽ fortasse non esse Augustini; idem auctor in serm. de vtilitate ieiunij quẽ ipse etiam Possidius nominatim sancto Augustino tribuit: *Respondeo* (inquit) *tentatori, excrucio me planè vt ille parcat; do de me pœnas, vt ille subueniat, vt placeam oculis eius.*

S. Leo, serm. 4. de Quadragesima: *Magna* (inquit) *diuina institutionis salubritate prouisum est, vt ad reparandum mentium puritatem, quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur in quibus aliorum temporum culpas, & pia opera redimerent, & ieiunia casta decoquerent.* Idem serm. 4. de ieiunio septimi mensis dicit, ieiunij sacrificio Deum placari. Ac similes sententiæ in sancto Leone passim leguntur.

S. Bernardvs serm. 66 in Cantica: *Ego* (inquit) *interdum abstineo, sed abstinentia mea satisfactio est pro peccato, non superstitio pro impietate.* Item serm. 4. de Quadragesima: *Pro eo* (inquit) *quod ipsis quoque licitis abstinemus, ea nobis, quæ prius commisimus, illicita condonantur, &c.*

Qvinto, Ieiunium vtile est ad merendum, & impetrandum beneficia Dei temporalia, & sempiterna. Nam vt in primo libro Reg. capite primo legimus, Anna vxor Helcanæ filium Samuelem per ieiunium impetrauit. *Anna* (inquit) S. Hieronimvs libro secũdo in Iouinianum) *manem cibo ventrem filio meruit implere.* Dauid quoque ieiunio se afflixit, vt periclitanti filio vitam impetraret, 2. Reg. 12. Sara item per ieiunium à dæmonio liberatur, Tob 3, atque hoc forte est genus illud dæmoniorum, quod non eiicitur nisi per orationem, & ieiunium, vt Dominus ait, Matth. 17.

Sed est insignis locus præter cæteros, pro merito ieiunij, Matt. 6. *Tu autem cum ieiunas unge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans. Et pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi.* At quid quæso reddet, nisi mercedem? Opponet enim Dominus hoc ieiunium illi, de quo antea dixerat, *exterminãt facies suas, vt appareãt hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.*

Calvinvs in commentario huius loci scribit, mercedem accipiendam esse impropriè, quoniam merces promittitur etiam orationi: & tamen quod oranti datur non est merces, sed donum. Addit nõ esse eandem rationem orationis, & ieiunij, quoniam oratio est cultus Dei, cum sit opus à Deo præceptum; ieiuniũ non est cultus, cum non sit præceptum, sed res media, & indifferens. Ex quo sequitur, vt orationi per se reddatur merces, ieiunio autem non per se, sed vt orationi deseruit.

At fallitur Caluinus, nam tametsi orationi, vt oratio est, respondeat potius donum, quàm merces, tamen orationi, vt est opus bonum, & ex charitate profectum, omnino debetur merces. Et hoc modo tum ipsi orationi, tũ ieiunio mercedem respõdere Saluator affirmat. Falsum est autem ieiunium esse rem mediam, si sumatur (vt à nobis sumitur) pro abstinentia ex electione assumpta ad bonum aliquem finem. Sic enim non est res media, sed actus virtutis, & res à Deo præcepta, & illi gratissima, non solum vt orationi deseruiens, sed etiam per se vt actus temperantiæ, vel alterius cuiuscunque virtutis,

His testimoniis, & exẽplis Scripturæ subiici possunt testimonia, atque exempla Patrum. S. Ioannes Apostolus, teste Clemente Alexandrino, apud Euseb. lib. 3. hist. cap. 17. crebra duxit ieiunia, vt gratiã Dei cuidam iuueni impetraret. Idem etiam Ioannes scripturus Euangelium indixit solenne ieiunium, vt gratiam rectè scribendi accipere mereretur, vt sanctus Hieronymus tradit præfatione commentariorum in Matthæum, & eũ sequutus Venerabilis Beda in primũ caput Ioannis.

Tertvllianvs in libro de ieiunio: *Etiam* (inquit) *sacramentorum agnitionem ieiunia de Deo merentur.*

Sanctus Ambrosivs in epistola 82. ad Ecclesiam Vercellensem: *qui sunt* (inquit) *hi præceptores nouæ, qui meritum excludunt ieiunij?*

S. Gregorivs Nazianzenvs, oratione de laudibus Cypriani, explicans quibus armis sancta quædam Virgo diabolum à se repulerit: *Ieiunij* (inquit) *& humi cubationis pharmacum obiecit.*

S. Athanasivs in libro de virginitate, nõ procul ab initio: *Vides* (inquit) *quid faciat ieiunium? morbos sanat, distillationes exiccat, dæmones fugat, prauas cogitationes expellit, cor mundum efficit, &c.* Et infrà: *Quisquis* (inquit) *ab immundo spiritu vexatur, certum habere debet hoc pharmaco, ieiunio* (inquam) *statum spiritus malos afflictos abscedere, vim ieiunij metuentes.*

S. Basilivs oratione 1. de ieiunio: *Ieiuninm* (inquit) *ad venturi seculi mala fugiendo, & assequẽda bona vtile est, &c.*

S. Ioannes Chrysostomvs, serm. 1. de ieiunio: *Ieiuna* (inquit) *quia peccasti; ieiuna vt non pecces: ieiuna, vt accipias: ieiuna vt permaneant quæ accepisti.*

S. Hieronimvs in 2. lib. aduersus Iouinianum, ex proposito disputat, meritorium esse ieiunium.

S. Avgvstinvs serm. 62. *Ieiunium* (inquit) *remedium est, aut præmium. Hoc est, aut indulgentiam peccatorum, aut præmium regni cælestis acquirit.*

Avctor libri de Ecclesiasticis dogmatibus, qui habetur in 4. tomo sancti Augustini, sic loquitur ca. 68. *Pro amore castigandi corporis abstinentibus à vino, vel carnibus, nihil credere meriti accrescere: non hoc Christiani, sed Iouiniani est.*

S. Leo serm. de Ieiunio septimi mensis: *Vt per humilitatem*, inquit, *ieiunij contra omnes hostes nostros diuinum mereamur auxilium.*

Ad aliqua testimonia Patrum, quæ in toto capite superiore citauimus, respondere nititur Kemnitius, in 4. parte examinis, pag. 499. & sequentibus Primo dicit, Patres sæpe rhetoricari solitos; nam existimarũt, vt ipse ait, se huiusmodi rhetoricis exaggerationib. efficacius posse homines ad susci pienda, & exercenda ieiunia permouere. Sicut Chrysost. fatetur in libr. de cõpunct. cordis, quædam cohortatoriè magis, quàm verè dici.

Secvndo addit, posse Patrum sententias ad analogiam fidei explicari si dicamus, eos tribuere ieiunio tãquam causæ remotæ id, quod cõuenit orationi, vel pœnitentiæ, quibus ieiunia seruire debent.

Tertio, obiicit aliqua loca Patrum, vbi legimus, ieiunium à cibis nihil prodesse; nisi ieiunetur à vitiis. Ac dicit, in his locis se Patres explicasse.

Qvarto, cum videret non satis commodè verba Patrum ita exponi, fatetur eos errare: *Negari*, inquit, *nõ potest, Patres in rhetoricis illis ieiunij encomiis sæpe lõgius prouectos, ab analogia fidei, & norma scripturæ non parum discessisse.* Et infrà: *Quando contra hanc fidei analogiam Pontificij talia veterum dicta vrgent, cogimur salua reuerentia, quæ tam magnis viris debetur, illa reiicere, vt fundamentum salutis saluum retineamus.* Et infrà: *Quãdo pontificij tales veterũ excessus ad palliãdas, & stabiliendas superstitiosas de ieiuniis opiniones producunt: cogimur contradicere, & Patrũ exorbitantibus vestigiis aliquantisper discedere, vt iuxta canonem scripturæ recto pede ad veritatem Euangelij ambulare possimus.*

Sed hæc omnia facilè refelluntur. Nam quod attinet ad Primvm, si Kemnitius vnum, aut alterum Patrem rhetorica amplificatione vsum esse diceret, non videretur omnino sine ratione loqui: at quis credat, nullũ fuisse tanto numero Patrum, qui nõ extulerit suprà veritatẽ ieiunij laudes? Adde quod multa testimonia adduximus nõ excerpta ex sermonib. sed ex libris dogmaticis, vel commentariis scripturarum, in quibus locum non habent rhetoricæ amplificationes. Quod autem Kemnitius Chrysostomũ citat ex libr. de cõpunct. cordis; planè contra se citat. Chrysostomus enim eo loco non laudat, sed reprehendit eos, qui ad homines terrendos aliqua cohortatoriè, non verè dicta existimant.

Quod

Quod attinet ad Secvndvm. Non possunt testimonia Patrum ita exponi, vt solum velint ieiunium seruire orationi, & pœnitentiæ, præsertim si dicatur, ieiunium signum esse pœnitentiæ, non autem partem, siue opus, & fructum pœnitentiæ. Patres enim omnia distinctè docent, nimirum ieiunio iunari orationem. & præterea placari Deum, impetrari beneficia, satisfieri pro peccatis, &c.

Porrò, nõ facit ad rem, quod affertur Tertio loco. Fatemur enim parum prodesse ieiunia à cibis, si non abstineatur à vitiis; sed ideo ieiunia vtilissima esse dicimus, quia iuuant, vt purgemur à vitiis; & vt in vitia nõ labamur. Proinde non pugnant sententiæ Patrum inter se, neque vna sententia impedit, quo minus aliæ sint veræ, etiamsi propriè, & sine tropo accipiantur.

Quod verò Quarto loco, Kemnitius dicit, id planè satis est ad ipsius, & eius similium nouatorum temeritatem coarguendam. Quis enim sibi persuadere possit, tot sanctissimos, & doctissimos Patres minus rectè canonẽ sacræ scripturæ intellexisse, & fundamentum fidei, & salutis tenuisse, quàm paucos nouatores, magis Grammaticos, quàm Theologos? Quis non magis credat Kemnitium exorbitasse, & à norma, atque analogia fidei recessisse, quàm Basilium, Chrysostomum, Ambrosium, Hieronymum, & alios quos citauimus, quibus iniuriã facimus, si cum eis nouatores istos vlla ex parte comparemus.

CAPVT XII.

Soluuntur obiectiones,

Sed videamus quæ ipsi argumẽta habeãt, vt probent ieiunium non esse cultum, nec satisfactorium, vel meritorium.

Primvm obiicit Brentivs, testimonium Isaiæ, cap. 58. *Numquid tale est ieiunium, quod elegi, per diem affligere hominẽ animam suam, &c. Nonne hoc est magis ieiunium, quod elegi? Dissolue colligationes impietatis, &c.* Addit Kemnitius testimonium Hieremiæ ca. 14. *Populus hic diligit vacillare pedibus & non abstinet, vel cohibet se. Ideo Domino non est cõplacitum in illis. Et si igitur ieiunent non exaudiam.* Item testimonium Zachariæ, capite septimo: *Cum ieiunaretis, & plangeretis, nũquid ieiunium ieiunastis mihi?* His testimoniis, aliisque similibus probari existimant, ieiunium nõ esse cultũ Dei.

Respondeo, Ex allatis testimoniis non solum non colligitur, ieiunium nõ esse cultum Dei, sed colligitur omnino contrarium. Nam cum Dominus dicat, nõ placere sibi ieiunium eorum, qui non studeant mores emendare, satis apertè indicat, illud ieiunium sibi placere, ac per hoc esse cultum, quod est coniunctum cum iustitia & pietate. Itaque cum dicitur: *Numquid hoc est ieiunium, quod elegi, affligere hominem per diem animam suã?* Sub intelligendum est, *solum*, vt monet S. Hieronymus in commentario, vt sensus sit, non placere Deo ieiunium, in quo solùm affligitur anima, sed illud, in quo cum afflictione animæ coniuncta est emendatio morum. Placere enim Deo, vt homines ieiunando affligant animã, perspicuum est ex cap. 16. & 23. Leuitici, & ca. 29. Num. vbi Deus indicit ieiunium septimi mensis, & non solum dicit: *Affligetis animas vestras*, sed etiam addit, *si quis ea die afflictus non fuerit, peribit anima eius de populo suo.*

Secvndo, obiicit Calvinvs illud Ioelis. 2. *Scindite corda vestra, & nõ vestimẽta vestra*; Id est nõ carnis afflictione, sed cordis cõtritione conuertimini ad Deũ.

Respondeo, Per scisciones vestium non significatur ieiunium, aut alia corporalis afflictio, sed signum planè externum doloris, & pœnitentiæ. Ieiuniũ enim non cõiungitur ab eodem Propheta cũ ipsa conuersione, & cõtritione cordis, vt fructus eius. *Conuertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio & fletu & planctu.* Deinde nõ prohibetur scisio vestium, quidquid tandem illa significet, nisi quãdo non ei respondet cordis contritio. Itaq; sensus est, Nolite scindere solùm vestimenta, sed etiam corda. Scisionem enim vestium in signum detestationis, ac doloris, non displicuisse Deo, vel exco potest intelligi, quod etiam post Christi aduentũ Apostoli hac ceremonia vsi fuisse inueniuntur, Actor. 14.

Tertio, obiicit Philippus verba illa beati Pauli, 1. Tim. 4. *Exerce teipsũ ad pietatẽ. Corporalis enim exercitatio admodũ valet: pietas autẽ ad omnia.* Vbi nomine corporalis exercitationis intelligitur ieiunium, vt Ambrosius in commẽtario exponit. Quare cum opponatur ieiunium pietati quæ propiè ad cultum Dei pertinet, sequitur, vt ieiunium propriè non sit cultus.

Respondeo, Dvæ sunt huius loci explicationes. Vna est commentarij qui tribuitur Ambrosio; quæ quidem per corporalem exercitationem ieiunium intelligit, sed per pietatem non intelligit cultum propriè dictum, sed misericordiam in pauperes. Vult autẽ hic cõmentarius ieiunium ad modicum vtile esse, nisi cum misericordia, & eleemosynis cõiungatur. Quod idem docet Chrysostomus, hom. 78. in Matth. vbi dicit, ieiunium sine eleemosynis nihil valere. Quod intelligendum est, si eleemosynæ faciendæ præceptum occurrat, & iis qui ieiunat, tam sit auarus, vt nolit eleemosynam facere etiã de eo, quod sibi supereſt, & quod aliàs consumpsisset. Alioqui enim ieiunium cum eleemosyna coniungere non est necessarium, quamuis sit vtilissimũ. Quare sanctus Ambrosius serm. 33. sanctus Augustinus serm. 56. & sanctus Leo serm. 2. de ieiunio decimi mensis, non iubent, sed hortantur, vt vnusquisq; tempore ieiunij prãdium, quod sibi ipse subtrahit, pauperibus eroget.

Altera expositio verior, & planè ad mentem Apostoli, est Chryso. Theod. Theophylacti, Oecumenij, & aliorum, qui per corporalem exercitationem non intelligunt ieiunium, sed studium corporis confirmandi, & corroborãdi, q. faciunt athletæ, gladiatores, milites, & cæteri, qui viribus corporalib. egent. Sumit enim Apostolus similitudinem ab athletis, cum ait: *Exerce te ipsum ad pietatem.* Nam id significat vox Græca γύμναζε. Et sensus eius loci hic est, exerce te more athletæ ad cursum, vel certamen pietatis. Hoc enim verè vtilissimum est, tum in hac vita, tum in futura. Nam qui vires exercent ad cursum, vel corporale certamen, parum omnino inde lucrantur in hac vita, & in alia prorsus nihil. Similis locus est, 1. Cor. 9. *Qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.*

Porrò, sanctus Ioannes Chrysostomus non solũ docet, Apostolum non loqui hoc loco de ieiunio, sed etiã refellit eos, qui contrà sentiunt. Neque enim credibile est, Apostolum vocaturum fuisse ieiunium corporalem exercitationem, cum ieiunium ad corpus extenuãdum, non ad confirmãdum referatur; & cum sit verè spiritualis, & cœlestis exercitatio. Deinde, quomodo diceret idem Apostolus, ieiunium ad modicũ valere, cum ipse idem ad ieiunium tam frequenter, & verbo, & exemplo discipulos hortaretur? Denique, nunquam Apostolus ieiunio pietatem opponeret, quæ habet promissionẽ vitæ, quæ nunc est, & futuræ, cum id maximè conueniat ieiunio, vt in hac vita sanitatem efficiat; & conseruet, vt patet ex capite primo Danielis. Et in alia mercedem accipiat à Patre cœlesti, iuxta promissionẽ Domini, Matt. 6. Itaque rectè sanctus Leo, serm. 1. de ieiunio Pentecostes: *Sequitur* (inquit) *solenne ieiunium, quod animæ, corporibusq; curandis salubriter institutum, deuota nobis est obseruãtia celebrandum.*

Qvarto, obiicit Kẽnitius, q. Luc. 18. Pharisæus

Universidad de Deusto
Biblioteca

allegans ieiunia sua iustificatus nō fuerit, & quod Matt. 9. Christus opinionem, qua Pharisæi ieiunabant, comparauerit vestibus detritis, quibus Euangelij nouitas non conueniat. Ex quibus locis manifestum esse dicit, ieiunium improbari, & reiici à Deo, si suscipiatur opinione Pharisaica, vel ad ostentationem, vel ad meritum satisfactionem, seu iustificationem.

RESPONDEO, Quod attinet ad priorem locum Pharisæus non ideo iustificatus non est, quia ieiunabat bis in Sabbatho, aut quia ieiunium ad iustificationem aliquid valere existimabat, sed quia superbè ostendebat bona opera sua, & alios contēnebat. Dominus enim anteposuit Publicanū Pharisæo, quia humilis erat, & Pharisæus superbus, nō quia Pharisæus ieiunabat, & Publicanus non ieiunabat. *Descendit* (inquit) *hic iustificatus ab illo, quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.*

De ALTERO testimonio ex cap. 9. Matth. disserimus suprà, vbi ostendimus, manifestè errare Kemnitiū dum ieiunium detritis vestibus comparatum esse docet, cùm potiùs contrà nouis sit Vestibus comparatum.

Quod autem Kemnitius eandem rationem esse vult ieiunij ad ostentationem, & ad meritum satisfactionem, & iustificationem, facit more suo, qui solet omnia confundere. Nam ieiunium ad ostentationem malum esse, & in scripturis passim reprehensum notum est ex cap. 6. Matth. 18. Lucæ, & ex aliis locis. Ieiunium autem ad meritum acquirendum, vel ad satisfaciēdum pro peccatis, in scripturis non solum non reprehendi, vel etiam probari, & laudari, multis testimoniis, & exemplis superiore capite demonstrauimus.

QVINTO, obiicit idem Kemnitius, cap. 2. ad Colossenses, vbi (vt ipse dicit) Paulus reprehendit, & dānat factitias, seu electitias illas religiones, quæ in cibis, qui ipso vsu consumuntur, cultum Dei constituunt; & iuxta traditiones hominum sub specie humilitatis, & seueritatis disciplinæ corpori non parcunt, sed illud ita vexant, affligunt, & macerāt (hoc enim significat ἀφειδία) vt debitum honorem necessaria sustentatione, & conueniēti curatione ei non tribuant. Atque in hac disciplinæ seueritate cultum Dei constituunt.

RESPONDEO, DVO, quædam Paulus reprehendit. PRIMVM, cultum Dei in cibi, potusque abstinentia situm, non quemcunque, sed superstitiosum, & falsum. Nam vox ἐθελοθρησκεία, tametsi sonet cultum voluntarium, tamen nō significat cultum voluntariū, vt distinguitur à cultu imperato, & necessario, sed vt distinguitur à cultu rationabili. Illa enim dicuntur interdum voluntaria, quæ non habent fundamentum rationis, sed ideo fiunt, quia sic libet. Reprehendit igitur Apostolus abstinentiam Iudæorum, vel Hæreticorum, qui putabant, cibos aliquos per se esse immundos, & in eo religionem constituebant, si cibos eiusmodi nunquā gustarent. Quæ religio voluntaria, & falsa, ac superstitiosa meritò nomi- D natur, quoniam non fundatur in scripturis, aut in aliqua solida ratione, sed in deliratione, & somniis; vel potius in voluntate quorundā Hæresiarcharū. Abstinētia autē Catholicorū ἐθελοθρησκεία dici nō potest, & multò minus cultus factitius, vel electitius, vt eū Kēnitius vocat, quoniam Catholici nō fingunt ex capite suo, Deo gratam esse suam abstinentiam, sed ex testimoniis, & exemplis Scripturæ, & Patrum colligunt, vt superiore capite demonstrauimus.

SECVNDO, reprehendit Apostolus eos, qui sine moderatione ieiunant, ita vt non parcant corpori, neque ei suppeditent, quæ sunt ad vitam, vel ad sanitatem necessaria. Ita enim hunc locum interpretatur Chrysostom. in commentario, & sanctus Hieronymus, in epistola ad Algasiam, quæstione decima. Atque hoc ipsum Catholici omnes libentissimè confitentur. Castigari enim, & affligi volumus carnem, vt scripturę faciendum esse docent, non autem interimi, aut morbum contrahere.

Sed est etiā alia eiusdem loci expositio apud sanctū Augustinum, in epistola quinquagesima nona, ad Paulinum, quæ sentētiam nostram planè confirmat. Scribit enim Augustinus, notari, ac reprehendi ab Apostolo illos, qui videntur nō sine ratione ieiunare, cū id videantur referre ad corpus castigādum, & cor humiliandum, sed tamen re vera non propter hoc potissimum, sed propter superstitionem suam ieiunāt, qua videlicet sibi persuaserunt, cibos aliquos naturā sua esse immundos. Itaq; ex Augustini sententia non reprehenduntur hoc loco, qui carnem ieiuniis affligunt, & in ea re cultum aliquē, id est, opus Deo gratum constituunt: sed illi qui videntur ea de causa ieiuniis operam dare, re autem vera superstitionem suam per abstinentiam illam alere, & augere conantur.

SEXTO, obiicit idem Kemnitius, quod meritū, aut satisfactionem in ieiunio ponere, sit fundamentū redemptionis, & salutis negare. Sed argumentum est cōmune contra omnia bona opera, & satis copiosè à nobis refutatum, in disputatione de Merito, & satisfatione.

CAPVT XIII.

Soluuntur obiectiones ex Patribus.

EX Patribus, & historia antiquitatis multa colligit argumenta Kemnitius, cōtra meritū ieiunij; sed magna ex parte tam sunt inepta, & leuia, & mendaciis vndique aspera, vt pigeat in iis referendis, vel refellendis tempus terere. Pauca quædā attingam, quæ grauiora visa sunt.

PRIMVM igitur ex IGNATIO DVO loca producit. PRIMVS est in epistola ad Heronem, vbi sic loquitur Ignatius: *Ieiuniis, & orationibus vacato, sed non immodicè, ne te ipsum destruas: a vino, & carnibus non penitus abstineto, neque enim abominabilia sunt.* Et infrà: *Quicunque dicit aliquid contra ea, quæ mandata sunt, etiamsi fide dignus sit, etiamsi teinnet, etiamsi propheter, etiamsi signa faciat, lupus tibi habeatur sub ouis pelle, ouium exitium machinans.*

ALTER locus est in epistola ad Philippenses: *Si quis in reliquis rectè sentiat, ex cibis autem quosdam vocet abominabiles, ille inhabitatorem habet draconem Apostatam.*

Ex his locis Kemnitius ita colligit: *Fuerunt igitur* (inquit) *Ignatij tempore circa annum CX. qui à cibis quibusdam, maximè à carne, & vino sub specie religionis abstinuerunt, & immodicis ieiuniis corpora laserunt, &c. Quibus verbis Carthusienses, atque Catholicos Monachos reprehendit, qui carnibus nunquam vescuntur.*

Sed facilis est RESPONSIO. Nam Ignatij doctrina sanctissima est, & ab omnibus Catholicis liber admittitur. Non enim S. Ignatius illos reprehendit, qui propter continentiæ virtutem semper à vino, & carnibus abstinent, sed eos, qui id faciunt, quod vinum, & carnes res immundas esse arbitrentur, quales fuisse ipso Ignatij tēpore Ebionitas, ex Epiphanio constat.

Id autem ita esse, probatur PRIMO, quoniam alioqui S. Iacobum Apostolum, Ignatius reprehendisset, quo teste Hegesippo apud Eusebium, libro secūdo, capite vigesimo secūdo, à carnibus, & vino perpetuò abstinebat. Quod idem commune fuit omnib. illis sanctis Anachoretis, Antonio, Hilarioni, Macario, Simeoni Stilitæ, & aliis, quorū laudes Athanasius, Hieronymus, Palladius, Theodoretus, & alij veteres conscripserunt.

PRÆTEREA, S. Ignatius cum dicit, nō esse à vino, & carnibus abstinendum, quia non sunt abominabilia, apertè docet, tunc esse malum à vino, & carnibus abstinere, cum aliquis propterea ab illis abstinet, quod abominabilia esse credat.

DENIQVE, sicut reprehendit Ignatius prohibentes cibos, sic reprehendit prohibentes nuptias, sic enim loquitur in epistola ad Philadelphienses, in ipso loco, quem citat Kemnitius: *Si quis in reliquis rectè sentiat, sed legitimam commixtionem, & liberorum procreationem corruptelam, & pollutionem appellet, aut cibos quosdam abominabiles vocet, talis Apostatam Draconem inhabitantem habet.* Nam Ignatij tempore sicut Ebion carnes immundas, sic Saturninus nuptias à Diabolo esse docebat.

De nuptiis autem non detestandis, ita S. Ignatius loquitur, vt perpetuam virginitatem etiam laudet, & nuptiis anteponat. Sic enim scribit in eadem epistola ad Philadelphienses: *Virgines Christi in puritate, non abominantes nuptias, sed id quod præstantius est amplectentes, &c.* Et in epistola ad Philippenses: *Si quis* (inquit) *caste, si quis continenter viuat, non extollatur, ne perdat mercedem.*

Sic igitur Ignatius cibos omnes mundos esse docet, B & nullum vitandum, quasi immundum, non tamen prohibet, quo minus quis continentiæ gratiā semper ieiunet aut semper à vino, & carnibus abstineat, nisi fortè certa de causa alicui magis expediat, aliquando saltem vinum, & carnes degustare. Sic enim Apostolus Timotheum admonet, vt propter stomachi sui debilitatem non semper aquam bibat, sed modicum vinum illi adiungat, & noster Ignatius Heroni præcipit, vt non omnino vini potum, & carnium cibum respuat. Cùm enim tunc primùm exorta esset hæresis, quæ prætextu religionis vinum, & carnes detestari docebat, vtile erat multis, vt Hero qui persona erat publica, hæresim illam exemplo suo refelleret. Nec tamen inde sequitur, vt non debuerit Hero in Quadragesima, aliisque ieiunij diebus à carnibus abstinere.

SECVNDO loco profert KEMNITIVS historiam Alcibiadis, quam etiam attingit Philippus, in locis. tit. de Scandalo. Summa historiæ hæc est, vt eam refert Eusebius libro 5. cap. 3. Alcibiades quidam assueuerat vitæ admodum austeræ, vt nihil præter panem, & aquam in cibum, & potum sumeret. Is propter Christi fidem in carcerem coniectus, vbi simul aderant Attalus, Maturus, Blandina, & alij Confessores, in ipso etiam carcere nihil omnino præter panem, & aquam gustare volebat. Interim Attalo diuinitus indicatur, non rectè agere Alcibiadem, quod creaturis Dei non vteretur, & inde scandalū in mentibus aliorum gigneret, quare Alcibiades à fratribus admonitus, omnibus cibis promiscuè vti cœpit. Hanc historiam ita Philippus, & Kemnitius interpretantur, quasi Alcibiades à cibis abstineret opinione cultus, & vitæ perfectioris. Et hoc ipsum Attalo diuinitus reuelatum fuerit. Alcibiadis abstinentiam ideo non placere Deo, & scandalum in aliis gignere, quod ipse censeret discrimen ciborum, esse cultum Dei præstantiorē.

SED nullo negocio res expediri potest. Nam in tota illa historia nulla fit mentio cultus præstantioris, sed simpliciter narratur, ex diuina reuelatione cognitum fuisse Alcibiadem non rectè facere, quod creaturis Dei D non vteretur, deque ea re cæteros fratres non leue scandalum pati. Ex qua narratione colligitur satis probabiliter, suspicatos esse fratres, qui cum Alcibiade in carcere erant, illum hæresi damnantium cibos, vt immundos, infectum fuisse. Habuerunt autem occasionem huius suspicionis, ex eo, quod cùm prudentia Christiana doceret, homines in carcerem coniectos, & ferè quotidie variis tormentis vexatos, ac debilitatos indigere aliqua refectione maiori, & ea non deesset, ipse tamen in sua illa seuerissima abstinentia perseuerare vellet. Scribit enim Tertullianus in libro ad Martyres, solitos fuisse Christianos, summa diligentia & charitate ministrare cibos, etiam delicatos, confessoribus in carcere cōstitutis. Hoc igitur est, quòd socios Alcibiades offendebat, quòd eum A videret refectione indigere, & eam tamen respuere, Inde enim suspicabantur, eum aliquo errore circa ciborum mundiciem laborare.

AT (inquit Kemnitius) *Alcibiades post admonitionem illam non cœpit alia opinione à cibis abstinere, sed absque delectu cibis omnibus vti. Non igitur in eo solum errabat quod abstineret, quasi ab immundis.* RESPONDEO, Posset obiectio in aduersarium retorqueri; quoniam si Alcibiades reprehensus fuisset, quod abstineret propter opinionem cultus præstantioris; potuisset mutare opinionem, & ea mutata abstinentia sua perseuerare. Cæterùm vera responsio est, non potuisse Alcibiadem se ab erroris suspicione purgare, nisi edendo promiscuè cibos, quibus alij vescebantur, tum quia fratres, qui scandalā passi fuerant, non poterant certiores reddi de opinione illius interna, nisi per actionem externam, tum etiam quia prudentia, atque discretio (vt diximus) eo tempore postulabat, vt rigorem illum abstinentiæ relaxaret.

Omitto lapsum Philippi, qui scribit, Attalum, & Blandinam coniuges fuisse, cuius contrarium ex ipsa historia manifestè colligitur. Blādina enim ancilla erat, & virgo; Attalus vir nobilissimus, & ciuis Romanus. Omitto item multa, quæ ex capite suo Kemnitius comminiscitur, vt quòd fratres ex loco Apostoli, 1. Timoth. 4. opinionem Alcibiadis refutauerint, & alia, quæ ex ipso loco Eusebij inspecto per se euanescunt.

TERTIO, profert KEMNITIVS historiam hæresis Tatiani, vt probet, sententiam nostram de meritō ieiunij natam esse ex errore Tatiani. SED hoc suprà refutatum est. Constat enim ex communi Patrum consensu, Tatianum prohibuisse cibos aliquos, propterea quod immūdos naturā sua esse cēseret, & ideo nūquā eos gustari voluisse. Quod longissimè abest ab Ecclesiæ doctrina.

QVARTO, producit librum Tertulliani de ieiunio, in quo Tertullianus Montanum Hæresiarcham defendens, dicit, ieiunium, ac delectum ciborum esse vtilem ad merendum, ad satisfaciendum, ad placandum Deum. Et contrà obiicit sibi Catholicorum refutationē, qui proferebant scripturas Isaiæ: *Non hoc est ieiunium quod elegi;* & Euangelij: *Quod intrat in os non coinquinat hominem.* & Apostoli: *Esca nos non commendat Deo.* Ex quibus colligit Kemnitius, sententiam nostram de merito ieiunij consentaneam esse doctrinæ Tertulliani, & Montani Hæresiarchæ, & alienam à doctrina veteris Ecclesiæ, quæ Tertullianum, Montanumque damnauit.

RESPONDEO, Iam suprà diximus, Tertullianum nō bona fide recitare doctrinam Catholicorum. Catholici enim nō reprehendebant Mōtanistas, quòd ieiunia, & ciborum delectum ad meritum, & satisfactionem valere existimarent, sed quòd ita superstitiosè Xirophagias vrgerent, vt viderentur summam religionis in eo ponere, si nihil nisi crudum, & aridum comederēt. Hæc enim sunt verba Tertulliani: *Arguam* (inquit) *nos quod Xirophagias obseruamus, siccantes cibum ab omni carne, & omni virulentia, & uuidoribus quibuscque pomis, ne quid uinositatis, vel edamus, vel potemus.* Hæc certè superstitiosam diligentiam demonstrant, & ideo Catholici non sine causa Scripturas allegabant; *Non hoc est ieiunium quod elegi. Quod intrat in os non coinquinat hominem. Esca nos non commendat Deo.* Alioqui fuisse in Ecclesia Catholica vsum ieiunandi in pane, & aqua, faretur in eodem libro Tertullianus, & ieiunium, atque abstinentiam à certis cibis meritoriam esse, Patres omnes docent.

QVINTO, profert Kemnitius historiam hæresis Eustathij. *Eustathius enim* inquit Kemnitius) *à carnium esu abstinendum docuit, non quod cum Manichæis eas immundas, & abominandas indicaret, sed propter exercitationem cultus diuini.* Id quod probat ex Sozomeno lib. 3. ca. 12. qui scribit, ipsum Eustathium, in Cōcilio Gangrensi se declarasse, ἐκ αὐτὰ ὡς ἀγνὰ ἀλλὰ τῆς κατὰ θεὸν ἀσκήσεως, id est, non

Universidad de Deusto
Biblioteca

contumaciæ gratia, sed cultus erga Deum abstinentiam illam instituisse. Concilium autem Gangrense nihilominus Eustathij sententiam damnauit; igitur damnauit ieiunia, & abstinentiam, quæ suscipitur cùm opinione cultus, & meriti apud Deum. Colligit etiam ex hoc loco Kemnitius, nondum fuisse illo tempore in Ecclesia prohibitionem carnium in diebus ieiuniorum; sed tentatum quidem fuisse ab Eustathio, sed ab Ecclesia continuò repressam.

RESPONDEO, Eustathij hæresim non possumus melius cognoscere, quam ex Gangrensi Concilio, quod illo ipso tempore celebratum est. Sic igitur loquitur Concilium in ipsa præfatione: *Declaratum* (inquit) *est hos* (nimirum Eustathianos) *nuptias accusare, & docere, quòd nullus in coniugali positus gradu spem habeat apud Deũ.* Et infrà: *Ieiunia, quæ in Ecclesia prædicantur contemnenda asserisse. Nonnullos eorum etiam cibos carnium tanquam illicitos reputasse.* Deinde in canonibus, can. 1. *Si quis vituperat nuptias, &c. Anathema sit.* Et can. 2. *Si quis carnem edentem præter sanguinem, & Idolis immolatum, & suffocatum, cum religione, & fide, condemnat, velut spem propter huiusmodi perceptionem non habentem, anathema sit.*

Ex his manifestè colligitur, ab Eustathio, eiusque discipulis nuptias, & carnis esum absolutè fuisse damnata, ita vt saluum esse non posse crederent, qui nuptias contraheret, aut carnes vllo tempore degustaret. Quæ est ipsa hæresis Manichæi, quoad substantiam, quamuis fortasse non ex eodem fundamento Manichæus, & Eustathius hanc hæresim fabricauerint.

Manifestum quoque est, Eustathium à Concilio damnatum, non quod à nuptiis, vel carnis esu propter cultũ Dei perfectiorem, abstinendum esse diceret, sed quod absolutè nuptias, carnisque esum, vt res illicitas Christianis (vt diximus) repudiaret. Nam idem Concilium, can. 9. & 21. Virginitatẽ, & cõtinentiã recipit, & laudat.

AT (inquit Kemnitius) *Eustathius (Sozomeno teste) dabat operam vitæ seuere, & in Concilio Gangrensi professus est, se non contumaciæ gratia, sed ob cultum Dei abstinentiam illam introduxisse.* RESPONDEO, Ita est, sed idem Sozomenus addit, Eustathium ob amorem vitæ seuerioris in absurdas opiniones incidisse. Itaque non abstinentiam ob cultum Dei, sed absurdas illas opiniones Concilium damnauit.

Quod verò Kemnitius dicit, nondum eo tempore interdictam fuisse carnium esum in diebus ieiuniorum, merum est ipsius figmentum. Eustathius enim non arguitur, aut damnatur, quod carnes comedi noluerit in diebus ieiuniorum, sed quòd absolutè carnium esum illicitum esse dixerit: interdictum autem illo tẽpore fuisse Christianis carnium esum, cùm ieiunia celebranda erãt, ac potissimum in Quadragesima, perspicuum est ex historia Spiridionis, quam suprà tractauimus. Spiridion enim Eustathij æqualis fuit, aut etiam paulò antiquior, & tamen eo tempore scimus ab homine Christiano repudiatas fuisse carnes in Quadragesima, eo nomine quod Christianus esset. Vide eũdẽ Sozomenũ lib. 1. ca. 11.

SEXTO profert Caluinus lib. 4. Instit. cap. 12. §. 19. locum vnum sancti AVGVSTINI, ex lib. 30. contra Faustum; vbi dicit, ab Augustino refelli delirium Manichæorum, apud quos in magno honore erant, qui abstinebant à certis cibis, quasi abstinentia illa sit opus Deo gratum.

RESPONDEO, S. Augustinus non refellit Manichæos, quòd in magno honore haberent à carnibus abstinentes; sed quod putarent carnes naturâ sua esse immundas. Id quod probat, quoniam etiamsi apud Manicheos soli sacerdotes à carnibus abstinerent, tamen plebi carniũ esus, non tã vt licitus concedebatur, quàm vt illicitus indulgebatur: *Auditoribus* (inquit) *vestris, quos tanquam distinctos à genere sacerdotũ dixisti secundum veritatem hæc edenda concedatis. Neque enim cõceditur secundum veritatem, nisi peccatum.* Et infrà: *Hoc animo, hac voluntate, hac opinione ab escis huiusmodi temperatis, quod non significatione, sed naturâ malæ, & immundæ sint.* Adde quòd Faustus Manichæus non solũ dicit, perfectos apud Manichæos à carnibus abstinere, quem locum notauit Caluinus, sed etiã dicit, apud Catholicos in magno pretio haberi, qui carnibus semper abstineant. Sic enim loquitur cap. 3. *De vobis verò quid dicã (id est) de Christianioribus apud vos, quorum nonnulli quidem porcina, plerique verò quadrupede omni, alij etiam cuncto animali penitus abstinent, fértque ob hoc in oculis eos omnis Ecclesia & summa cum veneratione suspiciẽs solum non Deos existimat.* Quod testimonium S. Augustinus non reprobat, sed approbat, vt perspicuum est ex quinto capite.

CAPVT XIV.

De origine, & institutione ieiunij Quadragesimalis.

QVINTA restat pars disputationis de ieiunio, quæ est de variis tẽporibus, in quibus ab Ecclesia sunt instituta ieiunia. Ac primùm de ieiunio Quadragesimæ, quod est omnium maximùm, & celeberrimũ, TRIA tractanda sunt, de origine, & institutione, de rationibus institutionis, & de varietate.

Quod attinet ad PRIMVM, Tres falsæ opiniones de origine Quadragesimæ refellendæ sunt. PRIMA est Hæreticorum omniũ huius temporis, qui docent, Quadragesimam post tempora Apostolorum ex quadam superstitione, & peruersa imitatione Christi paulatim irrepsisse. Ita Ioannes Caluinus lib. 4. Institut. cap. 12. §. 20. Magdeburgenses cent. 1. li. 2. cap. 10. col. 577. Kemnitius in quarta parte examinis, & alij. Probat autem id Kemnitius in quarta parte exam. pag. 581. ex testimonio IRENÆI, apud Eusebiũ li 5. cap. 24. Sic enim loquitur Irenæus: *Quidam vnum diem ante Paschа ieiunant, quidam duos, alij plures, alij quadraginta, diurnas, & nocturnas horas supputantes pro die. Et hæc diuersitas non iam nostra ætate primùm cœpit, sed longè ante, illorum scilicet tempore, qui ante nos fuerunt, qui vt coniectura assequi licet, non accuratè consuetudinem eorum, qui vel simplicitate quadam, vel priuata auctoritate in posterum aliquid statuissent, obseruarunt.*

Ex hoc loco Quinque memorabilia Kemnitius colligi iubet, PRIMO, tempore virorum Apostolicorum fuisse diuersas, & varias obseruationes, non certas, & statas leges de ieiuniis, SECVNDO, Ieiunium Quadragesimæ fuisse vulgarem consuetudinem, non mandatum, aut traditionem Apostolicam. TERTIO, consuetudinem illam introductam priuata auctoritate à simplicibus hominibus, non ex totius Ecclesiæ, aut Apostolorum institutione, & præscripto. QVARTO fuisse, qui in posterum tempus aliquid statuerint de forma ieiunij, sed (vt dictum est) ex priuata sententia, & deuotione. Quinto, Viros Apostolicos eiusmodi consuetudinem non accuratè obseruasse, propterea quod scirent ex quadam simplicitate à priuatis hominibus introductam.

SED hoc argumentum Kemnitij Duplici ratione refutari potest. PRIMVM enim si verba ipsa Irenæi diligenter excutiantur, facilè apparebit, eum auctorem nõ loqui de institutione ieiunij Quadragesimalis, sed solũ de forma ieiunandi, id est, quamdiu oporteat ieiunantes manere impastos, vnò ne die, an duobus, an pluribus. Sed verba Græca adscribamus ex correctissima Roberti Stephani editione. *οἱ μὲν γὰρ μόνον οἶδε τὴν ἡμέραν ἐν ᾗ νηστεύουσιν, ἀλλὰ καὶ δύο τὰ εἴδη αὐτῆς ὑπολαμβάνουσιν. οἱ μὲν γὰρ δοκοῦσι μίαν ἡμέραν δέκα αὐτὰς νηστεύειν. οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ πλείονας. οἱ δὲ παραλύσεως ὥρας ἡμερεύειν καὶ νυκτερεύειν, συμμετρήσαντες τὴν ἡμέραν αὐτῶν.* Hæc verba si reddantur simpliciter, ita sonabunt latinè. *Neque enim solũ de die (Paschæ videlicet) est dubitatio, sed etiã de specie ipsius ieiunij. Quidam enim existimant vnam diem oportere se ieiunare, quidã duas, quidam etiam plures. Quidam quadraginta horis diurnis, & nocturnis metiuntur suum diem.* Hoc est, alij continuant ieiunium, nihil omnino comedentes vnũ diem, alij duos, alij plures, tres videlicet, aut quatuor, aut quinque, aut sex, integram nimirum hebdomadam. Alij quadraginta horis diurnis, & nocturnis metiuntur suum diem, ieiunij videlicet. Manent enim sine cibo quadraginta horis diurnis, & nocturnis, quæ tametsi ferè duos dies contineant, tamen ipsi pro vno die accipiunt.

Hanc esse veram explicationem, probamus PRIMO ex ipsis verbis Græcis, quæ non possunt simplicius reddi, quàm à nobis reddita sint.

SECVNDO, quia non dicit Irenæus, dubitationem esse de ieiunio Quadragesimæ, sed de specie, & forma ieiunij. Proinde non erat in cõtrouersia apud viros Apostolicos, vtrum seruandum esset ieiunium quadraginta dierum ante Paschа; id enim pro comperto omnes habebant: sed quomodo seruandum esset.

TERTIO, confirmatur à simili. Scribit enim Irenæus non solum de die Paschæ, sed etiam de forma ieiunij controuersiam esse. At de die Paschæ non erat quæstio, vtrum dies Paschæ celebrandus esset, sed vtrum dies Paschæ esse posset solũm dies Dominicus, an quicũque dies hebdomadæ. Sic igitur de ieiunio paschali, siue quadragesimali non erat quæstio, an seruandum esset, sed qua forma seruandum esset.

QVARTO, Incredibile videtur tantam fuisse aliquando varietatem ieiunij paschalis, vt aliqui putarent, ieiunium illud constare vnico die tantùm, aut duobus, alij quadraginta diebus: & incredibilius est, ieiunium illud quod Quadragesimæ nomen semper habuit, potuisse definiri vno die, vel duobus. Non igitur de diebus Quadragesimæ, sed tempore continuandi ieiunium sine omni cibo, loquitur Irenæus.

QVINTO, quoniam re vera semper fuit apud veteres varia consuetudo continuandi ieiuniũ. Scribit enim Philo in lib. de vita theorica supplicum, viros illos adeo amasse ieiunium, vt aliqui triduum, aliqui sex dies sine cibo transmitterent. Sanctus Epiphanius in compendiaria doctrina scribit, suo tempore fuisse adhuc in Ecclesia eiusmodi varietatem, vt aliqui ad Solis occasum ieiunium soluerent, alij biduum, aut triduum, aut integram hebdomadam sine cibo traducerent. Similia referunt sanctus Hieronymus in epist. ad Marcellam, de laudibus Asellæ, & sanctus Augustinus in lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 33. neque desunt etiam hodie, præsertim apud Græcos, qui ad initium, & finem Quadragesimæ tres dies, aut quadraginta horis impasti transigant. Cuius formæ ieiunandi habentur exempla in diuinis literis, Ester 4. Tob. 3. & Actor. 9. Hanc autem formam ieiunandi sine vllo cibo plures dies, libẽter admittimus, semper liberæ fuisse consuetudinis, neque vnquam ab Apostolis, aut aliis Ecclesiæ Præsulibus. Ex quo sequitur vt quinque illa memorabilia Kemnitij ad rem nihil pertineant.

Quamuis autem id quod iam diximus, verissimum esse credamus: tamen quoniam tum Ruffinus, tum Christophorsonus, tum alij locum hunc Irenæi ad Quadragesimæ varietatem retulerunt, adferemus ALTERAM rationem, cur Kemnitij argumentum nihil probet. Nã quod sequitur in testimonio Irenæi, non significat, consuetudinẽ quadragesimalis ieiunij introductam fuisse à priuatis hominibus, & ex simplicitate quadam, & ideò à viris Apostolicis non fuisse accuratè seruatam: sed significat, aliquos ex antiquis non accuratè seruasse consuetudinem, vt erat tradita à maioribus. & Apostolicis viris, & ex hac negligentia ortam esse varietatem, quæ ipsius temporecernebatur. Sic enim vertit Ruffinus:

Cœpit hæc diuersitas ab illis (vt opinor) qui non simpliciter quod ab initio traditum est, tenentes, in alium morem, vel per negligentiam, vel per imperitiam posimodum decidere.

Sed Kemnitius obiicit versionem Christophorsini, qui ita vertit, vt ipse paulò ante citauit. At nos Ruffinũ, vt multò antiquiorem, & doctiorem, & qui multa vertit in Latinum sermonem ex Græco, Christophorsino anteponendum censemus. Præsertim cùm verba Græca extẽt, & de vtraque versione à peritis iudicium fieri possit. Hæc enim sunt verba Irenæi, quæ proximè sequuntur post ea, quæ paulò ante descripsimus: *καὶ τοσαύτη μὲν ποικιλία τῆς ἐπιτηρήσεως, οὐ νῦν ἐφ' ἡμῶν γεγονυῖα, ἀλλὰ καὶ πολὺ πρότερον ὅτε καθ' ὑπολοιπὸν καὶ ἀκριβῶς ὡς εἰκὸς κρατούντων τῶν καθ' ἀπλότητα καὶ ἰδιωτισμὸν συνήθειαν εἰς τὸ μετέπειτα πεποιηκότων.* Quæ ad verbum sic reddi possunt, *& talis quidam diuersitas obseruantium, non nunc nostro tempore facta est, sed & multo antea tempore maiorum nostrorum, qui non accuratè (vt par erat) tenentes simplicem, & propriam consuetudinem, eam ad posteros transmiserunt.*

Ex quo non sequitur, quod Kemnitius dicit, ieiuniũ Quadragesimæ ex simplicitate quadam, & priuata quorundam auctoritate introductum; sed tantũ id sequitur, aliquos ex veteribus nõ cõseruasse cõsuetudinẽ Apostolicã, ita simpliciter, ac propriè vt cõseruanda erat, & inde natã esse apud aliquos magnã in forma ieiunij diuersitatẽ

Sed his omissis, ALTERA sententia est Ioãnis Cassiani, qui collatione 21. cap. 30. docet, in Ecclesia primitiua, per totum annum æquale fuisse ieiunium; deinde frigescente deuotione, cùm inciperent apud multos negligi ieiunia, placuisse omnibus sacerdotibus, vt Quadragesimæ ieiunium indiceretur, ac fixa lege stabiliretur.

Sed hæc sententia falsò nititur fundamento. Tametsi enim credibile sit Apostolos, alios que nonnullos, sicut in commune viuebant, & continentiam perpetuam colebant: ita etiam vel per totum annum, vel certè frequẽtissimè ieiunasse: tamen neque certum, neque verisimile est, omnes Christianos Apostolicis temporibus per totum annum operam dedisse ieiuniis; quemadmodum nulla ratione affirmari debet, omnes vbique Christianos sub Apostolis vitam cœlibem, & communem duxisse. Nã certè apud Corinthios, aliasque ciuitates Græcorũ) vt ex epistolis beati Pauli perspicuũ est) Christiani permulti liberis operam dabant, & res suas proprias retinebant, & per vnã Sabbathi collectę apud eos fiebant. Item 1. Cor. 7. admonet cõiugatos Apostolus, vt ad tempus intermittant opus coniugale, vt vacent orationi, & ieiunio. Ex quo sequitur, vt non per totum annum ieiunare soliti fuerint. Et 1. Cor. 8. monet, vt comedãt quic quid in macello venit; ex quo intelligimus, eos carnibus vesci solitos, à quibus tamen abstinent ieiunantes.

Quid quod Actor. 13. Apostoli, Paulus, & Barnabas ordinantur in opus Euangelij cùm ieiunio, & oratione, & manuum impositione. Vbi sine dubio fit mentio specialis ieiunij tempore ordinationis; proinde nõ semper in prima illa Ecclesia ieiunabatur. Ipse etiam B. Paulus 2. Cor. 11. commemorat inter alios suos labores, ieiunia multa. Et de sancto Ioanne Apostolo suprà citauimus, illum cùm quodã adolescente crebra duxisse ieiunia; & cum Euangelium scribere vellet, solenne indixisse ieiunium. Quæ sunt argumenta clarissima, non fuisse apud Christianos omnes, Apostolicis temporibus, per totum annum æquale ieiunium.

Adde quod nusquam inuenitur lex illa, quam Cassianus dicit, ab omnibus simul Christi sacerdotibus fuisse latam de ieiunio, Quadragesimę. Primum enim generale Concilium omniũ sacerdotum constat fuisse Nicenũ primum: in eo autem Concilio fit mentio Quadragesimæ tanquam rei notissimæ, & multo antea institutæ.

TERTIA sententia est aliorum, qui institutionem Quadragesimæ referunt ad Telesphorum Papam. Id enim

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim aliquos sensisse refert Eusebius in Chronico. Sed forte inde nata est opinio illa, quod Telesphorus legatur cleri is mandasse, vt septem integras hebdomadas à carnibus abstinerent, cùm laici septem hebdomadas non integras abstineant. Alioqui enim fieri non potest, vt Telesphorus ieiunium Quadragesimæ instituerit, cùm ante ipsius tempora vixerit S. Ignatius, qui Quadragesimæ apertissimè meminit.

VERA igitur sententia est, Quadragesimale ieiuniũ ab Apostolis Domini institutum, atque Ecclesię vniuersæ traditum fuisse. Id enim PRIMVM constat ex canone Apostolorum 68. DEINDE, ex testimonio expresso duorum insignium Patrum Hieronymi, & Leonis. Sic enim scribit S. HIERONYMVS, in epist. ad Marcellam aduersus Montanum: *Nos vnam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo, ieiunamus.*

Sanctus verò LEO, serm. 6. de Quadragesima ita loquitur: *Quod ergo dilectissimi in omni tempore vnumquemque conuenit facere Christianum, id nunc solicitius est, & deuotius exequendum: vt Apostolica institutio quadraginta dierum ieiunijs impleatur.* Et serm. 9. de Quadragesima loquens: *A sanctis* (inquit) *Apostolis, per doctrinam Spiritus sancti maiora sunt instituta ieiunia, vt per commune consortium crucis Christi, etiam nos aliquid in eo, quod propter nos gessit, ageremus.*

TERTIO, probatur ex regula illa notissima beati Augustini in epist. 118. ad Ianuarium, & lib. 4. de Baptismo, cap. 24. quæ habet, illa omnia sine dubio ex Apostolica traditione descendere, quæ in vniuersa Ecclesia obseruantur, & in nullo Ecclesiæ concilio instituta inueniuntur. Eiusmodi esse Quadragesimale ieiunium, nullo negocio demonstrari potest. Nam non esse institutũ in vllo Concilio perspicuum est, TVM ex eo, quòd nusquam extat tale concilium, in quo primùm Quadragesima instituta esse dicatur: TVM ex eo, quod inuenitur mentio Quadragesimæ in auctoribus, qui omnia Concilia præcesserunt.

Obseruatum verò ieiunium hoc in Ecclesia vniuersa semper fuisse, manifestè patet ex Conciliis, & Patribus diuersorum temporum, & locorum. Fit enim mentio Quadragesimæ, vt rei generalis, & antiquissimæ, in Cõcilio primo Niceno, can. 5. in Concilio Laodiceno, can. 49. & sequentibus. Et in canonibus, quæ dicuntur sextæ Synodi, can. 29. quæ sunt Concilia in Oriente celebrata. Item in Conciliis occidentalibus, Aurelianensi primo, can. 11. Aurelianẽsi quarto, can. 2. Agathẽsi, can. 8. Antisiodorẽsi, can. 2. Toletano 8. can. 9. & Bracarẽsi 2. can. 9.

Porrò, nullus est veterum Patrum, qui Quadragesimę non meminerit. Ex Græcis, S. Ignatius in epist. ad Philippenses. S. Irenæus in epist. ad Victorem, apud Eusebium lib. 5. Hist. cap. 24. Origenes homil. 10. in Leuiticũ. Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi 1. & 18. Epiphanius in compendiaria doctrina. Athanasius in epist. ad Orthodoxos de persecutione. Basilius oratione secunda, de ieiunio. Gregorius Nazianzenus, oratione in sanctũ lauacrum. Gregorius Nyssenus, oratione de amandis pauperibus. Ioannes Chrysostomus, homil. 1. in Genesim & homil. 18. & 73. ad populũ Antiochenũ. Theophilus Alexandrinus, in epistolis tribus Paschalibus. Denique Dorotheus Abbas in lib. de vita rectè, ac piè instituenda, doctrina 15. vbi etiam affirmat, Quadragesimam ab Apostolis institutam. Vide hunc auctorem in tomo 3. bibliothecæ sanctorum Patrum.

Ex Latinis, Tertullianus in lib. de ieiunio, capite 2. dicit, Ieiunium quoddam esse in Ecclesia lege præscriptũ. Deinde ca. 13. illud ipsum vocat ieiuniũ Paschale. Ex quo intelligimus, eũ de Quadragesima loqui, id est, de ieiunio, quod ante Pascha solenniter celebratur. Sed verbis disertis Quadragesimę faciunt mentionem ex latinis, Ambrosius lib. de Noë, & arca. cap. 13. & serm. 23. & sequentibus, Hieronymus in cap. 58. Isaiæ, in cap. 3. Ionæ, in cap. 9. Matthæi, in epist. ad Letam, de institutione filiæ, & alibi. Augustinus in epist. 119. cap. 15. Et in Psal. 110. & in sermonibus plurimis. Paulinus in epist. 6. ad Amãdũ, Maximus in sermonibus de Quadragesima, Cassianus Collat. 21. Leo Pontifex, in sermonibus, item de Quadragesima. Petrus Chrysologus, in sermonibus de Quadragesima. Gregorius Magnus, hom. 16. in Euãgelia. Isidorus lib. 1. de officiis diuinis, cap. 36. Rabanus lib. 2. de Institut. clericorum. Amalarius lib. 1. de officiis Ecclesiasticis. Rupertus lib. 4. de officiis diuinis. Bernardus in serm. de Quadragesima.

Ex hac autem tanta nube testiũ, qui omnes Quadragesimæ, vt rei sacræ, & celeberrimæ, faciũt mentionem, mirũ est, si non oprimatur impudentia Hæreticorũ, & præsertim CALVINI, qui in lib. 4. Instit. cap. 12. §. 20. dicere ausus est: *Iam inualuerat superstitiosa Quadragesimæ obseruatio.* Quomodo enim superstitiosa obseruatio dici potest, quæ ab Apostolis per doctrinam Spiritus sancti instituta, omnibus seculis post Apostolica tempora succedentibus, ab omnibus Conciliis, omnibusque Patribus Græcis, & Latinis celebrata est?

Adde quod non desunt insignes Patres, qui ab ipso Domino indictam Quadragesimam fuisse docent. Sic enim loquuntur Ambrosius, sermo. 25. Hieronymus in cap. 58. Isaiæ, & cap. 3. Ionæ. Augustinus in Psalm. 110. Et Leo serm. 12. de quadragesima. Quamuis enim Ambrosius, Hieronymus, & Augustinus intelligant, Quadragesimam à Domino indictam, non verbo, sed exemplo; & Leo diuinitus institutam esse dicat, quoniam Apostoli, non ex proprio capite, sed ex inspiratione Dei illam instituerunt: tamen hoc ipsum, quod Christus exemplo suo, & Spiritus sanctus vnctione sua quadragesimam instituerit, apertissimè docet, planè blasphemum, & sacrilegum esse Caluinum, qui superstitiosam quadragesimæ obseruationem vocare non dubitauit.

Sed obiicit KEMNITIVS testimonium sancti Augustini, & ex epist. 86. ad Casulanum: *Ego in Euangelicis, & Apostolicis literis, totoque instrumento, quod appellatur testamentum nouum, animo id reuoluens, video præceptum esse ieiunium. Quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apostolorum non inuenio definitum.* Sed facilis est RESPONSIO. Loquitur enim sanctus Augustinus, de præcepto Domini, vel Apostolorũ scripto in diuinis libris. Fatemur autem nullũ eiusmodi in diuinis libris extare præceptum. Et ideo non præcepto scripto, sed traditione non scripta defendimus Quadragesimam ab Apostolis institutam. Esse autem hanc verè Apostolicam traditionem, probauimus paulò ante per illam ipsam regulam, quam nobis ad traditiones Apostolorum internoscendas, idem ipse sanctus Augustinus reliquit.

CAPVT XV.

De Quadragesimæ varietate.

ADmiranda planè fuisse videtur, apud veteres in Quadragesima obseruanda varietas. Nam sanctus IRENÆVS apud Eusebiũ, libro quinto, capite vigesimo quinto, scribit, alios vno die, alios duobus, alios pluribus, alios quadraginta diebus Paschale definiuisse ieiunium.

Sanctus Basilius oratione secunda, de ieiunio, indicit publicè Quadragesimã, & tamen dies tantùm quinque, non autem quadraginta ieiunandos esse monet. Quod diligenter notari iubet Kemnitius in quarta parte examinis, pagina 630.

Sanctus AMBROSIVS serm. 34. dicit, suo tempore aliquos non Quadragesimam, sed Quinquagesimam ieiunare

nare solitos; alios contra vix Trigesimam, aut Vigesimam, cùm alternis tantùm hebdomadis, in Quadragesima ieiunarent.

IOANNES CASSIANVS, collat. 21. capite 27. scribit, alios ieiunare sex hebdomadas, alios verò septẽ.

SOCRATES lib. 5. hist. c. 21. dicit, Romanos ieiunare solitos tres tantum hebdomadas ante Paschã, Dominicis, & Sabbathis non supputatis. Græcos, Illyricos, & Alexandrinos, sex hebdomadas. Alios quosdam septem hebdomadas, sed interuallo posito post quintum decimum quemque diem. Quem locum non solùm Kemnitius in Exam. sed etiam Caluinus in Instit. lib. 4. cap. 12. obseruari iubet.

Sanctus LEO serm. 4. de Quadragesima indicat, suo tempore solùm quatuor dies per hebdomadam ieiunari consueuisse in Quadragesima. Sic enim loquitur indicens ieiunium Quadragesimæ: *Igitur feria secunda, feria quarta, & feria sexta ieiunemus: Sabbatho autem apud sanctum Petrum vigilias celebremus.* Dixi autem quatuor dies, quia Sabbatho cùm vigilia semper ieiuniũ iungebatur.

Cæterùm hæc tanta diuersitas non difficulter tolli potest. Verè enim in Ecclesia Catholica omnibus seculis, tum apud Græcos, tum apud Latinos ieiunium paschale fuit dierum quadraginta, aut ferè quadraginta, id est, triginta sex. Id verò perspicuum est PRIMO, quoniam omnia Concilia, & Patres suprà citati vtuntur nomine Quadragesimæ, cùm ieiunium paschale commendant. Per quadragesimam autem non potest intelligi, nisi numerus quadragenarius, aut prope quadragenarius. Quis enim quadragesimam vocaret ieiunium dierum quindecim, aut viginti?

SECVNDO, Multi Patres dicunt, ieiunari quadragesimam ad exemplum Christi, Mosis, & Eliæ; id enim habet sanctus Basilius, oratione in 40. Martyres, sanctus Hieronymus in cap. 58. Isaiæ, sanctus Augustinus in epist. 119. ad Ianuarium, & alij. At Christus, Moses, & Elias quadraginta dies ieiunarunt.

TERTIO, sanctus Ambrosius serm. 23. sanctus Gregorius, homil. 16. & Cassianus Collat. 21. cap. 27. scribunt, quadragesimam continere quadraginta duos dies, & detractis Dominicis, in quibus non ieiunatur, remanere dies ieiunij triginta sex.

QVARTO, sanctus Augustinus in epistola 119. capite decimo septimo. Sanctus Leo, serm. 4. de quadragesima, & Petrus Chrysologus, serm. 11. disertis verbis tradunt, ieiunium quòd ante Pascha celebratur, esse quadraginta dierum.

Sed hæc omnia clariora efficientur ex discussione eorum, quæ contrà obijciebantur. Nam ad locũ productũ ex Irenæo iam respondimus capite superiore, non loqui Irenæũ de varietate dierum quadragesimæ, sed de varietate continuandi ieiunium sine omni cibo in ipsa quadragesima; id est, an tempore Quadragesimæ cibus sumendus esset semel in die, aut semel post biduum, aut triduum, &c.

Ad locum sancti Basilij RESPONDEO, loqui sanctum Basilium de ieiunio singularum hebdomadarum Quadragesimæ, ac numerare solùm quinque dies, quoniam Græci die Sabbathi, & die Dominico non ieiunant. Hortatur enim sanctus Basilius populum ad Ieiunium Quadragesimæ alacriter amplectendum; atque inter alia argumenta, quibus probat, non esse difficilem Quadragesimæ obseruationem, adducit illud, quod numerus dierum, quibus continenter ieiunandum est, non sit nisi quinarius; quinario enim exacto succedere biduum, quibus ieiunij seueritas relaxetur. Itaque annotatio Kemnitij ex imperitia nata est.

Ad locum sancti Ambrosij RESPONDEO, Qui ieiunare volebant quinquagesimam pro Quadragesima, eos voluisse secundùm ritum Græcorum non ieiunare die Sabbathi. Sic enim detractis Sabbathis, & addita vna hebdomada, redit numerus dierum, quibus ieiunatur, omnino idem cùm eo, qui resultat dempta vna hebdomada, & Sabbathis inclusis. Cæterùm hic mos, quãuis in numero dierum cùm nostro conueniat, tamẽ non placuit Ecclesiis Latinis; & ideo Concilium Agathense can. 8. Aurelianense I. can. 11. & Aurelianense IV. can. 2. mandat, vt omnes ieiunent Sabbatha Quadragesimæ, & veram Quadragesimam, non Quinquagesimã celebrẽt.

Hæc est igitur quinquagesima, quam sanctus Ambrosius reprehendit, siue quicũque est auctor illius sermonis. Nam certè vix fieri potest, vt auctor sit Ambrosius, cùm eius tempore Mediolani seruaretur vsus Græcorũ de Sabbatho non ieiunando. Sic enim loquitur sanctus AMBROSIVS, in libro de Elia, & ieiunio, capite decimo. *Quadragesima totis, prater Sabbathum, & Dominicum, ieiunatur diebus.*

Porrò illi, qui apud eundem auctorem ieiunabant alternis septimanis, fortè addebant ad numerum hebdomadarum, vt etiam ipsi complerent eundem numerũ dierum ieiunij quadragesimalis. Sed siue id fecerint, siue non fecerint, parum refert, quoniam hi non legem aliquam Ecclesiasticam, sed cupiditatem, & intemperantiam suam habebant pro lege, & propterea ab auctore illo grauissimè castigantur.

Ad locum Cassiani facilis est RESPONSIO. Ipse enim fatetur, nullam esse discrepantiam in numero dierũ. Quidam enim (id est) Latini ieiunabant sex hebdomadas, quia solùm Dominicos dies nõ ieiunabant: quidam (id est) Græci ieiunabant septem hebdomadas, quia non solùm Dominicos dies, sed etiam Sabbatha ieiunabant, excepto Sabbatho sancto. Sicut enim in sex hebdomadis triginta sex dies ieiuniorum inueniuntur, demptis Dominicis: ita quoque in septem hebdomadis triginta sex dies ieiuniorum inueniuntur, detractis Sabbathis, & Dominicis, excepto Sabbatho sancto.

Ad locum Socratis DICO PRIMO, Socratem non multùm fidei mereri, cùm & Nouatianus, & Aërianus fuerit. Cupiebat enim (vt ipse apertè in hoc ipso loco indicat) festa, & ieiunia omnino esse libera. DEINDE, aut manifestè falsa scribit, aut codicem eius corruptum habemus. Scribit enim apud Romanos non ieiunari nisi tribus hebdomadibus ante Pascha, detractis Sabbathis, & Dominicis. At Romæ potissimum ieiunabatur Sabbatho, non solùm in quadragesima, sed etiam per totum annum, vt sanctus Augustinus docet, in epist. 86. ad Casulanum. Immo ipsi Græci in can. 55. eorum, qui sextæ Synodo tribuuntur, Romanos reprehendũt, quod Sabbatho in quadragesima ieiunent.

Itaque exploratus est error Socratis, quòd Romani Sabbatha excipiant à ieiunio Quadragesimæ. Nec minus exploratus est error, quòd non ieiunent, nisi tres hebdomadas. Nam Cassianus, qui vixit eodem tempore, quo Socrates, scribit, Latinos ieiunare sex hebdomadas. Et sanctus Leo, qui fuit Episcopus Romanus tempore Socratis, in serm. 5. de Quadragesima dicit, Romæ ieiunium ante Pascha esse omnino quadraginta dierum.

Sed probabile est, eodicem Socratis esse corruptum, & pro tribus septimanis scribendũ esse quinque, vt numeri, quos ipse ponit, se consequantur, videlicet quinque, sex, septem; & nomen Sabbathi irrepserit in codicem Socratis. Ex consuetudine Græcorum, qui Sabbathis non ieiunant.

AT (inquies) Romani non quinque septimanas ieiunant, sed sex; & Græci non sex, sed septem, vt ex Cassiano didicimus. VERVM est, sed Socrates distinguit Quadragesimam ab hebdomada sancta, & ideo dicit ieiunari quinque hebdomadas à Romanis, & sex à Græcis: Cassianus includit in Quadragesima sanctam hebdomadam, & ideo ieiunio Latinorũ tribuit hebdomadas sex,

ieiunio

Universidad de Deusto
Biblioteca

ieiunio Græcorum septem. Morem autem esse Græcorũ distinguere ieiunium Quadragesimæ à ieiunio hebdomadæ Paschalis, id est, quæ ipsum Pascha proximè præcedit, perspicuum est ex Ignatio, in epistola ad Philippenses, ex Clemente libro quinto, constitut. Apostolicarum. 15. & 19. & ex Epiphanio, in cõpendiaria doctrina.

Itaque si corrigamus textum Socratis, & pro tribus septimanis ponamus quinque, nulla erit discordia inter Socratem, & Cassianum de ieiunio tum Latinorũ, tum Græcorum. Illi autem qui apud Socratem dicũtur, præter regulam cæterorum ieiunare septem hebdomadas, sed interuallo interposito post quindecim dies; conueniunt etiam cùm cæteris in numero dierum. Nam ieiunabant primas duas hebdomadas integrè, deinde in tertia hebdomada cessabant à ieiunio. Rursus ieiunabant quartam, & quintam hebdomadam etiam integrè; tum cessabant in hebdomada sexta. Denique ieiunabãt hebdomadam septimam, eique addebãt hebdomadam sanctã. Proinde ieiunabant integrè sex hebdomadas, quæ vt suprà diximus, continent dies ieiuniorũ sex & triginta.

Ad locum sancti Leonis RESPONDEO, sanctum Leonem loqui de ieiunio quatuor dierum, qui adduntur ante primam Dominicam Quadragesimæ, vt numerus quadragenarius compleatur. Nam si loqueretur de ieiunio ipsius Quadragesimæ, & vellet eximi in singulis hebdomadis feriam tertiam, & feriam quintam: sequeretur, vt vel dies ieiunij Quadragesimalis non essent triginta sex, sed pauciores, vel certè hebdomadæ Quadragesimales non essent sex, sed plures. Vtrunque autem repugnat Cassiano, qui tempore sancti Leonis vixit, & apertissimè tradit apud Latinos sex esse hebdomadas Quadragesimales, & in iis ieiunari dies sex, & triginta. Quod idem tradit sanctus Gregorius, homil. 16.

Adde, quod sanctus Leo in singulis ferè sermonibus de Quadragesima repetit, dies ieiunij Quadragesimalis non esse triginta sex, sed planè quadraginta; ex quo intelligimus, iam tunc addi cœpisse quatuor dies ante primam Dominicam Quadragesimæ. Sic enim loquitur C serm. 4. *Prouisum est vt ad reparandam mentium puritatem, quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur.* Et sermo. 5. *Saluberrimè nos quadraginta dierum ieiunio præparamus.* Et serm. 6. *Apostolica institutio quadraginta dierum ieiuniis impleatur.* Et serm. 8. *In istis quadraginta dierum ieiuniis, vos pietatis operibus expolite.* Et serm. 10. *Merito nos quadraginta dierum ieiunio præparamus.* Et serm. 12. *Sic est præcurrenda consuetudo ieiunij, vt nos quadraginta dierũ numerus exerceat.*

Ex quo postremo loco intelligimus, sermonem esse habitum non in ipsa prima Dominica Quadragesimæ, sed in præcedente. Ideo enim dicit, præcurrendam esse ieiunij consuetudinem, vt quadraginta dierum numerus nos exerceat, quia nisi præcurreremus consuetudinem ieiunij addendo quatuor dies, non esset numerus quadraginta dierum, sed tantum triginta sex. Et ideo etiam in serm. illo 4. vbi denunciatur ieiunium feriæ 2. & 4. & 6. & vigilia, ac per hoc etiam ieiunium in Sabbatho; dicit: *Ingrediatur mysticos dies, &c.* Ex quo intelligimus, sermonem esse habitum in Dominica præcedente primam Dominicam Quadragesimæ, ac per hoc indictum D esse ieiunium quatuor dierum ante ipsam primam Dominicam, in qua propriè incipit quadragesima.

Porrò, hanc additionem quatuor dierum vniuersa Ecclesia recepisse videtur. Esse enim valde antiquam in Latina Ecclesia, perspicuum est ex Alcuino, in libro de officiis Ecclesiasticis, vbi tractat de capite ieiunij, ex Amalario, libro primo, de officiis Ecclesiasticis, capite septimo ex Micrologo, in libro de obseruationibus Ecclesiasticis, cap. 49. ex Ruperto lib. 4. de officiis diuinis, cap. 9 ex Iuone, in serm. de capite ieiunij, ex Gratiano, de consecrat. dist. 5. can. Quadragesima. Denique ex sacramentario sancti Gregorij, in quo annotatur initium A ieiunij feria quarta, ante primam Dominicam quadragesimæ.

Nec solùm in Latina Ecclesia, sed etiam Græca receptam fuisse hanc consuetudinem complendi numerũ quadragenarium, cognosci potest ex Dorotheo Abbate, quem suprà citauimus, in libro de vita rectè instituẽda, doctrina 15. qui dicit, Quadragesimam constare triginta sex diebus ieiuniorum, sed additam esse vnã hebdomadam à maioribus, vt numerus quadragenarius compleretur.

Illud tamen fatendum est, additionem horum quatuor dierum aliquo modo variatam esse. Nam tempore sancti Leonis quatuor dies erant, feria secunda, quarta, sexta, & Sabbathum: tempore autem sancti Gregorij, feria quarta, quinta, sexta, & Sabbathum. Quod autem in sermone quodam sancti Augustini, titulus extat, feria quarta, in capite ieiunij, nos mouere non debet. Nam neque certum est, vtrum sermo ille sit beati Augustini, neque an titulus ille ab Augustino sit additus. Videntur enim sermones illi de tẽpore, ab aliquo posteriore collecti, & ad ordinem Gregorianum accommodati.

CAPVT XVI.

De ratione instituendæ Quadragesimæ.

QVæ fuerit ratio quadragesimalis ieiunij instituendi, breuiter explicandũ est, tum propter Caluinum, qui non aliam rationem agnoscit, quàm κακοζηλίαν, tum propter Kemnitiũ, qui rationes, quas Theologi adferunt, ita ineptas iudicat, vt solam earum recitationem dicat satis esse ad confutationem.

Igitur SEPTEM videntur esse præcipuæ causæ huius institutionis. PRIMA, vt Christiani omnes pro negligentiis toto anno commissis agant, quasi communem, & publicã pœnitentiã, & Deum coniunctis studiis, precibus, & lachrymis placare nitantur. Sic enim loquitur C sanctus LEO serm. 4. de quadragesima: *Dum per varias actiones vita huius solicitudo distenditur, necesse est de mundano puluere etiam religiosa corda fordescere: ideo magna diuinæ institutionis salubritate prouisum est, vt ad reparandam mentium puritatem quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas, & pia opera redimerent, & ieunia casta decoquerent.* Quadragenarium autem numerum pœnitentiæ conuenire, docent sancti Patres Hieronymus in cap. 3. Ionæ, & Gregorius homil. 16. in Euangelia.

SECVNDA ratio, vt ad sacram communionem quàm in Paschate Christianorum nullus debet omittere, simul omnes per hoc publicum, ac solenne ieiunium præparemur. Reddunt hanc rationem Chrysostomus, homilia prima in Genesim, & HIERONYMVS in caput tertium Ionæ; quo loco sic ait: *Ipse Dominus verus Ionas ieiunauit quadraginta dies, & hereditatem nobis ieiunij derelinquens ad esum corporis sui, sub hoc numero nostras animas præparat.* Et in capite nono Matthæi, scribit idem Hieronymus, ieiunari quadragesimam, vt saginæ spirituali, ieiunio corporis præparemur.

TERTIA, vt impleatur quod Dominus ait, Matth. 9. *Cum auferetur ab eis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus.* Hanc enim rationem reddebant antiquissimi Christiani apud Tertullianum, in libro de ieiunio. Scribit sanctus Hieronymus in caput nonum Matthæi, Montanistas occasione huius sententiæ instituisse vnam Quadragesimam ieiuniorum post Ascensionem Domini, interpretantes per ablationem sponsi ipsam Ascensionem. Sed Ecclesia Catholica à Spiritu sancto, melius edocta per ablationem sponsi passionem eius, & mortem interpretatur. Et ideo tunc maiora ieiunia instituit cum ipsam

Domini

ipsam Dominicam passionem cõmemorare aggreditur. A

QVARTA, vt non solùm verba Domini impleantur, sed etiam vt ad celebrationem passionis, & resurrectionis Domini, quæ sunt mysteria nostræ redemptionis omnium maxima, per hoc solenne ieiunium præparemur. Reddunt hanc rationem passim sancti Patres, sed præcipuè sanctus LEO, qui in serm. 9. de Quadragesima sic ait: *In omnibus, dilectissimi, solennitatibus Christianis non ignoramus, paschale Sacramentum esse præcipuum, cui condignè, & congruè suscipiendo, totius quidem nos temporis instituta reformant, sed deuotionem nostram præsentes, vel maximè dies exigunt, quod illis sublimissimo diuinæ misericordiæ Sacramento, scimus esse coniuges.* Et serm. decimo. *Cognoscimus* (inquit) *ad celebrandum Paschæ diem merito nos quadraginta dierum ieiunio præparari, vt digni possimus diuinis interesse mysteriis.* Et serm. duodecimo. *Suscepturi festorum omnium maximum festum, ea nos debemus obseruantia præparare, vt in cuius sumus resurrectione correfuscitati, in ipsius inueniamur passione commorini.* B

QVINTA, vt Christiani non solùm pro se, sed etiam pro Catechumenis in Paschate regenerandis ieiunent, & orent. Pulchrè sanctus Ambrosius, serm. vigesimo septimo. *Sic* (inquit) *Elias quadraginta dierum curriculo continuato ieiunio, totius mundi longam ac nimiam sicitatem meruit imbrium vore restinguere, & ardentem terrarũ sitim cœlestis pluuiæ largitate perfundere. Quod quidem in figuram nostri factum esse cognoscimus, vt nos quoque horũ quadraginta circulo dierum ieiunantes, spiritualem Baptismatis pluuiam mereamur, nostramque iamdiu aridam terram cœlestis desuper imber infundat, & longam gentilium siccitatem lauacri inundatio salutaris irroret. Siccitatem enim, & ardorem animæ suæ patitur, quisquis Baptismi gratia non rigatur.* Vide etiam serm. 38.

SEXTA, vt quasi decimas vitæ nostræ per abstinentiam quadragesimalem Domino consecremus. Nã dierum totius anni decima pars sunt dies triginta sex. Tot autem sunt dies ieiunij quadragesimalis propriè dicti. Quadragesima enim propriè incipit in prima Domini- C ca Quadragesimæ, vt perspicuum est tum ex officio Ecclesiastico, tum ex eo, quod ieiunium Quadragesimæ soluitur ad vesperam, ieiunium autem dierum præcedentium primam Dominicam Quadragesimæ soluitur ad nonam. Et hæc est ratio cur sanctus Gregorius homil. 16. dicat, ieiunium Quadragesimæ constare triginta sex diebus. Tametsi enim ipse ignorare non posset, addi solere quatuor dies ad numerum quadragenarium perficiendum tamen sciebat etiam, Quadragesimam propriè dictam non vltra triginta sex dies extẽdi. Vide hanc rationem de decimis per ieiunium Deo soluendis apud Cassianum, collat. vigesima prima, capite vigesimo septimo. Gregorium homil. decima sexta. Isidorum libro 1. de officiis diuinis, cap. 36. & Dorotheum Abbatem, loco suprà citato.

SEPTIMA, vt Christum, qui caput nostrum est, eo modo, quo possumus, imitemur. Imitamur autem per hoc ieiunium, tum passionem Christi, quàm hoc tempore ipse pro nobis pertulit, tum etiam illud ipsum ie- D iunium, quod nostri causa susciperе dignatus est. Atque hanc rationem, quàm Hæretici præcipuè rident, sancti Patres suprà citati maximi faciunt. Et verè non potest reddi certior ratio, cur hoc paschale ieiunium, Quadragesima nominetur, nisi quia suscipitur ad imitandum Christum, qui quadraginta diebus legitur ieiunasse.

Sic IGNATIVS ad Philippenses monet: *Ieiunandum esse à fidelibus Quadragesimam, quia imitationem continet conuersationis Domini.* Scribit quidem Kemnitius hanc sententiam videri assutam in epistola sancti Ignatij, ex constitutionibus Clementis. Sed cur fieri non potuit, vt Ignatius Clementẽ imitaretur, & verba illius sua etiam verba faceret?

DEINDE, præter Ignatium omnes ferè Patres hoc ipsum repetunt. BASILIVS oratione 1. de Ieiunio: *Caput* (inquit) *omnium relatorum Dominus noster cum per ieiunium carnem, quam pro nobis assumpsit, munuisset, sic in ipso Diaboli insultus sustinuit, quo & nos erudiret, vt per ieiunia ungamur, ac exerceamus nos ipsos ad certamina in tẽtationibus.*

GREGORIVS NAZIANZENVS, oratione in sanctum Lauacrum: *Christus* (inquit) *paulo ante tentationẽ ieiunauit, nos ante Pascha. Ieiuniũ vnũ, idemque est, at vtriusque temporis non parua est differentia. Ille totos quadraginta dies à cibo abstinuit, vt pote Deus: nos autem ad virium nostrarum modulum ieiunium attemperauimus.*

HIERONYMVS in caput quinquagesimũ octauũ Isaiæ: *Dominus* (inquit) *quadraginta diebus in solitudine ieiunauit, vt nobis solennes ieiuniorum dies relinqueret.*

CHRYSOSTOMVS hom. 1. in Genes. *Dominus noster* (inquit) *Iesus Christus & ipse quadraginta dierum ieiunio declarato, sic certamen contra diabolum aggressus est, omnibus nobis exemplar dans, vt per illud armemur, &c.*

AVGVSTINVS in epistola 119. capite decimo quinto: *Quadragesima* (inquit) *ieiuniorum habet auctoritatem, & in veteribus libris ex ieiunio Moysi & Eliæ & ex Euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit.*

AMBROSIVS serm. 26. *Vbi est* (inquit) *similis cum Christo deuotio, similis est & cum Christo tentatio.* Et serm. 34. *Quadragesimam* (inquit) *nobis Dominus suo ieiunio consecrauit.* Et serm. 37. *Hoc fecit* (inquit) *causa salutis nostræ, vt rem vilem non solum doceret verbis, sed etiam exemplis instrueret, vt iisdem vestigiis, quibus ad salutem currimus, ad abstinentiam graderemur.*

Hæc loca paulò fusius adscribere volui, vt aduersarij intelligant, quos auctores reprehendant, cum Quadragesimam ex praua Christi imitatione natam esse dicunt. Sed habet CALVINVS TRIA argumenta, vt probet, Christum non ieiunasse, vt se nobis imitandum præberet. PRIMVM est, Quoniam si Christus id facere voluisset, debuisset singulis annis Quadragesimam ieiunare. SECVNDVM, Quia debuisset non omnino à cibo abstinere, sed vna tantum refectione esse contentus. TERTIVM, Quoniam Moses ieiunauit quadraginta diebus, & tamen non fuit in testamento veteri institutũ, vt ad Mosis imitationẽ Quadragesima ieiunaretur. Addit Kemnitius QVARTVM argumentum ex Chrysostomo, homil. 47. in Matth. *Non enim* (inquit) *dicit Christus, ieiunium suum esse imitandum, quamuis quadraginta illos dies posset proponere; sed discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Imo vero contra, omne quod apponitur vobis mãducate*, inquit.

Ad PRIMVM RESPONDEO, Christum ieiunasse vnam Quadragesimam solùm, & vna tantum die palàm tentari voluisse. Quoniam id satis erat ad exemplũ nobis præbendum, vt ad resistendum tentationibus per ieiunium armaremur. Nos autem, qui non semel, sed annis singulis cùm tentatore pugnaturi sumus, annis singulis ieiunare debemus.

Ad SECVNDVM Dico, nos non ita velle Christum imitari, vt non simul eum admirari velimus. Imitamur enim eum, vt discipuli magistrum, vt serui dominum, vt homines Deum, non perfectè, sed pro modulo nostro, vt Nazianzenus admonuit.

Ad TERTIVM Dico, non esse eandem rationem Mosis, & Christi, Synagogæ, & Ecclesiæ. Nã & Christus dignior est, quem imitemur, quàm fuerit Moses; & Ecclesiæ conuenit maior promptitudo, & amor ad ipsum Dominum imitandum, quàm Synagogæ ad imitandum seruum. Adde quod nusquam legitur, Mosen datum Hebræis in exemplum. Nobis autem Christus, Ioan. 13. ait: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci ita & vos faciatis.* Et beatus Petrus in priore epistola, capite secũdo: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplũ, vt*

Universidad de Deusto
Biblioteca

sequamini vestigia eius. Et Apostolus Paulus ad Ephes. 5. *Estote imitatores Dei, sicut Filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos.*

Ad QVARTVM, Fateor, Christum non dixisse verbo, vt imitaremur ieiunium eius, sicut dixit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde:* Tamen quod non dixit verbo, dixit exemplo, vt tot sancti Patres, & ipse etiam Chrysostomus, monuerunt. Cur autem Christus non dixerit verbo, vt ieiuniũ eius imitaremur, sicut dixit, vt humilitatem, & mansuetudinem disceremus; ratio est quam reddit Chrysostomus, quia ieiunium sine humilitate nihil prodest, humilitas sine ieiunio multum prodest. *Hæc dixi* (inquit Chrysostomus) *non quia ieiunia mihi non placet, quod magnis soleo efferre laudibus: sed quia doleo, si cæteris negligẽtiis satis ad salutem vobis ieiunium existimetis.*

Quærunt aliqui, si Quadragesima ieiunij Christi imitatio est, cur non ieiunemus illo ipso tempore, quo Dominus ieiunauit. Sed facilis est responsio. PRIMVM B enim maluit Ecclesia post Dominum, quàm cum ipso Domino ieiunare, vt verè eius vestigia sequeretur. Itaque ieiunauit Dominus à sexta die Ianuarij, vsque ad quartam decimam Februarij: nos autem vt plurimum ibi incipimus vbi ipse desiit.

DEINDE, parerat, vt ieiunium celeberrimum cum festo celeberrimo iungeretur. *In qua parte anni* (inquit sanctus Augustinus, in epistola 119. cap. 15. *congruentius observatio Quadragesimæ constitueretur, nisi confini, atque contigua Dominicæ passioni?*

Ad Hæc, nunquam magis sunt necessaria arma ieiunij, quàm ineunte vere; quo tempore crescentibus humoribus, actiores tentationes existere solent.

DENIQVE, nullum est aptius tempus, quo facilius ab omnibus ieiunari possit. Nam in hieme nimium frigus exigit multum alimenti; pisces naturâ sua frigidi, non multum eo tempore conferunt valetudini, olera, quibus in Quadragesima magnus est vsus, vix vsquam in hieme reperiuntur. In æstate nimius calor exigit ci- C hum modicũ, sed frequẽtem; pisces quoque vix à putrefactione conseruari queunt. Denique tum in æstate, tũ in autumno multi sunt labores agricolarũ, multæ ægritudines, multa incommoda. In vere autem tempus est temperatum, pisces salubres, copia olerum ingens, opera in agris rara, ac penè nulla. Quare sanctus HIERONYMVS, rectissimè dixit in epistola ad Marcellam *Nos vnam Quadragesimã tempore nobis congruo ieiunemus.*

CAPVT XVII.

De ieiunio feriæ quartæ, & feriæ sextæ.

POST ieiunium Quadragesimæ nullum est aliud, cuius maior inueniatur mentio apud veteres, quàm feriæ quartæ, & feriæ sextæ. Meminit huius ieiunij canon Apo- D stolorum sexagesimus octauus. Ignatius in epistola ad Philippenses, Tertullianus in libro de ieiunio, Clemens Alexandrinus libro septimo Strom. vltra medium, Origenes hom. 10. in Leuiticum, Epiphanius in compendiaria doctrina, Hieronymus in caput quartum ad Galat. Augustinus in epistola 86. ad Casulanũ, Palladius in historia Lausiaca ca 52. & alij passim.

Causam huius ieiunij callidè, sed falsò reddit Kemnitius in quarta parte examin. pag. 578 dicit enim veterem Ecclesiam ieiunare solitam feria quarta, & feria sexta, quia duobus illis diebus conueniebant populi in Ecclesiam ad audiendum verbũ Dei & sumendam cœnam. Et inde colligit pag. 584. hoc tempore debuisse hæc ieiunia cessare cum causa ipsa cessauerit. Et ibidem addit, Quadragesimam fuisse institutam, quoniam apud veteres in Paschate catechumeni baptizabantur, & pœnitentes absoluebantur, & ideo cùm eis totus populus ieiunabat. Proinde hoc tempore superuacaneam esse Quadragesimam, cùm ritus illi, propter quos fuerat instituta, cessauerint.

AT si verum esset, quod Kemnitius dicit de causa ieiunij feriæ quartæ, & sextæ, oportuisset Christianos semper in Dominica ieiunare. Nullo enim die solennior, atque celebrior populi conuentus in Ecclesia esse solet ad concionem audiendam, & sacram communionem percipiendam, quàm die Dominico. Et hanc fuisse consuetudinem antiquissimam, cognosci potest ex Apologia sancti Augustini ad Antoninum. Neque aduersarij id negant. Die verò Dominica non esse ieiunandum, testantur multi veteres, atque imprimis sanctus Augustinus in epist. 86. & 119. Falsum igitur est, quod Kemnitius dicit, Feria quarta, & sexta ieiunium indici solitum, quia diebus illis conueniebat populus ad verbum Dei audiendum, & cœnam Domini participandam.

Quod autem addit, abolitam esse consuetudinem baptizandi catechumenos, & absoluendi pœnitentes in Paschate; verum est apud Lutheranos: cæterùm apud Catholicos, ac præsertim in vrbe Romana nullus est annus, quo non multi Catechumeni in Paschate baptizentur. Pœnitentes autem non solùm Romæ, sed in tota planè Catholica Ecclesia maximo numero in Paschate præmissa absolutione, Christi corpus accipiunt.

His igitur omissis vera causa ieiunij quartæ, & sextæ feriæ est ipsa Dominica passio, quàm per totum annum his potissimum diebus cõmemoramus, quod feria quarta Dominus proditus ac venditus fuerit, feria sexta crucifixus, & mortuus. Hanc enim causam reddunt Clemens li. 5 Apostol. constit. cap. 16. & Augustinus epist. 86. Sanctus autem Epiphanius dicit quidem feria sexta ieiunari, quia Dominus ea die crucifixus fuit: sed feria quarta ieiunari dicit, quia illucescente quarta, Dominus fuit assumptus. Quod non satis conuenit cùm traditione Ascensionis Domini.

Addit autem Epiphanius loco notato, per hoc ieiunium impleri, quod Dominus ait, Matth. 9. *Cum ablatus fuerit sponsus, tũc ieiunabunt in illis diebus.* Nam etiam si hoc dictum impleatur per quadragesimale ieiunium, vt suprà ex Tertulliano notauimus: non est tamen absurdũ, si per ieiunium quoque feriæ quartæ, & sextæ impleri dicatur, cum tam ieiunium Quadragesimæ, quàm feriæ quartæ, & sextæ ad passionem Domini, per quàm ablatus fuit à nobis sponsus, sine dubio referatur.

Addit etiam ibidem Epiphanius, si festum Natalis Domini in feriam quartam, aut sextam inciderit, neque esse ieiunandum, neque à carnibus abstinendum, nisi fortè ratione voti aliquis ad ieiuniũ, aut abstinentiam obligetur. Quod idẽ postea declarauit Honorius Pontifex Max. cap. Explicari, de obseruatione ieiuniorum.

Existunt autem de ieiunio feriæ quartæ, & sextæ quæstiones DVÆ PRIOR est, sit ne hoc ieiunium lege sancitum, an potius in arbitrio fidelium positũ. Nam can. 68. Apostolorum, & Epiphanius hæresi 75. & in compendiaria doctrina indicant, Ieiunium feriæ quartę, & sextæ per totũ annum Apostolica esse lege sancitum.

Contrà autem Tertullianus in libro de ieiunio, refert Catholicos dicentes, ieiunium feriæ quartæ, & sextæ passiuè currere, non sub lege præcepti, id est, permitti, non imperari. Item sanctus Augustinus in epistola 86 scribit, Romæ frequenter ieiunari feria quarta, & sexta, & Sabbatho, vbi cum dicit, frequenter, indicat nõ semper id fieri. Sic etiam Isidorus li. 1. de officiis diuinis, ca. 42. cum scribit, nonnullos feria sexta per totum annum ieiunare. apertè significat id non ab omnibus fieri.

Ad Hæc, si per totum annum fideles omnes feria quarta, & sexta ieiunarent ex lege: quorsum opus fuisset ieiunio quatuor tẽporũ, quod, vt postea demõstrabimus, feriæ

feriæ quartæ, & sextæ, & Sabbathi ieiunium continet?

DENIQVE pœnitentibus apud veteres iniungi solebat, vt feria quarta, & sexta, per totum annum ieiunarent, vt cognosci potest ex Buchardo, lib. 6. & 19. Decretorum. Non igitur fideles cæteri feria quarta, & sexta, per totum annum ad ieiunia cogebantur.

Proposita quæstio ita soluenda esse videtur, vt dicamus feria quarta & sexta, per totum annum ex legis præcepto ieiunari, quoad abstinentiam à carnibus. & de hac lege intelligendum esse canonem Apostolicum, & testimonium Epiphanij: Quod autem pertinet ad abstinentiam à prandio, quo modo ieiunium nominare solet Augustinus, epist. 86. Non ex præcepto legis, sed passiuè, vt Tertullianus loquitur, hoc ieiunium cucurrisse. Quamuis ipse etiam Tertullianus meminisse videatur ieiunij per abstinentiam solum à carne, cùm in libro de ieiunio dicit, exceptionem quorundam ciborum portionale esse ieiunium; & rursus feria quarta, & sexta, à Catholicis, B semiieiunium plerumque seruari.

POSTERIOR quæstio est, cur in Latina Ecclesia non seruetur lex, quæ feria quarta abstinentiam à carnibus imperat. RESPONDENDVM videtur in occidentali Ecclesia, magna ex parte mutatum fuisse ieiunium feriæ quartæ in ieiuniũ Sabbathi. Scribit enim Ambrosius, siue quicunque est auctor, qui certè antiquissimus est, in comment. ad cap. 14. ad Rom. Alios feria quarta, alios die Sabbathi carnibus abstinere. Innocẽtius quoque Pontifex eius nominis primus, in epist. 1. sæpe repetit, feria sexta, & Sabbatho ieiunandum, feriæ autem quartæ non meminit. Quod idem faciunt auctores Latini posteriores. Scribit quidem S. Augustinus in epist. 86. Romæ sæpe ieiunari feria quarta, & sexta, & Sabbatho, sed nec dicit id semper fieri, nec loquitur de portionali, sed de integro, perfectoque ieiunio.

CAPVT XVIII.

De ieiunio Sabbathi.

C

DE ieiunio Sabbathi magna quæstio apud veteres fuit. Et quidem nonnulli existimarunt nefas esse die Sabbathi ieiunari excepto Sabbatho Paschali. Quam sententiam sequuti sunt Græci in Concilio, quod ipsi sextum, vel quini sextum vocãt, can. 55. Contrà autem quidam Vrbicus nefas esse docuit, Sabbatho non ieiunare, cuius sententiam refellit S. Augustinus, in epist. 86. ad Casulanum.

Præter has extremas sententias sunt aliæ duæ mediæ. Nam S. Innocentius Primus, in epist. 1. contendit, Sabbatho conuenientissimè ieiunari; quod idem sensisse videtur Epiphanius in compendiaria doctrina, vbi solum excipit Dominicos dies à ieiunio Quadragesimæ. Nec non sanctus Hieronymus ad Lucinium Beticum, qui ad quæstionem sibi propositam, vtrum ieiunandum esset die Sabbathi, vt Romæ, & in Hispania fieri solebat, D respondit quidem seruandam esse propriæ Ecclesiæ cõsuetudinem; tamen addidit, *Vtinam per totum annum ieiunare possemus.* Quibus verbis indicasse videtur, probari sibi vt etiam die Sabbathi ieiunetur.

Contrà autem S. Ambrosius, & S. Augustinus congruentius esse putabant, vt non ieiunaretur Sabbatho, sed tamen hortabantur omnes, vt Prouinciæ suæ consuetudinem obseruarent. Vide Augustinum, in epist. 86. & 118.

Cæterum sententia sancti Innocentij tandem præualuit, & ab Ecclesia occidentali vniuersa recepta est, vt patet ex Concilio Agathensi, can. 12. & Aurelianensi 4. can. 2. In Hispania verò etiam ante tempora Innocentij admissa fuerat, vt perspicuũ est ex Concilio Elibertino, can. 21. Et certè ratio Innocentij solidissima est. Nam A quemadmodum Græci cùm Latinis ieiunant in Sabbatho maioris hebdomadæ, propter Christi sepulturam, & Apostolorum mœrorem: sic etiam par esset, vt ieiunarent in omnibus Sabbathis per totum annum propter eandem causam, alioqui nõ deberent ieiunare feria sexta propter Christi passionem, nisi in maiori hebdomada; nec deberent non ieiunare die Dominico per totũ annum, sed solum in ipso die Dominicæ Resurrectionis. Nulla enim ratio reddi potest, cur in omni feria sexta liceat imitari ieiunium feriæ sextæ Paschalis, & non liceat in omni Sabbatho imitari ieiunium Sabbathi Paschalis. Præsertim cum in omni Dominica die imitemur gaudium Dominicę Paschalis, & ideo nunquam in Dominica ieiunemus.

Sed respondendum est ad obiectionem, quæ fieri solet ex canon. 65. Apostolorum, & ex epist. sancti Ignatij ad Philipp. vbi prohibetur ieiunium Sabbathi, & Dominicæ, & Christi dicitur interfector, qui Sabbatho, aut B Dominica ieiunauerit. RESPONDEO, Clemens in Apostolico illo canone, & Ignatius in epist. ad Philipp. non sine magna ratione prohibent ieiunium Sabbathi, exorti sunt enim illo tempore Hæretici varij, qui negabant Deum verum esse illum, qui mundum condidit sex diebus, & in septimo requieuit. Vt de Simonianis refert Epiphanius, hæresi 21. & de Marcionistis, hæres. 42. vbi etiam expressè addit, Marcionitas propterea die Sabbathi ieiunare solitos fuisse, ne viderẽtur gaudere de quiete, & operibus Creatoris. Itaque in odium, & detestationem horum Hæreticorum, placuit veteribus per orientem prohibere ieiunium die Sabbathi.

Posse etiam fieri, vt tam in canone Apostolico, quàm in epistola Ignatij solum prohiberetur ieiunium diei Dominicæ; sed postea à Græcis posterioribus insertum fuerit nomen Sabbathi. Nam S. Epiphanius optimè nouerat canones Apostolicos, quos etiam sæpe citare solet; & tamen (vt suprà diximus) non excipit à ieiunio, nisi dies Dominicos.

Sed quicquid de hoc sit, Romana Ecclesia, & Occidens vniuersus longè alia de causa ieiunat Sabbatho, quàm Hæretici illi facerent. PRIMVM enim Sabbatho ieiunamus, vel à carnibus abstinemus, vt longissimè à Iudaismo recedamus. Iudæi siquidem non ieiunant, sed epulantur in Sabbatho. DEINDE, in memoriam humilitatis Domini, qui die Sabbathi iacuit mortuus, & clausus in sepulchro. TVM, vt imitemur Apostolos, aliosque discipulos Domini, qui cum ipsa Deipara, & sanctis mulieribus, non solùm feria sexta, sed etiam die Sabbathi in luctu, & mœrore fuerunt. Denique, vt ad celebritatem Dominicæ diei per hoc ieiuniũ præparemur.

Refert S. Augustinus, in epist. 86. aliam causam, quod videlicet S. Petrus, cum Simone Mago decertaturus die Dominico, pridie cum tota Ecclesia, quæ in Vrbe erat, ieiunauerit, & consequuto tam prospero euentu, eundẽ morem postea tenuerit. *Sed hanc causam falsam esse* (inquit AVGVSTINVS) *perhibent plerique Romani.*

CAPVT XIX.

De ieiunio quatuor temporum.

DE ieiunio quatuor temporum TRIA sunt explicanda, origo, varietas, & causa.

Originem ab Apostolica traditione deducimus. PRIMVM enim id confirmat expressè S. Leo in serm. 2. de ieiunio Pentecostes, & in serm. 8. de ieiunio septimi mensis. Idem etiam auctor in serm. 7. de ieiunio decimi mensis, testatur hæc ieiunia quatuor temporum in vniuersa Ecclesia celebrari.

Quod verum esse etiam de orientali colligitur ex sancto Athanasio, qui in Apologia pro fuga sua meminit

Universidad de Deusto
Biblioteca

eiunij Pẽtecostes, quod est vnum ex quatuor. Cùm autem in nullo Concilio Oecumenico instituta reperiantur, sequitur vt ex Apostolica traditione descẽdere credenda sint, iuxta regulam sancti Augustini, suprà citatam, ex libro quarto de Baptismo, capite vigesimo quarto.

His accedit, quod Callistus Papa vicinus Apostolorum temporibus in epist. ad Benedictum affirmat, iam ante sua tempora consueuisse in Ecclesia seruari trium temporum ieiunia, à se verò additum quartum ieiuniũ, siue quarti temporis ieiunium. Ex quo sequitur, vt ieiunia quatuor temporum salutem per figurã intellectionis, id est, maxima ex parte ab Apostolis sint instituta.

Denique de ieiunio decimi mensis, quod est vnum, ac præcipuum ex quatuor, videtur mentio fieri in Actis Apostolorum, capite vigesimo septimo, in illis verbis: *Incipiebat enim periculosa esse nauigatio, quia ieiunium iam præterierat.* Neque enim exponi potest hic locus de inedia nauigantium, vt sensus sit, incipiebat periculosa esse nauigatio, quoniam qui erant in naui ob longam inediam, viribus iam destituti erant. Nam si sanctus Lucas id significare voluisset, non dixisset, quia ieiunium iam præterierat, sed quia magnum ieiunium iam præcesserat. Cùm autem absolutè dicat, quia ieiunium iam præterierat, loquitur de aliquo stato, & solenni ieiunio, ex quo tempus anni describit, vt Chrysostomus, & Oecumenius in commentario hujus loci affirmant.

Et confirmari potest hæc expositio ex collatione cũ alio loco in eodem capite, vbi describitur ieiunium profanum ortum ex mœrore nauigantium. Ibi enim non dicitur quia ieiunium iam præterierat, sed cùm multa ieiunatio fuisset, & ipsum ieiunium ἀσιτίαν ibi vocat, cùm hic τὴν νηστείαν appellet. Verũ est quidem à Chrysostomo, & Oecumenio hunc locum exponi de solenni ieiunio Hebræorum. Sed certè longè probabilius est, eum loqui de solenni ieiunio Christianorum. Neque enim Hebræis, sed Christianis librum Actorum scripsit sanctus Lucas, & ex ieiunio illis noto, descripsit tempus hibernum, in quo periculosa nauigatio esse solet. Videtur igitur loqui de ieiunio decimi mensis, quod semper apud Christianos celeberrimum fuit propter ordinationes clericorum. Apud veteres enim non fiebant ordinationes nisi in mense Decembri, vt Amalarius testatur libro secundo, de officiis Ecclesiasticis, capite primo, & perspicuum est ex Pontificali Damasi, vbi solum mense Decembri leguntur antiquissimi Pontifices ordinasse Presbyteros, vel Diaconos. Tempore autem ordinationis solitam fuisse Ecclesiam ieiunare, docemur in Actis Apostolorum, cap. 13. & Hæretici quoque id fatentur.

Iam verò varietas DVPLEX in hoc ieiunio inuenitur. PRIMVM enim trium temporum obseruabatur ieiunium. DEINDE, ex decreto Callisti quartum est additum. Præterea, nonnulli hæc ieiunia ita distribuebãt, vt PRIMVM celebrarent prima hebdomada primi mẽsis, id est, Martij. SECVNDVM, secunda hebdomada quarti mensis. TERTIVM, tertia hebdomada septimi mensis. QVARTVM, quarta hebdomada decimi mensis. Ita legimus in Concilio Moguntino, canone trigesimo quarto, & apud Rabanum, libro secundo de institutione clericorum, cap. 24.

ALII verò, idque magis communiter, PRIMVM tempus constituebant in prima hebdomada Quadragesimæ, SECVNDVM, in hebdomada Pentecostes, TERTIVM, in tertia hebdomada Septẽbris, QVARTVM, in tertia hebdomada Decembris. Sic enim hæc tempora describunt summi Pontifices, Leo primus, in sermo. 8. de ieiunio decimi mensis, & Gelasius primus, in epistola prima, capite decimo tertio, quamuis non expresse notent hebdomadas septimi, & decimi mensis, sed solum ipsos menses.

Porrò causæ præcipuæ institutionis quatuor temporum QVATVOR assignari possunt. PRIMA causa fuit, ne Christiani Iudæis in hac parte remissiores viderentur. Constat enim ex capite octauo Zachariæ, fuisse apud Hebræos solenne ieiunium quater in anno, id est, mense quarto, quinto, septimo, & decimo. Æquum igitur fuit, vt Christiani, qui perfectiores Hebræis esse debent, haberent etiam sua quatuor tempora, quibus solenniter ieiunarent. Reddunt hanc rationem sancti Pontifices, Callistus in epistola ad Benedictum. Et Leo sermone septimo, de ieiunio septimi mensis, & serm. 4. & 6. de ieiunio decimi mensis.

ALTERA causa fuit propter ordinationes clericorum. Nam etiamsi primi summi Pontifices sacros ordines non conferrent, nisi mẽse Decembri, postea tamen crescente numero ordinandorum, institutum est, vt aliis etiam tribus temporibus sacri ordines conferrentur, vt ex epistola prima Gelasij iam citata intelligi potest.

TETIA, vt his temporibus Deo supplicaremus pro frugibus, & fructibus terræ, & pro iisdem iam perceptis gratias ageremus. Nam in iis quatuor temporibus aëris temperies maximè variatur, & fructus omnes, ac fruges vel seruntur, vel nascuntur, vel maturantur, vel colliguntur. Adfert hanc rationem sanctus Leo ser. 2. 5. & 8. de ieiunio decimi mensis.

QVARTA, vt sicut habemus solenne ieiunium singulis annis, quod est ieiunium Quadragesimæ, & ieiunium statum singulis hebdomadibus, quod est ieiunium feriæ quartæ & sextæ, vel feriæ sextæ, & sabbathi: sic haberemus ieiunium aliquod singulis mensibus.

Tres autem dies, qui tribus mensibus respondent, commoditatis gratia in vnum mensem coniecerunt. Ita ieiunamus tribus diebus primi mensis, pro mense primo, secundo, & tertio. Item tribus diebus mensis quarti pro mense quarto, quinto, & sexto. Tribus quoque diebus mensis septimi pro mẽse septimo, octauo, & nono. Denique tribus diebus mensis decimi pro mense decimo, vndecimo, & duodecimo. Sic Leo nos docet serm. 9. de ieiunio septimi mensis, & serm. 8. decimi mensis, & Amalarius lib. 2. de officiis Ecclesiasticis, cap. 2.

Sed obiectiones KEMNITII breuiter diluendæ sunt, quas habet in quarta parte exam. pag. 645. 646. & 686. PRIMVM obiicit, quod in libro Tertulliani de ieiunio Catholici dicant, nullũ esse impositum ab Apostolis iugum ieiuniorum, excepto ieiunio Paschali.

RESPONDEO, Fieri potest, vt Apostoli ieiunium quatuor temporum instituerint quidem, sed non sub lege præcepti; deinde deuotione fidelium frigescente, vel à Callisto Pontifice, vel ab alio præceptum sit additum. Quanquam (vt suprà monui) non satis magna fides haberi potest Tertulliano in iis libris, quos dedita opera contra Ecclesiam scripsit.

Obiicit Secundo, Quod S. Hieronymus in epistola ad Marcellam scribit, Montanistas tres Quadragesimas ieiunare, nos autem vnam tantum, secundùm traditionem Apostolorum, per reliquum autem annum ieiunare non necessitate, sed voluntate. Ex quo loco ita Kemnitius colligit: *Hieronymi ergo tempore, illa necessitas ieiuniorum quatuor temporum adhuc fuit ignota Ecclesiæ: sicut hæc ipsius sententiæ manifestè ostendit.* Et infrà: *Lex igitur, quæ in Montanistis antea damnata fuerat, postea in ieiunia quatuor temporum per metamorphosim in cultum Dei conuersa, & canonizata est*, Hæc ille.

RESPONDEO, Non ieiunabant Montanistæ quatuor tempora, sed tres Quadragesimas, vel duas hebdomadas, vt Tertullianus indicare videtur. Proinde nihil habet simile ieiunium quatuor temporum cum ieiuniis Montanistarum. Sed Kemnitio licet non solùm ex dissimilibus similia, sed etiam ex diuersis eadẽ facere, sicut ex quolibet antecedente quodlibet cõsequens pro arbitratu colligere. Sanctus enim Hieronymus non dicit, per reliquum annum nulla esse ieiunia per legem Ecclesiasticam constituta, sed dicit, licitum esse vnicuique per totum annum, si voluerit, ieiunare. Nam cum dixisset, Montanistas tres Quadragesimas habere ex præcepto Montani, ne videretur improbare frequentia ieiunia, subiungit: *Non quod per totum annum (excepta Pentecoste) ieiunare non liceat; sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre.*

Vbi DVO dicit, PRIMO licitum esse per totum annum (excepta Pentecoste) id est, præter quinquaginta dies qui sunt à Pascha ad Pentecosten, ieiunare. Deinde addit, non esse tamen Ecclesiam cogendam ad ieiunium totius anni; vel trium Quadragesimarum, quod esset multis planè intolerabile. Alioqui enim sanctus Franciscus, & alij, non tres, sed quinque vel sex Quadragesimas ieiunabant, sed voluntate, vt sanctus Hieronymus monet esse faciendum, non necessitate.

Obiicit TERTIO, Quod ieiunium quatuor temporum natum sit ex praua æmulatione Iudæorum, qui ieiunium in quatuor mensibus obseruabant. DVO sunt autem, quæ in hac imitatione Kemnitius reprehendit, PRIMO, quòd ieiunia illa quatuor temporum Iudæi non ex præscripto Domini, sed ex proprio capite instituerint, & ideo Zachar. 8. ab ipso Domino per Prophetam reprehensa fuerint. SECVNDO, quòd non liceat Christianis ritus Iudaicos imitari, etiam à Domino institutos, & imperatos, vt ait Apostolus ad Gal. cap. 4.

RESPONDEO, falsum est, ieiunia quarti, quinti, septimi, & decimi mensis à Deo per Prophetam reprehensa fuisse. Nam vt etiam suprà ostendimus, quod Dominus ait Zachar. 8. ieiunia illa conuertenda esse in solennitates præclaras, ad laudem eorum ieiuniorũ pertinet. Significat enim Dominus, si ieiunia illa piè seruẽtur, fore vt aliquando id præmij accipiant, vt conuertantur in solẽnitates præclaras, atque in hunc sensum hunc locum exponunt Hieronymus, Theodoretus, & Rupertus in commentario, & sanctus Leo serm. 7. de ieiunio septimi mensis, & serm. 4. de ieiunio decimi mensis.

Porrò ieiunia quatuor temporum ex pia, & sancta Iudæorum veterum imitatione orta esse cũ sancto Leone asserere non veremur. Nam etiamsi cæremonias Iudæorum, quæ significationis causa institutæ fuerant, imitari non possumus, tamen exercitia virtutum communia sunt vtrique testamento, & magis conueniunt Christianis, quàm Iudæis, & ideo pati non debemus, vt in eiusmodi rebus ab illis superemur.

S. AVGVSTINVS in epist. 86. ad Casulanum, scribit, ieiunare bis in Sabbatho, vt Pharisæus Luc. 18. bonum esse Christiano, modò sine superbiæ tumore id faciat. Sicut etiam decimas fructuum omnium dare, quod Iudæi faciebant, optandum esse dicit, vt à Christianis omnibus impleatur. Itaque Aëriani apud Epiphanium sic ratiocinabantur, Hebræi stata ieiunia habuerunt, igitur nefas est, stata ieiunia habere Christianos. Contra sanctus Augustinus, & sanctus Leo, Hebræi ieiunabant bis in Sabbatho, & rursus in quatuor mensibus certa ieiunia obseruabant, igitur æquum est, vt Christiani ieiunent feria quarta, & sexta, & ieiunia quatuor temporum religiosè custodiant. Cùm igitur ex eodem antecedente contrarias conclusiones Hæretici veteres, & veteres Patres collegerint, dialecticam Hæreticorum Lutheranis relinquentes, nos Patrum sanctorum dialecticam amplectemur.

Ait (inquit Kemnitius) beatus Ioannes Chrysostomus notat, Apostolum ad Galat. 4. reprehendisse Christianos, qui non solùm integros Iudaicos ritus, sed etiam partem aliquam eorum rituum seruant. Non igitur licet Christianis vllo modo seruare Iudaicum ritum de ieiunio quatuor temporum. RESPONDEO, Loquitur

beatus Paulus, & cùm eo sanctus Ioannes Chrysostomus, de cæremonialibus præceptis, quæ nec ex toto, nec ex parte seruanda sunt; qualia sunt circumcisio, sacrificia pecorum, neomeniæ, Sabbatha, & alia id genus: at ieiunia, eleemosynæ, preces, planè moralia sunt. Præterea non eodem ritu, neque eodem tempore, neque ob eandem causam ieiunia quatuor temporum à nobis, & à Iudæis seruantur.

CAPVT XX.

De ieiunio Aduentus.

ADVENTVM Domini ieiunio celebrari consueuisse in Romana Ecclesia, perspicuum est, TVM ex Innocentio Tertio, cap. Consilium, de obseruatione ieiuniorum, TVM ex ipso ritu Romani Breuiarij, in quo preces illæ ad singulas Horas ponuntur legendæ in feriis Aduentus, quæ propriæ sunt eorum dierum, quibus ieiunatur. CÆTERVM, hoc ieiunium non tam ex præcepto, quam ex Consilio, aut voto, à multis seruari Ecclesiæ vsus satis apertè testatur. Vide Radulphũ de Ritu in libro de Canonum obseruantia, capite decimo sexto.

CAPVT XXI.

De ieiunio Rogationum.

IEIVNIVM tridui ante ascensionem, vnà cum Litaniis, instituisse fertur sanctus Mamertus, Viennæ Episcopus, vt scribit Gregorius Turonicus libr. 2. historiæ Francorum, cap. 34. propter multa incõmoda, quæ à terræ motibus, & luporum incursionibus, eo tempore Gallia patiebatur. DEINDE, idem ieiunium receptum legimus in Concilio Aurelianensi primo, capite 29. Romæ quoquæ olim idem ieiunium ita seruabatur, vt cibis solùm quadragesimalibus populus vesceretur, vt intelligi potest ex Ord. Romano, vbi agitur de rogationibus.

Videtur tamen non tam præcepti, quàm cõsilij fuisse eiusmodi obseruatio, cùm satis constet, inter Pascha, & Pentecosten, ex antiquissima consuetudine nulla ieiunia imperari. Sicubi tamen hoc ipsum ieiunium præcepti lege seruatur, non est improbandum. Seruanda est enim in eiusmodi rebus Ecclesiæ consuetudo, vt Hieronymus in epistola ad Lucinium, & Augustinus in epistola ad Casulanum monent. Extat de institutione rogationum insignis sermo sancti Alchymi Auiti, qui fuit tertius à sancto Mamerto, Viennensis Episcopus.

CAPVT XXII.

De ieiuniis vigiliarum, & stationibus.

PRIDIE magnorum festorum non solùm vigilias agere noctem, sed etiam interdiu ieiunari, testis esse potest sanctus Bernardus in serm. de vigilia sancti Andreæ. Item Burchardus lib. 13. decret. cap. 16. & Innocentius Tertius cap. 1. & 2. de obseruatione ieiuniorum.

Quoniam autem stationis nomen, cuius frequens est mentio apud veteres, partim cùm vigilia, partim cum ieiunio conuenit, ita vt sæpè pro alterutro accipi videatur: operæpretium esse duxi breuiter explicare, quid propriè statio sit.

Igitur non desunt, qui stationem existiment dictam esse à stando, quod fieret diebus Dominicis, quibus diebus Christiani nõ nisi stãtes orabant, iuxta illud Tertulliani in libro de corona militis, die Dominico ieiunare

Universidad de Deusto
Biblioteca

nefas ducimus, & de geniculis adorare. SED falsam esse hanc opinionem ex illo ipso libro de corona militis intelligi potest. Docet enim TERTVLLIANVS, nunquam fieri stationem die Dominico: *Iam*, inquit, *& stationes, aut alij magis faciet, quàm Christo, aut die Dominico, quando nec Christo.*

Igitur statio propriè nihil aliud erat, nisi vigilia diurna tempore solennis ieiunij. Cùm enim publicè, & solenniter ieiunabatur, vigilabant in orationibus, & eiusmodi vigiliæ, & quasi excubiæ orantium, & ieiunantiũ stationes dicebantur, vocabulo desumpto ex militia, vt Tertullianus monet in lib. de oratione.

Hoc autem intererat inter stationem, vigiliam, & ieiunium, propriè loquendo, quod IEIVNIVM fieri poterat noctu, & interdiu, VIGILIA solùm de die. Atque idcirco diximus, stationem non esse vigiliam simpliciter, sed vigiliam diurnam. Item ante omnem vigiliam, nocturnam videlicet, præcedebat statio, & ieiunium: non autem post omnem stationem, & ieiunium sequebatur vigilia.

Et quidem quod statio esset vigilia diurna, & distingueretur à ieiunio, & oratione, perspicuum est ex TERTVLLIANO in libro de fuga in persecutione: *Quando*, inquit, *Deus magis creditur, nisi cum magis timetur, nisi tempore persecutionis? tunc Ecclesia in attonito est, tunc ex fide in expeditione solicitor, & disciplinator in ieiuniis, stationibus, orationibus.* Vbi per stationem intelligit vigilias ieiunantium, & orantium. Quod autem interdiu solùm fieret statio, ac per hoc esset vigilia diurna, docet idem Tertullianus in libro secundo ad vxorem: *Si statio*, inquit, *facienda sit, maritus de die conducat ad balnea.* Item in lib. de ieiunio dicit, stationem finiri hora nona, aut ad vesperam. Simul enim ieiunium soluebatur, & statio.

Fieri autem solitam stationem in diebus solennium ieiuniorum, docent Isidorus libro sexto Etymolog. capite vltimo, & Rabanus libro secundo, de Institutione Clericorum, capite decimo octauo, & ante hos omnes Tertullianus in libro de ieiunio, vbi dicit, stationes fieri feria quarta, & sexta, & tamdiu stationem durare, quamdiu non soluitur ieiunium. Immò propter hanc conjunctionem stationis cùm ieiunio, ieiunium ipsum aliquando statio nominatur. Sic enim accipit stationẽ Tertullianus in libro de oratione, extremo, vbi quærit, vtrũ per sumptionem Eucharistiæ soluatur statio; cùm quærere velit, vtrũ Eucharistia sit talis cibus, vt eo sumpto, dicatur solutum esse ieiunium. Sic etiam accipit Cassianus collat. 21. capite 29. cùm dicit, stationem ieiunij relaxari.

Porrò sanctus Gregorius stationibus certa loca attribuit in vrbe Romana, & ipse ad ea loca veniens, tempore stationum viginti homilias in variis Ecclesiis declamauit, vt scribit Ioannes Diaconus in vita sancti Gregorij libro secundo, capite 18. & libro 4. ca. 74. Fortè etiam ipse primus fuit, qui stationes à ieiunio separauit, & in Dominicis Aduentus, & Quadragesimæ, & in ipsa etiam Dominica Resurrectionis stationes fieri voluit, cùm antea solùm in diebus ieiuniorum fieri soleret. Legimus enim in Antiphonario, & Sacramentario sancti Gregorij annotatam stationem ad Lateranũ primam Dominicæ Quadragesimæ, & in ordine Romano in ipso principio, mentio fit stationis in die festo.

Vsus autem, qui nunc viget, Ecclesias, vbi statio celebratur, inuisendi, ac breuiter orandi, ex necessitate ortus videtur. Quoniam enim Basilica illa, ad quam statio fortè indicitur, tantam populi multitudinem capere non potest, & omnes tamen stationis participes esse cupiunt, ideo consuetudo introducta est, vt nunc isti, nunc illi locum stationis adirent.

Itaque DVABVS in rebus differt statio huius temporis ab antiqua. PRIMVM enim iidem homines tũc in oratione perseuerabant à summo mane, vsque ad horam nonã, aut vesperas: nunc autem alij, atque alij vigilant in orationibus, sic tamen, vt à summo manè, vsque ad vesperam nunquam desint, qui in Ecclesia Deum precentur, aut laudent. DEINDE, tunc stationẽ semper cum ieiunio, & oratione iungebant: nec antè statio, quàm ieiunium soluebatur: nunc autem non solùm diebus ieiuniorum, sed etiam in festis, & Dominicis, nec solùm ante cibũ, sed etiam post cibum statio celebratur.

CAPVT XXIII.

De diebus quibus ieiunari non debet.

PER OMNES Dominicas, & spacium illud, quod est inter Pascha, & Pentecostẽ, & in die Natalis Domini ieiunandum nõ esse, communi consensu Patres docent.

TERTVLLIANVS in libro de corona militis: *Die Dominico*, inquit, *ieiunari nefas ducimus.*

Sanctus Ambrosius in epistola 83. *Dominica*, inquit, *ieiunare non possumus, quia Manichæos etiam ob istius diei ieiunia iure damnamus. Hoc est enim in Resurrectionem Christi non credere, si legem quis ieiunij die resurrectionis indicat.*

Sanctus HILARIVS præfatione in Psalmos: *Et hæc*, inquit, *Sabbatha Sabbathorum, ea ab Apostolis religione celebrata sunt, vt his Quinquagesimæ diebus nullus neque in terram stratus corpore adoraret, neque ieiunio festiuitatem spiritualis huius beatitudinis impediret. Quod id ipsum extrinsecus etiam in diebus Dominicis est constitutum.*

Sanctus Epiphanius in compendiaria doctrina: *Per totum*, inquit, *annum hoc seruatur in eadem sancta Catholica Ecclesia, quarta, inquam, & pro sabbatho vsque ad horam nonam, excepta sola Pentecoste, per totos quinquaginta dies, in quibus neque genua flectuntur, neque ieiunium est imperatum.* Et infrà: *At vero Dominicas omnes delicatas ducit sancta hæc Catholica Ecclesia, & communiones manè perficit, & non ieiunat. Inconsentaneum. n. est in Dominica ieiunare.* Et ibidem: *Neque*, inquit, *in die Epiphaniorum, hoc est, Apparitionis, & Aduentus, quando natus est in carne Dominus, ieiunare licet, etiamsi contingat, vt sit quarta, aut Prosabbathum.* Quo loco nomine Epiphaniorum, more Græco, non intelligit, nisi ipsum diem Natalis Domini.

Vide similia apud Hieronymum in epistola ad Lucinum Beticum, in epist. ad Marcellam contra Montanũ, & in epistola ad Eustochium, de custodia virginitatis, apud Augustinum in epistola 86. ad Casulanum, & in epistola 119. ad Ianuarium, capite decimo quinto, apud Leonem in epist. 91. ad Turbium. Item in Concilio Gãgrensi, canone 18. Carthaginen. IV. can. 64. Bracarensi primo, can. 4. & aliis.

Caussa huius prohibitionis fuit, cum ob lætitiam, & celebritatem horum dierum: tum maximè in odiũ Hæreticorum, qui his potissimùm diebus, dedita opera, ieiunabant. Montanistæ enim vnam Quadragesimam, siue vnam hebdomadam (variæ sunt enim de hac re sententiæ) post Ascensionem Domini, & aliam post Pentecosten ieiunabant, vt sanctus Hieronymus refert in cõmentario ad cap. 9. Matth. Manichæi ieiunabant ordinariè die Dominico, ne viderentur de Christi resurrectione gaudere, quàm falsam fuisse sibi persuaserant, vt ex Ambrosio in epistola 83. & ex Augustino in epistola 86. cognosci potest. Eustathius, & Aërius, atque eorum discipuli, diem Dominicum ad ieiunium potissimùm deputabant, & contrà iidem Aëriani hebdomadam sanctã conuiuiis, & potationibus celebrabant, vt Epiphanius hæresi 75. & Socrates libro secundo historiæ, capite 33. testes sunt. Denique Priscillianistæ die Dominico, & in Natali Domini ieiunare solebant, vt sanctus Leo testatur in epistola ad Turbium, iam citata.

Sed

Sed illud hoc loco non est omittendum, ieiunium in his diebus non simpliciter esse prohibitum, sed solùm si quis VEL ex superstitione ieiunet, vt Montanistæ faciebant, VEL ex errore, vt Manichæi, & Priscillianistæ, VEL ex contemptu Ecclesiæ, vt Eustathiani, Aëriani, VEL denique cum scandalo aliorum, vt si quis vnã hebdomadam ieiunaturus, eligat sine vlla rationabili caussa hebdomadam paschalem; aut vnum diem ieiunaturus, eligat diem Natalis Domini, aut Dominicam. Alioqui enim si quis vel ad tentationem carnis superandam, vel caussa morbi corporalis curandi, vel quia nouit ieiuniũ totius anni, aut integri mensis, non peccabit, si paschali tempore, vel in Dominica die, aut etiam in Natali Domini ieiunauerit. Atque hoc ipsum Epiphanius, Hieronymus, & Augustinus locis notatis docent.

Ex quo intelligimus, nõ debere consuetudinem eorum reprehendi, qui (vt suprà diximus) in diebus Rogationis ieiunãt. Et multò minùs consuetudinem Ecclesiæ vniuersæ, quæ vigiliam Pẽtecostes similiter ieiunat. Cuius ieiunij meminit Ordo Romanus, vbi describit officium vigiliæ Pentecostes. Ordinem autem Romanum antiquissimum esse, vel ex eo perspici potest, quod ab Alcuino, & Amalario passim citatur.

Quod autem in Concilio Salegustano apud Gratianum dist. 76. can. de ieiunio, dicitur, ieiuniũ quatuor tẽporum non debere celebrari immediatè ante Pentecosten, quia ieiunium, & vigilia simul celebrari nõ debẽt: non significat, in vigilia Pentecostes nõ esse ieiunandũ, sed non debere in vnum diem concurrere duo ieiunia, ieiunium videlicet vigiliæ, & ieiunium quatuor temporum. Sicut etiam paulò infrà monet, vt ieiunium decimi mensis celebretur in Sabbatho præcedente vigiliam Natalis, ne ieiunium illud concurrat cum vigilia, id est, cum ieiunio vigiliæ Natalis.

CAPVT XXIV.

De fraudibus & corruptelis Kemnitij in historia antiquitatis.

IN EXTREMA disputatione de ieiunio, mira calliditate Kemnitius per modum simplicis historiæ se demonstraturũ profitetur, nunquam defuisse, qui leges ieiuniorum, aut opinionem meriti, & satisfactionis in ieiuniis suscipiendis obtrudere voluerint: sed nunquam etiam defuisse sanctos viros, qui magno zelo contra eiusmodi superstitiosas opiniones, & leges pro Euangelica libertate, & sinceritate pugnauerint.

Hanc eius historicã obseruationẽ duabus de causis nõ existimaui mihi esse accuratè refellẽdam. Nam hoc ipso tempore, magno Ecclesiæ bono, Cæsar Baronius, vir optimus, & sine controuersia eruditissimus, annales suos Ecclesiasticos partim edidit, partim iam edit, ex quibus omnes omnium hæreticorum fraudes, & corruptelæ, ad historias pertinẽt, nullo negotio deprehendi, & profligari poterunt. Et ego in superioribus capitibus ad omnia illa respondi, quæ speciem aliquam difficultatis habere posse videbantur, vt de Montano, de Alcibiade, de Spiridione, & similibus. Solùm igitur hoc loco summam historicæ obseruationis ipsius perstringã, & fraudes, atque calumnias in ea obseruatione insertas patefaciam, ac refellam.

Igitur in quarta parte Examinis, pag. 542. & sequentibus, septendecim capita proponit. In PRIMO capite expositurum se dicit, quales superstitiosas opiniones de ieiunio Scriptura taxet, & refutet. DEINDE, adducit loca Isaiæ 58. & Zachariæ 7. & 8. Item Matt. 9. ad Colossenses 2. & 1. ad Timoth. 4. ad quæ omnia suprà respondimus est. Addit etiam locum Euangelij Matth. 6. *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes, &c.* Et Lucæ 18. *Ieiuno bis in Sabbato.* Vbi reprehendi dicit opinionem Pharisæorũ, qui sanctitatem, & pietatem putabant sitam esse in externa obseruatione traditionum de ieiuniis, & opinionem habebant meriti, & iustitiæ coram Deo ex ieiuniis à Deo non præceptis.

ATmore suo scripturas deprauat. Dominus enim Matth. 6. non negat sanctitatem aliquam, & pietatem sitam esse in externa obseruatione ieiunij à Deo nõ imperati, sed à maioribus traditi: nec enim ignorabat laudatos à Deo Rechabitas, qui ex traditione patris sui à vino perpetuò abstinebant, & Nazaræos, qui abstinẽtiam à Deo non imperatam sponte vouebant: Sed vituperat hypocritas, qui gloriæ humanæ caussa videri volunt magis ieiunare, & abstinere, quàm faciant. Ideo enim, vt Dominus ait: *Exterminãt facies suas, vt pareant hominibus ieiunantes.* Luc. autem 18. non reprehenditur Pharisæus, quòd ieiunaret bis in Sabbato, neque etiã quod ieiunium non imperatum meritorium esse crederet, vt re vera meritorium erat ieiunium eorum, qui Numer. 30. illud sponte suscipiebant, & Deo, vt rem illi gratam promittebant; sed quod ex bono opere in superbiã efferretur, aliosque contemneret, vt ex ipsius parabolæ conclusione colligitur.

In SECVNDO capite narrat ritus Gentilium circa ieiunia, ex Hieronymo contra Iouinianum ex Volaterrano lib. 13. Anthropologiæ, cap. 4. ex Alexandro ab Alexandro lib. 6. ca. 2. & lib. 4. cap. 7. & 17. ex Rauisio, & Polydoro. Ex quib. ritibus colligit, à spiritu dæmoniorum, profectam esse opinionem, quod ipsum opus operatum ieiunij, præcipuè verò abstinentia a quibusdam cibis sit cultus Dei.

SED hîc multa sunt errata Kemnitij. PRIMVM, aut ignorat, quid sit opus operatum, aut opus operatum ieiunij apud Catholicos cultũ Dei esse mẽtitur. Nullũ enim Catholicorũ protulit, aut proferet, qui ita desipiat.

DEINDE, socium se Iouiniano Hæresiarchæ adiungit, dum nobis Gentilium abstinentiam obiicit, vt meritum ieiunij oppugnet. Sic enim & Iouinianus apud S. Hieronymũ lib. secundo obiiciebat: *De ciborum sibi placent abstinentia, quasi non est superstitio Gentilium Cossum matris Deum obseruet & Isidis.*

TERTIO, non intelligit, cur à sancto Hieronymo Gentilium exempla in caussa ieiunij adferantur. Rectissimè enim probat sanctus Hieronymus exemplis Gentilium naturali lumine rationis cognosci posse, vtile esse ieiunium ad sapientiam acquirendam, & passiones animi cohibendas.

QVARTO, non rectè colligit ieiunium, & abstinentiam à certis cibis non esse cultum Dei, quia Gentiles res easdem cultum Dei esse censebant. Nam si licet ita rationari, probabimus etiam oratione, sacrificiis, templis, votis, Deum non posse coli, quia Gentiles his omnibus rebus Deum coli existimabant. Errabant igitur Ethnici, quod ieiunia propter falsos Deos susciperent, vt etiam quod falsos Deos inuocarẽt, eisque templa, & aras erigerent; at non errabant, quod Deo nõ solùm orationes, templa, altaria, sacrificia, sed etiam ieiunia placere arbitrabantur.

DENIQVE, cum Scriptura diuina manifestè Kemnitius pugnat, cùm à spiritu dæmoniorum opinionem illam profectam esse affirmat; quæ abstinentiam à certis cibis cultum Dei facit. Nam (vt suprà ostendimus) Spiritus Dei abstinentiam à certis cibis, aut à vino cultum Dei esse testatur, cùm dicit, placere Deo vota Nazaræorum, qui à vino se abstinebant. Item vota aliorũ, qui abstinentiam aliquam Deo pollicebantur; & cùm Annam viduam orationibus, & ieiuniis Deo seruisse cõfirmat. Vide Num. 6. & 30. & Lucæ 2.

In TERTIO cap. disserit de abstinentia Esæorum,

Universidad de Dalhousie Biblioteca

ac PRIMVM sanctum Hieronymum redarguit, quod A scripserit in 2. libr. aduersus Iouinianum, Essæos, teste Iosepho, à vino & carnibus abstinere solitos. Id enim, Iosephum nusquam testari Kemnitius dicit.

AT Iosephus lib. 2. de bello Iudaico, ca. 7. describens prandium Essæorum, siue (vt ipse loquitur) Essænorum, scribit, Essænis in cibum nihil aliud apponi, nisi panem, & vasculum vnum cum edulio. Et passim laudat in eis continentiam, sobrietatem, & victus, ac vitæ simplicitatē. Itaque non malè S. Hieron. ex verbis Iosephi collegit, Essæos à vino, & carnibus abstinere, præsertim cùm existimauerit eosdem esse, qui à Philone, & Iosepho laudentur. Quos enim Philo laudat, certum est, perpetuò à vino, & carnibus abstinuisse.

DEINDE, Kemnitius cùm negare non posset eos, quos Philo insigni libro commēdat fuisse Christianos, & ieiunia, atq; abstinentiā à certis cibis, vt res Deo gratas studiosissimè coluisse; dicit, hoc eorum institutum nō fuisse Apostolicæ traditionis, sed reliquias veteris fermēti Essænorum, quod ipsis etiam ad fidem Christi cōuersis adhæsit. Id autem probat, quia Sozomenus li. 1. ca. 12. Nicephorus lib. 2. ca. 15. & Sophronius in vita Marci dicunt, eos, quos Philo laudat, Hebræos fuisse ad Christū conuersos, adhuc Iudaizare solitos. Addit PRÆTEREA, si quis conferat cap. 2. epist. ad Coloss. cum vita, & institutis Essæorum, cum planè perspecturum, ab Apostolo Paulo notari, ac reprehēdi ciusmodi vitam, & instituta.

AT Kemnitius PRIMVM secum ipse pugnat, cùm velit institutum abstinendi à carnibus, & vino esse reliquias fermenti Essænorum; & tamē paulò antè scripserit, non colligi ex Iosepho, quod Esseni à vino, & carnibus abstinuerint. Non enim Essænorum instituta aliundè melius, quàm ex Iosepho discere possumus.

DEINDE Sozomenus, Nicephorus, & Sophronius, quibus auctoribus Kemnitius nititur, contra ipsum manifestè pugnant. Nam Sozomenus, & Nicephorus miris laudibus efferunt institutum eorum, de quibus loquitur Philo, & sanctum sine dubitatione appellant. Proinde C cùm dicunt, eos Iudaizasse, non loquuntur de ieiunio, & abstinētia, quæ sunt communia Iudæis cum Christianis, sed de ritib. propriis Iudæorū, vt de custodia Sabbathi, circumcisione, & similibus rebus. Sophronius autē tum in vita Marci, tum in vita Philonis, & Nicephorus loco nato, disertis verbis docent, eos, quos Philo tantoperè laudat, discipulos fuisse sancti Marci Euangelistæ, & ab ipso institutum illud vitæ, ieiunia, & abstinentiam didicisse. Quare non reliquiæ fermenti Essænorū, sed Apostolica doctrina erat, si Sophronio, & Nicephoro credimus, illa, quam Philo commendat.

Sed in eo potissimùm stultitia Kemnitij se prodit, quod Sozomenum, Nicephorum, & Sophronium, Eusebio, & Hieronymo, quasi opponit, cùm tamen Sozomenus, & Nicephorus Eusebium sequantur, & Sophronius idipsum scribat Græcè, quod Hieronymus scripsit Latinè.

Quod attinet ad collationē capitis secundi ad Col- D lossenses, cum libro Philonis de vita cōtemplativa supplicum: nemo vnquam iudicabit, ab Apostolo reprehēdi vitam illorum, quos laudat Philo, nisi sensum iudicandi corruptum, ac depravatum habeat, nisi fortè probabile sit ab Apostolo Paulo Marcum Euangelistam reprehendi. Marci enim sectatores fuisse, quos Philo laudibus celebrat, non solùm Sophronius, & Nicephorus, sed etiam Hieronymus, Epiphanius, Cassianus, Beda, & alij docent. Vide quę scripsimus in lib. de Monachis capite quinto.

In capite QVARTO probat, adulterinos libros esse cōstitutiones, & canones Apostolicos, librum Pastoris, & Abdiam de vitis Apostolorum, in quibus multa leguntur de ieiunio, & abstinentia à certis cibis.

SED laborem disserendi de his libris Kemnitius omittere potuisset. Non enim desunt Ecclesiæ Catholicæ plurimi alij libri sanctorum Patrum certi & indubitati, vnde traditiones Apostolicæ probari possint. De cōstitutionibus, & canonibus Apostolorum multa scripsit noster Turrianus. Sanctus Epiphanius in hæresi Audianorum dicit quidem, constitutiones Apostolicas nō ab omnibus recipi, tamen addit, nihil in eis, nisi verum, & sanum contineri. Liber Pastoris non est quidem canonicus, sed potius Apocryphus, quod attinet ad auctoritatem Scripturæ diuinæ: tamen vtilis ab omnib. ferè Patribus iudicatus est, vt patet ex Tertulliano in libro de oratione, Origene lib. 10. in epist. ad Romanos, Irenæo libro quarto capite trigesimo septimo, Clemente Alexandrino libr. 6. Stromat. Athanasio in libro de decretis Nicenæ Synodi Eusebio libro tertio hist. cap. 3. Hieronymo in libro de viris illustribus in Hermete, Russino in explicatione Symbol, Cassiano collat. 13. ca. 12. Quare temerè Kemnitius hunc librum contrarium literis Apostolis improbat. Librum Abdiæ suppositi tium esse, viri docti etiam apud nos censent. Ego certè nullum ab eo testimonium petij, vt nec ex libro Pastoris.

In QVINTO cap. disputat de causa, cur vetus Ecclesia paschale ieiuniū, & feriæ quartæ, & sextæ aliquādo seruauerit, salua Euangelica libertate. Sed respondimus suprà, tum in capite de origine Quadragesimæ, tū in capite de ieiunio ferię quartæ, & sextæ, vbi demōstrauimus falsas, & ineptas causas Kemnitium reddidisse.

In SEXTO capite profert testimonia Ignatij, & Irenæi, & historiam Attali, & Alcibiadis contra meritum, & necessitatem ieiunij. SED hæc omnia excussimus suprà in propriis locis, vbi disseruimus de lege ieiunij, & de vtilitate ieiunij.

In SEPTIMO, & OCTAVO capite tractat historiā Tatiani, & Montani, & multa ex Tertulliano adducit, ad quæ omnia suprà respondimus. VNVM est hoc loco NOTANDVM, grauiter, & nō semel sanctum Epiphanium à Kemnitio reprehendi, pag. 596. & 605. quod scripserit, Montanistas abstinere à cibis, non disciplinæ gratia, non maioris virtutis, non præmiorum, & coronarum, sed quod ea, quæ à Domino facta sunt, abominabilia iudicent. Sed certè non Epiphanius Montano, sed Kemnitius Epiphanio falsum affingit. Epiphanius enim illa, quæ citat Kemnitius, nō de Montanistis, sed de aliis hæreticis scribit, vt perspicuum erit, si quis locum Epiphanij diligenter inspiciat.

In NONO, DECIMO, & VNDECIMO cap. producit in medium loca quædam Origenis, historiam Eustatij, & Spiridionis, quæ sunt à nobis tractata suis locis.

In DVODECIMO, & DECIMOTERTIO capite docet, circa annum Domini CCCC. cœpisse in Ecclesiam inuehi leges ieiuniorum, cum opinione necessitatis, & meriti, per Basilium, Ambrosium, Epiphanium, & Hieronymum, & simul Aërium, & Iouinianum excusat, Epiphanium, & Hieronymū accusat. HIC verò gratias agimus Kemnitio, quod lumina illa Ecclesiæ, tàm Occidentalis, quàm Orientalis nobis tàm promptè, liberaliterque concedat. Existimamus enim neminem esse debere tàm stultum, qui non magis fidem habere velit sanctissimis illis viris, Basilio, Ambrosio, Epiphanio, & Hieronymo, quā Luthero, Caluino, Philippo, Kemnitio. Neque miramur, si Kemnitius, cùm planè sit Aërianus, & Iouinianista, parentes suos defendere vtcunque voluerit.

SED illud malè haberet fortasse ipsum etiam Aërium, quod falso commento eum defendere conatus sit. Dicit enim Kemnitius, Aërium, cùm improbauit statа ieiunia, non tam Ecclesiæ Catholicæ, quàm Eustathij leges ieiuniorum improbare voluisse. AT quāuis Aërius, & Eustathius quibusdam in rebus dissenserint, tamē in hac re mirifi

mirificè consentiebant. Nam ipse etiam Eustathius sta- A ta ieiunia ferre non poterat, vt ex Concilio Gangrensi, & historia Socratis suprà probauimus.

DENIQVE quanta temeritas est, vt velit Kemnitius, qui heri natus est, maiorem sibi fidem haberi in intelligentia hæresis Aërianæ, quàm sancto Epiphanio, qui primus hanc hæresim expositit, & ipso Aërio viuente scripsit? quemadmodum etiam valdè ineptè singit, dubium esse, quid Iouinianus senserit, quasi nō satis apertè id sanctus Hieronymus exposuerit in libris aduersus Iouinianum, quos sanctus Augustinus in epistola 29. lucidissimos, suauissimos, & præclarissimos vocat.

In DECIMO QVARTO, DECIMO QVINTO, & DECIMO SEXTO capite producit, tanquam defensores libertatis Christianæ in vsu ciborum, Augustinū, B Prosperum, & Primasium, Latinos; Chrysostomum, Cyrillum, Theodoretum, & Socratem, Græcos; eosque cum Basilio, Epiphanio, Ambrosio, & Hieronymo aduersa fronte committit. Quasi credibile sit sanctum Augustinum, Prosperum, & Primasium à sancto Ambrosio, & Hieronymo; Chrysostomum, Cyrillum, & Theodoretum à sancto Basilio, & Epiphanio tam apertè, vt Kemnitius singit, dissentire potuisse. Expertus erat Kemnitius, summos principes nouatorum, Lutherum, Zuinglium, & alios inter se de primariis fidei nostræ capitibus digladiari solitos: Itaque idem censuit sanctis Patribus accidisse.

Sed longè aliud scribit de Cōcordia Catholicorum Patrum in dogmatibus fidei, sanctus Augustinus in pri- C mo & secundo libro aduersus Iulianum. Et ea quæ nos suprà ex Augustino, & Chrysostomo citauimus, satis ostendūt, eos cum Basilio, Ambrosio, Epiphanio, & Hieronymo mirificè consensisse. Si quid autem obscuritatis erat in auctoribus, quos Kemnitius, citat, suprà in locis propriis explicatum est: multa verò de industria prætermisi, quod nihil omnino difficultatis haberent.

In DECIMOSEPTIMO capite scribit Kemnitius, ab anno Domini CCCCLX. cum non essent, qui cōtradicerent, extinctis videlicet luminaribus Ecclesiæ superstitiosas leges, & opiniones de ieiunio per Pontificū, & Cōciliorum decreta cumulatas fuisse, donec Scholastica Theologia inde extructa est. Profert autem sancti Leonis Magni multa loca pro ieiunio, item sancti Gregorij, sancti Bernardi, & aliorum.

AT si diuina prouidentia per annos CCCCLX. semper aliquos excitauit, qui superstitiones reprimerent; cur non etiam postea id fecit? Defuit ne Spiritui sancto sapientia, aut potentia? An verò Ecclesiam suam omnino deseruit? Aut forte impedire non potuit, quo minùs portæ inferorum aduersus Ecclesiam prævalerent? Et si luminaria quędam extincta sunt, non poterat alia rursus accendere? Cur igitur non potius dicimus, sanctū Leonem, sanctum Gregorium, sanctum Bernardum fuisse quoque magna Ecclesiæ luminaria, & nihil diuersum ab antiquioribus Patribus docuisse. Nec fuisse alios, qui legem, & meritum ieiunij oppugnare tentauerint, nisi manifestos hæreticos, Eustathium, Aërium, Iouinianū? Nam si defensores illi, quos Kemnitius fingit, libertatis euangelicæ à Deo excitati fuissent, continuasset sine dubio Deus opus suum. Nec permisisset luminaria omnia Ecclesię ita extingui, vt per annos mille, & centum, portæ inferi aduersus Ecclesiam prævalerent.

Quare maximum præiudicium causæ suæ Kemnitius fecit, cùm tam apertè confessus est, ab anno CCCCLX. sanctum Leonem, sanctum Gregorium, & quot fuēre deinceps Ecclesię doctores, & pastores, leges ieiunij, & opinionem cultus, ac meriti, nemine contradicente tradidisse.

LIBER

Universidad de Deusto
Biblioteca

LIBER TERTIVS,
DE ELEEMOSYNA,
CAPVT PRIMVM.

Quid sit eleemosyna.

DE ELEEMOSYNA VIX VLLÆ SVNT controuersiæ cum hæreticis nostri temporis; tamen de ipsa quoque nobis disserendum esse cẽsuimus, ne videlicet eam à ieiunio, & oratione disiungeremus. Sequemur autem in hac tota disputatione vestigia S. Thomę, & ea quę ipse docet, in 2.2. q. 32. vel pleniora efficere conabimur, vel clariora.

Igitur de eleemosyna OCTO capita tractanda esse videntur. Quid sit eleemosyna: Quæ sint, & quot genera eleemosynæ: Quis sit eius fructus, & finis: Sit ne præceptum aliquod de eleemosyna facienda: Quibus ex rebus corporalis eleemosyna fieri debeat; vbi de malè partis, de superuacancis, de necessarijs opibus disseretur: A quo sit eleemosyna facienda: Qua ratione, & modo sit facienda.

B

A c vt à definitione incipiamus, Eleemosyna definiri potest: *Opus quo datur aliquid indigenti ex misericordia.* Est enim eleemosyna propriè actus misericordiæ, quæ virtus miseriam respicit, vt eam tollat, ac per hoc relationem habet ad indigentem, & miserum. Id perspicuum est PRIMVM ex nomine. Dicitur enim eleemosyna à verbo Græco ἐλεέω, quod est misereor. DEINDE scripturis, quæ per misericordiam eleemosynam describũt. Prou. 19. *Fœneratur Deo, qui miseretur pauperis.* Et dan. 4. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* TERTIO, ex sancto AVGVSTINO, qui in Enchirid. cap. 76. *Est enim* (inquit) *eleemosyna opus misericordiæ.* DENIQVE ex communi sensu omnium gentium. Nemo enim eleemosynam vocat id, quod datur non egenti, & omnes eleemosynam vocant, quam pauperes à diuitibus petunt, & quam diuites pauperibus erogant.

C

Quamuis autem eleemosyna sit actus elicitus misericordiæ; tamen imperatur à charitate, & adiuuatur à libertate. *Charitas enim benigna est.* 1. Corint. 13. *Et qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* 1. Ioann. 3. Liberalitas autem remouet auaritiam, quæ sæpe impedit eleemosynam, & promptum facit ad dandum, quæ promptitudo facit hilarem datorem, qualem diligit Deus. Denique S. Ambrosius in 2. libr. de officiis, cap. 15. liberalitatis effectum eleemosynam esse docet, quoniam vix fieri potest, vt aut auarus eleemosynas faciat, aut liberalis eas non faciat.

Illud autem hoc loco non est omittendum, eleemosynam sine charitate factam atque vt actus solius misericordiæ, quæ est virtus moralis, verè proprieque eleemosynam dici posse; cum in scripturis, & Patrum libris absolutè, ac simpliciter eleemosynæ dicantur, quas peccatores faciunt, vt perspicuum est ex cap. 4. Danielis, ex cap. 6. Matthæi, ex cap. 11. Lucæ, & ex Augustino in Enchiridio, cap. 75. & 76. & lib. 21. de ciuit Dei, ca. 22. & sequentibus. Quia tamen virtutes morales sine charitate

D

A non sunt omnino perfectæ virtutes, quamuis veræ virtutes esse possint, vt S. Thomas docet in 2.2.q.23.arti.7. Ideo si eleemosyna sumatur pro actu perfectæ virtutis, siue pro actu misericordiæ à charitate imperato, non dicetur eleemosynas facere, nisi materialiter, qui sine charitate eleemosynas faciet.

CAPVT II.

De partitione eleemosynæ.

PARTIVNTVR eleemosynam Theologi in DVO genera; alias enim corporales, alias spirituales esse docent: vtrunque autẽ genus in SEPTEM quasi formas, & species diuidunt. Et quidem S. Thomas elegantem huius numeri rationem reddit. Sed nos paulò fortasse breuius, & planius rem eandem exponemus.

PRIMVM igitur omnis humana miseria, aut ad corpus, aut ad animam pertinet; Quæ pertinet ad corpus, aut in vita toleratur, aut post mortem; Quæ toleratur in vita, vel est carentia earum rerum, quibus omnes egent, vel est aliquorum specialis ærumna. Carentia earum rerum, quibus omnes egent, aut est interior, vt carentia cibi, & potus; aut exterior, vt carentia vestium, & domicilij. Atque his quatuor corporalibus miseriis respondent quatuor genera eleemosynæ; pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, excipere hospitio peregrinum.

Ærumnæ speciales DVÆ sunt, ALTERA interior, morbus, ALTERA exterior, captiuitas; quibus respondent duo alia genera eleemosynæ, visitare ægrotum, redimere captiuum. Atque ad eiusmodi eleemosynas reuocantur omnia similia officia, quæ proximis exhibemus, siue propter internas miserias depellendas, vt dirigere cæcos, sustentare claudos, regere paralyticos; siue propter externas, vt protegere viduas, ac pupillos, soluere debita pauperum, dotem prouidere virginibus, & alia id genus. Miseria post mortem est carentia sepulturæ, cui respondet vltimum genus eleemosynę corporalis, quod est sepelire defunctos; cui possunt adiungi pompa funebris, exequutio testamenti, & alia, quæ fieri solent ab amicis in gratiam defunctorum.

Iam verò miseria, quæ pertinet ad animam, aut culpa est, aut pœna; si culpa, non potest ea simpliciter à nobis tolli, potest tamen iuuari, qui in eam incidit, TRIBVS modis, PRIMO, oratione ad Deũ. SECVNDO, remissione iniuriæ. TERTIO, correptione fraterna. Si pœna est, aut intellectum lædit, vt ignorantia, tum theorica, tũ practica: aut affectum, vt tristitia, ac dolor: aut cõsuetudinem cum aliis, vt morositas, id est, incommoditas, & difficultas morum. Et quidem ignorantiæ theoricæ mederi possumus per doctrinam, practicæ per consilium, tristitiæ per consolationem, morositati per patientiam. Atq; hęc sunt SEPTEM genera eleemosynę spiritualis orare pro peccatoribus, condonare iniurias, corripere delin

delinquentes, docere imperitos, consiliũ imprudentib. dare, consolari afflictos, tolerare alienam infirmitatem.

Neque desunt testimonia Scripturæ diuinæ, quibus hæc omnia genera eleemosynæ vel imperantur, vel laudantur. Prima sex genera eleemosynæ corporalis habẽtur Matt. 25. Septimum genus Tobiæ 12. PRIMVM genus eleemosynæ spiritualis habetur Matth. 5. *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* SECVNDVM, Mat. 6. *Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester dimittet vobis.* TERTIVM, Matt. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum, &c.* QVARTVM, Matth. 5. *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorũ.* QVINTVM, ad Gal 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* SEXTVM, *Consolamini pusillanimes*, 1. ad Thess. 5. SEPTIMVM, *Supportantes inuicem*, ad Ephes. 4. & ad Rom. 15. *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere.*

Ex his omnibus nihil est, quod ab hæreticis in controuersiam reuocetur, excepta sepultura, præsertim cùm Dominus Matth. 25. cùm opera misericordiæ corporalis enumeraret, & commendaret, non sine ratione solùm omiserit officium sepulturæ. Sed de hac re disseruimus in 2. lib. de purgatorio, extremo.

CAPVT III.

Eleemosynas non sufficere ad salutem sine fide, spe, dilectione, pœnitentia, aliisque ad salutem præsidiis.

DE FRVCTV eleemosynæ, quod erat Tertium caput initio propositum, Duo sunt errores contrarij. VNVS quorundam veterum, qui nimis multum eleemosynę tribuebant, ALTER recentiorum qui nimis parum tribuunt. Scribit igitur sanctus Augustinus in lib. 21. de ciuitate Dei, capite vigesimo secundo, de prioribus hoc modo: *Comperi etiam quosdam putare, eos tantummodo arsuros illius æternitate supplicij qui pro peccatis suis facere dignas eleemosynas negligunt: iuxta illud Iacobi, Iudicium autem sine misericordia ei, qui non facit misericordiam. Qui ergo fecerit inquiunt, quamuis mores in melius non mutauerit sed inter ipsas suas eleemosynas nefariè, ac nequiter vixerit: iudicium illi cum misericordia futurum est: vt aut nulla damnatione plectatur, aut post aliquod tempus, siue paruum, siue prolixum, ab illa damnatione liberetur.* Hæc ille.

C

Quamuis autem hæc sententia, quæ peccatoribus sine pœnitentia de hac vita mirantibus per eleemosynas aditum ad salutem aperit, non careat argumẽtis in speciem magnis, & difficilibus: tamen sine dubio falsa est, & Scripturæ diuinæ manifestè repugnat. PRIMVM enim Isaiæ primo, describens Dominus dispositiones ad iustificationem, primo loco ponit internam conuersionem: *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruerse, discite benefacere.* Deinde vltimo loco collocat eleemosynam: *Subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam.*

D

DEINDE Ioan. Baptista, Matt. 3. cùm dixisset: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excindetur, & in ignẽ mittetur:* explicat quis sit bonus fructus, dicens: *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Ex docemur, non sufficere operà bona, qualis est eleemosynarum largitio ad placandũ Deum, nisi ex vera pœnitentia oriantur, & hominem ex animo resipuisse testentur.

PRÆTEREA Luc. 13. Dominus ipse ait: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Cui sententiæ simile est quod Apostolus ait 1. ad Cor. 6. *Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorũ concubitores, neq; fures, neq; ebriosi neque maledici, neq; rapaces, regnum Dei possidebunt.* Quod idem repetit ad Gall. 5. ad Ephes. 5. & alibi. At si eleemosina sine innocentia, vel pœnitentia salutem adferre posset, Christi, & Apostoli verba falsa esse possent.

Ac (vt alia multa præteream) certè illud Apostoli 1. ad Cor. 13. sententiam eorum qui eleemosynas plus quã oportet, efferunt, non obscurè refellit, *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Quomodo enim charitatem habet, qui nec Deum timet, nec hominem reueretur? & qui non solùm Deum, & proximum offendere non veretur, sed neque animum tam scleratum exuere, neque per veram pœnitentiam Deo reconciliari satagit? Adde quod hanc sententiam accuratè refellit sanctus Augustinus in Enchiridio cap. 76, & lib. 21. de ciuitate Dei, cap. 27. & eum tequutus sanctus Gregorius lib. 12. moralium, cap. 24. Sed obiectiones soluendæ sunt.

PRIMA obiectio sumitur ex capite vndecimo Lucæ, vbi Dominus ait: *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.*

B

RESPONDEO, Locus Euangelicus variis modis explicari solet. Aliqui docẽt, nõ commendari in his verbis eleemosynam, sed redargui Pharisæos, qui ex stimabant, per eleemosynam mox expiari furta, & rapinas, & omnia omninò peccata. Quocirca verbum Græcum δότε, non reddunt *date*, sed *datis*. Vel si reddatur, *date*, dicũt, accipiendum esse ironicè, non propriè. Hæc sententia, quam indicat in commentario huius loci Cardin. Caietanus, nõ videtur recipienda, quoniam omnes alij interpretes, tum Latini, tum Græci, quos paulò infrà citabimus, agnoscunt hoc loco commendationem eleemosynæ.

ALIA est expositio sancti Augustini in Enchiridio, cap. 76. & serm. 30. de verbis Domini, qui docet, Christũ his verbis generatim eleemosynæ studium cõmendasse, non solùm erga alios, sed etiam erga se. Et quoniam qui à se incipit, secundùm ordinem charitatis; is primùm animę suæ eleemosynam facit, eam purgando à vitiis per conuersionem, & pœnitentiam, deinde proximos per eleemosynam, siue corporalem, siue spiritualem iuuat: ideo verè dictum esse scribit Augustinus, Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.

Hæc explicatio veram, atque vtilem doctrinam continet: sed non videtur tamen propria, & literæ inhærens explicatio esse. Nam nomine eleemosynæ, cùm hoc nomen absolutè ponitur, omnes intelligunt opus misericordiæ erga alios. Deinde verba illa, quæ proximè præcedunt: *Verumtamen quod superest, date eleemosynam, &c.* satis apertè indicãt, loquutum esse Dominum de eleemosyna, quę fit erogando pauperibus facultates. Nam etiamsi Beda in commentario huius loci, illud, *quod superest*, ita exponat, ac si dignum esset, de cæteris, vel quod restat agendum, tamẽ Græca voc, τὰ ἐνόντα, perspicuè, significat, facultates, quæ supersunt, aut quæ adsunt, vt sit sensus, Date eleemosynam de eo quod habetis, & omnia munda sunt vobis.

C

TERTIA expositio est sancti Basilij in quæstionib. breuioribus, quæst. 271. qui docet non loqui Dominum de expiatione omnium peccatorum, sed eorum tantùm, quæ nascuntur ex auaritia, vt furti, rapinæ, vsuræ, & similium. Vt sensus sit, Vos Pharisæi habetis cor plenum rapinis, & furtis. sed Date eleemosynas ex iis facultatibus, quas habetis, & omnia vestra furta, & rapinæ expiabuntur. Vbi addit Basilius, peccata per auaritiam cõtracta mundari per largam eleemosynarum largitionem, nõ quidem principaliter, sed vt per fructus dignos pœnitentia: caussam enim principalem purgationis peccatorum esse gratiam Dei, & sanguinem Iesu Christi.

D

QVARTA expositio, quæ videtur omnium optima, est Euthymij, & Theophylacti, in hunc locum, & fortasse etiam ambrosij in eundem locum, & sancti Maximi serm.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ferm. de eleemosyna. Docet hæc sententia, Dominum commendasse præcipuè studium eleemosynæ, quoniam alioquebatur Pharisæos, quorum præcipuum vitiũ erat auaritia. Quemadmodum enim Medicus aliquis peritus, si videat originem variorum morborum in aliquo à proto esse repletionem, dicere poterit, adhibe inediã, & integrè conualesces, quia videlicet radice principalis morbi sublata, cæteri morbi facilè tolli poterunt: Sic enim Dominus dicit Pharisæis, Date eleemosynas, & omnia mũda sunt vobis. Quoniam cùm radix omnium malorum, præcipuè in Pharisæis, auaritia esset, si ea per virtutem contrariam eualuisset, facilè illi ad fidem & pœnitentiam, ac per hoc ad plenam salutem animi peruenissent.

SECVNDA obiectio, Dominus promisit Matthæi 5 misericordiam misericordibus: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et Matth. 6. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester peccata vestra.* Et contrà Iacobi 2 dicitur: *Iudicium sine misericordia ei qui non fecerit misericordiam.* Videntur igitur homines misericordes, etiamsi alioqui perdite viuant, secũ de sua salute, propter apertã Domini promissionẽ.

RESPONDEO, Cùm Dominus ait: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, ostendit misericordiam esse rem Deo gratam, & ingenti præmio remunerandam: nõ tamen solam sufficere ad salutem. Singulæ enim virtutes per se ducunt ad regnum, nisi aliundè sit impedimentum, hoc est, nisi desint aliæ virtutes.

Illud: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, &c.* nõ tam docet quid sufficiat, quàm quid necessariò requiratur ad peccati expiationem. Ideo enim dicitur Deus remittere nobis peccata nostra, si nos fratribus nostris dimittimus peccata eorum, quoniam nisi nos dimiserimus, nec nobis dimittetur, vt notat sanctus Augustinus in libro 21. de ciuit. Dei, cap. vlt. vbi etiam monet, posse hũc totum locum referri ad peccata venialia, ideo enim dictum esse: *Pater dimittet vobis*, id est, vobis iustis, qui patrem habetis Deum. Et, *peccata vestra*, id est, qualia iusti habere possunt, quotidiana, ac leuia, quæ per eleemosynam remissionis iniuriæ facilè condonantur.

Denique sanctus Iacobus rectè dixit, Iudicium sine misericordia ei, qui non fecerit misericordiam: quoniã vel vnum crimen nõ deletum, sufficit ad damnationem, dicente eodem Apostolo: *Qui offendit in vno, factus est omnium reus.* At non dixit Iacobus, misericordia sine iudicio ei qui fecerit misericordiam, quia non sufficit vnum opus bonum ad salutem, sicut sufficit vnum crimen ad damnationem. Dixit tamen, superexaltat autem misericordia iudicium, quia misericodia, qua Deus cum bonis iustis, & misericordibus vtetur, ipsum iudicium, quo damnabũtur immisericordes, magis eminere faciet. Vel iuxta Græcos codices, misericordia superexultat, κατακαυχᾶται iudicio, id est, exultat, & gloriatur suprà iudicium, illudque vincit, & superat. Et ideo iudicium sine misericordia immisericordibus fiet; ne si cum misericordia fieret, cogeret ipsa misericordia iudicium aliquid remittere de rigore sententiæ aduersus misericordes.

TERTIA obiectio, Scriptura diuina Tobiæ 4. manifestè pronunciat, non posse perire eos, qui eleemosynas faciunt. Sic enim ait: *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat. & non patitur animam ire in tenebras;* Cui simile est illud Ecclesiastici 3. *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* Et cõfirmari potest hæc obiectio testimoniis Patrum, qui eleemosynam comparãt cum Baptismo, quia sicut non potest baptizatus perire, si gratiam Baptismi conseruet vsque in finem: Sic etiam non potest misericors homo perire, qui vsque ad finem in eleemosynæ studio perseueret. CYPRIANVS in serm. de eleemosyna, explicans verba Ecclesiastici iam citata: *Hic*, inquit, *ostenditur, & probatur, quia sicut lauacro aquæ salutaris gehennæ ignis extinguitur, ita eleemosynis, atque operib. iustis delictorum flamma sopitur.* AMBROSIVS serm 31. *Eleemosyna*, inquit, *quodammodo animarum aliud est lauacrum, sicut ait Dominus, Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis, nisi quod salua fide dixerimus, indulgentior est eleemosyna, quàm lauacrum. Lauacrum enim semel datur, & semel veniam pollicetur: eleemosynam autem quoties feceris, toties veniam promereris.* CHRYSOSTOMVS homil. 25. in Acta Apostolorum: *Non est*, inquit, *peccatum quod non possit purgare eleemosyna, quodlibet non possit extinguere. Omne peccatum infra illam stat.* LEO serm. 5. de collectis: *Eleemosyna*, inquit, *peccata delent, mortem perimunt, & pœnam perpetui ignis extinguunt.*

RESPONDEO, Loquuntur Ecclesiastici, & Tob. de eleemosynis, quæ sunt fructus pœnitentiæ. Verè enim eiusmodi eleemosynæ partim vt dispositiones ad iustificationem, peccatum etiam quoad culpam, suo modo delent, dum gratiã impetrãt iustificationis: partim post acceptam remissionem culpæ satisfaciunt pro pœna tẽporali, & suo quodam modo peccatum extinguunt. Et eodem modo sancti Patres comparant eleemosynas ex pœnitentia procedentes cum Baptismo. Sicut enim Baptismus, culpam, & pœnã tollit, ita vt si quis mox à Baptismo decedat, nihil sit ei periculi vel à gehenna, vel à Purgatorio: Sic etiã eleemosynæ, culpa iam remissa per pœnitentiam, satisfaciunt pro pœna temporali. Atque ita eleemosyna coniuncta cum pœnitentia, est alter Baptismus, & in eo excellit, vt Ambrosius ait, quod Baptismus semel tantùm, eleemosyna sæpius peccata dimittit.

Obiectio QVARTA, Dominus Matt. 25 totum examen futuri iudicij circa eleemosynas constituisse videtur, non igitur damnantur, nisi qui eleemosynas nõ fecerunt, neque saluantur, nisi qui eas fecerunt. Quare S. AVGVSTINVS serm. 1. in Septuagesima, qui est 50 de tempore, inducit Christum in iudicio sic loquentem: *Difficile est, vt si examinem vos, & appendam vos, & scruter diligentissimè facta vestra, non inueniam vnde vos damnem: sed ite in regnum. Esurui enim, & dedistis mihi mãducare, &c.*

RESPONDEO, In die iudicij non solùm de eleemosyna, sed etiam de aliis omnibus rebus, ex quibus benè, vel malè meriti fuerimus, rationem Deo reddituri sumus. Alioqui non diceret Dominus Matt. 12. *Omne verbum otiosum quod loquuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij.* Cur autem exemplum examinis Dominus posuerit in eleemosyna, illa causa fuit, vt ex ea de rebus grauioribus iudicium faceremus. Nam si damnabitur, qui res suas nõ dederit, quid fiet de eo, qui rapuerit alienas? & si coronabitur, qui res vilissimas cum pauperibus communicauerit: quo præmio dignus erit, qui vitam ipsam pro Dei honore posuerit?

Ad locum sancti Augustini RESPONDEO, non significari illis verbis, in die iudicij inuenienda esse peccata in hominib. iustis, ob quæ damnari possent: sed, ob quæ damnari potuissent, nisi ea per dignam pœnitentiam, & pœnitẽtiæ fructus, inter quos eleemosynæ sunt, delere studuissent. Sic enim explicat idem Augustinus, cùm subiungit. *Non ergo ites in regnum, quia non peccastis, sed quia vestra peccata eleemosynis redemistis.*

Porrò S. Augustinum non loqui de eleemosynis sine pœnitentia, perspicuum est ex verbis sequentibus, vbi reprehendit S. Augustinus sterilem pœnitentiam, quæ nomen pœnitentiæ non meretur, ac docet, illam pœnitentiam esse necessariam, quæ parit fructus eleemosynæ, & citat illud Matthæi 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Itaque cùm dicit, peccata eleemosynis redimi, intelligit de eleemosynis, quæ sunt veræ pœnitentiæ fructus. Quod etiam clarius docet in Enchiridio, cap. 69. & 70.

CAPVT

CAPVT IIII.

Eleemosynas esse opera meritoria, & factis factoria, ac multos præterea fructus habere.

ALTER error est recentiũ omniũ hæreticorũ, qui tametsi eleemosynas vtiles esse non negant, tamen negant eas ad merendam vitam æternam, aut ad satisfaciendum pro peccatis, aliquam vim habere. Sed hic eorũ error satis refutatus est, tum in 4. lib. de Pœnitẽtia, tum in 5. de iustificatione. His igitur omissis, nos hîc breuiter attingemus eleemosynæ fructus, quos Catholici confitentur, qui sex numerari posse videntur.

PRIMVM enim eleemosyna, si ab homine iusto, & ex vera caritate fiat, meretur vitam æternam, quod verbis distertis Dominus docet, cùm ait Matth: 25. *Percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi. Esurui enim & dedistis mihi mãducare, &c.* Idem docet S. Cyprianus in serm. de eleemosyna, & alij Patres passim.

Neque videtur contemnendum, quod quidam obseruant, non sine mysterio portas tabernaculi, quod Sancta Sanctorum dicebatur, ex ligno oliuæ fieri debuisse 3. Reg. 6. Nam per Sancta Sanctorum vitam æternam significari, docet Apostolus ad Hebr. 6. per oliuam autem significari misericordiam, passim docent Patres, ac præsertim S. Iean. Chrysostomus homil. 79. in Matthæum, contra autem portæ inferorum ferreæ describuntur in Psalm. 106. vt intelligamus, per misericordiam aditum patefieri ad vitam æternam, per inhumanitatem ad gehennam.

SECVNDO, eleemosyna satisfactio est pro peccatis. Id quod satis probant testimonia Scripturæ, & Patrum, quæ paulò antè allata sunt, videlicet in tertia obiectione capitis superioris.

TERTIO, auget fiduciam apud Deum, & gaudium spirituale. Quamuis enim id commune sit cum omni opere bono; tamen præcipuè conuenit eleemosynæ, cum per eam Deo simul, & proximo gratum præstemus obsequium, & fit opus, quod facilè cognoscitur esse bonum. Tobiæ quarto: *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna, omnibus facientibus eam.* Ad Hebr. 10. *vinctis* (inquit Apostolus) *compassi estis, nolite itaque amittere confidentiam vestram.* Sanctus Cyprianus eleemosynam appellat *solatium grande credentium, securitatis nostræ salutare præsidium.* Similia vide apud Chrysostomum homil. 34. in Genesim, & alibi.

QVARTO, conciliat beneuolentiam multorum, qui pro benefactoribus Deum precantur, eisque vel gratiam conuersionis, vel donum perseuerantiæ, vel incrementum gratiæ, & gloriæ impetrant. Nam his omnibus modis intelligi potest, quod Dominus ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in eterna tabernacula.* Luc. 16. Huc etiam illud pertinet: *Qui recipit iustum, in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.* Matth. 10. hoc est, qui iustum eleemosynis suis fouet, particeps erit meritorum ipsius. Et quemadmodum sanctus Petrus Tabitham, corporaliter mortuam, ad preces viduarum, quæ ab ea eleemosynas acceperant, excitauit: ita sæpè Deus, spiritualiter mortuos, excitat ad preces sanctorum pauperum, qui pro benefactoribus suis orant.

QVINTO, eleemosyna dispositio est ad gratiam iustificationis, si fiat ab eo, qui pœnitentiam agere incipit, & ex Dei motione, & auxilio speciali. De hoc fructu loquitur Salomon Prouerb. 15. *Eleemosynis, & fide, delicta purgantur.* Et Dominus Luc. 11. vt suprà exposuimus: *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* Et Luc. 19 cùm dixisset Zachæus: *Ecce dimidium bonorum meorum, domine, do pauperibus, &c.* adiunxit Dominus, *Hodie salus huic domui facta est.* Deniq; Act. 10. *Eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Et nunc mitte in Ioppem, et accerse Simonem, &c.* Ex quo loco probat S. Augustinus in 1. lib. de prædest. Sanctorum, capite 7. Cornelium per eleemosynas impetrãsse à Deo gratiam fidei Christianæ, & perfectę iustificationis.

SEXTO, eleemosyna sæpe causa est maioris abundãtiæ temporaliũ bonorum. Id enim vt plurimum diuina prouidẽtia ordinare solet, vt qui sũt eleemosynę studiosi, quò magis erogãt, eò magis abundent. Id quod affirmat Sapiens Prouerb. 19. cùm ait: *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Et apertius cap. 28. *Qui dat pauperibus, nunquã egebit.* Idem exemplo suo Dominus docere voluit, cùm discipulis iussit, vt quinq; panes, quos solos habebãt, turbis egẽtibus apponerẽt. Nam turbis satiatis, pro quinq: panibus duodecim cophinos, panib. plenos, discipuli retulerunt. Tobias quoque, qui bona sua cum pauperibus benignè cõmunicabat, ingentes diuitias breui cõsequutus est. Vidua etiam Sareptana, quæ modicũ farinę & olei in vsum Prophetæ libẽter insumpsit, id à Deo obtinuit, vt farina, & oleum, longo tẽpore nunquam ei defuerit. Exempla præterea plurima, & dignissima. quæ legantur, extant apud Gregoriũ Turonicum lib. 5. historię Francorum, c. 19. apud Leontium, in vita S. Ioannis Eleemosynarij, & apud Sophronium in Praro spirituali, c. 185. & 201. Idem deniq; sancti Patres affirmant, ac præsertim sanctus Cyprianus in serm. de eleemosyna, & sanctus Basilius in oratione ad diuites, explicans illud: *Destruam horrea mea, &c.* Vbi etiam eleganti similitudine diuitias comparat aquis puteorum, quæ si frequenter hauriantur, semper meliores, & copiosiores scaturire solent, si verò immotæ conseruentur, putrescunt, atque decrescunt.

CAPVT V.

Vnde sumatur Eleemosynæ magnitudo.

VÆRI solet post enumeratos eleemosynæ fructus, vnde sumatur eleemosynæ magnitudo. Quam quæstionem, quia facilis est, paucis absoluemus. Igitur TRIA sunt quæ maiorem eleemosynam reddunt, magnitudo rei, quæ datur promptitudo voluntatis ad dãdum, & dignitas personæ, quæ eleemosynã facit. Nam cæteris paribus, semper maior eleemosyna esse cẽsetur, & Deo gratior, quo plura, vel preciosiora dantur, quia donum ipsum est absolutè, & simpliciter maius. Sic etiam, cæteris paribus, semper eleemosyna maior existimatur, quo maiori promptitudine, & feruore tribuitur. Siquidem in ea promptitudine includitur voluntas plura, & maiora tribuendi, si facultas suppeteret. Denique cęteris paribus, eleemosyna illa pluris a Deo fit, quæ proficiscitur ab eo, qui iustior, sanctior, & ipsi Deo gratior est: *Respexit enim Deus ad Abel primùm, deinde ad munera eius.* Genes. 4. Verum si hæc tria inter se conferantur, primum locum obtinebit feruor, & promptitudo voluntatis actualis; secundum, bonitas personæ, siue magnitudo gratiæ habitualis; postremum, rerum quæ donantur, magnitudo vel precium.

Hinc videlicet Dominus Luc. 21. anteposuit eleemosynã duorũ minutorũ viduę cuiusdam egentis, ingẽtibus donariis diuitũ, quia cum illa dederit totũ victũ suum, sine dubio tanta promptitudine animi dedit, vt parata fuerit multò plura, & maiora donare, quàm diuites illi fecerint, si quod dare posset, habuisset. Hinc etiam sancti Patres passim anteponunt affectum censui.

Sanctus CYPRIANVS in libro tertio ad Quirinum, capite 2. *In opere*, inquit, *& eleemosyna, si per mediocritatem minui fiat, ipsa voluntas satis est.*

Sanctus AMBROSIVS in libro de viduis: *Liberalitas*, inquit, *non, cumulo patrimonij, sed largitatis dimittur affectu.* Idem repetit in libro 1. de officiis, cap. 30.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sanctus IOANNES CHRYSOSTOMVS hom.34. ad populum Antiochenũ: *Eleemosynæ*, inquit, *magnitudo non in pecuniarum multitudine iudicatur, sed in dantium promptitudine.*

Sanctus AVGVSTINVS in Psalm.125.in illud. *Tunc impletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione, Si manum*, inquit, *porrigas, nec in corde misereris, nihil fecisti. Si autem in corde misereris, etiamsi non habeas quod porrigas manu, acceptat Deus eleemosynam tuam.*

Sanctus LEO serm.4 de Quadragesima: *Ex affectibus*, inquit, *piorum benignitatis mensura taxatur.*

Sanctus GREGORIVS homilia quinta in Euangelia: *Exteriora*, inquit, *nostra Dommo quamlibet parua sufficiunt. Cor namque, & non substantiam pensat.*

CAPVT VI.

Esse præceptum aliquod de eleemosyna facienda idque ad quartum præceptum Decalogi reuocari.

PRÆCEPTVM esse aliquod in diuinis litteris de eleemosyna facienda, in dubium reuocari non potest. Non enim in iudicio damnarentur qui eleemosynas non fecerunt, nisi præceptum aliquod violarent, qui eleemosynas non faciunt. Damnari autem perspicuum est ex Euangelio, Matt.25. Deinde vnum ex primariis præceptis esse: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, notum est ex Leuit.19. Matth.22.& ad Rom.13. proximum autem non verbo, & lingua diligere debemus, sed opere, & veritate, vt sanctus Ioannes in epist.1.ca.3.scribit. Quid est autem opere & veritate diligere nisi proximo indigenti succurrere, quod fit per eleemosynæ largitionem.

Quamuis autem præceptum eleemosynæ propriè ad Decalogum non pertineat, cùm in decalogo non ponantur, nisi præcepta iustitiæ, eleemosynæ autem præceptum, caritatis sit, non iustitiæ: tamen solent Theologi omnia præcepta moralia aliquo modo ad Decalogum reuocare. Et alij quidem, in quibus est Albertus in 4. distinct. 15. artic. 16. reducunt eleemosynæ præceptum ad illud Decalogi *Non furaberis*, quoniam genus furti esse videtur, non tribuere pauperibus quod debemus.

ALII verò, in quibus est sanctus Thomas in 2.2.q. 32.art.5. ad 4 reuocant ad præceptum: *Honora patrem & matrem.* Quæ sententia probabilior est. Nam Apostolus 1.ad Timot.4.ait: *Pietas ad omnia utilis est promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Vbi commendans opera pietatis, quibus proximis subuenimus, indicat ad illud præceptum eiusmodi officia pertinere, quod habet promissionem vitæ. In nullo autem præcepto Decalogi annexa est promissio vitæ, nisi in illo: *Honora patrem & matrem, vt sis longæuus super terram.*

DEINDE, præceptum eleemosynæ sine dubio est affirmatiuum, non negatiuum. Includitur enim in illo, *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* At in secunda tabula Decalogi nullum est affirmatiuum præceptũ, nisi vnum illud: *Honora patrem & matrem.* Cætera enim pertinent omnia ad mala, quę cauere debemus, ne proximis inferamus, & ideò negatiua sunt: Quartum duntaxat præcipit bona officia, quæ proximis præstare tenemur, & affirmatiuum est. Itaque omnia bona, quæ proximis debemus, continentur in illis verbis: *Honora Patrem & matrem.* Sed ideò parentum solùm mentionem fecit Scriptura diuina, quoniam ipsi in proximis primum locum tenent, & magis elucet ratio iustitiæ in eo, quod parenti, quàm in eo quod alij cuicunque debemus.

DENIQVE, si præceptum eleemosynæ faciendæ, non ad quartum, sed ad septimum præceptum Decalogi, quod est, *Non furaberis*, reuocaremus, id sequeretur, vt ad restitutionem obligandus esset, qui eleemosynam non fecisset. Quod certè à communi sententia Scholarum abhorret.

CAPVT VII.

Diuino præcepto diuites obligari ad ea pauperibus erogãda, quæ sibi superuacanea sunt.

PRÆCEPTVM esse aliquod eleemosynæ faciendæ, capite superiore docuimus. Sed quibus ex rebus eleemosyna facienda sit, superest vt quæramus. AC PRIMA quæstio est, Vtrum superfluas opes præcepti necessitate, diuites pauperibus erogare cognantur. Vt autem status quæstionis proprius explicetur, pauca quædam præmittenda sunt.

SCIENDVM est PRIMO, DVOBVS modis posse diciopes superfluas, VNO modo, si sint superfluæ naturæ, non tamen personæ; ALTERO modo, si superfluæ sint, tam naturæ, quàm personæ. Superfluum NATVRÆ dicitur id, sine quo viuere posset tum is, qui superfluum habere dicitur tum etiam familia, quam ipse alere, ac sustentare debet. Superfluum PERSONÆ appellatur id, sine quo non solùm viuere, & familiam alere, sed etiam statum, conditionem, ac dignitatem propriam conseruare posset. Quæstio igitur de superfluo absolutè, id est, quod tam naturæ, quàm personæ superfluum est intelligi debet.

SECVNDO considerandum est, necessitatem naturæ, vel personæ, non esse accipiendam Mathematicè, sed moraliter, ac secundùm iudicium pij, prudentisque Christiani. Neque enim id solùm necessarium dici debet, sine quo nullo modo naturæ, aut personæ status conseruari potest: sed etiam id, sine quo non benè conseruari potest, Contra quoq; non ideò debent opes necessariæ, aut non superfluæ iudicari, quoniam non seruantur ociosæ, sed in vestibus, aut hortis, aut edificiis insumuntur. Nam hæc ipsa dicuntur superuacaænea, & sunt quando non sunt necessaria naturæ, vel personæ. De qua re diligenter legi deberent, quæ scribit sanctus Basilius in oratone ad diuites.

TERTIO addendum est, non tantùm id posse dici non superfluum, sed necessarium, quo in præsenti opus habemus sed etiam id, quo paulò pòst opus habebimus. Si quis enim filias habeat paruulas, non dicetur retinere superfluum, si pecunias conseruet, quæ pro earum dotibus necessariæ erunt, quamuis in præsenti necessariæ non esse videantur. Ex quo intelligimus, minus excusari posse Ecclesiasticos, quàm Laicos, si opes superuacaneas habeant, cùm ipsi ab onere vxorum, & filiarum, liberi sint, & exemplo temperantiæ, moderationis, & omnium virtutum aliis prælucere debeant.

Quamuis autem non censeatur esse superfluum id, quod paulò pòst necessarium erit, tamen non sunt opes conseruandæ propter omnes casus, qui aliquando accidere possent, sed propter eos tãtum, qui probabiliter & quasi certò ita imminent, vt nisi nunc iis prospiciamus, postea prouideri non poterit. Alioqui peccatur contra præceptum Domini, prohibentis sollicitum esse de crastino, Matth.6. Is enim dicitur sollicitus esse de crastino, qui hodie pro ea re sollicitus est, de qua satis tempestiuè cras cogitare inciperet.

QVARTO est obseruandum, conuenire inter Theologos, tunc saltem præcepti necessitate superfluum esse pauperibus erogandum, quando oc currunt pauperes, qui extrema, vel graui admodũ necessitate præmuntur: sed quęstionem esse de superfluis opibus, ratione superfluitatis, id est, An diuites teneantur superflua erogare, quia superflua sunt, qui cquid fit de necessitate extrema, vel graui egenorum. Et quamuis non desint graues, Theologi,

Theologi, qui contrà sentiant, nos tamen tutiorem, & veriorem eam sententiam arbitramur, quæ docet, superfluas opes sine peccato retineri non posse. Quam sententiam sequitur sanctus Thomas in 2.2.quæst.66.art.7.& quæst.87.art.1.ad 4.& quæst.118.art.4. ad 2.& Quodlibeto 6.art.12.& præterea Albertus, Richardus, Paludanus, & alij in 4. Sentent. distinct.15. Quo loco sanctus Thomas quæst.2.art.1.quæstiuncula 4. scribit, hanc esse communem Theologorum sententiam.

Probatur igitur hæc sententia PRIMO ex diuinis literis, Mat.sexto: *Nemo potest duobus dominis seruire. Non potestis Deo seruire & mammonæ.* Seruire mammonæ nihil esse aliud docent Chrysostomus, & Hieronymus in hũc locũ, nisi superuacaneas diuitias congregare. Qui enim opes suas distribuit indigentibus, is non seruit, sed dominatur mammonæ: qui autem congregat, & custodit ociosas pecunias, aut vestes, aut alia id genus, sine dubio seruit. Item Luc.3. *Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat.* Quo loco per duas tunicas, & duplices escas apertè superfluum indicatur. Nam vt sanctus Hieronym. rectè explicat in epistola ad Hedibiam, quæst.1. vna tunica dicitur vestimentum vnicuiq; necessarium: & si alicui tres, aut quatuor vestes per hiemem necessariæ sint, illæ omnes vna tunica sunt. Sed si plures fortè habeat, illæ ducuntur altera tunica, & ex præcepto à Ioanne declarato, pauperibus distribuendæ sunt. Neque dicit beatus Ioannes, qui habet duas tunicas, det alteram frigore morienti. sed *non habenti*; neque est hoc cõsilium, sed præceptum. Nam cùm dixisset: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excinditur & in ignem mittetur*: Querentibus turbis, quid ergo faciemus? respõdit: *Qui habet duas tunicas, &c.*

Ad hæc Luc.12. diues quidam cùm haberet bona plurima, cogitare cœpit, vbinam ea recondere posset, dictum autem illi est: *Stulte, hac nocte repetunt à te animam tuam, & quæ parasti, cuius erunt?* Quem locum tractans B. Augustinus homilia septima in librum quinquaginta homiliarum, scribit, diuitem illum non ob aliud peccatum fuisse damnatũ, nisi quia superflua retinebat. Illud enim: *Stulte, hac nocte repetunt à te animam tuam*, dicit, non esse simplicẽ reprobationem, sed damnationis iudiciũ. Sicut etiam quod sequitur: *Sic est omnis, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues.* nihil significat aliud, nisi sic perituros omnes, qui studeant augendis opibus non necessariis, cùm potius studere deberent, vt diuites fierent apud Deum meritis operum bonorum.

Similis locus est Luc.decimo sexto, vbi describitur alius diues, qui induebatur purpura, & byssa, & epulabatur quotidie splendidè, & cùm aleret etiam canes, tamẽ vlcerosi pauperis non miserebatur. Nam iste quoque, vt sanctus Augustinus monet loco notato, non alia de causa damnatus est, nisi quia superfluas opes in superfluo cultu, & deliciis insumebat, cùm eas pauperibus distribuere debuisset. Neque Lazarus introducitur in extrema necessitate, sed planè talis, quales in plateis, vel ante fores diuitum videmus quotidie.

Addi solet alius locus ex capite vndecimo Luc. *Quod superest date eleemosynam.* Et quamuis Græca vox, τὰ ἐνόντα significet, quę adsunt; tamen interpres rectè expressit sententiam Domini, & vertit, quod superest, id est, quod vobis adest vltra necessitatem.

Probatur SECVNDO eadem sententia testimoniis Patrũ. S. BASILIVS orat. in illud: *Destruã horrea mea*, propè finem, *At tu*, inquit, *nonne spoliator es, qui quæ dispẽsanda accepisti propria reputas? est panis fame lesci quem tu tenes; nuda tunica quam in conclaui conseruas: discalceati calceus, qui apud te marcescit; indigentis argentum quod possides inhumatum. Quocirca tot pauperib. iniuriã facis, quot dare valeres.*

S. IOANNES CHRYSOSTOMVS homil.34. ad populum Antiochænum: *Nunquid*, inquit, *graue quippiã, & onerosum à nobis requirit? necessitatem excedentia vult nos facere necessaria, & quæ nequiquã, & inutiliter reposita sunt, hæc vult benè distribui, vt hinc occasione sumpta, nos coronet.* Et infrà disputans de superfluis: *Tuarum*, inquit, *rerum es, ô homo, dispensator, non minus quàm qui Ecclesiæ bona dispensat.* Et infrà. *Non ad hoc accepisti, vt in delicias absumeres. sed vt in eleemosynam erogares. Nunquid enim tua possides? res pauperum tibi sunt credite. siue, ex laboribus iustis, siue ex hæreditate paterna possideas.*

Sanctus AMBROSIVS sermone 81. *Sed ais*, inquit, *quid iniustum est, si cum aliena non inuadam, propria dilegentius seruem? impudens dictum, propria dicis? quæ? ex quibus reconditis in hunc mundum detulisti?* Et infrà: *Non minus est crimnis, habenti tollere, quàm cùm possis, & abundes indigentibus denegare.*

Sanctus HIERONYMVS in epistola ad Hedibiam, quæst.1. *Si plus* inquit, *habes, quàm tibi ad victum, vestitumque necessarium est, illud eroga, & in illo debitricem esse te noueris.* Citatur etiam illud ex Hieronymo: *Aliena rapere cõuincitur, qui vltra sibi necessaria retinere probatur.* Vide Gratianum dist.42.can.Hospitale.

Sanctus AVGVSTINVS in Psalm.147. in illud: *Confortauit seras portarum tuarum, Superflua*, inquit, *diuiti necessaria sunt pauperi, aliena retinet qui ista tenet.* Item homil.8. in libro 50. homiliarum. *Defert*, inquit, *tibi Deus honorem, & quasi dicit tibi prior de communi tolle quod sufficit necessitatibus domus tuæ: quod reliquum est, da Christo.* Item tractatu 50. in Ioannem: *Tibi* inquit *superflua sunt, sed Domini pedibus necessaria sunt.*

Sanctus LEO sermone 5. de collectis: *Etiam terrenæ*, inquit, *& corporeæ facultates ex Dei largitate proueniunt, vt merito rationem eorum quæ futurus sit, quæ non magis possidenda, quàm dispensanda commisit.*

Sanctus GREGORIVS tertii parte pastoralis admonitione 22. *Admonendi sunt*, inquit, *qui nec aliena appetunt, nec sua largiuntur, vt sciant solicite, quod ea, de qua sumpti sunt, cunctis hominibus terra communis est: & idcirco alimenta quoque omnib. cõmuniter profer: & idcirco incassum se innocentes putant, qui commune Dei munus sibi priuatum vendicant.*

Sanctus BERNARDVS in epistola 49. ad Henricũ Senonensem Archiepiscopum: *Nostrum est*, inquit, *pauperes clamãt, quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod miniter expenditis.*

Probatur VLTIMO rationibus. PRIMA ratio, Debet vnusquisque diligere proximum sicut se ipsum, vt omnes concedunt. At fieri non potest, vt quis verè diligat proximum sicut seipsum, si ne superflua quidem cũ illo egente communicare velit. immò qui eiusmodi est, in vtroque extremo versatur; nam non solùm non diligit proximum, quantum oportet, sed etiam se ipse diligit plus quàm oportet.

SECVNDA ratio, Qui diuitias habent, quamuis re vera Domini sint opum suarum iusti acquisitarum, si comparentur ad alios homines: tamen si conferantur ad Deum, nõ tam Domini, quàm dispensatores dici debẽt, vt perspicuum est ex parabola de villico iniquitatis Luc.16. & ex Patribus supra citatis, & ex ipsa ratione. Nam Deus omnia creauit, & eius prouidentia fiunt homines, aut diuites, aut pauperes. Et Deo sine dubio rationem de diuitiis suis reddituri sunt: igitur secundùm voluntatem Dei diuitias suas erogare debent. Non vult autem Deus, qui Pater est omnium, & qui mundũ creauit in communem omnium vtilitatem, vt alij sint ita diuites, vt abundent superfluis, alij ita pauperes, vt careãt necessariis: Sed vult alios esse diuites, alios pauperes, vt illi per misericordiam, isti per patiẽtiam in regnum cœlorum ingrediantur. Quare cõtra Dei voluntatẽ agunt, & sine dubio peccant, qui superflua retinent. Atque hæc est potissima ratio, quam sancti Patres in suis ad populũ concionibus adferre solent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

At contrà nostrã hanc sententiam obiici potest, quod Apostolus 2. ad Corinth. 8. cùm hortaretur ad eleemosynam, ait: *Non imperans dico, sed consilium do.* Et loquebar de eleemosyna ex superfluo: *In præsenti*, inquit, *vestra abundantia illorum inopiam suppleat.* RESPONDEO, vel Apostolus nomine abundantiæ, nõ intellexit superfluũ, sed id, quod commodè sufficiebat Corinth. Nam & illi abundare dicuntur, qui commodè viuunt. Vel certè si de superfluo loquebatur, non dixit, consilium do, quia non tenerentur Corinthij donare superfluum pauperibus, sed quia non tenebantur donare iis, qui erant in Hierusalem, vt Apostolus cupiebat, sed poterant, quod eis supererat, distribuere in ciues suos Corinthios. Quamuis enim diuites nõ possint sine peccato retinere superflua: non tamen coguntur cuicunque pauperi, petenti eleemosynam, facere, sed possunt vni potius, quàm alteri dare, dummodo bona fide ea dispensent, quibus, quãdo, quomodo prudentia, & charitas docẽt: vt sanctus Thomas monet in Quodlibeto 7. articulo 12. ad 1. & 2.

CAPVT VIII.

Non solum superflua, sed etiam necessaria interdum erogare, vel præceptum, vel consilium est.

DE NECESSARIIS naturæ, vel personæ, an sit eleemosyna facienda, multa disputant Theologi, sed quoniam hæc satis accuratè traduntur à multis, ac præsertim ab iis, qui casus conscientiæ tractant, attingam hoc loco solùm capita rerum.

PRIMVM igitur de necessario naturæ propriæ non videtur eleemosyna fieri debere, nisi fortè publica aliqua persona, ex qua salus Reipublicæ pendet, in extrema necessitate versetur. Id enim exigit ordo charitatis, vt non diligamus proximum magis quam nos ipsos, nisi fortè ex proximi alicuius salute, vt diximus, salus penderet Reipub. vniuersæ.

SECVNDO, de necessario personæ, vel statui, sed superfluo naturæ, eleemosyna fieri debet pauperibus necessitatem naturæ patientibus. Nam & id postulat ordo charitatis, vt pluris faciamus vitã proximi nostri, quàm statum & conditionem nostram.

TERTIO, non semper est necesse donare, sed tunc solùm, cùm egenti neque per mutuum, neque per venditionem, neque alia ratione succurri potest. Nã si quis fortè vno in loco pecuniis egeat, quib. in alio abundet, satis erit ei pecunias mutuo dare: & hoc ipsum genus est eleemosynæ, iuxta illud Psal. 111. *Iucundus homo qui miseretur & cõmodat.* Et Ecclesiastici 29. *Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius.* Vbi per vocem, *Fœnerare*, nihil aliud, nisi mutuare intelligendum est. Itaq; Tobias, qui multis pauperibus plurima largiebatur, Gabelo tamen egenti, sed alioqui locupleti non donauit, sed sub chirographo pecunias mutuo dedit. Sic etiam, si absque mutuo, sola venditione, necessitatis proximorum subueniri possit. id solùm præstare debebimus, quemadmodũ patriarcha Ioseph in summa annonæ charitate iis, qui pecunias habebant, non donauit frumenta, sed vendidit.

QVARTO, dare in eleemosynam tantùm de suis rebus, vt nõ possit quis deinceps viuere secundùm dignitatem proprij status, vitium est, nisi velit is mutare statum, aut occurrat extrema necessitas proximi, aut grauis necessitas Reipub. Debet enim vnusquisque pro conditione sua honestè viuerè, & famæ, atque honori suo cõsulere. Neque vllo modo decet, cessante necessitate (vt diximus) extrema proximorum, aut graui Reipu. vt qui doctoris munere fungitur, neque libros, neque vestes, neque alia conuenientia proprio gradui sibi retineat: & qui militiam profitetur, arma omnia, & equos, ac cætera instrumenta bellica pauperib. tribuat. Si quis tamen statum mutare velit, & seculo valedicens ordinẽ monasticum profiteri incipiat: is poterit, ac debebit iuxta verbũ Domini Matth. 19. vendere omnia, & pauperibus dare.

Quamuis autem hæc doctrina vera sit, & non solùm à sancto Thoma in 2. 2. quæstionis 32. arti. 6. Sed etiam ab aliis Theologis communiter tradi soleat: tamẽ quoniam proni sunt homines ad retinendum magis, quàm ad largiendum, & plerumque amplificant necessitates suas, & extenuant alienas: ideò sententia ista communis restringenda videtur ex parte diuitum, & dilatanda ex parte pauperum.

Itaque tunc solùm vitium cẽseri deberet, nimis multum de rebus suis proximo largiri, quando valdè magnum detrimentum pateretur persona largientis, & nõ occurreret proximi necessitas, nisi communis, & leuis. Cõtrà autem non vitium, sed virtus existimari deberet, liberaliter sua profundere, etiam cum detrimento proprij status, quando vel grauis occurreret necessitas proximi, vel non adeò graue detrimentum persona dantis pateretur. Certè enim exempla Scripturæ, & Patrum id nobis apertissimè persuadent. Nam vidua illa, quæ totũ victum suum misit in donaria Dei, non reprehenditur, sed laudatur à Christo Luc. 21. & Apostolus 2. ad Cor. 8. Macedones laudat, quod non solùm secundum virtutẽ, sed etiam suprà virtutem eleemosynas fecerint.

Neque repugnat huic sententiæ, quod in eodem loco adiungitur: *Non vt aliis sit remissio, vobis autem tribulatio.* Non enim significatur his verbis, non licere aliquid pati, vt succurratur necessitatibus aliorum; sed non debere ita fieri eleemosynam, vt is, qui accipit, fiat ditior, quàm is, qui dat; & incipiat, qui pauper erat, habere superflua, qui diues erat, carere etiam necessariis. Ipse etiam beatus Apostolus non sine aliquo detrimento non solùm personæ, sed etiã naturæ donabat populis id, quod iure exigere potuisset, & labore manuum se, ac suos, vt poterat, sustentabat. Actor. 20. & 1. ad Cor. 9.

Sanctus Martinus cùm pauperi occurrenti dimidium chlamydis dedit, nõ superfluum, sed planè necessarium dedit. Nam, vt Sulpitius in eius vita, capit. 2. scribit, nihil præter chlamydem, qua indutus erat, habebat; iam enim reliqua in opus simile consumpserat. Quàm autem id fuerit Christo gratum, testatur idem Sulpitius in eodem loco.

Sanctus GREGORIVS NAZIANZENVS in oratione de obitu Gregorij patris sui, parentem valdè cõmendat, quod non tantùm superflua, sed etiam quæ necessaria sibi erant, pauperibus largiri solitus esset.

Sanctus AMBROSIVS, cùm non solùm omnia sua, sed etiam Ecclesiæ sacra vasa conflari, ac pauperib. dari iussisset: de hoc facto suo ita scripsit in 2 li. de officijs, ca. 28. *Hoc*, inquit, *maximum incentiuum misericordiæ, vt compatiamur alienis calamitatibus, necessitates aliorum, quantum possimus, iuuemus, & plus interdum quàm possimus. Melius est enim pro misericordia causas præstare, vel inuidiam perpeti, quàm prætendere inclementiam.*

Sanctus Hieronymus in vita Paulæ Romanæ refert, eam cùm esset alioqui ditissima, ita omnia pauperibus erogasse, vt ne quidem nummum filiæ reliquerit.

Sanctus Paulinus Episcopus Nolæ, cum omnia, quæ habebat, in captiuorum redemptione, & egentium necessitatibus consumpsisset; ad extremum se ipse dedit in seruum, vt alium quendam à seruitute liberaret. Neque hoc eius factum reprehensum fuisse legimus, sed egregiè laudatum à sancto Gregorio lib. 3. Dialog. cap. 1.

Sanctus Benedictus, eodem Gregorio teste libro secundo Dialogorum, cap. 28. cùm videret Prouinciam, in qua erat, fame grauiter laborare, omnia, quæ in monasterio reperire potuit, pauperibus erogauit.

Ipse quoq; sanctus Gregorius, cùm aliquando pecunias omnes, & vestes, quas domi habebat, pauperibus dono dedisset, argenteum etiam vas, quod vnum remãserat, pauperi petenti dari iussit, dicẽs, malle se nihil habere, quàm pauperes sine consolatione dimittere. Vide Ioannem Diaconum in vita S. Gregorij, libr. primo capite decimo.

Sanctus Ioannes eleemosynarius, vt in eius vita scribit Leontius, ita liberaliter omnia prorsus, quæ habere posset, pauperibus erogabat, vt sæpè mirarentur tam effusam liberalitatem ipsi etiam qui eleemosynam accipiebant. Quibus ille respondere solitus erat, Frater nõdum pro te sanguinem fudi, sicut mandauit mihi Dominus Deus Christus.

CAPVT IX.

Quando ex malè partis eleemosyna fieri possit.

RESTANT opes malè partæ, de quibus etiam quæri solet, Vtrum ex iis eleemosyna fieri possit, aut debeat. Sed facilis erit responsio, si illud teneamus, TRIA esse genera malè partorum. SÆPE enim ita sunt malè parta, vt iniustitia sit tantùm eius, qui acquisiuit, nõ eius, qui amisit, vt cum ex furto, rapina, vsura, lucrũ accedit. INTERDVM verò iniustitia cõmunis est, tum ei, qui accepit, tũ ei, qui dedit, vt cùm per simoniã, vel iudicij subuersionem, vel patriæ proditionem aliquid acquiritur. DENIQVE aliquando, nec in dante, nec in accipiente iniustitia est. & ideò lucrum eiusmodi non iniustum, sed turpe, ac sordidum appellatur, quale est lenonum, meretricum, & histrionum.

Igitur ex rebus malè partis PRIMO MODO eleemosyna fieri non potest, nisi in extrema pauperum necessitate, quoniam eleemosyna ex proprijs fieri debet. Res autem malè partæ primo illo modo alienæ sunt, ac restitutioni obnoxiæ. Iob. 4. *Ex substantia tua fac eleemosynam.* Prouer. 3. *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis frugum tuarum da pauperib.* Ecclesiastici 34. *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata.* Isaiæ 58. *Frange esurienti panem tuum.* S. AMBROSIVS lib. 1. de officiis, ca. 30. *Non probatur largitas, si quod alteri largitur, alteri quis extorqueat: si iniustè quærat, & iustè dispensandum putet.* S. AVGVSTINVS serm. 35. de verbis Domini: *De iustis laboribus facite eleemosynam.* Et hom. 47. *De iustis laborib. iussit (Deus) dari: de rapinis verò prohibuit dari.* S. GREGOR. lib. 7. epistolarum, epist. 110. *Eleemosyna redemptoris nostri oculis illa placet, quæ nõ de illicitis rebus, & iniquitate congeritur, sed quæ de rebus concessis, & bene acquisitis, impenditur.* Vide eũdem lib. 12. moral. cap. 24. & Theologos in 4. Sentent. dist. 15. & 17. Quod autem contrà obiici solet ex verbis Domini Lucæ 16. *Facite vobis amicos ex mammona iniquitatis*; in vndecimo capite exponetur.

Iam verò ex reb. malè partis SECVNDO MODO, hoc est, cùm lucrum est iniustum, tam ex parte dãtis, quã ex parte accipientis: eleemosyna quidem fieri potest, ac debet, quia lucrum illud ad pauperes pertinet; cùm illud neque possit retinere, qui iniustè accepit, nec mereatur recipere, qui iniustè dedit: tamen ea propriè non tam eleemosyna, quàm restitutio dici debet, vt sanctus GREGORIVS affirmat loco citato in epistola 110. libr. 7. vbi disserẽs de eleemosyna ex lucro Simoniaco: *Neque enim*, inquit, *eleemosyna repudianda est, si pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus accipitur.* Et infrà: *Vnde etiam illud certum est, quia etsi monasteria, ac xenodochia, vel quid aliud de pecunia, quæ pro sacris ordinibus datur, conferatur, mercedi non profuit, &c.*

Est OBSERVANDVM hoc loco, Simoniacum lucrum non semper pauperibus erogandum esse. Sed interdum illi Ecclesiæ conferendum, in cuius iniuriam Simonia commissa est, de qua re vide titulum de Simonia in epist. decretalibus.

POSTREMO, de lucro non tam iniusto, quàm turpi, eleemosyna fieri potest; quamuis Ecclesia iustis de caussis oblationes nõ admittat, Histrionum, Lenonum, Meretricum, & similium personarũ. Id enim facit, TVM ob reuerẽtiam rerum sacrarum; TVM, vt eiusmodi homines confundantur, & resipiscant; TVM, ne videatur eorum facta approbare; TVM, denique ad imitationẽ testamenti veteris, in quo lege sancitum erat, vt non offerretur merces prostibuli in Domo Domini, Deut. 23. Rectissimè tamen facient isti omnes, si fructus dignos pœnitentiæ facere cupientes, peccata sua eleemosynis redimant, & iniquitates suas misericordiis pauperum, Danielis quarto.

CAPVT X.

Diuitias non esse Christianis illicitas.

EXPOSVIMVS hactenus quatuor partes dispositionis de eleemosyna. Nunc, vt QVINTAM, & SEXTAM, id est, quis facere debeat eleemosynam, & cui faciẽda sit, explicemus: necessarium esse duximus, paucis demonstrare, licitum esse Christianis possidere diuitias. Nam cùm diuitis sit eleemosynas facere, pauperis recipere: si nulli possint esse in Ecclesia diuites, sed omnia sint cõmunia omnib. nulli quoque pauperes esse poterunt. Ita fundamentum eleemosynæ dandæ, & accipiendæ nullum erit.

Igitur nemo, quod sciam, in quæstionem vocauit vnquam, an iure naturæ, & gentium licitum esset, habere proprias opes. Tametsi enim Plato in Timæo, & in lib. 5. de Repub. conatus est introducere communionem omnium rerum, etiam vxorũ: tamen non docuit, illicitã esse proprietatem, sed communionem vtiliorem esse iudicauit. Quem egregiè refutauit ex Ethnicis Aristoteles libr. 2. Polit. ex Christianis Tertul. in Apologet. ca. 39.

Cæterùm, non defuerunt, qui lege Euangelica diuitias, ac rerum proprietatem Christianis interdictas esse contenderent. Ita enim sensit quondam Iulianus Apostata, teste sancto Gregorio Nazianzeno oratione prima in Iulianum. Ita etiam hæretici, qui Apostoli nominari volebant, teste Epiphanio hæresi 61. & Augustino hæresi 40. Ita quoque Manichæi, teste Augustino libro primo de moribus Ecclesiæ Catholicæ, capite vltim. Ita denique Pelagiani, teste Augustino in epist octogesima nona ad Hilarium. & 106. ad Paulinum. Et quamuis nõ desint argumenta huic errori, verus tamen atque exploratus est error.

PRIMVM enim Dominus Mat. 19. petenti diuiti adolescẽti, quid opus facto esset ad consequendã vitã æternã, non ait, abiice omnes diuitias, sed, *Si vis ad vitã ingredi, serua mandata.* Deinde consiliũ perfectionis, non præceptum necessitatis exposuit, dicens: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus, &c.*

SECVNDO, beatus Petrus Actor. 5. cùm Ananiæ dixit: *Nõne manens tibi manebat, & venundatus in tua erat potestate?* Satis aperte significauit, liberum fuisse Ananiæ, quamuis Christiano agrum suum non vendere, & precium agri iam venundati, non offerre Apostolis, neque in commune conferre. Ex quo intelligimus id, quod narratur Act. 4. de primis Christianis, qui in Hierusalẽ habitabãt, quod nemo suũ aliquid diceret, sed omnia essent illis communia; non præcepti, sed consilij fuisse.

TERTIO, B. Paulus in priore ad Timoth. cap. 6. de diuitibus ita loquitur: *Diuitibus huius seculi præcipe non superbè sapere, facile tribuere, &c.* At certè non decipiebat Apostolus diuites, & tamen non eis dicebat, renunciate diuitiis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVARTO, Scriptura passim prohibet furta, imperat reddi debita, iubet solui tributa, commendat eleemosynas, & laudat mutuãtes: quæ certè omnia manifestè clamant, à Spiritu sancto non improbari proprietatem, & rerum possessionem.

QVINTO, Semper in Ecclesia fuit vsus collectarum, hoc est, vt Dominicis diebus in conuentu Ecclesiæ à diuitibus colligeretur, quod pauperibus erogaretur, idque pro arbitrio, & voluntate diuitum, vt notum est ex Apostolo 1. ad Corinth. 16. & 2. ad Corinth. 8. & 9. ex Iustino in Apologia ad Antoninum extremâ, & ex apologetico Tertulliani cap. 39. Quod autem in eo loco idem Tertullianus dicit, omnia indiscreta esse apud Christianos, præter vxores: nihil aliud significat, nisi omnia facile, & libenter communicari cum cæteris, præter vxores.

SEXTO Patres communi consensu docent, consiliũ esse non præceptum abdicare à se proprietatem, & dominum rerum suarum. Vide. Præter cæteros, Eusebium in primo libro Demonstrat. Euangelicæ cap. 8. Chrysostomum hom. 8. de pœnitentia, Ambrosium in libro de viduis vltra medium, Hieronymum in epistol. ad Hedibiam, qu. 1. Augustinum in epistola 89. q. 4. & Bedam in commentario capitis 14. Lucæ.

POSTREMO, accedat ratio ducta ab vtilitate, vel potius necessitate diuisionis rerum, ex qua proprietas orta est. Siquidem fieri non potest posita corruptione generis humani, vt pacificè, ordinatè, ac diligenter res administrentur, nisi vnusquisque rerum suarum curam suscipiat. Nã si omnia essent communia, multi vellent reb. melioribus vti, atque inde rixæ, contentiones, & prælia orirentur, quæ causa fuit, cur Abraham separari coactus fuerit à nepote suo Loth, Genes. 13. ITEM si essent omnia cõmunia, qui essent robustiores cæteris, illi sine dubio præualerent, minus laborarent, & plura consumerent. DENIQVE si essent omnia communia, vix inueniretur, qui diligentiam adhiberet in agris colendis, & rebus cæteris procurandis. Quod si non solum facultates, sed etiam vxores essent cõmunes, periret virtus pudicitiæ coniugalis; incæstus plurimi inter fratres & sorores, parentes ac filias sequerentur; liberi denique rectè instituí nullo modo possent, cũ nec parentes agnoscerent proprias proles, nec proles agnoscerent suos parentes; ac per hoc nulla esset prouidentia parentum erga filios, nulla obedientia filiorum erga parentes. Quis autem credat, legem euãgelicam, quæ perfectissima est, & naturam non destruit, sed exornat, de medio tollere voluisse vtilitatem, quæ nascitur ex diuisione rerum, & incõmoda, atque absurda illa adducere, quæ ex communione, & confusione nascuntur?

CAPVT XI.

Soluuntur obiectiones.

ADVERSVS doctrinam capitis superioris multa fieri possunt argumenta, quæ breuiter soluenda sunt.

PRIMVM Argumentum, Matt. 19. Dominus ait, facilius esse camelum transire per foramen acus, quam diuitem intrare in regnum cœlorum.

RESPONDEO, Difficile, vel etiam impossibile esse diuitem intrare in regnum cœlorũ, nisi magna Dei gratia adiuuetur. Nam vt plurimum diuites superbi sunt, voluptarij, auari, crudeles, & nimium in ipsis diuitiis cõfidentes. Quocirca Marci 10. dicitur: *Vt vidit quam difficile est confidentes in pecunijs in regnum Dei introire. Facilius est camelum per foramen acus transire, &c.* Sed quoniam per gratiam Dei fieri potest, vt dives affectum inordinatum A erga diuitias exuat, & iis benè & sapienter vtatur: ideo subiungit Dominus: *Apud homines hoc impossibile est, sed non apud Deum.*

SECVNDVM argumentum, Marci 10. Adolescenti, qui omnia mãdata seruauerat dicitur à Domino: *Adhuc vnũ tibi deest, vade, & quæcunque habes da pauperibus.*

RESPONDEO, Adhuc vnum illi deerat, non ad vitã æternam parandam, sed ad perfectionem adipiscẽdam. Id quod ex Euangelio Matthæi, qui pluribus verbis rem eandẽ descripsit intelligi potest. Sic enim legimus Matt. 19. *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.* Et paulò post: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, &c.*

TERTIVM argumentum, Lucæ 14. *Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*

RESPONDEO, Præceptum hoc Dominicũ in præparatione animi seruandam est semper, re autem ipsa, cum articulus necessitatis aduenerit, vt aut Christo, aut opibus renunciandum sit. Sic enim docent S. Augustinus, in epist. 5. ad Marcellinum, & Beda in hunc locum, & colligitur hæc explicatio ex eodem loco Euangelij, vbi dominus dicit: *Qui non odit patrem & matrem & filios, & vxorem, &c.* Et tamen constat, parentes, & filios, & coniuges, nec auersandos, nec deserendos esse, nisi quãdo causa fidei & honoris Dei tale aliquid postulat. B

QVARTVM argumentum, Luc. 16. *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, &c.* Quem locũ ita explicant Chrysostomus homil. 12. in priorem ad Timotheum, & Hieronymus in epistola ad Hedibiam, quæstio. 1. vt dicant, diuitias appellari Mammonam iniquitatis, quia primi qui fecerunt sibi propria, quæ erant communia, iniquitatem cõmiserint. *Necesse est* (inquit CHRYSOSTOMVS) *opum initium, ac radicem ex aliqua iniquitate manasse. Vnde id constat? Ex eo scilicet, quod Deus ab initio non fecit alium diuitem, alium pauperem, sed eandem omnibus humum aperuit. Quo pacto igitur cum illa communis sit, tu illius permulta sugera possides, proximus vero nec vnius glebæ possessione lætatur? Pater (inquies) mihi ista reliquit. Ille autem à quo suscepit? A maioribus scilicet. Sed necesse profectò est per successionis lineam ascendendo inuenire principium. Id autem iniustitia vacare non potuit.* Sanctus HIERONYMVS, in epist. ad Hedibiam, quæst. 1. dicit, verum esse prouerbiũ: *Omnẽ diuitem, aut esse iniquum, aut iniqua hæredem.* Et in epistola ad Algasiam, quæstione sexta dicit: *Mammonam vocabulum esse Syriacum, & eo significari diuitias quod ex iniquitate collectæ sint.* C

RESPONDEO, Cur diuitiæ ab iniquitate nomen acceperint, & iniquæ à Domino appellantur, non ea causa est quod semper iniustè possideantur, sed VEL quia valde inæqualiter possidentur, cum alij ditissimi, alij pauperrimi sint. VEL quia materiam præbent multarum iniquitatum, immò incitamenta sunt ad omnes iniquitates, vt sanctus Ambrosius exponit in commentario, capit. 16. Lucæ. VEL quia iniustè sibi nomen diuitiarum vsurpant, cum verè diuitiæ non sint, vt sanctus Augustinus docet, serm. 35. de verbis Domini. Et libro 2. quæstionum Euangelij, capite 34. quæ expositio confirmatur ex verbis sequentibus. *Si in iniqua Mammona fideles non fuistis, quod verum est quis credet vobis?* Vbi verũ opponitur iniquo, quia diuitiæ corporales falsò vocantur diuitiæ, & ideo iniustè nomen diuitiarum gerũt, quod propriè solis diuitiis spiritualibus conuenit. VEL denique quia re vera vix fieri potest, vt aliquis sine iniquitate ditescat, vt Chrysostomus, & Hieronymus docent: *Qui enim volunt diuites fieri, incidunt in tentationes, & laqueum diaboli, & desideria multa noxia & inutilia, quæ mergunt hominem in interitum & in perditionem.* Vt ait Apostolus in priore ad Timoth. cap. 6. D

Nec tamen significant Chrysostomus, & Hieronymus terræ possessionem diuidere, & proprietatẽ inducere, iniquum fuisse, sed in modo diuisionis indicãt esse pecca

peccatum, quod aliqui multò plus terræ occupauerint A est, quam artem aliquam mechanicam exercere: tamen quàm æquum esset, & eo modo alios excluserint. Quo tendit similitudo theatri, qua vtitur sanctus Basilius, oratione in illud. *Destruam horrea mea.* Non enim peccatum est occupare in theatro locum vnum, eumque satis commodum: sed occupare plus loci, quàm sibi necesse sit; ex quo sequitur, vt alius excludatur. Porrò, S. Ioannes Chrysostomus in eadem homilia 12. in priorem, ad Timotheum fatetur, multos esse, qui iustè diuitias possideant, & ponit exempla Patriarcharum, qui ditissimi simul, & iustissimi erant.

QVINTVM argumentum, sanctus Clemens Papa primus, in epist. 5. disertis verbis communionem omniũ rerum necessariam esse docet: *Communis* (inquit) *vita omnibus necessaria est, & maximè his qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt.* Et infrà: *Communis vsus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit, sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, alius istud, & sic inter mortales facta diuisio est.* B

RESPONDEO, Possent verba citata in bonam partem accipi, vt minimum intelligamus vitam communem esse necessariam non simpliciter ad salutem, sed ad melius, & facilius Domino seruiendum. Et per iniquitatẽ factam esse diuisionem rerum, id est, occasione peccati originalis, & communis depranationis generis humani.

Cæterùm non est opus in hac re multum laborare; constat enim eam epistolam aut non esse Clementis, aut ab aliquo valde corruptam, ac depranatam. PRIMVM, enim initio epistolæ fingitur Clemens Romanus episcopus scribere fratribus habitantibus in Hierusalem cũ Iacobo. At Iacobus obiit septem annis ante Petrum, & Clemens non fuit Rom. Episcopus nisi post Petrum, vt colligitur ex libro sancti Hieronymi de viris illustribus, & ex omnibus historicis, qui res Ecclesiæ conscripserũt. DEINDE, laudat fictitius iste Clemens communionẽ vxorum, quod Nicolai potius Hereſiarchæ, quam sancti Clementis dogma fuisse extra controuersiam est. DENIQVE, totus hic locus de communione rerum & vxorum translatus est in hanc epistolam ex libro 10. Recognitionum, vbi ista secundùm philosophiam Platonis dicuntur à Faustiniano ethnico, & ab ipso sancto Clemente refelluntur. Quis igitur credat ea ipsa nunc à sancto Clemente tradi Christianis, quæ ipse idem alibi ab ethnico disputata refutauit? C

SEXTVM argumentum, Sanctus Athanasius in vita beati Antonij, & sanctus Basilius in oratione ad diuites præceptum Dominicum vocant illa verba: *Vade vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Et rursus idem Basilius ibidem, & Ambrosius serm. 81. & alij Patres non rarò docent, diuites non esse Dominos, sed dispensatores rerum suarum.

RESPONDEO, Athanasius, & Basilius rectè vocant præceptum Dominicum illa verba: *Vade vende omnia, &c.* Sed intelligunt præceptum esse cõditionatum, non absolutum, id est, non omnibus datum, sed iis tantum qui cupiunt esse perfecti. Porrò, qui dicunt diuites non esse dominos, sed dispensatores, nihil aliud sibi volunt, nisi redituros esse diuites rationem Deo, à quo diuitias acceperunt, vt non ipsi solum inde viuerent, sed etiam alios sustentarent. D

SEPTIMVM argumentum, Communio rerum in vsu fuit apud Apostolos, Act. 4. & sancti Patres miris eam laudibus efferunt, & præsertim Chrysostomus homil. 12. in priorem ad Timotheum, & Augustinus in li. 1. de moribus Ecclesiæ, cap. 31. & sequentibus. Non igitur necessaria est rerum diuisio, vt nos capite superiore diximus.

RESPONDEO, Sæpe accidit, vt vnum ex se præstet aliis, & tamen ratione alicuius circumstantiæ eligi non debeat. Exempli causa, dare operam litteris per se melius

CAPVT XII.

Quis eleemosynam facere, & cui eleemosyna fieri debeat.

EX fundamento posito in capite decimo non difficile erit colligere quis eleemosynam facere, & cui eleemosyna fieri debeat. Siquidem cùm eleemosynam facere, diuitum: accipere, pauperum sit: id sequitur, vt illi soli possint, & debeant eleemosynam facere, qui verè diuites sunt, id est, qui proprietatem, & dominium diuitiarũ habent. Qui verò proprietatem & dominium non habent, vt vxores, quæ sunt in potestate virorum, filij, qui sunt in potestate parentum, serui, qui sunt in potestate dominorum, & regulares, qui sunt sub potestate Præpositorum, non debent, nec possunt eleemosynas facere, nisi vel in extrema pauperum necessitate, vel ex consensu tacito, vel expresso superiorum, vel in certis aliis casibus, de quibus disserunt, qui casus conscientiæ tradunt. D

Quòd verò attinet ad eos, quibus eleemosyna fieri debet, vna solùm occurrit dubitatio, Vtrum videlicet peccatori sit eleemosyna facienda, cùm scriptum sit Ecclesiastici duodecimo: *Da bono, & ne receperis peccatorem, prohibe panes tuos illi dare, &c.* SED facilis est RESPONSIO nam peccatoribus, ea ratione, qua peccatores sunt, non est eleemosyna faciendа; iisdem tamen, quia homines

Universidad de Deusto
Biblioteca

miseri sunt, facienda est; semper tamen cæteris paribus, anteponendi sunt boni malis; quando vtrisque succurri non potest. Et quidem non esse peccatoribus, quà peccatores sunt, eleemosynam faciendam, probat sanctus Augustinus in Psalm.102. quia hoc nihil aliud esset nisi diligere iniquitatem: & sicut qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet, id est, vitam æternam: Sic etiam qui recipit peccatorem in nomine peccatoris, mercedem peccatoris accipiet, id est, mortē sempiternam. Nam stipendium peccati mors est.

Peccatoribus verò, non vt peccatores, sed vt homines sunt, non esse eleemosynam denegandam, probant illa verba Salomonis Prouerb. 25. *Si esurierit inimicus, ciba illum.* Et illa Domini Matthæi quinto: *Benefacite his, qui vos oderunt.* Et Lucæ 6. *Omni petenti tribue.* Et illa beati Pauli ad Galat. 6. *Operemur bonum ad omnes.* Idem sancti Patres. Gregorius Nazianzenus in oratione de obitu patris sui; Chrysostomus homil. 21. in epist. ad Romanos; B Hieronymus in lib. aduersus Vigilantium extremo; Augustinus in Psalm. 102. Et Gregorius in 3. parte pastoralis admonitione 21.

Anteponendos autem esse iustos iniustis, facile probari potest, TVM quia iusti sunt digniores, qui iuuentur, TVM etiam, quia id vtilius est iis, qui eleemosynā faciunt, vt copiosè docet sanctus Hieronymus in libro aduersus Vigilantium. Monent tamen, Gregorius Nazianzenus, loco notato, & Chrysostomus in oratione, quæ inscribitur, ne curiosè pauperes scrutemur, non oportere nimis accuratè pauperes interrogare, sed simpliciter propter Christum esse illis eleemosynā faciēdā.

Sed occurrunt obiectiones aliquæ breuiter dissoluendæ. PRIMA est, quam initio posuimus ex cap. 12. Ecclesiastici: *Da iusto, & ne receperis peccatorem, prohibe panes illi dare.* RESPONDEO, Videtur eo loco Ecclesiasticus non loqui de eleemosyna, quæ datur pauperi, sed de beneficio, quod in amicum confertur, etiamsi fortè non egeat. Sic enim ait: *Si bene feceris, scito cui feceris, dabono, C & ne receperis peccatorem, benefac humili, & ne dederis impio. Prohibe panes illi dare, ne in ipsis potentior te sit.* Itaque prohibet Ecclesiasticus, ne benefaciamus impiis, quando non egent, quomodo multi benefaciunt histrionibus, & meretricibus. Potest etiam vnico verbo responderi, prohiberi eleemosynam, quæ datur peccatori, vt peccator est.

SECVNDA obiectio, Luc. 16. Dominus ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* At peccatores non habent æterna tabernacula nisi fortè in gehenna. Respondeo, Fortasse nomine amicorum, intelligi debent Angeli sancti, vt sanctus Ambrosius in hunc locum scribens, monet, eos enim amicos nobis facimus, cùm eleemosynas pauperibus quibuscunque, propter Deum facimus. Aut si nomine amicorum intelligantur ipsi pauperes, vt sanctus Hieronymus in libro aduersus Vigilantium, & sanctus Augustinus sermone 35. de verbis Domini, docent; RESPONDENDVM erit, moneri nos à Domino, vt potissimùm eleemosynas faciamus sanctis pauperibus, atq; iis præcipuè, qui volùtariè sunt pauperes, id est, qui relictis omnibus sequuti sunt Christum. Ipsorum enim est regnum cœlorum Matth. 5. & ipsi habent thesaurum in cœlo, & cum Christo iudices futuri sunt in nouissimo die; Matth. 19.

Sed non ideo prohibemur peccatoribus quoque eleemosynā dare, quamuis moneamur solliciti esse, vt iustis, & sanctis pauperibus præcipuè benefaciamus. Nam vt ait Apostolus ad Galat. 6. operari debemus bonum ad omnes, sed maximè ad domesticos fidei. Et quamuis pauperes peccatores non habeant in cœlo æterna tabernacula, neque nos possint apud Deum sua intercessione iuuare; tamen eleemosyna ipsa propter Deum facta, A non poterit esse inanis, dicente Ecclesiastico capite 29. *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc* (videlicet eleemosyna) *pro te exorabit ab omni malo.*

TERTIA obiectio, Dominus Matth. 25. dicit: *Quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* At peccatores non possunt rectè fratres CHRISTI nominari. RESPONDEO, Eadem est solutio. Dominus enim laudat eos, qui piis pauperibus bona sua distribuunt, sed nō reprehendit alios, qui non solùm piis, sed etiam peccatoribus benefaciūt, modò propter ipsum faciant, præsertim cùm Matth. 5. iusserit nos imitari Patrem nostrum cœlestem, qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.

QVARTA obiectio, Sæpè accidit, vt pauperes propter peccata sua inopiam patiantur; nō igitur debemus eis opem ferre, ne cum Deo pugnare velle videamur.

RESPONDEO, Hoc argumentum proponit, & soluit S. Gregorius Nazianzen. in orat. de cura pauperum habenda. Summa responsionis hæc est, PRIMO, non facilè cognosci posse, vtrum aliquis prematur inopia propter peccata sua, an propter aliam causam, cū sciamus, diuitias, & paupertatem bonis & malis posse esse communes.

SECVNDO, etiamsi certò sciremus, aliquem hominem, iusto Dei iudicio, propter sua peccata, ad extremā inopiam esse redactum: tamen non propterea non esse illi eleemosynam faciendam. Hæc enim est pœna satis magna, si quis cogatur ex mendicatione viuere, quamuis mendicando inueniat vnde viuat.

TERTIO, si constaret, velle Deum, vt aliquis fame moriatur, non tamen debere illum à nobis deseri, nisi speciali mandato id ipsum Deus imperaret, cùm contrà generale mandatum acceperimus, operandi bonum ad omnes. Sæpè enim vult Deus aliquem per inediam interficere, & non vult tamen vti nostrā inhumanitate ad eum interimendū. Quare si quis indigētibus ea de causa non succurreret, quod existimaret, velle Deum, vt in pœnam peccatorum fame enecarentur, is officium sibi tortoris assumeret, iudice non solùm id non iubente, sed etiam prohibente.

CAPVT XIII.

Quomodo sit eleemosyna facienda.

QVinque potissimū conditiones bonæ eleemosynæ ex Scripturis, & Patribus colliguntur. PRIMA, vt fiat intentione placendi Deo, non autem ad captandā auram popularem. Matth. 6 *Cum facis eleemosynā, noli tubā canere, &c.* Et: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Quo loco per dexteram intelligit sanctus AVGVSTINVS tractatu sexto in epistolam Ioannis, intentionem operandi propter vitam æternam: & intentionem operandi propter honorem temporalem, intelligit per sinistram: vt sententia Domini hæc sit, cùm facis eleemosynam, caue ne intētio fauoris humani se admisceat intentioni vitæ æternæ.

SECVNDA, vt eleemosyna fiat promptè, & non extorqueatur precibus, nec differatur de die in diem. Prouerbiorum tertio: *Ne dicas amico tuo, vade, & reuertere, cras enim dabo tibi, cum statim possis dare.* Sic Abraham Genesis decimo octauo hospites rogat, vt ad se diuertāt, non expectat, vt ab eis rogetur, quod idem facit Loth Genes. 19. Tobias quoque, vt in eius historia capite primo legitur, per singulos dies discurrebat pauperes quærens, quibus eleemosynam faceret. Denique hoc faciendum monet sanctus Gregorius homilia 23. in Euangelia, explicans illud. *Et cœgerunt eum.*

TERTIA,

TERTIA, vt fiat hilariter; Ecclesiastici 35. *In omni* A *dato hilarem fac vultum tuum.* 2. ad Corinth. 9. *Non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* Vide sanctum Ambrosium libr. 1. de officiis, cap. 30.

QVARTA, vt fiat humiliter, & existimet, qui dat eleemosynam, non tam se dare, quàm accipere beneficiū. De qua re pulchrè scribit sanctus GREGORIVS li. 21. moral ca. 14. *Mulium*, inquit, *ad edomandam datis superbiam valet, si cum terrena tribuit, verba solicite Magistri cœlestis penset, qui ait, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Si enim eorum amicitiis æterna tabernacula acquirimus, dantes procul dubio pensare debemus, quia patronis potius munera offerimus, quam egenis dona largimur.*

QVINTA, vt abundanter fiat pro modo facultatum. Tobiæ. 4. *Quomodo potueris, ita esto misericors: si multum tibi fuerit abundanter tribue: Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Apostolus 2. ad Corinth. 8. dicit, eleemosynam dandam esse vt benedictionem, non vt auaritiam. Quoniam *qui parcè seminat, parcè & metet.* B Sanctus IOANNES CHRYSOSTOMVS hom. 37. ad populum Antiochænum: *Non dare*, inquit, *sed cum copia dare, eleemosyna est.* Et ibidem addit, eos qui audiri volunt, cùm dicunt Deo: *Miserere mei Deus secūdum magnam misericordiam tuam*: Debere etiam misereri pauperum *secundum magnam eleemosynam suam.*

Hìc tamen illud est Obseruandum, eleemosynæ largitatem magis in eo constitui debere, vt multis aliquid, quàm vt paucis multum detur. Id enim significat Scriptura, cum dicit Psal. 111. *Dispersit dedit pauperibus.* Et Isaiæ 58. *Frange esurienti panem tuum.* Frangere enim, distribuere significat. Et 1. ad Corinth. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, &c.* Tobias (vt dicitur cap. 1.) *quotidie pergebat per omnem cognationem suam, diuidebatque singulis, pro vt poterat ex facultatibus suis.* S. AMBROSIVS libro primo de officiis, cap. 30. *Nō sunt*, inquit, *profundendæ opes, sed dispensandæ.* S. HIERONYMVS in vita Paulæ Romanæ. *Solent*, inquit, *pleræque matronarum in paucos largitate profusa, manum a cæteris retrahere, quo Paula omnino carebat vitio. Ita enim singulis suam pecuniam diuidebat, vt singulis necessarium erat, non ad luxuriam, sed ad necessitatem.*

Accedit etiam ad hoc probandum manifesta ratio; sic enim pluribus subuenitur: plures orāt pro eo, qui eleemosynam facit: & ipse facilius inanem gloriam vitat.

Cæterùm per ea, quæ diximus, non excluditur, quin aliquando contra etiam fieri possit, vt si virgo matrimonio collocanda sit, vel captiuus redimendus, vel sacræ ædes, aut cœmeterium extruendum. Nulla enim est in hac re certior regula, quàm pia charitas cùm vera prudentia, & vera prudentia cum pia charitate coniuncta. Vide sanctum Gregorium tertia parte pastoralis admonition. 21. qui quod ipse egregiè præstabat opere, vt eleemosynas non minori largitate, quàm prudenti charitate profunderet: idem etiam vt alij facerent, literis ad posteritatem scriptis non minus piè, quàm sapienter admonuit.

LAVS DEO.

FINIS VLTIMÆ CONTROVERSIÆ PRINCIPALIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca



INDEX

LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRAE QVAE IN HOC TERTIO TOMO CONTROVERSIARVM EXPLICANTVR.

EX VETERI TESTAMENTO.

Genesis.

Cap. Colum.

1. *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram.* 228.b
1. *Producat terra animam viuentem in genere suo iumenta,& reptilia,& bestias.* ibidem
1. *Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.* 3.d.227.b.c
1. *Masculum & fœminam creauit eos, & dixit, crescite & multiplicamini.* 3.b.181.b
1. *Dominamini piscibus maris & volatilibus cœli.* 30.a
1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* 114.a.160.a.161.b
1. *Quomodo Deus omnia finiuerit sex diebus.* 227.c.d
1. *Quo die creatus sit homo.* 227.a.b
2. *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* 7.c.224.b.228.e
2. *Plantauerat autem Dominus Deus paradysum voluptatis à principio, & in eo posuit hominem quem formauerat.* 32.b.34.c.e
2. *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradysum, qui inde diuiditur in quatuor capita,nomen vni Phison,&c.* 32.c.37.d.30.d
2. *Flumina paradysi.* 33.b.35.c.d
2. *De omni ligno comede.* 30.b.46.d
2. *Quacunq; die comederis morte morieris.* 28.d.68.a.164.c. 173.a.177.c.183.a.b.195.d.109.a
2. *Dixit Deus non est bonum hominem esse solum:faciamus ei adiutorium simile sibi.* 181.c
2. *Hoc nunc os ex ossibus meis,& caro de carne mea, propter hoc relinquet homo patrem,&c.* 164.d
2. *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ,& erunt duo in carne vna.* 164.10.182.c.d
2. *Erant autem ambo nudi & non erubescebant.* 5.a
3. *Cur præcepit vobis Deus,&c.* 171.a
3. *Nequaquam moriemini, scit enim Deus quia quacunq; die comederitis,aperientur oculi vestri,&c.* 177.a
3. *Eritis sicut Dij.* 160.c.167.c.168.d.270.b.c.& seq.
3. *Vidit lignum quod esset pulchrum visu & ad vescendum suaue.* 178.a
3. *Sumpsit de fructu & manducauit.* 178.a
3. *Attulit viro qui & ipse comedit.* 178.a.b
3. *Quomodo Adam & Eua absconderunt se in paradysso.* 32. c.d
3. *Comedisti de ligno de quo præceperam ne comederes.* 178.a
3. *Mulier quam dedisti mihi sociam,dedit mihi.* 178.a.c
3. *dicitur Euæ, quare hoc fecisti, serpenti, quia hoc fecisti.* 203.c
3. *Serpens decepit me.* 173.a.178.b.c.179.a
3. *Quia fecisti hoc,maledictus es inter omnia animantia,& bestias terræ super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* 163.b.183.b.& seq.
3. *Mulieri quoq; dixit, multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, & sub viri potestate eris,& ipse dominabitur tui.* 181.a.182.a
3. *Quia audisti vocem vxoris tuæ,&c.* 179.a
3. *Maledicta terra in opere tuo,in labore comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ: in sudore vultus tui vescēris pane tuo.* 82.d.695.a
3. *Puluis es & in puluerem reuerteris.* 16.a.29.a.31.c.166.c.d.174.a.179.a.b
3. *Ecce Adam factus est vnus ex nobis factus est.* 185.173.a.179.a.b
3. *Ne fortè sumat de ligno vitæ.* 44.d.45.c.d.46.d
3. *Et viuat in æternum.* 45.c.d
4. *Adam non cognouit Euam nisi post eiectionem ex paradyso.* 164.c
4. *Respexit Deus ad Abel.& ad munera eius.* 971.c.d
4. *Quare iratus es,& quare concidit facies tua,nonne si bene egeris recipies? sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit? Sed sub te erit appetitus eius,& tu dominaberis illius.* 642.b.& sequentib.
4. *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* 606.c.624.a.b.642.c.& seq.652.c
4. *Egressusq; Cain à facie Domini, habitauit profugus in terra ad Orientalem plagam Eden.* 39.d
6. *Figmentum cordis esse malum.* 261.d.162.b.298.b.c.593.d. 617.c
6. *Noë vir iustus,atq; perfectus fuit.* 65.d
6. *Omnis caro corruperat viam suam.* 262.b.943.d. 617.c.938.a
7. *Aquæ diluuij cooperuerunt omnes montes.* 40.d.41.c.d
7. *Mortui sunt vniuersi homines, remansitq; solus Noë, & qui cum eo erant in Arca.* 41.cd
8. *Figmentum cordis humani malum est ab adolescentia sua.* 261.d.262.a
9. *Terror vester ac tremor sit super omnia animantia terræ, & supra*

Universidad de Deusto
Biblioteca

& super omnes volucres cœli, & cuncta quæ mouentur in terra. 363.d
15. Credidit Abraham Deo & reputatum est ei ad iustitiam 781.c.& 933.
17. Ambula coram me & esto perfectus. 65.d
17. Patrem multarum gentium posui te. 212.a
17. Ero Deus tuus,& seminis tui. 239.d
17. Masculus, cuius caro præputij circumcisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo, quia testamentum meum dissipauit. 327.d
21. Cur Abraham non celebrauerit filij sui diem natalem, sed diem ablactationis. 210.a.b
22. Tentauit Deus Abraham ad probandum eum. 114.b
22. Nunc cognoui quod timeas Dominum. 866.b
22. In semine tuo benedicentur omnes gentes. 212.a
40. Pharao celebrat conuiuium in die natalitiorum suorum. 210.a
43. Det vobis Deus inuenire misericordiam coram viro. 572.a. 574.a
45. Nolite pauere,neque durum vobis videatur,quod me vendidistis in his regionibus. Pro salute enim vestra misit me Dominus ante vos. 122.a
45. Non vestro consilio sed Dei voluntate, huc missus sum. 121.c.122.b
46. Omnes animæ quæ egressæ sunt de fœmore Iacob, fuére sexaginta sex. 231.c
50. Nolite timere, num Dei possumus resistere voluntati? 121.c.122.b
50. Vos cogitastis de me malum,sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me,& saluos faceret multos populos. 122.a

Exodus.

1. Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit illis domos. 608.b
7. Indurauit Dominus cor Pharaonis. 132.b.134.c.136
8. Quare puniantur indurati & exacerbati. 134.c
8. Videns Pharao quod data esset requies,ingrauauit cor suũ, & non audiuit eos sicut præceperat Dominus. 136.a
9. Idcirco autem posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam,& narretur nomen meum in omni terra. 123.a. 126.
9. Videns Pharao quod cessasset pluuia & grãdo,& tonitrua, auxit peccatum & ingrauatum est cor eius,& seruorum illius,& induratum est nimis. 136.a
12. Dominus dedit gratiam populo coram Egyptiis,&c. 574.a
14. Vigilia matutina quid? 1030.b
20. Non mœchaberis,non occides,non furaberis. 57.d.86.c. 245.b
20. Honora parentes. 58.a
20. Non mœchaberis,& non concupisces vxorem proximi tui, sunt duo mandata. 77.d
20. Ego sum Dominus Deus tuus fortis,Zelotes,visitans peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem. 209.b.253.b.254.d
20. Non concupisces. 293.b.& 294
23. Munera excæcant oculos sapientum. 135.b.c
32. Dimitte me vt irascatur furor meus. 1026..d

Leuiticus.

5. Anima quæ tetigerit aliquid immundum,&c. 232.c
5. Si peccauerit anima & audierit vocem iurantis. ibid.
7. Alia sacrificia constituuntur pro peccatis,alia pro delictis.

Numeri.

13. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere Gigantæo,quibus comparati quasi locustæ videbamur. 186.b
22. Quomodo Balaam Asinæ locuta sit. 163.10
30. In arbitrio viri erit,vt faciat,vel non faciat. 564.d

Deuteronomium.

1. Filij tui,qui hodie ignorant distantiam boni & mali. 272.b
2. Indurauerat Dominus spiritum Sehon. 132.b
9. Peccatum vestrum quod feceratis, id est vitulum, igne Combusi, & in frusta comminuens, in puluerem redegi. 291.d
18. Tu autem perfectus eris coram Domino Deo tuo. 65.b.d
27. Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis huius. 83.c.84.b.c.d
30. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie non supra te est,neque procul positum. 601.c.639.b.c.d.640.c.d
30. Considera,quod hodie posuerim in conspectu tuo vitam & bonum,& è contrario mortem & malum:& infrà:testes inuoco cœlum & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem,benedictionem & maledictionem; Elige ergo vitam vt & tu viuas,& semen tuum. 645.a.b
30. Circumcidet Dominus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua. 917.b
32. Dei perfecta sunt opera. 19.a
32. Deus fidelis & absque vlla iniquitate. 113.b

Iosue.

10. Stetit Sol in medio cœli,obediente Deo voci hominis. 1019.c
11. Domini sententia fuerat, vt induraretur. 1321.c
14. Hebron ante vocabatur Cariath Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim situs est. 185.b.c & seq.
24. Optio vobis datur, cui seruire potissimum debeatis. 625.e

Liber Iudicum.

7. Vigiliæ noctis mediæ quid significant. 1030.c

Liber primus Regum.

2A Dominus mortificat & viuificat. 131.d
2V Non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos. 132.e
10. Certè videtis quem elegit Dominus, quoniam non est illi similis in omni populo. 131.d
10. Abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda. 572.b.574.e
11 Irruit super eum Spiritus Domini. 572.a.574.b
12. Peccauit populus in petendo Rege, & ideo occasio eligendi Saulem non fuit à Deo. 131.d
23. Sciebat Deus futurum vt Dauid proderetur, si maneret in Ceilam, & tamen, quia non mansit, non fuit proditus. 148.e
28. Quomodo dicitur Samuel apparuisse Sauli. 231.c

Liber secundus Regum.

12. Dauid correptus à Nathan propheta. 69.c
12. Hæc dicit Dominus, ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis Solis huius. Tu enim fecisti absconditè ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu Solis huius. 137.c
16. Dominus præcepit Semei vt malediceret Dauid. 127.d. 128.c.130.d
17. Quomodo Absolon Dei prouidentiâ deceptus. 73.C 136.c
24. Addidit iratus furor domini contra Israël, commouitq; Dauid in eis dicentem vade,numera Israël 137.d.130.b

Lib

Liber tertius Regum.

uare nos, continuo liberabimur. 544.c
3. Quia postulasti verbum hoc, & non postulasti diuitias,aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti sapientiam, &c. 566.a
4. De Eliseo reuocante mortuum puerum ad vitam. 21.a
8. Inclinet cor nostrum ad se Dominus, vt seruemus mandata eius. 667.b
11. A Deo fuisse rebellionem Hieroboã contra Roboam. 127.d. 130.c.d.
11. Si audieris omnia quæ præcepero tibi, & ambulaueris in viis meis, & feceris quod rectum est coram me, custodiens mandata mea, & præcepta mea, sicut fecit Dauid seruus meus, ero tecum & ædificabo tibi domum fidelem, quomodo ædificaui Dauid domum. 130.d
12. Semei iussus à Deo dixit ad Roboam, non ascendetis, neque bellabitis, contra fratres vestros, filios Israël. Ame enim factum est verbum hoc. 131.a
12. Non acquieuit Rex populo quoniam auersatus eum fuerat Dominus. 132.b
14. Dauid in toto corde suo secutus est Deum. 87.b
17. De puero reuocato ad vitam ab Helia. 21.a
17. Quid mihi & tibi vir Dei? intrasti ad me vt interficeres filium meum. 637.c
22. De deceptione Achab, dixit dominus spiritui malo, decipies & præualebis, vade& fac ita. 127.d.129.a.130.b.e

Quartus liber Regum.

9. Rebellio Hiehu contra Achab legitimum regẽ dicitur fuisse à Deo & quomodo. 127.d.131.c
10. Quia studiosè egisti quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab, filij tui vsque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israël. 131.c
19. Numquid liberauerunt Dij gentium singulos, quos vastauerunt patres mei, Goran videlicet, & Charan, & Reseph, & filios Eden, qui erant in Thalassar. 40.a
13. Iosias Rex ambulauit post dominum, cum populo suo, & percussit fœdus, vt ambularent post dominum, & custodirent præcepta eius, & testimonia, & Cæremonias in omni corde, & in tota anima. 87.b.c

Liber primus Paralippomenon.

21. Consurrexit autem Sathan contra Israël, & incitauit Dauid,vt numeraret Israël. 130.a

Liber secundus Paralipomenon.

19. Impio præbes auxilium, & his qui oderunt dominum, amicitia iungeris, & idcirco iram domini mereberis,sed bona opera inuenta sunt in te. 994.b
20. Credite in Dominum Deũvestrum,& securi eritis. 741.d

Liber secundus Esdræ.

9. Legerunt in volumine legis Domini Dei sui quater in die, & quater confitebantur, & adorabant Dominum Deum suum. 1014.b

Thobias

4. Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas. In illa enim initium sumpsit omnis perditio. 165.d 166.a

Hester.

13. Non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare nos, continuo liberabimur. 544.c

Iob.

1. Dominus dedit, Dominus abstulit. 127.d 128.d
1. Ecce vniuersa quæ habet, in manu tua sunt, tantum in eum non extendas manum tuam. 128.d
1. Extende manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. 128.d
2. Tu autem commouisti me,vt affligerem eum frustra. 128.d
3. Pereat dies, in qua natus sum. 210.a
4. Quis vnquam innocens periit? aut quando recti deleti sunt? 209.d
5. Homo natus ad laborem vt auis ad volandum. 362.c
9. Si iustus fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. 301.c 843.a.b
9. Si venerit ad me non videbo eum: si abierit non intelligam. Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me, si innocentem me ostendero, prauum me comprobabit, etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. 843.b
9. Verè scio quod ita sit & quod non iustificabitur homo compositus Deo. 937.a.941.a
12. Qui commutat labium veracium, & doctrinam senum aufert, qui immutat cor principum, & decipit eos vt frustra incedant per inuium, palpabunt quasi in tenebris & non in luce, & errare eos faciet quasi ebrios. 152.c. 136.b.d
14. Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra & numquam in eodem statu permanet. 6.a
14. Nemo mundus à sorte, nec infans,cuius est vnius diei vita super terram. 200.d.204.c. 333.a.215.c.223.c.286.d
14. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nónne tu qui solus es? 251.a.839.d
15. Bibunt sicut aquam iniquitatem. 359.c
31. Quid faciam cum surrexit ad iudicandum Dominus? & cum quæsierit quid respondebo illi? 843.b
36. Omnes homines vident Deum, sed vnusquisque intuetur procul. 554.d.557.a

Psalmi.

1. Nouit Dominus viam iustorum. 444.d
2. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Syon montem sanctum eius prædicans præceptum eius. 673.c
4. Multi dicunt quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui Domine. 590.b.592.b
4. Irascimini & nolite peccare. 28.5.b
5. Non Deus volens iniquitatem tu es. 113.b 140.b
8. Quid est homo, quia memor es eius,aut filius hominis,quia visitas eum? minuisti eum paulo minus ab angelis gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. 16.c
10. Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. 613.d
14. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam. 65.d
15. Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. 137.a
17. Ero immaculatus cum eo, & obseruabo me ab iniquitate mea. 65.d
18. Delicta quis intelligit ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo. 487.b.c 843.d.298.d
18. Viam iniquitatis amoue à me. 285.b
18. Non est qui se abscondit à calore eius. 442.d

Universidad de Deusto
Biblioteca

22. Misericordia tua subsequetur me. 525.a
24. Omnes viæ eius misericordia & veritas. 119.d
31. Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam,& tu remisisti impietatem peccati mei. pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. 63.c.70.c
31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum. 815.b
32. Diligit misericordiam & iustitiam, misericordia Domini est plena terra. 204.d
32. Qui fingit sigillatim corda eorum. 229.a
33. Diuerte à malo, & fac bonum. 117.b
33. Timorem Domini docebo vos. 749.b
36. Lex Dei eius in corde ipsius. 159.c.907.b.c
37. A Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volet. 569.c
37. Ne derelinquas me Domine Deus meus. 606.a
41. Abyssus abyssum inuocat. 845.c.d
41. Ad me ipsum anima mea turbata est. 848.a
43. Declinasti semitas nostras à via tua, 128.b.132.a
43. Hæc omnia venerunt super nos nec obliti sumus te,& iniquè non egimus in testamento tuo. Et declinasti, &c. Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis. 132.a.b
44. Diffusa est gratia in labiis tuis. 520.d
45. Vita æterna est flumen lætificans ciuitatem Dei. 988.d
48. Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis. 16.c.d 366.a
50. Propheta Spiritum sanctum, Spiritum rectum, & Spiritum principalem à Deo petebat. 58.a.68.d.69.a
50. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. 69.a
50. Cor mundum crea in me Deus & spiritum rectum innoua in visceribus meis. 68.d.267.d298.d.802.d.823.c
50. Redde mihi lætitiam salutaris tui. 69.a
50. Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata. 69.a
50. Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. 69.a
50. Libera me de sanguinibus. 69.a
50. Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. 69.b
50. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea .201.c.204.d.216.a 238.b.241.b.c. 246.a.250.a.251.a.332.d
50. Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. 848.a
54. Vespere, & mane, & meridie, narrabo & annuntiabo, & exaudiet vocem meam. 1046.a
57. Si vere vtique iustitiam loquimini, recte iudicate filij hominum. 590.b
58. Misericordia eius præueniet me. 525.a
61. Mendaces filij hominum in stateris vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum. 614.a.650.a.b
64. Inducti sunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento. 821.a
65. Induxisti nos in laqueum. 1017.c
67. Pluuiam voluntariam segregabis,&c. 612.a
68. Quem tu percussisti persecuti sunt. 45.b
68. Quæ non rapui, tunc exoluebam. 170.b.174.a
68. Operuit confusio faciem meam. 262.a
72. Odisti omnes qui fornicantur abs te. 113.b
76. Dixi nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi. 683.a
77. Deduxit eos in nube diei. 242.b
77. Cum occideret eos quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum. 948.d
81. Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes. 41.b.1:b
2. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum domine. 748.d
84. Conuerte nos Deus salutaris noster. 683.a.685.c
85. Eruisti animam meam de inferno inferiori. 249.a.b
88. Auertit adiutorium gladij sui, & non est auxiliatus ei in bello. 129.a
88. Iuraui Dauid seruo meo, vsque in æternum præparabo semen tuum. 861.a
90. Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. 30.a
92. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. 677.d.& seq.
93. Beatus homo quem tu erudieris domine. 565.a594.a
94. Hodie si vocem meam audieritis nolite obdurare corda vestra. 115.c.447.d.448.b
98. Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius, &c. 63.c.71.a.b
98. Iustitiam & iudicium in Iacob tu fecisti, exaltate Dominum Deum nostrum. 812.d
99. Ipse fecit nos, & non ipsi nos. 793.b
101. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. 224.b
101. Dominus de cœlo in terram aspexit. 243.c.d
102. Qui coronat te in misericordia & miserationibus. 953.c
104. Conuertit cor eorum vt odirent populum eius .128.a. 130.a
106. Misit verbum suum & sanauit eos. 781.a
108. In memoriam redeat iniquitas patrum eius. 209.b
109. Sede à dextris meis. 167.c
110. Opera domini exquisita in omnes voluntates eius. 140.a. 141.a.b.2
110. Timor domini initium sapientiæ. 748.c.d
111. Potens in terra erit semen eius. 913.b.c
111. Dispersit dedit pauperibus iustitia eius manet in seculum seculi. 935.c
113. Cœlum cœli domino terram autem dedit filiis hominum. 345.d28
114. Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me. 64.a.b
114. Conuertere anima mea in requiem tuam. 225.c
118. Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam.64.b
118. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege domini 65.c
118. Inclina cor meum Deus in testimonia tua, & non in auaritiam. 128.a.667.b
118. Viuet anima mea, & laudabit te. 204.d
118. Priusquam humiliarer ego deliqui. 225.c
118. Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ. 327.d
118. Misericordia domini plena est terra. 444.d
118. Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam. 595.a
118. Feci iustitiam & iudicium. 715.a719.c827.d
118. Principium verborum tuorum veritas. 765.b
118. Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum. 847.d
118. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. 916.b.c
118. Latum mandatum tuum nimis. 918.d
120. Dominus custodiat te ab omni malo. 30.a
138. Mirabilis facta est scientia tua ex me confortata est & non potero ad eam. 784.a
140. Non declines cor meum in verba malitiæ. 128.a
141. Educ de custodia animam meam. 225.d
141. In veritate tua exaudi me in tua iustitia. Et non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. 936.c
142. Anima mea sicut terra sine aqua tibi: 683.d
143. Redemisti seruum tuum de gladio maligno. 249.a
144. Et iustitia tua exultauit me. 519.a

Prouerbia Salomonis.

1. Timor domini est initium sapientiæ. 748.d
1. Lætantur cum malè fecerint; & exultant in rebus pessimis. 379.b
3. Sapientia dicitur lignum vitæ. 33.d
4. Iustorum semita quasi lux splendens procedit & crescit vsque ad perfectum diem. 885.a
8 Præparatur voluntas à Domino id est, audiet salutem à Domino.

Domino. 683.b.685.c.698.a
14. Errant qui operantur malum. 121.a.525.d
15. Sacrificium impiorum abominatio. 613.a
16. Omnia propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoq; ad diem malum. 123.a.c.d
16. Cor hominis cogitat viam suam, & Dominus dirigit gressus eius. 573.a
16. Hominis est præparare animam, & domini gubernare linguam. 685.b
20. Quis potest dicere mundum est cor meum, purus sum à peccato. 839.b.848.b.862.a
21. Cor regis in manu Domini, quocunq; voluerit inclinabit illud. 572.c.574.d
24. Septies in die cadet iustus & resurget. 63.d.64.d.937.b

Ecclesiastes.

2. Feci mihi hortos & pomaria. In hebræo hortos & paradisos. 35.a
3. Quis nouit vtrum spiritus filiorum Adam ascendat sursum,& spiritus iumentorum descendat deorsum? 841.a
7. Creauit Deus initio hominem rectum. 5.c.26.a.b.117.c.366.a
7. Considera opera Dei, quod nemo potest corrigere, quem Deus despexerit. 133.d.446.c
7. Non est homo iustus,qui faciat bonũ & non peccet.937.b
9. Sunt iusti atq; sapientes & opera eorum in manu Dei. Et tamen nescit homo vtrum odio vel amore dignus sit, sed omnia in futurũ seruantur incerta. 840.a.848.c.d
11. Vbicunque ceciderit lignũ, siue ad austrum, siue ad aquilonem,ibi erit. 360.c
12. Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. 229.a

Cantica canticorum.

2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.242.a
4. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. 35.a
4. Tota pulchra es amica mea,& macula non est in te.67.a.242.a.243.b
4. Hortus conclusus, soror mea sponsa hortus conclusus, fons signatus. 242.a
4. Lampades eius lampades ignis atq; flammarum. 863.d
6. Per vnicam columbã intelligitur beata Maria virgo.251.a
8. Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem, neq; flumina obruent illam. 881.d

Sapientia.

1. Deus mortem non fecit. 29.c.131.d
2. Fecit Deus hominem inexterminabilem. 5.c
2. Inuidia diabolimors intrauit in orbem terrarum. 24.c. 163.b
4. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum illius, aut ne fictio deciperet animam eius. 438.c
5. Quomodo pugnat cum Deo orbis terrarum contra insensatos. 367.b
6. Æqualiter est illi cura de omnibus. 439.a.b
8. Quomodo Deus disposuit omnia suauiter. 566.a
8. Vt sciui quoniam aliter non possem esse cõtinens,nisi Deus det & hoc ipsum erat sapientia, scire cuius erat hoc donum,adij dominum & deprecatus sum. 599.d.604.c
9. Corpus quod corrumpitur aggrauat animã.225.d.227.a
9. Mitte illam de cœlis sanctis tuis vt mecum sit, & mecum laboret. 696.d
10. Hæc illum qui primus factus est Patrem orbis terrarum, cum solus esset creatus,custodiuit & eduxit illum à delicto suo,& dedit illi virtutem continendi omnia. 184.d
11. Nihil odisti eorum quæ fecisti. 113.a.b.139.a.244.c
11. Dissimulat Deus peccata hominum propter pœnitentiam. 135.d.442.c
12. Cum ergo sis iustus,iuste omnia disponas, ipsum quoq; qui non debet puniri, condemnare exterum æstimas à tua virtute. 209.d
12. Quis stabit cõtra iustitiam tuam,aut quis tibi imputabit, si perierint nationes quas tu fecisti? 44.d
13. Si tantum potuerunt scire vt possent æstimare seculum, quomodo huius dominũ non facilius inuenerunt? 554.d
13. A magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit horum creator videri. 557.a.b
14. Odio est Deo impius & impietas eius. 113.a.b.313.c
14. Creaturæ dantur in muscipulam pedibus insipientum. 135.d.175.d
16. Omnia transfigurata omnium nutrici gratiæ tuæ deseruiebant. 519.a

Ecclesiasticus.

Liber hic fuit olim dubia fidei. 644.b
Nunc de eo dubitare nefas est. 644.b.c
2. Nullus sperauit in domino & confusus est. 780.c
5. De propitiato peccato noli esse sine metu, neq; adiicias peccatum super peccatum, & ne dicas miseratio Domini magna est,multitudinis peccatorum meorum miserebitur. 842.a
10. Initium superbiæ hominis apostatare à Deo, quoniam ab eo qui fecit eum recessit cor eius. 165.d.166.b
10. Initium omnis peccati superbia. 165.d.167.b.169
12. Da iusto & ne receperis peccatorem prohibe panes illi dare. 1143.c
15. Nemini mandauit impiè agere. 113.d
15. Non dicas per Deum abest. Quæ enim odit ne feceris. Non dicas ille me implanauit, non enim necessaria sunt ei homines impij. 114.b.120.b.160.b.644.d
15. Deus reliquit hominem in manu consilij sui,adiecit mandata & præcepta. Si volueris mandata seruare,conseruabũt te.602.a.644.d
17. Secundum se vestiuit illum virtute. 5.c.16.d
18. Post concupiscentias tuas non eas. 295.a.b
18. Non impediaris orare semper,& ne veteris vsq; ad mortem iustificari. 935.a
19. Qui spernit modica paulatim decidet. 91.c
19. Vinum & mulieres faciunt apostatare sapientes. 135.c.d
19. Qui cito credit leuis est corde. 673.d
20. Munera excæcant oculos sapientum. 135.c
21. Fili peccasti,ne adicias iterum,sed & de pristinis deprecare,vt dimittantur. 842.d
24. Qui adimplet quasi phison sapientiam, & sicut Tygris in diebus nouorum. Qui adimplet quasi Euphrates sensum, qui multiplicat quasi lordanis in tempore messu, qui mittit disciplinam sicut lucem, & assistens quasi Geon in die vindemiæ. 367.c
25. A muliere initium peccati, & per illam morimur omnes. 159.c.178.b.212.b.227.b
29. Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius.1135.c
31. Qui potuit transgredi,& non est transgressus facere mala & non fecit,ideo stabilita sunt bona illius. 645.c
40. Graue iugum super filios Adæ,à die exitus de ventre matris eorum vsq; in diem sepulturæ in matrem omnium.6.a
44. Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, vt det gentibus pœnitentiam. 39.c

Isaias.

1. Incensum abominatio est mihi,& solennitates vestras odit anima mea. 613.a
1. Bene agere ac malè si potestis. 666.d

Universidad de Deusto
Biblioteca

5. Quid est quod vltra debui facere vineæ meæ,& non feci ei? An quod exspectaui vt faceret vuas , & fecit labruscas? 422.d.423.a.b.639.a
6. Excæcauit oculos eorum , & indurauit cor eorum. 132.c. 133.d.137.a
8. Dominū exercituum ipsum sanctificate. ipse pauor vester, & ipse terror vester,& erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis,& in petram scandali duabus domibus Israël , in laqueum & in ruinam habitantibus in Hierusalem,& offendent ex eis plurimi,& cadent,& conterentur,& irretientur,& capientur. 138.d
10. Sennacherib dicitur serra in manu domini,item virga furoris,& baculus iræ eius. 127.d.129.a.581.c
25. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. 573.b
26. Murus & antemurale ponetur in ea. 912.d
27. Ecce mittam in Syon lapidem angularem, probatum, electum,&c. 138.d
33. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum. 209.d
93. In scientia iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. 793.d
54. Erunt omnes docibiles Dei. 426.d.489.a
55. Venite emite absq; argento , & absq; vlla commutatione vinum & lac. 954.b
56. Domus mea domus orationis vocabitur. 1025.b.& seq.
57. Flatum omnem ego feci. 229.a
58. Nunquid tale est ieiunium quod elegi, affligere hominem per diem animam suam. 1089.c
60. Ecce tenebræ operient terram.& caligo populos.614.c.d
62. Super muros tuos Hierusalem constitui custodes,tota die & nocte in perpetuum non tacebunt. 1060.d
63. Quare errare nos fecisti de viis tuis,induraſti cor nostrum ne timeremus te. 132.b.c
64. Ecce tu iratus es & peccauimus. 937.c
64. Facti sumus vt immundi omnes nos, & tanquam pannus mustruatæ,omnes iustitiæ nostræ.. 201.b.937.b
65. Inuentus sum à non quærentibus me , palam apparui his qui me non interrogabant. 690.a
66. Qui immolat bouem quasi qui interficit virum. 613.a

Ieremias.

2. Quid tibi vis in viâ Aegypti,vt bibas aquam turbidã.38.a
2. Dicitur homini:à seculo confregisti iugum meum , rupisti vincula,dixisti non seruiam. 266.c
7. Loqueris ad eos omnia verba hæc,& non audient te.639.d
17. Prauum est cor hominis. 298.d.614.
19. Aedificauerunt excelsa Baalim, quæ non præcepi, nec locutus sum,nec ascenderunt in cor meum. 113.d
20. Seduxisti me domine,& seductus sum. 132...136.d
20. Maledicta dies in qua natus sum.. 210.a
23. Et hoc est nomen quod vocabunt eum Dominus iustitia nostra. 817.d.& seq,
26. Forsitan audient & conuertentur. 569.c
31. In diebus illis non dicent patres manducauerunt vuam acerbam,& dentes filiorum obstupuerunt. Sed vnusquisque in suo peccato morietur,&c. 211.a.b
50. Rex Babylonis malleus vniuersæ terræ. 128.a
52. Excitauit Dominus spiritum regum Medorum : quoniam cogitatio eius est contra Babel. 128.a

Threni.

2. Initium vigiliarum quid significet. 1045.a
4. Completa est iniquitas tua filia Sion, non addet vltra Dominus vt transmigret te. 291.d
5. Conuerte nos Domine & conuertemur. 683.a

Ezechiel.

12. Rex Babylonis rete Dei ad capiendos Israelitas. 128.a
18. Tu signaculum similitudinis 4.b
18. Hic iustus est, vita viuat. 63.a
18 Si auerterit se iustus à iustitia sua,& fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes quas operari solet impius,nunquid viuet? 63.a.106.d.667.a
18. Anima quæ peccauerit,ipsa morietur.83.c.84.d.115.a.b. 195.d.209.a.b.c.
18. Nunquid voluntatis meæ est mors impij dicit dominus.113.b
18. Filius non portabit iniquitatem patris. 209.b.c.210.d
18. Facite vobis cor nouum & spiritũ.nouum a Ioib.667.&c.
18. Ipse animam suam viuificabit. 702.b
27. Charan & Chane,Eden negotiatores tui. 40.a
28. In deliciis paradysi fuisti. 35.a
36. Auferam à vobis cor lapideum & dabo vobis cor carneum, Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis. 667.a.b.683.a.b.701.d
36. Non propter vos faciam,domus Israel,sed propter nomen meum sanctum,quod polluistis in gentibus. 683.a

Daniel.

3. Potens est Deus,nos de manibus tuis, o rex liberare;quod si noluerit,statuam tamẽ quã fecisti nũ adorabimus.544.b
6. Tribus tempotibus in die flectebant genua, & adorabant, confitebanturq; coram Deo. 1036.b.c.
10. Die autem vicesima & quarta mensis primi eram iuxta flumen magnum qui est Tigris. 33.a
12. Multi ex iis qui dormiunt in terræ puluere, euig ilabunt, alij in vitam æternam,alij in opprobrium. 343.d
12. Qui ad iustitiam erudiunt multos,fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates. 793.b
13. Species decepit te,& cõcupiscentia subuertit cor tuũ.175.d

Osee.

2. Sponsabo te mihi in iustitia,& iudicio,& in misericordia, & miserationibus,& sponsabo te mihi fide. 182.c
4. Quomodo Sacerdotes comedunt peccata populi? 261.d
8. Ipsi regnauerunt , & non ex me principes extiterunt,& non cognoui. 131.c.132.a
13. Perditio tua ex te Israel , tantummodo in me auxilium tuum. 114.d.115.b.146.c

Ioel.

2. Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus , & relinquat post se benedictionem. 442.a.847.d,& seq.
2. Scindete corda vestra & non vestimenta vestra. 1089.d

Ionas.

3. Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus. 847.d.& seq.
4. Quomodo fuerint in Niniue plusquam centum viginti millia hominum qui ignorabant quid esset inter dextram & sinistram,&c. 272.c.d

Habacuc.

1. Mundi sunt oculi tui , ne videant malum , & respicere ad iniquitatem non poteris. 13.a
2. Iustus ex fide viuit. 759.c.774.a.798.b

Zacharias.

1. Conuertimini ad me,& ego conuertar ad vos. 685.b
3. Auferte vestimenta sordida ab eo , & dixi ad eum, ecce abstuli à te iniquitatem tuam. 201.b
9. Ecce Rex tuus venit tibi. 866.b
14. Hoc erit peccatum Aegypti. 191.d.

Liber secundus Machebæorum..

7. Nescio qualiter in vtero meo apparuistis , neq; enim ego spiritum & animam donaui vobis,& vitam,&c.202.a
7. Filij nouem mensibus in vteris matrum gestantur. 246.a

EX NOVO TESTAMENTO.

Matthæus.

Cap. Colum.
1. Quod in ea natum est.de spiritu sancto est. 250.d
3. Cuius ventilabrum in manu eius,& permundabit aream, suam,& congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. 349.b
3. Omnis arbor,quæ non facit fructum bonum, excindetur & in ignem mittetur. 349.c
3. Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. 544.d
5. Estote perfecti,sicut pater vester cælestis perfectus est. 65.b. 66.a
5. Qui dixerit fratri suo fatue,reus erit gehennæ ignis. 73.c. 74.d
5. Qui iracitur fratri suo,reus erit iudicio , qui dixerit racha reus erit concilio,&c. 86.a.d.89.b.94.d
5. Qui viderit mulierem, ad cõcupiscendum eam iam mœchatus est eam in corde suo. 77.d.80.a.86.b.278.c.284.d. 285.a.290.b.c
5. Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis,minimus vocabitur in regno cœlorum. 83.d.84.b.c.85.d
5. Non veni legem soluere,sed adimplere. 86.a.908.a
5. Herodes celebrat diem suum natalem. 210.a
5. Qui solem oriri facit super bonos & malos,& pluit super iustos & iniustos. 443.c
5. Si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis,nónne & Ethnici hoc faciunt?estote ergo vos perfecti. 608.d
5. Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum,non intrabitis in regnum cœlorum. 718.d. & sequentib.872.b.855.c
5. Explicatur sermo Domini in monte . 896.d & seq
5. Iota vnum aut vnus Apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. 925.a.b
5. Non exibis inde , donec reddas nouissimum quadrantem. 79.c.991.c.d.
6. Dimitte nobis debita nostra. 60.a.63.a.64.a.71.a.c.78.d. 80.c. 90.a. 94.c. 286.a. 287.a. 311.a. 671.b. 824.d.939.b. 1015.& seq.
6. Si enim remiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cæleſtis delicta vestra. 94.c
6. Et ne nos inducas in tentationem. 128.a.129.b
6. Tota fere oratio dominica explicatur.299.a.939.c.1007.& seq
6. Sanctificetur nomen tuum , adueniat regnum tuum &c. 491.b.676.b.694.c & seq.920.d
6. Si oculus tuus simplex fuerit , totum corpus tuum lucidum erit. 926.c
6. Pater noster qui es in cælis : est præfatio & proœmium totius orationis dominicæ. 1007.d.& seq.
6. Tota oratio Dominica quoad singulas petitiones,& singula verò vocabula pulcherrimè explicatur. 1007.& seq.
6. Orantes intrent in cubiculum suum, & clauso ostio Patrem cœlestem in silentio orent. 1048.b.d
6. Quid sit seruire Mammonæ. 1133.a
6. Cum facis Eleemosynam, noli tuba canere,&c. Nesciat sinistra tua,quid faciat dextera tua. 1144.c
7. Quid vides festucam in oculo fratris tui. 79.d
7. Si vos cum sitis mali,nostis bona data dare filiis vestris,&c. 303.b.304.b
7. Non potest arbor mala bonos fructus facere. 519.b.615.a
7. Erat docens sicut potestatem habens , non sicut Scribæ & Pharisæi. 890.d
8. Quid timidi estis modicæ fidei. 742.a.b
9. Confide fili,remittuntur tibi peccata tua. 749.d
9. Cum auferetur ab eis sponsus , tunc ieiunabunt in illis diebus. 1067.b.1081.a
9. Nemo immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus,&c. 1076.b.1077.a
10. Timete eum qui potest animam & corpus perdere in gehennam. 76.b
10. Quicunque dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ,non perdet mercedem suam. 88.b
10. Qui recipit iustum in nomine iusti , mercedem iusti accipiet. 982.b.1129.d
11. Venite ad me omnes. 115.c.443.a
11. Iugum meum suaue est & onus meum leue. 290.b
11. Si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te,olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent. 148. c.438.d
11. Quomodo à Christo vocati sunt Galilæi. 494.a
11. Confiteor tibi pater,&c.Reuelasti ea paruulis,&c. 489.b 668.b.c
11. Omnes Prophetæ & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt. 909.a
12. De omni verbo otioso.quod locuti fuerint homines reddent rationem in die iudicij. 78.a
13. Incrassatum est cor populi huius , & auribus grauiter audierunt,& oculos suos clauserunt,ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant , & conuertantur,& sanem eos. 133.b
13. Sic erit in consummatione seculi , exibunt angeli, & separabunt malos , &c. 346.c.d
13. Eplicatur parabola seminantis. 714.a
15. De corde exeunt cogitationes malæ , &c. 264.c.529.d
14. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei , cæteris autem non est datum. 582.b.602.c
15. Quod intrat per os , non coinquinat hominem. 1072.b
16. Christus Petrum beatum appellauit. 70.e
18. Quæ dicunt, facite , secundum autem opera illorum nolite facere. 615.b
19. Si vis perfectus esse , vade, vende omnia quæ habes. & da pauperibus , & habebis thesaurum in cælo , & veni sequere me. 65.c.638.c
19. De matrimonio. 181.c.d
19. Facilius est camelum per foramen acus transire , quàm diuitem intrare in regnum cælorum.564.d.113.d& seq.
19. Si vis ad vitam ingredi , serua mandata. 638.c 873.a.b.113.d.1149.a
19. Omnis qui reliquerit patrem vel matrem,&c.propter me centuplum accipiet & vitam æternam possidebit. 982.c
20. Voca operarios & redde illis mercedem. 496.a
20. Denarius diurnus quam æqualitatem significet 884.
20. Quid significet murmur operariorum? 884.d
20 Vita æterna dicitur denarius diurnus. 946.b 987.c.959.b.990.d
22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. 65.b 87.a.b
22. Per vestem nuptialem intelligitur caritas. 757.a.759.a
22. Amice quomodo huc intrasti. 913.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

23. Duces cæci excotantes culicem, camelum autem glutientes. 76.b
23. Ierusalem Ierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quamadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti. 648.c.d.697.a
24. Quoniam abundabit iniquitas refrigescet caritas multorum. Qui autem perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit. 878.b
25. Ite maledicti in ignem æternum: Esurijt enim & non dedistis mihi manducare. 73.c.78.a.306.b.c.
25. Quid intelligatur per dexteram & sinistram. 340.d
25. Non noui vos. 494.c
25. Distribuit vnicuique talenta secundum propriam virtutem. 495.d
25. Percipite regnum, esurijt enim & dedistis mihi manducare. 496.a.b.948.c.d
25. Per oleum intelliguntur opera misericordiæ 757.a
26. Petrus fleuit amarè. 70.a
26. An putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum. 544.d.&seq.a.b

Marcus.

1. Domine si vis, potes me mundare. 732.b
6. Quid sit quarta vigilia noctis. 1029.d
10. Solus Deus dicitur bonus. 247.a
11. Credite quia accipietis. 741.b.c
13. Vigilate ergo, nescitis enim quando Dominus veniat, serò, an media nocte, an galli cantu, an mane. 1029.d
14. Abba pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me. 545.b
16. Illi verò profecti, prædicauerunt vbique Domino cooperante. 695.a
16. Domino confirmante sermonem sequentibus signis. 695.a
16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur &c. Signa autem eos, qui crediderint, &c. 752.d.755.a

Lucas.

1. Erant autem iusti ambo, incedentes in omibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela. 66.c.d.84.a
2. Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel. 137.d.138.a.b
3. Qui habet duas tunicas det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat. 1133.a
4. Imperauit Dominus febri & febris cessauit. 262.a
6. Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras. 76.c.79.d
6. Non potest arbor mala bonos fructus facere. 614.d.&seq.
6. Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinus vestros. 990.d
6. Qua mensura mensi fueritis remetietur vobis. 991.d
7. Fides tua te saluum fecit. 765.c.&seq.
7. Propter hunc sermonem vade, exiit dæmonium à filia tua 765.d
8. Crede tantum & salua erit. 772.d
9. Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. 347.b
10. De eo qui incidit in latrones, & spoliatus, & plagis impositis semiuiuus relictus est. 17.a.893.c
10. Descendens ab Hierusalem in Hiericho. 209.d.&seq.
10. De legisperito. 893.c
11. Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. 263.a
11. Comparat Christus Sathanam forti armato custodienti atrium suum. 339.b
11. Petite & dabitur vobis, &c. Dabit spiritum bonum petentibus se. 440.a
11. Omnis qui petit accipit. 780.d
11. Si ergo corpus tuum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te. 926.c
11. Quod superest, date Eleemosynam & omnia munda sunt vobis. 1126.c.&seq.
12. Dico tibi non exies inde, donec etiam nouissimum minutum reddas. 76.d.79.c.80.a
12. Seruus qui cognouit voluntatem Domini sui, & non præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis, qui autem non cognouit & fecit digna plagis, vapulabit pauci. Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo. 81.b
12. Quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. 483.d & seq.a.498.d.500.d.866.c
12. Ignem veni mittere in terram. 683.d
12. Si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit. 1029.d
12. Stulte, hac nocte repetunt à te animam tuam, & quæ parasti cuius erunt? 1133.d
12. Sic est omnis, qui thesaurizat, & non est in Deum dites. 1133.c
13. Cum videritis Abraham, Isaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei. 68.c.d
14. Nisi quis renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus. 1140.a
14. Qui non odit patrem & matrem, & filios, & vxorem, &c. 1140.b
15. Quid per centesimam ouem aberrantem à grege, & dragmam perditam intelligitur? 209.d
15. Portio substantiæ data filio prodigo est liberum arbitrium. 652.c.655.c
15. Quantis Mercenarij, &c. 965.d
16. Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem. 909.a
16. Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. 1129.d. 1140.b.1143.c
16. De diuite Epulone. 1133.c
17. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro, eradicare, & transplantare in mare, & obediet vobis. 755.a
17. Cum feceritis hæc omnia, dicite serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. 851.d.954.c.963.b.c
18. Mortuus erat & reuixit. 683.d
18. Publicanus orat cum fide pro remissione peccatorum. 597.c.823.b.850.c.1091.a
18. Gratias tibi ago Domine, quia non sum sicut cæteri homines, &c. 732.c
18. Omnis qui se humiliat exaltabitur. 780.d.803.b
18. Fides tua te saluum fecit. 912.a
18. Oportet semper orare. 1001.a
19. Venit filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat. 680.b
19. De præmio fidelis serui qui lucratus erat decem mnas. 990.d
23. Hodie mecum eris in paradiso. 35.a

Ioannes.

1. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. 257.c
1. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. 202.b.268.b
1. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum 225.c.226.a.443.d.445.a
1. Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri 439.d.658.a.747.c.782.a
1. Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Item: in mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. 557.c&.seq.

1. Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. 899.b
1. Vita æterna dicitur gratia pro gratia. 986.d
2. Soluite templū hoc, & ego in triduo reædificabo illud. 138.c
3. Qui non credit in filium, ira Dei manet super eum. 202.c 212.d.337.b
3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei. 208.a
3. Qui credit in filium, habet vitam æternam. 737.a.b.738.a.911.c
3. Vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. 779.d.&seq.
3. Qui facit veritatem, venit ad lucem vt manifestentur opera eius quia in Deo sunt facta. 852.a
4. Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. 528.d.&seq.
4. Qui biberit ex aqua, quam ego dabo non sitiet, sed fiet in eo fons aquæ saltentis in vitam æternam. 881.d. 987.d
5. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis? 137.b
5. Pater meus vsque modo operatur. 559.d.560.b
5. Est qui vos accuset Moyses, in quo vos speratis. 1005.d
6. Omnis qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me. 423.d 426.c.453.d.&seq.489.a.675.a.703.b
6. Nemo potest ad me venire, nisi pater, qui misit me, traxerit illum. 440.b.447.a.b.453.d.&seq.489.a.675.a.682.d
6. Vultis & vos abire? 653.b.708.697.a
6. Sunt quidam ex vobis qui non credunt, ipse enim sciebat, qui essent credentes, & quis eum traditurus esset. 759.a
7. Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de spiritu, &c. 410.d
8. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater eius. 114.d
8. Diabolus homicida est ab initio. 160.c.164.c
8. Qui facit peccatum, seruus est peccati. 667.c
8. Vos ex patre diabolo estis. 265.d
8. Si vos filius liberauerit, verè liberi estis. 296.d
9. Ego in iudicium veni, vt qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant. 138.b
9. Si essetis cæci, non haberetis peccatum, nunc autem dicitis, quia videmus, peccatum ergo vestrum manet. 449.c. 451.a
10. Non rapiet eas quisquam de manu mea. 127.d
10. Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas. 494.d
10. Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient. 408.a
11. De resurrectione Lazari. 21.a.69.c
11. Nonne 12. horæ sunt in die? 1020.c
12. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum. 127.c 133.d.134.c.137.a.946.c.455.a.675.b
12. Nunc princeps huius mundi eiicietur foras. 339.b
12. Cum tanta signa fecisset, non credebant in eum. 674.a
12. Verumtamen multi ex principibus credebant in eum, sed non confitebantur. Dilexerunt enim magis gloriam hominum quàm gloriam Dei, &c. 753.d.354.a
13. Dixit Christus sancto Petro: qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet. Et vos mundi estis sed non omnes. 69.d.71.b.88.a
13. Si non lauero te, non habebis partem mecū. 87c.d.&seq
13. Quod facis fac citius. 138.c
13. Ego posui vos, vt eatis, & fructum afferatis & fructus vester maneat. 490.a
13. In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. 853.d
13. Mandatum nouum do vobis. 903.b
14. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. In illa die cognoscetis, quia ego sum in patre, & vos in me, & ego in vobis. 852.d.
14. Qui diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum. 935.c
15. Excusationem non habent de peccato suo. 134.c
15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. 484.a.847.a.d
15. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem. 611.c
15. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. 616.b.617.a
15. Sine me nihil potestis facere. 617.a.634.b.680.b.682.d
15. Sicut palmes non potest à semetipso ferre fructum, nisi manserit in vitesita & vos nisi in me manseritis. 667.d
15. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum. 878.a
21. Cum senueris alius cinget te, & ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus erat Deum. 69.c.d

Acta Apostolorum.

2. Hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis. 121.c.d
4. Conuenerunt verè in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum quem vnxisti, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israël, facere quæ manus tua & consilium tuum decreuerunt fieri. 121.c.d
5. Nónne manens tibi manebat? & venundatum erat in tua potestate? 565.b
7. Vos semper spiritu sancto restitistis. 423.b.c.697.a
8. Nondum Spiritus sanctus in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. 783.d
10. De Eleemosynis & oratione Cornelij. 686.d
10. Remissionem peccatorum accipere omnes qui credunt in eum. 779.d.&seq.
13. Suscitauit illis Dauid Regem, cui testimonium perhibens dixit, inueni Dauid filium Iesse virum secundum cor meum. 68.d
13. Cur ex multis audientibus verbum Dei, alij conuertuntur alij non? 489.c
13. In hoc omnis qui credit iustificatur. 779.d &seq.
13. Per hunc annuntiatur vobis remissio peccatorum ab omnibus à quibus non potuistis in lege Moysis iustificari. In hoc omnis qui credit iustificatur. 821.c.d
15. Fide purificans corda eorum. 764.d &seq.
15. Quid tentatis imponere iugum super ceruices discipulorum, quod nec nos, nec patres nostri portare potuimus. 921.d.922.b.c
16. Transeuntes autem Phrygiæ & Galatiæ regionem, vetiti sunt à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia. Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permisit eos Spiritus Iesu. 142.d 453.d
16. Aperuit Dominus eius cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo. 489.c
17. Quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inueniant, quamuis non longè sit ab vnoquoque nostrum. 555.a
17. In ipso viuimus, mouemur, & sumus 559.b
22. Ablue peccata tua inuocato nomine ipsius. 208.b
26. Paulus mittitur ad gentes & populos vt aperiat oculos eorum, & conuertantur de tenebris ad lucem, & de potestate Sathanæ ad Deum. 339.b
27. Incipiebat enim periculosa esse nauigatio, quia & ieiunium iam præterierat. 1111.a

Epist. ad Romanos.

In epistola ad Romanos refutantur duo Iudaizantium errores. 923.d
1. Sicut non probauerunt, Deum habere in notitia, tradidit illos in reprobum sensum. Item: Quia commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, ac seruie-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt creaturæ potius quam creatori: propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. 132.ed.134.d 141.a.144.b

1. Nolo autem vos ignorare fratres, quia sæpe proposui venire ad vos, & prohibitus sum vsque adhuc. 242.d
1. Christus prædestinatus est filius Dei in virtute. 492.c.d
1. Reuelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iustitia detinent, quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles, qui cum cognouissent Deum non sicut Deum glorificauerunt. 555.bc.556.cd 557.d.590.c
1. Euangelium virtus Dei est in salutem omni credenti, quia reuelatur in eo Dei iustitia ex fide in fidem. 774.b 780.a
2. Gentes quæ legem non habent naturaliter quæ legis sunt faciunt. 13.c.d. 268.c.d.590.c.591.d.602.b. 608.d.610.a.b
2. Quomodo patientia Dei homines indurat. 135.c
2. Qui sine lege pecauerunt, sine lege peribunt. 213.b
2. Factores legis iustificabuntur. 829.c
3. Non sunt facienda mala vt bona eueniant. 105.b 93.a.141.d.150.d.151.b.150.b
3. Numquid iniquus est Deus? absit. Alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum? 113.a.b
3. Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. 113.a.b
3. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu. 395.a.795.a
3. Exclusa est gloriatio tua. Per quam legem? factorum? non, sed per legem fidei. 760.c768.b.770.b.c.956.e
3. Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus 763.b.769.e.d.770.d.779.c784.c.912.d
3 Vnus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem. 763,b.&.seq.
4. Vbi non est lex, nec præuaricatio esse potest. 159.b 158.b.213.a
4. Lex circumcisionis signaculum iustitiæ fidei. 156.b
4 Non infirmatus est fide, nec consideauit corpus suum emortuum, & emortuam vuluam Saræ, in repromissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quacunque promisit Deus, potens est & facere. Ideo & reputatum est ei ad iustitiam. 727.c.751.b.743.b. 765.d.809.a
4. Ideo ex fide, vt secundũ gratiã firma sit promissio. 742.c
4. Credenti in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam. 764.e
4. Ei qui operatur, merces imputatur secundùm debitum, non secundùm gratiam. 768.b
4. Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. 770.d
4. Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. 804.d
4. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. 815.a
5. Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors. 16.c.68.a. 157.d.193.d.167.d 200.c.106.d:212.a.222.e.236.d.289.b
5. Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. 162.c
5. Non sicut delictum ita & donum. 162.c
5. Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per obedientiam vnius hominis iusti constituentur multi. 166.a.178.d & fusè à columna. 20.& seq. præsertim. 200.a.b.211.d 253.a.b.29.d.343.d.808.c
5. Per vnius hominis delictum peccatum in mundum intrauit quo omnes peccauerunt. 166.a. 213.b.c221.d.235 245 d.327.a.792.&.seq.
5: Fere totum caput quintum ad Romanos explicatur à columna 193.d.vsque ad.201
5. Christus secundum tempus pro impiis mortuus est. 209.d
5. Quomodo gratia Dei per Christum abundauit in plures, quam peccatum abundauerit per Adam. 212.a.b
5. Vsque ad legem peccatum erat in mundo. Peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset. 214.a.b.c
5. Adam quomodo forma futuri. 241.d.253.b
5. Iudicium quidem ex vno in omnes homines in condemnationem, gratia verò ex multis delictis in iustificationem. 252.a. 342.d.343.d
5. Per vnius iustitiam in omnes homines in iustificatione vitæ. 343.b
5. Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. 415.a.b.416.d.688.c 796.a
5. Legem datam esse, vt peccatum superabundet, quomodo intelligendum? 637.b.c
5. Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum. 763.b
5. Sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam. 705.c
6. Non estis sub lege sed sub gratia. 159.d.997.c
6. Vt in nouitate vitæ ambulet. 208.a
6. Mori peccato, vt resurgamus iustitiæ. 206.b
6. Stipendium peccati mors. 29.c.76.a.83.c.84.a.157.c 193.c.209.d.910.d 955.b.c
6' Vetus homo noster crucifixus est, vt destruatur corpus peccati. 261.d.&.seq.a.b.c.&.263.a
6. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum concupiscentiis eius. 262.a.263.b.288.a.292.a 300.b,c 314.a
6. Quid intelligatur per corpus peccati. 264.a.b
6. Gratia Dei vita æterna. 2 67.a 521.d.631.d.610.d
6. Liberati à peccato. serui facti estis iustitiæ. 513.c
6. Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ Deo. 865.c.d
6. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel. 819.d
6. Exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. 935.b
7. Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. 5.c.257c.280.a.b.c.288.a
7. Infœlix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? 6.a.24.a.d.225.d.28.a.297.c.36.d
7. Sentio aliam legem in membris meis &c. 21.c.25.c 257.c.d.280.d.281.c.291.d 296.c.365.a.671.d
7. Quare leges in tabulis scribuntur? 159.c
7. Peccatũ per mãdatũ seduxit me, & per illud occidit. 175.d
7. Absque lege peccatum mortuum erat. 214.b
7. Scio quod non habitet in me, hoc est in carne mea bonum. Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum hoc facio. 257.c.280.c.283.a.292.a.296.a.671.a 810.d
7. Peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam. 264.a.293.b
7. Quid ergo lex peccatum est? absit. 291.c.264.a.c,293.b
7. Lex dicitur mors. 291.c
7. Peccatum non cognoui nisi per legem. Nam concupiscentiã. nesciebã, nisi lex diceret, nõ cõcupisces. 293.a.b.c
7. Scio enim quia lex spiritualis est, ego autem carnalis sũ venundatus sub peccato. 293.c.d.244.c.d.295.b
7. Quod odi facio, & mente seruio legi Dei. 293.c.d
7. Inuenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam malum mihi adiacet. 296.b.36L.a
7. Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. 297.b.686.b 924.a
7. Omnia cooperantur in bonum hũ, qui secundùm propositum vocati sunt sancti. 565.c

Libertas

7. Libertas à peccato explicatur similitudine mulieris, liberata à seruitute viri morte intercedente. 906.b
7. Vt fructificem? Deo. Et postea: vt fructificaremus morti. 906.d
8. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, &c. 28.c.257.c.247.c
8. Exspectamus redemptionem corporis nostri. 219.a.280.d
8. Nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu 281.d 282.d.286.d.294.a.297.b.919.c.d
8. Et nos primitias spiritus habentes, intra nos ingemiscimus adoptionem exspectantes, redemptionem corporis nostri. 294.d.295.a
8. Sapientia carnis inimica est Deo. 297.d
8. Vanitati creatura subiecta est non volens. 358.d
8. Quos prædestinauit, hos & vocauit, quos vocauit, hos & iustificauit. 705.b.806.d.877.a
8. Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. 404.b
8. Vt conformes efficiamur imaginis filij Dei. 492.d.721.a
8. Quos præscuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui. 494.b.501.a.1062.b.
8. Tunc & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. 513.c
8. Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem Deus filium suum misit in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum, vt iustificatio legis impleretur in nobis. 554.a.&seq.920.d.1019.d
8. Lex diuina quomodo lex mortis & peccati?. 599.b
8. Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. 1019.c.
8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. 695 a. b.854.d
8. Spiritus adiuuat infirmitatem nostram. 696.c
8. Spiritus viuit propter iustificationem. 805.d
8. Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei. 854.a 858.b
8. Certus sum, quia neque mors, neque vita poterit nos separare à caritate Dei. 854.c.882.a
8. Si tamen compatimur vt & conglorificemur. Existimo enim quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam. 910.d.950.d 95.d.977.a.990.d&seq
8. Lex spiritus vitæ liberauit me à lege peccati & mortis. 921.a
9. Nunquid iniquitas apud Deũ? absit. 113.b.127.b.228.b.c
9. An non habet potestatem figulus facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam? 123.a.b.124.a.b.c
9. In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam. 123.a.126.d
9. Ohomo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quare sic me fecisti? 123.b. 126.c.161.b
9. Si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. 125.d.127.a. 144.c.d.493.a
9. Cur Deus vnum miseretur non alterius, Iacob dilexit, Esau odio habuit antequam quidquam mali vel boni egerunt non est ratio nisi voluntas Dei. 126.b.484.d.501.e. 504.d.505.c
9. Cuius vult miseretur, & quem vult indurat. 129.a 130.b.c.132.c.34.d.145.d.50.a.b.505.a
9. Ecce ponam in Syon lapidem offensionis, & petram scandali. 137.d.338.b.c.d.
9. Non volentis, neque curretis. sed miserentis Dei est 490.b
9. Vt secundùm electionem propositum Dei maneret. 501.b.c
9. Iacob dilexi, Esau odio habui. 485.a.501.b.c.504.d
9. Gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderũt iustitiã, Iustitiam aũt quæ ex fide est, &c. 769.a
10. Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. 408.b
10. Qui ex fide iustitia, sic dicit, ne dixeris in corde tuo, quis ascendit in cœlum, id est, Christum deducere? aut quis descendit in abyssum, id est. Christum à mortuis reuocare? sed quid dicit? prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo. hoc est verbum fidei, quod prædicamus: quia si confiteaeris in ore tuo Dominum Iesum, &c. 601.d&seq.
10. Quicunque inuocauerit nomen Domini saluus erit. Sed quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? quomodo credent sine prædicante? quomodo prædicabunt nisi mittantur? 747.e.765..d.960.c.d
10. Ignorantes Dei iustitiam, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. 769.a.817.c
10. Omnis qui credit in eum, non confundetur. 780.a
10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. 911.a
11. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei. 126.b.c 871.c
11. Non repulit Deus plebem suam, quam præscuit. 494.c
11. Reliquiæ secundùm electionem gratiæ saluæ factæ sunt. 484.b.b.501.b.c
11. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? 683.c
13. Qui alit diligit, legem implenit 83b.85.a
13. Induimini Dominum nostrum Iesum Christum. 262.d
14. Omne quod non est ex fide, peccatum est. 617.b
14. Qui discernit, si manducauerit, damnatus est, quia non ex fide. 617.b

I. Ad Corinthios:

1. Qui gloriatur, in Domino glorietur. 595.c
1. Qui factus est nobis à Deo sapientia, & iustitia, & redemptio. 817.d
2. Sapientiam loquimur inter perfectos. 654.d
2. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus, quæ donata sunt nobis. 855.a & seq.
3. Si quis superædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos: ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestũ erit. Dies enim declarabit, &c. 77.a.80.c.92.a.926.c.d
3. Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. 694.c
3. Vnusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem, Dei enim sumus coadiutores. 694.c
3. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter quod positũ est, quod est Christus Iesus. 764.c
4. Quomodo Apostolus Corinthios filios suos vocet? 265.d
4. Tunc illuminabuntur abscondita tenebrarum & manifesta erunt consilia cordium. 354.a.b
4. Quis enim oe discernit? Quid habes quod non accepisti? 497.a.595.c.668.a.680.b.683.a.714.a
4. Nihil mihi conscius, sũ sed non in hoc iustificatus sum. 843. a.844.a.848.b
4. Mihi autẽ pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die. sed neque me ipsum iudico. Qui autem iudico me, Dominus est. itaq; nolite ante tẽpus iudicare, &c. 844.b.c
6. An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? nolite errare, neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, &c. 63.a.b.73.d.78.b
6. Et hæc quidẽ fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri. 746.b.814.a
7. Qui non se continent, nubant: melius enim est nubere quam viri. 365.a
7. Nõ habẽs necessitatẽ, sed potestatẽ habẽs suæ voluntatis. 513.bc
7, Quod vult faciat, non peccat si nubat. 610.a
7. Qui statuit in corde suo firmus, nõ habens necessitatẽ, sed potestatem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo, &c. 645.d
9. Apostolus dicit se sub lege non esse, & tamen sine lege non esse, sed in lege esse Christi. 259.d
9. Non sum liber? non sum Apostolus? 565.a

10. Fide-

Universidad de Deusto
Biblioteca

10. Fidelis Deus qui non sinet vos tentari supra id quod potestis. 114.b.290.b.603.a.904.605.c
10. Deum operari omnia in omnibus. 559.c
10. Siue manducatis, siue bibitis siue quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite. 617.a
10. Omne quod in macello venit, manducate. 1073.c
11. Mulier ex viro, non vir ex muliere. & mulier propter virum, non vir propter mulierem formatus est. 174.c.d
11. Probet se vnusquisque & sic de pane illo edat. 855.b
12. Diuisiones gratiarum. 521.d
12. Vnicuique datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem. 558.c
12. Hæc autem operatur vnus & idem spiritus diuidens singulis prout vult. 544.b.c.545.d
12. Qui operatur omnia in omnibus. 703.c
13. Caritas patiens est, benigna, &c. 688.d
13. Nunc autem manent fides, spes caritas, tria hæc, maior autem horum est caritas. 727.d
13. Caritas nunquam excidit. 882.b
13. Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum. 754.d
15. Primum hominem factum esse in animam viuentem, secundum, in spiritum viuificantem. 9.b.c.83.b
15. In Adam omnes moriuntur. 27.d.166.a.178.a.257.b
15. Per hominem mors. 29.d
15. Stimulus mortis peccatum. 29.d.209.d
15. Primus homo formæ futuri. 95.d
15. Sicut portauimus imaginem terreni, ita portemus imaginem cælestis. 262.d.797.d.&seq.
15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. 452.a
15. Lex virtus peccati. 613.c.d.637.b.c
15. Plus omnibus laboraui, non autem ego solus, sed gratia Dei mecum. 696.c
16. Spero me aliquantulum temporis manere apud vos: si Dominus permiserit. 14.d.142.c

II. Ad Corinthos.

1. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. 855.c.c.864.b
3. Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. 593.c 675.c 681.d.d.764.c
3. Littera occidit. 590.a.637.b.c.898.d.900.d
3. Moyses ponebat velamen super faciē suā vt non intenderent filij Israël in faciē eius: nos autē reuelata facie, &c. 895.c
4. Sed licet is qui foris est noster homo corrumpitur: tamen is qui intus est renouatur de die in diem. 7.a
4. Leues & momentaneæ passiones eternum gloriæ pondus operantur. 950.c.d
5. Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus. 201.d.240.b.209.d. 247.b.c
5. Qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit. 203.a. 268. 291.d.819.a.&seq.
5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, sicut gessit, siue bonum, siue malum. 212.c.351.a
5. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum. 818.c
7. Emundemus nos ab omni inquinamēto carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Domini. 57.d.935.b
8. Non imperans dico, sed consilium do, in præsenti vestra abundantia illorum inopiam suppleat. 1135.a
9. Vnusquisque prout destinauit in corde, non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus. 645.d
9. Multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ. 855.c
10. Captiuandum esse intellectum in obsequium fidei. 674.b
11. Timeo ne sicut serpens Heuam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri. 172.b.173.d
12. Paulus raptus in tertium cœlum, & in paradisū. 34.d.135.a
12. Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur. 310.a
12. Vosmetipsos tentate si estis in fide, an non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus in vobis est, nisi forte reprobi estis? 855.d
13. An experimentū quæritis eius, qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potēs est in vobis? nam etsi crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei. 855.d
13. Nam & nos infirmi sumus cum illo, sed viuimus cum eo ex virtute Dei in vobis, &c. 856.a

Ad Galatas.

In epistol. ad Galatas duplex quæstio tractatur. 771.b.
Item in eadē refutantur duo Iudaizantium errores. 923.d
2. Paulus quomodo dicitur naturā Hebræus. 408.c
2. Si per legē iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. 271.b.c
3. Conclusit scriptura omnia sub peccato, vt remissio per Christum daretur credentibus. 203.a
3. Omnes filij Dei estis per fidem. 408.c.
3. Si ex lege hæreditas, ergo non ex promissione. 771.b.c
3. Si data esset lex, quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia. 805.d
3. Lex propter transgressionem posita est. 907.d
3. Qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. 923.b
3. Christus nos liberauit de maledicto legis factus pro nobis maledictum. 923.c
5. Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. 73.d
5. Si Spiritu ducimini, non estis sub lege. 159.d.907.b.c
5. Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis. 771.b.c
5. Fructus Spiritus est Caritas, &c. 688.c
5. Nos autem spiritum ex fide, spem iustitiæ exspectamus: Nam in Christo Iesu neq; circumcisio aliquid valet, neq; præputium, sed fides quæ per dilectionē operatur. 798.d.799.a
6. Qui se existimat aliquid esse, cum nihil sit, seipsum seducit. 175.d

Ad Ephesios.

1. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati. 65.d.483.d.857.a
1. Qui omnia operatur secundùm consilium voluntatis suæ. 117.c.134.a
1. Christus instauravit quæ in cœlis, & quæ in terra sunt. 345.d
1. Prædestinauit nos in laudem gloriæ gratiæ suæ. 484.a
1. In qua nos sorte vocati sumus, prædestinati secundùm propositum eius. 484.b
1. Deus nos acceptos siue gratiosos habuit in dilecto filio suo. 820.a
2. Eramus & nos naturā filij iræ. 5.c.12.c.24.b.12.b.149.b 203.b.213.c.223.a.238.b.268.c.363 b.366.d
2. Gratiā estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est. 440.a
2. Cum essetis mortui peccatis & delictis. 683.d
3. Christus per fidem habitat in cordibus. 404.c
3. Per quem habemus fiduciam, & accessum in confidentia per fidem eius. 586.b
4. Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis 6.c.262.d.266.a.299.d.805.d.820.d
4. Deponite vos secundum pristinam conuersationem veterem hominem. 300.b
5. Fornicatio, & omnis immunditia aut auaritia ne nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo aut stultiloquium, &c. 78.b
5. Ecclesiam omnino esse sine macula & ruga. 60.a
5. Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ 208.b
6. Pax fratribus & caritas cum fide à Deo patre. 688.c
16. De matrimonio. 181.d

Ad Philippenses.

1. Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi 645.b.c
2. Deus est qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate. 433.c.438.c.441.a.703.d.686.b
2. Cum metu & tremore salutem vestram operamini. Deus enim est, &c. 490.c.504.a.680.d.703.d
3. Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim: sequor autem si comprehendam. 65.b
3. Quicunque perfecti sumus, hoc sentiamus. 65.d
3. Et inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est iustitia in fide. 719.b.772.a.c
4. In omni oratione & obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. 997.d. & seq. fusius explicatur.

Ad Colossenses.

1. Nos per Christum eripi de potestate tenebrarum. 339.a
1. Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. 346.a.b.
2. Cum mortui essetis in delictis. 689.a
2. Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi huius, quid adhuc decernitis, ne tetigeritis, ne gustaueritis, ne contrectaueritis? quæ sunt omnia in interitum ipso vsu, secundum præcepta & doctrinas hominum. 1074.b.& seq. 1091.c
3. Quid sit exuere veterem hominem, & induere nouum. 262.d.300.b
3. Mortificate membra vestra, quæ sunt super terra. 300.b Ferè totum tertium caput explicatur. 262.d

II. Ad Thessalonicenses.

2. Eo quod Caritatem veritatis non receperunt, vt salui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio. 133.d

I. Ad Timotheum.

1. Fui Blasphemus & contumeliosus, & persecutor, sed misericordiam consecutus sum quia ignorans feci in incredulitate. 58.d.81.b
1. Lex iusto non est posita. 259.b.159.b.c.907.c
1. Habens fidem & bonam conscientiam quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt. 108.b
1. Finis præcepti caritas de corde puro. 548.b
1. Vult omnes homines saluos fieri. 441.a.b.443.d.780.a
2. Vir non est seductus, mulier aūt seducta in prauaricatione fuit. 173.a.134.a.b.c.175.b.d
1. Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neq; dominari in virum, sed esse in silentio. 174.d
2. Quia prior Adam formatus est, deinde Heua. 374.d
2. Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. 209.d. 342.d
2. Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus 997.a.& seq.
4. Deus solus immortalis. 247.a
4. Omnis creatura Dei bona est. 257.c
4. Qui est saluator omnium hominum, maximè fidelium. 441.a.444.a
4. In nouissimis diebus discedent quidam à fide prohibentes nubere, & abstinere à cibis, &c. 1075.c.& seq.
4. Exercete ad pietatem: Corporalis enim exercitatio ad modicum valet, pietas autem ad omnia. 1090.a.b.
5. Qui suorum maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. 758.d
6. Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidem appetentes errauerunt à fide 168.c.169.a.264.b

II. Ad Timotheum.

1. Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem iustus iudex. 867.b
2. Ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem & resipiscant à laqueis diaboli. 710.a
2. Cognouit Dominus qui sunt eius. 494.d
2. In magna domo sunt vasa aurea & fictilia, alia in honorem, alia in contumeliam &c. 495.a
2. Discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. 495.a
2. Erit vas in honorem. 495.b
2. A quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem. 718.a
4. Quam reddet mihi in illa die iustus iudex. 985.b

Ad Titum.

1. Omnia munda mundis, inquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum, sed inquinata sunt eorum, & mens, & conscientia. 618.a
2. Sobriè, iustè, & piè viuamus in hoc seculo. 58.a
3. Per lauacrum regenerationis & renouationis. 208.b
5. Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei non ex operibus quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum, &c. 796. &seq.

Ad Hebræos.

1. Qui cum sit splendor patris & figura substātiæ eius. 740.c
3. Initium substantiæ eius. 740.c
4. Festinemus ingredi in illam requiem. 912.c
5. Factus est omnibus obedientibus sibi causa salutis æternæ. 780.d
6. Hoc faciemus siquidem permiserit Deus. 141.d.142.d
7. Melchisedec dicitur sine Patre, sine Matre, sine genealogia, neq; initium dierum, nec finem vitæ habens. 174.b
7. Christus & Leui in lumbis Abrahæ. 231.d
10. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit. 81.b
10. Patientia vobis necessaria est, vt facientes voluntatem Dei, reportetis promissionem. 910.a
11. Sine fide impossibile est placere Deo. 618.c.d.725.d
11. Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. 724.b
11. Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei. 724.d. 725.d.726.b
11. Fide Noë responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens aptauit arcam in salutem domus suæ, per quam damnauit mundum, & iustitiæ quæ per fidem est, hæres est constitutus. 727.a.740.b.797.b
11. Accedentem ad Deū oportet credere quia est, &c. 727.b.c
11. Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum. 726.c.764.c.809.a
11. Abel plurimam hostiam fide obtulit. Noë aptauit arcam. Abraham obediuit Deo. 764.b.c
11. Abel consecutus est testimonium quod esset iustus. 1097.b c.804.b
12. Deponamus omne pondus, & circumstans nos peccatum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

300.c.d
13. Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci, talibus enim hoſtiis promeretur Deus. 945.a.b

Epiſtola Iacobi.

Erit olim hæc epiſtiola dubiæ fidei modo non. 644.c
Scopus Epiſtolæ eſt, vt probet opera bona eſſe neceſſaria ad ſalutem. 911.c.d.931.d
1. Neminem à Deo tentari, ſed à concupiſcentia ſua. 19.d. 77.c.114.a.114.c.279.d
1. Concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum: peccatū verò cum conſummatum fuerit generat mortem. 77.c. 197.d 264.d.278.b.279.d
1. Apud quem non eſt tranſmutatio nec vicisſitudinis obumbratio. 224.b
1. Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. 280.a
1. Vt ſimus initium aliquod creaturæ eius. 301.a
1. Poſtulet in fide nihil hæſitans. 741.c.d
2. Qui offendit in vno factus eſt omnium reus. 83.a.84.b. 87.d.89.d.90.c.d
2. Qui enim dixit, non mœchaberis, dixit non occides. Quod ſi non mœchaberis, occides autem, factus es tranſgreſſor legis. 84.d.& ſeq.
2. Dæmones credunt & contremiſcunt. 124.d.756.c
2. Quid proderit fratres mei, ſi fidem dicat quis ſe habere, opera autem non habeat? nunquid poterit fides ſaluare illum? 755.b
2. Ex operibus iuſtificatur homo. 829.d.a
2. Abraham pater noſter nonne ex operibus iuſtificatus eſt, offerens filium ſuum ſuper altare &c. 932.933.b
2. Nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti. 932.d
2. Iudicium ſine miſericordia ei qui non fecit miſericordiam. 953.c.991.a
3. In multis offendimus omnes. 83.d.84.d.86.d.89.a.63.d. 65.d.301.b.

Epiſtola I. Petri.

Scopus epiſtolæ eſt vt probet opera bona eſſe neceſſaria ad ſalutem. 911.d.931.d
1. Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei. 915.d
2. Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. 67.a
3. Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis. 209.d

Epiſt. II. Petri.

Scopus epiſtolæ eſt, vt probet opera bona eſſe neceſſaria ad ſalutem. 911.d.931.d
1. Efficimur conſortes diuinæ naturæ. 803.b.& ſeq.
1. Satagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis. 857.a
2. A quo quis ſuperatus eſt huius & ſeruus eſt. 145.c.d.185.a.b.208.c.d.366.d.667.b
3. Deus neminem vult perire. 113.b.166.b.441.a.444.c.a

I. Epiſt. Ioannis.

Scopus epiſtolæ eſt, vt probet opera bona eſſe neceſſaria ad ſalutem 911.d.931.d
1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus. 63.d.64.c.d.65.d.66.a.71.b.78.d.83.b.d. 85.a 87.c.301.b
1. Si confiteamur peccata noſtra fidelis eſt & iuſtus, commutat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. 95.d.778.b
1. Deus lux eſt, & in eo tenebræ non ſunt vllæ. 114.d
2. Concupiſcentia non eſt ex Deo, ſed ex mundo. 19.d.21.c
2. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis totius mundi. 328.a.b
2. Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, permaniſiſſent vtiq; nobiſcum. 490.d
2. Quidquid eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ. 618.d
2. Qui natus eſt ex Deo, non peccat. 66.d
2. Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non ſeruat, hic mendax eſt. 759.c
3. Peccatum eſt iniquitas. 56.a.154.c.157.b.265.a.b. 317.b.626.c.d.
3. Omnis qui natus eſt ex Deo peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius manet in eo, & non poteſt peccare quoniam ex Deo natus eſt. 66.b.704.a.882.b
3. Peccatum in eo non eſt. 113.a.b
3. Qui facit peccatum, ex diabolo eſt. 114.d
3. Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt. 829.d
3. Scimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. 856.c
4. Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo. 404.c
4. Deus caritas eſt. 417.
4. Caritas ex Deo eſt. 688.b
4. Omnis qui diligit, ex Deo natus eſt. 780.b
4. In hoc cognouimus, quoniam in ipſo manemus & ipſe in nobis, quoniam de ſpiritu ſuo dedit nobis. 856.c
5. Et mandata eius grauia non ſunt. 290.b
5. Omnis iniquitas eſt peccatum. 317.a.b
5. Hæc ſcribo vobis qui creditis in filium Dei, vt ſciatis quia habetis vitam æternam. 744.d
5. Omnis qui credit, quoniam Ieſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt. 759.b.c.780.a
5. Scimus quoniam ex Deo ſumus. 865.c
5. Qui credit in filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe. 865.c

Epiſt. Iudæ.

Hæc epiſtola olim fuit dubiæ fidei nunc autem non ita.
Scopus epiſtolæ eſt, vt probet opera bona eſſe neceſſaria ad ſalutem. 911.d.931.d

Apocalypſis.

2. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei. 35.a
3. Ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis aperuerit mihi, intrabo ad eum. 115.c.397.423.d.447.c.d.697.a.b
3. Tene quod habes, ne alius accipiat coronā tuam. 495.c.d
14. Beati mortui qui in Domino moriuntur. 210.b
18. Quantum ſe glorificauit, & in deliciis fuit tantum date illi tormentum & luctum. 346.d.992.a
20. Diabolus ſerpens antiquus. 163.c
20. Qui non eſt inuentus in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis. 351.a
21. Nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum. 88.a
22. Qui in ſordibus eſt ſordeſcat adhuc, & qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc. 935.d

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM NOTABILIVM.

Abailardus.

Abailardi error de peccato originali. 189.d
Eius error de Chriſti incarnatione & paſſione. ibidem.
Infantes nec in Adamo periiſſe, nec in Chriſto ſaluari. ibid.
Negat Deo liberum arbitrium. 545.d
Negat hominibus liberum arbitrium. 566.d

Abel.

Abel ante Adamum mortuus eſt. 195.a
Primus benè viuendo cæteris præluxit. 199.c
Eius fides erat cauſſa religioſi operis. 764.b,765.a
Erat perfectè iuſtus iuſtitiâ inhærente. 797.c,804.b
Probatur iuſtus ab effectu operum ſuorum. 797.c

Abraham.

Abraham potuit licitè, Deo iubente, occidere filium ſuum. 152.c
Non celebrauit diem natalem filij ſui. 210.a
Celebrauit diem ablactationis filij. ibid.
Quomodo decimatus. 231.c,d
Illi & ſemini eius facta eſt repromiſſio. 239.d
Eius filij non carne ſed fide. 484.c,485.c,d
Eius fides commendatur. 733.a,764.b,766.d
Reputata eſt ei ad iuſtitiam. 844.d
Per caritatem operabatur. 782.a,b
Operibus conſummata eſt. 931.b
Quomodo iuſtificatus. 771.a
Eius iuſtificatio explicatur. 932.d
Reuelatum fuit ei quod eſſet iuſtus. 866.b
An fuerit prius iuſtificatus, quam de eo dictum ſit: credidit Abraham Deo. 933.d
Meruit promiſſam poſteritatis multiplicationē. 949.b,c

Acceptio perſonarum.

Acceptio perſonarum non eſt apud Deū. 439.c,440.b, 441.b,446.c,951.a,974.b
Eſt vitium contra iuſtitiam. 584.c,586.b,951.a,474.b
Non habet locum in donis gratiæ. 440.b
Prohibetur vt graue peccatum. 932,a
Quid ſit accipere perſonam. 974.b

Achab.

Achab Deo permittēte deceptus à ſpiritu malo. 127.d, 129.a,130.b

Actio.

Actionum inſtrumenta generalia tria: cor, lingua, manus. 56.b
Actionum tria ſunt genera, deſideria, facta, verba. 56.b
Actiones ſumunt ſpecies ab obiectis. 57.c
Actio aliquando eſt mala, vbi paſſio eſt bona. 121.d, 122.d
Actiones malę, quoad entitatem ſunt à Deo. 139.b,151.c,155.c,156.c
Aliquæ intrinſecè malæ. 151.d,152.b,156.d
Aliquæ prohibitæ, quia malæ, non malę, quia prohibitæ. 151.d
Quæ nullo modo benè fieri poſſunt. 151.d
Actionis malæ non eſt quærenda cauſſa efficiens, ſed deficiens. 152.d,& ſeq.
Actio mala non eſt effectio, ſed defectio. 153.a
Actionis defectus ſoli cauſſæ deficiēti tribuitur. 153.a,b
Actus peccati debet eſſe neceſſariò à libero arbitrio. 154.a
Actus moralis per ſe non eſt, niſi elicitus à libera voluntate. ibid.
Actus aliarum potentiarum ſecundùm ſe non ſunt morales, ſed ſolum vt imperantur à voluntate. ibid.
Actus morales debent eſſe certi & particulares. 154.b
Actio mala eſt à Deo, vt à cauſſa vniuerſali præbente vim communem & indifferentem ad illam actionem vel contrariam. 154.b,156.b,c,d
Actio mala non eſt talis in ſpecie vt eſt à Deo, ſed vt eſt à particulari cauſſa. 154.c,d
Actio particularis eſt à Deo, ſed non ideo talis quia à Deo, ſed quia à noſtra voluntate. 155.a,d
Actiones bonæ & malę quomodo differunt in ordine ad cauſſas. 155.d
Bonæ ſupernaturales fiunt à Deo per auxilium ſpeciale, & à Deo habent vt ſint tales. 155.d
Bonæ moraliter ſunt à Deo per auxiliū generale. 155.d
Duas ob cauſſas tribuuntur Deo vt tales in ſpecie. 155.d
Actiōes bonas Deo intēdit. 155.d,&156.a
Suadet. 155.d } Cōtrarium de actione maledicendum. 156.a
Imperat. 155.d }
Laudat. 155.d }
Actio mala non poteſt Deo tribui. 156.a
Turpitudinem & actiones ipſas turpes, Deus auerſatur. 156.a
Actiones intrinſecè malæ nullæ ſunt niſi vt determinatæ & tales in ſpecie. 156.d
Actuum malorum priores ſunt interiores, quàm exteriores. 167.d
Actuum interiorum circa bonum intelligibile prior eſt actus circa finem, quam circa media. 168.a
In omni actione requiri quatuor cauſſas. 535.b
Actio immanēs idem habet efficiēs & ſubiectum. 535.b
Naturalis eundem finem & formam. 535.b
Actus voluntatis ſubiectū & efficiens eſt volūtas. 535.b
Actio voluntatis à quo ſpecificatur. 535.d
Actus voluntatis ſunt diuerſarum ſpecierum, quia diuerſa ſunt obiecta. 535.d
Actiones aliquæ incipiunt & definunt in eodem inſtāti. 539.c
Humanæ ſunt triplicis generis. 535.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hominum naturales necessariò sunt bonæ vel malæ in individuo, ex genere tamen suo indifferentes. 553.b
Actionum singularum homo cur sit Dominus. 578.d,579.a,b
Actiones singulares sunt, non vniuersales. 592.b
Actiones internæ nostræ sunt, diuitiæ alienæ. 655.d
Actiones peccatorum bonæ moraliter non habẽt vllum ordinem ad gratiam. 687.a
Actiones, id est, opera mala quæ runt tenebras. 852.a
Bona lucem. 852.a,& seq.

Adam.

Adam secũdùm Pelagianos sine donis naturalibus creatus. 1.c
Lapsu nihil amisisse. 1.c,2.a
Adę integritatẽ secundùm Lutherum & Caluinum fuisse naturalem. 3.a,b
Suo lapsu aliquid naturale scilicet liberum arbitrium perdidisse. 1.d
Adã non erat creatus vt modò nascimur, pronus ad malum, sed rectus, iustus, & sapiens. 3.c,& seq. 44.a,b
Fœlix in paradyso. 6.a.25.b,c,27.a, 30.b,c
Accepit in creatione gratiam gratum facientem. 6.& sequentibus.
Ornamenta eius in paradyso. 9.& seq.
Eius rectitudo erat donum supernaturale. 12.a
Eius caro ante lapsum non potuit rebellare spiritui, sed Spiritus potuit rebellare Deo. 12.b,23.c, 24.d
Eius iustitia originalis quomodo potest dici naturalis. 12.c,22.a,b, 24.a
Eius rectitudo etiam partis inferioris, fuit donum supernaturale per se. 13.b
Refutantur argumenta quæ probant eius integritatem fuisse naturalem. 21.& seq.
Adæ & angelorum ante lapsum qualis gratia? 22.b, c, d
In statu innocentiæ quomodo Christi morte non egueri? 25.b
Eius gratia lætior, nostra potẽtior. 22.c,24.d,25.a,25.c
Habuit in paradyso angelum custodem. 30.a
Adæ corpus natura fuit mortale, gratia immortale. 31.a,b
Adam & Heua quo die creati. 34.a
Adam non est creatus in paradyso, sed postea ibi positus. 36.b
Adam de paradyso expulsus, ne lignum vitæ attingeret. 45.a,b
Adamo imperatum fuit vt de omni ligno paradysi comederet, excepto tantùm ligno scientiæ boni & mali. 46.c
Nec Adamum nec dæmonem sciuisse vbi erat arbor vitę in paradiso. 46.d
Adam post peccatũ eiectus est de paradyso, ne si mansisset in æternam incidisset miseriam. 45.b,c,d, 47.a
An si Adam non peccasset transferendus fuisset simul ad beatitudinem totus electorum numerus, an successiuè. 47
Adamum prædestinatum fuisse & nunc in cœlis esse. 68.a,184.c,d
Adamum peccando fidem amisisse, & hæreticum fuisse, 68.a,b.c,172.173.b,c
Adam fuit vas in honorem factum. 127.c,d
Adami lapsum fuisse à Deo decretũ, & definitũ, & volitũ secundùm Caluinum & Bezam. 140.b,146.b,c
Adam per liberum arbitrium potuit cadere vel non cadere. 146.d
Adam lapsum potuit Deus vel iustè punire, vel misericorditer liberare. ibidem.
Adamus naturam in se vitiauit. 149.b
Adamum non peccasse, nec peccare vel ad peccatũ tentari potuisse: error. 157.a
Adamum tantum admonitum, non aliqua lege prohibitum ne comederet de ligno scientiæ boni & mali. 157.a
Adamum fuisse vera lege prohibitum ne comederet de ligno scientiæ boni & mali. 157.c
Gustando grauiter peccasse. ibidem.
Grauiter punitum fuisse. ibid.
Adam in paradyso non erat sub lege. 159.d
Non erat sine lege. ibidem.
Erat in lege. ibid.
Adæ tentatio in paradyso, vide tentatio.
Adam in paradyso, qualibus Dei præsidiis instructus? 161.a
Adam fuit à Diabolo tentatus, vt si (quod potuit) superasset hostem, gloriosius triumphasset. 161.a,162.b,165.a
Adam non cognouit Euam, nisi postquam eiectus est ex paradyso. 164.c,d
Adam & Eua perfecti in statura creati sunt. 164.d
Statim gignere potuissent. ibid.
Adam habuit scientiam infusam à Deo. 170.a
Adam videns Heuam comedentem de pomo vetito & non morientem, ipse etiam comedit persuadens sibi quòd non moreretur. 173.a,c,175.b,c,
Adam non fuit seductus sed alia ratione errauit. 173.a,d,& seq. 175.b
Adam quomodo dici potest seductus. 173.d.& sequen. 175.d
Adam in tribus errauit & quare? 175.b,c
Adam habuit hostem debiliorem. 179.a
Adam præceptum ab ipso Deo immediatè accepit, Heua ab Adamo audiuit. 172.b, 179.a
Adam non agnouit culpam suam. 179.a
Adam grauius reprehensus à Deo, quàm Heua. ibid.
Adam & Heua pœna mulctati. 179.a
Adam & Heuam damnatos esse, hæresis Tatiani. 184.c,d
Non esse damnatos probatur ex traditione. 184.d
Adæ & Heuæ Deus non maledixit, at serpenti. 185.a
Adam ibi sepultus, vbi Christus passus. 185.a,& seq.
Adam Christi sanguine saluatus. 185.b
Adæ cadauer Christi sanguine aspersum, anima saluata. ibidem.
Nomen ADAM variè accipitur. 186.b
Adam tales genuit, qualis ipse post peccatũ fuit. 217.c,d
Adam quoad animã fuit iustificatus à peccato antequam filios generaret. 233.d
Adam factus ex terra nondum maledicta. 241.d
Adam quomodo forma Christi. 153.b, 241.d
Adamo si non peccasset, in omnes posteros transmisisset iustitiam originalem. 254.a
Adæ voluntas fuit quodammodo totius naturæ. 327.a
Adam ante peccatum cognouit rerum omnium naturas. 366.a
Adam rebus omnibus nomina imposuit. ibidem.
Adam non peccante, tantum certus numerus prædestinatorum fuisset nasciturus. 481.c,507.b
Adæ liberum arbitrium & nostrum differunt. 660.b, c, & seq.
Adam peccando, Deus iudicando nos cõdemnat. 792.d
Adamum liberare à Dæmone valde consentaneum fuit. 185.a,b

Adæ peccatum.

Per Adæ peccatum totum hominem factum esse deteriorem. 1.d, 5.b,c,d. 24.a,357.a
Adam non amisit peccando liberum arbitrium. 2.a
Amisit tantùm dona supernaturalia. 2.a,4.a, 13.a
Nihil amisit secundùm Pelagianos, liberum arbitrium secundùm Lutheranos. 1.d, 2.a
Non amisit imaginem Dei, se similitudinem. 5.a, b
Adæ peccatum est causa cur erubescimus nudi. 5.b

Dici potest naturale. 24.a,b
Naturam in se vitiauit. 149.b
Adæ fuit voluntarium, nobis naturale. 149.b
Adæ primum peccatum non fuit quod anteuertit esum ligni scientiæ. 164.b
Non fuit intemperantia, nec immoderatus amor coniugis. 164.c, 178.d
Fuit infidelitas secundùm Lutherum & Caluinum. 165.c.166.d, 167.b,d,168.b
Fuit superbia. 165.b,167.b,& seq.
Probatur ex patribus. 167.a,b,& seq.
Primi etiam angeli fuit superbia. 165.d
Adam per primum peccatum amisit originalẽ iustitiam. 166.a
Adæ primum peccatum fuit superbia occulta. 169.c,d
Fuit superbia qua voluit esse Deo similis. 167.a,c,168.c, 169.c,d.& seq. 175.b,c
Hæc superbia habuit initiũ à nullo errore, sed à sola inconsideratione. 170.d
Adam paulatim seductus est, vt per amorem sui perueniret ad contemptum Dei. 170.d,& seq.
Eius primum peccatũ non potuit esse veniale. 176.b,c,d
Fuit grauius peccato Heuæ absolutè. 177.c,178.a
Secundùm aliquos fuit æquale. 177.b,c
Continuit septem actus malos. 177.d
Grauius læsit humanum genus, quam Heua. 178.c, 180.a,b
Adam causa, Heua occasio perditionis nostræ. 178.c
Adam non audire, sed docere Heuam debuit. 179.a
Adæ peccatum quomodo grauissimum, quomodo non? 179.
Non fuit absolutè omnium grauissimum. 179.c
Non fuit odium Dei. ibid.
Fuit ex triplici capite grauissimum, ex facilitate magna non peccandi, ex eo quod habuit tantum vnum facile præceptum, & quod facile erat illi non peccare. 179.c,d
Quã magna & manifesta beneficia à Deo accepit, quam ingratus extitit. 180.a
In eo omnes in initio peccauerunt. 180.b,121.d,& seq.
Adæ peccatum non nocuit posteris secundùm Pelagium propagatione, sed exemplo. 189.a
Refutatur ex quinto capite ad Romanos. 193.d, & sequentibus.
Adæ peccatum propagatum cum natura. 197.d,& seq.
Potest dici vnum & plura. 201.d
Adam peccans in se, omnium personam gerebat. 198.c, 221.c,d,222.a,237.a
Adam nõ Heua causa primaria originalis peccati. 212.b, 237.a
Adæ peccatum non Heuæ traducitur in posteros. 212. 221.
Adæ anima prius vitio infecta quam caro. 234.d
Adæ peccatum solum, non etiam proximorum patẽtum, transmitti ad posteros. 253.& seq.
Adæ peccatum omnibus commune. 327.b
Perfectissimè voluntarium. 662.a,663.b
Pœna nullius peccati. 662.a,b
Nostrum per generationem perductum. 825.a
Adæ peccato amisit homo imperium in cætera animantia. 363.c,d

Adolescens.

Adolescentes præcipites in malum feruntur, quamprimum accedit vsus rationis. 25.d
Etiam in puris naturalibus fuissent proni & præcipites ad malum. 25.c
Insaniunt libidine. 361.d
De adolescente diuite 19. capite Matthæi. 893.d

Ægrotus.

Ægroti nunquam sunt contenti. 360.d

Æstas.

Æstas non est apta ieiuniis. 1107.b
Æstatis nimius calor exigit cibum modicũ, sed frequentem 1107.c
Tum pisces facile putrefiunt, multi tum labores, multæ ægritudines. ibidem.

Agricola, Agricultura.

Agricolarum triplex labor. 182.c,d
Agricultura necessaria est. 1002.a

Albigenses.

Albigensium error circa peccatum originale. 189.d

Amicitia.

Amicitia inter homines nõ debet, nec solet dissolui proleui qualibet offensione. 82.a,b
Amicitia oritur ex similitudine non naturæ sed morum. 410.d
Eius fundamentum inter nos & Deum. 410.a

Amor.

Amor sui radix & causa omnium malorum. 330.b
Amor Dei oritur ex ordinato amore sui. 691.c
Amor sui inordinatus est cupiditas. 591.c,d
Parit contemptum Dei. 691.c,d
Amor sui ordinatus est Dei donum. 691.d
Amor sui facilis. 692.b

Anabaptistæ.

Anabaptistæ cum Pelagianis dicunt, mortem quidem corporis trahi per generationem ex Adamo, non tamen peccatum quod est mors animæ. 189.c
Docet infantes non baptizãdos, quia carẽt peccato originali. ibid.
Anabaptistæ ex Lutheranis promanarunt. 97.c

Angelus.

Angeli quomodo Deo adhæreant. 22.b,c
In Angelis Deus simul condidit naturam, & largitus est gratiam. 22.c,d
Nec angeli nec homines sine gratia meritũ habere potuerunt. 23.a
Angeli & primus homo qualem gratiam habuerint ante lapsum 23.b,c
Angelorum custodia. 30.a,b
Angeli custodierunt paradisum, ne homines intrarent post peccatum Adæ. 36.c,d,45.c,d
Angelos modò non custodire paradisum, ne homines intrent. 37.c
Angeli veri & sancti custodierunt paradisum. 43.c
Angelorum tempus viæ & meriti fuit breuissimũ. 46.a,b
Angeli & animæ fiunt malæ, cum à Dei bonis deficiant. 115.d
Angelos & homines similiter relictos sibi cum libero arbitrio in creatione. 146.d,148.d
Angelus malus in paradyso bonum hominem tentauit. 160.d,161.a
Deuicit. 161.a
Angeli boni vel mali loqui possunt per ora animalium brutorum. 163.d
Angelorum primum peccatum superbia. 166.a, 168.d
Angelus commisit primum omnium peccatum. 194.c, d, 197.a, b
Angeli non sunt formæ cœli. 227.a
Eodem instanti creati & gratia imbuti. 244.b
Immortales per participationem. 247.a
Naturaliter incorruptibiles. 259.a
Sunt substantialiter immutabiles. 259.a
Angelorum voluntates quam immutabiles? 360.b.c
Angeli præpositi singulis gentibus. 444.c
Iuuant & promouent bonas hominũ voluntates. 453.c
Angeli & homines diuersa ratione prædestinati. 453.a
Angelorum maior pars ad vitã prædestinata fuit. 535.d, 552.a
Angelos gratis esse & electos, & prædestinatos. 507.a,b,c

Universidad de Deusto
Biblioteca

Angelorum & hominũ electio siue reprobatio quomodo differunt? 507.a
Angeli mali partim ex Dei voluntate, partim ob præuisa peccata reprobati. 506.d. & seq.a
Angeli prius ad gloriam prædestinati, quam eorum opera præuisa. 507.c
Angelorum reprobatio negatiua non pendebat ex præuisione peccati. ibid.
Reprobatio positiua vel damnatio fuit ex peccatis præuisis. 507.d
Angelorum beatitudo ex beneficio gratiæ. 608.b
Angelorum & hominum dignitas in ordine ad gratiam & gloriam quomodo differt? 608.b,c
Angelis homines naturâ inferiores, gratia & gloria æquales. 608.b,c
Angelis tantum data est gratia habitualis non autem excitans. ibid.
Angelos habere liberum arbitrium. 543.b
Angeli simul caussam & effectum cognoscunt. 547.c
Angeli & homines æternam prouidentiam, velint, nolint, sequuntur. 549.c,d
Angeli beati quale habeant liberum arbitrium, respectu finis vltimi? 628.d
Quale, respectu mediorum. 628.d
Angeli boni benè faciunt, non tamen augetur eorũ præmium essentiale. ibid.

Anima.

Anima hominis sedes peccati. 223.d,235.a,236.a,267.d,277.a.292.a,299.c,d
Animæ rationalis origo. 224.
De origine animæ sententiæ sex. 224.a
Animas humanas esse particulas substantiæ Dei. 224.a,b
Quos habuerit sectatores. 224.b
Refutatur & damnatur vt hæresis. ibid.
Anima humana mutabilis in malũ per peccatum: in bonum per gratiam. ibidem.
Anima tribus modis potest à Deo produci. 224.c
Animæ bestiarum spiritus vocantur tertio capite Ecclesiastæ. 224.c
Animæ humanæ ex nihilo creatæ. 224.c,229.a
Animæ humanæ omnes simul à Deo creatę, & quomodo in corpora detrusa, error originis ex Platone decerptus. 224.d
Reiicitur & condemnatur hic error. ibid. & seq.
Animas non esse detrusas in corpora tanquam in carceres, probatur multis rationibus. 225.a, & seq.
Anima quomodo in corpore tanquam in carcere. 225.d, 227.a
Animæ humanæ quomodo creatæ omnes simul. 226.a
Non prius factæ quam in corpora infusæ. 226.b
Anima est natura imperfecta, pars ac forma hominis. 226.c,d
Naturaliter coniungitur cum corpore. 226.d, 341.c
In corpore non intelligit sine phantasmatibus. 227.a
Eius conditiones in corpore. ibid.
Animam vt corpus à patre generari vel traduci, error Tertulliani & Apollinaris. 228.a
Refutatur & condemnatur. 228.b
Animæ bestiarum materiales ex materia eductæ. 228.c, 231.c,236.c
Animæ hominum immateriales à Deo creatæ. 228.b
Anima, vitæ principium. 228.d
Anima primi hominis non educta ex materia, sed à Deo creata ex nihilo. 228.d
Animæ non propagantur ex parentibus, sed creantur à Deo. Probatur ex patribus. 229.b,& seq. Rationibus. 230. & seq.
Anima aduenit perfecto iam corpore. 229.c,d
Animæ hominum sunt immortales, est principium fidei. 230.c, d
Per se subsistunt. 230.c
Animę pecudum per se non subsistũt, sed à corpore pendent, quo pereunte pereunt. 230.c
Anima humana est forma corporis. 226.c,d,& seq.231.b,363.a,b
Sæpe accipitur pro toto homine. 231,c,d
Tum creatur & infunditur, cùm fœtus in vtero præparatur ad animationem. 232.d
Non inficitur à carne. 235.b,c
Inficitur per coniunctionem cum carne ex Adamo tracta. 235.d,236.b
Non trahitur ex Adamo. 236.a
Potest eodem instanti creari, & gratia repleri. 244.a,b
Animæ primorum parentum simul creatæ & gratia imbutæ, sicut & anima Christi. 244.b,c
Anima beatæ Virginis fuit in primo instanti creationis sine peccato. 246.c
Anima rationalis non est naturaliter corruptibilis, nec substantialiter mutabilis: est vna & impartibilis: varios habens gradus. 259.a, b
Anima Christi eiusdem speciei cum animabus nostris. 259.b
Animæ non carni dantur præcepta. 285.a,295.b
Anima in corpore tanquam in vase vitiato corrumpitur. 322.d
Animæ separatæ imperfectè intelligunt. 341.d
Post resurrectionem corpora sequentur animas, non contrà. 346.d
Animam esse immortalem naturaliter cognoscimus. 359.d
Animæ pars inferior læsa ab originali peccato. 361.a,b
Animæ inferioris partes & potentiæ. 361.a
Anima immortalis corpus immortale desiderat. 363.a
Animæ peccatricis descriptio. 402,b,c
Anima quomodo trahitur & alliciturad Deum. 429.b
Anima hominis imago Trinitatis. 521.a,527.b,c
Habet liberum arbitrium. 650.d,657.c,658.c,561.b
Animam sibi, corpus animæ subiecit Deus. 658.b,c
Anima nostra separata naturaliter propendet ad corpus, neque tamẽ naturæ viribus potest cum corpore coniungi. 691,b,c
Anima rationalis differt ab omnibus aliis formis: vi gratiæ excitantis & adiuuantis disponitur, vt ei gratia iustificationis diuino munere infundatur. 716.a
Anima iusti sponsa Christi pulcherrima. 811.b

Animantia.

Animantia rationis expertia fuissent cum homine in paradiso, si non peccasset. 42.b,c,d
Bruta non sumpsissent de fructibus arboris vitæ. 42.d
Bruta non habuissent immortalitatem si de ligno vitæ gustassent. 42.d,43.a
Animantia bruta per se loqui non posse. 162.d, 1027.b
Per animantium brutorum ora angeli boni vel mali loqui possunt. 162.d
In animantibus cor primum incipit viuere, & vltimum desinit viuere. 168.d
Animãtia bruta quare peccare non possunt. 154.b, 305.a,519.c,701.b
Omnia homini obedire debent. 305.a,363.d
Bruta quot gradibus inferiora hominibus. 320.b
Nulla erunt amplius post diem iudicij. 341.a
Bruta multa mala patiuntur ex conditione naturæ. 352.a
In qua re homines superant. 357.c
Nulla tam inconstantiora quam homo. 360.c
Cur non obediunt homini. 363.d, 367.a
Iis homo ad commodum suum vtitur. 363.d

Non

Non timebant Adamum, nec contra ante peccatum. 367.a
Cur quibusdam sanctis viris mansuetè obedierũt. 367.b
Animantium brutorum appetitus cur ad vnum determinatur. 525.b,526.a
Animantia bruta habere quid simile libero arbitrio, videntur habere rationem. 542.b
Quæ nam sit suprema animantium potentia. 542.b
Habent conditionalem libertatem, absolutam necessitatem, homines contra. 542.b
Omnia eiusdem generis eadem habent operationes. 542.c
Animantia bruta habent libertatem, à coactione. 627.c, 646.a,652.b.653.c,654.b
Nihil possunt mereri. 657.d
Animantia bruta in quem finem creata. 1073.a
Non solebant comedi, nisi post diluuium. 1073.a
Aliqua ad nihil vtilia videntur. 1073.a

Animus.

Animorum dispositiones sequuntur corporum complexionem. 322.a
Animi dolor & pœna sensus quomodo differunt? 355.b

Antichristus.

Antichristi signa. 1035.a,b

Apostasia.

Apostasia non fuit prior, quã superbia in angelis & Adamo peccantibus. 166.b

Apostolus.

Apostolos habuisse omnia dona. 419.d
Apostoli obseruabant eadem orationis horas, quas nũc obseruamus. 1036.b.& seq.
Primi fuerunt, qui in lege noua, relicta cura secularium rerum, orationi vacarunt. 1039.a
Apostolorum ieiunium & abstinentia. 1065.d
Apostoli in suo consilio quosdam cibos prohibuerunt. 1070.c,1074.b
Apostoli quædam ieiunia instituerunt. 1074.b
Apostolica traditio est, quadragesimam ieiunare. 1072.c
Apostoli quando infirmi, quando fortes? 1077.c,d
Ab Apostolica traditione sunt illa quæ in vniuersa Ecclesia seruantur, & in nullo Ecclesiæ consilio instituta inueniuntur. 1099.b, 1111.a
Apostolos non præcepisse ieiunium quatuor temporum. 1112.c
Apostolicas constitutiones nihil nisi verum continere, non tamen ab omnibus recipi. 1120.a
Apostolici quidam hæretici negarunt licere Christianis diuitias possidere. 1138.c

Appetitus.

Appetitus inferior in Adam ante lapsum fuit subditus rationi & parti superiori vt etiam ratio & pars superior Deo. 6.b,9.c,d,10.a,12.b,25.c
Appetitus inferior & superior sibi mutuò repugnant in homine post lapsum Adæ. 3.b,5.a,12.a,b,13.c,14.a,25.c, 365.c
Carnis obedientia ad spiritum non fuit in primo homine naturalis, sed supernaturalis & gratuita. 14.a.& seq. 19.& sequentibus.
Appetitus inferio in primis parẽtibus non potuit repugnare rationi, nisi prius repugnaret ratio Deo. 164.d, 167.d,176.d
Appetitus carnis sæpe præuenit rationem. 176.c,d
Irascibilis in homine qualis sit? & qualis esse debeat? 361.b,c.d
Concupiscibilis quãtum imperium habeat in rationem? 361.d,362.a
Inferior peccato debilitatus. 414.c
Rationalis est voluntas. 524.b,c,526.a
In bestiis ad vnum determinatus. 525.b, 526.a,b
Sua natura est capax libertatis. 626.b
Appetitiuæ & apprehensiuæ potentiæ discrimen. 536.a
Appetitus animalis, rationalis & inanimis quomodo differunt in ordine ad acquisitionem finis. 541.d, 542.a
Appetitus semper sequitur cognitionem. 571.c
Appetitus inferior natura apta est obedire, superior imperare, inferior tamen potest reluctari. 606.d
Superior imperat inferiori non despotico, sed politico imperio. 607.a
Appetitus inferior superat superiorem, quatuor de caussis. 607.a,b
Appetitus inferior multis annis viget ante superiorem. 607.a,b
Inferioris obiecta sunt præsentia, superioris futura. ibidem.
Illa viciniora, hæc remotiora. ibidem.

Aqua.

Aqua post diem iudicij cooperiet totam faciem terræ. 341.a,b,346.b,c
Aqua initio totam terram ambiebat. 341.a,b
Aqua quare Dei iussu in vnum locum congregata? 341.b

Arbor.

Arbor vitæ, vide, *lignum vitæ.*
Arbor scientiæ boni & mali. 44.a,b
Arbores in paradiso duæ mirabiles. 44.d
Arbor scientiæ, arbor mortis. 45.a
Arbor scientię natura sua non poterat tollere ab Adamo immortalitatem. 158.a
Arbor scientiæ quid mysticè possit significare? 164.b,c
Arbor scientiæ erat quoddam bonum. 157.c, 321.c, 654.c,d
Arboris scientiæ esus non ad tempus, sed in perpetuum erat prohibitus. 164.b,c

Arnobius.

Arnobius præceptor Lactantij. 216.a,b
Quo tempore floruerit? 657.b
Arnobij fuerunt duo. 657.b

Asina.

Asina Balaam, vt habetur Numerorum 22. locuta est. 163.d

Attentio.

Attẽtio in horis canonicis recitandis est triplex. 1052.d
Alia ad verba, alia ad sententias, tertia ad Deum qui oratur, & quęlibet sufficit, nec requiritur vt sit semper actualis, sed satis est si sit virtualis. 1052.d

Auaritia.

Ex auaritia quæ vitia oriantur. 1126.d
Auaritia radix omnium malorum. 1127.a

Augustinus.

Augustinus non erat author quæstionum noui & veteris testamenti. 8.d
Composuit Canones concilij Mileuitani. 78.d
Orauit pro matre defuncta. 91.d
Quare scripsit tres libros de libero arbitrio? 117.c
Probat ex traditione Adamum esse saluatum. 184.d
Purgat Chrysostomum Pelagianismi suspicione. 190.b, 217.a
Senex scripsit quatuor libros de origine animæ. 232.c
Post libros in Genesim, & epist. ad Optatum. 233.c,d
Quod studens non intellexit, Deum orauit, vt intelligeret. 233.a,c,d
Ordo librorum S. Augustini. 288.b
Laudatur à Papa Cælestino. 487.d
Eius doctrina de prædestinatione approbatur. ibid.
Eius doctrina de gratia & libero arbitrio commendatur à Leone Papa, recipitur in Concilio Arausicano. ibid.
Omnia eius scripta approbantur à Gelasio Papa in Con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cilio LXX. Episcoporum, & damnantur contra sentientes. ibidem.
Non scripsit librum de prædestinatione & gratia. 500.a
Iuuenis scripsit libros ad Simplicianum. 501.b,c
Senex ad Sixtum & Paulinum. 501.c
Augustinus post Chrysostomum, & ante Prosperũ scripsit. 632.c,d
Eodem tẽpore scripsit librum de correptione & gratia, & librum de gratia & libero arbitrio, & epist. 46. ad Valentium. 634.d
Laudat Chrysostomum. 651.c
Enumerat errores Tertulliani. 653.b
Commendat S. Hilarium. 654.a
Innocentium Papam primum. 656.b
Enumerat errores Pelagij. 665.b
Quos libros scripserit antequam factus sit Episcopus? quos postea? 699.a

Autumnus.

Autumnus non est aptus ieiuniis propter plurimos labores agricolarum, & varias ægritudines. 1107.b

B

Balaam.

BAlaam asina locuta est. 163.d
Balaam multa de Christo verè prophetauit. 420.a

Baptismus.

Baptismus necessarius infantibus. 205.d,206.c,207.b,c
Omnibus omninò necessarius. 207.a,b,c,208.a, 244.d
Baptismi ex sufflatio, exorcismus, & ceremoniæ. 207.c, 208.c,d,239.b,c,339.b,c, 343.c
Datur in remissionem peccati. 208.a
Est regeneratio ex aqua & Spiritu sancto. 208.a,b
Baptismi forma. 208.b
Honores. 217.a
Est fornax decoquens sordes peccati. 217.d
Baptismo non solùm condonatur peccata, sed etiam infunditur gratia, ornatur anima. 219.b,c,283.b
Est Sacramentum fidei. 246.a
Eius effectus vel fructus. 283.d
Omnia tollit peccata, non tamen omnes infirmitates. 281.a,b,294.a,295.& seq.304.& seq.307.d.308.a,d, 310.d,312.c
Baptismus adultorum & paruulorum inter se comparantur. 307.c
Baptismatis vnda signo crucis consecratur. 332.c
Quomodo restituit originalem iustitiam? 334.c
A laico aliquando debet conferri. 338.b,c
Aufert homines de potestate diaboli. 339.& seq.
Est vnicum instrumentum, quo paruulis applicatur redemptio Christi. 343.a
Sine Baptismo moriuntur tria genera hominũ. 347.c,d
Baptismo Christus induitur. 351.c,d
Infunditur habitus gratiæ & virtutum. 399.c,d
Est natiuitas secunda. 400.d,402.d,411.a,b
Infantes, amentes, dormientes quandoq; iustificat. 403.d
Non confert actualem, sed habitualem iustitiam. 403.d
Est renouatio & regeneratio. 403.d
Baptismus sanguinis. 503.b
Baptismus in voto. 679.c
Non iustificat sine fide. 786.d
Immersio & emersio quid significant. 804.c,d.& seq.
Inualidus quando. 863.b
Recenter baptizati statim morientes saluantur. 909.d
Baptismi ceremoniæ antiquæ. 954.c

Beatitudo.

Beatitudo est status omnium bonorũ aggregatione perfectus. 340.d
Ad beatitudinem requiritur loci commoditas. 341.c
Beatitudo naturalis requirit perfectionem virtutũ moralium. 341.c
Beati quibus nominibus vocantur. 345.a,b
In adeptione vltimi finis consistit. 357.c
Beatitudo huius vitæ in virtute perfecta consistit. 359.d
Vix cuiquam curæ est. 359.d
Nunc est donum gratiæ, fuisset merces meriti, si Adam non peccâsset. 508.d
Quomodo liberè, quomodo necessariò eam appetimus? 517.b,d,518.a, 525.c
Beati non sunt liberi circa visionem diuinam. 578.d, 712.c
Confirmantur in actuali amore Dei & proximi. 623.c
Quomodo habent arbitrium à necessitate liberum, vel coactione respectu finis & mediorum. 628.c,d
Beatorum præmia non sunt æqualia. 884.c,886.b,c
Beatitudo merces meriti tribuitur misericordiæ. 953.d
Beatitudinis amor spem omnem præcedit. 961.d
Beatitudo lõgè superat actionem nostram meritoriam. 990.a
Beatitudo obiectiua est ipse Deus. 990.a
Beatitudines Euangelicæ. 1006.c,d

Benedictio.

Benedictio Dei dat fœcunditatem. 182.a, 225.a, 1002.a
Quantam vim habuit in virgine Maria. 241.d, 242.a, 248.c
Benedictiones ciborum & mensæ. 1066.c,& seq.

Beneficia.

Beneficia Dei in nos non sunt tam perfecta quàm ea, quæ dedit Adæ. 170.a
Sunt gratiæ. 394.a
Communia sunt iustis & impiis. 840.d
Non sunt amores aut odij Dei certa indicia. 840.d
Deus aliquando ea dat peccatoribus ad misericordiam, aliquando ad iudicium. 1017.a

S. Bernardus.

S. Bernardus omnia sua scripta subiicit auctoritati & examini Romanæ Ecclesiæ. 250.b

Bonum.

Bona nostra & Dei sunt & nostra. 119.a
Bonum, est in nullo deficere. 120.
Bonum ex integra caussa. 105.c,927.c,931.a
Est solum obiectum voluntatis. 107.a, 121.a, 167.c, d, 524.d, 536.b
Bona quædam simul expeti non possunt. 526.b
Bonum cognitum, est caussa finalis amoris. 534.d
Bonum morale, est melius obseruatione precepti secundum substantiam operis. 607.d
Non potest cum peccato fieri. 607.d
Est congruum naturæ. 612.b
Naturaliter appetitur & cognoscitur. 612.d
Boni homines inter opera bona habẽt aliqua mala. 615, d.620.a.b
Bonum opus propriè tantùm est illud, quod est meritorium gratiæ & gloriæ. 621.b
Bonum morale est quidquid non est peccatum. 621.c
Bona omnia sunt à Deo. 621.d
Bonum moraliter præcipit & consulit Deus. 623.b
Bonum meritorium gratiæ & gloriæ maius habet auxilium à Deo, quàm bonum morale. 623.c

C

Cain.

CAin à Deo derelictus conuerti non potuit. 447.a
Excusando se auxit peccatum. 653.a

Caluaria.

Caluaria à Cranio Adæ nomen accepit. 185.b

Cantus.

Cantus secũdùm errorem cuiusdam Hilarij ab Ecclesia excludendus. 1045.c,d,& seq.

Cantus aporobatur exẽplo Angelorũ, & Dauid. 1044.a
Item exẽplo Christi, & discipulorũ Pauli & Silæ. 1044.d
Cantus finis. 1044.c
Cantus probatur ex Conciliis. 1045.a,b,c, ex Patribus. 1045.c, ratione. 1046.c, & seq.
Cantus funebris probatur. 1046.a
Cantus in orientalibus Ecclesiis primum, tum in mediolanensi Ecclesia, deinde in aliis. 1046.a
Totus populus quomodo solebat in Ecclesia cantare. 1046.a
Cantus in Ecclesiis Galliæ ante Ambrosij tẽpora. ibid.
Cantus vtilitates & effectus singulares enumerantur. 1046.d
Cantatio est oratio. 1049.a,b
Cantus & inflexio vocis affectum supplicantis indicat. 1049.b
Organa & instrumenta musica quo tempore, & quate in Ecclesiis primum instituta. 1049.c,& seq.
Cantantibus laudem Dei Angeli cantando respondent. 1053.d

Caritas.

Caritas animæ vita. 50.b,413.a
Caritas finis præcepti. 65.a,82.d,85.a,90.b
Caritas est vera perfectáque iustitia. 83.b,407.d,416.a, 831.c,881.b,414.c
Caritatem qui violat, totam legem violat. 85.a
Dilectio Dei ex toto corde duplex. 65.a,87.a,b
Amori Dei nihil præferendum. 179.b
Caritas virtus excellentissima. 129.b
Eius habitus à solo Deo infunditur & conseruatur. 333.d,334.a
Expellitur ab actu peccati mortalis. 334.a
Caritas nostra non facit nos aliis caros, sed alios nobis. 407.a,414.a
Est virtus qua diligimus, nó qua diligimur. 407.a,414.a
Potest esse ratio cur ab aliis diligamur. 407.a,414.a,
Caritate Deum habemus carũ, gratia grati sumus Deo. 407.a,410.d,412.d
Caritatis laudes enumerantur. 409.b,& seq.414.b,c
Prodest sine cæteris virtutib⁹, cæterę sine ea nihil. 409.c
Caritate maritatur anima Deo. 409.c,410.d
Caritas est vestis nuptialis. 409.c,757.a,759.a
Maximè nos euehit ad participationẽ esse diuini. 410.a
Dat anima esse quoddam supernaturale. 410.b,412.d
Est regina virtutum. 410.c,d,414.b
Est effectus beneuolentiæ Dei. 413.a,b
Est fructus Spiritus sancti. 413.b
Caritatis effectus qui? 414.a.b
Quomodo est donum vniuersale. 414.b
Est radix omnis meriti. 329.c,d,416.d
Nullum secum patitur peccatum mortale. 414.c,d
Non est ipse Spiritus sanctus, sed habitus nobis inhærens. 414.c, & seq.
Est qualitas creata. 414.& seq.
Actualis & habitualis discrimen. Probatur ex Scripturis. 415. Ex Patribus. 416. Ratione. 416.c,d,& seq.
Caritate nihil magis voluntarium & iucundum. 416.c,d
Caritate efficimur filij Dei. 416.d,704.a,b
Caritas qua nos Deus diligit, est ipse Deus. 417.c
Caritas actualis est effectus nostri liberi arbitrij. 418.c
Caritas omnibus donis gratuitis est præstantior. 419
Caritatis officia omnibus in hac vita exhibenda. 440
Caritas in beatis ex necessitate determinat voluntatem. 573.d
Naturæ viribus acquiri non potest. 600.a
Non solet esse otiosa. 702.c
Est consummatio iustificationis, 748.c,799.b
Differt à fide, oritur ex fide. 757.b
Assimilatur igni. 757.d
Est finis vitæ. 765.b
Est forma fidei. 799.a
Inchoata inchoat iustitiam, perfecta perficit. 799.c
Est forma extrinseca fidei, non intrinseca. 800.b
Est summa religionis Christianæ. 800.d
Summum Christi beneficium. 800.d
Caritatis & fidei præcepta ad legem pertinent. 795.d
Caritatis, & fidei Spiritus ad Euangelium. 801.d
Caritas Martyrum est maxima. 807.c
Caritatis perfectio in hac vita quanta? 807.d
Caritatis habitus continet eminenter in se omnes virtutes. 831.a
Caritas petit mutuam caritatem. 831.d
Dilectio inimicorum, maximum diuinæ gratiæ signum. 864.c
Caritatis fructus. 870.b,885.a
Efficacia. 881.b
Caritas in quo differt ab omnibus aliis virtutibus. 883.c
Facit iugum Christi suaue. 901.a
Caritas perfecta huius vitæ. 917.a
Caritas nostra quanto inferior caritate beatorum. 929.d
Caritatis opera requirit Deus ad vitam æternam. 981.a
Maximam habent cum æterna felicitate conformitatem. 981.a
Caritatis obiectũ finis vltimus & summum bonũ. 981.a
Caritati tribuuntur actus omnium aliarum virtutũ. 981.a
Caritas ordinata, licet omnes amet, tamen alios magis, alios minus. 1013.b,c
Caritas requiritur vt quis impetret quod orat. 1016

Caritas qua diligitur Deus.

Caritas qua diligimus Deum, & ab eo diligimur, se mutuò consequuntur. 65.d
Dilectio Dei ex toto corde est duplex. 87.b
Dilectio Dei quot modis accipitur. 687.d
Dilectio Dei quomodo non est sine gratia & fide præcedente. 687.d
Dilectio Dei duplex. 688.a
Dilectio Dei super omnia, quotuplex. ibid.
Dilectio perfecta vel imperfecta tribus modis accipitur. 688.a b
Dilectio Dei est donũ Dei probatur ex Scripturis. ibid. & seq. Ex Conciliis. 689.d, Ex Patrib. ibid. & seq. Ratione. 690.c, & seq. Soluuntur argumenta contraria. 691.b,& seq.
Dilectio plenitudo legis. 688.d
Dilectio proximi, caritas Dei. 688.691.d
Dilectio etiam imperfecta est donum Dei, & ipsum initium caritatis. 689.690.d
Dilectio Dei super omnia, vt est auctor naturæ. 690.b
Dilectio Dei super oĩa quomodo est naturalis. 691.a,b
Amor Dei quomodo oritur ex amore sui. 691.d
Quomodo est dispositio ad iustificationem? & prior remissione peccatorum. 750.b
Dilectio perfecta non est sine Spiritu sancto inhabitante, contra verò imperfecta. 750.d
Dilectionis actus quo diligitur Deus super omnia, quomodo opponitur peccato? 832.c

Dilectio qua Deus diligit.

Dilectio Dei est efficax. 403.b
Diligere nihil est, nisi bonum velle. 403.b
Dilectio vult nobis optimum. 409.a
Diligit Deus sui similes. 409.b
Dilectio Dei est duplex. 413.a,b
Diligimur à Deo, vt simus boni, vel quia sumus boni. 413.a,b,415.c,d
Dilectio Dei est ipse Deus. 417
Diligimur à Deo si Deum diligamus. 417.c
Caritas Dei ignis accendens: nostra, ignis accẽsus. 417.d
Dilectio Dei nos paulatim iustos facit. 750.d

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caro.
Caro quomodo significat totum hominem? quomodo alteram tantum partem. 280.a,b,319.d
Carnis affectus sunt naturales. 284.c
Comparantur equo indomito. 284.c,305.a,307.a,b
Carni non dantur præcepta, sed animæ. 139.a
Caro nō est sedes iustitię, vel iniustitiæ, sed anima. 292.a
Carnis delectatio quomodo peccatum, quomodo non. 315.c
Carnis opera quæ. 319.d
Caro infecta non inficit animam. 321.d,322.a
Carnis contra spiritum rebellio. 334.a
Caro non est sedes peccati. 223.d,235.b,236.a,267.d,277.a,292.a
Caro in sacris literis sumitur pro homine carnali. 299.d, 616.b
Carnis effectus mors. 616.b
Carnis fructus. 616.b,c,d
Caro accipitur pro parte inferiore. 616.d,& seq.
Carni in omnibus acquiescere, est peccatum mortale. 617.a
Carnes animalium terrestrium,& volatilium, oua etiam & lac magis delectant, & nutriunt. 1063.b,1066.c
Carnium esus seminarium libidinis. 1063.b
Carnes quare à Deo creatæ. 1063.c
Carnes quare omninò certis temporibus prohibitæ potius quàm moderatæ. 1063.c
Carnium esus magis est caussa luxuriæ, quàm potus vini. 1067.c
Carnium esus non fuit ante diluuium. 1073.a
Catechumenus.
Catechumenis ab ipso initio traditur decalogus,& symbolum fidei. 591.d,733.d,735.b
Catechumeni credunt sanctam Ecclesiam, cuius tamen non sunt adhuc partes. 734.d
Ante Baptismum symbolum recitant. 734.d
Romæ singulis annis aliqui in Paschate baptizantur. 1108.b
Causſa.
Causſa causſæ,& causſa causſati. 151.c,156.a
Causſa alia efficiens, alia deficiens. 152.d
Causſæ multæ concurrunt ad vnum effectū. 153.a,155.a
Causſa monstri sola materia, quia illa sola deficit. 153.a, 155.a
Claudicationis est sola tibia. 153.a
Vniuersalis, præsertim indifferens, licet sit causſa causſæ, non tamen est causſa causſati. 156.a
Secunda abutens bono influxu causſæ vniuersalis, detorquet ad malum. 156.a,b
Qui sciens & volens causſa est actionis, cū qua est annexa deformitas, peccat: quomodo hoc intelligendū? 156.c
Causſæ particulares verè concurrunt ad actionē malam. 166.c
Vniuersales concurrunt ad actionē indifferentē. 156.c,d
Secundæ verè & propriè operantur. 559.a
Habent ideo virtutem operatricem. 559
Causſæ secundę nihil possunt operari sine concursu Dei. 559.c
Primæ & secundæ ordo in operando. 582.b
Principalis & instrumentalis ordo in operando. 582.b
Causſæ rerum omnium sunt quatuor. 719.d
Causſa formalis designatur voce PER. 790.d,794.c
Finalis designatur voce PROPTER. 790.d
Formalis est effectus causſæ efficientis. 982.a
Ceremoniæ.
Ceremoniæ veteris legis quare tollendæ. 922.c,d
Quæ tollendæ, quæ non. 1044.b,c
Ceremonias Iudæorum imitari non licet, virtutes licet. 1113.b,c,d
Certitudo.
Certitudo est firmitas & immutabilitas veritatis. 834.d
Certitudo obiecti, est immutabilitas rei, quæ aliter se habere non potest, quàm cognoscitur. 834.a
Subiecti, est firmitas assensus nostri ad rem. 834.a
Obiecti oritur à necessitate ipsius rei. 834.a,b
Subiecti pendet partim à medio, partim à dispositione nostra. 834.b
Certitudo vera ex parte subiecti, propriè nunquam separatur à certitudine ex parte obiecti. 834.b
Ex parte obiecti potest separari à certitudine ex parte subiecti. 834.b,c
Alia est euidens, alia obscura. 834.d
Vtraque habent tres gradus. 835.a
Certitudo euidēs est eorū, q̄ aliquo modo videtur. 835.a
Hic primum gradum habent prima principia. 835.a
Dicitur certitudo intellectus vel principiorum. 835.a
Secundum gradum habent conclusiones ex principiis euidenter deductæ,& dicitur certitudo scientiæ. ibid.
Tertium gradum habent, qui sensibus percipiuntur, & dicitur certitudo experientiæ. ibid.
Certitudo obscura est eorum, quæ sola fide vel opinione nituntur. 835.a,b
Prim⁹ eius certitudinis gradus est propter diuinā auctoritatē, quę est certitudo fidei,& dicitur absoluta. 835.b
Secundus gradus est eorum, quæ creduntur propter humanam, celebrē & confirmatam auctoritatem. 835.b
Tertius est eorum quæ signis nituntur, quæ dicitur certitudo coniecturalis. 835.c
Certitudo fidei, & certitudo fiduciæ quomodo differunt. 835.d,& seq.a
Certitudinem fidei de iustitia nostra non possumus habere nisi per reuelationem, probatur ex Scholasticis & Academiis. 836.d
Certitudo fidei non Ecclesiæ, sed Dei auctoritate nititur. 838.b,c
Certitudo salutis pendet à bonis operibus. 847.c
Potest iusto reuelari. 841.d,850.d
Certitudo fidei vel in verbo Dei continetur, vel ex verbo Dei euidenter deducitur. 849.a
Certitudo aliquando accipitur pro persuasione & confidentia. 854.d
Gignit audaciam. 856.c
Certitudo religionis Christianæ. 857.c
Certitudo coniecturalis propriæ iustitiæ satis est ad animæ tranquillitatem. 857.d
Certitudo remissionis peccatorum in Sacramentis. 861.c,863
Quomodo sumus certi, quomodo incerti de nostra iustitia. 861.d,868.c,d
Certitudo ex signis etiam euidentissimis non potest esse nisi coniecturalis. 864.a
Certitudo spei, *vide Spes.*
Christianus.
Christiani non nascuntur, sed fiunt. 238.d
Christiani alij boni, alij mali. 350.a
Boni ouibus, mali hœdis assimilantur. 350.a
Christiani non sunt tantum vna gens vt Hebræi. 896.a,b
Christianus populus cur non potest iisdem particularibus ritibus regi. 896.b
A Christianis exiguntur plura quàm antiquitus à Iudęis. 896.b
Christiani, quam liberi à lege Mosis. 907.d
Quomodo non liberi. 908.a
Christiani omnes debent memoria tenere, intelligere, & quotidie recitare orationem Dominicam. 1004.d
Omnes inter sese fratres esse agnoscunt, dicendo, *Pater noster.* 1008.d
Omnes pro se mutuò orant dicendo, *Pater noster.* 1009
Horum proprium est officium diuinum recitare. 1027.d
Quomodo differunt ab omnibus gentibus. 1027.d
Possunt imitari Iudæorum virtutes, non autem ceremonias. 1113.c,d
Possunt diuitias possidere. 1138.b. Probatur. 1138.c,p
Contra aliqui senserunt. 1138.c. Soluuntur eorum argumenta. 1139.d.& seq.
Christus.
Christus filius Dei per naturam. 27.b
Missus in mundum, vt esset causſa salutis, non occasio ruinæ. 138.d,& seq.
Hominum malitia erat petra scandali. 138
Erat lapis ab ædificantibus reprobatus. 138.a,b
Lapis angularis, caput anguli, probatus, electus, &c. 138.b,c,d
Quomodo elegit Iudam. 146
Quare non venit statim post lapsum Adæ. 148.c
Occasione peccati Adæ nobis datus est. 162. c,d
In eo maiora dona recuperauimus, quā in Adamo amisimus. 162.c
Non prodest, nisi quibus per instrumentum aliquod applicatur. 192.d
Comparatur cum Adamo. 195.a,196.b,c,199.d,219.a, b,241.d,& seq.253.b
Nos Deo reconciliauit. 196.d,200.c. 202.d
Pro omnibus mortuus est. 202.d,& seq. 209. d, 246.b, 249.b,c
Factus est pro nobis peccatum. 203.a,268.b,29.d,810. d,819.a,b,c,d
Pro actuali & originali peccato passus est. 204.b,206.c, d,352.c
Non fuit in Adamo iniustus. 214. d
Eius iustitia quibus nihil prodest. 221.a
Quomodo in lumbis Abrahæ. 231.c,d
Quomodo non est decimatus in lumbis Abrahæ. 232. a
Eius Sacerdotium præstantius Leuitico. 232.a
Erat secundùm ordinem Melchisedech. 231.d
Nō patrē, sed matrē habuit ex progenie Abrahę. 232.a
Ex virgine cōcept⁹, & nat⁹ per virtutē Spirit⁹ sāti. 232. a,237. d, 241.d, 246.d, 247.a, 248. c, 250. d,251.d
Cur non cōtraxit peccatū originis. 232.b,237.d,248.d
Christi ad Belial nulla conuentio. 245.a
Christus quomodo solus immunis à peccato originis, quomodo non solus. 246.d,250.c,d
Solus ex vi generationis peccatum originis non contraxit. 248.d, 249.b,250.a,250.c,d
Quomodo fuit eius caro in similitudinē peccati. 249.c, 249.d
Assumpsit naturā humanā eiusdem speciei cum nostra. 259.b
Quare cōcupiscenti ā& ignorantiā noluit habere. 316.a
Quare, quomodo, & qualem sensus pœnam passus est. 352.b,c
Duplicīter homines diligit. 413.a,b,469.d
Singulare priuilegium, vt humanitas eius in diuina persona sustentaretur. 417. a
Quomodo similis, quomodo dissimilis Soli. 439.c, d, 444. d,445.a
Caput electorum. 492.c
Christus homo non potuit mereri suam prædestinationem. 497. d
Non habet gloriam ex meritis. 549. d
Causſa est meritoria nostræ iustificationis. 720.c,d
Vt homo verè & propriè iustus erat, iustitia creata inhęrente. 797.d, 803.a
Creata hac iustitia pro nobis satisfecit. 803.a
Quomodo dicitur maledictus. 810. d
Sponsus animæ nostræ. 811. a
Iustitia nostra est, quia causſa efficiens nostræ iustitiæ. 818.a,822.a
Item quia nostra satisfactio. 818.a, 821.b
Item quia sumus membra Christi capitis nostri. 819. a
Christum induere quid significet. 821. a
Christi iustitiā participamus per regenerationem. 825.a
Christus est verus legislator. 901. d
Confertur cum Mose. 902.a
Rex noster ex Scripturis. 902. b
Iudex totius mundi. 903. d
Semper mediator. 925.a
Debita ipsi erat gloria corporis duplici titulo. 947. a
Simul viator & comprehensor. 969.c,d
Est magis impeccabilis, quā cōfirmati in gratia. 970.b,c
Solus potest gratiam mereri de congruo. 993. d
Christi ieiunium & tentatio ad exemplum nostrum semel. 1106.c,d
Christum admiramur magis, quàm imitamur. 1106.d
Christus feria quarta traditus, feria sexta cruci fixus. 1108.b
Circumcisio.
Circumcisio erat instituta ad tollendum peccatum originis. 208.d, 238.c
Vel ad significandam purgationē peccati originis. 208. d,238. c
Circumcisio quare in membro genitali facta. 208.d
Circumcisio Dei mandato filiis fidelium adhibēda erat. 238.d
Clericus.
Clerici vel Sacerdotes magis orare debent, quàm alij. 999.a,1054. d
Magis obligantur ad officium diuinū recitandū. 1027.d
Idque vel ratione ordinis sacri, vel Ecclesiastici beneficij. 1053. d
Clerici & Monachi soli obligātur ad officium diuinum, vt in antiqua lege soli Leuitæ. 1054.d
Clerici sunt Ecclesiæ milites spirituales. 1054 b
Horum proprium est publicè populo prędicare, pro populo assiduè orare. 1054.a
Antiquitus solebant ordinari tantùm in solemni ieiunio decimi mensis. 1112.a
Nunc in quatuor ieiuniis solennibus ordinari solent. 1112.b, c
Cœlum.
Cœlum natura sua est corpus incorruptibile. 341.a
Cœlum nouum quid. 346. b
Cœlum aliud syderium, aliud aërium. ibid.
Cœli mentes sanctorum hominum. 1009.a
Cœlum propriè sedes Dei. 1009.b
Cœlum, id est, spiritus. 1012.a
Per cœlum intelliguntur iusti & fideles. 1012.a
Cœlum, id est, Christus. ibidem.
Cœlum est Ecclesia triumphans. 1012. b
Columba.
Colūba & otiis natura sua animalia simplicissima. 164.a
Columbæ assimilatur Maria in Canticis. 143.d
Communitas.
Communitatē rerum omniū introducere voluit Plato. 1138.b
Refutatur ab Aristotele & Tertulliano. 1138.b,c
Communitas rerum omnium magnas introduceret cōfusiones. 1139.b
Non simpliciter necessaria ad salutem, sed cōmodior ad seruiendum Deo. 1141. b
Laudatur. 1142.a
Esset melior simpliciter, non autē suppositā naturæ corruptione. 1142.b
Expedit iis paucis, qui seriò abstrahūt se à rebus temporalibus. 1142.a
Quomodo communia sunt omnia iure naturæ, quomodo non. 1142.b
Concilia.
Concilia condemnantia eos, qui negant peccatum originale. 206.b
Concilium primum generale Nicænum fuit omnium primum. 1098. d

Universidad de Deusto
Biblioteca

Concupiscentia.
Concupiscentia fons tētationum. 19.d,77.c,115.a,302.d,& seq.
Est lex membrorum, repugnās legi mentis 19.d,169.d, 170.a,276.b,291.d
Est pœna peccati. 19.d, 21.c, d, 263.b. 264.a, 289.b, 383.b,366.b,c
Fuisset homini in puris naturalibus cōdito naturalis. 21.d,287.c,321.d
Est mala & natura contraria. 21.d,292.d, 313.a
Peccati fomes. 67.a,193.b,c
Habet tres motus. 77.c,d.80.a, 144.b, 278
Non potuisset in statu innocentiæ repugnare rationi, nisi prius ratio rebellasset Deo. 164.d,167.d, 174.c,d
Concupiscentia proximorum parentum non trāsfundit peccatum originis in filios. 235.a,b
Quando dicitur regnare & imperare. 263.b
Est vis appetendi immoderata. 263.b, 319
Potest dici animi potentia, sed vitiata. 270.a
Est languor naturæ. 270.a,b,273.c,d,286.b,289.d,299.b,309.d.313.323.a
Est materialiter peccatum originis. 227.d
Non esse peccatū originis, probatur ex Scripturis. 228.a,& sequent. Ex Patribus. 283.c,& seq. Ratione. 288.c,d,& sequent. Soluuntur hæreticorum obiectiones, 291.a,b
Concupiscentia in nobis relicta est ad agonem. 284.a, 286.a,b,c.302.b,310.c,d,315.d.& seq.
Assimilatur canibus rabiosis. 284.b
Eius principium à natura, malè tamen concupiscere, est à voluntate. 284.b
Est via ad peccatum. 285.a,b,292.d
Non esse peccatū, probatur ex omnibus tomis operum sancti Augustini. 285.d. & seq.
Vocatur tamen peccatum, quia ex peccato ortum habet. 4.c, d, 263.b, 264.a, 274.c,286.a, 286.d, 289.c,d, 366.b
Est vna pars corruptionis humanæ naturæ. 289.c,365.a
Concupiscentię primi motus inuoluntarij non sunt peccata. 279.c,d. 290.a,c,312.c,314.a,924.a,929.d
Eius pronitas non est peccatum. 279.c,290.a, 298.b
Dicitur peccatum, quia caussa est peccati. 291.b, 303
In iustificatione non tollitur. 291.d
Quot modis dicitur mala. 292.c.d
Duobus modis accipitur. 292.d
Concupiscentia non carnis, sed cordis est voluntaria & prohibita. 293.a,b,304.d
Quomodo dicitur lex. 297.a
Superata prodest ad mercedem gloriæ. 303.d
Est ciuile bellum. 304.d,315.a,362.b
Quomodo dicitur iniquitas. 304.d,305.b
Eius actus duplex. 305.d
Remanet in renatis quoad actum, non tamen facit reos. 306.b,c
Eius reatus triplex. 307.a
Quomodo dicitur remitti in Baptismo. 307.b,c
In carne materialiter, in mente formaliter est peccatum. 308.d.& 309.a
Assumiatur habitui, non actui. 309.a
Quomodo repugnat virtuti. 310.c
Post Baptismum non est peccatum, sed vitium. 310.d, 316.d
Est sub animi potestate. 310.d
Odio habetur à Deo. 313.c,315.a
Est illicita. 313.d,& 314.a
Quomodo à Deo, quomodo non. 315.
Repugnat legi mentis & Dei. 317.
Quomodo sit bona. 318.d
Variis modis accipitur. 318.d, 319.a,b
Reside in parte hominis inferiore. 319.c
Concupiscentia honorum & vanitatum est in superiori animi parte. 319.d
Non solum in carne, sed etiam in mēte sedē habet. 319.d
Magis apparet in sensualitate. ibid.
Non est positiua qualitas. 320.a
Repugnat rationi ex carētia iustitiæ originalis. 320.a,b
Per Baptismum non tollitur sed ligatur. 322.a, c
Contra Spiritum vsque ad mortem pugnat. 361.d
Imperat rationi. ibid.
Adolescentes ad insaniam adigit. ibid,
Hominum concupiscentia longè peior bestiarum. ibid.
Quibus armis sancti viri concupiscentiam repressérint. 362.a
Concupiscentia miras clades mundo intulit. ibid.
Quam insignes viros peruerterit. ibid.
Quibus modis sit reprimenda. 365.b
Concupiscentia spiritus bona, carnis mala. 365.b
Concupiscentia motus etiam inuolūtarios homines casti pati nollent. 924.a
Coniugium.
Non exercetur opus cōiugij sine ardore libidinis etiam à sanctissimis coniugibus. 236.a, 288.c,287.a
Coniugium concupiscentiæ remedium. 365.a
Coniugij opus exercetur non amore posteritatis, sed ardore libidinis. 365.a
Cur exercetur in tenebris. 365.c
Quando, & quomodo est peccatum, quando & quomodo non. 928.c, d
Saturninus & quidam alij Hæretici dixerūt, nuptias malas esse, & à diabolo. 1093.a,1095,a
Conscientia.
Conscientia etiam erronea semper obligat. 617.c, d
Conscientiæ discussio ante Eucharistiam. 855.b
Conscientia bona consolationem, non omnimodam securitatem affert. 855.c,961.c
Conscientiæ bonæ triplex testimonium. 264.b,c
Conscientia bona quos habeat effectus. 870.b,c,d
Consuetudo.
Consuetudinis Ecclesiasticæ vis & efficacia. 239.
Continentia.
Continentia est virtus moralis. 599.d
Non potest seruari sine gratia Dei. 599.d
Continentia est virginum, viduarū, & coniugatorū. ibid.
Conuicium.
Cōuicium manifestum est, peccatum mortale. 73.c, 74.d,75.d,86.d
Conuicium in bonum à Deo conuersum. 140.a
Cooperatio.
Cooperatio Dei non excluditur per liberum arbitrium. 573.a.697.d
Nō tollit, aut destruit, sed adiuuat & ꝓficit naturā. 573.a
Cooperatio diuina concordat cum libero arbitrio. 577.c,& seq. 706.a
Nō est ante, sed simul cū voluntate humana. 579.d.& seq.
In vnoquoque est secundū naturā vniuscuiusque. 580.d
Non tenet se ex parte causſæ, sed ex parte effectus. 581.d
Concurrit cum causſis secundis. 585.c. & seq.
Sum⁹ cooperatores, & coadiutores Dei. 71.d,72.a,74.d
Cooperatio hominum cū Deo, in quibus operibus est, in quibus non. 695.a
Bonis omnia cooperantur in bonum. 695.b,c
Cooperatio hominū cū Deo ꝓbatur ex Scripturis. 695.b,c,d. & seq. Ex sancto Augustino. 698.& sequent.
Possūt homines cooperari, vel nō cooperari Deo. 700.b
Cooperatio gratiæ cum libero arbitrio probatur. 707.a
Cooperatio gratię adiuuantis quomodo cōcurrit. 712.a
Cor.
Cor est fons peccatorum per modum principij actiui & interni. 264.d
Cor peccato obduratum assimilatur lapidi. 268.a

Cordis non carnis concupiscentia voluntaria est, & legè prohibita. 293.b
Cor hominis fons & origo malorum. 614.d
Cor in sacris literis accipitur pro toto homine interiore. 729.a
Cornelius.
Cornelius quomodo ad fidem conuersus. 453.b, 686.d
Cornelij eleemosynæ & orationes. ibid.
Eleemosynis obtinuit gratiam. 1129.d
Curiositas.
Curiositas vulnus mentis humanæ. 358.c
Curiosus libentius aliena obseruat, quàm sua. ibid.
Curiosa alienorum vitiorum inquisitio perniciosa. ibid.
D
Damnati.
DAmnatorum corpora post resurrectionem qualia erunt. 345.a, 352.b
In damnatis Deus iustitiam suam manifestat. 345.a
Damnatis optimè cōuenit carcer & ergastulum sub terra. 346.c,d
Damnatis ad ignem inferni bonum fuisset nunquam nasci. 348.c,d
Damnati in die iudicij videbūt electos, in gloria ad cœlum ascendentes. 354.a,b
Damnati sunt obfirmati in odio actuali Dei & proximi. 263.c,d
Dauid.
Dauid cū omnibus Prophetis in cœlis regnat. 68.d,69.a
Dauidis magnum peccatum. 68.69.152.d
Publica eius pœnitentia. 69.b
Dauid voce Domini per Nathan reuixit, vt Lazarus ex sepulchro voce Christi. 69.b,c
In toto corde secutus est Deum. 87.b
Peccauit grauiter numerando Israël. 127.d, 130.a
Occidit Vriam. 134.d, 152.d
A Deo punitur. 138.a
Confitetur & deplorat peccata sua. 201.d,& 202.a,204.d,& sequent.
Natus est ex honesto coniugio. 202.a,205.c,238.b
Fugit persecutionem Saulis. 225.d
Erat filius viri fidelis & iusti. 238.b
Conceptus & natus in peccato originis. 238.b
A concupiscentia victus. 362.a
Non audet se iustum pronunciare. 843.a, 843.d
Semel iustus excidit à iustitia. 879.c
Confidebat opera sua in iudicio Dei posse consistere. 926.a,b
Septies in die laudem dicebat Deo. 103.b,a
Media nocte surgebat ad confitendum Domino. 1036.a
Vesperè, & manè, & meridie orabat. 1036.b
Decalogus.
Decalogum ad se non pertinere, dicunt hæretici. 901.d
Decalogus à Christo & Apostolis commendatur fidelibus. 903.b
Excepta Sabbathi obseruatione. 904.c
Defectus.
Defectus est necessario à causſa deficiente. 153.a
Defectus est causſa peccati. 153.b
Est triplex. 153.b
Defectus proximus est, non attendere ad regulam rationis. 153.b
Est voluntarius, non quia elicitus à voluntate, sed quia in potestate voluntatis. 153.c
Non est actus positiuus. ibid.
Vt præcedit actum peccati, non est malum aliquod naturale, vel voluntarium. ibid.
Est simplex negatio. ibid.
Quomodo induit rationem mali, quomodo non. ibid.
Quomodo est causſa mali. 153.d
Defectus in infinitum non datur. 153.c
Defectus remotus est, quia voluntas non est summū bonum. 153.d
Remotissimus, quia voluntas humana est creata ex nihilo. ibidem.
Defectus in summum bonum cadere non potest. 153.d, 155.a
Referri debet in causſam proximam. 155.a
Sæpe est in causſa secunda, & non in prima. 156.a,b
Deuotio.
Deuotio interna est promptitudo animi ad Deum laudandum. 1053.a
Externa est promptitudo ad opera exteriora, vt ad genuflexionem, &c. 1053.a
Qua collectione animi excitanda. 1053.a,b
Deuota oratio exprimit lacrymas. 1053.b
Deuotio S. Francisci in horis recitandis. 1053.c
Deus.
Deus neminem tentat. 114.
Deus non est causſa mali. 19
Non est auctor peccati. 26.a,107.d
Non punit antequam peccent homines. 34.a, b
Promptior est ad præmiādum, quam ad puniendum. 92.
Non potest punire sine malis meritis, quia iustus est. 92.c,506.a, b
Deum esse auctorem primum peccati, primus omnium dixit Simon Magus. 95.a,b
Deos duos posuerunt quidā hæretici, malum, & bonum. 95.a, 121.b
Deo repugnante nihil fieri potest. 103.b,c
Deo nō ponitur lex ab aliquo superiore. 106.c,d,162.b,c
Dei sapientia lex Dei est. 106.c,d,121.a,b, 151.b,162.b,c,154.a
Deus non potest seipsum negare. 106.d, 162.b,c
Non est auctor peccati, probatur ex Scripturis. 113.a,b,c,& seq. Ex Patribus. 155.d. & seq. 130.a,b, 147.a
Deus non nouit practicè malum. 117.b
Est mali permissor, non effector, 117.c,d,121.d,123,c,d
Est auctor naturæ, non culpæ. 119.a
Est causſa essendi, non deficiendi. 82.a,120.c, 139.b
Est summum bonum & tantùm causſa boni. 120.c, 154
Conuertit malum in bonum. 122.b,123.c,d.130.a,139.d,146.a,b
Quomodo Deus creat impios. 123.a,b
Dei iudicia profunda & inscrutabilia. 126.c, 161.a, b, 222.a,426.b,430.c,d,441.b,481.c,d,493.b, 505.c, d,874.b
Deus præuidet & ordinat peccatum in bonum. 126.d
Quatuor modis dici potest causſa, cur homines malè agant. 128.a,& seq.
Non positiuè, sed permissiuè. 129.c,d,132.d, 140.b
Nullum deserit, nisi deseratur. 132.d, 167.c, 425.b, c, 491.b,633.b
Facit malum pœnæ, non culpæ. 138.a
Facit entitatem, non defectum peccati. 139.b
Deo inuito nihil fit. 140.b.c, 142.b
Deus respectu peccati habet tantùm non velle. 140.b
Non habet velle aut nolle. ibid.
Non impedit concursum rerum etiā defectibiliū. 141.d
Volens permittit mala. 140.a,141.a,b,142.a
Deus voluntate sua omnia facit, quæ fieri vult. 142.a
Si vellet fieri mala, ipse faceret mala. ibidem
Benè facit sinendo, quæ malè fiunt. 142.b,c
Nunquam vult mala per se. 143.a
Prius scit necessaria quam libera. 148.b,507.b
Scit qua quisq; vocatione vocatus veniet, qua non. 148.b,425.d.430.432.502.c, d
Liberè, non necessariò mundum creauit. 150.d
Seipso est beatus. ibid.
Multa facere potest, quæ hominib. sunt prohibita. 152.b
Est omnium Dominus. 152.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

Licitè potuit iubere Abrahamum occidere filium suum. 152.c
Non potuit iuuare Dauid, vt occideret Vriam. 152.d
Licitè potuit Vriam, vel quemuis hominẽ occidere, non tamen cum homine occidente alium iniustè, concurrere. 152.d
Ira agit cum secundis caussis liberis, vt relinquat determinationem in potestate liberi arbitrij. 154.d
Non tenetur mala euentura impedire. 155.b
Eius concursus ex se est vnus, communis, & indifferens. 155.a,b,c, 156.a
Dei cõcursus limitatur à volũtate humana. 154.d.155.c
Deus quomodo videtur caussa peccati. 156.b,c
Nunquam alloquitur inanimata. 183.c
In odium peccati quoduis eius instrumentũ punit. 183
Est auctor naturæ. 223.a
Est immutabilis, solus bonus, solus sapiens, &c. 224.b,c, 247.a,258.b, 266. c
Non iubet impossibile. 290. b
Non fecit omnia præter peccatum. 315. a,b
Deus quomodo est auctor mortis, quomodo non. 315.c
Parum de Deo intelligimus. 358.a
Deus ab æternitate nos dilexit. 395.c
Nec fato premitur, nec personarum acceptione corrũpitur. 405.d
Dupliciter nos diligit. 413.a,b
Nos prius diligit. 413.c,d
Dei natura non potest alteri communicari. 417.a
Quomodo est caritas, quomodo non, quomodo sapientia & iustitia. 417.c
Vocat aliquos ita, vt sciat non venturos. 431. d, & seq.
Bona operatur in nobis, sed non sine nobis. 434.d
Aliquando benuolentior adultis sceleratissimis, quàm paruulis minus malis. 526.d
Quomodo prius vult electis gloriam, quomodo prius bona opera. 499.a
Amando facit bonos. 501.d
Quomodo agit liberè, quomodo necessariò. 518. a, c,d
Semper viuere, & tamen liberè quid. 518.b,c
Dei præscientia & potentia quomodo libera. 518.c
Deum esse liberi arbitrij probatur ex Scripturis. 544.b
Ex Patribus. 545.c,d,& seq. Ratione. 546.& seq. Soluuntur obiectiones. 544. c, d, & seq.
Deus auctor necessitatis, non seruit necessitati. 545.d
Caussa efficiente & subiecto caret. 546. d
Deum inuocare in miseriis naturale est. 546.d, 555.d
Deus & sibi & omnibus aliis est finis. 547. a
Dei velle duobus modis consideratur. 547. c,d
Non est omni modo necessarium. 548.c
Deus & Christus homo non habent gloriam ex meritis. 549. d
Deus potest naturali lumine cognosci & demonstrari: item quòd sit vnus & bonus. 554.d. Probatur ex Scripturis. ibidem & seq. Ex Patrib. 555. c, d, seq. Ratione. 557. b, & sequ. Soluuntur obiectiones. 557.c, & seq.
Manifestauit se ex rebus creatis mundi sapientibus, & Philosophis. 555.d,558.b
Eius vnitas est obiectum naturale. 557. a,b,557.c
Deum non concurrere ad opera nostra secundùm Pelagianos. 558.b,d
Omnia immediatè operari Deum, caussas verò secundas nihil, secundùm Mahometanos. 558.d
Refutatur vterque error ex Scripturis. 559.b, c. Ex Patribus. 559.d,& seq. Ratione. 560.c, & seq.
Deus operatur omnia in omnibus. 559.c,d
Quomodo facit bona & mala. 560,b
Dat & continuat omnium rerum esse. 560.b,c
Quomodo est determinatus ad vnum. 578.d
Est Dominus actionum suarum ad extra. 578. d
Ideo operatur, quia voluntas nostra operatur, non contra. 582.a,c
Dei cõcursus generalis, & indifferẽs modificatur à caussa secunda, quoad speçificationem. 583.a
Quomodo ab ęterno determinauit omnes effectº. 583.c
Quomodo futura præcognoscat. 584. b, c
Esset colendus licet beatitudinem dare nollet. 690.d
Nos condemnat vt iudex. 792.d
Quomodo nos modò iustificat, quomodo in die iudicij iustificabit. 792. d
Declarando iustum, facit iustum. 991.b,c,992. d
Cõdemnat & iustificat longè aliter atq; homines. 992.d
Quomodo omnia inhabitat. 803. a
In Baptismo iustificat & iustificatur. 813.c
Quomodo est totus in omnibus & singulis. 885.a
Nemini est debitor, nisi ex promissione. 977.c,989
Fit debitor benè operantibus ex sua promissione. 985.a
Est iustus iudex in remuneratione. 985. b
Dat mercedem ex iustitia distributiua, non commutatiua. 985.d
Quomodo obiectum beatitudinis, quomodo meriti. 990.a
Præmiat supra condignum. 990.b,c,d
Punit citra condignum. 992.d,& seq.
Cur dicitur esse in cœlis, cùm sit in terris, & vbique. 1009.b
Dicitur irasci ad similitudinem hominum. 1019.b

Diabolus.

Diabolus non potest cogere ad peccatum. 147.b,650.d
Permissus est Adamum vincere, vt postea maiore cum Sanctorum gloria vinceretur. 162.b
Per verum serpẽtem loquutus est, & tentauit Heuã. 163.b
Vocatur serpens, quia serpentem induit. 163.c
Quare potius serpentem quàm aliam bestiam assumpsit ad tentandum Heuam. 163.
Non fuit illi permissum aliud animal ad hoc assumere. 164. a
Eius astutia & calliditas. ibid.
Vt Heuam seduceret, finxit se amicum Dei. 172.b
Per mulierem seduxit Adamum. 174.d,& seq.
Est obduratus in malo. 183.d, & seq.
Est miserrima bestia. 184.a
Quomodo gaudet de malo. ibid.
Potestatem aliquando habet in homines etiam sanctos, quoad corpus. 184.a
Illi accommodatur maledictio serpentis. 183. d,& seq.
Diabolum imitantur qui peccant. 197.b,265.d
Est fons peccatorum. 264.b
Quam habet potestatem producendi res. 321.b
Eius potestas in corpora & mentes hominum. 363.c
Dæmones credunt & contremiscunt. 523.d
Dæmon negat liberum arbitrium. 569.a
Varias habet nocendi artes per cõcupiscentiam nostrã. 607. b
Dæmones sunt obfirmati in actuali odio Dei & proximi. 623.d
Respectu vltimi finis non habent liberum arbitrium à necessitate, sed tantùm à coactione. 628.c,d
Respectu mediorum habent vtroque modo liberum arbitrium. 628. d
Quomodo semper necessariò malè agũt, quomodo non. 628. d
Eorum pœna crescere non potest, quia sunt in termino. 628.d
Diabolum inuocant, qui in peccato persistentes, dicunt, Pater noster. 1008.c
Diabolus neminem vincere, immò nec tentare potest, nisi Deo permittente. 1018.a
Dæmonia qua ratione eiiciuntur ab improbis. 1022.

Dies iudicij.

Post diem iudicij nulla erunt corpora mixta. 341.a
In vniuersali iudicio omnes aderunt. 342.d
Huius iudicij forma non omnibus eadem. 350.a
Iudicium adultorum secundùm opera eorum. 350.d
Idem quomodo dicitur de infantibus. 351.a
Post diem iudicij rerum vis & natura mutabitur. 352.c
In vniuersali iudicio omnibus omnia manifestabuntur. 354,b
Dies iudicij magis horrendus magnatibus & regibus, quàm aliis. 439.c

Diluuium.

Diluuium deformásse locum Paradisi. 37.b,c,39.a
Non abstulisse inde temperiem aëris. 39.a
Non penetrásse Paradisum. 41,c.d
Non abstulisse arbores. 42.b
Detrimentum aliquod Paradiso intulisse. 42.c

Diuitiæ.

Diuitias possidere licet Christianis. 1138.b
Contra senserunt aliqui. 1138.c
Refutantur, & probatur rerum proprietas ex Scripturis & Patribus. 1138.d.& seq. Ratione. 1139.b
Diuitibus quare difficile intrare cœlum. 1234.d
Diuitiæ quomodo relinquendæ, vt simus Christi discipuli. 1140.a
Quomodo sunt iniquæ. 1140.b,c
Diuites Deus non fecit. 1140.b
Vel sunt iniqui vel iniquorum hæredes. 1140.c
Diuitiæ vocantur mammona, id est, iniquitas, quod ex iniquitate collectæ sint. 1140.c,d
Non semper iniquè possidentur, licet valdè inæqualiter. 1140,d
Præbent caussas & incitamenta ad iniquitatem. 1140.d
Corporales falsò vocantur diuitiæ, spirituales verè & propriè. 1140.d
Diuites vix fiunt sine iniquitate. 1140.d
Non sunt Domini, sed dispensatores rerum, quia Deo rationem reddere debent. 1141.a
Soli eleemosynam facere possunt, qui proprietatẽ & dominium rerum habent. 1142.d
Diuitiæ & paupertas possunt esse bonis & malis communes. 1144.b

Dominica dies.

Dominicis diebus numquam ieiunatur. 1101.a. 1108.a, 1109.c.1116.b
Maximè tum fit conuentus Christianorum ad verbum Dei audiendum, & communionem percipiendam. 1108.a
Lætandum propter resurrectionem Christi. 1110.a,b
Dominica ieiunare est resurrectionem Christi non credere. 1116.& seq.
Tum non orandum strato corpore. 1116.b
Dominicis qui hæretici ieiunabant. 1114.d
Dominicis nec quouis tempore est illicitum ieiunare, nisi indebitè fiat. 1116.d

Donum.

Dona Dei possunt esse quatuor in quolibet homine. 9.d
Dona nouem. 415.b
Dona possunt à se inuicem separari. 419.d
Et à gratia gratum faciente. 420.a
Vt plurimum tamen sunt cum gratia gratum faciente. 420,a
Dona septem Spiritus sancti & à caritate, & à se inuicem separari possunt. 420.c.421.b
Donum sapientiæ, & sermonem sapientiæ idem esse. 420.c
Dona sapientiæ & scientiæ non sunt in omnibus bonis fidelibus. 420.d.421.b
Dona quomodo sunt inter se semper coniuncta, & cum caritate. 421.c
Non sunt tantùm nouem, sed multò plura. 421.d
Dona septem Spiritus sancti, septem petitionibus orationis Dominicæ respondent. 1006.a

E

Ecclesia.

Ecclesia grex vnius pastoris. 350.a
Petit Theologicarum virtutum augmentum. 407.d
Orat pro infidelibus. 480.c,676.b,c,d
Occasione hæresum nouas voces cogitur admittere. 564.d
Ecclesiæ iudicio acquiescendum. 598.a
Eius orationes in Parasceue. 676.c
Iudicium innumeris signis confirmatum. 679.a
Ecclesia quomodo dicitur sancta, cùm habeat in se bonos & malos. 734.b,c
Ecclesia ex parabolis Euangelicis probatur habere in se bonos & malos. 734.b,c.756.d,850.b
Sponsa Christi pulcherrima. 811.b
Facit vt innotescat quid reuelatum sit à Deo. 838.d
Ædificatur supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum. 838.d
Per Baptismum remittit peccata. 850.a
Est in Christo vt corpus in capite. 862.d
Quibus rebus comparatur. 884.b
Deflet mortem piorum. 1011.d
Qua fide orat pro hominibus conuertendis. 1023.a
Perquam aptè dicitur domus orationis. 1027. d. & seq. 1057.c
Ecclesiæ triumphantis & militantis officium differt. 1028.c
Ecclesiarum diuersæ consuetudines in horis recitandis. 1029.b
Ecclesia habet potestatem instituendi ieiunia quæ obligent in conscientia. 1070

Eden.

Eden multis modis accipitur. 40.a
Eden non esse Paradisum. 40.a,b
Eden significare voluptatem, & nó esse nomen loci. 40.a
Paradisum esse in Eden. ibidem

Electio.

Electio est voluntatis. Probatur ex Scripturis. 482
Electos ad regnum Dei infallibiliter saluandos. 451.d, 483.d
Electos esse ex mera Dei gratia. 483.d.484.a.498.d. 500.d
Electio est fortuita respectu electorũ, certa respectu Dei. 584.b,c
Est sine vlla præuisione operum. 484.b
Aliquando accipitur pro vocatione, quæ est effectus prædestinationis. 498.d
Electio Dei æterna dupliciter accipitur. 498.d
Aliquando accipitur pro voluntate dandi gloriam propter merita. 499.a,b
Est conclusio consultationis, & proprius actus liberi arbitrij. 512.d,516.d,530.a,b
Est de mediis, non de fine. 512.d
Dupliciter fieri potest. 513.a
Variis nominibus appellatur. 530.b
Continet in se & actum vltimi iudicij practici, & actum approbationis voluntatis. 530.b,c
Electio requisita ad liberum arbitrium, debet fieri cum pleno rationis iudicio. 547.c
Electio mali est imperfectio libertatis. 547.b
Electio tantùm humana requirit præcedentem consultationem. 547.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

Electio libera, non autem executio libera requiritur ad liberum arbitrium. 572.c,d
Diuina vt faciat homines bonos, requirit in eis liberum arbitrium. 632.d
Diuina non facit, sed sinit esse malos. 632.d

Eleemosyna.

Eleemosyna commendatur. 687.a, 935.c, 961.a, 1126.a,b
Auget iustitiam. 935.c
Non separanda ab oratione & ieiunio. 1123.a
Eleemosyna quid. 1123.b
Est actus misericordiæ elicitus. 1123.b
Vnde deriuatur hoc nomen. 1123.b
Est id quod pauperes petunt, & diuites dant. 1123.c
Est actus à caritate imperatus. 1123.c
Impeditur ab auaritia, iuuatur à liberalitate, cuius est effectus. 1123.c
Sine caritate est actus moralis, & propriè eleemosyna, vel saltem materialiter dici potest. 1123.d
Alia est corporalis, alia spiritualis, & vtriusq; septem sunt species. 1124.a,b
Laudatur & iubetur in Scripturis. 1125.a
De eius fructu duo errores. 1125.b
Non sufficit ad salutem sine aliis virtutibus. 1125
Soluuntur obiectiones contrariæ sententiæ. 1126
Eleemosynam dare est suam & aliorum animas vitiis purgare. 1126.b
Est propriè opus misericordiæ erga alios. 1126.a
Vt est fructus pœnitentiæ tollit peccatum, impetrat iustificationem. 1128.a, & seq. 1130.a
Nec meretur, nec satisfacit secundùm hæreticos. 1130.a
In homine iusto meretur vitam æternam, satisfacit pro peccatis, auget fiduciam apud Deum, & gaudium spirituale, Deo & proximo gratum facit, conciliat beneuolentiam & orationes multorum. 1130.b,c
Impetrauit Cornelio gratiam fidei Christianæ. 1129.d
Causa est augmenti diuitiarum temporalium. 1130.a
Eius magnitudo ex tribus sumitur. 1130.c
Eleemosyna parua viduæ præfertur diuitum magnis donariis. 1131.a
Præceptum de danda eleemosyna non est iustitiæ sed caritatis. 1131.c
Reducitur ad non furaberis vel honora patrem & matrem. 1131.d. & seq.
Est præceptum affirmatiuum, non negatiuum. 1131.d
Magis obligat Ecclesiasticos quàm laicos. 1132.c,d
Eleemosynam dare, est imperare non seruire diuitiis. 1133.a
Quando danda ex necessariis naturæ. 1135.b
Quando ex necessariis personæ vel statui. 1135.c
Quando ex superfluis? *Vide superfluum.*
Non est necessariò danda, quando per mutuum, vel venditionem, vel alio modo proximo subueniri potest. 1135.c
Non facienda in magnum præiudicium proprij status, & dignitatis, nisi in ratis caussis. 1135.d. & seq.a
De malè partis quando fieri potest, quando non. 1137.b, c,d. & seq.a
Debet esse ex propriis. 1137.c,d
Eleemosynas dare est diuitum, recipere pauperum, & hìc habet suum fundamentum eleemosyna. 1138.b, 1142.c,d
Eleemosynas dare est tantùm eorum, qui dominium, & proprietatem diuitiarum habent, non eorum, qui obedire debent. 1142.d
Eleemosyna non est danda peccatori vt talis est, sed vt est miser, & potius bono quàm malo danda. 1142.d, 1143.a
Eleemosyna facit nobis amicos Angelos. 1143.c, & sequent.a
Malis data propter Deum non est inanis. 1144.a
Vt sit bona, quinque conditiones requirit. 1144.c,d. & sequent.
Largitas pluris æstimatur, cùm multis aliquid, quàm cum paucis multum datur, aliquando tamen contrarium expetit. 1145.1146
Eleemosynas non minore largitate, quàm prudenti charitate esse faciendas. 1146

Elementa.

Elementa quomodo à natura sunt incorruptibilia. 341.a
Omnia pugnant contra hominem. 363.b,c,d. 367.c

Esau.

Esau contempta vocatione fit reprobus. 424.c,d. 428.b
Habuit gratiam sufficientem, non efficacem. 424.d
Esau reprobus, Iacob electus. 120.a,b. 482.b, 484.d, & sequent.

Essæi.

Essæorum laudatur ieiunium, continentia, & abstinentia, sobrietas, victus. 1119.a
Fuerunt Christiani adeóque discipuli Sancti Marci Euangelistæ. 1119.c,d

Ethnici.

Ethnici vocarunt naturam nouercam. 27.a,b. 368.a
Varia senserunt de homine eiusque natura. 27.a
Crediderunt equos & fluuios loqui. 163.d
Ignorabant peccatum originis. 210.a, 358.a, 1027.d
Celebrare solebant dies suos natales. 210.a
Varia senserunt de origine animæ rationalis. 214.a
De breuitate vitæ. 326.d, 363.a
De miseriis vitæ. 368.a
Quomodo dicuntur à Deo derelicti. 450.d
Quomodo habent sufficiens auxiliù ad salutem 453.a,b
Hi electi, Iudæi rejecti. 485.b,c. 493.b
Vocat eos Christus suas oues. 498.a
Multi illorum defenderunt liberum arbitrium. 570.b
Per cognitionem vnius Dei ex creaturis collectam potuerunt abstinere ab idolis. 590.c,d
Gentes in Scripturis ferè semper infideles significant. 591.d
Eorum opera nonnulla à Deo præmiata. 608.b
Ab iis bona opera fieri possunt, siue cum speciali Dei auxilio, siue solis naturæ viribus. 608.b,c
Sine fide Deum & eius prouidentiam cognoscere potuerunt. 611.d
Quantum rationis naturalis lumen ostenderint. 614.d
Omnia ferè eorum opera vitiantur ex malo fine. 610.b, 620.d, 824.a
Eorum famosissimi verè fuerunt improbi. 686.c
Moriendo pro patria nihil præter gloriam suam quærebant. 692.b,c
Aliqui eorum putárunt orationibus hominum mutari prouidentiam Dei. 1000.a

Euangelium.

Euangelium continere doctrinam operum, & leges varias. 898
Duobus modis accipi potest. 890.b
Ferè semper accipitur in sacris litteris pro doctrina, Christi, & Apostolorum, & Euangelistarum. 890.b.c
Quomodo differt à lege. 890.b,c,d, 892.b, 895.b
Secundum hæreticos dicitur prædicatio Christi & Apostolorum. 890.c,d
Euangelium continet in se tria. 890.c,d
Continet leges. 890
Conrinet comminationes. 892.& seq.
Promissiones conditionales, non absolutas. 892.b,d. & sequent.
Euangelium quot modis dicitur. 892.a
Euangelij & legis duo præcipua discrimina. 895.b
Euangelium est in lege, vt arbor in semine. 895.b
Euangelica doctrina superat doctrinam legis & Prophetarum. 895.c
Euangelium ferè conuenit cum lege in legibus moralibus. 896.c,d
Quomodo superat legem veterem. 896.c
Euangelium per Christum, lex per Mosem. 898.b
Euangelium toti mundo, lex verus tantùm Iudæis data est. 899.b
Euangelium corpus & veritas, lex vmbra & figura. 899.c
Successit legi Mosis, Euangelio verò nulla lex succedet. 899.d
Euangelium vel Christi legem non habiturã finem probatur. 899.d
Quomodo dicitur sempiternum. 900.a
Quomodo habet vim iustificandi. 900.c
Euangelium lex amoris & libertatis. 900.c,d
Euangelium Christi iugum suaue, onus leue, & quare. 901.a
Est lex quædam cui debetur obedientia. 902.b,c.d

Eucharistia.

Eucharistia vt ritè percipiatur, quam requirit conscientiæ discussionem. 855.b
Eucharistia ritè percepta mirabiliter operatur. 858.d
Eucharistiæ perceptio requirit ieiunium naturale. 1066

Excusatio.

Excusatio peccati est aliud peccatum. 178.b,c
Auget delictum. 853.a
Qui excusat delictum negando, iustificatur apud homines, sed condemnatur apud Deum. 794.d

Exemplum.

Exemplum bonum prælati amputat excusationem subditi. 653.d
Exempla Sanctorum sunt ab omnibus veneranda, non semper imitanda. 1018.a

Exul.

Exul & relegatus quomodo differunt. 345.a

F

Fames.

Fames quàm intolerabilis, & ad quàm horrenda homines adigit? 362.b,c
Fames quàm graui labore præuenitur vel pellitur? 362.c

Fides, vel Fidelis.

Fidem sola infidelitas excludit. 71.d, 72.d
Quot modis accipitur. 72.a
Fidem amittens, est hæreticus. 73.a
Fidelis tenetur magis studere perfectioni, quàm infidelis. 81.b,c,d, 89.a
Ad fidem pertinent quæ euidenter deducuntur ex articulis fidei. 230.c
Fides sine spe & caritate, non vnit perfectè cum Christo. 408.b
Fidem viuam ab Ecclesia petunt Catechumeni. 408.b
Fides viua & vera est Christiana iustitia. 408.c
Fides ex auditu. 408.b,d
Fides viua est cum caritate. 407.b,c. 408.c
Infusa non perit gratia recedente. 409.d
Fides imperfecta & informis potest esse sine gratia. 410.a
Est habitus supernaturalis, habens operationes supernaturales. 410.a
Fidei lumen in supernaturalibus quomodo se habet? 414.b
Ex fide manant spes & caritas. 414.b
Fidei confessio. 417.d. & seq.
Fides donum Dei. 421.a, 489.c,d. 675
Requirit pium voluntatis affectum, quia rationem superat. 524.b
Fides est vera sine operibus, tamen mortua. 609.d
Probatur esse donum Dei ex Scripturis. 674.d. & seq. ex Conciliis. 675.d, ex Patribus. ibid. & 676.a, ratione. 676.b,c,d, & seq.
Ejus initium & augmentum est etiam donum Dei. 640.c, 676.b, c. 689.b,c, 700.d, 704.d
Est fundamentum prædestinationis. 677.a
Fides vt sit certa, duas causas infallibiles requirit. 678.c,d
Catholica quàm certa. 679.a
Hæreticorum & Turcarum non est donum Dei. 677.c
Fide humana historias humanas credimus. 679.a
Diuina diuinas. 679.a
Fides facilius & citius adhibetur falsis, quàm veris. 679.b
Fides nostra quàm multis miraculis confirmata? 673.d, 677.d
Fides Catholica & vera tria requirit. 678.b
Fides, fideique principium est in potestate nostra. 698.d, 699.c,d, 710.a
Fidem triplicem distinguunt hæretici huius seculi. 722.c,d. & seq. refutatur hoc. 726.c
Fides in diuinis literis multis modis accipitur. 123.d. & sequent.
Pro fidelitate, & constantia in seruanda promissione. 723.d
Pro ipsa promissione, & voto. Pro constantia. Pro ipso fidei obiecto. 723.d
Fides historica sacrarum literarum dicitur Catholica, vel dogmatica. 723.d. 743.b
In tribus differunt Catholici ab hæreticis circa fidem iustificantem. 723.d. & seq.
Fidem iustificantem non esse fiduciam misericordiæ, probatur ex cap. 11. ad Hebræos. 724.b, & seq.
Fidei iustificantis definitio. 724.b,c
Fides est vita & anima rerum sperandarum. 724.d
Fides quomodo substantia sperantium, & sperator um. 724.d, 725.b
Fidei definitio duas continet fidei proprietates. 725.a
Fides Christiana distinguitur ab omnibus habitibus intellectus. 725.a,b
Distinguitur à fide humana. 725.a,b
Fides humana potest esse fallax. 725.a
Fides distinguitur ab opinione, suspicione, dubitatione. 725.b
A scientia & intellectu. 725.b
Non est fiducia. 725.d. 727.a, & seq.
Fidei officium est credere quæ non apparent. 726.a
Fides idem facit quod argumentum, vel demonstratio, sed non eodem modo. 726.a,b
Fides facit intellectum assentiri propter authoritatem dicentis. 726.a,b
Non est notitia, sed assensus in rem cognitam. 726.a, 729.d. & seq.
Fidei obiectum sunt omnia quæ Deus reuelauit. 726.b, 727.c
Fides iustificans non est sola fides promissionum. 726.c
Fides vna & eadem est historica miraculorum, promissionum. 726.c
Fidei multa obiecta materialia. 726.d
Fides vna est propter vnam rationem formalem, qua creduntur omnia. 726.d
Fidei duodecim articuli. 726.d
Fidei obiectum non esse misericordiam specialé. 726.b
Fides quomodo iustificat. 727.a
Fides Noë. 727.b
Fides est causa fiduciæ. 727.c.d
Potest sine fiducia esse. 727.c
Fidei actus est credere. 727.c
Est autem credere cum assensu cogitare. 728.d
Fides est specialis virtus, & ad vnam potentiam specialem pertinet. 729.b
Non est sapientium secundùm mundum 730.a
Credendo, non intelligendo saluantur simplices. 730.a
Fides, est credere, quod non vides. 730.c
Non est ex intellectu sed contra. 730.d
Credere includit duo. 730.d

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fides melius per ignorantiam, quam per scientiam definitur. 731.a
Fidei iustificantis obiectum non est specialis misericordia sed omnia quæ Deus reuelauit, probatur ex Scripturis. 731.b, & seq. Ex traditione Ecclesiæ 735.d, & seq. rationibus 736.d, & seq. soluuntur obiectiones. 739.d, & seq.
Fides quam Christus exigebat, & miraculis confirmabat, erat iustificans. 731.c
Fides Abrahæ commendatur. 733.a, 741.c
Fides bona, est rerum bonarum, & malarum. 735.d
Est præteritorum, præsentium, futurorum. 735.d, 736.c
Est rerum suarum & alienarum. 735.d
Bonorum omnium fundamentum. 736.b, 748.a, 764.d
Salutis initium. 736.b, 748
Credere in filium Dei quid. 737.a
Quomodo oporter credere. 737.d
Est causa iustificationis. 738.b
Fides miraculorum debet esse magna. 741.a, b, 764.a, 755.a
Est fides Catholica. 741.a, 755.a
Est fundamentum religionis & salutis. 741.b
Est genus armorum spiritualium. 742.c
Fides est prima radix iustificationis. 747.b, c, d. & seq. 753.b, 773.b, c, d, 775.d. 779 c, 785.d
Pulchre habent hoc plurimi antiqui patres. 747. & sequentibus.
Fides iustificat, quia per eam quærimus & accedimus ad Deum. 748.d
Fidei timorisque iustificatio comparatur. 749.765
Fides sola non potest iustificare. 751.d, & seq.
Vera potest esse sine aliis virtutibus. 753.d, & seq.
Fides eadem est incipiens & proficiens. 754.a
Sine Caritate potest esse, sed non prodesse. 754.d, 757.d, 782.a. 800.c, d
Fides miraculorum sæpe est etiam sine caritate. 754.d
Fides vt iustificet requirit opem caritatis. 754.d. 766
Fides improborum hominum ac Dæmonum, quomodo differt, quomodo conuenit. 756.b
Dæmonum est vera fides ex parte obiecti. 756.b
Fides mortua quomodo intelligitur. 756.d
Fidei & caritatis discrimen multiplex. 757.c
Fides dispositiuè gignit caritatem, 757.c d. 766
Non operatur nisi per caritatem. 758.a
Fides impetrat caritatem. 758.d. 765.c
Fidei actus, opus Dei. 760.c
Fides non est proprie apprehensio. 761.b
Fides quibus modis iustificat. 763.a, & seq.
Fides causa bonorum operum. 764.b
Fides Abel, Noë, Abrahæ, 764.b. 766.a
Principium vitæ. 765.a
Fides, Spes, & Caritas comparantur. 765
Fides impetrat sanitatem. 765.d
Fides per inuocationem impetrat iustificationem. 766.a, b, c
Soluuntur argumenta hæreticorum adducta pro sola fide iustificante. 768. & seq.
Fides sine operibus nihil prodest. 769.b, c
Fides sola interdum sufficit ad miracula impetranda. 773.a
Non cedit venienti iustitia. 774.a, 775.a
Sola incipit, cum caritate continuat iustitiã, 773.d. 774.d
Fides quomodo meretur iustificationem. 777.b
Impetrat remissionem peccatorum, 777.d
Gratiam bene operandi. 777.d. 779.b, c
Fides non potest esse merces. 779.d
Nulla omnino merita eam præcedant. 779.d
Sola enim iustificat. 780.d, 784.c
Aliquo tamen modo dicitur sola iustificare. 783.c, d, 784.b, c
Parit opera bona non contrà. 784.d
Quomodo iustificat sine baptismo. 786.d
Non potest esse in Deo, nec Christo, nec beatis. 799.d, 809
Est imperfectior iustitia. 799.b
Fidei formatæ & informis distinctio irridetur ab hæreticis. 800.a. probatur ex scripturis hæc distinctio. 800.b
Informis potest fieri formata, & contra. 800.d
Fides in hac vita suam perfectionem consequi potest. 809.b
Fidei certitudo quare omnem dubitationem excludit. 836.a
Fides Catholica est necessaria omnibus, specialis non item. 836.b, c
Est vnus & idem habitus. 836 b. c
Fides non est, nisi verbi diuini authoritate nitatur. 849.a
Debet esse certissima & omnem dubitationem de diuinis promissionibus tollere. 859.a
Fidem & iustitiam semel habitam posse amitti, probatur ex scripturis. 878. Exemplis sanctorũ hominum. 880. & seq. Rationibus. 880. c, d, & seq. Soluuntur obiectiones. 881.d, & seq.
Fides amittitur per vnum actum infidelitatis. 880.b, c
Fides & spes non manent in futura vita. 882.b, c
Sine operibus non iustificat. 931. & seq.
Fides perfecta est necessaria, vt impetremus quod petimus. 1022. 1023

Fiducia.

Fiducia est spes roborata. 724.a, 727.d, 960.b, 962.a
Fiducia est in voluntate, fides in intellectu. 525.d, 727.c, d 875 d
Fiducia non est causa metus. 725.d
Ex fide oritur. 727.d, 742.a, b, 748.a, 1022.d
Tantum bona futura respicit. 728.b
Ex caritate procedit. 739 b
Illi opponitur timiditas. 742.a
Eius certitudo aliquo modo omnem formidinem excludit, aliquo modo non. 836.a, b
Fiduciæ & fidei apponitur hæsitatio. 875.b, c
Vt sit sine hæsitatione quid requirit. 875.d
Fiduciam nullam in meritis habendam, secundùm Caluinum. 960.c, d
Fiduciam præcipuam in Deo, aliquam tamen in meritis ponendam esse. ibidem
Fiducia Sanctorum in Deo non ex sola fide, sed etiam ex meritis nascitur, probatur ex scripturis. 961.a. Ex patribus, 961.a, b. Ratione. 961.c, d
Fiduciæ causa bona conscientia. 961.c
In fiducia bonorum operum cauenda est superbia. Ex scripturis. 962.b. Ex patribus & exemplis Sanctorum. 962.b, c. Ex Ratione. 962.d
Fiduciam totam in sola Dei misericordia ponere tutissimum esse, probatur ex scripturis. 963.a, Ex patribus. 963.b, c, d, Ex Ratione. 964.b
In fiducia bonorum operum mediocritas seruanda est. 964.a
Fiduciã firmiter adhæresimus diuinæ benignitari. 1022.c.d

Filius.

Christus est filius Dei per naturam. 21.b
Homines sunt filij Dei per gratiam & adoptionem. 21.b
Filij debent amare parentes. 143.b
Filius in quo casu potest iure occidere patrem. 143.b
Quomodo non portant filij iniquitatem patris. 83.b, 84.d. & seq. 115.a, 195 d, 209.a, b, 211.a, 254.d
Filij fidelium necessariò sunt baptizandi. 238.a, d
Quomodo nouem mensibus in vteris matrum gestantur. 238.d, 247 d
Sæpe sunt omnino dissimiles parentibus. 254.c. 325.d

Filius

Filius est dici per naturam, per doctrinam, per imitationem. 265.d. & seq.
Filij Dei habent ad hæreditatem æternam. 970.d, 975 d
Et quærito. 987.c, d
Filio, et adoptionis, ante omnia bona opera debetur hærtas. 987.a
Filius adoptiuus quo vitam æternam obtineat, vt meretur, requirit necessariò promissionem. 987.a.b

Finis.

Finis in præcepto indicari, non propriè imperari potest. 294 295.d
Finem in naturalem, tum supernaturalem naturaliter ignorat homines. 357.d
Finis huius naturalis quantum ad voluntatem est verecundùm rationem. 359.b
Finis vltimus intentione, vltimus executione. 498.b, 503
Quomodo pertinet ad liberum arbitrium. 540.a
Quomodo induit rationem medij. 540.a, b
Finis aut primus an sit liber, an necessarius, tres sententiæ. 540.d
Et efficienter à voluntate. 590.d, & 541.a
Deo tribuitur, quia sequitur ex inclinatione naturali imprest à Deo. 540.d, 541.b
Finis vltimus duplex. 552.a
Circa hunc, & necessariò coniuncta eum fine non sumt liberi. 576.c
Omn bonus finis mouet in virtute vltimi finis. 612.a
Quomodo referenda sunt opera in finem, vt sint bona. 613.a
Finis malus viciat totum opus. 610.b, 621.a
Finis vltimus principium & fundamentum totius doctrinæ moralis. 896.d
Finis dicit relationem ad media. 948.b
Inter operandum spectandus est. 966.a
Ad finem supernaturalem requiruntur opera supernaturalia. 962.d, & 973.c

G

Galli.

Gallorum error de prædestinatione. 486. & seq. 496.d
Galliæ rex ad libitum curat morbum strumæ. 419.d

Gloria.

Gloria non erit habitus in essentia animæ. 410.d
Gloria est cõiunctio cum Deo per visionem & amorem. 410.d
Gloriæ corona hominibus duplici titulo debita. 495.c, 992.d
Quomodo potest amitti quomodo non. 495.c
Gloria vt est finis est prior bonis operibus. 499.a
In genere autem causæ efficientis gloria est posterior. 499.a
Gloriam habere ex se, quot modis. 550.a
Gloriæ gradus soli Deo proprius, quis. 550.a
Gloriæ gradus quis Christo conueniat, quis angelis & hominibus proprius. 550.a
Gloria Dei tum in bonorum remuneratione, tum in malorum punitione perspicitur. 552.a
Gloria gratia consummata, gratia gloria inchoata. 973.c
Gloriæ cœlestis varij gradus. 987
Vnus tantum gradus debetur personæ iure adoptionis sine alio pacto: alij debentur operibus ex pacto. ibidem
Gloria eiusque incrementum, est præmium bonorum operum. 986.d
Gloriæ gradus idem qui debetur iure hæreditario, tribuitur iure mercedis. 992.d
Gloria adultorum maior infantium in cœlo. 946.d, 992.d
Gloria Dei primum omnium petenda est. 1008.c

Gratia.

Gratia gratum faciens est habitus naturam perficiens. 6.b, 9.d, 10.a, b, 12.c, 399.b, c, 401.c, d, & sequent.
Gratia sanat naturam. 12.d
Est necessaria ad meritum. 23
Non tollit liberum arbitrium. 23.c, 24.d, 25.c, d
Sufficit non modo ad velle, sed etiam ad perficere. 25.c.d
Est lux & vita animæ. 93.d, 330.a, 331.d
Est habitus in anima inhærens. 94.b
Accipitur pro liberali condonatione pœnæ. 94.b
Est efficacior peccato. 212.a
Gratia personalis proximorum parentum in filios non transfunditur. 235.b
Gratia Dei vita æterna. 267.b, 395.b 955.c, d. 958.b, c
Gratia beatæ Mariæ quanta & quotuplex. 248.b
Gratiæ priuatio mors animæ. 330.a, 331.d, 409.a
Gratia dicitur quia gratis data. 393.a
Opponitur debito. 393.a, 395.d, 396.a
Tribus modis in sacris literis accipitur. 393.a
Gratia humanitatis Christi quæ & qualis. 395.a
Gratia accipitur pro solis Dei beneficiis naturæ superadditis. 394.a
Gratiæ nomine intelliguntur quæuis supernaturalia beneficia. 394.a, b
Gratia Dei maximè propria quæ. 395.a
Alia æterna, alia temporaria, & quid vtraque. 395 d
Temporaria duplex. 395.d
Gratia est finis vltimus, sanitas animæ sempiterna. 396.a, 422.b
Gratia gratis data & gratum faciens ad diuersum finem dantur. 396.b, 422.b
Gratum faciens est duplex. 396.c
Gratiæ nomen magis propriè conuenit auxilio speciali, quàm generali. 397.b
Gratia specialis est duplex. 397.c
Efficax & sufficiens quid. 397.d, 422.c
Efficax duplex. 397.d, & seq.
Præueniens & subsequens quid. 398.a
Gratia est virtus nobis à Deo infusa. 399.b, c
Est fons vnde fluunt riui bonorum operum. 400.d
Multis rebus comparatur in sacris literis. 401.b.c
Regit liberum arbitrium vt iumentum. 404.b, c
In nobis augetur & perficitur. 404.c
An gratia gratum faciens re distinguatur ab habitu caritatis, quatuor sententiæ. 406.a, b
Tantum ratione distingui, & quomodo. 406 c, & seq
Gratiã grati sumus Deo, caritate Deum habemus carum. 406.d, 407.a, 412.d
Gratia iustificans non distinguitur ab habitibus Theologicarum virtutum. 407.c.d
Dat homini quoddam esse supernaturale. 403.c, 408.a, 410.b, 412.a
Gratiæ & Caritati eadem tribuuntur. 408.a, d, & seq.
Per gratiam Spiritus sanctus in nobis habitat. 400.d, 401.a, 409.a
A peccato iustificamur. 409.a
Gratia fons & radix omnium virtutum. 409.b
Separat filios regni à filiis damnationis. 409.b
Est donum Dei omnium maximum. 409.b
Est & habitus & actus in voluntate. 410 d
Respondet gloriæ. 410.d
Non est habitus in essentia animæ, sed in potentiis. 410.d
Significat beneuolentiam Dei erga nos. 413.a
Quomodo est prior caritate? 413.a
Eius formalis effectus semper est actu. 414.a
Gratiæ gratis datæ nouem recensentur. 419.d
Nihil prosunt sine caritate. 420.c, d
Non sunt in determinato aliquo numero. 421.d
Sunt inferiores gratia gratum faciente. 422.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gratia efficax à nullo duro corde respuitur. 422.d,425.a,425.c,b,430.d,601.c,d,705.d,711.d,& seq.
Gratia sufficiens probatur ex scripturis. 423
Item efficax. 423.d,& seq. Et ex Patribus. 424.b,c,d, Et ratione. 425.a,b.c
Datur efficax electis, vt certissimè perseuerent. 424.d
Est fundamentū prædestinationis. 425.d,426.d.& 427.a
Sufficiens est communis reprobis. 425.d
Gratiæ efficacia in quo cōsistat, tres opiniones. 466.& sc.
Pendet à proposito Dei, non à voluntate hominis. 427
Efficax quā præstans, & quibus nominibus vocetur. 428. 445.c
Non est actio physica voluntatem determinans. 429.b
Quomodo trahit voluntatem. 430
Gratia inspirationis internæ differt à concione externa. 431.b
Gratia operans & cooperans variè explicantur. 433.b,c,d,& seq.
Gratia operans quomodo nos præuenit. 435.d
Conuertit D. Paulum. 435.d,& seq.
Operans & cooperans quid. 436.a
Sufficiens nulli deest. 437.c,439.d
Sine gratia præueniente nemo potest gratiam desiderare, & accipere. 437.c,680.& seq.
Gratia nō expectat, sed prœuenit volūtates nostras. 438.a
Non datur omnibus æqualiter. 438.& seq.
Soluuntur obiectiones. 439.& seq.
Gratia nemini est debita. 442.a
Gratiam sufficientem ad salutē omnibus dari, probatur ex scripturis. 443 & seq. Ex Patribus. 444.b,c.& seq. Soluuntur obiectiones. 452.502,c
Gratia sufficiens non adest peccatoribus omnibus inomētis, probatur ex scripturis. 446.b, Ex patribus. 447.a.& seq. Ratione. 447.b,c,& seq.
Gratia præueniens illuminat cor. 446.d
Gratia vitandi peccatum semper adest, probatur ex scripturis. 448.c,& seq.c. Ex Patribus. 449 a,b, Ratione. 449.& seq Soluuntur obiectiones. 452.& sequent.
Gratia Dei parcius antiquis, quam nobis communicata. 452.d
Efficax ita suadet, vt persuadeat. 453.d
Gratiæ gratis datæ sunt taléta. Mat. 25. distributa. 495.d
Gratia Dei præuenit omnia nostra opera. 497.a. 681.c,d
Gratiæ iustitiæque diuinæ opes magis ostenduntur in electione, & reprobatione hominum, quā angelorum. 507.a,508.c.& seq.
Qualis gratia nunc requiritur ad perseuerandum. 670.d,& 671.a,b
Gratia si ex merito, non est gratia. 676.d,674.a,& seq. 710.c
Gratiam præuenientem in orationibus petit Ecclesia. 682.b
Gratia non est ex meritis, sed merita ex gratia. 684.a
Gratia præueniens non excludit liberi arbitrij cooperationem. 685.c,d
Gratia Dei quot modis operatur ad iustificationem hominum. 700.c,d
Gratiæ diuinæ cooperatur voluntas humana. 700. a, b. 702.a
Gratia efficax est effectus prædestinationis, & habet infallibilitatem nō necessitatē coniunctam. 705.b,c,711.d
Gratiæ efficaci absolutè potest quis resistere. 705.d. 711.d
Gratiæ donis nemo potest abuti. 707.c
Gratia perficit, non destruit naturam. ibid 714.d
Gratia excitans interna necessariò præcedere debet hominis conuersionem. 708.a
Excitantis & adiuuantis discrimen. 708.a
Præuenientis necessitas. 708.d
Adiuuans & excitans diuerso modo requiritur. 709.c,d
Excitās datur sine vllis meritis vel præparatione. 710.c,d
Excitans duo complectitur. 710.d
Adiuuans est necessaria ad assentiendum excitanti. 710.d
Neutra imponit homini necessitatem. 711.d
Gratia efficax quid. 1.d
Adiuuans tribus in rebus consistit. ibid.
Adiuuans datur vt excitans non respuatur. 42.b
Gratia eadem inspirationis internæ duobus hominibus proposita, potest ab vno eorum recipi, ab altero non. 714
Gratiæ iustificantis habitus à solo Deo infunditur. 5.a
Gratis duobus modis accipitur. 775.b,c seq.
Gratis iustificari quid. 775.c,784.b
Est semen gloriæ, & fons aquæ salientis in vitam æternam. 88.a

Gratia primi parentis.

Gratia humano generi in primo parēte collata. 1.d.7.8
Per peccatum amissa. 7.8
Per Iesum Christum reparata. 1.c.& 8
Hæc gratia fuit triplex, animæ vt originalis iustit corporis immortalitas, loci paradisus. 1.a
Gratia quam accepit Adam in creatione, erat grat gratum faciens. 6.a
Gratia Adæ qualis? 37.d

H

Habitus.

Habitus vitiosus, & peccatum habituale multis ī dis differunt. 33.b,c
Habitus supernaturales & infusi non exigunt naturalem dispositionem in subiecto. 41.b,c
Habitibus vtimur pro arbitrio. 419.b,529.c,69.a
Habitus naturalis inclinat nos ad vnum. 52.c
Ab habitibus nō à potētiis dicimur boni vel mali. 52.d
Habitus virtutis non ponit necessitatem, nec tollit bonum arbitrium voluntatis. 573.d,& sq.
Idem dicitur de habitu vitij. 62.a
Habitus non potest tolli nisi per priuationem, nec priutio nisi per habitum. 832.d
Habitus non impedit necessariò actū contrarium. 880.d

Hæresis, uel Hæreticus.

Hæresis vna est nouitas. 210.b
Hæreses ex philosophis ortæ. 224.a
Hæretici de rebus fidei inter se contendunt, & se mutuò condemnant. 72.143.a
*Hæ*retici & mali Catholici inter se comparantur. 73.a,b
Sathanam imitantur in seducendis fidelibus. 172.d
*Hæ*reticorum Patriarchæ philosophi. 224.a
*Hæ*resis inter opera carnis numeratur. 279.c.d
*Hæ*reses cogunt Ecclesiā examinare res & voces. 564.d
Hæreticorum notæ. 615
Quomodo differunt à Paganis. 881
Heretici & Mahometani quomodo credunt. 678.d
Ob vanam gloriam mortem patiuntur. 692.b
Separantur ab Ecclesia. 850.a

Henoch & Helias.

Henoch & Helias translati & conseruati. 30.d,41.b
Habitant nunc in paradiso terrestri vbi habitauit Adam. 39.c,39.c,& seq.41.b,42.a,b
Henoch non est in cœlesti paradiso. 93.c
Venient vt resistant Antichristo. 41.b
*He*noch non est submersus diluuio. 42.a.b
Fide translatus est. 766.a
*He*lias petit à Deo pluuiam promissam. 1002.a
Cur irrisit sacerdotes Baal. 1047.c

Hiehu.

*Hi*ehu rebellis contra Achab regem suum. 120.c
Regnum non ambiuit. 131.b
In nomine Domini vnctus est super Israël, vt occideret regem Achab, & reginam Iezabel. 131.b

Hieroboam.

*Hi*eroboam non peccauit rebellando contra Roboam. 130.d
Fuit verus rex. 130.d,131.a
Hiero

Hieroboam postea fuit schismaticus. 131.a,b
Quomodo ex Deo non regnauit. 131.c,d

Heua.

Heua ignorabat diabolum locutum per Serpentē. 165.a
Eius infidelitas qualis. 178.b, 18.a
Per mendacium decepta à Diabolo. 172.b,173.c
Seducta per serpentem. 172.b
Non auduit præceptum immediatè à Deo, sed ab Adamo. 172.b
Dubitauit vtrū præceptū daretur à Deo, necne. 172.a
Heua seducta per serpentem, non Adam. 172.d,173.b,c
Hena prior decepta, decepit virum. 174.a,b
Propriè non seduxit Adamum. 175.b
Heuæ peccatum fuit grauior quàm Adæ. 177.b,c
Eius infidelitas maior Adæ infidelitate. 177.c
Eiúsque superbia maior Adæ superbia. ibid.
Heua voluit mul. o Deo fieri similis Deo. 177.c
Heuæ infidelitas coniuncta cū blasphemia. 177.c,177.d
Heuæ peccatum continuit septem actus malos. 177.d,
Heua non causa, sed occasio tantum nostræ perditionis. 178.c,237.b
Habuit hostem potentiorem, Adam debiliorem. 174.a
Heua magis agnouit culpam, quàm vir. 179.a,b
Heua ante Adamum peccauit. 194.d
Heua in Adamo non fuit iniusta constituta. 211.d
Non transmisisset peccatum in posteros, si illa peccante Adam innocens remansisset. 212.b, 247.a,b
Heua figura Mariæ. 242.a, 1012.a
Quomodo dicta vita. 1012.a

Homo.

Homines fuissent in hac vita felices, nisi Adam peccasset. 5.d
Homo post lapsum indiget multiplici auxilio Dei. 10.& sequentib.
Homo carne cum bestiis, spiritu cum angelis naturam communicat. 12.a
Vnde habeant homines difficultatē bene operandi. 12.b
Hominis status post lapsum Adæ, & in puris naturalibus differunt, vt spoliatus & nudus. 12.b,14.d, & 15.d,& 16.a
Homo in puris naturalibus habuisset rebellionem carnis contra spiritum. 13.b,c,21.c, 329.a
Hominis creatio & lapsus describitur. 16.b,c
Nec homines, nec angeli sine gratia meritum habere potuerunt. 22.d,& seq.
Homines sancti nunc habent gratiam, vt actu perseuerent. 23.c
Hominem alij ex Philosophis miserum, alij felicem prædicarunt, & quare. 27.a
Homines & angelos sibi ipsis esse causas suorum malorum. 114.d,115.& seq.
Homines non possunt malis bene vti. 141.d
Homo ad gloriam Dei conditus. 147.d
Quare Deus hominem sic fecit, quem casurum præscit. 158.d. 155.b
Homo tenetur cùm possit mala euētura impedire. 155.b
Homo generat hominem sibi similem in specie, non in individuo. 222.d
Homo quo die creatus. 227.b
Factus est ad imaginem Dei. 227.c
Productus est à Deo, cætera ab aqua aut terra. 228.b,c
Quomodo animalis, quomodo spiritualis. 228.c
Homo generat vt cætera animantia. 231.c
Generat hominem verè & propriè, licet animam non generet. 236.b
Hominis excellentia supra belluas. 320.b
Homo si crearetur in puris naturalibus, haberet rebellionem carnis contra spiritum, non tamen esset proprie peccator. 329.a
Homines recenter nati qualibet bestia sunt infirmiores & miseriores. 358.a
Homo solus contra naturam, omnia alia secundum naturam agunt. 359.b,c
Hominum grauis negligentia in procurāda salute æterna. 359.d
Sunt omnium rerum inconstantissimi. 360.a
Omnium miserrimi quoad corpus. 361.& seq.
Quot & quibus indiget ad corporis sustentationē 362.b
Hominum in hac vita quanti labores, & quam breuis vita. 362.c,360.d
Homo homini inimicus. 363.c,d
Homo omnibus aliis animantibus præpositus. 363.a.b
Quomodo in bestias principatum retinet, quomodo amisit. 363.d, 367.a
Homo facilè imperasset bestiis in statu innocentię, nunc difficulter. 333.d, 367.b
Hominem infestant cœlum, terra, mare. 363.b,c,d
Homo non angelorum seruus, sed conseruus. 369.a
Quomodo potest legem implere, quomodo non. 368.b,c. 367.a
Per peccatum fit debilior ad bene operandum. 396.d
Homo perfectus tribus constat. 401.d
Ad supernaturalem finem creatus, debet facere opera supernaturalia. 403.b
Quomodo imago Dei. 2.d,227.c,265.c,266.a,b, 266.d,408.a
Quomodo similitudo Dei. 2.d,19.b,c,408.a,413.d
Cur hominum minor, angelorum maior pars ad vitam æternam destinata. 503.c.d.568.b,c,551.b,& seq.
Hominū & angelorū comparatio in gratia, & gloria. 508
Hominum & Angelorum caput Deus, & homo Christus. 508.c,d
Hominum gratia maior, quàm Angelorum. 508
Homines habent conditionalem necessitatem, & absolutam libertatem. 542.d
Hominis & Angeli æternam Dei prouidentiam, velint nolint, libere sequuntur. 549.d
Homo solis naturæ viribus quæ præstare potest, & quæ non. 598.b,c,d.& seq.
Homo tentatus, Dei destitutus auxilio nulla vrgente tentatione potest aliquod bonum morale perficere. 607.d,& sequen.
Homo sine gratia Dei opera bona vitæ æternæ meritoria facere non potest. 714.b.716.c,717.a, 718.c,d 720.a
Homo renatus totam legem Dei implere potest. 626.b
Homo non potest sine gratia Dei speciali velle, aut facere aliquid ad pietatem aut salutem pertinens, probatur ex sacris literis. 680. b, c. Ex Conciliis. 680.d. Ex summis Pontificibus. 681.a. Ex antiquis Patrib. 681.b,c,d. Ex Ecclesiæ orationibus. 682.b. Ex condemnatione contrariorum errorum. 682.b
*Ho*mo non potest solis naturæ viribus ad gratiam recipiendam vllo modo se disponere. 682.d.& seq. Probatur ex Scripturis. 683.& seq. Ex Conciliis & Patribus. 684.a,b, Ratione. 684.d,& seq. Soluuntur obiectiones. 685.b,c,& sequen.
*Ho*mo ante gratiam habet liberū arbitriū ad opera naturalia, moralia, & pietatis supernaturalia. 707.b

Honor.

*Ho*nor & gloria sunt extrinseca & superaddita naturæ. 17.a.18.a
Gloria Dei relucet & in præmio iustorum, & in pœna malorum. 149.a
*Ho*nor & ignominia matris redundat in filium. 245.a
*Ho*noris cōcupiscētia est in parte animi superiore. 247.a
Honori proprio & statui consulendum. 1135.d

Horæ Canonicæ, siue officium diuinum.

Nomen horarum canonicarum siue diuini officij, quàm antiquum, & vnde sumptum. 1027.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quinā præcęteris hoc officiū persoluere tenętur. 1027.d
Horæ canonicæ vnde dictæ. 1017.a
Deliramentum Brentij hac de re. 1028.a
Officij diuini definitio ponitur & explicatur. 1028.b
Omnis oratio nō dicitur propriè officiū diuinum. ibid.
Officium diuinum quot modis publicum dicitur. ibid.
Vt dicatur publicum non requiritur fieri loco publico, vel in præsentia multorum. 1028.b,c
Continet laudes pro beneficiis acceptis, & preces pro accipiendis. 1028.c
Officiū ecclesiæ triūphantis & militantis differunt. ibid.
Soli Deo propriè præstatur. ibid. & seq.
Officium aliud de sanctis, aliud de mortuis, aliud de tempore. 1028.c,d
Qui obligantur, necessariò debent voce distinctè integrēque omnia verba proferre. 1028.d
Debet definiri & instituí ab Ecclesia & eius Prælatis. 1028.d.1029.a
Officij diuini partes aliæ maiores aliæ minores. 1029.a,b
Maiores à tempore nomen accipiunt. 1029.b
Horæ canonicæ ad horas diei accommodantur. 1029.c
Horæ diei & noctis quales tempore Christi. ibid.
Duodecim horę noctis diuidūtur in quatuor vigilias. ib.
Hora quælibet tertia diei & noctis deputatur ad aliquod officium diuinum. 1030.b
Horæ canonicæ nocturnæ quomodo celebrabātur apud veteres. 1030.a
Horæ nocturnæ & laudes secundùm vsum Romanum simul dicendæ sunt, vigilia quarta. id est, manè. 1030
In natali Domini quomodo officium & Missa celebrari debent. 1030.c
Quomodo in triduo ante Pascha sub vesperam, & vnde vocantur tenebræ.
Omnia tristitiæ signa in illo officio ostenduntur. 1030.d
Hora prima diei prima hora celebranda. 1030.d, & seq.
Institutа est recentiùs quàm aliæ horæ. 1031.a
De hymno, *Iam lucis orto sydere*. 1031.a, b
Horæ inæquales sunt Planetariæ, quid significent, & vnde dicantur. 1029.b,& seq.1031.b
Horæ quando recitandæ in quibuscumque regionibus, 1031.b,c,d
Vesperarum tempus canonicum secundùm sanctos Patres. 1032. b,c,d
Horæ diei ad diuinas laudes deputatę quatuor. 1032.b,c
In vesperis angelo docente, solebant duodecim psalmi hora duodecima cantari. 1033.a
Laudes à veteribus vocantur matutinum, sunt in multis similes vesperis. 1033.a,d
Vesperæ antiquitùs dici solebant accensa cādela. 1033.a
Cōpletoriū nō est æquè antiquū atq; aliæ horæ. 1033.d
Completorij dicendi tempus. 1033.b
Completorij nomen & tempus apud Latinos primùm inuenitur in regula S. Benedicti. 1033.b
Vesperæ dicuntur à sydere, quod oritur Sole occidente. 1033.c
Completorium vesperas sequi debet. 1033.c
Hora prima & completorium quam inter se habent proportionem. 1033. d,& seq.
Completorium agit gratias Deo de beneficiis diurnis. Significat Christi sepulturam, præparat nos ad nocturnam quietem,&c. 1034.b,c
Horarum canonicarum institutio quàm antiqua & laudabilis. 1036.a
Commendatur nobis officium diurnum & nocturnum exemplo Dauid, Pauli, Silæ,& aliorum. 1036.a,b
Omnes horæ diurnæ antiquis exemplis & testimoniis commendantur. 1036.b
Probantur ex antiquis Patribus. 1036.b c,d
Tertia quaque hora, tum diei, tum noctis oratur in Ecclesia in honorem S. Trinitatis. 1037.d
Horæ septem instituuntur ad gratias Deo agendas de creatione rerum in septem diebus. 1037.d
Additur octaua hora, nempe officium nocturnum pro spe resurrectionis octauo die designatæ. ibid.
Cur ab hora vespertina officium ecclesiasticum incipit. 1038.a
Horæ singulæ canonicæ pulchrę significant aliquod mysterium passionis Christi, & redemptionis nostræ. 1038. a,b
Horæ canonicæ euangelico magisterio & miraculis confirmantur. 1038.d
Horarum singulæ partes vindicantur à reprehensione. 1039.a
Te Deum laudamus. 1039. b
Hymnus quid sit,& quanta eius antiquitas. 1039.b,c
Hymnorum proprium est cantari. 1045.b
Lectiones sunt triplicis generis. Earum antiquitas. Leguntur tantum in nocturnis. 1040.a
Benedictio præcedens lectiones. 1040.a
Responsoria quàm antiqua, vnde dicta, an in Italia primum inuenta. 1040.b
Capitula sunt breuissimæ lectiones, semper ex sacris literis, dicuntur in singulis horis diurnis. Quàm sint antiqua. 1040.b
Antiphona quid, & quis eius vsus ab angelica admonitione & exemplo initium habuit. 1040.c
Alternatim canere quid,& à quo ortum habeat,& quantæ antiquitatis sit in ecclesia. 1040.d, & seq.
Antiphona, *Salue Regina*, liberatur à calumniis hæreticorum. 1041
Singulæ eius partes approbantur. 1041.1042
Ad officium ritè persoluendum septem requiruntur. 1050.b,& seq.
Horæ omnes quo ad partes maiores quotidie dicendæ sunt sub pœna peccati mortalis, si quis obligatur. 1050.c
Quoad partes minores grauiter peccāt, nec officio satisfaciunt, qui dimidiata verba pronunciant. ibid.
Ordinē officij mutans, non tenetur iterum repetere. ibi.
Inter horas & Missā nullus est ordo essent, alis. 1050.c,d
Laudes & prima cur ante Missam dici debent. 1050 d
Breuiarij & officij diuini diuersitas in diuersis Ecclesiis. 1051. a,b
Officiū Ecclesiæ suæ quisque tenetur dicere, nisi ex consensu Episcopi & Capituli dispensetur. 1051.b
Officij obligatio inducitur ex beneficio vel ordine,& tale officium ex tali beneficio vel ordine. 1051.b,c
Officij diuini locus Ecclesia. 1027.c,& seq. 1051.d
Tempus est à vespera vnius diei ad mediam noctem alterius, vt vitetur mortale peccatum. 1051.d
Non peccat mortaliter, qui cōtinuò post vesperas & cōpletorium, dicit matutinum sequentis diei. 1052.a
Officium incipit à primis vesperis,& terminatur ad completorium diei sequentis. 1052. a
Completorium dici potest vsq; ad mediā noctem. 1052.a
Matutini tempus canonicum incipit post mediam noctem ibidem.
Officij forma quæ nunc est in vsu, non est à iure diuino, sed ab Ecclesiæ determinatione. 1054.d
Horarum canonicarum numerus aliquando fuit alius, quàm nunc est. 1055.a
Officium diuinum non persoluētes fructibus carere debent, vel si percipiant, restituere. 1056.a

Humilitas.

Humilitas accipitur pro obedientia. 166.b,d
Quomodo latius patet, quàm obedientia. 166.d
Humilitas exaltatur. 780.d, 823.a
Humilis de se cogitatio commendatur. 963
Humilitas est, tentationes declinare. 1017
Est necessaria, vt orans quod petit impetret. 1024.c

I.

Ieiunum.

Ieiuniū orationis & eleemosynæ comes, 1055.b, 1068.a
Ieiunij nomē Grecè abstinentiā à cibo significat. 1055.b
Ieiunium quadruplex. 1055.c, Spirituale est abstinętia à vitiis. 1055.c, Est metaphoricè ieiunium. 1055.c, Morale est temperantia & parsimonia cibi & potus, quod fuit duce natura apud Philosophos. 1055.c, d, Naturale est abstinentia ab omni omnino cibo & potu. 1055.d
Soluitur quando in stomachum cibus vel potus est transmissus. 1055. d
Hoc ieiunium est tantum in præcepto propter Eucharistiam. 1056. b
Ieiunium Ecclesiasticum est abstinentia cibi, secundùm Ecclesiæ regulam. 1056.b
Non soluitur potu vel pharmaco. 1056. b,c
Ieiunium generali nomine quid significet. 1056.c.d
Ecclesiasticum est aliud voluntarium, aliud necessarium, aliud necessitate voti, aliud necessitate præcepti. 1056.d,1057.a,1071.d
Ecclesiasticum tria requirit. 1057.a,
Ieiunans tātùm semel in die cibum sumere debet. 1057. a,& quare. 1058.b
Illa vna refectio debet esse cœna, non prandium. 1057. b,c,1058.b
Vt sit à carnibus abstinentia. 1057.b
Caluini error circa ieiunium. 1057.b
Ieiunium superstitiosum Iudæorum. 1057.c
Ieiunium non soluebant veteres Christiani ante horam nonam vel vespertinam. 1057.c.d, 1058.d,& seq. probatur ex sanctis Patribus. 1057.d.& seq.
Ieiunandum in Quadragesima vsque ad vesperam. 1058. a,b,c,1059. a
Ieiunium quorumdam Monachorum per totum annum, arctius tamen in Quadragesima. 1058.a,1071.d
Ieiunium non obligat senes & paruulos. 1058. a
Quare debet vsque ad horam nonam protrahi. 1059.b,c
Nunc solui circa meridiem,& vesperi cœnulam sumi ab ecclesia toleratur. 1059.c, Etiam nunc obseruant multi vsque ad vesperam. 1059.c
Ieiunium & alia quæ non sunt de iure diuino, possunt determinari ad arbitrium ecclesiæ. 1059,a
Etiam antiquitus non similiter in omnibus locis obseruabatur. 1059. d,& seq.
Ieiunij seueritas aliquantulum nunc relaxata est. 1059.d
Merenda dicitur à meridie. 1059.d
Ieiunium antiquitus solebat solui ad meridiē. 1060. a, b
Ieiunare diutius & tardius melius est, & laudabilius. 1059.c,d.1060.b,c
Hæreses & hæretici circa ieiunium. 1060 c,d,& seq.
Refelluntur circa ciborum delectum. 1062.d. & seq.
Ieiunantes non dicimus carnes immundas. 1062
Ieiuniorum temporibus permittuntur carnes ex caussa legitima. 1062.c
In ieiuniis quare prohibentur carnes. 1061.d, & seq.
Ieiunium indicitur ad domādam carnem. 1059.b, 1062. d,& seq. 1073.d, 1082.d, 1084.b,c, 1085.c
Ieiunium consistere in abstinentia à certis cibis, præsertim carnibus. 1065.c,d,& seq. Probatur exemplo Danielis,& Ioan. Baptistæ, S. Petri,&c. 1065.c,d, 1067.a, 1075.b, 1082.b, 1084.c
Ieiunium Christianorum Alexandrinorum. 1066.a
Ieiunium hebdomadæ sanctæ ante Pascha. 1066.a
Eremitarum. ibidem b,c
Ieiunantes in Orientali Ecclesia abstinuerunt etiam à vino, cur non in Occidentali. 1067.b. 1078.d
Ieiunium nullum secundùm Caluinum & Kemnitium, esse iure diuino præceptum. 1067. d
In genere lege diuina esse præceptum, ab Ecclesia determinatum, probatur ex Scripturis. 1068.a. Ex Patribus. 1068.d.& seq. Ratione. 1069.c.d
Est duplex, secundùm Melanchthonem. 1068.a,b. Refutatur ibidem. 1069.a
Plus est quàm moderatio vel sobrietas. 1068.b,d
Ieiunantes non debent assimilari hypocritis. 1068.b
Ieiunium nullum est inter Christianos in die Dominica, nec à Pascha ad Pentecosten. 1069.a
Ieiunium aliquod ad ipsum ius naturæ pertinet. 1069.c
Necessarium ad tentationes superandas, & ad pœnitentiam. 1069.c
Non præcipitur in Decalogo. 1069.d
Pertinet ad temperantiam. 1069.d, 1085.a
Ieiunij præcepta obligare fideles in conscientia probatur testimoniis & exemplis Scripturæ sacræ. 1070. Et ex Conciliis. 1071.a,b, Ex sanctis Patribus. 1071.b,& seq Ratione. 1072.b. Soluuntur obiectiones ex Scriptura. 1073.& seq. Ex historia. 1078.c,& seq.
Ieiunium publicum. 1070.b
Ieiunium mensium nō à Deo, sed à Rep. Iudæorum obligabant populum in conscientia. 1070.b,c
Ieiunia & ieiunantes laudantur in Scripturis. 1070.d
Violantibus ieiunium dicitur anathema. 1071.a
Actus ieiunādi præscriptus à lege Ecclesiastica, est actus temperantiæ necessarius. 1072. b
Violans ieiunium peccat contra virtutem temperantiæ. 1072.c.d
Ieiunia antiqua hæretica reiiciuntur. 1074.b,c,d
Ab Ecclesia instituta sunt sanctitatis & diuini cultus caussa. 1076.c
Ieiunium Euangelicum perfectius ieiunio Phariseorum. 1078.d.& seq.
Non pertinere ad viros perfectos secundùm Bogardos. 1082.a,b
Refutatur hic error. 1082.a,b
Ieiunium pertinere etiam ad perfectissimos. 1082. b
Ieiunare nemo tenetur cum præiudicio salutis corporalis. 1082.d, 1083.c
A ieiunio tria excusant, pueritia, senectus, ægritudo. 1083.b,c
Propter pietatem excusantur cōcionatores,&c. Propter necessitatem, omnes qui versantur in laboriosis operibus. 1085.c
Ieiunium in Orientali ecclesia semper fuit strictius, quàm in Occidentali. 1083. c.d
Ieiunium disponit animum ad orationem, & rerum cœlestium contemplationem. 1084.c
Ieiunium esse cultū Dei 1085. c, Soluuntur obiectiones ex Scripturis. 1089.c,d,& seq. Ex Patribus. 1092 b.c
Placare Deum iratū. 1086.a, Probatur ex Patribus. 1086
Esse impetratorium beneficiorum Dei. 1087.b, Probatur exemplis sacræ Scripturæ. 1087.b
Illi respondet merces. 1087. c,d
Multi eius fructus enumerantur. 1088. a
Ieiuniū à cibis patū ,pdest, nisi abstineat à vitiis. 1089. a
Cum eleemosyna coniungere non est necessariū. 1090.b
Ieiunium Sanctorum eremitarum. 1092.d
Ieiunium in pane & aqua in Ecclesia antiquitus fuisse, testatur Tertullianus. 1094.d
Ieiunij apud veteres semper varia fuit consuetudo. 1096. c,d,& seq.
Nonnullos aliquando biduum, vel triduum, vel sex dies egisse ieiunos. 1097. c,d
Ieiunium sine humilitate nihil prodest. 1107.a
Ieiunij feriæ quartæ & sextæ caussa. 1108. b
Propter absentiam sponsi. 1108.c
Non debet obseruari hoc ieiunium, quando natalis Domini, contingit feria quarta, vel sexta. 1108.d
Hoc ieiunium est ex traditione Apostol;ca. 1108.d
Romæ omnes non obseruabant. 1108.d

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ieiunium feriæ quartæ & sextæ solebant pœnitentibus iniungi. 1109.a
Abstinentia à carnibus fuit ex præcepto per totum annum. 1109.a
Ieiunium feriæ quartæ ferè muratur in Sabbathum, in occidentali ecclesia. 1109.c
Ieiunare Sabbatho Græci nefas putarũt, quod tamẽ maximè conuenit, vt fit Romæ & in Hispania. 1109.c
Ieiunandum secundum morem Ecclesiarum. 1109.c
Semper ieiunandum & vbique Sabbatho sancto & omnibus Sabbathis propter Christi sepulturam & Apostolorum mœrorem. Die Veneris propter Christi passionem. 1109.d
Ieiunium Sabbathi quare olim prohibitum, nunc præceptum. 1110.b
Ieiunium quatuor temporũ est à traditione Apostolica. 1111.a
Ieiuniũ decimi mẽsis est præcipuũ ex quatuor. 1111.a,b
Huius ieiunij varietas apud veteres. 1111.d
Quos ob fines obseruari solebat. 1112
Pro singulis mensibus vnum diem ieiunamus. 1112. & sequen.
Ieiunium quomodo prohibitum in Pentecoste. 1113.a, 1115.d,& sequen.
Licet imitari ieiunia Iudæorum. 1113.c,d
Ieiunium aduentus ex consilio non ex præcepto. 1114.a
Rogationum quomodo obseruatur, est consilij potius, quàm præcepti. 1114.d,& seq.
Ieiunium vigiliarum antiquitus statio dicebatur. 1114. & seq.a,c
Quibus temporibus ieiunium numquam celebrari debet. 1116. & seq.
Licet ieiunare in Rogationibus, & in vigilia Pentecostes. 1117.a,b
Ieiunium & ieiunantes laudantur. 1118.a,b
Ieiunium vtile est ad sapientiam acquirendam, & ad passiones animi cohibendas. 1118.d

Ignis.

Ignis post diem iudicij non habebit vim vrendi, nisi vt instrumentum diuinæ iustitiæ. 351.a, 352.a
Ignis gehennæ vrit, sed non splender. 753.a,b

Ignorantia.

Ignorantia fons erroris. 356.d
Vulnus mentis. 356.d,357.b
Ignorantia rerum necessariarum in infantibus maior, quàm in ipsis bestiis. 357.b,c
Ignoratio finis, tum naturalis, tum supernaturalis. 357
Ignoratio quomodo non fuisset in paradiso. 366.a
Antecedens facit inuoluntarium. Et excusat à peccato. 450.c,d
Concomitans relinquit liberum voluntatis actum. Et non excusat à peccato. 450.c,d

Imago.

Imago & similitudo Dei quomodo differunt. 4.d,19.b, 408.a
Imago Dei in homine, significat liberum arbitrium. 4.d, & seq.579.a,648.d
Proprie est in anima hominis. 227.c,265.c, 266.a
Est totus homo. 227.c, 514.c
Tribus modis in nobis consideratur. 266.a
In nobis est obscurata non deleta, & quomodo renouatur. 266.a.d. 649.a
Imago picta tribus modis consideratur. 266.a
Imago Dei est ornamentum originalis iustitiæ. 266.c
Ad hanc primus homo factus est. 266.d
Læditur vt est in potentiis, non vt in substantia. 514.c

Immortalitas.

Immortalitatem Adæ fuisse ei naturalem, error. 28.d
Damnatur in Concilio Milleuitano, & Arausicano, & Tridentino, & Pio V. & Gregorio XIII. 28.d,29.d
Immortalitatem Adæ fuisse donum supernaturale. 28.d,30.d,158.a
Immortalitatem animæ nostræ naturaliter cognoscimus. 331.a,b
Immortalitas fuisset præmium obedientiæ in paradiso. 654.d

Impetratio.

Impetratio & meritum differunt. 1021.c
Impetratio non requirit caritatem. 1021.c
Impetrare possunt & peccatores in via, & beati in patria. 1021.c
Impetratio multas requirit conditiones. 1021.d,& seq.
Impetratio orationibus promittitur. 1021.d
Impetratoria potest esse oratio nõ meritoria, vel contra. 1021.d
Ad impetrationem requisitæ conditiones enumerantur. 1022 & seq.
Impetrationis magnum signum est, cùm quis in orando magnam habet fiduciam. *Vide fiducia.*

Impotentia, vel impossibilitas.

Impotentia vel impossibilitas quæ, quando, & quomodo excusat à peccato, vel non. 450. & seq.
Quæ impotentia tollendo liberum arbitrium excusat à à peccato, quæ non. 455.d

Incertitudo.

Incertitudo propriæ gratiæ & iustitiæ probatur ex Salomone 839.& seq. Probatur ex testimonio & exemplo Iob, Dauidis, & Pauli. 843.a. De Paulo, ex Patribus. 856.c.& seq. Ex Prophetis & Apostolis. 845.c,d, & seq. Ex S. Patribus. 847.d. & seq. Rationibus. 849. & seq. Soluũtur obiectiones ex Scripturis. 851.c,d, & seq. Ex Patribus 857.b,c,d. & seq. Ex ratione. 866.
Incertitudo iustitiæ præsentis, & prædestinationis non pugnant inter se. 842.b
Incertitudo remissionis peccatorum non facit dubias promissiones Dei. 846
Incertitudo gratiæ propriæ ex eo prouenit, quod opera nostra non ipsos latent. 848.a

Induratio, vel excœcatio.

Quomodo dicitur Deus obdurasse cor Pharaonis 127.132
Cæcitas mentis & cordis obduratio est peccatum. 133.a
Est caussa peccati. ibid.
Est effectus vel pœna peccati. 133.a,c
Cæcitas cordis non est solùm carentia luminis, sed affectus prauus, quo quis impedimentum ponit illustrationibus diuinis. 133.a.b
Cœci corde dicuntur Matth. 13. videntes videre, & non videre. 133.b
Cœcos corde excœcat malitia eorum. 133.c
Obduratio cordis est prauus affectus, quo quis admonitiones diuinas, internas, vel externas contemnit, & eis resistit, donec eas amplius non sentiat. 133.b,c
Cor dicitur durum, lapideum, crassum, graue, quod non mouetur ad correptiones diuinas. 133.c
E contrario cor tenerum, molle, carneum dicitur, quod facilè acquiescit Deo. 133.c
Excœcatio vel obduratio est iniustorum, non autem iustorum. 133.d
Ad obdurationem requiritur, vt quis nec cedat, nec cedere possit. 133.d
Quænam permissio Dei & desertio sit excœcatio & obduratio. 134.a
Excœcati & obdurati semper habent vires à Deo, vt si velint possint obdurationem & cœcitatem amouere, petendo Dei auxilium. 134.b.c
Obdurati in Scripturis reprehenduntur meritò & puniuntur, quia culpa sua indurationem incurrunt, & in ea perseuerant. 134.b,c
Excœcandi & obdurandi actio tribuitur interdum rebus, quæ sunt occasiones actionum. 134.d

Patientia Dei quomodo indurat homines. 134.d
Obdurationi finis est, vt ostendatur iustitia & potentia Dei. 144.d
Obduratio à Deo permittitur propter demerita hominum. 146.a
Obduratio peccatorum assimilatur duritiei lapidis. 268.a
Excœcati durante excœcatione videre non possunt. 446.c,d,452.c,455.a
Possunt remouere excœcationem si gratiæ præuenienti cooperentur, sed hanc gratiam non semper habent. 446.d
Obdurati & excœcati post obdurationem peccare possunt. 449.& seq.
Obduratio & excœcatio non excusat à peccato, non tollit liberum arbitrium, sed facit peccantes inexcusabiles. 449.c,d
Obdurati & excœcati quomodo habent gratiam resistendi tentationibus. 450.& seq.
Obdurati & excœcati possunt deponere obdurationem & excœcationem. 455.a
Indurare, & odio habere, non positiuè, sed negatiuè significant. 505.a
Induratio quomodo pœna peccati? quomodo effectus reprobationis. 505.b

Infantes.

Infantes quare non possunt peccare? 154.b, 188.d. 271. & seq. 272.a
Carent vsu liberi arbitrij. 189.d.209.b,213.b.c, 271.d. & seq.a,b,c
Non sunt capaces præcepti. 189.d
Non tales nunc nasci, qualis erat Adã ante lapsum. 189.d
Non baptizandi secundùm Anabaptistas. 189.b
Infantes nec in Adam periisse, nec in Christo saluari, error Abailardi. 189.b,c
Sunt morti obnoxij antequam quicquam boni vel mali fecerint propria voluntate. 194.a, 195.a, 198.d,199. b,c,201.c, 202.c,d. 204.c,208.b,c.d,213.c,d
Infantes esse baptizandos. 205.d.206.b,d,208.d
Cum omni festinatione baptizandos esse, si periculum mortis instet. 205.d.207.d,239.a,238.a
Infantes ante baptismum possidentur à diabolo. 208.c,d 239.b,c,335.b,c, & seq.
Non possunt imitari peccata parentum. 209.b
Quomodo puniantur pro peccatis parentum, quomodo non, vide *Filius.*
Per baptismum habent meritum fidei. 212.c,d
Quomodo sistentur in die iudicij ante Christi tribunal. 212.c
Nullam habent actionem malam, sed tantum reatum & maculam. 221.d 223.b.c
Contrahunt peccatum originis non propria, sed aliena voluntate. 221.d, 327.d
Infantes iustorum parentum quomodo nascuntur in peccato. 222.d
Fidelium quàm primum baptizandos esse ex traditione Patrum. 238.c,d
Infantes in primo instanti animationis, habẽt peccatum originis. 272.b,c
Infantes recenter baptizati comparantur munditię cum Christo. 286.c
Sine baptismo morientes quomodo puniantur, quinque sententiæ. 335.492.b
Cœlesti & naturali beatitudine perpetuo caituros. 337. a,& seq. probatur ex Scripturis. 337.b,c,d. Ex Conciliis. 337.d. Ex Pontificibus. 338.a, b. Ex sanctis Patribus. 338.c, Ex rationibus. 339.a,& seq.
Infantium sine baptismo decedentium locus est ipse infernus. 340.a,& seq.
Infantes sine baptismo decedentes, nec acquisitas, nec infusas habent scientias. 341.b,c, 345.a
Horum infantiũ animæ separatæ nihil discunt. 341.c,d
Non habent virtutes nec vitia. 341.d
Habent auersionem habitualem à Deo. 341.d
Horum infantium felicitas, secundum Pighium & Catharinum. ibid.
Infantibus non applicatur redemptio Christi, nisi per baptismum. 343.a
Infantes illi patiuntur pœnam damni, non autem sensibilem ignis infernalis. 344.c
Infantes sine baptismo decedentes, in inferno mitiore pœna puniuntur. 344.c,d
Infantum damnatio omnium leuissima. 342.c,353.a
Infantibus sic dãnatis non fuisset melius nõ fuisse. 348.c
Infantes sine baptismo decedentes, quomodo erunt in loco ignis, non tamen vrentur igne? 351.a,d
Infantum miseriæ non sunt proprie pœnæ originalis peccati. 352.a
Sine baptismo decedẽtes, qb. corporib. resurgẽt. 352.b,c
Infantes sine baptismo decedentes, internum patiuntur animi dolorem. 352.d.& seq.
Intelligent quid amiserint. ibid.
Quot sint eorum pœnæ. ibid.
Dolor eorum internus, cui erit leuissimus. 353.a
Cur verme conscientiæ carebunt. 353.a, 355.d
Videbunt alios se miseriores. 353.a
Infantes vocãtur innocẽtes imagines Dei. 353.b,405.c,d
Soluuntur argumenta contra internum dolorem infantum sine baptismo decedentium post hãc vitam. 355. & sequen.
Infantes illi naturaliter habent animi dolorem ex amissione beatitudinis. 355.c
Infantium sine baptismo morientium, quomodo pœna mitissima. 355.c
Est mitissima tribus modis. 355.d
Infantes magis ignorant res necessarias, quàm ipsæ bestiæ. 357.b
Infantes actu baptizati, nec actu cognoscunt, nec diligunt Deum. 399.a
in Infantibus habitat Spiritus sanctus per habitum aliquem. 399.a,b
in Infantibus non potest esse iustitia actualis, sed tantum habitualis. 403.d
Cur permittit Deus infantes aliquos, nõ alios mori sine baptismo. 405.b
Infantes sunt sub arbitrio voluntatis alienæ. 445.d
Aliena confessione credunt, aliena infidelitate non credunt. 445.d
Infantes gratia præuenti saluantur baptismo. 408.d
Infantum diuersa mors satis ostendit prædestinationem, non esse ex præuisis bonis operibus. 491.d, 492.c,d
Infantes morientes statim post baptismum, quomodo merentur hæreditatem cœlestem. 387.& seq.

Infideles.

Infideles, non hœdis, sed lupis & canibus assimilantur. 350.a,448.a
Infideles quomodo iudicabuntur. 350.b
Infideles aliqua bona opera, siue cum auxilio speciali, siue solis naturæ viribus facere posse. 607.d
Infidelium & fidelium bona opera non eodem modo vtrique prosunt. 609.b,c,d
Infidelium opera plerãque ob prauum finem sunt mala. 610.a,b.620.d
Infidelitatis vnico actu amittitur fides. 880.b,c

Infidelitas.

Infidelitatem non fuisse ante Adæ peccatum. 165.b,c, 166.d,167.b,d,168.b,169.a
Infidelitatis actus est, non velle Deo credere. 168.b
Infidelitas consequitur ex aliis malis operibus. 168.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

Infidelitas Adæ fuit hæresis. 171.b,c,173.b
Infidelitate amisit Adam fidem. 171.d
Infidelitas Heuæ quænam fuerit. 171.172.& sequen. 178.b
Adæ qualis. 173.b
Infidelitatis motus potest præuenire perfectam rationis deliberationem. 171.c,d
Infidelitas Heuæ grauior infidelitate Adæ. 177.c
Infidelitas maxima quæ. 177.c
Infidelitas Heuæ coniuncta cum blasphemia. 177.c, 177.d
Infidelitas Heuæ & Adæ parum differt. 178.b

Innocentia.

Innocentia in quo consistit. 330.c
Semel amissa numquam recuperari potest. 330.d
In infantibus apparet amissa. 361.c,d
Innocentia paruulorum baptizatorum quanta. 363.c

Inobedientia.

Inobedientia est nolle subiici alterius imperio. 166.b
Inobedientia est primus actus superbiæ. 166.a
Inobedientia est quædam superbia. 166.c
Inobedientia Adæ & Heuæ eadem. 178.b
Inobedientia Adæ quomodo constituit omnes peccatores. 200.b, 217.880.b
Inobedientiâ Adæ & nostram sanauit obedientia Christi. 398.c,880.b
Inobedientia Adæ efficienter nos peccatores constituit. 817.b
Inobedientiæ malum. 923.a,b

Inspiratio.

Inspiratio Dei plus valet inspiratione hominis. 432.709
Inspiratio interna est necessaria, vt quis à peccato resurgat, non vt quis peccatum fugiat. 448.c
Inspiratio interna quot & quales motus efficit in homine. 711.a,b

Intellectus.

Intellectus & ratio quomodo differunt. 512.d,522.b
Intellectus obiectum est veritatis. 537.c,593.a
Intellectus humanus cum solo auxilio generali verum morale etiam in particulari cognoscere potest. 593.a
Peccato primi hominis læsus, non extinctus est. 616.b.c

Iniustitia.

Iniustitia nobis verè inhæret per modum habitus. 400.b,792.b,797.d

Intentio.

Intentio mala facit omnes actiones malas. 263.a,926.c,d,928.d,938.d
Intentio ministri necessariò requiritur ad conficiendum Sacramentum. 849.d,863.b,c
Intentio dicitur oculus. 926.d
Quæ intentio requiritur vt opus dicatur in Deum referri. 981.c,d
Intentio orantis debet esse in abscondito. 1048.c,d
Intentio bona dicitur dextra manus, mala sinistra. 1144.c
Intentio placendi Deo, facit bonam eleemosynam. 1144.d,& sequen.
Intentio fauoris humani corrumpit opus. 1144.d, & sequen.

S. Ioannes Baptista.

Sanctus Ioannes Baptista in vtero matris sanctificatus. 244.b.d
Eius ieiunium. 1065.d

Iob.

Iobi afflictio quare tribuitur Deo. 128.d
Eius afflictio nec maior, nec longior, nec planè alia fuit, quàm vt Deus permisit. 128.d
Non vincit tentationes nisi auxilio diuino. 606.a,b
Quare à Deo tentatus. 641.d
Iob non audet se iustum pronuntiare. 843.c
In grauissimis tentationibus innocens perseuerauit. 925.d,& seq.929.a

Ioseph.

Ioseph venditio, & Christi passio, quomodo bona, quomodo mala. 121.d

Ira, vel iracundia.

Iracundiæ tres gradus. 74.d,75.c
Iracundia interior aliquando grauissima. 74.d
Iracundiam mitigare non mediocre est. 285.b
Iracundia mala bestia. 305.b
Ira quare homini data. 361.b,c,d
Eius officium quale. 361.c
Ira quomodo hominem in belluam conuertit. ibid.
Ira nobiscum nata, in ipsa infantia apparet. ibid.
Iracundia vitiosa animi pars. 365.c,d
Ira Dei super homines malos. 366.d
Ira Dei præter naturam eius est. 857.d
Tribuitur Deo ad similitudinem iræ hominum. 1026.d
Ira diuina ieiuniis placatur. 1086.a

Iubilæum.

Iubilæum apud Hebræos quid. 46.a

Iudæi.

Iudæi verum Deum per innumera prodigia nouerunt, & tamen Deos alienos sæpè coluerunt. 359.c
Iudæi cur olim soli Deum coluerint. 444.b.c
Iudæi etiam obdurati & excæcati adhuc peccauerunt. 449.c,d
Iudæi reiecti, Gentiles electi. 485.493
Iudæi cur non crediderunt in Christum. 489.a
Quæ auxilia habuerunt. 489.a
Iudæi quidam dicunt Deum quotidie orare. 1026.c,d

Iudæ.

Iudæ auaritia. 146.a,b
Iudas electus ad opus, cui congruebat. 146.a,b
Iudæ mala voluntas in bonum versa. 146.b
Iudas liberè & nulla necessitate compulsus, Christum prodidit. 567.d
Iudas amisit fidem, & erat infidelis. 750.b
Aliquando iustus, postea peccauit, & factus est reprobus, & damnatus. 880.a

Iudex.

Iudex & arbiter quomodo differunt. 512.a,b

Iustificatio.

Iustificationis caussa formalis est gratia à Deo infusa. 330.a,795.a,797.a
Iustificatio post lapsum Adæ non modò gratis, sed etiam peccat

peccatoribus. 395.a,b
Iustificationem non esse solum remissionem peccatorum, sed etiam gratiæ susceptionem. 399.d,411.720.b,791.b,796.b,c,802.b,804.& seq.806.a,b,812.d,815.d,& seq.818.d,822.b,c,d,823.d,827.c
Cum iustificatione infunditur spes, fides, caritas. 399.d
Iustificationis gratia distinguitur ab actibus virtutum. 399.d
Non est tantum externus Dei fauor, sed caritas in corde diffusa. 399.d
Iustificatio à iustitia deriuata. 402.a
Iustificatio impij describitur. 403.a
Iustificationis instrumenta sunt Sacramenta. 403.d
Iustificationis vnica caussa formalis in spe, fide & caritate consistens. 407.b,409.a,790.a,806.b
Iustificationem nostram antiqui patres in virtute præsertim in caritate constituunt. 407.a,& seq.
Iustificatio gratis per gratiam. 407.d
Iustificationis effectus glorificatio. 496.c,d,806.c
Iustificatio effectus vocationis. 496.c,d,806.c
Iustificationis principium est à Deo vocante. 708.d
Iustificatis, gratiæ habitus à solo Deo infunditur. 715.a
Iustificationis nomen multis modis accipitur in sacris literis. 717.a,b
Accipitur pro ipsa lege quæ iustitiam docet. ibid.
Pro acquisitione iustitiæ. 717.a,b
Pro incremento iustitiæ. 717.b
Pro declaratione iustitiæ. 717.b,814.b,c
Nomen habet à iustitia. 717.b
Iustificationis finis quis. 720.a,b
Iustificationis caussa efficiens quotuplex. 720.a,795.a 796.822.a
Caussa meritoria. 720.b,& seq.791.a,795.a,796,a
Caussa instrumentalis. 720.d,797.a
Caussa materialis animus hominis. 721.a
Dispositiones quæ, & quot, pertinent ad materialem caussam. 721.a
Intrinseca caussa formalis est habitus gratiæ vel caritatis infusus. 721.a
Extrinseca seu exemplaris est ipsa Christi iustitia. 721.a
Iustificationis actus quem ordinem habent. 738.b,
Dispositiones ad iustificationem, quot & quæ. 747.b, seq.769.c,783.c,828.a,b
Iustificationis prima radix fides. 747.b,c,d,& seq.
Iustificationis ordo describitur. 747.c,748.a, 765.& seq.767.a,b,962.a
Iustificatio sanitas animæ à morbo peccati. 747.a
Iustificationis caussa formalis non est iustitia, quæ est in Christo. 767.a
Est iustitia in nobis realiter inhærens. 767.a
Iustificatio gratuita quomodo excludit merita, quomodo non. 775.c,d
Non excludit fidem & ceteras virtutes. 775.d
Iustificationis initium est à gratia præueniente. 776.d
Iustificatio semper vocatur misericordia vel gratia. 778.c,d
Iustificationis caussam formalem quam statuunt hæretici. 787.& seq.
Enumerat Osiander 20. discrepantes eorum de hac re sententias. 787.d
Quinque hæreticorum sententiæ numerantur de caussa iustificationis. 790.d, Refutantur. 799.& seq.
Iustificationis vnica caussa formalis est Dei iustitia, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit. 407.b,782.c,d,789.d,& seq. 791.a,801.d,& sequent. 822.a
Iustificatio quid. 791.c,806.b,812.a
Opponitur damnationi. 792.d
Est actus iudicis, est actus gratiæ. 792.d
Iustificari intrinsecè & extrinsecè quid. 793.b
Iustificatio multis modis dicitur. 794.a
Erat vocabulũ ignotum Ciceroni & Terentio. 794.b,c
Idem est quod iustum facere. 794.d,814
Iustificantem gratiam non esse solùm Dei fauorem. 795.a,b,& seq.
Iustificatio quibus nominibus vocetur, & quibus rebus comparetur. 795.c,d,& seq.
Eius caussam formalem non esse solam fidem, probatur. 799.& seq.
Iustificatio à fide incipitur, à caritate consumatur. 799. 801.b,c
Iustificatio præcedit inhabitationem Dei. 802.a
Iustificationem non consistere in sola remissione peccatorum, sed etiam in interna renouatione probatur, ex sacris literis. 804.c,& seq. Ex S. Augustino. 806.a. Ratione. 806.c,d
Iustificatio non tantùm datur vt gehennæ pœnas euadamus, sed etiam vt præmia vitæ acquiramus. 806.d
Quot, & quàm magna nobis tribuit. 806.d
Eam non consistere in imputatione iustitiæ Christi. 807 & seq.
Iustificatione verè peccata nostra tolli, probatur ex Scripturis. 807.d,& seq.
Iustificatio mundat cor, & præparat ad visionem Dei. 811.b
Iustificari est ex impio pium fieri. 813.d, 814.c,821.c,d, 827.d
Soluuntur argumenta hæreticorum contra Catholicam sententiam de iustificatione. 814.b,c,d,& seq.
Iustificationis effectus sunt opera iusta. 827.d,828.b,c
Iustificatio prima non habet opera perfectè iusta. 828.b
Secunda habet opera perfectè iusta. 828.b,c
Secundâ per opera iusta augeri potest. 829.d,932.c
Circa iustificationem quatuor errores. 833. Explicantur & refutantur. 833.d,& seq.
Iustificati habent Spiritum sanctum. 920.d
Per Spiritum, quem accipiunt, legem implent. 921.a
Ex Deo nati sunt. 921.a,b
Iustificatio est duplex. 932.b
Quænam ex operibus, quæ non. 932.c
Iustificationem pro declaratione iustitiæ vult Caluinus accipi. 932.b,c
Primam explicat S. Paulus. 933
Prima est, qua quis ex impio fit iustus. 934.b,c,939.d
Secunda, qua quis ex iusto fit iustior. 934.b,c
Iustificatio prima non est ex nostro merito, sed ex Dei misericordia. 939.d,973.d
Non ipsa iustificatio, sed eius incrementum cadit sub meritum de condigno. 993

Iustitia.

Iustitia est qualitas animæ nostræ inhærens. 400.b,789.d,& seq.792.& seq.795.d,& seq.
Est actualis & habitualis. 403.d
Est in multis, in quibus non esse potest, nisi habitualis. ibid.
Iustitia Baptismatis non est actualis, sed habitualis. ibid.
Iustitia Dei, qua nos iustos facit, nostræ iustificationis est caussa. 407.b,782.c,d,789.d,& seq. 813.a
Iustitiæ laus. 407.d
Iustitia iustificans quæ. 407.d
Est virtus in voluntate, non in essentia animæ. 411.a
Iustitia Dei lumen illuminans, nostra illuminatum. 417.c,d
Iustitia quid. 718.d
Eius multæ acceptiones in sacris literis. 718.d.& sequentibus.
Est idem quod ius. 718.d

Universidad de Deusto
Biblioteca

Accipitur pro rectitudine scripta. 718.d
Pro rectitudine operum externorum. 718.d
Pro iustitia politica, quæ est duplex. 719.a
Politica vniuersalis vel legalis est aggregatio quædam virtutum. 719.a
Particularis est specialis virtus, & diuiditur in commutatiuam & distributiuam. ibid.
Accipitur pro rectitudine interna. 719.b
Et hæc dicitur iustitia fidei, quia à fide incipit. ibid.
Et iustitia Dei, quod à Deo datur. ibid.
Iustitia legis est in libris. 719.b,c
Operum in manibus. ibid.
Iustitia fidei, siue Dei, in animo & corde. 719.c, 721.a
Iustitia interna alia habitualis, alia actualis. 719.d
Iustitia legis, & iustitia in lege, vel ex lege quomodo differunt. 768.c,d,& seq.769.b
Iustitia nobis à Deo infunditur, secundùm dispositionē, & cooperationem vniuscuiusque. 777.b
Quare nunquam vocatur merces. 779.c
Iustitia Christi, quomodo vocatur nostra. 782.d.818.a, b,c,819.a,b,& seq.
Quando perfectior fide. 799.c
Iustitia adiunctione aliarum virtutum, semper fit perfectior. 799.d,806.b
Iustitia facit nos similes Christo. 799.d
Est plenitudo legis diuinæ. ibid.
Iustitia non potest esse informis, & mortua. ibid.
Est animæ vita. ibid.
Iustitia Dei essentialis non est formalis causa iustificationis. 802.& seq.
Iustitia Christi hominis erat verè creata inhærēs. 797.d, 803.a
Fuit infiniti valoris. 804
Fuit infinitæ personæ. ibid.
Iustitia nobis inhærens probatur ex sancto Augustino. 811.c,d, & seq. Ex aliis sanctis Patribus. 813. & sequent.
Iustitia Dei dicitur, quæ inest nobis ex dono Dei. 817.c
Nostra, quę propriis viribus, sine gratia Dei acquiri creditur. 817.c
Vel est præsumptio legis implendæ solis naturæ viribus. ibidem.
Iustitia nobis inhærens comparatur aptè indumento. 821.a
Iustitia nostra vera ex fine. 824.a,b
Iustitia nostra in hac vita, cur magis consistit in remissione peccati, quàm in perfectione virtutis. 824.c
Iusti iæpe committunt peccata venialia. 824.c,d
Iustitiam Christi participamus per regenerationem. 825.a
Iustitia Christi opponitur peccato Adæ. 825.a,b
Actualis non est, quæ nos formaliter iustificat. 825.d,& 826.a
Actualis quomodo perfecta, quomodo imperfecta. 826.a
Habituali formaliter iusti sumus. 825.d,& seq.
Iustitia nostra omninò pendet a meritis CHRISTI. 826.a
Actualis meritoriè iustificat, non formaliter. 826.d, 827.d
Quæ nos formaliter iustificat, debet in nobis permanenter inhærere, nec debet esse actus transiens, sed qualitas permanens. 827.b, 829.a
Iustitia infusa opus gratiæ. 828.a
Iustitia, qua formaliter iustificamur, est in paruulis baptizatis, in quibus nulla potest esse actualis, sed tantùm habitualis. 829.a
Iustus & iniustus dicitur ab habitu, non ab actu. 829.b. Soluuntur obiectiones, adductæ contra hanc doctrinam. 829.c,d
Iustitia habitualis quatuor habet formales effectus. 830.d
Habitualis opponitur peccato priuatiuè. 832.a
Iustitia & peccatum sunt contraria immediata. 832.d
Iustitiam & fidem semel habitam posse amitti, probatur ex sacris literis. 878. Exemplis Sanctorum. 879.a, & sequent. Rationibus. 880.c,d,& seq.
Iustos omnes non esse inter se pares, probatur ex Scripturis. 883.d,& seq. Ex Patribus. 884.d,& seq.
Iustitiæ progressus describitur. 885.a
Iustitia Scribarum, & Pharisæorum. 886.a
Triplex cogitari potest. 934.a,b
Nec prima, nec secunda potest operibus sine fide obtineri. 934.b
Secunda est augmentum iustitiæ. 935. Soluuntur obiectiones sumptæ ex Scripturis, contra iustitiam actualem. 936. Ex Patribus. 939.c,d,& seq.
Iustitia humana, si cum diuina comparetur, videtur iniustitia. 937.a.942.a
Iustitiæ aliquando vocantur opera ad cultum diuinum instituta. 938.c
Iustitia in futura, quanto perfectior quàm in præsenti vita. 940.c,d
Iustitia humana, remotis donis diuinis, nulla est. 941
Iustitia triplex. 942.c
Iustitia recta, pura, & firma est in Angelis & beatis. ibidem.
In primis parentibus antè peccatum recta & pura, non firma, in nobis recta, non pura, nec firma. ibidem.
Iustitia recta quid. ibid.
Iustitia Iudaismi detrimētum in comparatione ad iustitiam Christianorum. 956.a,b
Iustitia commutatiua & distributiua. 978
Vtriusque officium. 978.c
Quomodo inter se differunt. 978.c,d
Iustitia quomodo potest esse inter Deum & homines. 983.b,& seq.a

I

Lex.

LEx mentis repugnat legi membrorum. 10.d. 169.c, d, 257.d, 264.a,b, 280.d, 281.b, 241.d, 246.b,c,d
Lex æterna legum omnium radix. 56.d
Lex quotuplex. 56.d.107.b
Propriè tantùm iis datur, qui habent liberum arbitrium. 57.a, 154.b, 629.a
Æterna est ipsa Dei sapientia. 151.b, 152.b
Lex non est nisi de actibus particularibus & certis. 194.b,c
Lex iusto quomodo posita. 157.158. & seq.
Quomodo non. 157.158.159.907.d, 1079.b
Lex circumcisionis. 159.a.b
Naturalis ab ipsa hominis creatione cœpit. 159.b
Scripta in hominum cordibus. ibid.
Iustos & peccatores obligat. ibidem.
Leges quare scribuntur in tabulis. 159.c,d, 907.c
Iusti etiam legibus carere non debent. 159.c
Legem non habent supra se. 159.d
Sunt in lege, non sub lege. 159.d, 907.c
Legis ignari dicuntur sine lege. 213.b, 907.b,c
Lex Moysis peccatum prohibendo, peccatum manifestauit

fauit. 214.a,b,c
Lex non caussa, sed occasio peccati. 264.a
Lex Domini non solùm possibilis, sed etiam suauis & facilis. 290.b,c
Lex quomodo dicitur peccatum. 264.a,c, 292.d
Quomodo dicitur spiritualis. 294.d
Lex naturæ bifariam consideratur. 318.a
Lex naturæ, & syndereſis quomodo differunt. 625.b,c
Lex est regula dirigens actiones. 629.a
Legis finis quis. 637.a
Leges de actibus, non de habitibus dantur. 689.b
Lex factorum quid. 768.c,d
Lex fidei. 768.c,d
Quibus modis inter se differunt. 768
Legis obseruatio est iustitia. 822.c,d
Lex ante remissionem peccatorum seruari non potest. 822.c,d
Legis & Euāgelij discrimen secūdum Lutheranos. 889. Refutatur hoc à Lutheranis positum. 890.b,& seq.
Legis & Euangelij verum discrimen. 890.b, 892.b, c, 895.b
Legis periti. 893.d
Leges veteris testamenti sunt ceremoniales, iudiciales, & morales. 896.a
Leges iudiciales CHRISTVS non tulit, sed Rerumpublicarum moderatoribus ferendas reliquit. 896.a
Lex & Euangelium ferè conueniunt in legibus moralibus. 896.c
Lex talionis non propter vindictam, sed propter iustitiam instituta est. 897.b
Legis & Euangelij alterum discrimen. 898.a,b.& seq.
Lex per Moysem, Euangelium per Christum. 898.a,b
Lex Moysis tantùm Iudæis, lex Euangelica omni populo data est, probatur ex literis sacris. 899.a,b
Lex Moysis vmbra Euangelij. 899.c
Lex Moysis, aduenientè Christi lege, mutāda erat, Christi legi nulla alia succedere debet. 899.c,d
Lex Moysis quoad ceremonialia & iudicialia abrogata, quoad moralia in perfectius mutata. 900.a, 903.a, 904.& seq.
Lex Moysis non iustificabat, at lex Christi. 900.a
Lex Moysis, lex timoris & seruitutis, Euangelium lex amoris & libertatis. 900.d
Lex Moysis grauissima, Euangelium Christi iugum suaue, & onus leue. 901.a
Legem destruere quid. 903.d
Lex Moysis quomodo ad Christianos nō pertinet. 907.d
Quomodo pertinet. 908.a,& seq.
Legis Mosaycæ laus. 908.d
Legem Dei secundùm hæreticos esse impossibile. 915.a
Legem Dei implere non est impossibile bonis, & iustis. 915.a,b,c, Probatur ex Scripturis. 916.& seq. Ex Patribus. 918.& seq. Rationibus. 920.& seq. Soluuntur obiectiones. 921.& seq.
Lex quomodo importabilis. 922.c,d,& seq. 2
Lex nulla sine fide & gratia iustificare potest. 923.d
Lex debet esse generalis, & omnibus in communi proposita. 1063.c,d
Lex Ecclesiastica obligat fideles in cōscientia, & ad certa ieiunia, & ad delectum ciborum, probatur exēplis, & testimoniis sacrarum literarum. 1070.b,& sequen. Ex Conciliis. 1071.a,b, Ex Patribus. 1071.b,c,& seq. Ratione. 1072.b,c,& seq.
Legum omnium commune est, facere actum virtutis necessarium, qui alioquin nō est necessarius. 1072.b,c,d
Lex Ecclesiastica distincta est, a diuina & naturali. 1072.b
Leges eadem non obligant eodem modo in omnibus locis. 1078.d
Lex nulla obligat contra caritatem. 1079.a
Lex communis est, & respicit omnes. 1079.a,c

Liberum arbitrium.

Liberum arbitrium debilitatum Adę lapsu. 368.b,c,395.b, 511.d, 520.c,d, 527.a, 575.d, 657.a, 668.700.d, 707.d
Liberum arbitrium post lapsum Adæ, quomodo non sufficit, vt perseueremus in bono. 11.c,d
Gratia quæ facit nos velle, non tollit liberum arbitrium. 23.c
Deus non impedit, quo minus liberum arbitrium possit eligere quod vult. 116.a, 117.a
Liberum arbitriū esse in obduratis & excæcatis. 134.c,d
Liberi arbitrij nulla sunt bona merita sine Dei gratia. 395.b
Liberum arbitrium quomodo vt instrumentum regitur a gratia. 464.b,c
Diminutur tota materia de libero arbitrio in multas difficiles quæstiones. 569.& seq.
Qui hæretici scripserint contra liberum arbitrium. 510.a,& seq.
Qui Catholici. 510.b,c,d
De nomine liberi arbitrij. 511.b,c,& seq.
Esse iudicium cum electione, vel electionem cum iudicio. 511.b
Esse rationis iudicium & liberum, duas ob caussas. 511.c
Esse solius voluntatis actum. 511.c
Arbitrium propriè ad intellectum pertinet, tamen accommodatur voluntati. 511.d
Cur arbitrium dicitur potius, quàm iudicium. 511.d
Arbiter multò liberior quàm iudex. 512.a
Liberi arbitrij variæ definitiones. 512.a,b, 515.b, 520.d, & seq.a
Vera definitio explicatur. 512.b,c,& seq.
Liberum arbitrium non est habitus vel actus, sed potentia libera & indeterminata. 512.c, 516.a, 519.d
Est proprium intelligenti naturæ. 512.c,d
Eius obiectum, subiectum, & actus. 511.c.d
Versatur circa media, non circa finem. 512.d
Quomodo differt à voluntate. 512.d
Liberum arbitrium est voluntas, vt est principium electionis. 516.d
Liberum arbitrium non tollitur per necessitatem non peccandi. 517.b,c
Liberi arbitrij potestas ad malum non est virtus, sed defectus eius. 517.d
Liberum arbitrium quomodo potest esse simul cum necessitate. 517.b,d, 518.b.c
Liberum arbitrium consistere in actu, non in potentia, vel habitu, sententia Heruei. 520.b, Refutatur. 522.b, 527.a
Esse habitū naturalem in ratione & voluntate cōsistentē, docet Bonauen. 619.c, Refutatur. 522.c, 521.a,b
Esse potentiam perfectam per habitum naturalem superadditum, sententia Alberti. 520.c,d
Esse potentiam vniuersalem continentem omnes alias animæ potentias, incerti auctores. 520.d, Refutatur. 523.a
Esse particularem, distinctam à ratione & voluntate, sententia Alensis. 520.d, Refutatur. 523.a, 527.b.c
Esse ipsas potentias rationis, & voluntatis, & magis rationis, est Durandi. 520.d,a, Refutatur. 523.b, Rationibus. 523.b,c,d,& seq. 427.d
Esse ipsam voluntatem, est Scoti & Henrici. 521.c,d
Esse ipsam voluntatem determinatam à iudicio vltimo practicæ rationis, sententia communis est & vera. 521.d,& seq.& probatur. 524.d,& seq.
Liberum arbitrium habemus a natura. 522.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

Est potestas eligendi. 523.a,b
Liberum arbitrium esse potentiam simpliciter actiuam. 531.c,d,& seq.
Liberum arbitrium habet in potestate actiones, tum præsentes, tum futuras. 538.a,& seq.
Liberum arbitrium non est solùm eorum, quorũ est consultatio, sed etiam quorum fuit consultatio. 539.a
Quomodo non est solum mediorum, sed etiam ipsius finis. 540.a
Liberi arbitrij similitudo in bestiis. 542.c
Liberum arbitrium hæretici negant Deo. 543.c,d
Liberum arbitrium esse in Deo. 544.b,& seq. Probatur ex Scripturis. 543.b, & seq. Ex Patribus. 545. & seq. Ratione. 546.b,& seq. Soluuntur obiectiones. 547.c, d,& seq.
Ad liberum arbitrium quid requiratur. 547.b,& seq.
Liberum quomodo nobilius necessario. 548.c
Liberum arbitrium cur datum Angelis & hominibus, rationes. 549.b,c,& seq.
Datum ad augmentum meriti & gloriæ. 550.a,b
Liberum arbitrium Angelorum & hominum, quare non fuit confirmatum in bono. 550.d,& seq.
Non datum ad peccandum, sed ad peccata liberè detestandum. 551.a
Quomodo maiore ex parte in bonum conuersum. 551.b
Sitne in homine tres sententiæ. 561
Semper ferè fuisse impugnatum. 563.d
Liberi arbitrij nomẽ quomodo in sacris literis habeatur. 564.c,d
Liberum arbitriũ esse in homine quoad actiones indifferentes & ciuiles, probatur ex Scripturis. 564.d, & seq. Ex traditione & Conciliis. 566. d, & seq. Ex Patribus. 567.c,& seq. Rationibus. 570. & seq. Ad obiectiones respondetur. 772. & seq.
Liberum arbitrium impugnantes, semper habiti sunt hæretici. 566.c,d
Liberum arbitrium non pugnare cum prouidentia. 566. b, 568.a
Liberum arbitrium hominis non tollit prouidentiam, nec præscientiam Dei. 569,c,d
Liberum arbitrium tres ex quatuor scholis Ethnicorum Philosophorum, & Sapientes Aegyptij approbant. 570.b,c, Probatur ex consensu totius vniuersi. ibid.d, Experientia 571.a, Ex conscientiæ remorsu, & verecundia peccati. 571.b
Libera electio & libera executio quomodo differunt. 572.c,d
Liberũ arbitrium nõ excludit cooperationẽ Dei. 573.a
Manet integrum cum infallibilitate. 573.d,& seq.
Quam perfectum fuit in statu innocentiæ. 575.c,d
Liberum arbitrium habemus in morali bono eligendo, & malo deuitando. 524.b,c,d
Liberum arbitrium quomodo est in beatis & damnatis, respectu vltimi finis. 628.a
Quomodo respectu mediorum. 628.a
Liberum arbitrium probatur ex præmiis & pœnis. 629. b, c, 630 a, 632.a, b, 647.a, 648.b, 650.d, 651.c, 652, d, 654. 655. b, 657.a, 662.d, 666.a
Liberũ arbitriũ & gratia non pugnant inter se. 630.a, b
Liberum arbitrium ex eo probatur, quod alij sint boni, alij mali. 632.b,c
Si non esset liberum arbitrium, frustra exhortationes reprehensiones, &c. 633.b,& seq. 666.a, 701.a
Liberum arbitrium reuelauit nobis Deus per Scripturas sacras. 637.d, 664.d
Liberum arbitriũ in moralibus contra hæreticos, probatur ex Scripturis sacris. 636.b,c,d,& seq. Ex Patribus Græcis. 640.& seq. Ex Latinis. 653. & seq. Ex libris sancti Augustini ante hæresim Pelagij scriptis. 658.& seq. Ex libris eius post hæresim Pelagij scriptis. 664. b,& seq. Soluuntur argumẽta hęreticorum, ex verbo Dei petita. 667.& seq. Soluuntur argumenta petita ex D. Augustino. 668.b, & seq.
Liberum arbitrium assimilatur statuæ, liberè & æqualiter se habenti in vtramque partem. 650.a,b
Liberũ arbitriũ vocatur portio filij, pdigi. 652.c,d, 655.b
Quot modis potest accipi. 656.b
Liberi arbitrij defensores eximij, omnis ordinis recensentur. 658.a
Liberum arbitrium Adami quomodo differt à nostro. 660. & seq.
Liberum arbitrium requirit auxilium gratię Dei. 666.d, 669.a, 670.b,c, 671.a, 681.c,d,& seq.
Liberum arbitriũ in paradiso quale fuerit. 666.d, 669.b
Liberum arbitrium quomodo à libertate gratiæ, quomodo à libertate naturæ denominatur. 670.d
Liberum arbitriũ in actionibus piis, probatur ex diuinis literis. 644.b,& seq. Ex Patribus. 697.& seq. Rationibus. 701.& seq. Soluuntur obiectiones. 701.d,& seq. Soluuntur obiectiones ex S. Augustino. 710. & seq.
Liberum arbitrium semper in Ecclesia Dei. 697.d
Liberum arbitrium habemus in ipsa prima conuersione. 698.b. 699.c
Liberum arbitrium in statu innocentiæ, & statu corrupto comparantur. 700.d
Liberum arbitrium non ex eo operatur, sed per gratiam præuenientem cooperatur ad conuersionem peccatorum. 702.b
Liberum arbitrium est vis materialis, & media, quę ad fidem, vel infidelitatem inclinare potest. 707.b
Non potest dari, nec tolli per gratiam, nec per peccatum. 707.c
Quando & quomodo ligatum, quando & quomodo liberum. 708

Libertas.

Libertas alia specificationis, alia exercitij. 513.a, 514.d
Libertas triplex. 513.b,c, 516.a,b
Libertas naturæ vel à necessitate requiritur ad liberum arbitrium. 513.b,c
Libertas naturæ duplex. 513.c
Libertas à coactione quæ. 513.c
A necessitate quæ. 513.c
Libertatem à coactione tantùm requirunt hęretici ad liberum arbitrium. 513.d, 515.b,a
Libertas à necessitate acquiritur ad liberum arbitrium, probatur ex Scripturis. 514.c,d, Ex Conciliis. 514.d, & 515.a,b,& seq. Ex Patribus. 515.b,c, Ratione. 516. b, c, Soluuntur argumenta, quæ pro contrario adducuntur. 517.& seq.
Libertas quomodo constat simul cum necessitate. 517.b, c, 518.a,b,c
Libertas ad vtrumlibet, requiritur ad liberum arbitrium. 519.d
Libertatis caussa & radix est ratio. 521.b,c, 528.a
Libertas arbitrij formaliter consistit in sola voluntate. 523.b,c,& seq. 528.a
Libertas voluntatis in quo consistit. 532.a
Libertas ad malum nec Deo, nec Apostolis, nec hominibus beatis conuenit. 547.c
Libertas à coactione est etiam in bestiis. 627.b,c, 646.a, 652.b, 653.c,d
Libertas à coactione non repugnat fato. 653.c
Libertas à necessitate repugnat fato. 653.c, 665.a
Libertas in anima tanquam gemma in auro. 657.d
Libertas & seruitus quomodo opponuntur. 667.c
Libertas naturæ propriè est liberum arbitrium. 667.c, 670.c,d
Libertas peccandi duplex. 669.d
Libertas peccati & seruitus peccati, quomodo idem significant. 669.d
Libertas gratiæ est à Christo. 670.a
Libertas Christiana secundum Lutherum. 889.c
Libertas Christiana in tribus consistit secundùm Caluinum. 889.d
Libertas Christiana, quam ponunt hæretici, refutatur. 901.b,c,d,& seq.
Libertas eorum definitur quid sit. 901.c,d
Qualis sit. 905.b,c
Libertas à peccato explicatur. 906.a,& seq.
Libertas ab oneribus legis probatur. 906.d,& seq.
Libertas à timore seruili legis. 907

Libido.

Libido parentum generantium, non est caussa peccati originis. 235.& seq.
Si quis sine libidine generaret, tamen peccatum originis transfunderet. 235.a
Libidinis ardor est etiam in sanctissimis coniugibus generantibus. 214.a, 236.a, 287.a
Libido generantiũ est signum corruptæ naturæ. 251.b,c
Libido quare mala est in hominibus, & non in belluis. 320.b
Libido quomodo vitiosa animi pars. 365.d
Libido non fuisset in paradiso. 366.b,c

Lignum vitæ.

Lignum scientiæ, vide *arbor*.
Lignum vitæ confortasset vim nutrientem, nisi Adam peccâsset. 30.b,c, 44.a,b
Quomodo Adam fuit immortalis propter lignum vitæ. 30.c,d, 42.d,& seq.
Fuisse in paradiso corporali. 32.d
Lignum vitæ Prouerbiorum capite tertio accipitur pro sapientia. 32.d
Lignum vitæ spiritualiter. 35.a
Perfectam immortalitatem afferre potuisse. 44.& seq.
Institutum ad arcendam mortẽ, quæ est ex senio. 44.b.c
Semel gustatum, perfectam dedisset immortalitatem. 44.b, 45.d
Tum solùm sumendum fuisse, cùm transferendi fuissent homines de statu gratiæ, ad statum gloriæ. 44.d
Præmium fuisse obedientiæ. 45.a
Post peccatum gustatum fecisset homines perpetuò miseros. 45.a,b,c, 47.a
Fuit Adæ interdictum. 46.c
Fuisset remedium contra senium. 30.b,c,d, 44.c, 46.c
Lignum vitę Adamum & dęmonem in paradiso latuisse. 46.d

Lingua.

Lingua instrumentum actionum. 56.a
Mentis & desiderij interpres. 232.d

Loth.

Loth incœstus, quomodo voluntarius, quomodo non. 451.b
Loth ebrietas punienda, non incœstus. 456.a

M

Machabæi.

Machabæi laudantur. 655.a
Conferuntur & præferuntur Adæ & Heuæ. 655.a

Mahometani.

Mahometani recipiunt ex leuitate credendi doctrinam absurdam, nullis miraculis confirmatam. 673.d, 678.c,d
Mahometani quare credunt Deum esse trinum & vnum. 677.c
Christum esse filium virginis, Christum non esse Dei filium. 677.c
Mahometus dicit, Deum & Angelos pro se orare. 1019.b

Maledictio.

Maledictio sterilitatem significat. 182.d, 183.c,d
Maledictio serpentis, Geneseos tertio, quomodo applicatur diabolo. 184.a
Nulla Adæ & Euæ inflicta. 185.a
Maledictio diei natalitiorum. 210.a,b

Malum.

Mala bonis præstant, quod vocabulis magis abundant. 55.a
Malum culpæ non committendum, vt fugias malum pœnæ. 92
Malum culpæ malum simpliciter. 92.c,d
Malum pœnæ, malum tantùm patiendi, non simpliciter. 92.d
Malum non faciendum, vt bonum eueniat. 93.a, 141.d, 150.d. 105. 151.b
Nemo vult malum sub ratione mali. 107.a
Malum est extra obiectum voluntatis. 167.a, 121.a, 168.b
Mala à Deo præsciuntur, non prædestinantur. 118.a, 123.a,b
Mala nostra solummodo nostra sunt. 119.a
Malum est ex quolibet defectu. 105. 126.b, 928.d, 931.a
Mala permittuntur à Deo, vt bona inde eliciantur. 122. a,b, 123.c, 139.c,d, 149.d
Mali iam sumus ex conditione materiæ. 124.a,b
Malis Deus potest benè vti. 123. 124. 127.a
Malis & malitia Deus vtitur ad exercitium bonorum. 127.b,c,d
Mala esse, bonum est. 141.d, 142.a,b,d
Mala per se nihil ornamenti adferunt rebus. 142.b,c
Mala vt ordinantur à Deo, faciunt vt bona magis eluceſcant. 142.b,c
Mala per se nunquam vult Deus. 143.a
In malis per se, nunquam vult Deus id, quod homines volunt. 143.a
In iis quæ sunt mala ratione præcepti positiui prohibentis, potest fieri, vt Deus bona voluntate velit, quod mala voluntate volunt homines mali. 143.a,b, 152.c
Malum per se, & intrinsecè est, iuuare aliquem vt peccet. 152.c,d
Malum est non attendere rationis regulam dum quis operatur. 153.c,d
Malum non est aliquid subsistens. 260.a,b,c
Malum non est res aliqua, sed rei priuatio. 315.a,b
Malum idem quomodo & à Deo potest esse, & à Diabolo. 315.c,d
Malorum fontes in nobis, qui. 356.d
Mala huius vitæ alia interna, alia externa. 357.a
Interna alia in parte animæ superiore, alia in inferiore, alia in corpore. 357.a
Malum quomodo potest esse obiectum voluntatis. 536. b,c, 537.a,b,c,d
Malum est arduum & contra naturam. 612.b
Mali homines inter opera mala habent aliqua bona. 615.c,d, 617.a, 620.a
Mali vt operantur ex cupiditate, non possunt nisi malum agere. 616.d, 628.d
Mali quæ opera bona facere possunt, quæ non. 617.a
Mali non possunt opera gratiæ & gloriæ meritoria facere. 614.b, 616.b,c, 617.a, 618.d, 620.b
Malum potest dici omne id, quod ad regnum cœlorum non perducit. 621.a,b
Malum moraliter nullo modo est à Deo. 623.b
Mala ab hominibus facilius fiunt, quàm bona. 679.a
Mala quæ à Deo infliguntur, deflere licet. 1011.d

Mandatum.

Mãdata Dei quomodo impossibilia. 448.d, 599.a, 602.d

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mandata Dei sunt possibilia. 449.a, 599.a, 602.d, 639.a, b, 640.b, *vide lex.*
Mandata omnia moralia solis naturæ viribus homo non potest implere secundùm substantiam operis. 598
Breui tamen aliquo tempore potest homo hęc præstare. 598.c, 603.a, c
Mandatorum obseruatio tribuitur gratiæ Dei. 599.a
Aliqua non possunt seruari sine gratia Dei. 599.d
Mandatum dilectionis Dei super omnia, quomodo morale & naturale. 599.d
Mandatorum obseruatio certissimum caritatis signum. 599.c, d, 600.c, d
Mandata omnia non sunt paria, sed vnum grauius altero. 603.a
Plura nonnunquam simul occurrunt seruanda. 603.a
Mandatum seruare secundùm substantiam operis, & facere bonum morale, differunt. 607.d
Mandati obseruatio secundùm substantiam operis non excludit necessariò peccatum. 607.d
Mandatum vel præceptum est regula benè viuendi. 636, d, 637.a
Mandata diuina nihil prodessent, nisi homines haberent liberum voluntatis arbitrium. 638.a
Veteris legis ferè omnia manent in noua lege. 904.d
Moralia data Iudæis, obligant Christianos. 908
Mandata Dei esse suauia & facilia. 916
Ea multi seruarunt. 917.d
Omnia vel mediatè, vel immediatè esse possibilia. 918. d, 919.d

Manus.

Manus instrumentum actionum. 56.a
Organum organorum. 1003.b

Maria.

S. Maria virgo immunis ab omni peccato. 67
Semper Virgo. 206.c, d
Non est de fide, Mariam virginem fuisse sine peccato originis conceptam. 240.b, c, d
Est tamen probabile, & consonum cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, Scripturis & rationi. 240.d, 241.a
Hæreticorum calumniæ in hac materia. 240.d
Beatam Mariam fuisse immunem à peccato originis, non est contra Scripturas, vel Ecclesiam. 241.a, b
B. Mariam singulari priuilegio à communi lege excipi posse. 251.a, c, 241.c
Fuisse singulari priuilegio ab omni omnino peccato immunem, probabiliter ostenditur ex Scripturis. 241.d, & seq. Probatur ex sanctis Ecclesiæ Patribus. 242. b, c, & seq. Ex Ecclesiæ consensu. 244.a, & seq. Ratione. 244.b, & seq.
Cur benedicta inter mulieres ab Angelo est salutata. 241.d, & 242.a
Maria figurata in Heua. 242.a
Missa & cætera Ecclesiastica officia de beata virgine sumi ex Canticis. 242.b
Maria semper excipitur, cùm de peccatis est sermo. 242. c, 243.d
Maria vas electionis. 243.a
In Maria natura gratiam non anteuertit. 243.a
Maria altiore modo quàm Ioannes Baptista, vel Hieremias, in vtero matris sanctificata. 243.b
Mariæ puritate nulla sub Deo maior. 243.d
Maria in Canticis columba vnica, quia Cherubin & Seraphin puritate superat. 243.d
Marię conceptio ferè vbiq; solenniter celebratur. 244.a
Eius conceptionem præcipuæ Acadamiæ immaculatam esse contendunt. 244.a
Maria saltè ante natiuitatem secundùm omnes Catholicos in vtero matris fuit sanctificata. 244.d, 250.a
Debuit esse omnis peccati actualis expers. 245.a
Maria cum Christo, vt quælibet mater cum filio, singularem habet affinitatem. 245.a
Maria dignitate superare debuit omnes creatas naturas, etiam angelicas. 245.a, b
Argumenta contra immaculatam Mariæ conceptionem soluuntur. 245.c, d, & seq.
Maria quodammodo originis peccatum contraxit in lumbis Adæ. 246.a, b, 247.a, c
S. Maria sanguine Christi redempta. 245.c, 247.c, 248. d, 251.b
Eius anima in primo instanti creationis fuit sine peccato. 246.b, 247.a, b
Eius persona nunquam actu extitit in peccato. 246.b
Mariæ liberatio à peccato originis quomodo differt ab aliorum liberatione. 246.b, c
Maria naturâ filia iræ. 247.b
Gratiâ semper filia misericordiæ. 247.b
Maria vi generationis fuit subdita peccato & morti. 246.b. 247.c. 248.c, d, 249.d
Fuit præuenta in benedictionibus gratiæ. 246.b, c, 247. b, 248.a, & 249.a
Maria tribus temporibus fuit peccato obnoxia. 247.d
Maria in peccato concepta, in prima conceptione ante animationem. 247.d, & seq.a
Non fuit natura sua impeccabilis. 248.a, b, 249.d
Quanta & quotuplex eius gratia. 248.a, b
Maria liberata à peccato, quia præuenta, ne in peccatum incideret. 248.a, b, & seq.
Maria si filios ex viro suscepisset, in eos peccatum originis transfudisset. 249.d
Mariæ caro, caro peccati. ibid.
Mariæ natiuitas ab Ecclesia celebratur. 250.a
Maria sola vixit sine vllo peccato actuali. 250.a, b
De Spiritu sancto concepit, non concepta est. 250.b, c
Mariæ anima ab omni peccato præseruata. 251.d
Eius corpus post mortem statim glorificatum. 251.d
Conceptionis eius quàm antiqua festiuitas. 252.c
Filium Dei vnicum concepit. 492.d
Maria virgo rectè dicitur regina. 1041.d, 1042.c, d, 1043.a
Mater misericordiæ. 1041.d, 1042.c
Vita. 1042.a
Dulcedo. 1042.a
Spes nostra. 1042.a, b, 1043.a
Quomodo saluat homines. 1042.a, 1043

Martyr.

Martyrum summa est caritas. 807.b
Martyrium tollit peccata. 816.d
Martyres pro testimonio Christi mortę patiuntur. 857.b
Martyrium Sanctorum innocentium. 969.b, & seq.

Matthæus.

S. Matthæus efficaciter vocatus. 497.c, d
Matthæus in telonio margarita in cæno. 497.d, & 498.a

Massa damnationis.

Massa damnationis est genus humanum, peccato corruptum. 125.a, b, 126.a, 180.b, 200.a, 206.a, 482.c, 499. d, 503.d, 506.b, c
Ex massa Deus alios iustè punit, alios misericorditer liberat. 161.c, d, 206.a
Ex massa multi per Baptismum eruuntur, & reincidunt per actuale peccatum. 506.c, d

Medicina.

Medicinæ sæpè morbis ipsis graviores & acerbiores. 362.b, c

Mendacium.

Mendacium ex genere suo est peccatum. 176.c
Mendacium officiosum vnde oritur. 176.c
Mendacium in orando quomodo committitur. 1017.a, b

Mens.

Mentis humanæ vulnera quot ex peccato originis. 357. & sequent.
Mens humana sua ignorat, & seipsam. 358.a, b
Mentes angelicæ sese perfectè norunt. 358.b
Mens humana à scientia impeditur per corpus. 358
Mens est æterna. 358.d
Mens perpetuam habet operationem. 358.d
Mens in corpore quàm sæpè multumque impediatur à suis operationibus. ibidem.

Mercenarius.

Mercenarius propriè quis. 966.d
Mercenarius amor. 967.b

Merces.

Merces & meritum sunt relatiua. 778.a, 945.c, d, 948.b, 967.c, d, 969.a
Mercedem solam, vel præcipuè in operibus intueri non debemus. 966.d
Mercedem intuendo operari quomodo seruile & sordidum, quomodo non. 967.a
Merces temporalis ipse opere est vilior. 967.a
Mercedis temporalis amor impedit amorẽ Dei. 967.a, b
Mercedis æternæ amor coniungit cum Deo. 907.a, b
Merces in die iudicij restituetúrne secundum iustitiam commutatiuam, an distributiuam. 978.b
Mercedem operum nostrorũ à Deo exigere possumus. 985.d
Mercedem dat Deus benè operantibus ex iustitia distributiua. ibid.

Meritum.

Meritum non potest esse sine gratia. 23.395.b
Meriti iustitiæ stipendium vita æterna. 23.b, 395.a, b
Meritis iustorum hominum misericordia reddenda. 94. c. 123.d
Merita nostra sunt Dei munera. 395.b, 497.a, 631.a, 715. a, 952.b, 955.c, 957.a. 958.a, b, c, 982.a
Meritum nullum sine libero arbitrio. 519.c, 630.c, 968. & seq.
Meritum esse ex gratia, non contra. 630.d. & seq.
Meritum ex gratia merces est ex meritis. 631. d
Meritum potest intelligi aliud ex nobis, aliud ex dono Dei. 760.d, 775.d, 957.d
Merita quæ ex nobis sunt, ex Deo non pugnat cum gratia. 775.c, d
Meritum ex duplicis generis operibus. 776.d
Meritum esse in operibus pœnitentiæ ex gratia factis, 777.a, b
Meritũ iustificationis quibus virtutibus tribuitur. 777.d
Merito respondet merces. 778.a, 969.a
Merito ex congruo debetur merces magis ex gratia, quã ex iustitia. 778.a
Merita de congruo fundantur in aliqua dignitate operis. 778.c, 779.a
Meritum iustorum fundatur in promissione vitę æternę. 778. d, 950.b, 955.a, 967.d, 983.a
Meritum de congruo & condigno quomodo differunt. 779.a
De condigno necessariò requirit pactum. 779.a, 983.d
Meriti nomen omnino tollendũ censet Caluinus. 943.c
Meriti nomen probatur ex sacris literis. 945. & seq.
Mereri quid. 945.b.c, & seq. 950.b
Meritis operum datur gradus æternæ gloriæ, ad quem non peruenitur solo hæreditatis iure. 947.a
Meritum acquiri ex tolerantia tribulationum. 949.d
Pro meritorum diuersitate vitæ æternæ mansiones assignat Deus. 951.a, 952.a, d, 953.a, b
Meritis redditur præmium vitæ, vel mortis sempiternæ. 951.c, d, & seq.
Merita sunt iustorum, postquam gratis fiunt iusti. 952. b, 953.d
Meritum hominis non tollitur per misericordiam Dei. 954.a
Merita iustorum nascuntur ex meritis Christi. 956.d, 988.c
Merita hominũ non requiruntur quod sint insufficientia merita Christi. 957.a
Meruit Christus, vt per merita salutem consequeremur. 957.a, 988.c
Non merita ex nostris viribus, sed ex gratia Dei prosunt. 957.d
Merita quæ sunt ex nobis, reiiciuntur. 957.d. & seq.
Merita supponunt gratiam & promissionem. 959.d
Meritis iure debetur vita æterna. 960.a
Merita sunt ad promerendum, non ad præsumendum. 964.a, b
Meritorum penuria pernicios a paupertas. 964.a
Meritum requirit septem conditiones. 967.d. & seq.
Debet esse opus bonum, in obsequium Dei factum. 967. d. Item ibidem viatoris, liberum, vt operans sit amicus Dei, vt intercedat promissio, vt sit opus ex caritate procedens.
Debere esse liberum probatur ex sacris literis. 988.a. Ex Patribus. 968.b. & seq. Ratione. 969.a. Soluuntur obiectiones. 969.c, d, & seq.
Meritum pendet ab acceptione Dei. 969.b, c
Ad meritum quomodo requiritur status gratiæ. 970.d, & sequent. Probatur ex sacris literis. 971.d, & sequẽt. Ex S. Augustino. 972.b, & seq. Ratione. 972.d, & seq. Soluuntur obiectiones. 973.d, & seq.
Necessarium fuit hoc etiã in statu naturæ integræ. 971. a, b, 972.b
Meritum fundatur in amicitia cum Deo. 972.a
Merita amittuntur per offensam Dei. 972.a
Meritum inter homines non fundatur in amicitia, sed in solo opere & labore. 972.a, b
Merita Christi quare infiniti precij. 973.a
Meritum accipit vim à dignitate personæ. 973.& seq.
Ad meritum vitæ æternæ requiri promissionẽ Dei. 976. b, c, d, & seq.
Merita an præmiabuntur secundùm iustitiam commutatiuam, an distributiuam. 978.b
Meriti tempus est definitum. 979.c, d
Meritum debet esse bonum opus ex caritate procedens. 980.b, & seq.
Meritum principalius à fide, quàm à caritate pẽdere, secundùm Altisiodorensem. 980.b
Meritum principaliter ex caritate pendere. 980.d
Meritum debet esse bonum opus actu imperatum à caritate. 981.c
Meritum de condigno variis modis dici potest. 983.b, 986.a
Meritum ex condigno ratione pacti quid. 986.b
Ratione operis quid. 986.b, c
Ratione vtriusque quid. 986.d
Meritum pœnæ ex condigno ratione operis tantum dari potest. 986.c
Meritum personæ, & meritum operis differunt. 987.a
Meritum quàm pulchram habet proportionem ad vitã æternam. 987.d
Duplici ratione considerari potest. 987.d
Meritum ex condigno non requirit absolutam æqualitatem inter meritum & præmium. 989.b, c, d
Meriti obiectum Deus quomodo. 990.a
Meritis filiorum Dei redditur vita æterna, tum quoad primum gradum, tum quoad cæteros. 992.b, c, d
Mereri non possumus ex condigno gratiam iustificationis, sed eius incrementum. 993.
Mereri gratiam aliis, nemo hominum potest de condigno. 993.d
Ex congruo tamen id fit. 993.994.b.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

Reparationē post lapsum de condigno nemo potest, nec finalem perseuerantiam. 994
De congruo potest quis iustus reparationē post lapsum mereri. 994.b
Potest impius de congruo mereri iustificationis gratiā. 994.c
Merita amittuntur per peccatum, tamen iuuant ad reparationem. ibid.
Meritum differt ab impetratione. 1021.c
Meritum requirit caritatem viæ. ibidem.
Meretrix.
Meretrix Raab iustificata recipiendo nuncios. 932.a
Meretricum, lenonū, & similium lucra non iniusta sunt, sed turpia & sordida. 1137.b
Ex iis eleemosyna fieri potest, non tamen oblationes in Ecclesia multis de caussis. 1138.a
Miraculum.
Miracula non fiunt ad voluntatem hominum, sed Dei. 419.c, 965.a, 701.c, d
Non fiunt ex virtute creata, sed Dei. 419.d, 546.a
Miracula faciunt doctrinam diuinam credibilem. 673. 677.d, 741.b, 773.a, 876.d, 1024.a
Miraculū mentem omninò conuincere non potest. 674.a
Miracula fecit Christus & Apostoli ad confirmandam suam doctrinam. 673.c, d, 1024.a
Miracula possunt fieri ab improbis. 773.a, 1024.a
Miracula fecit Christus nō alterius nomine, sed proprio imperio. 1024.a
Miseria.
Miseria vitæ humanæ ex peccato inuectæ. 356. c, d, & sequent.
Mentis humanæ. 357. & seq.
Voluntatis. 359.a, & sequentib.
Inferioris partis. 361.a, & seq.
Corporis. 362. & sequentib.
Miseriæ quæ humanæ naturæ extrinsecus accedunt. 363. b, & seq.
Miserię humanæ naturæ sunt pœnæ peccati. 366. & seq.
Miseriæ fuissent naturales homini in puris naturalibus creato. 367.d
Miserias humanæ vitæ quomodo Ethnici deplorarunt. 368. a
Miseria magna est, quod nemo sciat, vtrum amore dignus sit an odio. 841.c
Miseria omnis humana, aut ad corpus pertinet, aut ad animam. 1124. b
Corporis in hac vita, vel in futura. 1124. b
Huius vitæ est vel carentia rerum, quibus omnes egent, vel aliquorum specialis ærumna. 1124.b
Carentia rerum quibus omnes egent, vel est exterior, vel interior. 1124.b
Miseriis septem corporalibus respondent septem Eleemosynæ. 1124.c, d
Miseriæ septē specialibus, aliæ septē Eleemosynę. 1124.d
Miseria specialis alia interna, vt morbus, alia externa, vt captiuitas. 1124. c
Miseria post mortem est carentia sepulturæ. 1124. c
Misericordia.
Quibus modis Deus misericordiam semper manifestauit, & manifestat quotidie. 151.a
Deus potuisset omnes Angelorum & hominum iniurias misericorditer condonare. ibidem.
Misericordiæ locus nullus post hanc vitam. 340.b
Misericordia accipitur pro proposito iustificationis. 499.b
Misericordia sola separat vasa in honorem à vasis contumeliæ. 501.a
Misericordia Dei super omnia opera eius. 503.b, c, d
Est secundùm naturam eius, ira præter naturam. 857.d
Non tollit hominum merita. 954.a
Respicit peccata remittenda. ibid.
Respicit miseriam. 1123.b
Deo grata. 1127.b
Per oliuam significatur. 1129.b, c
Missa.
Missæ partes & orationes quæ & quales. 998.
Missa in nocte natalis Domini canitur inter matutinum & laudes. 1030.c, 1050.d
Missa secundùm aliquos canones celebrari non poterat, nisi hora tertia, sexta, vel nona. 1050.d
Missa nunc dici potest ante ortum Solis, & tum rectius dicitur prima hora post missam. ibidem.
Missam celebrare ante expletū officium matutinum est peccatum mortale, nisi grauis sit necessitas. ibidem.
S. Monicæ.
Sancti Augustini conuersionē precibus suis promeruit. 993.d
Monstrum.
Monstri caussa est sola materia. 153.a
Mōstra non tribuūtur caussis vniuersalibus. 153.a. 156.b
Tribuūtur solis caussis propriis, & particularibus. 153.a, 156.b
Monstra sunt peccata naturæ. 156.b, 223.b, 313.a, 317. c, d, 559.b
Mōstrum quoddam allocutum est sanctum Paulum primum eremitam. 1019.c, d
Morbus.
Morbi non fuissent in statu innocentiæ. 30.b. 44.d
Morbi mentis, voluntatis, totius hominis. 356. & seq.
Morbi corporis quot & quàm graues. 362.
Morbi vix grauiores ipsis remediis morborum. 362.c, d
Morborum sanatio non conceditur ordinariè per modum habitus. 419.b
Morbum strumæ quomodo ad libitum sanāt reges Galliæ. 419. b, c
Mors.
Mors pœna peccati. 23.b, 28.c, 68.a, 157.d, 195.d, 206. c, 208.d, & seq. 289. b
Mors triplex. 29. b
Mors animæ est per amissionem gratiæ. 29.b, 189.b, c, 330.a
Mors corporis per amissionem animæ. 29.b, 189.b
Mors nouissima per amissionem gloriæ. 29.b
Mors venit quatuor modis. 29.b, d
Mors ex morbo non potuit esse in statu innocentię. 30.b
Post peccatum mortis est ineuitabilis necessitas. 29. c, 31.c, 157.c, d, 181.a, 183.a, 218.b
Mors stipendium peccati. 23.b, 28.c. & seq. 31.c, 157.d
Mors Adæ ab inobedientia. 35.d
Mors potius subeunda, quàm aliquod vel leue peccatum committendum. 92.
Mors Adæ tantùm, non Heuæ significata est. 179. 183.
Mortem corporis, non animæ, vel peccatum per generationē ex Adamo trahi, docuerunt Pelagiani. 189. b, c
Condemnantur. 206.
Idem nunc tuentur Anabaptistæ. 189.b
Mors ab Adam inualuit vsque ad Christum. 204. d
Vt quis actu non moriatur, potest Deus ex singulari priuilegio efficere. 244.c, d
Mortuus accipitur pro morti obnoxio. 244.d, 247.c
Mors est accidens. 267.c, d
Est vna pars corruptionis humanæ naturæ. 289.b
Mors quomodo à Deo, quomodo à Diabolo. 315.c
Mors prima & secunda quid. 350.c, d, 351.a
Mortis timor continuus. 363.a
Morte nihil acerbius. ibid.
Mors inimica naturę. & omniū horribiliū extremū. 363.a
Mors Christi exemplar mortis, id est, remissionis peccatorum. 804.d. & seq.
Idē de immersione baptismali dicitur, nā significat mortē Christi, & emersio eius resurrectionē. 804.d. & seq.
Mors Christi & caussa est renouationis peccatorum, & æternæ renouationis. 805.a
Mors Christi sola non satisfacit. sed necessaria etiam fuit resurrectio. 805.a, b
Mortem bonorum deflere licet. 1011.d
Mortalis.
Homo naturâ est mortalis, quia ex contrariis elementis constat. 31.a.b, c
Quia generabilis, etiam corruptibilis. 31.b
Item Adam eguit cibo, & alimento, ne periret, quare mortalis erat. ibid.
Mortales omnes efficiuntur per comestionem ex ligno vetito in Adam. 216.c
Mortales quot rebus ad vitam sustentandam indigent. 219.d
Moysis.
Moyse orante cessant flagella Ægypti. 136.a, b
Moysis serpens quid erat. 262.c, d
Moyses oratione populum ab exrremo exitio liberauit. 1001. c, d
Mulier.
Mulier fuit à Diabolo seducta. 173. & seq.
Mulier dignitate inferior viro. 174.c
Mulier in Ecclesia cum silentio discere debet, nō dicere. 174.c, d
Non debet dominari in virum. 174.d
Ex viro, & propter virum, non contra. 174.d
Mulieres quia facilius seducuntur, ineptiores sunt ad docendum. 174.d
Mulieris pœna. 180.d, 182.a.b, c
Mulier ideo facta, vt virum iuuaret in propagatione filiorum. 181.d
Quomodo & quarum viro subdita. 182.c
Mulier caussa passiua generationis. 212.b, c, 237.a
Mulier quid faciendo saluabitur. 910.b
Mysterium.
Mysteria supernaturalia vt cognoscantur, tria requiruntur. 673.a, b
Mysteria fidei non posse ab hominibus credi sine speciali Dei illustratione, probatur ex sacris literis. 674. d, & sequent. Ex Conciliis. 675. d. Ex Patribus. 675. d, & seq. Ratione. 676.b, c, & seq. Refutantur obiectiones. 677.b, & sequent.
Mysteria ab iis credi debent, à quibus intelligi non possunt. 730.b
Mysteria fidei docentur in veteri testamento. 895. c
Alia manifestè, alia obscurè. ibidem.
Omnia manifestè docentur in testamento nouo. ibid.

N

Natalitia, vel natalis dies, natiuitas.

Natalitiorum suorum dies celebres Ethnicis. 210.a
Lugubris Sanctis. 210.a, b
Natalitia Sanctorum Ecclesia Christiana vocat diē exitus ex hac vita. 210.b
Hos dies celebrat Ecclesia natales. ibidem.
Natiuitas Mariæ ab Ecclesia celebratur. 250.a, 251.a, b, 252.a, b
Natiuitas duplex. 250.d
Natiuitas secunda dicitur Baptismus. 402.a
Natura & naturale.
Naturâ sumus filij iræ ad Ephes. secundo capite. 5.b, 12. c, 203.a, 213.c, d, 223.a
Naturalia à natiuitate. 12.c, 24.d, 203.a, 238.b, 268.c
Naturale à natiuitate non opponitur supernaturali. 12.c
Naturale quotuplex. 12.c & seq.
Naturale naturæ consentaneum. 12. c. & seq.
Naturaliter quę legis sunt, faciunt, quomodo intelligendum. 12.d
Naturale naturæ consentaneum, non opponitur supernaturali. ibid.
Naturale quod perficit naturā in operibus naturalibus. ibidem.
Naturale vel est paes naturæ, vel fluit à principiis naturæ, & hoc modo opponitur propriè supernaturali. ibidem.
Naturæ humanæ corruptio non est ex doni naturalis carentia, sed ex supernaturalis amissione. 13.b, c
Naturalia in hominibus & dæmonibus post peccatum manent. 13.c, d, 18
Natura corrupta hominis, & natura eius in puris naturalibus differūt, vt nudus, & spoliatus. 13.b, 14.d, & seq. 16. a
Natura hominum & dæmonum post peccatum, quomodo corrupta, quomodo integra. 17.c
Naturæ humanæ corruptio quomodo à Deo. 19.
Naturę corruptio quomodo à cōditione materię. 19.20
Naturæ corruptio ab Adamo, vt à caussa demeritoria. 20. c
Pura naturalia habuissent quandam rectitudinem. 22, a, b, 26.b, c
Naturam Ethnici vocauerunt nouercam. 27.a, b, 367.d
Naturæ humanæ est magna dignitas, quod ad altiorem finem ordinatus sit, quam naturæ viribus cōsequi possit. 28.a
Natura est à Deo, non culpa. 119.a, 123.b
Naturaliter totum genus humanum cadit, cadente primo homine, 149. a, b
Naturam in se primus homo vitiauit. 149.c. 204.b, c, d, 223. 334.a
Naturæ omnes bonæ sunt, quoniam naturarum omnium conditor summè bonus est. 153.c, d
Non sunt incommutabiliter bonæ, quia non sunt summum bonum. 153.c
Natura quomodo per peccatum mutata, quomodo non. 181.c, 209.d
Naturæ & peccati eadem propagatio. 198, a, 222.c
Natura mortalis quot indiget ad sui conseruationem. 219.d, 362.b, c
Naturalia omnia tribuuntur Deo. 223.a
Naturale non potest esse peccatum. ibid.
Naturæ auctor Deus, corruptor homo. ibid.
Naturæ diuinæ proprium est, ob eius infinitatem, vt vna numero sit in pluribus personis. 230.d. & seq.a
Natura corrupta naturaliter carnem vitiosam generat, & concipit. 251.b, c
Natura humana eiusdem speciei cum nostra assumptaest est à Christo. 259.b
Naturæ quatuor vulnera ex peccato originis. 356. d
Naturæ conuenienter agunt omnia, solus homo contra naturam. 359.b, c
Natura nostra non est modò sana, tum propter defectum iustitiæ originalis, tum propter concupiscentiam. 602
Natura infirma, sed non sola, potest omnia, quæ posset sana. 602.d
Natura nunc non est infirmior, quàm fuisset in puris naturalibus. 612. d
Naturalia manent integra post peccatum. 625.d
Necessitas.
Necessitas differt à coactione. 513.c, d, & seq.
Necessitas duplex. 518.b, c, 519.b, 539.a
Necessitas quæ maximè ponit libertatem. 519. a
Necessitas non repugnans libertati. 519.b
Necessitatis conditor Deus, non seruit necessitati. 545.d
Quæ ex naturę necessitate agunt, agunt secundùm totam suam virtutem. 546.c, d

Universidad de Deusto
Biblioteca

Necessarium quomodo nobilius libero. 548.c
Vbi necessitas, nec corona est, nec damnatio. 661.d
Necessitas peccandi quotuplex. 671.d, & seq.
Necessitas patiendi motus carnales non repugnat libero arbitrio. 671.d
Etiam necessitas peccandi ex ignorantia non repugnat libero arbitrio. 671.d, & 672.a
Necessitas diuinæ gratiæ non tollit liberum arbitrium. 672.a
Neque etiam necessitas habendi peccata venialia. ibid.
Necessitas faciendi actus malos, posita nulla & efficaci voluntate, est tantùm conditionalis, & ideo non repugnat libero arbitrio. 672.b
Necessitas absolutè faciens hominem non Dominũ suarum actionum, in homine non potest esse, quę sola repugnat libero arbitrio. 672.b
Necessitas non cadit in voluntatem nostram. 699.a
Necessitas interna & externa quid. 970.a
Interna tollit liberum arbitrium, non autem externa. 970.a
Necessitas non peccandi, quomodo Christo intrinseca, quomodo extrinseca. 970.b,c
Necessitas excusat à lege. 1081.a
Necessitas naturæ & personæ moraliter æstimari debet. 1132.b
Necessariũ potest aliquid pro præsenti vel futuro. 1132.b, & seq.
De necessariis naturæ propriæ quando facienda eleemosynæ. 1135.b, c
Quando de necessario personæ vel statui. 1135.c, d
Necessitate graui Reipublicæ, vel extrema proximi cogente dandum de necessariis ad statum. 1135.d

Nox.

Nox artificialis apud antiquos per totum annum semper fuit duodecim horarum. 1029.c, d. Inde in æstate nocturnæ horæ erant breuiores diurnis, in hyeme cõtra. 1029.
Noctibus bis terue surgendum ad laudes diuinas cantandas. 1030.a

Nuditas.

Nuditas post peccatum Adæ caussa ruboris propter pudendam membrorum rebellionem. 5.b, 18. 176.a, 180.d, 320.d, 365.c, d, & seq.
Nudus, & maximè egens nascitur homo ex omnibus animantibus. 1003.b

Nuptiæ.

Nuptiæ, vide *coniugium*.

O

Obedientia.

Obedientia est subiici imperio, vel præceptis alterius. 166.a
Non est nisi humilium. 166.c
Per obedientiam summo bono cohærentes. ibid.
Obedientia & superbia sunt contraria. ibid.
Obedientia Christi nos reconciliabit Deo. 400.c, d
Obedientiæ præmium in paradiso, fuisset immortalitas. 654.d
Obedientia fidei. 730.a
Obedientia Christi est caussa efficiens nostræ redemptionis. 817.a
Obedientia debetur regi & legislatori. 902.a, b
Obedientiæ bonum. 929.a
Obedientiæ gradus. ibid.
Obedientia legi Dei non est opus solius Dei, nec solius liberi arbitrij, sed virtutque simul. 1011.a
Obedientia melior quàm victima. 1011.b

Odium.

Odium Dei omnium peccatorũ est grauissimũ. 179.c, d
Non est effectus peccati originalis, illi remotus. 368.c
Odium proximi cauendum & fugiendum. 101.b

Opera.

Opera bona non esse necessaria ad salutẽ, secundùm hæreticos. 887.a, b, & seq. 905.c, 909. d
Fuit etiam hæc hæresis tempore Apostolorum. 911.d
Fuit etiam error Simonis Magi, & Eunomij. 912.a
Opera bona secundùm Lutherum non faciũt virum bonum, nec mala malum. 887.c
Opera bona obesse. 888.a
Opera omnia iustorum esse peccata mortalia naturâ sua. 888.c, 915.a, & seq.
Opera mala quærunt tenebras, bona lucem. 852.a, & sequent.
Operum bonorum necessitas ostenditur ex discrimine legis, & Euangelij. 895 b. 909. d
Opera bona non sunt ideo facienda, vt videantur ab hominibus. 847.d
Opera bona sunt magis necessaria tempore Euangelij, quàm tempore veteris legis. 898.a
Secundùm opera sunt omnes iudicandi. 893.a, & seq.
Operum bonorũ necessitas probatur ex Scripturis. 909. c, d. & seq. Ex sanctis Patribus. 912. & sequent. Rationibus. 913.d, & seq.
Opera bona efficienter concurrere ad salutem. 916.
Opera sine fide, & fides sine operibus mortua. 912.b
Opera iustorum simpliciter sunt iusta, ita tamen vt in perfectione crescere possint. 915.d
Opera iustificant non prima, sed secunda iustificatione. ibidem.
Opera supererogationis. 918.b, 926.a
Opera iustorum non esse peccata, sed iustitiam, probatur ex Scripturis. 923.c, & seq. Ex Patribus. 927.d, & seq. Rationib. 299.c, d, & seq.
Opera iustorum placent Deo. 927.a, b, 937.d
Opera iustorum [illegible] 923.b, c, 933.b
Opera infidelium sunt mala, ex defectu bonæ intentionis. 928.d
Opera bona aliquando fieri falsa sine admistione cupiditatis. 929.d
Opera bona iustiorem ex iusto faciunt, probatur ex secũdo capite Iacobi. 931.b. & sequent. ex aliis Scripturę testimoniis. 935. & seq.
Opera bona & mala in hac vita miscentur. 936.c, d, 938. d, 941. d
Opera iustorum laudantur in Scripturis. 937. d. & seq.
Opera moraliter bona possunt fieri ab impiis. 938.c
Opera ad cultum diuinum instituta, vocantur iustitiæ. 938.c
Opera bona quomodo sunt meritoria præmiorum, quomodo non, secundùm hæreticos. 943. & seq.
Opera iustorum rectè vocari merita, probatur ex Scripturis. 945. & seq.
Esse meritoria vitæ æternæ, probatur ex Scripturis. 945. c, d, & sequent. Ex Patribus. 951.c, d, & sequent. Ex Conciliis. 953. a. Soluuntur obiectiones ex Scripturis. 953.c, d, & sequent. Ex Patribus. 957.c, d, & seq.
Operibus secundùm proportionem laborum datur præmium cœleste. 947.a
Malis datur mors æterna, bonis vita æterna. 947.d
Opera semini, vita æterna frugibus comparatur. 948.a
Opera bona sunt ratio, cur reddatur vita æterna. 948.c, d
Salutem ipsam efficiunt. 949.a
Operibus bonis præmium ex iustitia est reddendũ. 949. c, 950.a, 952.b
Operibus bonis vita æterna promittitur. 950.a, b
Opera bona sunt mercatura regni cœlestis. 951.c
Operum discretio facit discretionem dignitatum & præmiorum. 952.d

Opera

Opera sua bona legitimè enumerare possunt iusti. 962.b
Operari bona intuitu mercedis æternæ licitum esse, probatur ex Scripturis 965.a. Ex Patribus. 965.d. & seq. Ratione. 966.b, & sequent. Soluuntur obiectiones. 966.c, d, & seq.
Opera bona nec tantùm, nec præcipuè debent fieri intuitu mercedis, sed ad gloriam Dei primò referri. 966.d
Opera bona sequuntur hominem iustificatum, non præcedunt iustificandum. 472.d
Opera bona sanctorum, tum hominum, tum Angelorum, cur non merentur. 979.c
Opera meritoria vitæ æternæ quæ. 980.d
Opera charitatis a Deo ad vitam æternam requiri. 981.a
Opera virtute in Deum relata, quæ. 981.d
Opera tantùm illa Deo placent, quorum ipse est auctor. 982.a
Illa tantùm meritoria sunt vitæ æternæ, quæ ex natura sua charitatem augent. 982.c
Opera vitæ æternæ meritoria debent referri in Deum, vt in finem supernaturalem. 982.c
Opera aliarum virtutum non referuntur in Deum, vt finem supernaturalem, nisi imperata à caritate. 982.c
Ex caritate facta sunt meritoria vitæ æternæ ex cõdigno. 983. & seq.
Opera bona iustorum meritoria esse vitæ æternæ, ex condigno, ratione pacti & operis simul. 986.d. & sequent. Soluuntur obiectiones. 988.c. & sequent.
Opera bona quomodo requiruntur ad hæreditatem acquirendam. 987.b
A Deo præmiantur supra condignum, probatur ex Scripturis. 990.c, d, & sequent. Ex Patribus. 991.a, b
Operibus malis datur à Deo pœna citra cõdignum. 991. b, c, & seq.
Opera nostra non merentur de condigno reparationem post lapsum, nec finalem perseuerantiam. 994. & sequentibus.
Iustus de condigno mereri potest reparationem post lapsum. 994.b

Ophitæ.

Ophitæ hæretici, qui pro Christo serpentem coluerunt, eò quod hominibus auctor fuerit adipiscendi scientiam. 44.a
Serpentem vocarunt Dei sapientiam. 162.d
Hanc sapientiam dixerunt creatori fuisse contrariam. ibidem.
Alij secuti sunt hanc hæresim. ibid.

Oratio.

Oratio distractionibus variis impeditur. 358.d
Orandum ne intremus in tentationem. 491.b, 606.a, b, c, 448.d
Orationes superant tentationes. 448.d
Oratione, & Eleemosyna Cornelius ad fidem cõuersus. 453.c, d
Oratione impetratur fides. 453.c, d, & seq.
Orationes Ecclesiæ pro infidelibus. 456.b, 677.b, c, d
Orandum semper pro perseuerantia. 491.b
Orationes Ecclesiæ in Parasceue. 676.d
Oratio est actio maximè pia & salutaris. 696.c
Orationem nostram Deus adiuuat. 696.d
Oratio Publicani, & Pharisæi. 823.a
Oratio Ezechiæ regis exaudita. 823.b
Oratio est efficax pro iustis, non pro iniustis. 824.d
Oratio debet esse cum fide & fiducia. 875.b, c
Oratio non est ita facienda, vt laudem quæramus ab hominibus. 897.d
Orationis meritum & virtus. 993.c
Oratio est actus rationis practicæ, voluntatis desiderium explicantis, & ab alio aliquid postulantis. 995.a
Oratio est petitio, intimatio, & locutio. ibid.
Est conuersatio, sermocinatio, colloquium, cum Deo. 996.a
Est ascensio mentis in Deum. 996.a. 998.c, d
Ordinatur ad impetrationem. 996.a. 998.c, d
Quomodo ad orandum intellectus & affectus concurrunt. 996.
Oratio alia est publica, alia priuata. 997.b
Alia mentalis tantum, alia mentalis simul & vocalis. 997.b
Mentalis aliquando vtilior vocali. ibid.
Vocalis aliquando vtilis, aliquando necessaria. 997.a, b
Orationis quatuor sunt genera: partes explicantur. 997. d, & seq.
Oratio debet à laudibus Dei incipere, & in iisdem finire. 998.a
Tria necessariò requirit. 998.d
Oratio pro festiuitate sanctissimæ Trinitatis explicatur. 998.d
Orationis materia. 999.b
Quid orandum & petendum à Deo. ibid.
In oratione semper petitio cum gratiarum actione coniungenda est. ibid.
Orationes sunt, vel petitiones bonorum, vel deprecationes malorum. 999.c, d
Orationis fiducia augetur per votum. 999.c
Oratione mutari posse prouidentiam Dei, secundùm aliquorum errorem. 1000.a
Orationes Iustificare sine sacramentis secundùm Euchitas. ibid.
Alij orationes omnino inutiles existimarunt. 1000.d
Orationem nobis esse necessariam, probatur ex scripturis. 1001
Orationibus auxiliũ à Deo semper petendum. 1001.b, c
Orationibus Mosis populus ab vltimo exitio liberatus. 1001.d
Oratione & ieiunio dæmonia eiiciuntur. 1001.d
Oratio Isaac patriarchæ pro semine promisso. 1002.a
Heliæ ad petendam pluuiam à Deo promissam. 1002.b
Tobiæ vt Sara liberaretur à dæmonio. ibid.
Per orationes complendæ sunt ordinationes diuinæ. 1002.b, c
Orationis fructus præcipuos hæretici huius tẽporis negant. 1002.c, & seq.
Orationis tres fructus primarij. 1002.c
Oratione impetratur remissio peccatorum, & iustificatio. 1002.c, d
Oratio est opus bonum, laboriosum, & satisfactorium pro peccatis. 1002.d
Semper est meritoria maioris gratiæ & gloriæ. ibid.
In spirituali vita, est manus, id est, organum organorum. 1003.b
Orationis fructus secundarij. 1003.b
Oratio mentem illustrat, spem, & fiduciam alit, inflammat caritatem, auget humilitatem, & timorem, facit contemptum rerum corporalium, gignit delectationem in Deo, parit homini magnum honorem. 1003.
Orationis Dominicæ excellentia. 1004. & seq.
Seu habet dignitates. ibid.
Est memoria tenenda, intelligenda, & à Christianis quotidiè frequentanda. 1004.d
Omnes ferè sancti patres hanc orationem explicarunt. 1005.a
Septem sunt eius petitiones. 1005.b. & seq.
Tribus petuntur æterna, quatuor temporalia. 1005. d, 1007.b

Septem

Universidad de Deusto
Biblioteca

Septem petitiones respondent septē donis Spiritus sancti. 1006.a
Soluuntur obiectiones adductæ vt probent tantum esse sex petitiones. 1006
Oratio Dominica aliter apud Matthæum, aliter apud Lucam traditur. 1006
Hæ petitiones à se mutuo pendent. 1006.d,1007.c
Ordo harum petitionum. 1006.d
Oratio interpres desiderij. 1007
Oratione Dominica, petitur, vt vel concedatur bonum, vel remoueatur malum. 1007
Oratio Dominica ex professo fusè explicatur. 1008. & seq.
Pater noster, qui es in cœlis: est præfatio & proœmium totius huius orationis. 1007.d,& seq.
Melior est oratio generalis, quàm specialis. 1008.d, & seq.a
In mortali peccato persistentes, mendaciter dicunt, Pater noster. 1008 c.d
Inuocant Diabolum, non Deum. 1008.c
Oratio peccatorum quare execrabilis, nisi quando pœnitere incipiunt. 1008.c
In oratione nihil cogitandum præter cœlestia. 1009.a,b
Orandum magis mente, quam voce. 1009.b
Singulæ petitiones Orationis Dominicæ explicantur. 1009.c,& seq.
Oratio Dominica singulis horis dicenda. 1009.c
Est propria baptizatorum. 1019
Quare potissimum instituta. 1015
In quinta petitione multa mouentur dubia. 1016. & sequentibus.
Oratuti debent dimittere proximis debita. 1016
Quomodo qui in peccato perseuerat, vtiliter hanc orationem recitat, quomodo non. 1016
Cuius oratio sit ei in peccatum. 1017.a
Cuius mendax. 1017.a
Orare propriū est folius creaturæ rationalis. 1019.a, & sequent.
Oratio est actus quidam rationis, quo inferior supplicat superiori. 1019.a
Orare non conuenit Deo. 1019.a
Oratio Iosuæ fecit Deum illi obedientem. 1019.c
Oratio metaphoricè tribuitur mutis animantibus. 1019.d,& seq.
Orari & generatim & speciatim pro certis hominibus potest. 1020.b,& seq.
Orationes particulares pro certis hominibus non prodesse eis, per VVicleffum. 1020.b. Idem dixit non licere orare pro singulis seorsim, sed totum pro omnibus simul. 1020.b
Orationes speciales, & licere, & vtiles esse, exemplis omnium fere sanctorum, quorum mentio fit in sacris literis. 1020.b,c
Oratio Dominica est oratio generalis. 1020.d
Orantes nihil petimus, nisi quod in oratione Dominica continetur. 1020.d
Orationem generalem possumus applicare ad personas particulares. 1021.b
Oratio Dominica quare præposita est in generali. 1020. d,& seq.
Oratio generalis absolutè melior & vtilior. ibid.
Specialis vtilior illi pro quo fit. 1021.b
Orationes nunquam desunt recitanti. 1021.b
Oratio vt sit meritoria sufficit, vt sit ab homine iusto. 1021.c
Vt sit impetratoria multa requiruntur. 1021.c
Potest esse meritoria quæ non sit impetratoria. 1021.d
Oramus sæpe pro eo, quod nō expedit nobis dari. 1021.d
Oratio aliquando est simul meritoria & impetratoria. 1021.d
Orant peccatores tribus modis. 1023.c
Oratio improborum non habet virtutem, miracula faciendi. 1023.c
Quomodo exauditur à Deo, quomodo non. 1024.b
Qui Deum non audiunt præcipientem, orantes ab eo non exaudiuntur. 1023.b
Orans peccator & pœnitentiam incipiens sæpe impetrat quod petit. 1024.b
In oratione perseuerandum. 1001.b,1025.b,& seq.
Orare semper quomodo non impossibile. 1001. b, 1025.c
Quid sit semper orare. 1001.b,1025.c,& seq.
Non oratio longa, sed nimia loquacitas in orando prohibetur. 1026
Iusti orantes pro se quare semper exaudiantur & non semper orantes pro aliis. 1026
Orationis & diurnæ & nocturnæ exemplum Dauid. 1035.d
Oratio clamosa non reprehendenda. 1048.c
Oratio priuata debet fieri submissa voce, & quare. 1048.b
Orationes publicæ debent fieri magnis, & altis vocibus. 1048.a,& seq.
Oratio vocis tantum parum vel nihil prodest. 1049.a
Oratio clara & alta cum vocis inflexione supplicantis affectum indicat. 1049.a
Oratio priuata vbique fieri potest, & ab omnibus, secus in Ecclesia. 1051.c,d,10
In Oratione, vel semper loquimur ad Deum, vel Deus ad nos. 1053.b
Oratio mouet lacrymas. 1053.c
Orationi quomodo respondet donum, quomodo munera. 1085.a

Originale peccatum.

Originalis peccati effectus, ... 1.a & seq. 140.a,180. d,180.d,204.c,217.c,220.d
Originale peccatum trahitur à primo parente, & obligatorium voluntate aliena.
Est priuatio originalis iustitiæ. 166.a,180.d,193.c 264.d,266.d,270.a,d,320.a
Originalis peccati tota materia diuiditur. 187
Est disputatio grauissima. 187
Quot & quam præclari Catholici scripserint de originali peccato. 187.& seq.
Quot hæretici de eadem materia egerint. 188.d
Peccatum originis est, quod per generationem à parentibus trahitur. 189.a,193.c
Nullum fuisse asseruit Pelagius & Cœlestius. 189.a
Hunc errorem damnauit Synodus Palestina. 189
Est auersio quædam habitualis à Deo. 193.c,209.d
Est macula, & reatus, qui hominem verè peccatorem constituit. 193.c
Propagatur cum natura. 198.a,203.c.d
Non imitatione. 198.c,199.d
Originis peccata quomodo plura. 201.d
Originis peccatum probatur ex antiquis patribus, qui ante Pelagium scripserunt. 203.c,d, & seq.
Originale & actuale peccatum sublatum passione Christi. 204.b,c
Peccatū originis vocatur antiqua impietas. 204.a,153.d
Contagium mortis antiquæ. 204.c,238.c,253.d
Inquinamentum naturæ. 204.d
Probatur ex concilijs. 206.c, d,& seq.
Ignorabatur ab Ethnicis, negabatur à Pelagio. 210
Non est Adami, sed nostrum ex Adamo. 211.b,c,d 220.d,221.c,d, & seq.
Originalis peccati primaria causa Adam non Eua. 212.a,b

Soluuntur argumenta sumpta ex patribus contra originale peccatum. 2.& seq.
Originale peccatū ex in obedientia Adæ: 217.b.c.223.b
Dicitur radicale peccatum. 217.d.218.b.254.a
Dicitur peccatum quod nascendo trahimus. 253.d. 289.d
Chirographum quod scripsit Adam. 253.d
Fuit in Adamo per modum habitus. 218.b
Non tam est offensa quàm macula. 219.c
Soluuntur rationes adductæ cōtra originale peccatum. 221.& seq.
Originis peccatum, quomodo proprium, quomodo alienum. 221.b.c.327.& seq.662.c
Cui & quomodo voluntarium, cui & quomodo non. 221.c.d
Est voluntarium voluntate primi parentis. 221.d,327. a.b.662.b
Est peccatum minimum, quia minus voluntarium. 222.b 662.a
Maximum, quia priuat hominem maximo bono. 222.b
Est vitium naturæ non personæ. 223.a.254.c
Non est naturale, sed defectus naturæ. 223.
Quomodo traducatur difficile est intelligere. 234.b
Est hæreditas peccati, in omnibus æqualiter. 234.d
Trahitur à solo Adamo, non ab Heua. 237.
Tam ad fideliū, quàm infidelium filios pertinet. 237.c.d & seq.
Hoc peccatum habemus antequam nascamur. 238.d
Est necessariò mortale. 242.d
Magis inquinat quàm actuale. 245.a.b
Contrahitur tribus modis. 245.c.d
Licet sit vnum tantum, aliquando tamen dicitur in plurali, quia multa in se continet. 254.a.b
Non est fons & origo omnis actualis peccati. 263.d. 264.a
Est habitus corruptus & languor totius naturæ. 273.c.d
Continet priuationem iustitiæ, peruersionem omnium potentiarum. 273.d
Est auersio à Deo, in qua formaliter consistit peccatum originis. 273.d
Est rebellio partis inferioris contra superiorem, in qua consistit peccatum originis materialiter. 273.d
Errores circa peccatum originis in Concilio Tridentino damnantur. 277.d
Originis peccatum, quomodo vnum, quomodo non. 277.d
Cuius rebellionis sit causa in homine. 229.a
Assimilatur febri. 270.a.273.c.273.c.286.b.c.289.d
Perfectè tollitur baptismo. 299.a.& seq.
Refelluntur opiniones aliquorum Catholicorum de peccato originis. 318.b.& seq.323.c.d.&.seq.
Sententia Concilij Tridentini de peccato originali. 323.c.d.& seq.
Auctoris sententia de peccato originali explicata. 325. c.d.& seq.
Quomodo est carentia iustitiæ originalis debitę inesse. 326.329.& seq.
Quid sit propriè peccatum originale, & quid eius formale. 326.d.333.a.b
Dupliciter accipitur. 326.d
Refutantur variæ sententiæ de peccato originali. 329. b.& seq.
Originalis peccati idem diuerso respectu dicitur materiale & formale. 333.b.c
Originale peccatum nunquam dimittitur iis, qui in eo moriuntur. 346.c.d
Eius pœna post hanc vitam. 347.b
Non delet in homine ordinem naturalem, sed supernaturalem. 348.d.& seq.
Eius æterna pœna, est tantum damni, non sensus. 215.d. 349.a.451.c
Probatur ex scripturis. 347.b. Ex Patribus. 147.c. & seq. Ratione. 349.a
Originalis culpa est tantum habitualis. 349.a
Originalis peccati diuersæ pœnæ in hac vita. 355.c
Originale peccatum læsit omnes hominis potentias, & animæ vires. 857.a
Idem corpus & totum hominem. 357.a
Est causa cur multi nascantur, cum variis corporalibus defectibus. 361.a

Originalis iustitia.

Originalis iustitia fecit perfectam tranquillitatem in anima & omnibus eius potentiis. 15.a.c.25.d. 30.b.c.167.c.d.176.d.333.b.c.355.c
Non poterat amitti nisi mortali peccato. 176
Quando primum dicitur amitti. 246.a
In Adam toti naturæ data fuit. 254.c
Eius priuatio quomodo voluntaria, quomodo non, quomodo pœna, quomodo non. 333.b.c
Hanc iustitiam Deus non abstulit, sed homo abiecit. 333.b.c
Quare nunc non infunditur animis hominum. 333.d
Quomodo à Deo, quomodo ab homine tollitur. 334.a
Originalis iustitiæ priuatio quomodo est causa originalis peccati, quomodo ipsum originale peccatum. 344.b.c.
Originalis iustitia quomodo restituitur baptismo, quomodo non. 334.c
Quomodo dicitur gratia. 394.d

Ouis.

Ouis & columba animalia simplicissima. 164.b
Ouis perdita apud S. Lucam quid. 209.d
Ouibus boni Christiani assimilantur. 350.a.498.a

P

Panis.

PAnis omne genus cibi significat. 183.a.1013.a
Panis spiritualis verbi & sacramentorum. 1013.b
Accipitur aliquando pro corporali, aliquando pro spirituali, aliquando pro vtroque. 1013.b.c.& seq.
Significat omnia necessaria ad vitam animæ & corporis. 1013.c.& seq.1014.c.& seq.
Panis quotidianus, vel supersubstantialis, quare sic dictus in oratione Dominica. 1014.a.& seq.
Panis est Eucharistia. 1015.a.b
Est verbum Dei prædicatum. 1015.a

Paradisus.

Paradisum non fuisse verum corporalem locum, sed figuratiuè dictum, error aliquorum. 32.b
Fuisse verum locum corporeum. 32.c.& seq.35.a
Paradisus quomodo corporalis, & quomodo spiritualis. 33.c.35
Quo die creatus. 33.c
Non frustra conditus, licet Adam breuissimo tempore ibi manserit. 34.a
Henoch & Eliam in Paradiso nunc habitare. 34.a.39.c. & sequent.
Paradisus ille etiam nunc nobis vtilis. 34.a
Quomodo potest dici ante cœlum & terram creatus. 34.d
Paradisus in quem raptus est D. Paulus, quomodo intelligendus. 34.d.35.a
Paradisus significat hortum vel locum deliciarum. 35. a.39.c
Interdum accipitur pro Paradiso spirituali. 33.a.35 a.b.36.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Paradiſi quatuor fluminibus. 32.d.35.c.d.36.b.c. 40.b
Per Paradiſum aliqui intell exerũt totum terrarum orbem. 36.a
per fluuium Paradiſi intellexerunt Oceanum. 36.d
Paradiſum non eſſe totum Orbem. 36.b
Putant alij eſſe locum extra terram, quam, nos incolimus. 36.c
Eſſe in Oriente. 36.d.37.a
Non eſſe locum ſublimem circa Lunam, vt quidam putant. 36.d.37.a.b
Quomodo dicitur locus ſublimis & prope cœlum. 37.a
Fuiſſe in Meſopotamia. 37.c
Paradiſi omne veſtigium diluuio ſublatum. 37.c.d. 39a. 40.d
Paradiſum modò non cuſtodiri ab angelis, ne homines intrent. 37.c
Non eſſe in Meſopotamia. 37.d.& ſeq.
Pradiſi quatuor flumina, vbi habent originem. & ſeq. 39 a 37.d.
Quas terras ambiunt. 38
Quid nominibus eorum intelligatur. 38.c.d
In Paradiſo ſemper fuiſſet ver, & ſumma aëris temperies. 39.a 177.a
Diluuium non abſtulit temperiem Paradiſi. 39 a.42.b
Difficile eſt cognoſcere vbi fuit Paradiſus. 30.& ſeq. vſque ad 40.c
Paradiſum adhuc ſupereſſe. 40.c.& ſeq.
Non eſſe vaſtatum diluuio. 41.c.d.42.a
Non eſt locus peccatorum, ſed eorum qui liberi ſunt, ab omnibus mundi malis quales fuerunt Adam & Hæua, ante peccatum, & nunc ſunt Henoch & Elias. 42.a
Aliquod detrimentum accepit à Diluuio. 42.c
Neceſſariò debuit eſſe vacuus omni timore, & dolore. 176.c.177.a
In Paradiſo fuiſſet propagatio ſobolis per officium cõiugale. 181.
Non fuiſſet opus fœmina, niſi propter generationem. 181.d
In Paradiſo fœminæ peperiſſent ſine dolore. 181.d
Paradiſus poſt Adæ peccatum clauſus. 29.d.204.d 205.a.b
In Paradiſo nullus fuiſſet error, nulla deceptio, nulla ignorantia, nullum malum, nulla malitia voluntatis, niſi Adam peccaſſet. 366.a

Parentes.

Parentum eſt filijs ſuis baptiſmum procurare. 140.b c. 445.d.481.a

Paſcha.

Paſchalis celebritatis qualis fuit olim controuerſia. 1079.a.1097.b

Paſſio Chriſti.

Paſsio Chriſti quomodo & quibus bona, quomodo & quibus mala. 121.d.122.1.18
Paſſio & incarnatio Chriſti, primum medium ſalutis humanæ. 483.a.b
Paſſio Chriſti propitiatio pro omnibus peccatis 744.d
Satisfactio pro peccatis totius Mundi. 803.
Quomodo fuit finita, quomodo infinita. 804.a.b
Licet breuis, tamẽ ſatisfecit pro pœnis æternis. 950.c.d
Fuit voluntaria. 969.d
Toto anno, præſertim feriâ quarta & ſexta commemoratur. 1042.b.110.b.1110.a

Patientia.

Patientia opus bonum & perfectum. 910.a
Nece ſſaria ad ſalutem. 910.b
Patientia Iob tentationibus à Deo probatur. 926.a

Patria.

Pro Patria Romani Præcipuè ſæpè occiſi ſunt, ſtimulante vana gloria. 692.a.b
Pro Patria mori patriæ potiſſimum ſalutem non ſuam gloriam quærendo, ne infidelis quidem ſine ſpeciali Dei auxilio poteſt. 692.b
Pro Patria mori eſt opus morale, ſed arduum, & difficile. 692.b

Paulus.

Paulus raptus in tertium Cœlum & in Paradiſum, quomodo intelligitur. 34.d.&.ſeq.
Paulus ad Galat. 2. naturâ Hebræus. 238.c.486.a.b
Paulus efficaciter vocatus. 425.a.428.d.423.d.435.d. 913.b.c
Quomodo à ſancto Spiritu prohibitus prædicare in Aſia. 453.c.d
Semper ſe ponit in numero electorum. 486.a.b
Non audet ſe iuſtum affirmare. 843.a.844.a.b.877.c
Conuerſus eſt precibus ſancti Stephani. 993.d
Orat vt auferatur à ſe ſtimulus carnis. 1022.b

Peccatum.

Peccatum Adæ, vide *Adæ peccatum*, peccatum originale vide *originale peccatum*.
Peccatum ſignificat rebellionem carnis, ex peccato ortum, vide *concupiſcentia*.
Priuat hominem donis ſupernaturalibus. 14.c.d.20.b.c
Quomodo diminuit bonum naturale. 14.c.d.20.b.c
Eſt pœna peccati. 20.a.144.a.150.
Peccatum Adæ fuit actuale vt cætera hominũ peccata.
Peccati ſtipendium Mors. 23.b.28.& ſeq.31.c.d
Peccatum introduxit vitæ breuitatem, & ineuitabilem moriendi neceſſitatem. 29.d.31.c.d
Peccatum eſt nomen operationis malæ. 55.310.c
Peccati quàm multa ſint nomina. 55.b
Peccati definitiones. 55.c.56.a.223.c.263.d.325.b. 331.d.& 332.a
Peccati materiale. 265.b.309.b.c
Peccati formale. 56.a.265.b.309.b.c
Peccata eſſe contra legem æternam. 56.d.57.a.108.b. 121.a.151.b.152.b.c
Peccatum neceſſariò debere eſſe voluntarium. 128.d. 74.a.b.81.d.82.c.107.c.110.d. 137.b.150.a.451.b. 523.b.c.661.b
Peccatum aliud carnale, aliud ſpirituale. 57.c
Per conuerſionem ad quæ fiunt peccata carnalia. 57.c
Per cõuerſionem ad quę fiunt peccata ſpiritualia. 57.c
Peccata carnalia nos faciunt ſimiles beſtiis, ſpiritualia dæmonibus. 57.d
Spiritualia dicuntur ſcelera vel facinora. 57.d
Peccatum aliud actuale, aliud originale 57.d
Peccata actualia fiunt propria voluntate. 57.d
Originalia trahuntur à primo parente, & ſunt voluntaria, voluntate aliena. 57.d
Peccatum aliud commiſſionis, aliud omiſſionis. 57.d
Commiſſionis repugnat legi prohibenti aliquid. 57.d
Omiſſionis violat leges imperantes aliquid. 57.d
Commiſſionis vocatur propriè peccatum. 58.a
Omiſſionis dicitur propriè delictum. 58.a
Peccatum aliud contra Deum, aliud contra nos, aliud contra proximum. 58.a
Peccata quædam mortalia, quædam venialia. 58.b 61.d.64.d.68.a.77.c & ſeq.
Mortalia planè hominem auertunt à Deo. 58.b.64.c 78.b.c.93.a

78.b.c.93.a
Merentur mortem æternam. 58.b.75.& ſeq.93.a 278.c.d.& ſeq.
Venialia non nos auertunt à Deo, ſed impediunt curſum ad Deum. 58.b.63.b.c.74.b.c.78.b.c.82.a.91. a.b.92.d.93.d
Mortalia dicuntur crimina. 58.b.c.64.c.d.77.c.d.92.d. 313.d
Venialia dicuntur peccata. 58.b.64.c.d.77.c d
Veniale quotuplex. 58.c.& ſeq.82.c
Venialia ex natura & ratione peccati propriè mortalibus opponuutur. 59.a
Venialia hæc ex natura ſunt duplicia, alia ex genere, alia ex imperfectione operis. 59.a.82.c
Veniale ex genere habet pro obiecto rem malam & inordinatam. 59.a
Veniale ex imperfectione operis. 59.b.82.b
Veniale ex imperfectione operis, Aliud ex ſubreptione. Aliud ex materiæ praui tate. 59.b.c
Errores hæreticorum de peccatorum æqualitate. 59.c. & ſeq. vſque ad. 63
Refutantur ex ſacris ſcripturis. 63.a.b.c
Ex conciliis. 63.d. Ex ſanctis Patribus. 64
Peccatũ veniale naturâ ſua diſtingui à mortali. 74.c.d & ſeq.
Peccatorum gradus diuerſi. 74.d.& ſeq.86.a.b.c. 89.b.c.278.b.c.d.& ſeq.304.d
Peccata venialia cum feſtuca & culice comparat Chriſtus: Mortalia cum camelo, & trabe. 76
Peccatum conſummatum, i. capite Iacobi, quid. 77.d 278.b.c.d.& ſequent.
Quædam eſſe peccata venialia natura ſua probatur ex Conciliis, & antiquis Eccleſiæ patribus. 78.a.& ſeq.
Peccata venialia qualia nominantur. 877.d.& ſeq.70.d
Quædam eſſe natura ſua venialia, probatur ratione naturali. 81.a.& ſeq.
Peccatum veniale, id eſt, venia dignum. 81.d
Paccatum dicitur analogicè de mortali & veniali. 82.b. b.84.a
Peccatum duo conſtituunt. 82.c
Veniale eſt peccatum imperfectè. 82.c.d.& ſeq.
Et quomodo. 82.c.d.& ſeq.
Peccata omnia venialia, vel ſunt non perfectè voluntaria, vel non perfectè contra. ſed præter legem. 82.d
Peccatum fit cogitatione, verbo, vel opere. 86.d.90.a. b.278.c.d
Peccata venialia aſſimilantur ſordibus pedum. 88.a
Venialia multa quomodo æquiualent vni mortali. 90. a.b.d.91.b.c.d
Quotidiana quotidianis remediis expiantur. 90.d. & 91.a.b
Peccatum eſt malum ſimpliciter, pœna eſt mala tantum patienti. 92.d
Peccati deformitas eſt macula in anima ex peccato relicta. 93.c
Reatus pœnæ ob iniuriam Deo factam. 93.c
Peccatum veniale eſt irremiſſibile, quamdiu eſt cum mortali. 94.a.b.c
Simul cum mortali in æternum punitur. 94.a.b
Remittitur propter actum caritatis elicitum ab habitu manente. 94.c.d
Peccatum nihil eſſe præter inanem, & falſam opinionem, error Libertinorum. Item: Peccatores non debere reprehendi, quia hoc eſt Deum reprehendere. 97.a
Ad peccatum tria requiruntur. 107.b
Peccatum eſt præuaricatio legis. 107.b
Eſt in voluntate. 111.a.b.158.b
Eſt propriũ creaturæ nõ Creatoris. 114.d.117.b.c.118.a
Non debet referri in Creatorem. 116
Fit Deo premittente, non iubente. 117.b.d
Peccare eſt deficere, & errare. 121.a.139.b
Peccatum à Deo præuidetur, & in bonum ordinatur. 126.d
Peccatum facere non eſt facere, ſed deficere. 139.b
Non eſt res ſed corruptio rei, vel priuatio. 139.b.153.d. 154.a
Peccata eſſe non eſt bonum. 142.b.c
Peccata cum fiant, bonum eſt, vt à Deo ordinentur. 142.b.c
Peccati ſeruitus quanta. 144.c
Peccata Deus præſcit, non facit. 147.a
Peccatum bifariam accipitur. 149.d
Ad peccatum impellere eſt malum, à lege æterna abhorrens. 152.b
Peccati deformitas à quo eſt. 151
Peccatum non eſt effectio, ſed defectio. 152.d
Peccatum cum fit defectus ſoli cauſæ deficienti tribuitur. 153.a
Peccatum eſt malum morale. 153.b
Conſiſtit formaliter in priuatione rectitudinis actus voluntatis. 153.b
Eſt priuatio conformitatis ad regulam rectæ rationis. 153.b
In peccato priuationis cauſſa non poteſt eſſe poſitiua, ſed eſt alia priuatio vel defectus. 153.b
Peccati cauſſa non eſt res, ſed priuatio rei. 154.a
Ad actum peccati tria requiruntur neceſſariò. 154
Peccatum debet eſſe actus à libero arbitrio productus. 154.a
Moralis per ſe. 154.a
Elicitus à libera voluntate. 154.a
Particularis. 154.a.b
Peccata & peccatores non ſunt Deo neceſſaria. 114.b 120.b.160.b.162.a
Peccatum eſt conuerſio ad bonum creatum. 168.b
Eſt auerſio à bono increato. 168.b
Prius eſt in peccato conuerſio, quàm auerſio. 162.b
Peccatum veniale, aut ex ſubreptione, aut ex genere ſuo. 176.c.d
Peccatum veniale ex ſubreptione, aut oritur ex appetitu carnis præueniẽte rationẽ, aut ex voluntate præueniente perfectam rationis deliberationem. 176.c.d
Peccati grauitas ſumitur ab oppoſitione ad maius bonum. 179.d
Peccati iſtrumẽta etiã irrationalia punit Deus. 183.c.d
Peccatum actuale initium habuit ab angelo. 194.d
Ab Heua. 195.a
Peccatum interdum accipitur pro pœna peccati. 195.d
Ipſũ peccare, vix poteſt accipi pro pœna peccati. 195.d
Peccatum, mortis meritum. 195.d
Propagatur cum natura. 198.a
Ante legem incognitum. 299.b.c
Peccatum tùm actuale, tùm originale ſuſtulit Chriſtus paſſione ſua. 204.b.206.c
Peccatum Adæ quomodo non conſtituit omnes ſimpliciter peccatores. 211.d
Peccati actualis & originalis diſtinctio. 217
Peccatum actuale eſt legis tranſgreſſio. 217.c
Peccatum bifariam conſideratur. 221.b
Peccatum, reatus, macula, quomodo differunt. 221.b 223.c
Peccatum non in carne, ſed in anima eſt. 223.d.235.b. 236.a
Peccatum fuiſſet tantum perſonale quocunque peccãte præter Adamum. 237.b.c
Non eſſe naturã aliquam, ſed priuationẽ aut defectum. 257.c
Peccati tres fontes. 264.b
Peccatum non tam contrarium legi, quàm legis con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

trarietas dicitur. 265.a.b
Peccati sedes quomodo anima, quomodo caro. 277.a Vide anima.
Peccatum sublato reatu non est peccatum. 287.c
Peccatum quot modis in sacris literis accipiatur. 291.c 293.c.d
Peccatum propriè dictum tollitur in iustificatione. 291.b.c
Repugnat legi priuatiuè. 296.c.d
Peccatum largo modo accipitur pro omni corruptione & vitio. 312.b.c.d
Peccata naturæ quæ nam dicuntur. 313.a
Peccatum omne vel à cupiditate, vel à timore ortum habet. 319.b
Peccatum bifariam accipitur. 325.b.332.a
Non est res positiua, sed priuatio. 329.c.331.c
Peccati actu transeunte octo mala remanent in anima. 330.c.d.332.d
Peccatum actuale, & habituale. 331.a
Habituale quomodo differt ab habitu vitioso acquisito. 331.c
Habituale quomodo est voluntarium. 331.c
Peccatum habituale cur potest esse in dormiente, amente, infante. 331.c.d
Peccatum quomodo transit, quomodo manet. 332.a
Peccati actualis pœna, est pœna sensus. 347.c
Peccata propria quibus modis. 351.d
Peccata sua homines non norunt. 358.b
Peccata omnia mortalia vitare quis potest per gratiam. 360.b.d
Venialia non potest omnia vitare nisi ex priuilegio singulari. 360.d
Peccare humanum est. 360.d
Peccatum totum hominem, & omnes eius potentias debilitauit. 414.c
Peccatum vitare, & à peccato resurgere, quomodo differunt. 448.c
Peccata singula vitari possunt non omnia. 455.c.d
Peccandi necessitas potuisset esse Adamo naturalis, nobis verò pœna peccati. 455.d
Peccatum non potest esse in voluntate, nisi præcedat error, vel defectus in intellectu vel ratione. 525.d
Peccatores mortui sunt, morte, gratiæ non naturæ. 602.d.883.d.704.d
Peccati necessitas quomodo nobis incũbit, & quomodo peccatum potest esse, vbi est hæc necessitas. 628.b
Peccata singula vitari possunt, non omnia. 628.b.
Peccati definitio virtute continet in se liberum arbitrium. 629.a
Peccati quatuor genera. 662.b
Peccatum ex ignorantia quomodo voluntarium, quomodo non. 662.d
Peccata ex cupiditate sunt absolutè voluntaria. 662.b. 663.c.670.a
Peccatores comparantur rebus mortuis & se nihil iuuare valentibus. 683.d.704.b
Quando dicuntur in momento conuerti. 709.d
Peccatores non ab actu, sed ab habitu dicuntur. 829.b.830.d
Peccato actu transacto, quæ & quot malaremanent in peccatore. 830.a
Peccatum habituale in quo maximè consistit. b. 830.d
Quomodo tollatur peccati auersio & declinatio, macula peccati, dignitas, & reatus pœnæ. 831.a b
Peccatum ex natura sua iustitiam expellit vbi inuenit. 832.a.b
Peccati actus opponitur gratiæ habituali, non priuatiuè, sed contrariè, & gratiam expellit efficienter. 832.a.b
ccatum & iustitia sunt contraria immediata. 832.d
Circa peccatorum remissionem certam & indubitatam tres errores. 836.d.& seq.
Peccatum est opus nostrum, iustitia donum Dei occultum. 841.d
Peccata nostra esse semper lugenda. 859.c.d
Peccatores facilius scire possunt se odio dignos, quam iusti se amore dignos. 841.d
Venialia non sunt contra, sed præter mandata. 919.b
Non possunt semper omnia vitari in hac vita. 919.b.c
Peccare nemo potest in eo, quod vitare non potest. 920.a.b
Peccatum accipitur pro victima peccati. 819.d.920.d
Peccatum veniale non impedit veram iustitiam. 929.d
Peccare facilius est quàm benè agere. 976.a
Per peccatum mortale amittuntur omnia merita præcedentia. 994.c
Peccata religiosorum, quomodo grauiora, quomodo leuiora peccatis sæcularium hominum. 994.d
Peccata sunt debita & peccatores debitores. 1015.d
Peccant omnes dum sunt in hac vita. 1016.a
Peccata quædam sunt naturâ sua venialia. 1016.a

Perfectio.

Perfectio beatorum est sine vllo peccato. 65.b.87.a.b. 90.c.d
Perfectio huius vitæ. 656.c.d.90.c.d
Perfectio non imperatur, sed consulitur. 65.c
Perfectio quæ imperatur, qualis est. 65.c.87.a
Perfectionis gradus. 65.c.87.a.b
Perfectio beatorum in hac vitâ nec imperatur nobis, nec consulitur. sed tantum indicatur. 87.a.b
Perfectio maior in Christianis, quàm in infidelibus requiritur. 81.b.c.d.89.a
Perfectio maior in religiosis viris requiritur. 89.a

Permissio Dei & desertio.

Permissione diuina, non iussu fiunt peccata & mala. 117.b.d.118.d
Permissio Dei est, quod homines malum possunt. 119.a
Permisit Deus vendi Ioseph, & crucifigi Christum. 121.d
Permittit Deus mala vt inde eliciat bona. 122.a.b. 123.c.130.a.139.c.d.141.a.145.a.b.146.a b
Permissio Dei dicitur esse causa, cur malè agant homines. 127.& seq.
Deus concessit Diabolo facultatem vexandi Iob. 128. 129.a.138.b
Permissor quodammodo dicitur auctor. 128.129. 138.a.b
Permittit Deus homines mala facere tribus modis. 128.129
Non quælibet permissio vel desertio est excæcatio. vel induratio. 133.a
Permissio peccati Adæ, & peccati iustorum hominum, non est obduratio, vel excæcatio. 133.d
Quænam permissio & desertio Dei dicitur excæcatio & obduratio. 134.a.b
Illa permissio & desertio, qua homo auxilio diuino prorsus destituitur est grauissima punitio. 134.a 144.a.b
Deus nunquam ita hominem sibi relinquit & deserit, quin vires det, vt possit si velit impetrare Dei gratiam, & remouere cæcitatem & obdurationem. 134.b.c
Perfectio licet nominetur actio, tamen est actionis omissio. 134.d
Permisit Deus Iob affligi quantum, quamdiu, & quomodo illi placuit. 128.d
Permittit Deus mala ita loco, tempore, persona, modo, vt in

vt in bonum conuertere possit. 139.c.d
Deus volens permittit mala, quia de malo potest facere bonum. 140.a.141.b.142.a
Permittere non includit velle, sed non nolle, siue non impedire. 141.d
Deum non velle sed permittere mala. 141.d.& 142.a
Permissio distinguitur ab opere. 141.c.d.142.a.b
Deus benè facit permittendo vt mala fiant. 142.b
Permittere in sacris scripturis significat non impedire. 142.c.d.& seq.
Deus permittit homines cadere eos deserẽdo. 144.145
Deus propter dementiam permittit homines seduci & obdurari. 146.a
Quare & quomodo Deus permisit proditionem Iudæ. 146.a.b
Deus voluit ex malis potius benè facere, quam malè esse non sinere. 146.d.161.c.d
Deus ita omnia administrat, vt ipsa proprios motus exercere, & agere sinat. 161.c
Quare permisit Deus hominem tentari, quem sciebat cæsurum. 161.c.162.a
Permisit Deus hominem tentari, vt ita si voluisset, de hoste potuisset gloriosius triumphare. 161.a.162.b
Permissio peccati Adæ quomodo vtilis humano generi. 162.b
Diabolus est permissus Adamum vincere, vt maiore cum sanctorum gloria postea vinceretur. 162.b
Permissio peccati pertinet ad pulchritudinem Vniuersi. 160.d.161.c.d

Perseuerantia.

Perseuerantia datur electis. 425.a
Quam gratiam requirit 425.a
Perseuerantia in finem. 427.b.490.a
Sine perseuerantia nemo saluari potest. 489.d
Perseuerantia est donum Dei, quod non datur ex meritis. 490.a.491.d.677.a.994
Perseuerantiam nobis promittere non possumus. 490.c
Pendet à manu Dei. 490.c
Perseuerantiæ donum continuis precibus petendum. 491.b.c.875.c.d.994
Perseuerantia fundamentum prædestinationis. 677.a
Perseuerantia est effectus maximè proprius prædestinationis. 873.a
Perseuerantiæ incertitudo. 873.a.& seq.d.b
Perseuerantiæ præmium certissimum. 873.a.& seq.e
Perseuerantia in fide necessaria ad vitam æternam. 876.a
Perseuerantia est necessaria vt impetres quod petis. 1001.b.1025.b.& seq.102.6.c.d

Petrus.

Petrus prædestinatus, nunc in cœlis. 69.c.d
Petri peccatum quàm graue. 69.d
Petri pœnitentia. 69.d.879.d
Petrus iustus lapsus est in graue peccatum. 879.d

Pharao.

Pharao quomodo à Deo dicitur induratus. 126.d. 132.b.c.136.a
Ad quid à Deo seruatus. 126.d
Abutitur patientia Dei. 136.a.b
Deus ostendit potentiam suam in flagellis & submersione Pharaonis. 145.a
Pharao celebrauit suum diem natalem. 210.a
Antequam indurareturvocabatur à Deo. 414.b
Meruit obdurationem, quia vocatus venire noluit. 424.b
An peccauit postquam fuit obduratus. 479.b.d
Pharao vir nequam, cognouit aliquid verum moraliter in particulari. 592.d

Philosophus.

Philosophi vocant naturam nouercam. 27.a.b
Philosophi variè dixerunt & senserunt de homine & eius natura. 27.a.b
Philosophi excellentiores strenuè contenderũt, Deum non fuisse causam mali. 119.b
Philosophi patriarchæ hæreticorum. 224.a
Philosophorum diuersæ de vltimo fine sententiæ. testes sunt humanæ ignorantiæ. 357.d
Philosophi verum Deum nouerunt, sed non coluerunt. 369.b
Philosophorum dicta de breuitate vitæ. 362.d
De miseriis huius vitæ quid dixerint. 367.d
Duo genera virtutum in vita necessaria dixerunt, 396.b.c
Quid senserint de libero arbitrio. 512.b.513.d.514.b. 521.a.b
Philosophos ex rebus creatis verum Deum cognouisse. 555.c.556.d
Philosophorum tres ex quatuor scholis, & sapientes Ægypti tenent liberum arbitrium. 570.d
Philosophi habiti sapientissimi, fuerunt sceleratissimi. 591.b.c
Philosophi dicunt rationem imperare appetitui inferiori non despotico imperio, sed politico. 606 d
Philosophorum opera non erant bona ex defectu boni finis. 610.a.b 620.d824.a
Philosophorum ieiunium quale. 1055.c.d.1074.d

Plato.

Platonem nouisse verum Deum. 557.a
Tenuit liberum arbitrium. 570.c
Voluit omnium rerum communionem, etiam vxorum 1138.b.1141.c
Refutatur ab Aristotele, & Tertulliano. 1138.b

Pœna.

Pœna æterna non debetur peccato, nisi ratione auersionis à bono æterno scilicet Deo. 82.a
Pœna æterna est simpliciter pœna & omnium grauissima. 82.c
Pœna potius subeunda quàm culpa committenda. 92
Debet respondere culpæ. 92.d.17.b.c.d
Peccatum pœna peccati. 20.a.144.a.b d.201.a.b.c
Pœna huius vitæ omnium grauissima, à Deo deseri. 134.a.144.b
Pœna propriè debet esse inuoluntaria. 159.a
Pœna bifariam accipitur. 149.d
Pœnæ peccati Adæ enumerantur. 157.c.d
Pœna mortis tantum Adæ post peccatum significata est. 179.a
Pœna prima peccati Adæ iactura originalis iustitiæ, & supernatur alium donorum. 180.b.c
Ex hac pœna sequuntur omnes aliæ pœnæ. 180.b.c
Pœna illa prima non describitur Geneſis tertio capite. 180.c.d
Pœnæ consequentes describuntur. 3. Genesis. 180.c.d
Pœnæ istæ sunt ferè innumerabiles. 180.d
Pœnæ corporis tres. 180.d
Pœna mulierum. 180.d.182.a.b.c
Virorum. 180.d.& seq.
Vtriusque sexus. 180.d.& seq.182.c
Serpentis. 163.b.183.b.& seq.
Pœna vni potest dici infortunium vel miseria alteri. 209.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pœna omnis si iusta est, pœna peccati est. 209.d
Pœna alia damni, alia sensus. 215.d
Pœna semper est inuoluntaria: culpa autem voluntaria. 333.b
Pœna originis peccati pœna tantum damni. 215.d 349.a
Pœna omnis iusta est à Deo. 334.a
Pœnæ infernales, aliæ grauiores, aliæ leuiores. 338.a. 340.b.344.c.347.d.351.a
Pœna damni & sensus. 347.b.c
Pœna originalis peccati est priuatio boni supernaturalis. 348.d
Pœnæ sẽsibilis inflictio ipsã naturã lædit. 348.d & seq.a
Pœnæ infantum sine baptismo decedentium. 352.d
Pœna sensus & animi dolor quomodo differunt. 355.b
Pœna adultorum, & damni, & sensus, & vermis conscientiæ. 352.d
Pœna peccati originalis in hac vita, quot & quæ. 356.c. d.& seq.
Pœnis variis coërcentur homines à vitiis. 359.b.c
Pœnæ peccati, quot & quantæ. 366.& seq.
Pœnas malis operibus reddit Deus citra condignum. 991.& seq.
Pœna futuræ vitæ semel à iudice constituta non reuocatur, vel minuitur. 991.d
Pœna tanta esse debet in futura vita, quantum est meritum culpæ. 992.a

Pœnitentia.

Pœnitentia Adæ. 184.d.& seq.
Pœnitentia Dauid. 202.a.204.d.& seq.
Pœnitentiæ donum non semper adest. 442.a.b.447.a
Pœnitentia non semper omnibus à Deo datur. 447.a
Pœnitentiæ sacramento reparari semper homines possunt. 448.a.708.d
Pœnitentia est dolor, & detestatio peccati. 251.a. 910.c
Ponitur quinta dispositio ad Iustificationem. 751.a.b. 861.a
Salutem stabilem operatur. 910.c
Pœnitentiæ locum esse lapsis post baptismum. 1023.c
Pœnitentia vt non sit sterilis requirit adiunctos eleemosynæ fructus. 1128

Prædestinatio.

Prædestinatio non potest esse sine præscientia. 118.a
Præscientia potest esse sine prædestinatione. 118.a
Prædestinatio est tantum bonorum. 118.a.119.a. 121.d.122.c
Quos prædestinat ad gloriam, prædestinat ad iustitiam. 118.d
Quos prædestinat ad pœnas, non ad culpam prædestinat. 118.d
Prædestinatio hominis est præparatio operum eius. 118.d
Prædestinatio est præscientia & præparatio beneficiorum Dei. 425.d
Prædestinatio est gratiæ præparatio. 425.d
Prædestinationis infallibilitas consistit in efficaci gratia. 426.d.& seq.
Prædestinati qui sint, & qui non, in hac vita nos latet. 442.a.b.c.
Prædestinationis ratio ex parte nostri assignari non potest. 481.c.d
Prædestinationis variæ definitiones explicantur. 482. a.& seq.
Prædestinatio est species prouidentiæ. 482.a
Prædestinatio pertinet ad solos, homines. 482.b
Prædestinatio nó præcessit, sed secuta est præuisionem peccati originis. 482.b.c
Prædestinatio est certissima. 482.d
Prædestinare quid. 487.d.483.a
Prædestinatio partim, ad intellectum, partim ad voluntatem pertinet. 482.d
Magis ad intellectum. 483.a
Prædestinationis ordo in mente diuina. 483.a.b.496.a
Prædestinationis ratio in quo potissimum consistit. 483.b
Prædestinationis nullam esse caussam in nobis, probatur ex diuinis literis 483.c.& seq.
Ex traditione Ecclesiæ & patribus. 486.b.& seq.
Rationibus ex scriptura & traditione sumptis. 488 & seq.
Soluuntur argumenta, quæ obiici possunt ex scripturis. 494.& seq.
Ex Patribus. 496.d.& seq.
Ex Rationibus. 500.c.& seq.
Prædestinatio ex non præuisis, probatur Rationibus. 194.
Prædestinatus est Christus gratis. 492.d
Prædestinationis finis quis. 492.d
Prædestinatio non pendet ab operibus, sed contra. 495.b
Prædestinatis omnia cooperantur in bonum. 496.a
Prædestinatio radix & origo omnium bonorum. 496.a
Prædestinationis & executionis non est eadem ratio. 446.b.497.d
Prædestinationis materia nunquam benè agitata est ante tempus Pelagianæ hæresis. 486.b.496.d
Prædestinationis effectus est, quod vocante Christo homines conuertuntur. 497.d
Prædestinationis effectus vocatio. 496.c-488.b.c.
Prædestinatio accipitur pro voluntate, dante vitam æternam propter merita. 499.a
Prædestinatio gratuita non solum est ad gratiam, sed etiam ad gloriam. 501.d
Prædestinatione non acquiri electis ius ad beatitudinem. 502.a
Prędestinat Deus misericorditer, reprobat iustè. 503.b
Prædestinatio ex sacris literis & ipso vsu, est tantum bonorum. 504.c.d
Prædestinatio angelorum, vide angelus.
Prædestinationis duo fundamenta, fides, & perseuerantia. 677.a
Prædestinati ad gloriam, quomodo debent esse caritate præditi, quomodo non. 832.c
Prædestinationis certitudo quanta, secundum errorem Buceri, Petri Martyris; Kemnitij, atque aliorum hæreticorum. 870.d.& seq.
Refutantur ex Scripturis. 871.c.d& seq. Ex Patribus 873.c.& seq. Ratione. 874.c.d
Prædestinationis certitudo non potest haberi sine certitudine perseuerantiæ. 873.a
Prædestinatio secretum Dei incrutabile. 874.b.c
Prædestinationis incertitudo. 874.b.c
Prædestinatio pendet ex Dei voluntate. 874.c
Prædestinati quomodo dicuntur non posse peccare. 882.d

Prædicatio.

Prædicatio necessaria ad manifestanda mysteria Dei. 673.a
Necessaria ad fidem. 673.b.765.d
Prędicatione verbi Christus collegit sibi regnũ. 673.c
Prædicationem & doctrinam diuinam credibilem faciunt miracula. 673.c.714.d
Prædicatio externa nihil prodest sine interna Dei inspiratione. 709.710

Prædicationem esse congruam meritis audientium, est gratia Dei. 710.b.c
Prædicatio aperit viam ad iustificationem. 793.c
Concionatores in qua persona loqui debent ad populum. 877.c
Aliter fidelibus, aliter infidelibus prædicandum. 974.a
Prædicatio verbi Dei est panis quo pascimur. 1014.d

Præscientia.

Præscientia potest esse sine prædestinatione, non contra. 118.a
Præscientia est & bonorum & malorum. 118.a 119.a.121.c.d.122.d.123.a 128.b.147.a
Præscientia & prædestinatio non imponit rebus futuris necessitatem. 137.a
Est malorum & bonorum, quæ ex malis sequuntur. 146
Præsciuit Deus scientia simplicis intelligentiæ, hominem casurum si conderetur, antequam eum condiderat, vel condere decreuerat. 148.a
Sciuntur prius à Deo necessaria quam libera. 248.a
Deus præscit quæ essent, si tales vel tales caussæ ponerentur, licet reipsa nunquam futura sint. 148.b.c.d
Præsciuit Deus Adam peccaturum, at non coëgit ad peccatum. 148.d
Præscire scientia approbationis. 498.c.501.a
Præscientia Dei non tollit ab hominibus liberum arbitrium 569.b.c.579.b & seq.
Præscita certò, eueniunt contingenter. 576.c.577.a.b
Præscientia Dei non est causa rerum. 576.d.579.b
Res non sunt futuræ, quia Deus præscit, sed contra, Deus præscit, quia res sunt futuræ. 576.d.577.a.b
Præscientia Dei quam necessitatem ponit in rebus. 576.d.577.a
Præscientia non est simplex intelligentia, sed scientia visionis, quæ præsupponit suum obiectum. 577.b
Præscientia non est caussa rerum, sed decretum voluntatis diuinæ. 577.c
Præscit omnia, non autem prædefinit, & prædestinat omnia. 579.d

Præsumptio.

Præsumptio de diuina misericordia quàm periculosa. 913.a
Præsumptio est, tentationes petere. 1017.d

Promissio.

Promissiones veniæ quomodo differunt à promissionibus vitæ æternæ. 779.a
Promissiones vitæ æternæ sunt vera pacta, in quibus fundatur meritum iustorum. 779.a
Promissiones conditionatas, non absolutas contineri in Euangelio. 892.c.d.& seq.
Promissiones remissionis peccatorum, quæ in prophetis sunt, ad Euangelium pertinent. 894.c
Promissio Euangelica conditionem fidei requirit. 894.c
Promissio gratuita potest esse conditionalis. 894.d. 895.a
Promissio legis temporalium, figuræ, rerum spiritualium. 895.c
Promissionibus legis annectuntur temporales minæ, Euangelicis mors æterna. 895.c.d
Promissiones regni cœlorum tantum in nouo testamento habentur. 896.a.
Promissa veteris & noui testamenti non sunt eadem. 904.d
Promissio vitæ æternæ est conditionata. 909.d.& seq.
Promissio Dei requiritur ad meritum vitæ æternæ. 976. & seq.
Promissio vitæ æternæ est gratiæ tribuenda. 979.b
Promissio implenda, quia adfert obligationem. 984.d
Promissio vitæ æternæ bene operantibus. 984.d

Prophetia.

Prophetia non semper adest prophetis. 419.c.
Prophetiæ spiritus excitatur per psalterem. 419.c
Prophetia potest esse sine caritate. 419.d.420.a. 754.c
Prophetæ multi mali sæpe prædicunt veritatem. 419. d.420.a
Prophetia non imponit necessitatem rebus futuris. 568.a.b.c.d

S. Prosper.

S. Prosper, discipulus S. Augustini. 445.d.700.b
Eius scripta approbantur à Gelasio Papa, in Concilio 70. Episcoporum. 488.a

Prouidentia diuina.

Prouidentia diuina malum permittit, vt bonum inde eliciat. 122.b.123.c
Prouidentia diuina res omnes gubernantur. 439.b 482.c.492.b.c.
Prouidentia est genus ad prædestinationem. 482.a.b
Prouidentia Dei quàm admirabilis. 549.c.d
Prouidentia diuina, licet omnia etiam in particulari disponat, tamen necessitatem hominibus non imponit, sed illis liberum arbitrium, reliquit. 566.b. 567.a.b
Prouidentia includit præscientiam, & prædeterminationem. 575.d
Prouidentia diuina non prædeterminauit in particulari singula individua, 583.d.& seq.

Pueri.

Pueri quam reprimendi & coërcendi. 359.c.d
Pueri inercibus magis alliciuntur. 429.a.430.d

Purgatorium.

Pro minutis peccatis faisfaciendum est in purgatorio. 76.d.77.a.79.d.80.d.c.d
Perpauci purgatorium euadunt. 92.a
Purgatorij pœnas grauiores esse omnibus huius vitæ. 92.a
Purgatorium euadunt, qui nihil expiandum habent. 953.a.b

Q

Quadragesima.

In Quadragesima non soluendum ieiunium ante vesperam. 1057.c.d.& seq.
In Quadragesima carnis esus cessat. 1066.a.b
In Quadragesima cur orientales abstinent à vino non autem occidentales Ecclesiæ. 1067.b
Quadragesimam esse obseruandam sub pœna excommunicationis. 1071.a
Pro Quadragesima escæ aridæ præscribuntur. 1071.b
Quadragesimale ieiunium violantes, priuantur communione Paschatis. Et integro anno carnibus abstinere iubentur. 1071.b
Quadragesimale ieiunium populis prædicari debet à sacerdotibus, vt accurate seruetur. 1071.b
Quadragesimam non seruare, est grauis præuaricatio. 1071.c.d
Violantibus dicitur anathema. 1071.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quadragesimã ieiunare, est traditio Apostolica. 1071.d
Est ieiunium necessarium. 2072.d.1072.b
In conscientia obligat. 1071.d
Fuit in vsu in Ecclesia ante tempora Montani. 1079.b
Quadragesimas tres volunt Moranus. 1057.c.d. 1079.b
In Quadragesima carnes necessitate cogente, comedi possunt & debent. 1080.c.d
In Orientali Ecclesia in Quadragesima abstinuerunt à carnibus lacticiniis, vino & piscibus. 1083.d
Quadraginta dierum ieiunium præparauit Moien & Heliam ad aspectum & colloquium Dei. 1084.a
Quadragesimæ ieiunium est cultus Deo gratus. a.b.c
Quadragesimæ ieiunio offerimus Deo decimas & primitias vitæ nostræ. 1085.d.1106.b.c
Est ieiunium omnium maximum. 1096.a
De Quadragesimæ origine tres falsæ opiniones. 1096. b.c.d.&.seq.
Quadragesimæ primos & vltimos, duos aut tres dies, omnino sine pastu adhuc agunt Græci. 1097.c.d
Sed huiusmodi ieiunium semper fuit libreum numquam præceptum. 1097.c.d
Quadragesima seruabatur per totum annum, secundum Cassianum. 1098.c
Per septem integras hebdomadas à clericis olim. 1099.a
Institutum fuisse probatur ab ipsis Apostolis Christi. 1099.b.c.d.1100.a.1112.
Fuit ante omnia concilia. 1099.b
De ea fit mentio tanquam rei antiquioris in primis omnino conciliis, item in antiquis patribus. 1098. d.1099.c.d
Aliqui vocant ieiunium Paschale. 1099.d.1100.d
Aliqui putant à Christo institutum. 1100.b.c
Mira fuit olim huius ieiunij varietas. 1101.& sequentibus.
Sine omni cibo alij vno, alij duobus, alij tribus, alij quadraginta diebus ieiunabant. 1100.d
Alij quadragesimam, alij etiam quinquagesimam, alij alternis tantum hebdomadis ieiunantes, vix vigesimam vel trigesimam complent. 1101.a
Secundum Socratem Romanos ieiunasse tres tantum hebdomadas. 1101.a.1102.c
Græcos alios sex, alios septem. 1101.a.1102.c
Alij ieiunarunt tantum quatuor dies in hebdomada. 1101.b
Fuit semper & vbique hoc ieiunium quadraginta vel triginta sex dierum. 1101.b.c.1103.c
Obseruatur ad exemplum Christi, Mosis & Eliæ. 1101.c 1102.d.& seq.b
Dominicis Quadragesimæ non ieiunatur. 1101.c
Græci sabbatho & dominca non ieiunant. 1101.d 1102.d
Sabbathis quadragesimæ ieiunare iubetur. ad 1102
Alij in Quadragesima includebant hebdomadam sanctam, alij non. 1102.d.& seq.a
Quatuor dies ante primam Dominicam adduntur pro Dominicis, quibus non ieiunatur, vt compleatur numerus dierum quadragenarius. 1103 & seq.
Hi quatuor dies non semper fuerunt iidem qui nunc sunt, sed aliquando alij feria secunda, quarta, sexta & Sabbatho ieiunabant. 1104.a
Quadragesimæ causæ præcipuæ septem numer natur. 1104.b.c.d.&.seq.
Quadragesima propriè incipit Dominica prima, vt patet ex officio Ecclesiastico. 1105.c.d
Soluuntur obiectiones Caluini, & Kemnitij. 1106.c.d
Christus vnam Quadragesimam obseruauit, vt resisteret vni tentationi ad nostrum exemplum, nos quia multis tentationibus resistere debemus, multis ieiuniis armari debemus. 1106.d
Quadragesima Mosis non erat exemplum propositum Iudæis, vt Christi nobis. 1106.d
Quadragesima Christi fuit à sexto die Ianuarij, vsque ad decimam quartam Februarij, nostra non semper eodem tempore. 1107.b
Quadragesimæ ieiunium constitutum est commodissimo anni tempore. 1107.b.c.d

Ratio.

Ratio & intellectus quomodo differũt. 512.d.522.b.c
Ratio quomodo libera quomodo non. 521.a
Ratio est, quæ post deliberationem concludit quid faciendum. 521.a.b
Rationem esse magis liberam quàm voluntatem, probat Durandus. 521.b
Ratio est libera & caussa libertatis voluntatis. 521.b.c
Dicitur radix libertatis. 521.b.c.526.a.530.d
Ratio non est libera, nec radicaliter, nec formaliter, secundùm Henricum & Scotum. 520.d
Ratio quomodo non omnino libera. 523.a.&seq.
Non est libera à coactione vt voluntas. 523.c.d
Ratio potest cogi ad judicandum & credendum contra inclinationem totius suppositi. 523.d
Ratio non est libera à necessitate quoad specificationem. 524.a
Nec quoad exercitium, 524.c
Ratio est regula humanarum actionum. 524.c
Sua naturâ non est capax libertatis. 526.b.c
Ratio quomodo facit obiectum voluntatis. 526.b. 530.c.d
Quomodo imperat appetitui inferiori. 607.a
Quatuor de causis superatur ab appetitu inferiore. 607.a.b
Rationis & sensus multæ differentiæ. 607.b
Ratio quomodo potest à passione absorberi. 607.c
Ratio in vniuersali dictat Deum super omnia diligendum. 992.a
Ratio imperat vitiis, subigendo vel resistendo. 812.c. 824.b

Reatus.

Reatus est inseparabilis à merito pœnæ. 282.b.c
Reatus est relatio cuius proximum fundamentum est actus malus. 282.b.c
Est dignitas vel meritum pœnæ. 282.c.230.c
Est inseparabilis à peccato. 306.c
Reatus concupiscentiæ tribus modis accipitur. 306.d
Reatu sublato manet infirmitas. 307.a
Reatus Adæ quis fuerit. 307.d
Reatus culpæ quid. 330.c.d
Reatu non amisso, peccatum non est plenè remissum. 332.d

Regnum.

Regnum Dei triplex in sacris literis. 1010.a
Regnum Dei naturale quid. 1010.a
Regnum gratiæ quid. 1010.b
Regnum gloriæ. 1010b.& seq

Religiosus.

Religiosi debent esse cæteris perfectiores. 89.a
Religiosorum peccata quomodo grauiora, quomodo leuiora peccatis aliorum. 994.d
Religiosi magis ad diuinum officium persoluendum obligantur quam reliqui Christiani. 1027.c.d

Reprobatio.

Reprobatio pertinet ad iustitiam. 503.b
Quomodo reprobat Deus ante præuisionem operum, quomodo post. 603.b.c

Reprobationis & predestinattonis diuersa ratio. 503.c. 506.a
Reprobationis caussa partim Dei voluntas, partim præuisa peccata. 504.a.& seq.
Reprobationem vocat D. Augustinus prædestinationem ad interitum. 504.a.b.c
Reprobi vocantur communi nomine præsciti. 504.b.c
Opponuntur electis cõtradictoriè & contrariè. 504.d
Reprobatio continet duos actus. 504.d
Reprobationis negatiuę non datur caussa ex parte hominis. 504.d.505.d
Reprobationis positiuæ caussa peccata hominum. 506.
Reprobationis caussa est præuisio peccati originis, vel actualis, vel vtriusq; simul. 506.b.c
Reprobis plurimis dimittitur originis peccatum per gratiam baptismi. 506.b.c.
Reprobõrum omnium damnatio incipit à peccato originis. 506.c

Resurrectio.

Resurrectio alia vitæ, alia iudicij. 343.c.344.a.345.a. 442.d
Corpora damnatorum qualia resurgent. 345.a.352.b
Resurrectio Christi est exemplar regenerationis nostrę internæ. 804.d
Resurrectio Christi significatur emersione ex aqua baptismatis. 804.d
Resurrectionem certissimò esse sperandam. 860.a
Resurrectio nostra media nocte futura est. 1038.a

Reuelatio.

Reuelatio diuina duplex. 673.a
Post reuelatam diuinitus victoriam, peti potest tentatio. 1018.a

Reus.

Reus iudicio.
Reus consilio. } 74.c.d.75.60
Reus gehennæ ignis.

Rex.

Rex Galliæ quomodo dicitur curare morbum strumæ. 419.d
Regum & principum personas non accipiet Deus in die iudicij. 439 b.c
Reges & prelati specialiter orationibus populi commendantur. 1023.b.c

S

Sacerdos.

Sacerdos vide clerici.

Sacerdotium.

Sacerdotium Christi est præstantius Leuitico. 231.d
Sacerdotiũ Christi secundùm ordinem Melchisedech. 231.d

Sacramentum.

Sacramenta corporalia gratiam spiritualem operantur. 42.d
Sacramenta sunt instrumenta iustificationis. 403.d. 721.a.797.a.826.d
Sacramenta gratiam conferunt, vt instrumenta Dei, non actualem, sed habitualem. 403.d
Sacramenta sunt omnibus communia. 441.b
Sacramentorum desiderium ponitur sexta dispositio ad iustificationem. 731.b.c.761.a
Sacramentum magis propriè iustificat, quam fides. 762.b
Sacramentum sine intentione ministri non conficitur. 849.a.863.b.868.c
Sacramentorum præcipua institutio est, vt sint instrumenta iustificationis. 868.a
Sacramenta sunt, & causse, & signa iustificationis. 868.a
Sacramenta succedunt ceremonijs veteris legis. 896.a
Durabunt vsq; ad finem mundi. 900.a
Sacramenta veteris & nouæ legis non sunt eadem. 904.c

Sacrificium.

Sacrificia alia constituuntur Leuitici 7. pro peccatis, alia pro delictis. 58.a
Sacrificia & opera moralia quomodo differunt. 613.a.b
Sacrificium offerens debet detestari peccata. 613 a.b
Sacrificij finis placare Deum. 613.a.b

Salomon.

Salomon per concupiscentiam perdidit sapientiam. 362.a
Salomon semel iustus, postea lapsus, vtrum damnatus, dubitatur. 879.d

Samson.

Samson per concupiscentiam mirabili fortitudine priuatus.

Sancti.

Sancti diem suam natalem cur deplorant. 110.a.b
Sanctorum natalitia vocantur dies mortis. 210.b
Dies egressionis è mundo non ingressionis celebratur ab Ecclesia Christiana. 210.b
Sanctorum mors Domino pretiosa. 210.b
Sancti omnes se negligentiæ solent accusare. 418.b.c
Sancti viri ex reuelatione diuina tentationes petere possunt. 1018.a
Sanctorum exempla omnia sunt veneranda omnibus, non imitanda. 1018.a

Sanguis menstruus.

Sanguis menstruus superfluum alimenti. 226.b
Non est pars animantis. 236.b

Satisfactio.

Satisfactio pro peccato primus fructus orationis. 1002.b
Opera bona laboriosa, sunt satisfactoria pro peccatis 1002.b
Satisfactio debetur, vbi facta est iniuria. 1015.c.d
Satisfactionem temporalem à nobis requirit Deus. 1016.c

Scandalum.

Scandalum aliud datum, aliud ex hominum malitia acceptum. 138

Scientia.

Scientia magnum desiderium à natura hominibus insitum 354.c.d
Scientia hominum quam tenuis & exigua. 358.a
Scientia longo tempore, & magno labore acquiritur. 362.d.
Scientiæ donum potest esse sine caritate. 420.a
Scientiæ sermo, sapientiæ sermo, & spiritus scientiæ & sapientiæ non distinguntur. 320.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

Scientia & ſapientia quomodo differunt. 420.b
Scientiæ & ſapientiæ ſermo quid. 420.d
Scientia in Deo eſt duplex. 577.a
Scientia viſionis præſupponit rerum exiſtentiam. 577.a
Scientia ſimplicis intelligentiæ ſupponit rerum poſſibilitatem. 577.a

Scriptura ſacra.

Scripturæ ſenſus myſticus non fundat argumentum de fide. 485.d
Literalis fundat argumentum de fide. 485.c.d
Literalis quomodo fit myſticus. 485.c.d
Scriptura ſacra poteſt voces à Poëtis vel Philoſophis accipere. 564.d
Tria in ſe continet. 895.d

Seductio.

Seductio Heuæ. 172.c.d.& ſeq.
Seductio Corinthiorum per Pſeudoapoſtolos. 172.c
Seductio eſt, cùm falſum alicui perſuadetur ſub ſpecie veri. 172.d.173.b.c.175.d
Seductio fidelium per hæreticos. 172.d
Seductio Adæ nulla eſt in comparatione ad ſeductionem Heuæ. 174.a
Seductio quot modis accipi poteſt. 175.d

Semen.

Semen ſuperfluum alimenti. 236.b
Non eſt pars animantis 236.b
Semen hominis quomodo differt ab omni alio ſemine. 714.d
Semen Dei eſt gratia prædeſtinationis. 882.c
Semen Dei eſt caritas. 883.b.

Senium.

Senium non fuiſſet in ſtatu innocentiæ. 31.a.c.44.c. 46.b
Senio pauci moriuntur. 45.c

Senſus.

Senſus quomodo pro peccato originis puniantur. 361.b
Senſus exteriores & interiores quare dati. 361.b
Quomodo non præſtent officium ſuum. 361.b.c
Senſus multis annis viget ante rationem. 607.a
Senſus bona ſunt præſentia, rationis futura. 607.a
Senſus & rationis variæ differentiæ. 607.a.b

Seruitus.

Seruitus peccati quàm grauis. 144.c.d.ibid. 185.a.b. 209.d. 366.d. 667.c.d
Seruitus & libertas quomodo opponuntur. 667.c.d
Seruitus peccati opponitur libertati à peccato. 667.c.d
Non opponitur libertati naturæ. 667.c.d
Seruitus naturæ quid. 667.d
Opponitur libertati naturæ. 667.d
Seruitus peccati, & libertas peccati: item ſeruitus iuſtitiæ, & libertas iuſtitiæ quomodo idem ſignificant. 669.c.906 b.& ſeq.
Seruitus etiam mille annorum non meretur hæreditatem. 972

Serpens.

Serpens qui tentauit Adamum in Paradiſo, qualis erat errores aliquorum. 162.d
Serpentem Moſis fuiſſe fictum & fabuloſum, error 163.a
Serpens fuit verus & naturalis, per quem diabolus locutus, tentauit Heuam. 163.a.183.b.& ſeq.
Serpentis pœna, vt ſit maledictus ſuper omnia animantia. 163.a.183.b.& ſeq.
Serpens per ſe loqui non potuit, nec vllum animal brutum poteſt. 163.c.d
Serpens quare potius quàm aliud animal aſſumptus eſt à diabolo ad tentandum Heuam. 163.d
Serpentem fuiſſe aptiſſimum ad tentandum propter ſuam naturalem calliditatem. 163.d
Serpentem ſolum fuiſſe permiſſum diabolo, per cuius os loqueretur ad tentandum Heuam. 163.d
Heua ignorabat diabolum ei locutum per ſerpentem. 164.a
Serpentis aſtutia in muliere ſeducenda. 171.d
Serpens ſeduxit Heuam non Adamum, vt Gen. 3 habetur & 1.ad Tim.2.cap. 172.d.175.d
Serpens quomodo Adamum ſeduxit. 173.d.175.d
Serpens peccare non potuit, & tamen punitur in odium peccati, cuius erat inſtrumentum. 183.c
Serpens non potuit intelligere, licet Deus eum alloqueretur. 183.c
Serpens animal abiectiſsimũ, inuiſum, execrabile. 183.
Serpens initiò rectus corpore incedebat, nunc ſuper pectus & ventrem repit. 183.d
Serpens prius herbas, nunc terram comedit. 183.d
Serpentis inimicitia cum hominibus. 183.d.& ſeq.
Serpens maledictus à Deo non Adam & Heua. 185.a
Serpens non timuit Heuam nec illa ſerpentem ante peccatum. 185.c.d

Simonia.

Simonia eſt iniuſtitia communis, danti & accipienti 1137.c
Simoniaca lucra non dantur propriè in eleemoſynam. 1137.d
Interdum non danda pauperibus, ſed reſtituenda Eccleſiæ cui facta eſt iniuria. 1138.a

Sitis.

Sitis quàm intolerabilis, & ad quam horrenda hominem adigit. 362.b.c

Somnus.

Somnus à natura ad quietem capiendam datus & conceſſus. 361.b
Somnus quomodo ſomniorum viſis reddatur inquietus. 361.b

Spes.

Spes quoad certitudinem pertinet ad voluntatẽ. 729.b
Spei certitudo eſt in intellectu cauſſaliter. 729.b
Spes eſt tantùm rerum bonorum & futurarum. 735.d
Eſt tantùm pertinentium ad ſperantem. 735.d
Spes naſcitur ex fide. 749.d
Spes obtinendæ venię eſt diſpoſitio ad iuſtitiam. 749.d
Spes ſæpè ponitur pro re ſperata. 298.d
Spes noſtra debet eſſe ancora animæ. 809.867.c
Debet eſſe talis, vt mori, cum timore tamen, deſideremus. 859.b
Spes non eſt ſecuritas de vita æterna. 865.a
In genere ſuo debet eſse certiſſima. 867.a
Spei certitudo duplex eſt. 867.a
Ex parte voluntatis quæ. 267.a
Non fert ex parte intellectus certitudinem abſolutam. 867.a.b.

Spei

Spei certitudo ex parte intellectus eſt duplex. 867.b
Spei fundamentum primarium promiſſio Dei. 867.b.c
Spes non expellit omnem timorem. 867.b.c
Spei certitudo ex parte intellectus, quæ oritur ex caritate, eſt tantum iuſtorum. 867.c.d
Spes Chriſtianorum quomodo eſt certiſſima. 867.c.d
Spei forma eſt caritas. 867.d
Spes oritur ex caritate, & caritas ex ſpe. 961.d
Spes eſt neceſſaria ad impetrandum id quod petimus. 1022.c
Spes non ſolùm in ipſo boni auctore, ſed etiam in interceſſoribus ponenda eſt. 1042.b.c

Spiritus ſanctus.

Spiritus ſanctus, per fontem aquæ viuæ ſignificatur. 400.c.d.344.a
Spiritus ſanctus quomodo abundè in nos effunditur, 401.b
Per gratiam in nobis habitat. 400.c.d.409.a.415.c
Poteſt duobus modis in nobis habitare. 853.a
Spiritus ſanctus habitat in iuſtificatis. 920.d
Spiritus ſancti fructus. 920.d
Eiuſdem ſeptem dona reſpondent ſeptem petitionibus orationis Dominicæ. 1006.a

Statio.

Statio partim cum vigilia, partim cum ieiunio conuenit. 1114.d.1115.b
Statio à ſtando iuxta aliquos, quia Chriſtiani in Dominicis ſtantes orabant. 1114.d.1115.a
Eſt vigilia diurna, tẽpore ſolennis ieiunij. 1115.a.& ſeq.
Stationes excubiæ orantium & ieiunantium. 1115.a
Statio differt à vigilia & ieiunio. 1115.a.& ſeq.
Solùm fit de die. 1115.a
Statio & ieiunium ante omnem vigiliam præcedebat. 1125.a
Finiri ſolebat hora nona, vel ad veſperam, vt ieiunium. 1115.a.b
Fieri ſolebat feria quarta & ſexta. 1115.c
Stationum loca Romę cõſtituta à S. Gregorio. 1115.d
Stationes à ieiunio fortè is primus ſeparauit. 1115.d
In ipſis Dominicis fieri noluit. 1115.d
In ſtationibus parum nunc ſinguli orant, & dant locum aliis. 1115.d.1116.a
Stationes noſtrę duabus in rebus differunt ab antiquis. 1115.d.1116.a
Tunc iidem toto die orabant, nunc aliis alij ſuccedunt, vtſemper orent aliqui vſque ad veſperam. ibid.
Tunc ſtatio cum oratione & ieiunio durabat, nunc & poſt cibum, & cùm omninò non ieiunatur, fit ſtatio. 1116.a

Suggeſtio.

Suggeſtio quid. 278.b.279.b.c
Suggeſtio non poteſt dici peccatum originis. 279.b.c
Eſt actio quædam. 279.b.c
Suggeſtio diſtinguitur à delectatione. 280.a

Superbia.

Superbia vitium maximè deteſtabile. 165.d
Initium eſt omnis peccati, vt Eccleſiaſtici cap. 10. habeur. 165.a.169.
Superbia primum primi angeli peccatum. 166.a
Fuit primum primi hominis peccatum. 166.a.177.d
Superbia primus actus eſt, nolle ſubiici imperio alterius. 166.b.170.c.175.b
Superbia & inobedientia pro eodem accipi. 166.b
Superbia & obedientia contraria 166.b
Superbia latius patet quàm inobedientia. 166.c
Superbia qua quis contemnit præceptum ſuperioris, eſt inobedientia. 166.d
Omnis ſuperbia non eſt inobedientia, ſed contra. 166.a
Superbiam fuiſſe primum primi hominis peccatum, probatur ex Patribus. 167.a & ſeq.
Superbia primi hominis fuit, quod voluit eſſe Deo ſimilis. 167.a.168.c.169.c.170.175.b
Superbia malæ voluntatis initium. 167.c
Superbiæ vulnera humilitatis remediis curantur. 167.c
Per ſuperbiã homo perdidit humilitatem. 167.c.174.a
Superbiæ obiectum eſt excellentia propria, quæ in malis eſt finis hominis. 168.a.169.a.170.a
Superbia mater infidelitatis. 168.a.174.a
Superbia occulta fuit primum Adæ peccatum. 169.d
Superbia Adæ initium habuit à nullo præcedente errore, ſed per ſolam incogitantiam. 170.d
Superbia eſt amor ſui vſque ad contemptum Dei. 171.a.175.c
Superbia Heuæ maior ſuperbia Adæ. 177.c
Superbia Adæ & Heuæ, quomodo eadem. 178.b
Superbia humiliatur. 823.a

Superfluum.

Superfluum, vel opes ſuperfluæ dupliciter dici poſſunt naturæ & perſonæ 1132.b
Superfluum perſonæ dicitur, ſine quo quis & viuere, & familiam alere, & ſtatum ac dignitaten tueri poteſt. 1132.b
Naturæ, ſine quo quis cum familia ſua viuere poteſt. 1132.b
Superfluum in præſenti poteſt eſſe ſimpliciter neceſſarium pro futuro. 1132.c
Superflua præcepti neceſsitate danda eſſe extrema, vt graui neceſſitate laborantibus. 1132.d
Imo ſine peccato retineri non poſſunt. 113.c.1135.a.b
Superflua congregare, eſt ſeruire Mammonæ. 1132.c
Superflua congregantes damnantur. 1133.c.d. Probatus ex D. Lucæ Euangelio. 1133.b.c. Ex patribus 1133.d & ſeq. Ratione. 1134.& ſeq. ſuperflua non ſunt noſtra ſed pauperum. 1133.d. Horum diſpenſatores ſumus, non poſſeſſores. ibid.
In eleemoſynis, non in deliciis ſunt cõſumenda. 1126.d
Superflua retinere eſt aliena rapere. 1134.a
Superflua diuiti ſunt Domini pedibus, id eſt pauperibus neceſſaria. 1134.a.b
Superfluis abundant diuites neceſſariis indigent pauperes. 1134.d
Superflua retinentes contra Dei voluntatem agunt. 1134.d
Superflua dare cuique petenti, non tenentur diuites, ſed vni potius quàm alteri poſſunt ſecundùm caritatem. 1145.a.b

Supernaturale.

Supernaturale aliud per ſe, aliud per accidens, & quid ſit vtrumq; 13.a.b

Symbolum.

Symbolum Apoſtolicum quare conditum. 733.d
Symbolum hoc ſummatim continet totum fidei obiectum. 734.a
Definitur à S. Auguſtino. 734.a
Habet quatuor explicationes, quæ vocantur etiam Symbola. 734.b.850.a
Symbolum Apoſtolorum nihil habet de fiducia, quam hæretici prædicant. 934.d

Credo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Credo remissionem peccatorũ, quid significat. 850.a
Symbolum Apostolicum Euangelij summa. 891.d

Syndereſis.

Syndereſis est inclinatio ad bonum. 625.b
Non extinguitur in Dæmonibus. 625.b
Quomodo differt à lege naturæ. 625.c
Elicyplium lumen intellectus per modum habitus in nobis manens. 625.c
In Cain non fuit deleta post peccatum. 625.c
Est scintilla & vermis conscientiæ. 625.c

T

Tentatio.

TEntatio duplex, alia ad probandum. 114.c.130.a
Alia ad seducendum. 114.c
Tentauit Deus Abraham, Genes. 22. ad probandum. 114.c.641.c
Tentatio non est à Deo. 19.d.77.c.d.115.b.c
Tentatio Iobi. 128.d.641.c.d
Tentatio Adæ in paradiso. 157.a.b.c
Tentatio Adæ iustè à Deo permissa. 160.d
Tentationis huius caussa soli Deo nota. 160.d
Tentationis caussæ quæ probabiliter assignari possunt. 160.d.161.a.b
Tentatio malæ Angeli vicit bonum hominem in paradiso. 161.a
Cur permisit Deus Adamum tentari, quem sciebat casurum. 161.a.b
Tentatio Adæ fuisset gloriosior ad triumphum, si hostem superâsset. 161.a.d
Tentationes quomodo superandæ. 448.d
Tentatio vera non potest solis naturæ viribus superari. 603.c.d.& seq.
Tentatio potest tribus modis superari. ibid.
Tentationi resistendum ex caritate Dei, vt acquiratur meritum. 603.d
Tentatio vinci potest ita, vt meritum inde non acquiratur. 604.
Tentationes, quæ per se non superant vires humanas, Deo destituente, fiunt grauissimæ. 604.a
Tentationes possunt crescere super vires nostras, si Deus permittat. 604.c
Tentationum victoria Deo tribuitur. 604.c.d
Quid est, Deum tentare aliquem. 641.c
In tentationibus apparet liberum arbitrium. 641.c.d
Tentationes sunt virtutum probationes 641.d
Tentatio legisperiti, Luc. 10.cap. 893.d
Tentationes Christi à Pharisæis, Saducæis, & Legisperitis. 894.a
Tentatio est vita hominis. 939.c
Interdum vtilis, semper periculosa. 1017.d
Tentatio non appetanda, sed fortiter tolerenda. 1017.d
Tentatio petenda, si reueletur victoria. 1018.a

Terra.

Terra manebit in æternum. 346.c
Terra, id est, caro. 1012.a
Per terram intelligũtur infideles, & peccatores. 1012.a
Terra id est, Ecclesia. 1012.b
Est Ecclesia militans. 1012.a.b
Terra, ex qua sumpti sumus, omnibus communis est. 1134.c.1140.b

Timor.

Timor gehennæ qualis, donum spiritus sancti. 687.b.c
Timor est secunda dispositio ad iustificationẽ. 748.b.c
Timor qui est initium sapientiæ, est timor seruilis, quæ est in peccatore. 748.b.c
Timor quomodo iustificat. 748.b
Timoris & fidei iustificatio cõparantur inter se. 749.a
Timor medicamentum, caritas, sanitas. 749.b
Timoris laus. 749.c

Traditiones.

Traditiones defenduntur à S. Basilio Magno. 89.115.d
ex Traditione probat D. Augustinus Adamum esse beatum non damnatum. 184.d

V

Vasa.

VAsa in honorem quæ. 123.c.d.124.a.b.c.161.a. 162.a.486.a.495.
Vasa in contumeliam quæ. 123.124.a.161.b.d
Vasa iræ, facta in perditionem, vt Deus ostendat potentiam suam. 124.b.c.125.a.144.d
Vasa misericordiæ facta in honorem, vt ostendat Deus diuitias gloriæ suæ. 124.c.d.125.a.126.a.b
Vasa contumeliæ Deus odit. 125.a
Vasa contumeliæ Deus sustinet in multa patientia. 125.a
Talia sunt exigente conditione materiæ. 125.a.126.a.b
Adam vas in honorem, 126.c
Vasa iræ & misericordiæ. 339.c.d.441.d.442.a.485.d
Vasa in honorem habent duo signacula. 495.a
Vasa hæc distinguuntur sola misericordia, non meritis. 501.a.506.a.b
Vasa in contumeliã duobus modis fieri possunt. 505.c

Velle.

Velle est Dei vocando, nostrùm sequendo. 424.d. 428.a.b.429.d.434.c.d.699.a.706.a
Velle, & posse velle, à Deo sunt. 427.a
Velle credere, Deus operatur in homine. 428.a
Velle quomodo in nobis, sine nobis operatur Deus. 429.d.436.b
Velle quomodo dat Deus vni, & non alteri. 432.d
Velle quomodo Dei, quomodo nostrùm. 435.a
Velle non possumus, nisi eo volente & subueniente, à quo præparatur voluntas. 447.a
Velle Dei duobus modis consideratur. 547.d
Velle & non velle quid in Deo significent. 548.b
Velle Dei est necessarium quoad cultum volendi, non quoad ordinem ad creaturam. 548.c

Ver.

Ver est aptum ieiunio Quadragesimali. 1107.c
Vere ineunte humores crescunt & calent in animalibus. 1107.c
Opus est ieiunio contra tentationes. 1107.c
Vere optima aëris temperies, pisces salubres, olerum abundantia. 1107.c
Opera in agris ferè nulla. 1107.c

Veritas.

Veritas est per se cognoscibilis, sine respectu ad mendacium. 150.b.c
Veritatem cælare nonnunquam licet, at nunquam falsitatem dicere. 287.d
Veritas omnis Deum veritatem increatam repræsentat. 418.d
Veritate nihil desiderabilius. 429.a
Veritas est obiectum intellectus. 537.c
Veritates multas theoricas, & mechanicas solo lumine naturæ cognosci. 554.a.b
Veritates morales aliæ plus, aliæ minus distant à principiis per se notis. 595.b

Verum.

Vera aliqua naturalia, moralia, & supernaturalia possunt etiam ab hominibus malis cognosci. 589.b

Verum morale quot modis accipitur. 589.b
Verum nullum morale potest ab intellectu humano in statu naturæ corruptæ, sine speciali Dei auxilio, cognosci secundum aliquorum opinionem. 589.c
Contra habet communis Theologorum sententia. 589.c.& seq.
Verum aliquod morale solo Dei auxilio generali potest modo ab hominibus cognosci. 590.a.& seq.
Probatur ex Scripturis. 590.& seq. Ex Patribus. 592.c.d.& seq. Ex ratione. 592.d.& seq.a. Soluuntur obiectiones. 593.b.& seq.
Verum morale est obiectum intellectus humani. 593.a
Verum morale in vniuersum potest ab homine cognosci, sine auxilio Dei speciali. 593.a

Vigilia.

Vigiliæ noctis quatuor. 1029.c.d
Vigilia prima, & reliquæ quibus horis. 1029.c.d
Vigilia erat nocturna, cum diuturno ieiunio pridie magnorum festorum. 1114.d

Vir.

Vir non est seductus, sed mulier. 173.
Viri dignitas & priuilegia supra mulierem. 174.b.c
Viri naturaliter sunt prudentiores & iudicij maturioris, quàm fœminæ. 174.c.d.179.a
Vir caput mulieris. 179.a.183.a.b
Vir debet docere, & non discere à muliere. 179.a
Viri officium est cura familiæ nutriendæ. 181.a 182.c.d
Vir à viro melius quàm à muliere iuuatur, nisi in propagatione sobolis. 181.d
Vir & mulier in matrimonio, non sunt duo, sed vna caro. 212.c
Vir caussa actiua generationis. 212.c.237.a

Virtus.

Virtus dicitur bonum naturæ. 14.c
Nomen virtus & actionem & habitum significat. 55.a
Est secundum naturam, quia virtute natura perficitur. 268.c.d.359.b.590.d
Virtuti & actus & habitus malos, & passio opponitur. 310.c
Virtutum moralium perfectio est necessaria ad naturæ fœlicitatem. 341.c
In Virtutum acquisitione cur tanta difficultas. 359.b.c
Virtuti pauci studeut. 359.d
Virtus est bona qualitas animi. 399.b
Virtus vna perfecta non potest esse sine omnibus aliis. 595.a.b
Virtus vna imperfecta potest esse sine aliis. 595.a.b
Virtutes aliquæ sunt naturales. 609.a.& seq.611.c.d.
Virtutes antiquorum Romanorum à Deo remuneratæ. 610.c.d.
Virtutes etiam infidelium sunt dona Dei. 621.c
Virtutum semina quid. 623.d
Virtutum semina aboleri non possunt. 624.a
Virtutum semina malè intellexit Cassianus. 624.a
Virtus est ex voluntate, non ex necessitate. 650.b.c. 968.c
Virtutes & Vitia sunt in nostro libero arbitrio. 650.d
Virtus est interioris hominis pulchritudo. 812.a.b
Virtus & actus virtutis distinguuntur. 828.a.b
Virtutes possunt augeri de perfecta in perfectiorem. 885.a.b.& seq.
Virtutes omnes per amorem sunt definiendæ, & inde formantur. 981.a.b
Virtutes morales non referuntur ex natura sua in Deũ, nisi vt in finem naturalem. 982.c
Theologicæ respiciunt quidem Deum, vt finem supernaturalem, sed non sic in eum referuntur, nisi per caritatem. 982.c
Virtutes morales sine caritate sunt veræ virtutes, sed imperfectæ. 1123.c

Vita æterna.

Vita æterna est & munus gratiæ, & merces meriti. 23. 24.395.b
Vita æterna stipendium meriti. 23.b.c.63.c
Sitne finis hominis naturalis, an supernaturalis. 27.c.d
Est naturalis hominis finis quoad apetitum, non quoad consecutionem. 27.d
Vita animæ æterna gloria. 219.d
Vita animæ gratia. 330.b
Vita æterna gratia Dei. 395.b.971.a.b
Sola dicenda est vita. 440.d
Verè & propriè est merces operum bonorum. 502.a. 946.a.b
Est piorum præmium. 631.b
Quomodo corona misericordiæ, quomodo iustitiæ. 631.d
Quibus nominibus vocetur. 778.c.d
Est denarius diurnus in parabola. Matth. 20. cap. 946. b.959.b.988.a
Habet rationem & mercedis, & hæreditatis. 946.c.d. 986.d.987.c.992.d
Debetur iustis adultis, vtroque titulo. 946.d.992.d.
Datur secundùm proportionem operum. 947.b
Multis nominibus vocatur in sacris literis. 947.c
Quomodo merces fidei. 947.d
Quomodo merces, quomodo gratia. 953.d.991.b
Et finis fidei & bonorum operum. 966.a.b
Hæreditas filiorum. 971.d
In visione Dei consistit. 972.d
Quibus rebus assimiletur. 970.a
Vt hæreditas personæ debetur iure adoptionis sine pacto. 987.c
Vt brauium debetur operibus ex pacto. 987.c
Gratia pro gratia. 987.d
Flumen lætificans ciuitatem Dei. 987.d
Redditur meritis filiorum Dei, rum quoad primum gradum, tum quoad cæteros. 992.c.d

Vitium.

Vitium contra naturam. 226.268.c.d.313.a.359. b.c.590.d
Vitium quomodo differt à peccato. 55.a.80.a.304.d
Est habitus oppositus virtuti. 55.a.b.310.c
Vitium vnde accidit humanæ naturæ. 223.d
Significat quamcunque corruptionem vel languorem naturæ. 413.d
Quomodo dicitur peccatum. 268.c.d.316.d.
Vitium hominis, natura est pecoris. 320.b

Voluntarium.

Voluntarium est necessarium ad peccatum. 57.a.74.b
Voluntarium esse de natura peccati. 81.d.82.c
Quomodo est in peccato, quomodo non. 221.c.222.a
Voluntarij parum est in peccato originis. 222.b
Voluntarium habituale non sufficit ad peccatum. 329.a
Voluntarium potest accipi pro spontaneo & libero, à sola coactione. 627.b.c.654.b
Tale voluntarium est in pecoribus, & non pugnat cum necessario. 627.b.c.646.a.652.b.654.b
Propriè accipitur pro libero à necessitate. 627.c
Voluntarium spontaneum est genus ad liberum & non liberum. 630.b.c
Voluntarium liberum est proprium rationalis, vel intelligentis naturæ. 646.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Voluntariè sumus vel Christi milites, vel serui diaboli. 654.b
Voluntarium vt opponitur coacto, non sufficit ad peccandum. 654.b

Voluntas.

Voluntas signi est ipsum præceptum, vel prohibitio. 113.d.140.d
Voluntates malæ non sunt à Deo, quia contra naturam sunt. 117.d.145.c
Voluntas mala est peccatum, licet desit potestas. 117.d. 121.a
Voluntas Dei nunquam vult nisi bona. 118.b.119. a.b.& seq.
Iusta voluntas hominis est ea, quæ vult id, quod Deus vult eum velle. 119.c.d
Iniusta est ea, quæ vult id, quod Deus non vult eum velle. 119.c.d
Voluntas non potest appetere malum. 107.a.121.a. 168.b.524.d.536.c
Voluntati Dei nemo potest resistere. 121.c.141.a.143.d
Voluntates malas, quomodo Deus regit, flectit, inclinat. 129.b.c.d.145.a.d
Voluntas mala, quomodo inclinatur à Deo potius ad vnum malum quàm ad aliud. 129.b.c.d.145.b.c.d
Voluntas Dei quomodo se habeat ad peccatum. 140.b
Non habet Deus nolle, aut velle, respectu peccati. 140.b
Habet non velle respectu peccati. 140.b
Deus non vult peccata. 140.c
Vult non impedire. 140.c
Vult permittere. 140.c.141.b
Vult ordinare, vult punire. 140.b
Non habet Deus positiuè voluntatem beneplaciti, respectu peccati. 140.b.c.d
Voluntate signi Deus non vult fieri peccata. 140.d
Voluntas beneplaciti est absoluta. 140.d
Voluntas signi non est absoluta, sed cõditionata. 140.d
Cur dicitur conditionata. 140.d
Qui prohibet ne quid fiat, vult id non fieri, vel si fiat, puniri. 140.d.141.a
Peccatum non fit præter, sed contra Dei voluntatem, quomodo. 141.a
Hoc ipso quod facit quis contra voluntatem Dei, fit voluntas Dei. 141.a.b
Non fiunt peccata præter voluntatem Dei, quia non fierent, si non fineret. 141.c
Velle fieri mala, est malæ voluntatis. 141.d
Velle permittere mala, potest esse bonæ voluntatis in Deo. 140.a.b.141.b.d.
Deus voluntate agit, & quidquid vult fieri, facit. 142.a. 795.c
Si Deus vellet fieri mala, ipse faceret mala. 142.a
Deus non vult mala per se. In malis nunquam Deus vult, quod homines volunt. 143.a
Quæ mala potest Deus bona voluntate velle, homines autem mala. 143.a.791.b.c.
Voluntas hominis aliquando magis congrueret cum bona voluntate Dei, si nollet quod vult Deus, quàm quando vult, quod Deus. 143.a.b.c.791.b
Voluntate mala Iudæ vsus est Deus ad maxima bona. 146.b.c
Voluntas propria est causa peccati. 146.b.c.154.c.d
Voluntatis malæ non est causa efficiens, sed deficiens. 152.d
Voluntas producit actum non cõformem rationi, quia non respicit regulam rationis, dum operatur. 153.b. 154.c.d
Voluntas liberè operatur, vel non operatur. 153.b.c
Voluntas Dei est regula omnis bonæ actionis. 154.a
Voluntas non peccat, vt est à Deo, sed vt deflectit à Deo. 156.b.c.
Voluntas propria quomodo ruina hominis. 166.c 167.c
Voluntatis obiectum est solùm bonum. 168.b
Voluntas sæpè præuenit perfectam rationis deliberationem. 176.c
Voluntatis vulnus difficultas, ex qua oritur dolor. 356.d
Voluntatis vulnera ex peccato originis. 359.a.b.& seq 366.a.b
Voluntatis humanæ peruersitas in negligendo cultum veri Dei, & colendo Deos falsos. 360.a.b
Magna inconstantia. 360.b
Magna ægritudo. 361.a
Voluntatis malitia non fuit in primis parentibus ante peccatum. 366.a.b
Voluntas Dei est efficaciſſima. 403.b
Nostra in bonis quomodo se habet vt pedissequa. 404. d.429.b.c
Voluntas per amorem immediatius Deum attingit in hac vita, quàm intellectus per fidem. 410.b.c
Voluntatis libertas peccato debilitata. 414 c
Voluntatis nostræ est consentire vel dissentire. 428.a.b
Voluntas bona, donum Dei est. 430.a.c
Voluntas efficax est sine difficultate. 434.b
Voluntas vt mouetur à Deo, quomodo mouens, quomodo mota. 455.a
Voluntas præparatur à Domino. 438.c.d
Voluntate antecedente Deus vult omnes saluos fieri. 441.b.481.a
Voluntate absoluta Deus vult aliquos saluare, alios non. 481
Voluntas glorificandi prior est prædestinatione 501.a
Voluntas & liberum arbitrium, quomodo differunt. 512.d
Voluntas simplex & voluntas vt est principium electionis. 516.d.525.a
Voluntas simplex potest intelligi cum libertate à sola coactione, non autem vt est principium electionis. 516.d.519 d
Voluntas nostra quomodo libera, quomodo non, in petenda beatitudine. 517.a.b
Quomodo libera post hanc vitam. 517.b
Voluntas se & alias potentias mouet. 523.a.524.b
Voluntas simplex est impossibilium. 523.a
Voluntas quomodo libera à coactione. 523.d
Voluntas est appetitus rationalis. 525.a.b.526.a.b
Est principium liberarum actionum. 526.d.527.a
Voluntatis obiectum non est bonum in se, sed vt à ratione tale indicatur. 530.d
Voluntas quomodo potest dici potentia actiua & passiua. 534.b.c
Quomodo se mouet, quomodo ab intellectu mouetur. 534.c
Quomodo mouetur necessariò, & habet se per modum causæ naturalis. 534.d
Voluntatis obiectum est bonum. 107.a.121.a.168.b. 524.d.536.c. Probatur rationibus. 586.c.d. Et soluuntur obiectiones. 537.a.b.c
Voluntas mouet se ex appetitione finis. 541.b
Voluntas sapientiæ, & sapientia voluntati in Deo semper conformis. 548.b.c
Voluntas Dei ad res creatas habet ordinem contingentem. 548.d
Voluntatis diuinæ actus quoad substantiam, & entitatem, ab æterno fuit determinatus, non tamen respectu rei creatæ. 548.d
Voluntas potest à Deo quatuor modis inclinari ad aliquid petendum vel fugiendum. 573.c.d

Voluntas

Voluntas hominis efficienter per gratiam & virtutes inclinatur ad bonas actiones. 573.c.d
Voluntas à passione vehemente nonnunquam rapitur ad consensum. 573.d
Quomodo conditionis voluntas sit rerum necessitas. 575.a.b
Voluntates humanas quocunque vult Deus inclinat. 575.c
Ad voluntatem humanam referenda est determinatio particularis, vniuersalis verò ad Deum. 589.c.d
Voluntatem humanam non esse à Deo prædeterminatam, sed esse liberam relictam. 581
Voluntate humana operante, cooperatur Deus, non contra. 582.a.c
in Voluntate tria considerantur, quando determinat se ad opus. 582.d
Voluntas nostra Dei motione liberè vtitur. 582.c.d
Voluntatis determinatio negatiua quid. 582.c
Voluntas diuina est causa rerum omnium, sed in liberis particularibus nihil decernit, nisi præcognita determinatione secundarum causarum. 587.a
Voluntas non necessitatur à passione physicè, sed moraliter. 607.c
Voluntas sine caritate est vitiosa cupiditas. 619.a
Voluntas mala quomodo potest operari aliquid boni, & bona aliquid mali. 620.a.b
Voluntas non cogitur, sed suadetur. 655.d
Voluntas nostra comitatur non ducit, pedissequa est non præuia. 698.a.b
Voluntates nostræ non sunt sub necessitate. 699.a
Voluntatis est credere, & non credere, consentire vel non. 698.d.699.d
Voluntas nostra quomodo præparatur à Deo, quomodo à nobis. 706
Voluntas Dei alia signi, alia beneplaciti. 1010.d
Voluntas signi sunt præcepta & prohibitiones, quibus Deus nobis significat, quid agi, quid non agi à nobis velit. 1010.d
Beneplaciti est, qua Deus vult absolutè aliquid fieri, quæ semper impletur. 1010.d
Voluntas hominis non debet semper velle id, quod Deus vult fieri voluntate beneplaciti. 1010.d
Voluntati beneplaciti Dei non obmurmurandum. 1011.d
Voluntas signi totis viribus nobis perficienda. 1011.d

Voluptas.

Voluptas quædam ante omne peccatum præcurrit. 280.a.285.a
Adolescentes ad insaniam redigit. 361.d
Voluptas corporis domina sæuissima. 365.c
Sapientiæ repugnat. 365.d
Pestis omnium capitalissima. 365.d

FINIS INDICIS.

Operarum incuria quædam quæ irrepserunt errata sic corrige.

Pagina 163. linea vltima, neque illud tang. fuisse, lege neque illud tangerent.
Pag. 168. linea 37. caput xv. lege caput v.
Pag. 794. linea 10. ichebbd, lege ichebol.
Pag. 1009. linea 17. sine, lege siue.
Pag. 1017, linea 43. induxit, lege induxisti.
Cæterum in Paginarum numero bis erratum est, primum Pag. 456. succedit Pag. 481. neglectis numeris intermediis: Secundo, post Pag. 1036. numeratio incerta est, in Indice verò notando ne difficilior rerum citatarum inuentio redderetur, veram paginarum supputationem sequuti sumus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca